SUPPLEMENTUM

# AD THEOLOGIAM

MORALEM

R. P. F. PATRITII SPORER.

Digitized by Google

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM

# THEOLOGIÆ MORALIS DECALOGALIS

R. P. F.

# PATRITII SPORER

De Legibus, de Statu Clericali, Religioſo, & Laicali; necnon de Cenſuris, & Irregularitatibus.

*AUCTORE R. P. F.*


KILIANO KAZENBERGER

Ordin. FF. Minor. Recollect. Prov. Argent. SS. Theolog. Lectore Jubilato, ac Deffinitore.


Poſt Propoſitiones damnatas ab ALEXANDRO VII. INNOCENTIO XI. ALEXANDRO VIII. & CLEMENTE XI.


VENETIIS. MDCCXXXI.

Apud Nicolaum Pezzana.

*SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.*

# FACULTAS

*Admodum Reverendi P. Miniſtri Provincialis.*

EGo F. MARINUS PANGER, Ord. Fratrum Minor. S. Franciſci Recollectorum. SS. Theolog. Lector Jubilatus, Provinciæ Argentinæ, ſeu Germaniæ Superioris Miniſter Provincialis hiſce Facultatem concedo, quantùm in me eſt, ut Supplementum *Theologiæ Moralis ſuper Decalogum* P. Patritii Sporer, Lectoris Jubilati de Legibus, ſtatu Clericali, Religioſo, & Laicali; atque de Cenſuris, & Irregularitatibus, Auctore P. Kiliano Kazenberger, SS. Theologiæ Lectore Jubilato compoſitum, atque à Theologis, ad id deputatis, lectum, & cenſum, prælo dari poſſit. In cujus fidem has officii mei Sigillo munitas dedi in Conventu noſtro Auguſt. ad S. Sepulchrum die 5. Julii 1723.

Loco ✠ Sigilli

F. MARINUS, qui ſuprà

---

# LECTOR BENEVOLE.

SI legiſti Theologiam Moralem Decalogalem noſtri R. P. Patritii Sporer, utique advertiſti, in ea deſiderari adhuc aliquos Tractatus Morales, valde tamen Confeſſario neceſſarios, nimirum Tractatum de Legibus, de Præceptis Particularibus, certo Hominum ſtatui, nimirùm Clericali, Religioſo, & Laicali propriis; Item Tractatum de Cenſuris, & irregularitatibus. Quare, ut huic deſiderio ſatisfacerem, Supplementum hoc conſcribere, & tibi, mediante Typo, communicare volui. Tu æqui, bonique conſule, vale, & DEUM pro me ora.

# S E R I E S

## Capitum, Sectionum, & Quæſtionum, ſeu Materiarum.


C A P U T I.

De Legibus in Genere, & in Specie. pag. 1

S E C T I O I.

De Lege in Genere.

Quæſt. I. *Quid ſit Lex, & in quo ejus eſſentia conſiſtat?* ibid.
Quæſt. II. *Quænam conditiones requirantur ad valorem Legis?* 2
Quæſt. III. *De Diviſione, Cauſis, Effectibus, & Actibus Legis.* 4
Quæſt. IV. *De Obligatione Legis ut ſic.* 6

S E C T I O II.

De Lege Divina Naturali, & Poſitiva, Moſayca, & Evangelica.

Quæſt. I. *De Lege Divina Naturali.* 7
Quæſt. II. *De Lege Divina Veteri, ſeu Moſayca.* 11
Quæſt. III. *An, & quando Lex Vetus, ſeu Moſayca ceſſaverit?* 13
Quæſt. IV. *De Lege Nova, ſeu Evangelica.* 16

S E C T I O III.

De Lege Humana. 18

Quæſt. I. *De Cauſa Effectiva Legis Humana.* 19
Quæſt. II. *De Materia, & Forma Legis Humana.* 24
Quæſt. III. *De Effectu, ſeu Obligatione Legis Humana.* 27
Quæſt. IV. *De Subjecto Legis Humana.* 31
Quæſt. V. *De Lege Humana in ſpecie, videlicet de Lege Pœnali, Irritante, in Præſumptione fundata, ac Conſuetudine.* 38

S E C T I O IV.

De Ceſſatione Legis Humanæ.

Quæſt. I. *De Ceſſatione Legis per Ceſſationem cauſæ finalis, & per Legis abrogationem.* 45
Quæſt. II. *De Ceſſatione Legis per Interpretationem, & Epikiam.* 47
Quæſt. III. *De Ceſſatione Legis Humana per Diſpenſationem.* 49
Quæſt. IV. *De Ceſſatione Legis per Privilegium.* 62

C A P U T II.

De Præceptis Particularibus, Statui Clericali, Religioſo, & Laicali propriis. 69

S E C T I O I.

De Statu Clericali.

Quæſt. I. *De vita, & honeſtate Clericorum.* 70
Quæſt. II. *De Reſidentia Clericorum Beneficiariorum.* 72
Quæſt. III. *De Beneficiis Eccleſiaſticis, & Jure Patronatus.* 75
Quæſt. IV. *De Parochiis, & earum Juribus.* 79

S E C T I O II.

De Immunitate Eccleſiaſtica. 81

Quæſt. I. *De Immunitate Eccleſiaſtica Reali, & Perſonali.* ibid.
Quæſt. II. *De Immunitate Locali, ſeu de Jure Aſyli.* 83
Quæſt. III. *De Effectu Immunitatis Aſyli, & de Cuſtodia, & Extractione confugientium ad Locum Sacrum.* 85
Quæſt. IV. *De Pœnis Violantium Immunitatem Eccleſiaſticam, & de Abſolutione ab iiſdem.* 86

S E C T I O III.

De Statu Religioſo.

Quæſt. I. *De Status Religioſi Eſſentia, Diverſitate, Novitiatu, & Profeſſione.* 87
Quæſt. II. *De Obligatione Religioſi ex vi ſuæ Profeſſionis, & Votorum.* 95
Quæſt. III. *De Religioſis aſſumptis ad Cardinalatum, vel Epiſcopatum: Item de Tranſeuntibus ad aliam Religionem: Item de Ejectis, Fugitivis, & Apoſtatis.* 102
Quæſt. IV. *De Exemptione Regularium Mendicantium.* 104

S E C T I O IV.

De Statu Laicali.

Quæſt. I. *De Judice.* 108
Quæſt. II. *De Accuſatore, & Denuntiatore.* 110
Quæſt. III. *De Teſtibus, & Advocato.* 112
Quæſt. IV. *De Reo.* 113

C A P U T III.

De Cenſuris, Irregularitatibus, aliiſque Pœnis Eccleſiaſticis. 115

S E C T I O I.

De Cenſuris in Genere.

Quæſt. I. *Quid & quotuplex ſit Cenſura, & quis poſſit ferre ſeu infligere Cenſuram?* ibid.
Quæſt. II. *De Subjecto, cauſa, & forma Cenſuræ.* 117
Quæſt. III. *Quænam cauſa ab incurrendis Cenſuris excuſent?* 121
Quæſt. IV. *De Abſolutione à Cenſuris.* 123

S E C T I O II.

De Excommunicatione.

Quæſt. I. *Quid ſit excommunicatio Major, & minor, & excommunicatus Toleratus, & non Toleratus?* 127
Quæſt. II. *De Primis quatuor Effectibus excommunicationis Majoris?* 129
Quæſt. III. *De Reliquis Effectibus excommunicationis Majoris.* 132
Quæſt. IV. *De excommunicationibus in Specie, & de earum Abſolutione.* 135

S E C T I O III.

De Suſpenſione, & Interdicto.

Quæſt. I. *Quid ſit Suſpenſio, & quotuplex?* 140
Quæſt. II. *De effectibus ſuſpenſionis, & ejuſdem abſolutione.* 141
Quæſt. III. *Quid, & quotuplex ſit interdictum, quæ ejus cauſa, & ſubjectum?* 143

S E C T I O IV.

De Irregularitate, & cęteris Pęnis Eccleſiaſticis.

Quæſt. I. *De Irregularitatis Eſſentia, Diviſione, Cauſa, & Subjecto.* 146
Quæſt. II. *Quot, & quibus modis tollatur Irregularitas?* 147
Quæſt. III. *Quis poſſit in Irregularitate diſpenſare?* 148
Quæſt. ultima. *De Reliquis Pęnis Eccleſiaſticis, & earum Relaxatione.* 150

A P P E N D I X

De Virtutibus Cardinalibus, & Vitiis oppoſitis. 152
Coronis Stellarum duodecim Ordinis noſtri Seraphici. 158


ELEN-

Digitized by Google

# ELENCHUS, ET SUMMARIUM

Omnium hujus Supplementi Theologiæ Moralis Decalogalis, de Legibus, de Statu Clericali, Religioſo, & Laicali; de Cenſuris, & Irregularitatibus, cæteriſque pœnis Eccleſiaſticis;

*Capitum, Sectionum, Quæſtionum, Aſſertionum, & Paragraphorum.*

## CAPUT I.

De Legibus in Genere, & in Specie.

### SECTIO I.

*De Lege in Genere.*

#### QUÆSTIO I.

*Quid ſit Lex, & in quo ejus eſſentia conſiſtat.*

##### ASSERTIO I.

*Lex* eſt Regula ſtabilis Actionum Humanarum, lata communitati propter bonum commune, ab habente auctoritatem publicam in communitatem, obligans ad aliquid faciendum vel omittendum: ejus eſſentia conſiſtit in ſolo actu voluntatis: promulgatio non eſt de ejus eſſentia.

§. I. Lex quid nominis. *n.*1.
§. II. Lex quid Rei. *n.*3.
§. III. Eſſentia Legis inſinuatur. *n.*5.
§. IV. Promulgatio non eſt de eſſentia Legis. *n.* 10.

#### QUÆSTIO II.

*Quænam conditiones requirantur ad valorem Legis?*

##### ASSERTIO II.

Ad valorem Legis requiruntur ſequentes conditiones.
§. I. Ad valorem Legis requiritur, ut ſit ſtabilis & perpetua, *nn.*14.
§. II. Ut ſit juſta, & obſervatu poſſibilis. *n.*18.
§. III. Ut ſit bono communi utilis, & ad illud procurandum feratur. n.22.
§. IV. Ut à publica poteſtate pro perfecta communitate feratur. *nn.* 26. Quænam ſit convenientia, & differentia inter Legem, & præceptum? n.31.

#### QUÆSTIO III.

*De diviſione, cauſis, effectibus, & actibus Legis.*

##### ASSERTIO III.

Lex ut ſic dividitur in naturalem, & poſitivam: poſitiva in Divinam, & humanam: Divina in veterem, ſeu Moſaycam, & novam, ſeu Evangelicam: humana in Eccleſiaſticam, & civilem. n.32.
§. I. Lex ut ſic dividitur immediatè in naturalem, & poſitivam &c. *n.*33.
§. II. Lex DEI æterna quid ſit? *n.*36.
§. III. Cauſæ, & effectus Legis enumerantur. *n.* 37.
§. IV. Actus Legis ſunt quatuor, nimirum *præcipere*, *prohibere*, *permittere*, & *punire*. n.39.

#### QUÆSTIO IV.

*De obligatione Legis ut ſic.*

##### ASSERTIO IV.

Lex (*idem eſt de Præcepto*) obligat ad actionem præceptam faciendam, vel prohibitam fugiendam.
§. I. Ex ea virtute, quam Legiſlator, vel præcipiens intendit. *n.*41.
§. II. Obligationi Legis, vel præcepti poteſt etiam ſatisfieri per actionem ex fine, vel circumſtantia extrinſecè vitiatam. *num.*43.
§. III. Pluribus Legibus uno, & eodem actu ſatisfieri poteſt extra materiam Juſtitiæ, & niſi aliud colligatur ex mente illas imponentis. *n.* 44.
§. IV. Pluribus Legibus, & præceptis poteſt eodem tempore ſatisfieri per plures actus, quando unus actus non impedit alium debitè exercendum. *nn.* 47. Qualis intentio requiratur ad impletionem cujuſcumque Legis, vel præcepti. *nn.* 48. *Remiſſive.*

### SECTIO II.

De Lege Divina naturali, & Poſitiva, Moſayca, & Evangelica.

#### QUÆSTIO I.

*De Lege Divina naturali.*

##### ASSERTIO I.

Lex naturalis formaliter eſt actus Divinæ voluntatis, *n.*50.
§. I. Neceſſariò præcipiens, aut prohibens actiones habentes intrinſecam con- vel diſconvenientiam ad naturam rationalem, qua talem, *n.* 53.
§. II. Non ſolùm prima morum principia, ſed etiam concluſiones ex eis neceſſario deductæ ſunt materia Legis naturalis. *n.* 56.
§. III. Lex naturalis non eſt propriè mutabilis, aut diſpenſabilis. *n.*61.
§. IV. Nec invincibiliter ignorabilis eſt ab adulto rationis compote. n.67.

#### QUÆSTIO II.

*De Lege Divina Veteri, ſeu Moſayca,*

##### ASSERTIO II.

Immediatus Author, & Legiſlator Legis veteris fuit DEUS. *num.*72.
§. I. Moyſes verò, cui tradita eſt miniſterio Angelorum, fuit tantùm ejus promulgator. *n.*80.
§. II. Per ſe loquendo ſolos Judæos obligavit. n.82.
§. IV. Et quidem in conſcientia, ac etiam ſub mortali. *n.* 84.
§. IV. Non tamen cum periculo mortis, niſi quoad præcepta Moralia negativa, quæ in Decalogo continentur. *n.* 86.

#### QUÆSTIO III.

*An, & quando lex Vetus, ſeu Moſayca ceſſaverit?*

##### ASSERTIO III.

§. I. Lex vetus ceſſavit introducto Evangelio. *n.*90.
§. II. Non tamen ſtatim deſiit obligare in Nativitate Chriſti; vel ante mortem illius. *n.*94.
§. III. Nec præcisè in morte Chriſti, ſed à promulgatione Legis novæ facta in Pentecoſte. *n.*98.
§. IV. Ubi licèt fuerit mortua, non tamen ſtatim fuit mortifera, ſed aliquo tempore poſt illius abrogationem licitum fuit ſervare præcepta cæremonialia, quamvis non fuerit neceſſaria. n.102.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO IV.

*De Lege Nova, ſeu Evangelica.*

ASSERTIO IV.

Chriſtus Dominus inſtituit Legem novam, ſeu Evangelicam. *num.*107.

§. I. Quæ ad Legem veterem comparata, multis eam modis excellit. *n.*108.

§. II. Continet triplicia præcepta, & obligat in conſcientia omnes homines. *n.*113.

§. III. Incepit obligare in die Pentecoſtes, & durabit uſque ad finem mundi. *n.* 117.

§. IV. Et licèt per poteſtatem Divinam ſit abrogabilis, & diſpenſabilis, non tamen per poteſtatem humanam. *n.*121.

SECTIO III.

De Lege Humana.

§. I. Jus Canonicum univerſim ſex complectitur partes. *n.*126.

§. II. Jus Civile, & ejus partes. *n.*133.

QUÆSTIO I.

*De Cauſa effectiva Legis Humanæ.*

ASSERTIO I.

Poteſtas ordinaria ferendi Leges Eccleſiaſticas reſidet in Summo Pontifice, primario & illimitatè. *n.*139.

§. I. Reſpectu omnium Chriſtianorum, & quidem immediatè Jure Divino. *n.*142.

§. II. In aliis verò Eccleſiæ Prælatis reſidet limitatè, ac reſpectu ſibi ſubditorum tantùm, & quidem omnino Jure Pontificio. *n.*146.

§. III. Poteſtas ferendi Leges Civiles Jure naturæ reſidet in ipſa communitate. Jure verò humano reſidet in Imperatore reſpectu Imperii, Regnorum, & Provinciarum ſibi ſubditarum. *n.* 159. *& ſeqq.*

§. IV. In Regibus, ac Principibus reſpectu ſuorum Regnorum, ac ditionum, imò etiam in Regina Regni Hærede. *n.* 164. & *ſeqq.* Summus Pontifex extra ſtatum Eccleſiaſticum nequit condere Leges Civiles. *n.*168.

QUÆSTIO II.

*De Materia, & Forma Legis Humanæ.*

ASSERTIO II.

De materia Legis Humanæ, *Remiſſivè.*

§. I. Promulgatio publica, & ſolemnis requiritur ad hoc, ut Lex Humana actu obliget. *n.* 173.

§. II. Leges Imperiales non obligant, niſi poſtquàm fuerint promulgatæ in ſingularum Imperii Provinciarum Metropoli. *n.* 178. & poſt lapſum duorum menſium à facta promulgatione. 179. Leges Regum, & Principum extra Romanum Imperium ſtatim obligant poſt factam promulgationem in Metropoli Regni, vel Principatus, niſi conſuetudo, aut Jus, aut Privilegium particulare aliud exigat. *n.*181.

§. III. Lex Eccleſiaſtica ad hoc ut obliget, non exigit per ſe loquendo lapſum duorum menſium, ſed præciſè, ut promulgetur in Eccleſia matrice, ſi Epiſcopalis ſit, & ut promulgetur Romæ, ſi ſit Pontificia, ac univerſalis totam Eccleſiam obligans. *n.* 182. *& ſeqq.*

§. IV. Nec Lex Eccleſiaſtica, nec Civilis quoad ſuum valorem dependet ab acceptione ſubditorum. *n.* 190. & *ſeqq.*

QUÆSTIO III.

*De Effectu, ſeu obligatione Legis Humanæ.*

ASSERTIO III.

Omnis Lex Humana tam Eccleſiaſtica, quàm Civilis obligat in conſcientia, *n.*199.

§. I. Si non ſemper ad actum præſcriptum, tamen ad pœnam. *num.*400.

§. II. In materia gravi poteſt obligare graviter, & leviter. *n.* 203. In materia omninò levi nonniſi leviter. *n.*205.

§. III. Lex humana tunc obligat graviter, ſeu ſub peccato mortali, quando Legiſlator id expreſsè, vel æquivalenter declarat. *n.*208.

§. IV. Lex humana non obligat cum periculo mortis, aut alterius gravis damni, vel mali, niſi quando Legis obſervatio eſt moraliter neceſſaria ad bonum publicum conſervandum; vel violatio Legis humanæ cederet in contemptum fidei, aut Eccleſiaſticæ Legis, ſeu poteſtatis. *n.* 214. *& ſeqq.*

*Quæſtio Incidentalis*: Quando, & quomodo peccet, qui ſe reddit impotentem, vel ponit impedimentum, vel quærit exemptionem à Lege. *n.*218. & *ſeqq.*

QUÆSTIO IV.

*De Subjecto Legis Humanæ.*

ASSERTIO IV.

§. I. Legiſlator tenetur ſuis Legibus quoad vim directivam indirectè tantùm. *n.*235.

§. II. Sicut, & perſonæ Eccleſiaſticæ quoad vim directivam indirectè tantùm ſubjiciuntur Legibus Civilibus, eorum ſtatui non repugnantibus. *nu.*232. Regulares exempti non obligantur Legibus Epiſcopalibus etiam quoad vim directivam. *n.*234. Niſi in caſibus quibuſdam in Jure ſpecialiter expreſſis. *nu.* 235.

§. III. Infideles non baptizati non ligantur Legibus Eccleſiaſticis. *n.* 237. Benè tamen Hæretici. *ibid.* Nec infantes, nec amentes ligantur Legibus humanis. *n.*238. Impuberes an ligentur Legibus humanis. *n.* 241. Item amentes non perpetui. *n.*242.

§. IV. Peregrinus tam phyſicè, quàm moraliter exiſtens extra ſuum territorium, non tenetur Legibus ſpecialibus ſui territorii. *n.*244. & *ſeqq.* Exemplificatur caſibus. *n.*247. *& ſeq.* Excipiuntur duo caſus. *n.* 249. Peregrini, exceptis quibuſdam caſibus, per ſe loquendo, Legibus particularibus loci, quem tranſeunt, non obligantur. *n.*257. Idem dicendum de vagis. *n.* 258.

QUÆSTIO V.

*De Lege Humana in ſpecie, videlicet de Lege pœnali, irritante, in præſumptione fundata, ac conſuetudine.*

ASSERTIO V.

§. I. *Lex Pœnalis* non obligat ad pœnam ſubeundam ante Sententiam condemnatoriam Judicis, ſi pœna ſit ferendæ ſententiæ, ſi verò pœna ſit latæ ſententiæ; & ſit poſitiva, ac temporalis, tamen ordinariè non obligat ad ſubeundam pœnam ante ſententiam declaratoriam criminis, ſecus, ſi ſit pœna ſpiritualis, vel Privativa. *n.*261. *& ſeqq.*

§. II. Si Lex prohibeat actum, & non irritet, actus eſt validus, ſed illicitus. *nu.* 272. Si verò Lex actum à Judice irritandum decernat, tandiu valet actus donec ſententia judicis reſcindatur. *n.*277. Si denique Lex ipſo jure irritet actum, in foro externo eſt invalidus, ac etiam in foro conſcientiæ erit nullus, ſi fuerit naturaliter infirmatus. *n.*278.

*Quæſtio Incidentalis*: An Teſtamentum ad cauſas profanas conditum, ſine ſolemnitatibus Juris Civilis, ſit invalidum, non tantùm pro foro externo, ſed etiam interno conſcientiæ. *n.* 280. Ponuntur reſolutiones. *n.*281. *& ſeqq.*

§. III. *Lex fundata in præſumptione Juris*, ſeu communis periculi obligat in conſcientia, etiamſi in caſu particulari præſumptio fallat. *n.* 292. Si verò ſit fundata in præſumptione facti, non obligat in conſcientia, quando præſumptio fallit. *n.*292.

§. IV. *Conſuetudo legitima* vim habet Legem novam inſtituendi, & veterem abrogandi. *n.*297. Ad conſuetudinem legitimam requiritur actuum frequentia publica, libera, non interrupta. *n.* 298. Voluntas inducendi jus, vel obligationem. *n.*299. Conſenſus Principis. *n.*300. Notabilis diuturnitas temporis. *n.* 301. & ut ſit rationabilis, & legitimè præſcripta. *n.* 303.

SECTIO IV.

De Ceſſatione Legis Humanæ.

QUÆSTIO I.

*De Ceſſatione Legis per Ceſſationem cauſæ finalis, & per Legis abrogationem.*

§. I. Quando finis Legis adæquatus univerſaliter ceſſat, ſive negativè, ſivè contrariè, ceſſat etiam Lex, ejuſque obligatio. *n.* 312.

§. II. Si vero finis Legis in præſumptione periculi fundatæ, in caſu particulari ceſſet ſolùm negativè, non ceſſat obligatio Legis. *n.* 314.

§. III. Legem abrogare poteſt Legiſlator, ejuſque in officio ſucceſſor, vel in Juriſdictione Superior. *n.* 319. & *ſeq.*

§. IV. Si Legis Humanæ abrogatio ſinè juſta cauſa fiat à Superiore ordinario, eſt quidem valida, attamen illicita; ab Inferiore verò, quàm ſit ipſe Legiſlator, facta eſt etiam invalida. *n.*323.

QUÆSTIO II.

*De Ceſſatione Legis per Interpretationem, & Epikiam.*

ASSERTIO II.

§. I. *Interpretatio Legis* eſt vera ſenſus Legis declaratio, eſtque triplex, authentica videlicet, uſualis, & Doctrinalis. *num.*227.

§. II. In interpretatione Doctrinali declarativa ſunt obſervandæ ſequentes Regulæ. *n.* 332.

§. III. Interpretatio Doctrinalis extenſiva ſi ſit comprehenſiva, locum habet in Lege favorabili, ac præceptiva, non tamen pœnali. *n.* 336.

§. IV. Per interpretationem Legis reſtrictivam, ſeu Epikiam poteſt Lex deſinere obligare in caſu particulari; non tamen habet locum in omni Lege. *n.*342. & *ſeqq.*

## QUÆSTIO III.

*De Ceſſatione Legis per diſpenſationem.*

### ASSERTIO III.

*Diſpenſatio* eſt relaxatio Legis pro aliquo caſu, vel Perſona, vel pluribus, facta ab habente legitimam poteſtatem, manente vigore legis ex parte materiæ. *n.*446.

§. I. Ad valorem diſpenſationis requiritur, ut fiat ab habente legitimam diſpenſandi poteſtatem. *n.*347.

§. II. Ad valorem diſpenſationis requiritur, ut fiat circa ſubditum. *n.*355.

§. III. Ad diſpenſationem requiritur juſta cauſa. *n.* 363.

§. IV. Ut diſpenſatio ſit valida, requiritur, ut non ſit obreptitia, vel ſubreptitia. *n.*372.

*Brevis Inſtructio Practica*

*Confeſſariorum impetrandi diſpenſationes à Sacra Pœnitentiaria Romana, atque etiam à Curia Epiſcopali, præſertim in impedimentis matrimonii pro foro interno. n.*378.

§. I. Modus impetrandi diſpenſationes. *n.* 379.

*Quæſtio incidentalis:* An etiam Regulares mendicantes diſpenſare poſſint in impedimentis matrimonii? *n.*389.

§. II. Modus exequendi diſpenſationes Sacræ Pœnitentiariæ. *num.* 393.

Declaratio Clauſularum in litteris Sacræ Pœnitentiariæ contentarum. *nn.*395. Formulæ diſpenſandi in impedimentis matrimonii. *nn.*416.

## QUÆSTIO IV.

*De Ceſſatione legis per Privilegium.*

### ASSERTIO IV.

*Privilegium* eſt conſtitutio Principis ſpecialem favorem concedens. *n.*418.

§. I. Adeoque ſolus ille, qui poteſt legem condere, poteſt Privilegium concedere. *n.*421. Non tantùm ſubditis, ſed etiam extraneis. *n.*422.

§. II. Communicatio Privilegiorum inter regulares an detur, & qualiter ſit intelligenda? *n.*423. *& ſeqq.*

§. III. Ceſſatio Privilegiorum quot modis fiat. *n.* 428. *& ſeqq.*

§. IV. Privilegia Clericorum, & Regularium enumerantur. *n.*433. *& ſeqq.*

# CAPUT II.

De Præceptis particularibus ſtatui Clericali, & Religioſo, & Laicali propriis.

## SECTIO I.

De ſtatu Clericali.

## QUÆSTIO I.

*De vita, & honeſtate Clericorum.*

### ASSERTIO I.

§. I. *Clericus* eſt Homo Chriſtianus, qui à negotiis, curiſque ſæcularibus remotus, ſervitio, cultuique Divino ſpecialiter eſt deputatus. *n.*3.

§. II. In Clericis requiritur duplex vitæ honeſtas, interior, & exterior. *n.* 7.

§. III. In Clericis requiritur bona converſatio. *n.*11.

§. IV. Vitæ honeſtas in Clericis requirit debitum officiorum exercitium, & fugam non convenientium negotiorum. *n.*15. *& ſeqq.*

## QUÆSTIO II.

*De reſidentia Clericorum beneficiatorum.*

### ASSERTIO II.

§. I. *Reſidentia Clericorum* eſt commoratio fermè continua in loco Beneficii, cauſa Officii, ſeu ſervitii Eccleſiaſtici perſonaliter præſtandi. *n.*21.

§. II. Epiſcopi tenentur ad reſidentiam in ſuis Eccleſiis Cathedralibus. *n.*25.

§. III. Parochi tenentur ad reſidentiam in loco ſuarum Eccleſiarum Parochialium. *n.*29.

§. IV. Canonici tenentur ad reſidentiam in ſuis Eccleſiis. *n.*34.

## QUÆSTIO III.

*De beneficiis Eccleſiaſticis, & jurepatronatus.*

### ASSERTIO III.

§. I. *Beneficium Eccleſiaſticum* eſt Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis propter aliquod Officium ſpirituale, perſonæ Eccleſiaſticæ, auctoritate Eccleſiæ conſtitutum, multiplex eſt diviſio beneficii Eccleſiaſtici. *n.*39.

§. II. Non licet ſimul retinere plura beneficia Eccleſiaſtica, exceptis aliquibus caſibus. *n.*43.

§. III. In eligendis ad Prælaturas, & beneficia Eccleſiaſtica requiritur *ætatis maturitas, morum gravitas, & litterarum ſcientia. nn.*47. *& ſeqq.* Imò ſub peccato mortali ad beneficia curata etiam Parochialia, & Prælaturas Eccleſiaſticas promovendi ſunt digniores. *n.*50.

§. IV. Jus Patronatus eſt jus, ſeu poteſtas præſentandi Clericum ad beneficium Eccleſiaſticum vacans. *nn.* 52. Patrono quatuor jura competunt. *n.*53. Patronus tenetur præſentare digniorem. *ibid.*

*Quæſtio Incidentalis.*

An ad officia ſæcularia debeat eligi dignior, & an poſſint licitè vendi? *nn.*56.

## QUÆSTIO IV.

*De Parochiis, & earum juribus.*

### ASSERTIO IV.

§. I. *Parochia* eſt certum Territorium, ſeu diſtrictus per Papam, vel Epiſcopum determinatus, habens unum Rectorem ſtabilem, cum poteſtate populum ibidem exiſtentem regendi, eique Sacramenta, & alia Divina adminiſtrandi. *num.* 58. *& ſeqq.* Jura Parochialia Eccleſiæ, & Parocho competentia recenſentur. *n.*60. Quæ ſit obligatio Parochorum erga ſuos Parochianos. *n.*61.

§. II. *Decimæ* ſunt decima pars omnium fructuum, & proventuum juſtè acquiſitorum, DEO in recognitionem univerſalis, ſupremique Dominii debita, & miniſtris Eccleſiæ ſolvenda. *n.* 62. Quo jure debeantur decimæ. *n.* 63. defraudans, vel non ſolvens decimas dupliciter peccat. *n.* 62. & debet excommunicari. *n.* 65.

§. III. *Primitiæ* dicuntur primi fructus agrorum, vinearum, hortorum &c. an ſit obligatio eaſdem offerendi? *n.* 66.

§. IV. *Oblationes* ſunt illæ res, quas fideles Religionis intuitu, per ſe, vel per alios, in Eccleſia ab Altare, aut in alio Eccleſiæ loco, aut etiam extra Eccleſiam, ad Imaginem miraculoſam, vel devotam pro domo offerunt ad hoc, ut in uſum Eccleſiæ, vel miniſtrorum ejus cedant. *n.*67. Oblationes an debeantur. *n.*68. Ad quem ſpectent. *n.*69. *&* 70.

## SECTIO II.

De Immunitate Eccleſiaſtica.

*Immunitas Eccleſiaſtica* eſt Jus, quo Eccleſiæ, & alia loca ſacra, nec non perſonæ Eccleſiaſticæ, ac res ipſarum ſunt liberæ, & immunes à muneribus, & oneribus ſæcularibus, atque ab actibus earum ſanctitati reverentiæ debitæ repugnantibus: eſtque triplex, nimirùm *Localis, Realis, & Perſonalis. nn.*71.

## QUÆSTIO I.

*De Immunitate Eccleſiaſtica Reali, & Perſonali.*

### ASSERTIO I.

§. I. Bona Eccleſiarum, & Perſonarum Eccleſiaſticarum ſunt triplicis generis. *n.*73.

§. II. Omnia hæc triplicis generis bona gaudent Immunitate reali. *nn.*74.

§. III. Immunitate verò Perſonali gaudent omnes Clerici ſæculares, ac omnes regulares. *n.*75. *&* 76.

§. IV. Ita ut prædictæ Eccleſiæ, perſonæ, & cauſæ eaſdem tangentes nequeant coram Judice ſæculari conveniri, aut judicari, & quòd ſint immunes ab omnibus exactionibus Laicorum. *n.* 77.

## QUÆSTIO II.

*De Immunitate Locali, ſeu jure Aſyli.*

Immunitas Localis duos habet effectus, nimirùm, quòd in locis ſacris actus profani nequeant exerceri, & quòd illuc confugientes malefactores tuti ſint in vita, & membris. *n.* 81.

### ASSERTIO II.

*Jus, ſeu Immunitas Aſyli* eſt jus Eccleſiis, & aliis locis piis Auctoritate Epiſcopi erectis competens, confugientibus ad ea malefactoribus ſecuritatem præſtans, ad hoc quòd inde violenter extrahi non poſſint, nec in vita, nec membris puniri valeant. *n.*82.

§. I. Jus, ſeu Immunitas Aſyli eſt jure humano non Divino, aut naturali introductum. *n.* 83.

§. II. Jus Aſyli competit Eccleſiis, Cœmeteriis, Monaſteriis, Oratoriis, & omnibus locis ſacris auctoritate Epiſcopi erectis. *n.*85.

§. III. Jus Aſyli competit omnibus Laicis, & Clericis, non tamen Religioſis. *n.*87.

§. IV. Dummodò prædictæ perſonæ non commiſerint delictum in Bulla Gregorii XIV. exceptum. *n.*88. Hinc gaudent Aſylo fures, adulteri, Simoniaci, incendiarii &c. *n.* 89.

## QUÆSTIO III.

*De effectu Immunitatis Aſyli, & de cuſtodia, & Extractione confugientium ad locum Sacrum.*

### ASSERTIO III.

§. I. Effectus immunitatis Aſyli eſt, quod reus confugiens ad locum ſacrum debeat recipi, nec inde poſſit excludi. *n.*91.

§. III.

§. II. Multò minus ab eo, per vim extrahi, nec ad mortem, aut aliam pœnam corporalem condemnari poteſt, ſuppoſito quòd non commiſerit crimen exceptum. n. 92.

§. III. Si verò commiſit crimen exceptum, tenetur Rector Eccleſiæ, aut alterius loci ſacri, ſi a Curia ſæculari ſuerit requiſitus, Reum cuſtodire. n. 94.

§. IV. Ac eidem extradere eundem modo à Bulla Gregoriana præſcripto. n. 95.

QUÆSTIO IV.

*De Pœnis violantium immunitatem Eccleſiaſticam, & de abſolutione ab iiſdem.*

ASSERTIO IV.

§. I. Extrahens ex Aſylo reum vi, vel fraude, vel injuſto timore, vel contra præſcriptum Bullæ Gregorianæ, imprimis peccat mortali ſacrilegio, & tenetur reum ſic extractum reſtituere loco ſacro cum omnibus bonis inde abſtractis, obligaturque ad reſtitutionem damni exinde conſecuti reo, vel aliis. n. 98.

§. II. Atque incurrit ipſo facto excommunicationem Summo Pontifici reſervatam, à qua Regulares Mendicantes tamen abſolvere poſſunt. n. 99.

§. III. Violans verò immunitatem realem, vel perſonalem, præter graviſſimum ſacrilegii peccatum tenetur reſtituere omnia, quæ ab Eccleſiis, & Eccleſiaſticis perſonis, aut bonis earum exegit. n. 100.

§. IV. Et incurrit ipſo facto excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini contentam, à qua nemo extra articulum mortis, niſi Romanus Pontifex abſolvere poteſt. n. 101.

SECTIO III.

De ſtatu Religioſo.

QUÆSTIO I.

*De ſtatus Religioſi Eſſentia, Diverſitate, Novitiatu, & Profeſſione.*

ASSERTIO I.

§. I. *Status Religioſus* eſt fidelium ad Divinæ Charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuæ paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, ſtabilis in commune vivendi modus ab Eccleſia approbatus. n. 103. & ſeqq. Ut quis ſit verè Religioſus, quatuor requiruntur conditiones. n. 105. Religiones in eſſentialibus conveniunt, & in accidentalibus differunt. n. 106. Status Religioſus eſt a Chriſto inſtitutus. n. 107.

§. II. Religionum Diverſitas. nn. 108. Religio alia eſt Contemplativa, alia Activa, alia Mixta. n. 109. Alia Clericalis, alia Monachalis, alia Mendicans, alia Militaris. n. 110. Quatuor ſunt principales Religionum Regulæ, videlicet S. Baſilii, S. Auguſtini, S. Benedicti, & S. P. N. Franciſci. n. 111. Regula S. P. N. Franciſci fuit ipſi a Chriſto revelata, & dictata. n. 112. Sub hac Regula militant plures Ordines ibidem.

§. III. *Novitius Religionis* ut quis eſſe poſſit, requiruntur in eo quatuor conditiones. I. Ut habeat debitam ætatem. nn. 114. II. Ut non ſit alteri obligatus. n. 115. III. Ut corpore non ſit multum vitiatus, aut deformis. n. 116. IV. Ut non ſit criminoſus, aut infamis. n. 117. Novitius ad ſæculum redire poteſt. n. 118. Sine juſta cauſa ab Ordine expelli nequit. n. 119. Gaudet Privilegiis, & Indulgentiis Ordinis, ſeu Religionis, quam intravit. n. 120. Novitius poteſt retinere beneficium, & percipere ejus fructus, donec emittat profeſſionem. n. 121. Novitio egredienti, vel ejecto debent reſtitui omnia, quæ ſecum tulit ad Religionem. 122. Novitius non tenetur ad tria vota, neque ad præcepta, nec ad ſtatuta Religionis, nec ad horas Canonicas, directè, & per ſe, & ſub culpa, benè tamen ſub pœna. nn. 123. Novitius egrediens ad nullas tenetur expenſas in ſui victum, veſtitum, & alia neceſſaria, ac conſueta, è Monaſterio factas: niſi pactum interceſſerit, aut legitima conſuetudo extet. n. 124. A Novitio facta renuntiatio, aut obligatio non valet; niſi facta ſit cum licentia Epiſcopi, intra duos menſes proximos ante profeſſionem. n. 125. Teſtamentum tamen poteſt facere Novitius ſine licentia Epiſcopi, & quandocumque vult. *ibid.* Novitiæ Moniales debent examinari ab Epiſcopo. n. 126. Novitius poteſt extra ſuum Ordinem validè confiteri, & abſolvi à peccatis intra ordinem reſervatis abſque licentia præceptorum Ordinis. n. 127.

§. IV. *Profeſſio Religioſa* ad ſui valorem requirit quatuor conditiones. nn. 128. I. Aptitudinem voventis. nn. 129. II. Annum probationis integrum. n. 130. III. Plenam deliberationem ſine errore circa ſubſtantiam, & libertatem ſine metu gravi ab extrinſeco injuſtè incuſſo ad extorquendum actum. n. 132. IV. Conſenſum, & acceptationem illius, vel illorum, ad quos ſpectat aliquem recipere ad profeſſionem. n. 133.

*Dubium Regulare prius.* An invalidè Profeſſus contra ſuam profeſſionem reclamare, Religionemque deſerere poſſit? n. 134. & ſeqq.

*Dubium regulare alterum.* An Religio poſſit expellere nulliter Profeſſum? n. 139. & ſeqq.

QUÆSTIO II.

*De obligatione Religioſi ex vi ſuæ profeſſionis, & votorum.*

ASSERTIO II.

§. I. Religioſus obligatur ſub mortali ex vi profeſſionis Religioſæ tendere ad perfectionem. n. 142.

§. II. Religioſus ex voto paupertatis tenetur nihil habere proprium. n. 147. Paupertas Religioſa eſt voluntaria abdicatio rerum temporalium, & externarum. n. 148. An Religioſus ſit ſuorum manuſcriptorum dominus. n. 149. Quales actiones ſine læſione paupertatis poſſit exercere Religioſus? n. 150. Qualis licentia ſufficiat, ut Religioſus licitè utatur aliqua re temporali, n. 151.

§. III. Religioſus ex voto caſtitatis tenetur abſtinere ſe ab omni venerea delectatione, etiam alias in ſtatu conjugali licita. n. 152. Propter caſtitatem ſervandam à Religioſis, ordinata eſt clauſura Regularium tam virorum, quàm monialium.

Per clauſuram Monaſterii quid intelligatur? n. 153. Qualiter monialibus ſit prohibitus egreſſus ex Monaſterio. n. 154. Qualiter, & quibus ſit prohibitus ingreſſus in Monaſteria monialium? n. 155. Ad ingrediendam clauſuram monialium requiritur neceſſitas, & licentia ſuperioris. n. 156. Nullus Religioſus abſque licentia ſuperioris poteſt egredi è clauſura Monaſterii. num. 158. Clauſuram monaſterii Religioſorum nequeunt ingredi mulieres exceptis aliquibus. n. 159.

§. IV. Religioſus ex voto obedientiæ obligatur obedire in omnibus, quæ Superior præcipit ſecundùm Regulam, & Conſtitutiones ſui Ordinis. n. 161. An Superior Regularis poſſit præcipere ſuis ſubditis Regularibus actus merè internos? n. 162.

QUÆSTIO III.

*De Religioſis aſſumptis ad Cardinalatum, vel Epiſcopatum; Item de tranſeuntibus ad aliam Religionem; Item de Ejectis, Fugitivis, ac Apoſtatis.*

ASSERIO III.

§. I. Religioſus factus Cardinalis, vel Epiſcopus manet adhuc verus Religioſus, ac proinde votis eſſentialibus ſuæ Religionis adſtrictus. n. 165. & ſeqq.

§. II. Religioſus profeſſus, quantum eſt de jure communi, poteſt de una Religione ad aliam tranſire, ſi requiſitæ de jure concurrant conditiones. n. 170. & ſeqq.

§. III. Religioſus legitimè profeſſus poteſt ex ordine expelli legitima de cauſa, quæ hodie ſola eſt incorrigibilitas. n. 175.

§. IV. Religioſi fugitivi, & Apoſtatæ tenentur non tantùm ad tria vota ſubſtantialia, ſed etiam ad omnes alias conſtitutiones Regulares ſub peccato obligantes. n. 180. Quæ actiones, & officia ſpecialiter prohibeantur Religioſis. n. 185.

QUÆSTIO IV.

*De exemptione Regularium Mendicantium.*

ASSERTIO IV.

Regulares Mendicantes, eorumque Eccleſiæ, Monaſteria, Oratoria, Hoſpitia, & Grangiæ ab ordinariorum juriſdictione exempti ſunt, & immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubjecti, exceptis certis duntaxat caſibus. n. 186.

§. I. Regulares Mendicantes exempti ſunt ab Ordinariorum Juriſdictione. n. 187.

§. II. Regulares mendicantes ſunt exempti à legibus Epiſcopalibus, & Diœceſanis. n. 191.

§. III. Regulares mendicantes ſunt exempti quoad funeralia, & ſepulturas. n. 197.

§. IV. Regulares mendicantes exempti ſunt à juriſdictione, & lege ordinariorum, exceptis certis duntaxat caſibus. n. 202.

SECTIO IV.

De ſtatu Laicali.

QUÆSTIO I.

*De Judice.*

ASSERTIO I.

Ut Judex ſuo ritè fungatur officio, requiruntur in eo quatuor conditiones. n. 207.

§. I. *Prima Conditio eſt*: ut legitimam habeat judicandi poteſtatem. *Secunda*: Ut habeat ſufficientem ſcientiam. *Tertia*: Ut ſervet juris Ordinem, & in judicando ſe legibus conformet. *Quarta*: Ut latam à ſe ſententiam conſtanter exequatur. n. 208.

§. II. Quare judex nequit de aliquo inſtituere inquiſitionem ſpecialem, niſi præcedente infamia, nec aliquem torquere, niſi præcedente ſemiplena probatione? n. 209. & ſeqq.

§. III. Nec poteſt condemnare illum, quem certò ſcit criminis reum, ſi non per legitimas probationes reus comprobetur. n. 214. Nec poteſt ſententiam mortis ferre in eum, quem privata notitia certò ſcit Innocentem, licèt ſecundùm allegata, & probata reus mortis probetur. n. 215.

§. IV. Judex nequit remittere pœnam a lege taxatam, ſaltem ſi ſit Judex inferior. n. 216. Quænam à Judice Regulari in judicio Regulari obſervanda ſint? n. 217.

QUÆSTIO II.

*De Accuſatore, & Denuntiatore.*

ASSERTIO II.

§. I. Qui vult accuſare alium de crimine aliquo debet illud legitimè, & ſufficienter poſſe probare; aliàs incurrit pœnam Talionis. nn. 216. Qui verò judicialiter vult alicujus crimen denuntiare, non tenetur quidem illud probare, ſed tenetur aperire indicia, quibus Judex ex officio ad ulteriorem inquiſitionem faciendam moveri poſſit. *ibid.*

§. II. Nec tamen accuſator, nec judicialiter denuntians tenetur præmittere correctionem fraternam. n. 220.

§. III.

§. III. Tunc autem eſt obligatio accuſandi, vel Judicialiter denunciandi aliquem de crimine, ſi vel hoc ſit Reipublicę, vel proximo pernitioſum, vel quis habeat Officium, vi cujus tenetur accuſare, vel denuntiare delinquentes, *num.* 221.

§. IV. Et in his caſibus non accuſans, vel denuntians peccat mortaliter, in primo quidem contra Charitatem, in ſecundo vero contra Juſtitiam. *num.* 222.

Q U Æ S T I O III.

*De Teſtibus, & Advocato.*

A S S E R T I O III.

§. I. Ad Legitimam, & plenam in Judicio criminis probationem ad minus duo teſtes omni exceptione majores requiruntur, qui externo ſenſu crimen perceperunt, & de eodem crimine cum iisdem circumſtantiis deponunt Teſtimonium *num.* 225.

§. II. Teſtis pro ferendo Teſtimonio poteſt aliquid recipere ſine obligatione reſtitutionis *num.* 227.

§. III. Advocatus ut ritè ſuo ſungatur Officio, requiruntur in eo quatuor conditiones. *n.* 228.

§. IV. Idem dicendum de aliis Officialibus Judicii, nimirum Procuratore, Notario, & Secretario. *n.* 229.

Q U Æ S T I O VI.

*De Reo.*

S E C T I O IV.

§. I. Reus convictus, & damnatus ad ultimum ſupplicium tenetur fateri ſuum crimen. *n.* 232.

§.. II. Sicut etiam, ſi tormentis coactus denuntiavit alium innocentem, tenetur ſub mortali, etiam poſt ſententiam damnationis, revocare denuntiationem falſam. *n.* 233.

§. III. Reus non tenetur revelare complices criminis, ſi omnino ſint occulti, nec crimen ſit exceptum, *n.* 234.

§. IV. Confeſſario cautè, & circumſpectè agendum eſt cum Reo. *n.* 235.

# C A P U T III.

De Cenſuris, Irregularitatibus, Aliisque Pœnis Eccleſiaſticis.

## S E C T I O I.

De Cenſuris in genere.

Q U Æ S T I O I.

*Quid, & Quotuplex ſit Cenſura, & quis poſſit ferre, ſeu infligere Cenſuram?*

A S S E R T I O I.

§. I. *Cenſura* eſt Pœna Spiritualis, & Medicinalis, per quam homini Baptizato, delinquenti, & contumaci, à Poteſtate Eccleſiaſtica aufertur uſus quorundam Bonorum Spiritualium externorum Eccleſiæ, ad frangendam nimirum contumaciam. *n.* 2.

§. II. Cenſura eſſentialiter, & adæquatè dividitur in tres ſpecies, *Excommunicationem, Suſpenſionem, & Interdictum nu.* 3. Unde Irregularitas, ceſſatio a Divinis, Depoſitio, & Degradatio non ſunt Cenſuræ. *n.* 4.

§. III. Datur in Eccleſia Catholica poteſtas ferendi Cenſuras. *num.* 7.

§. IV. Poteſtas ordinaria ferendi Cenſuras reſidet in Prelatis Eccleſiaſticis habentibus Juriſdictionem in foro externo non impedit m. *n.* 9. Poteſtas verò delegata ferendi Cenſuras competit illis omnibus, & ſolis, quibus commiſſa fuerit ab habentibus Poteſtatem ordinariam, modo aliunde non ſint incapaces. *n.* 10.

Q U Æ S T I O II.

*De Subjecto, Cauſa, & Forma Cenſurę.*

A S S E R T I O II.

§. I. Subjectum Cenſurę capax debet eſſe. I. Homo. II. Viator. III. Baptizatus. IV. Rationis compos. V. Subditus Cenſurantis. VI. Peccans intra Territorium Cenſurantis *n.* 13. Cenſura lata contra faciens aliquod crimen, non afficit Mandantes, vel conſulentes, ſi hi non exprimantur, *n.* 14 Mandantes, & Conſulentes licèt exprimantur, ſi tamen ſerio revocant ſuum Mandatum, & Conſilium, non incurrunt Cenſuram; aliud eſt de Irregularitate, & caſu reſervato *n.* 15. Idem homo poteſt ligari pluribus Cenſuris *n.* 16.

§. II. Cauſa, ob quam Cenſura gravis infligi poſſit, debet eſſe. I. peccatum mortale. *n.* 17. II. Externum. *n.* 18. III. Conſummatum, & non merè præteritum *n.* 19. IV. Habens annexam contumaciam, & repugnans Legi Eccleſiaſticæ *n.* 20.

§. III. Forma Eſſentialis Cenſuræ requirit, ut verba, vel ſigna, in quibus Cenſura continetur, ſint determinata quoad ſpeciem Cenſuræ, *n.* 22. Et ſi hæc ſit ferendæ ſententiæ, requirit, ut præcedat prævia admonitio. *n.* 24.

IV. Forma accidentalis Cenſuræ eſt quadruplex I. Denunciatio *n.* 26. II. Ut feratur in ſcripto *n.* 27. III. Ut feratur de die *n.* 28. IV. Ut non feratur die feſto *n.* 29.

Q U Æ S T I O III.

*Quænam Cauſæ ab Incurrendis Cenſuris excuſent?*

A S S E R T I O III.

Cauſæ à Cenſuris incurrendis excuſantes ſunt quatuor, *num.* 30. videlicet.

§. I. Innocentia cenſurati *num.* 31.

§. II. Ignorantia inculpabilis *num.* 35.

§. III. Metus gravis injuſtè incuſſus ad extorquendum actum *n.* 40.

§. IV. Impotentia faciendi id, quod ſub Cenſura pręcipitur. *n.* 44.

Q U Æ S T I O IV.

*De Abſolutione à Cenſuris.*

A S S E R T I O IV.

§. I. Cenſura tolli debet per abſolutionem. *n.* 46.

§. II. A Cenſura ab homine per ſententiam ſpecialem lata poteſt abſolvere Auctor illius *n.* 50. Succeſſor, Superior, & Delegatus Actoris Cenſuræ. *n.* 52. Si verò ſit lata ab homine per ſententiam generalem, ab eadem omnes illi abſolvere poſſunt, qui poſſunt abſolvere a Cenſura per Jus lata. *n.* 53.

§. III. A Cenſura autem Juris reſervata regulariter abſolvere ſolum poteſt is, cui eſt reſervata, ejus in Officio ſucceſſor, vel in ordinaria Juriſdictione Superior, aut ab eis ad hoc delegatus *n.* 54. Si verò non fuerit reſervata, ab ea poteſt abſolvere omnis ille, qui poteſt abſolvere à peccatis mortalibus *n.* 55.

§. IV. Forma à Cenſuris abſolvendi debet exprimi ſigno externo, & ſenſibili internæ voluntatis abſolventis ſufficienter expreſſivo *n.* 58. Ad infligendum Cenſuras, vel ad abſolvendum ab eis, non requiritur præſentia localis cenſurandi, vel abſolvendi *n.* 59. Ex parte abſolvendi à Cenſura requiruntur tres conditiones. *n.* 60. Sicut etiam ex parte abſolventis requiruntur tres conditiones, *n.* 61.

## S E C T I O II.

De Excommunicatione.

Q U Æ S T I O I.

*Quid ſit Excommunicatio Major, & Minor, & Excommunicatus Toleratus, & non Toleratus.*

A S S E R T I O I.

§. I. *Excommunicatio* in genere eſt Cenſura Eccleſiaſtica, qua homo privatur Eccleſiaſtica communione fidelium. *n.* 64.

§. II. Excommunicatio duplex eſt: *Major, & Minor.* Excommunicatio Major eſt Cenſura Eccleſiaſtica, qua quis a communione fidelium ſimpliciter ſeparatur. *n.* 65.

§. III. Excommunicatio Minor eſt Cenſura Eccleſiaſtica privans hominem participatione Sacramentorum *n.* 66.

§. IV. Excommunicatus *non toleratus, ſeu vitandus* modò tantùm eſt duplex, nimirum *Nominatim Excommunicatus, & publicè denuntiatus,* atque *Notorius Percuſſor Clericis* reliqui omnes ſunt tolerati, & non vitandi. *n.* 67.

Q U Æ S T I O II.

*De Primis Quatuor effectibus Excommunicationis Majoris.*

A S S E R T I O II.

§. I. Excommunicatio Major privat communibus Eccleſiæ ſuffragiis. *n.* 70.

§. II. Uſu Activo, & Paſſivo Sacramentorum. *n.* 74.

§. III. Divinis Officiis, & Eccleſiaſtica ſepultura. *n.* 78.

§. IV. Beneficiis Eccleſiaſticis, eorum proventibus, & aliis Dignitatibus. *n.* 84.

Q U Æ S T I O III.

*De Reliquis Effectibus Excommunicationis Majoris.*

A S S E R T I O III.

§. I. Excommunicatio Maior privat Excommunicatum Juriſdictione Eccleſiaſtica propriè dicta. *n.*, 89. Si ſit non toleratus. *n.* 91.

§. II. Item communicatione forenſi, ſeu judiciali. *n.* 93.

§. III. Ac etiam communione fidelium politica, & Civili, exceptis quibusdam caſibus. *n.* 97.

§. IV. Reliqui effectus excommunicationis ſunt adhuc duo *num.* 101.

Q U Æ S T I O IV.

*De Excommunicationibus in ſpecie, & de earum abſolutione.*

A S S E R T I O IV.

§. I. Excommunicationes *Bulla Cœnæ Domini* enumerantur. *n.* 103. Abſolutio ab his excommunicationibus eſt ſoli Summo Pontifici reſervata extra articulum mortis. *n.* 104.

§. II. Excommunicationes Papæ reſervatæ extra Bullam Cœnæ referuntur *n.* 108. Ab his occultis poſſunt abſolvere Epiſcopi *n.* 109. Ac etiam Confeſſarii Regulares Ordinum Mendicantium poſſunt extra Italiam abſolvere ſæculares. *n.* 110.

§. III. Excommunicatio Canonis ob percuſſionem Clerici, & reliquæ excommunicationes explanantur *n.* 112. *& ſeqq.*

§. IV. poteſtas Prælatorum Regularium reſpectivè ad ſuos ſubditos quoad abſolutionem ab excommunicationibus *n.* 117. *& ſeqq.* Regulares Prælati poſſunt abſolvere ſuos ſubditos ab omnibus caſibus, à quibus poſſunt Epiſcopi de Jure ſuo *ib.* & probabiliter etiam a caſibus Bullæ Cœnæ occultis *n.* 119.

## S E C T I O III.

De Suſpenſione, & Interdicto.

Q U Æ S T I O I.

*Quid ſit Suſpenſio, & quotuplex ?*

A S S E R T I O I.

§. I. *Suſpenſio* eſt cenſura Eccleſiaſtica qua Clericus privatur uſu poteſtatis Eccleſiaſticæ ſibi competentis, aut ratione Ordinis ſui Clericalis, aut ratione beneficii; *n.* 122.

§. II. Eſt que triplex; una ab Officio tantùm, altera à Beneficio tantùm, tertia ab utroque. *n.* 123.

§. III. Subjectum Suſpenſionis ſunt clerici, quicunque tamen, & quacunque dignitate fulgentes; etiam Epiſcopi, ſi de his in Decreto Suſpenſionem continente fiat expreſſa mentio *n.* 124.

§. II.

§. IV. Suſpenſiones in ſpecie enumerantur. *num.* 125.

QUÆSTIO II.

*De effectibus Suſpenſionis, & ejuſdem abſolutione.*

§. I. Suſpenſio ab Officio abſolutè, & ſimpliciter lata privat omni uſu Ordinis, & Juriſdictionis, non tamen beneficio habito, neque fructibus; benè verò novo beneficio obtinendo. *n.* 128. Sic etiam ſimpliciter, & abſolutè ſuſpenſus ab Ordine cenſetur eſſe Suſpenſus ab omni Ordine, & ſuſpenſus ab inferiori Ordine cenſetur etiam ſuſpenſus a Superiori Ordine, non è contra. *n.* 129.

§. II. Similiter ſuſpenſio à Beneficio abſolutè lata privat omnibus fructibus Beneficiorum, quæ ſuſpenſus poſſidet; non tamen ipſis Beneficiis poſſeſſis, nec reddit inhabilem ad Beneficium recipiendum. *n.* 130.

§. III. Violans Suſpenſionem peccat mortaliter, & incurrit pœnas à Jure ſtatutas. *n.* 132.

§. IV. Suſpenſio tollitur tribus modis. *n.* 133. Forma abſolvendi a Suſpenſione. ibidem.

QUÆSTIO III.

*Quid, & quotuplex ſit Interdictum, quæ ejus cauſa, & ſubjectum?*

ASSERTIO III.

§. I. *Interdictum* eſt cenſura Eccleſiaſtica prohibens uſum tam activum, quàm paſſivum Divinorum Officiorum, certorum Sacramentorum, & ſepulturæ Eccleſiaſticæ. *n.* 135.

§. II. Interdictum eſt triplex, nimirum *Locale*, *Perſonale*, & *mixtum*. *num.* 136.

§. III. Cauſa efficiens Interdicti eſt omnis ille, qui jure Ordinario poteſt excomunicare. *n.* 138.

§. IV. Subiectum Interdicti eſt quilibet fidelis præter Papam: ita tamen ut ei, qui fert interdictum, ſit ſubjectus. Cauſa ſeu culpa, ob quam fertur Interdictum, debet eſſe mortalis. *num.* 139.

QUÆSTIO IV.

*De Effectibus Interdicti, & ejusdem Abſolutione.*

ASSERTIO IV.

Trea ſunt effectus Interdicti. *n.* 140.

§. I. Primus Interdicti effectus eſt privatio aliquorum Sacramentorum. *n.* 141. *& ſeqq.*

§. II. Secundus Interdicti effectus eſt privatio Divinorum Officiorum. *n.* 146.

§. III. Tertius Interdicti effectus eſt privatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ in loco Sacro. *n.* 148.

§. IV. Violatio, & abſolutio Interdicti explicatur. *n.* 150.

SECTIO IV.

De Irregularitate, & ceteris pœnis Eccleſiaſticis.

QUÆSTIO I.

*De Irregularitatis Eſſentia, Diviſione, Cauſa, & Subjecto.*

ASSERTIO I.

§. I. *Irregularitas* eſt inhabilitas Jure Canonico introducta, directè impediens Ordinum ſuſceptionem, & uſum ſuſceptorum. *n.* 153.

§. II. Irregularitas eſt duplex, nimirum *ex defectu*, & *ex delicto*. *num.* 155.

§. III. Cauſa, ob quam fertur Irregularitas, ſubinde eſt defectus naturalis, ſubinde moralis, ſubinde actus licitus, ſubinde illicitus. *n.* 156.

§. IV. Subjectum Irregularitatis eſt omnis homo capax Ordinis, & ſubditus juri communi. *n.* 157. *Petes.* An ignorantia invincibilis excuſet ab incurrenda irregularitate? *n.* 158.

QUÆSTIO II.

*Quot, & quibus modis tollatur Irregularitas?*

ASSERTIO II.

Irregularitas quatuor modis tolli poteſt: *n.* 159. Nimirum.

§. I. Suſceptione Baptiſmi. *n.* 160.

§. II. Profeſſione Religioſa. *n.* 161.

§. III. Ablatione, ſeu remotione cauſæ. *n.* 162.

§. IV. Diſpenſatione legitima. *n.* 163.

QUÆSTIO III.

*Quis poſſit in Irregularitate diſpenſare?*

ASSERTIO III.

§. I. Summus Pontifex poteſt in omnibus Irregularitatibus diſpenſare. *n.* 165. Etiam Epiſcopi poſſunt diſpenſare in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus cum ſuis ſubditis, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum. *ibidem.*

§. II. Idem, quod Epiſcopi, poſſunt etiam Prælati Regulares Mendicantes reſpectu ſuorum ſubditorum. *n.* 167.

§. III. Confeſſarii Regularium Mendicantium deputati à Superioribus ſuis ad abſolvendum à caſibus reſervatis, ſuos ſubditos Regulares poſſunt etiam abſolvere à cenſura, & diſpenſare in irregularitate talibus Caſibus reſervatis annexa, niſi Prælatus Regularis aliter ſe explicet, vel ex circumſtantiis antecedentibus, aut conſequentibus aliud colligatur. *n.* 169.

§. IV. Confeſſarii Regulares Mendicantes poſſunt cum ſæcularibus diſpenſare ſuper omnibus Irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, ſuper quibus poſſunt Epiſcopi. *num.* 170.

QUÆSTIO IV. & Ultima.

*De Reliquis pœnis Eccleſiaſticis, & earum Relaxatione.*

ASSERTIO Ultima.

*Pœna Eccleſiaſtica, ſeu Canonica eſt*, quæ ab Eccleſia, ſeu poteſtate Eccleſiaſtica, per Canones, vel ſecundum Canones infligitur. *n.* 172.

§. I. Eſtque *Septuplex*: *Prima eſt* Cenſura; *Secunda* eſt irregularitas; *Tertia* eſt inhabilitas ad Beneficia, Dignitates, & Officia Eccleſiaſtica: *Quarta* eſt privatio Beneficii, Dignitatis, & Officii Eccleſiaſtici. *n.* 172.

§. II. *Quinta Pœna Eccleſiaſtica* eſt Depoſitio. *Sexta* eſt Degradatio. *n.* 173.

§. III. *Septima Pœna Eccleſiaſtica* eſt Ceſſatio à Divinis *n.* 174.

§. IV. Quis in his pœnis diſpenſare, vel eas tollere poſſit, tam reſpectu ſæcularium, quàm reſpectu regularium, explanatur. *n.* 175. & 176.

APPENDIX.

*De Virtutibus Cardinalibus, & Vitiis Oppoſitis.*

§. I. *Virtus*, & *Vitium* generatim explicantur. *num.* 177. & *ſeqq.*

§. II. *Prudentia*, & vitia eidem oppoſita enumerantur, & explanantur. *n.* 182. *& ſeqq.*

§. III. *Temperantia*, & vitia oppoſita recenſentur, & enunciantur. *n.* 186, *& ſeqq.*

§. IV. *Fortitudo*, & vitia oppoſita explicantur *n.* 191. de Juſtitia *Remiſſivè*. *num.* 195.

COROLLARIUM

*De Reliquis Virtutibus Juſtitiæ annexis.*

§. I. De *Pietate*, & *obſervantia* *num.* 196.

§. II. De *Obedientia*, & *Inobedientia*. *n.* 200.

§. III. De *Gratitudine*, & *veritate*. *n.* 204.

§. IV. De *Affabilitate*, & *liberalitate*. *n.* 208.

CORONIS.

Hujus Supplementi Decalogalis, ſeu Coronam Stellarum duodecim, id eſt duodecim prærogativæ Ordinis noſtri Seraphici. *n.* 254.

SUP-

Digitized by Google

# SUPPLEMENTUM
# THEOLOGIÆ MORALIS
## SUPER
## DECALOGUM,
## R.P.F. PATRITII SPORER,

Paſſavienſis, Ord. Frat. Min. Recollect. Provinciæ Argentinæ,
SS Theol. Lectoris Jubilati.

SUpplementum hoc continet in ſe tria Capita: Primum erit de Legibus in Genere, ac de Naturali Divina, Veteri, & Nova, ac de Humana, Eccleſiaſtica, & Civili in Specie. Secundum Caput erit de Præceptis Particularibus, certo Hominum ſtatui, nimirùm Clericali, Religioſo, & Laicali propriis. Tertium Caput erit de Cenſuris in Genere, ac de Excommunicatione, Suſpenſione, & Interdicto in Specie; ſicut & de Irregularitate, cæteriſque pœnis Eccleſiaſticis.

### CAPUT I.

### DE LEGIBUS IN GENERE, ET IN SPECIE.

QUemadmodum *Conſcientia* eſt Actuum Humanorum *Regula Interna*, ita *lex* eſt eorundem *Regula Externa*, cui conformari debent; ut ſint moraliter boni. De hac Materia agit *Philoſophus Moralis*: ſed ad obtinendam naturalem felicitatem; de hac tractat *Civiliſta*; ſed ad gubernationem Politicam, & communem Reipublicæ Sæcularis pacem; de hac diſputat *Canoniſtas*; ſed in Ordine ad commune Eccleſiæ bonum in foro externo obtinendum, conſervandumque; hanc denique materiam examinat *Theologus*; quatenùs lex hominem in ſuis actibus tam in foro externo, quàm interno conſcientiæ dirigit, in ordine ad finem ultimum ſupernaturalem, in cœleſti Patria conſequendum. Sit itaque in Nomine Domini

### SECTIO I.

*De Lego in Genere.*

### QUÆSTIO I.

*Quid ſit Lex, & in quo ejus Eſſentia conſiſtat?*

### SUMMARIUM.

1 *Lex quid Nominis?*
2 *Lex dicitur Jus, Conſtitutio, Statutum.*
3 *Lex quid Rei?*
4 *Deſcriptio legis explicatur.*
5 *Varii actus ad condendam legem concurrunt.*
6 *Triplex Sententia circa legis eſſentiam.*
7 *Lex eſſentialiter conſiſtit in actu voluntatis.*
8 *Ad eam tamen prerequiritur actus intellectus,*
9 *Qualiter lex illuminet, & dirigat ſubditos.*
10 *Promulgatio non eſt de eſſentia legis.*
11 *Sed tantùm conditio ad hoc, ut actu obliget.*
12 *Diverſimode promulgantur leges.*

### ASSERTIO I.

LEx eſt *Regula Stabilis Actionum Humanarum lata communitati propter Bonum Commune ab habente Auctoritatem publicam in Communitatem, obligans ad aliquid faciendum, vel omittendum: Ejus eſſentia conſiſtit in ſolo actu voluntatis: Promulgatio non eſt de ejus eſſentia*. Ita Auctores infra citandi

#### §. I. *Lex quid Nominis?*

LEx ſecundùm vocis Ethymon dicitur, vel à *Legendo*, ut notat *Iſidorus l. 2. Etlym. cap.* 18. eo quod leges apud Veteres, tabulis insererentur, & populo congregato legerentur; vel à *Deligendo* ſecundùm *Ciceronem lib. 1. de leg. & S. Auguſtinum, q. 15. Novi teſtam.* dicentem: *Lex ab Electione dicta eſt, ut è multis, quod eligas, ſumas*; vel à *ligando*, ut vult *Doctor Angelicus* 1. 2. *q.* 90. *art.* 1. & *Doctor Subtilis* 4. *diſt.* 15. *q.* 2. quia lex ligat, & obligat ad aliquid faciendum, vel omittendum. 1

Solet etiam lex vocari *Jus*; quia oſtendit, unicuique relinquendum, & tribuendum eſſe, quod ſuum eſt: *Statutum* quia lex debet eſſe ſtabilis, & firma; *Conſtitutio*, quia eſt quaſi Communis Statutio. Hæc autem Nomina in eo differunt, quòd leges Supremi Principis Sæcularis dicantur *Jura*; Romani verò Pontificis Decreta vocentur *Conſtitutiones*; & Decreta inferiorum Principum, Civitatum, & Populorum dicantur *Statuta*; quamvis non rarò ſoleant confundi, & ſumi promiſcuè; prout etiam in decurſu fiet à nobis. 2

#### §. II. *Lex quid Rei?*

LEx quoad rem communiter deſcribitur, quòd ſit *Regula ſtabilis actionum humanarum lata Communitati propter* 3

*bonum Commune, ab habente Auctoritatem publicam in Communitatem, obligans ad aliquid faciendum, vel omittendum*. Ita in re Communis Theologorum & Canoniſtarum. Dicitur I. *Regula*, quia Lex indicat, quid agendum ſit, vel omittendum; per quam particulam Lex convenit genericè cum *Sintereſi*, *& Conſcientia*, quæ etiam ſunt Regulæ. Dicitur II. *Stabilis*, ad diſtinctionem ſimplicis præcepti, vel mandati, quod pro arbitrio mandantis, vel præcipientis tollitur, vel certè in ejus morte extinguitur, & ad ſolos præſentes extenditur; Lex verò, quantùm eſt ex ſua natura, ſemper exigit durare, nec per mortem Legislatoris extinguitur, ac etiam ad futuros ſubditos extenditur. Dicitur III. *Actionum Humanarum*, per quod innuitur, Legem propriè eſse poſitam Creaturæ Rationali, utpotè liberæ. Dicitur IV. *Lata Communitati*, nam *L. 1. ff. de Leg.* Dicitur: *Lex eſt Commune Præceptum*. Dicitur V. *Propter Bonum Commune*; ſiquidem juxta *Philoſophum*, *4. polic. c. 1.* Leges ad communem populi utilitatem ſunt accommodandæ. Dicitur VI. *Ab habente publicam Auctoritatem*, qui enim alios compellit ad Legem ſervandam, neceſse eſt, ut in ipſos publicam exerceat Auctoritatem. Additur denique: *obligans ad aliquid faciendum, vel ommittendum*, per quod Lex differt à Conſiliis, Exhortationibus, & Inſtructionibus, quæ directionem tantùm important, non obligationem.

### §. III. *Eſſentia Legis.*

5 AD condendam Legem varii actus intellectus, & voluntatis in Legislatore concurrunt: nam I. Voluntas Legislatoris intendit procurare bonum commune. II. Intellectus conſultat de mediis ad procurandum bonum commune neceſſariis, ac III. judicat, Legem in mente Legislatoris præconceptam, eſse medium utile, & congruum ad procurandum bonum commune. IV. Denique voluntas Legem ſic conſultatam eligit, & qua pollet authoritate & poteſtate juriſdictionis, ad eandem ſervandam obligat ſuos ſubditos. Jam

6 Communis Thomiſtarum Sententia apud *Paulum Mezger*, *Theol. tract. 8. diſp. 31. art. 1. num. 2.* docet Legis eſsentiam conſiſtere in actu rationis, qui *Imperium* dicitur, neceſsario tamen præſupponere actum voluntatis; alii Legis eſſentiam reponunt in actu intellectus, & voluntatis ſimul; communis demum Scotiſtarum, & Recentiorum eſsentiam Legis formaliter collocat in ſolo actu voluntatis Legislatoris, quo ſubditos obligat ad aliquid faciendum, vel omittendum. Ita Doctor Subtilis *in 1. diſt. 44. q. unica*, *num. 2.* Cujus Sententiæ.

7 Ratio eſt I. quia *Pſal. 102.* dicitur: *Notas fecit* (intellige: DEUS) *Vias ſuas Moyſi, filiis Iſrael voluntates ſuas*, id eſt, Leges & præcepta, & *lib. 1. ff. de Conſtit. Principum* habetur: *Quod Principi placuit, Legis habet vigorem*. II. Quia Eſsentia Legis conſiſtit in imperio activo obligativo communitatis, etiam juxta Adverſarios; atqui imperium activum eſt actus voluntatis; cum voluntas tanquam Regina potentiarum imperet cæteris potentiis, tam externis, quàm internis, ipſique etiam intellectui: ergo Lex eſsentialiter, & ad æquatè conſiſtit in actu voluntatis Legislatoris obligantis.

8 Dictum eſt, Legem *Eſſentialiter* conſiſtere in ſolo actu voluntatis; nam ad eam condendam etiam prærequiri actum intellectus Legislatoris (quo judicet materiam Legis eſse juſtam, utilem ad bonum commune, & capacem obligationis) ſed tantùm ut conditionem ſine quâ non, nemo eſt, qui dubitet, cùm nihil poſſit eſse volitum, quin ſit præcognitum; hoc tamen Judicium eſsentiam Legis non ingreditur; quia non induit obligationem, ſed ſolus actus Legislatoris obligantis; ſiquidem prædictum Judicium reperiri poſſit in Legislatore, qui ſive prudenter, ſive imprudenter præcipere renuit, quod expedire judicaverat, ut præciperetur. Et propter hoc judicium neceſsariò ad Legem prærequiſitum lex ſubinde vocatur *Ordinatio Rationis*.

9 Quando verò lex dicitur *illuminare*, & *dirigere* intellectum ſubditorum, ut *Pſal. 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis*; Item *Pſ. 18. Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*, intelligendum eſt, quòd non illuminet formaliter intellectum ſubditorum, cùm formaliter non ſit in eo; ſed quòd lex objectivè propoſita per conſcientiam ſubditis, illuminet & indicet, quid ſit agendum, velut manus in via poſita illuminat, & dirigit viatorem, quà ſit eundum.

### §. IV. *Promulgatio non eſt de Eſſentia Legis.*

10 SEd eſt duntaxat conditio neceſsariò requiſita ad hoc ut lex actu obliget. Ita *Scotus in 4. diſt. 3. quæſt. 4. art. 1. & omnes Scotiſtæ*, contra Thomiſtas, & Recentiores paſſim. Ratio eſt: quia de eſsentia Legis non eſt actualis obligatio, ſed vis obligativa; nam actus ſecundus non pertinet ad eſſentiam rei, ſed actus primus; quod patet in homine, de cujus eſsentia non eſt actualis ratiocinatio, imò nequidem potentia proxima ratiocinandi, ſed tantùm remota, ut patulum eſt in infantibus, & amentibus; atqui vis obligativa Legis habetur ante promulgationem, tum quia habetur à ſola voluntate efficaci Legislatoris, tum quia eſt objectum promulgationis; Lex enim quoad ſuam eſsentiam jam conſtituta, modò promulgatur: ergo promulgatio non eſt de eſsentia Legis.

*Sed eſt duntaxat conditio neceſſariò requiſita ad hoc, ut lex actu obliget.* Ratio eſt, quia lex eſt Regula actionum humanarum, quam homines in operando ſequi tenentur; ſed id præſtare nequeunt, niſi lex eis innotuerit per promulgationem, cùm non detur obligatio ad incognitum, & conſequenter impoſſibile: ergo ut lex actu obliget, neceſsariò requiritur aliqua promulgatio, & hoc voluit Gratianus *cap. in iſtis, diſt. 4.* dum dixit: *Leges inſtituuntur, cùm promulgantur*, nimirum inſtituuntur quoad vim obligandi in actu ſecundò, non in actu primo. 11

Nihilominùs promulgatio non contingit æqualiter in omnibus Legibus, ſed diverſimodè juxta ſingularum naturam, ſiquidem *Lex Divina Naturalis* promulgatur per quandam impreſſionem Divini Luminis in intellectu hominis, illud *Pſ. 4. Signatum eſt ſuper nos Lumen vultus tui Domine*. Lex *Divina poſitiva* aliquando promulgatur ſola interna revelatione, ut multis Prophetarum contigit; aliquando per ſolam externam propoſitionem factà à DEO ſine aliqua ſolemnitate, ut Lex Evangelica fuit promulgata Apoſtolis; aliquando per ſigna externa cum aliqua ſolemnitate, qualiter Lex Moſayca in monte Sinai, & Evangelica in die Pentecoſtes promulgatæ ſunt. Lex porrò *Humana* ſemper promulgari debet per ſigna externa, & ſolemnitet, ſic enim obtinuit uſus in Republica tàm Eccleſiaſtica, quàm Sæculari. Et Ratio congruentiæ eſt, quia cùm Legislator Humanus aliàs ſit Perſona duplex: publica ſcilicet, & privata, ſic debet proponere Legem, ut ex modo proponendi innoteſcat, quod agat ut Perſona publica, non ut privata. *De hac ſolemni promulgatione Legis Humanæ* plura dicenda reſtant, quæ tamen conſultò *in Sectionem 3. ſequentem*, ceu locum proprium rejicimus. 12

## QUÆSTIO II.

*Quænam Conditiones requirantur ad valorem Legis?*

### SUMMARIUM.

13 *Ad valorem Legis requiruntur 4. Conditiones.*
14 *Perpetuitas alia eſt poſitiva, alia negativa.*
15 *Lex debet eſſe perpetua negativè.*
16 *Lex habet triplicem ſtabilitatem.*
17 *Statutum ad tempus definitum non eſt lex.*
18 *Lex debet eſſe juſta.*
19 *Ut lex ſit juſta, debet juſta, & juſte præcipere.*
20 *Lex injuſta non obligat.*
21 *Lex debet eſſe obſervatu poſſibilis,*
22 *Et Bono Communi utilis?*
23 *Qualiter Leges de tuenda vita propria, de pendendis tributis &c. reſpiciant Bonum Commune?*
24 & 25 *Quando lex dicatur reſpicere Bonum Commune?*
26 *Poteſtas præcipiendi alia eſt publica, alia privata.*
27 *Lex debet ferri à poteſtate publica,*
28 *Et quidem ſuprema, ac independente.*
29 *Lex debet ferri pro Communitate perfecta.*
30 *Quid ſit communitas perfecta, & imperfecta.*
31 *In quibus lex differat à præcepto?*

## ASSERTIO II.

*AD valorem Legis requiruntur ſequentes Conditiones. 1. Ut ſit Stabilis, & perpetua. 2. Ut ſit juſta & obſervatu poſſibilis. 3. Ut ſit Bono Communi utilis, & ad illud procurandum feratur. 4. Ut à publica poteſtate pro communitate perfecta feratur.* Eſt Communiſſima Theologorum. 13

### *§. I. Ad valorem Legis requiritur, ut ſit Stabilis, & Perpetua.*

I. *PErpetuitas* hic non accipitur pro æternitate, non habente principium, nec finem (alioquin nulla daretur lex poſitiva) ſed pro duratione indefinita; quæ perpetuitas duplex eſt, ſcilicet *poſitiva*, quæ haberetur, ſi Lex ſemel lata, etiam mutatis circumſtantiis numquam 14

muta-

Digitized by Google

mutari aut abrogari poſſet: & *negativa*, quæ competit Legi, quatenùs à Legislatore non limitatur ad certum tempus, adeoque quantum eſt ex natura rei, ſemper exigit durare. Itaque

15 II. Lex debet eſſe ſtabilis & perpetua negativè in ſenſu modò expoſito. Ita Theologi, & Juriſtæ communiſſimè. Ratio eſt. 1. Quia *c. ult. de Officio Legati* dicitur Statutum Legati habere vim Legis & perpetuo durare: ergo Lex ſibi vendicat perpetuitatem, non poſitivam, ut in confeſſo eſt apud omnes: ergo negativam. 2. Quia Doctores communiter legem à præcepto diſtinguunt (ut interim alias differentias *infrà §. 4. num. 32.* allegandas taceam) per hoc, quòd lex non expiret morte Legislatoris, benè vero præceptum expiret morte præcipientis: ergo lex debet eſſe, quantùm eſt de ſe perpetua.

16 III. Triplex ineſt Legi Stabilitas & Perpetuitas. 1. *Ex parte Legislatoris*, quo mortuo vel amoto Lex non moritur, ſed perſeverat *c. fin. de Officio Legati*. 2. *Ex parte ſubditorum*, quia non ſolùm obligat præſentes, ſed etiám perpetuò futuros 3. *Ex parte ipſius Legis*, quatenùs ſemel lata ſemper durat, donec revocetur, aut materia vel cauſa ejus mutetur. Hinc infertur, quòd

17 IV. Si Papa imperaret Perſonis Eccleſiaſticis, ut pro bono publico Imperatori quotannis certam pecuniæ ſummam ex redditibus Eccleſiarum tamdiu contribuerent, quamdiu contra Turcas bellum geſſerit. Item ſi à Magiſtratu Sæculari ſtatueretur, ut durante obſidione, quivis ex civibus frumentum, quod habet, venale exponeret, nullusque extra Provinciam frumentum eveheret &c. Hæc, & his ſimilia Statuta non forent Leges propriè dictæ, prout *P. Herincx diſp. 1. q. 1. num. 7.* & Alii communiter advertunt. Ratio eſt: quia non eſſent perpetuæ, cùm non ferrentur pro duratione indefinita, ſed in ipſa earum factione & promulgatione à Legislatore ad certum tempus limitarentur. Lex tamen Moſayca, ſicut & multæ Leges humanæ, quæ ſucceſſu temporis abrogatæ ſunt, fuerunt Leges propriè dictæ. Ratio eſt: quia permanentibus omnibus circumſtantiis, quæ adfuerunt, quando condebantur, ſemper durare exigebant, in qua durationis exigentia perpetuitas Legis conſiſtit. Quòd autem progreſſu temporis ob mutatas circumſtantias fuerint abrogatæ aut mutatæ, fuit illis per accidens.

### §. II. *Ut ſit Juſta, & obſervatu Poſſibilis.*

18 I. LEx, ut valida ſit, *Juſta ſit*, neceſſe eſt. Ita *Omnes*. Ratio eſt: quia omnis Lex vel eſt Divina, vel humana; atqui neutra non niſi juſta eſſe poteſt: ergo. Probatur minor, imprimis de Lege humana; quia lex humana eſt participatio Legis Divinæ juxta illud *Prov. 8. Per me Reges regnant, & Legum Conditores juſta decernunt*, & habet omnem vim obligandi à Lege Divina; atqui DEUS nihil niſi juſtum præcipere poteſt ob ſuam infinitam ſanctitatem, nec poteſt dare hominibus poteſtatem injuſtum aliquid præcipiendi ob eandem ſuam ſanctitatem: ergo nec lex humana ad aliquid injuſtum obligare poterit; hinc S. Auguſtinus *lib. 9. de Civit. c. 21.* ait: *quod Jure fit, juſtè fit; non enim Jura putanda ſunt vel dicenda, iniqua hominum conſtituta*. De Lege Divina etiam conſtat, cùm enim DEUS ſit eſſentialiter juſtus & ſanctus; Lex Divina non niſi juſta, & ſancta eſſe poterit.

19 II. Ut autem Lex ſit juſta, debet *Juſta*, & *Juſtè* præcipere, nempe *Materia*, & *Modus* Legis debent eſſe Juſta: materia juſta erit, ſi DEO, Naturæ Rationali, & Lumini Naturali ſit conformis, aut certè non contraria. Modus ferendæ Legis juſtus erit, ſi feratur Boni Communis cauſa, ſeu ſi ſubditis ſecundùm æqualitatem proportionis imponantur onera, & ſi non excedat poteſtatem ferentis. Quare ſi lex taxet pretium frumenti v. gr. obſervandum ab una parte communitatis, & non ab altera, eſt injuſta; niſi gravis fortè cauſa ejuſmodi diſcrimen poſtulet. Idem dicendum, ſi imponat tributum æquale reſpectu divitum, & pauperum.

20 III. Ex his conſequitur, Legem injuſtam non obligare in conſcientia, imò ſi lex obſervari nequeat abſque peccato, ne licere quidem Legi obtemperare; in tali enim caſu *oportet DEUM potiùs audire, quàm homines. Actorum 4.* In dubio tamen de Legis Juſtitia, præſumitur pro Lege & Legislatore, quia certa eſt poteſtas & voluntas obligantis; dubia verò libertas ſubditis, adeoque melior eſt conditio poſſidentis Legislatoris, aliàs nimia daretur licentia, non parendi Legibus, quia numquam deeſſent, qui apparentibus rationibus Legem quamvis juſtam in dubium revocarent.

IV. Lex debet eſſe obſervatu poſſibilis, poſſibilitate tam 21 phyſica, quam morali, ſeu viribus ſubditorum debet eſſe contemperata, utpotè quas non deſtruere, ſed juvare debet. Ratio eſt: quia *Impoſſibilium nulla obligatio: ſeu, ad impoſſibile nemo tenetur*. Quando tamen urget gravis neceſſitas Boni Communis, ad ejus conſervationem tenemur Leges etiam difficillimas obſervare; puta propriam exponere vitam pro pace, & concordia Patriæ vel conſervanda, vel reſtauranda. De quo iterum infrà de Lege Divina, & Humana redibit mentio.

### §. III. *Ut ſit Bono Communi utilis, & ad illud promovendum feratur.*

I. RAtio eſt: quia Lex aliàs foret inanis & fruſtranea, 28 proindeque inefficax ad pariendam obligationem in ſubditis, utpotè, qui non tenentur Legibus, niſi ordinatis in Bonum Commune conſervandum, & promovendum. Deinde poteſtas Legislativa ad Bonum Commune Principibus conceſſa legitur *Sap. 6. & Rom. 13.* in quibus locis Principes nominantur Miniſtri DEI, & Communitatis: ergo etiam ipſa Lex à tali poteſtate procedens ad eundem finem ordinanda eſt. Quare etiam Philoſophus *lib. 8. Ethic. cap. 10.* hoc inter Tyrannum, & Regem diſcrimen aſtruit, quòd ille ſuam, hic vero ſubditorum utilitatem quærat: & *4. Politic. cap. 1.* inquit: *Leges ad Communem populi utilitatem accommodandæ ſunt.*

II. Dices. Leges de tuenda vita propria, de danda Eleemoſyna, de pendendis tributis, & aliæ hujuſmodi plures reſpiciunt bonum privatum: ergo non omnis Lex neceſſariò reſpicit Bonum Commune.

Reſp. Diſt. Ant. Reſpiciunt bonum privatum, ceu finem ſecundarium & inultimatum, Conc. Ant. ceu finem primarium & ultimatum, Neg. Ant. cum Conſeq. Itaque Lex naturalis de tuenda propria vita reſpicit quidem bonum privatum perſonæ particularis ceu finem ſecundarium, & inultimatum, pro fine tamen primario & ultimato habet Bonum Communitatis; cùm enim quilibet homo ſit pars naturæ humanæ, & pars per ſe ordinetur ad totum, ideo bonum cujuslibet hominis in particulari, per ſe ordinatur ad bonum totius naturæ humanæ. Item Lex de danda Eleemoſyna pariter reſpicit privatum bonum particularis perſonæ ut finem inultimatum; ultimatè tamen ordinatur in Bonum Commune, ad quod pertinet, ut pauperes alantur, ne graſſentur furta, aut peſtes. Tandem Leges poſitivæ exigentes tributa, etiam reſpiciunt privatam Regis utilitatem, ceu finem inultimatum; ultimatè tamen & ipſæ in bonum commune ordinantur; feruntur enim ob Rempublicam in bello defendendam & in pace conſervandam, quod Rex præſtare non poſſet, niſi tributa exigeret.

III. Ad hoc tamen, ut lex dicatur cedere in Bonum 24 Commune, ſatis eſt, quòd ex ſua natura ad illud referatur: unde prava Intentio Legilatoris, v. gr. ex conceptu in communitatem odio ſtatutum ſancientis, valorem Legis non deſtruit, ſi hæc ex ſe Bonum Commune promoveat; ſicut ſiniſtra Judicis intentio non deſtruit valorem ſententiæ, ſi hæc cæteroquin æquitati conformis ſit. Et ratio eſt: quia in promotione Boni Communis magis ſpectatur intentio operis, quàm operantis. Ita *Pat. Schmier hic n. 15.*

IV. Tunc verò cenſeri poteſt, Legem ex natura ſua ad 25 Bonum Commune referri, quando vel mediatè, vel immediatè Gloriam DEI reſpicit, & ad finem ultimum ſupernaturalem conducit vel ſaltem conducere nata eſt. Quo fit ut Leges Civiles, ſi DEI vel Eccleſiæ ordinationi adverſentur, iniquæ ſint ac invalidæ: Unde *Can. Non licet, diſtin. 10.* Ita ſtatuitur: *Non licet Imperatori, vel cuiquam pietatem cuſtodienti contra Divina Mandata præſumere, nec quidquam, quod Evangelicis, vel Propheticis, aut Apoſtolicis Regulis obviet, agere.*

Item Lex cenſetur ordinata in Bonum Commune, quando lata pro civitate v. gr. quæ eſt pars Regni, magis reſpicit Bonum Regni, quam civitatis: ſecus verò, ſi contrarium accidat; Bonum enim partis poſtponendum eſt bono totius. Ad Legem tamen quæ præſcribitur Regno, ſufficit, quòd ordinetur ad Bonum Commune talis Regni; nec requiritur, ut cedat in aliorum quoque Regnorum Commune Bonum. Ratio diſparitatis eſt: quia plura Regna non ſunt ſibi invicem ſubordinata, neque unum eſt pars alterius, ſicut civitas eſt pars Regni. Ita *P. Fraſſen diſput. 1. num. 12.*



Digitized by Google

### §. IV. *Ut à Publica Poteſtate, pro perfecta Communitate feratur.*

26 POteſtas præcipiendi eſt duplex, *Privata* nimirum, & *Publica*. Prior dicitur etiam *Oeconomica & Dominationis*, daturque in Patre ad Filium, in Viro ad Uxorem, in Domino ad ſervum. Poſterior dicitur *Gubernativa & Juriſdictionis*; eſtque (ut Juriſtæ definiunt) *poteſtas authoritate publica introducta cum neceſſitate Juris dicendi, & æquitatis tuendæ*. Subdividitur in *ſupremam*, ſeu in ſuo Ordine independentem, & in *ſubordinatam*, ſeu dependentem. Illa eſt in DEO reſpectu Creaturarum; in Summo Pontifice reſpectu Chriſtianorum; in Imperatore reſpectu Imperii; in Regibus reſpectu ſuorum Regnorum; in Republica Superiorem non habente reſpectu ſuorum Civium; & in quovis Principe, qui in ſua Juriſdictione dependentiam non habet, reſpectu ſuorum ſubditorum. Poteſtas ſubordinata, ſeu dependens reperitur in aliis ſuperioribus ſubordinatis, ſeu dependentiam habentibus, cujuſmodi ſunt Judices & Principes alteri ſubjecti, Igitur

27 II. Lex debet ferri à poteſtate publica. Ratio eſt. 1. quia Lex per ſe primariò reſpicit Bonum Commune, ad quod procurandum, & conſervandum ordinatur; atqui procurare Bonum Commune, & publicum ſpectat ad eum, qui curam totius communitatis habet, ſcilicet poteſtatem publicam: ergo Lex eſſentialiter debet ferri à poteſtate publica. 2. Quia Lex non ſolùm obtinet vim directivam, ſed etiam coactivam: ergo condi debet à poteſtate publica, utpotè à qua proficiſcitur coactio,

28 Et quidem à *Suprema & independente* poteſtate publica debet Lex provenire, vel ſaltem ab hac debuit poteſtas ferendi Leges fuiſſe conceſſa poteſtati ſubordinatæ & dependenti. Ratio eſt: quia ſupremæ poteſtatis eſt providere toti Bono Communi, cui fortè nocerent Leges ab inferioribus latæ. Quare, licèt Judices Ordinarii Juriſdictionem habeant, poteſtatem tamen ferendi Leges non habent, niſi eiſdem à poteſtate ſuprema hæc fuiſſet conceſſa.

Nec obſtat, quòd Scotus *in 4. diſt. 15. quæſt. 2.* Pro Legibus ferendis duplicem poteſtatem agnoſcat, *Paternam* ſcilicet, & *Politicam*. Siquidem Scotus loquitur de poteſtate ferendi Leges tam propriè, quàm impropriè dictas; & vult illas condi à poteſtate publica, & in bonum publicum referri; has verò ferri à poteſtate privata, & in bonum privatum ordinari; Lex enim ſæpenumero accipitur impropriè, & prout confunditur cum præcepto; ut Proverb. 1. *Audi fili mi diſciplinam Patris tui, & ne dimittas Legem Matris tuæ.*

29 III. Lex debet ferri pro communitate perfecta. Ita Scotus *in 1. diſt. 44. quæſt. unic.* & Alii communiter. Ratio eſt: 1. quia Lex etiam in hoc differt à præcepto, quòd præceptum uni poſſit imponi, Lex verò omnibus (intellige in ſuppoſitione accommoda, ut mox infra) præſcribi debeat; unde *L. 1. ff. LL.* dicitur: *Lex eſt Commune præceptum*: & L. *Jura* eodem titulo: *Jura non in ſingulas Perſonas, ſed generaliter conſtituuntur*: ergo Lex debet ferri pro communitate. 2. Quia Lex debet eſſe perpetua, prout dictum *in §. 1. præced.* Ergo Lex non poteſt imponi uni privatæ Perſonæ, utpotè quæ pro præſenti ſtatu perpetua non eſt, ſed communitati, quæ eſt perpetua, quatenùs durat per continuam ſucceſſionem.

30 Dictum eſt, quòd Lex debeat ferri *pro communitate perfecta*, id eſt, pro tali communitate, quæ ſibi ipſi ſufficit ad comparandam felicitatem humanam, & quæ ſortitur nomen Reipublicæ, eſtque capax politicæ gubernationis. Hæc communitas perfecta duplex eſt, una *Realis* ſeu *Localis*, quæ terminis Realibus, ſeu Localibus clauditur, ut v. gr. Regnum, Ducatus, Provincia &c. Altera eſt *Perſonalis*, quæ non tam à loco, quàm à perſonis ad ſe invicem ſub perfecto regimine moraliter unitis attenditur; uti eſt v. gr. aliquis Ordo Religioſus. Communitas autem *Imperfecta* eſt Congregatio plurium Perſonarum, inſufficiens tamen ad felicitatem humanam mutuo partium concurſu procurandam, & conſervandam; cujuſmodi eſt quælibet privata Domus, & familia: igitur præceptum datum communitati imperfectæ, non eſt propriè lex, etſi feratur ab habente alioquin poteſtatem legiſlativam. Ubi tamen advertit *Herincx hic num. 3.* quod nomine communitatis perfectæ non veniat neceſſariò integra collectio omnium hominum in Regno, Provincia, aut civitate commorantium; ſed poſſit etiam Lex ferri pro certo tantùm genere hominum alicujus regni, provinciæ, aut civitatis. v. gr. pro mercatoribus, militibus, Perſonis Eccleſiaſticis &c. quia talis Lex per ſe, ab intrinſeco, & ultimatè bonum commune reſpicit, & totam communitatem obligat, ne à ſimilibus Perſonis ad legem transgrediendam cooperetur.

Advertit etiam *P. Fraſſen diſp. 1. quæſt. 2. num. 6.* legem ferri pro communitate, non abſtractè ſumpta, & prout ſupponit ſimpliciter, ſed prout ſupponit abſolutè, id eſt, tàm pro ſe, quàm pro membris ſui conſtitutivis, quà talibus, ita ut lex ſecundùm præſcriptum, & deſignationem immediatè reſpiciat communitatem; ſecundùm executionem verò ſingula communitatis membra, quà talia, utpotè ad quæ ſpectat legem executioni mandare; cùm id communitas abſtractè ſumpta, per ſeipſam præſtare non valeat. Ex his colliges.

IV. Quænam ſit convenientia, & differentia inter *Legem*, & *Præceptum*; Nam lex cum præcepto, ſeu mandato convenit in hoc, quòd & illa & iſtud inducant obligationem aliquid ponendi, vel omittendi; ideòque ſunt à Superiore ut tali, prout latè explicat Suarez *cap. 8. &* 4. Differunt tamen inter ſe *tripliciter*; I. Quamvis enim præceptum poſſit imponi toti communitati, & in bonum illius: hoc tamen non exigit neceſſariò, quia poteſt ferri à Perſona privata ad privatam, v. gr. à Domino ad ſervum, in bonum etiam privatum Domini, vel ſervi, vel cujuſcumque alterius; lex verò communitatem Perſonarum, & bonum commune neceſſariò reſpicit. II. Præceptum poteſt imponi à quocumque Superiore; Lex verò ferri nequit, niſi à Superiore habente poteſtatem publicam, & legiſlativam. III. Præceptum communiter exſpirat morte mandantis; hinc *l. 26. ff. mandati* dicitur: *Mandatum ſolvitur morte*: Lex verò ſtabilis eſt, & perpetua, neque expirat morte legiſlatoris; ut notant Abbas, & Alii in cap. *Irrefragabile, §. cæterùm*, de officio Ordinarii. Ratio eſt: quia præceptum non fertur toti reipublicæ, nec nomine illius, ſed nomine mandantis, & ob curam debitam ſingulari Perſonæ; mandans autem emoritur, adeoque ceſſat ejus voluntas, & cura reſpectu ſingularis Perſonæ: è contra Lex fertur toti reipublicæ, & nomine illius, quæ non emoritur, ſed voluit ſuam, & ſui curam eſſe perpetuam. 31

Dixi: *Communiter præceptum, ſeu mandatum expirare morte Mandantis*, nam mandatum non expirat morte mandantis. I. Si ſit ad pias cauſas; ut ſi quis mandarit dari Eleemoſynas. II. Si ſit favorabile doti matrimoniali, vel alicui Scholaſtico. III. Si Mandatarius jubebatur aliquid exequi poſt mortem; aut ante, vel ſaltem poſt mortem. IV. Si res non ſit ampliùs integra, id eſt, ſi executio mandati jam ſit inchoata: quod habet locum in judiciis, & extenditur ad donationes, & promulgationes faciendas nomine alterius. V. Etiamſi res ſit adhuc integra, ſi executio alicujus gratiæ ſit mandata in favorem alicujus, & non relicta ipſius arbitrio. *Ita P. Claudius La Croix de legibus n. 566. & 876.*

## QUÆSTIO III.

### *De Diviſione, Cauſis, Effectibus, & Actibus Legis.*

### SUMMARIUM.


32 & 33. *Lex ut ſic dividitur in naturalem, & poſitivam; Hæc in Divinam, & humanam &c.*
34 *Item in affirmativam, & negativam;*
35 *In favorabilem, & odioſam.*
36 *Quid ſit Lex DEI æterna?*
37 *Cauſa Legis ſunt Quatuor.*
38 *Effectus Legis ſunt tres.*
39 *Actus Legis ſunt quatuor, præcipere, prohibere, punire, & permittere.*
40 *Qualiter iſti actus dicantur eſſe actus legis?*


### ASSERTIO III.

*LEx ut ſic dividitur in Naturalem, & Poſitivam: Poſitiva in Divinam, & Humanam: Divina in veterem ſeu Moſaycam, & novam ſeu Evangelicam: Humana in Eccleſiaſticam, & civilem: Cauſas numerat quatuor; Effectus tres; Actus itidem quatuor. Et Communiſſima DD.* 32

### §. I. *Lex ut ſic dividitur.*

33 IMmediatè in *Naturalem, & Poſitivam.* Ratio eſt: quia omnis obligatio paſſiva ſtabilis oritur, vel ex natura actus, vel ex ſpeciali juſſione, ac libero mandato legitimi Superioris cum intentione ſtabiliter obligandi: Si primum provenıet à Lege naturali. Si Secundum, à Lege poſitiva: ergo Lex ut ſic immediatè dividitur in Naturalem, & poſitivam. Lex deinde poſitiva ſubdividitur in *Divinam*, quæ ſcilicet à Deo liberè, & non neceſſariò fertur, & in *humanam*, quæ fertur à Legislatore Humano.

Lex Divina poſitiva rurſus doplex eſt, nimirùm *vetus, & nova*. Lex vetus eſt, quam dedit Deus Moyſi, per miniſterium Angelorum in monte Sinai, & per Moyſen populo Iſraelitico: qua de cauſa etiam à Moyſe tamquam ſui promulgatore, denominata eſt *Moſayta*. Lex nova, ſeu Evangelica eſt, quam tulit Chriſtus novi Teſtamenti Author, & partim per ſeipſum, partim per Apoſtolos promulgavit.

Lex Humana ſubdividitur in *Eccleſiaſticam*, quæ nimirùm fertur à poteſtate Eccleſiaſtica, v. g. à Papa, ab Epiſcopis &c. *& in Civilem*, quæ fertur à poteſtate ſæculari, v.g. ab Imperatore, à Regibus &c.

34 Dividitur prætereà Lex in *Affirmativam*, quæ directè (nimirùm ex fine, quem immediatè reſpicit) præcipit poſitionem actus, v. g. *Diliges Dominum Deum*: & in *Negativam*, quæ directè intendit omiſſionem alicujus actus, verbi gratia. *Non furtum facies*. Ubi adverte, harum Legum diſtinctionem in praxi malè colligi ex vocabulis, quibus proferuntur: rectè verò ex fine, ſeu objecto, in quod legislator directè fertur. Unde licèt Lex affirmativa etiam prohibeat, quidquid eſt incompoſſibile cum actu, quem intendit, conſequenter ejus omiſſionem petat; id tamen ſolùm exigit indirectè, quatenùs directè quærit poſitionem actus. Quamvis ergo in rigore quælibet Lex verè, & propriè aliquid imperet, nimirùm poſitionem, vel omiſſionem actus: hoc tamen ipſum Imperium ex fine directè quæſito aliud eſt *affirmativum*, quando directè intendit alicujus actus humani poſitivum exercitium: aliud *negativum*, ſi directè intendat ejus omiſſionem, ſive puram, ſive non puram. Unde Lex iſta, vel præceptum, verbi gratia *die feſto non omittes ſacrum*, licèt efferatur verbis, ſeu propoſitione negativa, eſt affirmativum: quia finis ejus directè intentus eſt poſitio alicujus actus, nimirùm auditio ſacri; & hoc *abſtinebis à mendacio*, eſt negativum: eſto efferatur propoſitione affirmativa: quia finis ejus directè intentus eſt omiſſio mendacii.

35 Dividitur denique Lex in *favorabilem, & odioſam*. Favorabilis eſt, quæ principaliter fertur in alicujus favorem: licèt in alterius odium redundet: Odioſa eſt, quæ principaliter fertur in alicujus odium, vel pœnam, quamvis etiam cedat in alterius favorem. De quibus eſt *Regula Juris decimaquinta in ſextò. Quod Leges favorabiles amplam, odioſa ſtrictam patiantur interpretationem.*

Reſiduas Legis diviſiones nos inſinuabimus in decurſu.

### §. II. *Lex Dei Æterna*

36 NOn eſt à nobis numerata inter membra, legem, ut ſic dividentia; quia propriè accepta, & ut obtinet veram rationem legis à lege Divina naturali, vel poſitiva non diſtinguitur; cùm ſic accepta, & ipſa ſit actus Divinæ voluntatis, quo præcipiuntur bona, vel mala prohibentur, ſive neceſſariò, ſive liberè: quo in ſenſu præcipuus illius aſſertor eſt Sanctus Auguſtinus *lib. 22. contra Fauſtum cap. 27.* dum peccatum definit, quòd ſit *dictum, factum, vel concupitum contra Legem Dei æternam*. Nuncupatur autem Lex *Æterna* diſtincto vocabulo, quatenùs ſpectatur, ut ab æterno concepta eſt, & non ut jam impreſſa hominis intellectui; quemadmodùm Lex Divina naturalis: Neque ut manifeſtata per externam revelationem, aut promulgationem, quemadmodùm Lex Divina poſitiva. Quod ſummè importat illius ab iſtis diſtinctionem rationis, ſed connotativam, non verò realem terminativam: quali tamen diſtinctione diſtinguuntur Lex Divina naturalis, & poſitiva: quæ proinde vera diviſionis membra conſtituunt: ſecùs Lex Æterna.

Quòd ſi verò Lex Dei Æterna ſumatur pro ipſa Dei Sapientia, & Providentia, prout dirigit actus, & motiones creaturarum quarumcunque in ſuos fines, in quo ſenſu dicitur Deus *Legem poſuiſſe aquis, ne tranſirent fines ſuos proverb. octavo* in numerum Legum propriè dictarum venire nequit, cùm in ea acceptione etiam extendatur ad creaturas inanimatas; quibus tamen Lex propriè dicta imponi non poteſt, ſicut nec brutis ob defectum libertatis in operando. Unde eam, & hoc poſteriori modo acceptam, in Legum, de quibus hic, diviſione conſultò præterivimus.

### §. III. *Cauſa, & Effectus Legis.*

CAuſa Legis communiter numerantur *Quatuor*: Videlicet *materialis, formalis, efficiens, & finalis*. *Materialis* ex qua Lex edocitur, & in qua recipitur, eſt ipſa Legislatoris voluntas: cùm enim Lex, ut ſuprà dictum, formaliter conſiſtat in actu voluntatis Legislatoris obligantis ſubditos, neceſſarium eſt, ut idem ſit ſubjectum, atque eadem cauſa materialis ex qua Legis, quæ eſt actus Legislatoris. Cauſa *formalis* Legis eſt ipſa Legis differentia, qua conſtituitur in eſſe formali Legis. Cauſa efficiens Legis eſt ipſemet Legislator. Cauſa denique finalis eſt bonum commune procurandum, vel conſervandum. 37

*Effectus Legis ſunt tres. Primus* eſt ſubditos *objectivè dirigere* in ordine ad bonum amplectendum, & malum fugiendum; cùm enim Lex ſit Regula actionum humanarum: munus autem Regulæ ſit objectivè dirigere activè: ergo objectiva directio paſſiva erit effectus Legis. *Secundus* Legis effectus eſt *obligare ſubditos*: cùm enim, ut ſuprà dictum, Lex dicatur à *ligando*, quatenùs per eam ſubditi adſtringuntur ad aliquid faciendum, vel omittendum, obligatio paſſiva ſubditorum erit effectus Legis: nam, ſi obligatio, ſicut & directio ſumantur activè, ſunt ipſa Lex: ut conſideranti patebit. Quod etiam verum eſt de *Lege permittente*; quia, & ipſa dirigit, ac obligat tum ſubditos, ne quempiam, actum Lege permiſſum exercere volentem, impediant; tum judices, ne in ſimilem dictatione pœnæ animadvertant. Unde licèt diſpoſitio Superioris, qua ſubdito aliquid permittit, non ſit Lex, qua parte reſpicit eum, cui ſit aliqua permiſſio: eſt tamen Lex, in quantùm reſpicit alios, quos prædicto modo obſtringit. *Tertius* Legis effectus eſt, *facere bonos ſubditos*. Cujus rationem Doctor Angelicus *hic quæſt. 92. art. 1.* affert hanc: Quia Lex eò tendit, ut (quantùm eſt ex ſe) ſubditos faciat ſibi obedientes; ergo, ut eos faciat bonos, cùm ſubditorum propria virtus, per quam fiunt boni, conſiſtat in eo quòd benè obediant Legi, ſicut propria Principis virtus ſita eſt in eo, quòd benè imperet ſubditis, ergo bonos facere ſubditos eſt effectus Legis. 38

### §. IV. *Actus Legis*

SUnt præcipuè *Quatuor*, nimirùm *præcipere, prohibere, permittere, & punire*. Ratio eſt: Quia Actus Legis verſantur circa actus humanos; ergo tot erunt actus Legis quot ſunt differentiæ actuum humanorum, atqui hi, vel ſunt *boni*, & ſic per Legem *præcipiendi*, vel ſunt *mali*: & ſic per Legem *prohibendi*, antequam fiant; ſi tamen committantur, per Legem ſunt *puniendi*. Lex enim efficaciter actus bonos præcipere, maloſque prohibere non poteſt, niſi ſubditos formidine pœnæ poſſet inducere ad bonum, & retrahere à malo: vel denique ſunt *indifferentes*, & ſic erunt per Legem *permittendi*. 39

*Præmiare* tamen non eſt actus Legis, quia præmiare poteſt quicunque, etſi non ſit Superior; nec verò etiam obligat. *Permittere* autem eſt actus Legis; tum quia obligat ex conſequenti, ne quod permiſſum eſt, impediatur, tum quia Superioris eſt permittere, cùm poſſet talem actum, vel præcipere, vel prohibere.

Hic tamen duo advertenda ſunt. I. Quòd *permittere* quidem non rarò idem ſonet, ac *concedere*, nihilominùs in rigore latiùs pateat: nam non omne, quod eſt permiſſum, etiam cenſetur conceſſum: ſiquidem conceſſum in moribus dicitur, quod eſt licitum, & hoc modo permittuntur, ac conceduntur actus indifferentes. At verò permiſſum ſubinde etiam eſt illicitum, ut vitetur id quod eſt magis malum; ſic permittuntur meretrices ad evitanda majora peccata *c. denique diſtinctione quarta* quæ tamen non conceduntur, cùm utique acceſſus ad eas ſit Jure naturali illicitus, & ad culpam imputetur, eſto non plectatur pœna temporali à Jure, vel homine ſtatuta aut infligenda. *Ita* Krimer *de conſtitutione numer. 310. & ſequentibus.*

II. Advertendum eſt, quòd recenſiti quatuor Actus activè ſumpti (nam paſſivè ſumpti ſunt ipſa obligatio paſſiva 40



Digitized by Google

*Legiſlatoris*, & *Legis*; diſpari tamen ratione: nam reſpectu Legiſlatoris ſunt actus eliciti, non autem reſpectu Legis; cùm enim Lex non ſit habitus, nec potentia, actus elicitos habere non poteſt: ſunt ergo tautùm actus Legis *quaſi integraliter*; quia Lea ex illis quodammodo integratur, non quòd omnes quatuor in qualibet lege particulari concurrant; ſed quia ad Legem in communi pertinent. Alios Legis actus, cujuſmodi ſunt *inhabilitare, irritare, taxare rerum pretia &c.* ad prædictos facilè reduces.

## QUÆSTIO IV.

*De Obligatione Legis ut ſic,*

### SUMMARIUM.

41 *Lex obligat ex ea virtute, quam Legiſlator intendit.*
42 *Ad hoc tamen tria requiruntur.*
43 *Legi poteſt ſatisfieri per actum extrinſecè malum.*
44 *Pluribus legibus poteſt uno actu ſatisfieri,*
45 *Extra materiam juſtitia,*
46 *Et niſi aliud colligatur ex mente Legiſlatoris.*
47 *Pluribus legibus poteſt eodem tempore ſatisfieri per plures actus.*
48 *Afferuntur Exempla.*
49 *Qualis intentio requiratur ad impletionem legis?*

### ASSERTIO IV.

*LEx ut ſic obligat ad actionem preceptam faciendam, vel prohibitam fugiendam ex ea virtute, ex cujus motivo Legiſlator illam præcipit, vel prohibet: Poteſt tamen obligationi Legis etiam ſatisfieri per actionem ex fine, vel circumſtantia aliqua extrinſecè vitiatam: ſicut etiam eodem actu pluribus legibus & obligationibus extra materiam juſtitiæ ſatisfieri, & eodem tempore quis per diverſos actus pluribus legibus, & præceptis ſatisfacere poteſt.* Ita communiſſima Theologorum.

#### §. I. *Lex, idem eſt de Præcepto,*

41 *OBligat ad actionem preceptam faciendam, vel prohibitam fugiendam ex ea virtute, quam Legiſlator, vel præcipiens intendit*, ſive ex cujus motivo illam actionem præcepit, vel prohibuit. V. gr. Pater animo graviter obligandi, præcipit filio, ut domi maneat, eo fine, ut ſic conſulat ejus caſtitati: filius tenetur ſe domi continere non ſolum ex virtute obedientiæ, ſed etiam caſtitatis, ita, ut contrafaciens, committat duplex ſpecie peccatum, unum contra obedientiam, & alterum contra caſtitatem. *Ita P. Claudius La Croix hic numer. 626. & Alii communiter.* Ratio eſt; quia præceptum, ſeu potiùs actio præcepta relatè ad caſtitatem, habet ſe ſicut medium ad finem: ergo quemadmodùm medium ſpecificatur à fine, non ſolùm intrinſeco, ſed etiam extrinſeco, ab eoque ſuam deſumit bonitatem, vel malitiam, ita & illa actio ex fine caſtitatis conſervandæ præcepta ſuam bonitatem moralem deſumet à caſtitate. Unde filius tale præceptum tranſgrediens, duo peccata, ſpecificè diſtincta perpetrat, quorum unum contra virtutem obedientiæ, & alterum contra virtutem caſtitatis militat; ac proinde in Confeſſione non ſatisfaciet dicendo, ſe tranſgreſſum fuiſſe mandatum grave Patris, ſed debet addere, illud mandatum ſibi impoſitum eſſe ex motivo caſtitatis.

42 Ad hoc tamen, ut noſtra Reſponſio vera ſit, *tria requiruntur:* I. Ut id, quod mandatur, aliquo modo conducat ad finem hujuſmodi virtutis ſaltem perfectiùs obtinendum, ut contingit in exemplo poſito; alias enim non participaret rationem medii, ut patet. II. Debet Superior exprimere (niſi id jam aliunde conſtet) ſe ex tali motivo præcipere, nam præceptum non præſumitur imponi, niſi ex motivo intrinſeco. III. Non ſufficit, quòd Superior ducatur illo motivo, idque exprimat, ſed debet inſuper velle imponere obligationem illius virtutis, & rem præceptam facere materiam ejus neceſſariam; aliàs in filio ſuprà non reſultabit obligatio ſpecialis ſervandi caſtitatem.

Hinc etiam, ſi Superior ſubdito præcipiat jejunium ex ſolo motivo temperantiæ, & non obedientiæ, ita ut non velit obligare ex virtute obedientiæ, ſed tantùm temperantiæ; ſubditus ſi tale præceptum exequatur, etiam quia præceptum eſt, erit temperans & obediens; ſi autem non exequatur, erit quidem intemperans, ſed non inobediens: quia jejunium mediante illo præcepto conſtituitur quidem materia neceſſaria temperantiæ, non autem obedientiæ: reſpectu hujus enim ſolùm eſt de conſilio, & materia apta, non tamen neceſſaria.

#### §. II. *Obligationi Legis, vel Præcepti.*

POteſt etiam ſatisfieri per actionem ex fine, vel circumſtantia extrinſecè vitiatam. Ita Sanchez 1. *Moral. cap.* 14. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 6. Lugo *diſput.* 22. *ſect.* 2. *numer.* 23. & alii communiter apud Maſtrium *in Moral. diſput.* 2. *quæſt.* 5. *numer.* 169. v. g. Si quis jejunet, vel interſit Sacro ob vanam gloriam, vel etiam ut furetur, poteſt nihilominùs implere præceptum. Ratio eſt: Quia lex præcipit tantùm ſubſtantiam actionis ex objecto ſuo honeſtæ, non autem finem vel circumſtantias, niſi hoc ſufficienter exprimat: ergo cum in hoc caſu ponatur jejunium, vel auditio Sacri, quæ quoad ſubſtantiam, & ex objecto ſuo ſunt actiones honeſtæ, per ipſas ſatisfiet legi de jejunando, vel audiendo Sacro, licèt alia Lex de non captanda vana gloria, vel de non furando violetur. Idem ob eandem rationem videtur dicendum, etiamſi actus quoad ſubſtantiam, & ex objecto honeſtus fieret peccaminoſus mortaliter ex fine extrinſeco, vel circumſtaotia, quòd nempè etiam per illum ſatisfieri poſſit obligationi Legis, & quidem etiam latæ à Superiore Eccleſiaſtico, niſi ſufficienter exprimat, ſe non ſolùm actus ſubſtantiam præcipere, ſed etiam modum, quo ſimiliter honeſtè fiat, abſque ullo peccato in ſui exercitio ex circumſtantiis contracto. Herincx *de Legibus diſput.* 3. *quæſt.* 7. *numer.* 79. 43

Ad hoc tamen, ut obſervatio Legis ſit digna laude, & præmio ac meritoria, ſine dubio requiritur *Modus Virtutis*, nimirùm, ut ſubditus ponat actum formaliter bonum cum omnibus circumſtantiis actum honeſtantibus. *Ita Maſtrius in Moralibus, diſp.* 2. *qu.* 2. *art.* 2. *numer.* 42. Ratio eſt: Quia ut actus ſit laude, ac præmio dignus & meritorius, debet eſſe moraliter bonus: atqui actus non habens objectum, & omnes circumſtantias honeſtas non eſt moraliter bonus, quia *Bonum ex integra cauſa, malum verò ex quolibet defectu:* ergo, ut obſervatio Legis ſit digna laude, & præmio ac meritoria, requiritur, ut ipſi ſatisfiat per actum moraliter, id eſt undequaque bonum, & honeſtum.

#### §. III. *Pluribus Legibus uno, & eodem actu.*

SAtisfieri poteſt *Extra Materiam juſtitiæ, & niſi aliud colligatur ex mente illas imponentis*, ita Sanch *l. c. in Decal. c.* 14. Salas, Bonacina *p.* 9. & alii apud Maſtrium *in Moralibus diſput.* 2. *qu.* 5. *art.* 5. *num* 170. Ratio; 1. Quia obligatio Legis pendet à mente Legiſlatoris, ipſiuſque voluntatem non excedit; ſi ergo Legiſlator unico actu intendit, & permittit, pluribus ſimul ſatisfieri Legibus, & præceptis, ſequitur unico actu pluribus legibus, & præceptis ſatisfieri poſſe. 2. Quia res uno titulo, puta juſtitiæ debita, poteſt deberi alio prætereà titulo, v. gr. ex voto, ex præcepto Pœnitentiæ; nam obligatio voti, pœnitentiæ vel alterius Præcepti poſitivi pendet ex intentione Legiſlatoris, quæ rebus jam alio titulo debitis affigi poteſt: ergo pluribus Legibus, & præceptis unico actu ſatisfieri poteſt. 44

Hinc, quando voves jejunare in quadrageſima, ſi jejunas, ſatisfacis & præcepto Eccleſiæ, & voto; Quando Dominica, & feſtum incidunt in eundem diem, non teneris audire duo Sacra; & ſic de aliis.

Dictum eſt in Reſponſione. 1. *Extra Materiam Juſtitiæ;* ſi enim ſint plures obligationes Juſtitiæ, iis ſatisfieri non poteſt unico actu. Ratio eſt: quia juſtitia commutativa reſpicit æqualitatem rei ad rem; ideo, cùm unica ſolutio nequeat eſſe æqualis pluribus obligationibus juſtitiæ commutativæ, quia duorum in ſolidum dominium eſſe non poteſt, etiam unica ſolutione ſatisfieri nequit pluribus obligationibus juſtitiæ. Hinc, ſi Titio debes centum ex contractu, & alios centum ex damnificatione injuſta, non ſatisfacis utrique obligationi, ſemel dando centum, ſed teneris dare ducentos. In debitis verò Legalibus mens, & voluntas Legiſlatoris attenditur, quæ in unum, idemque opus ferri poteſt, Ita Doctores citat. 45

Dictum eſt II. in Reſponſione: *Niſi aliud colligatur ex mente illas obligationes imponentis*. Ad quod diſcernendum attendendæ ſunt circumſtantiæ, quæ, ſi denotent Legiſlatorem velle exigere actum non debitum, teneberis illum 46
præ-

Digitized by Google

præſtare, neque poteris actu aliàs debito ſatisfacere. Unde ſi tibi à Confeſſario in pœnitentiam eſſet injuncta recitatio Roſarii, unàque fores obſtrictus voto quotidie Roſarium recitandi, non ſatisfaceres præcepto Confeſſarii recitatione debita ex voto; quia Confeſſarius, niſi oppoſitum exprimat, vel aliunde colligi poſſit, ad rem non debitam te obligare intendit; præſertim, cùm illa obligatio à Confeſſario impoſita, non ſit affixa diei, ſed potes, quando tibi placuerit ſatisfacere. At ſi circumſtantiæ denotent, Legiſlatorem contentum eſſe actu aliàs debito, ſatisfacis illo utrique obligationi, videlicet præcedenti & de novo ſuperadditæ. Unde ſi Confeſſarius tibi injungat, ut ſingulis diebus hoc Menſe audias Sacrum, ex benigna interpretatione cenſetur contentus eſſe Miſſa debita ex præcepto diebus feſtivis; neque enim cenſendus eſt obligare ad audiendas duas Miſſas diebus feſtivis, quia eſſet grave onus; quod ſi voluiſſet imponere, expoſuiſſet. *Ita Caſtro-Palaus diſp. 1. p. 19. n. 1. & ſeqq.*

Ex quibus etiam infertur, unica numericè recitatione Matutini atque Laudum (v. gr. ſi fiat hodie poſt quartam) non ſatisfieri hodiernæ, & craſtinæ diei: quia Alexander VII. damnavit ſequentem *in Ordine* 35. propoſitionem: *Unico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die præſenti, & craſtino.* Manifeſta enim eſt mens Eccleſiæ, etiam ſenſu communi firmata, adſtrictos ad Horas Canonicas teneri ſingulis diebus legere ſingula Officia diebus ſingulis affixa. *Henrinex de legibus diſp. 3. q. 8. n. 85.*

Hinc etiam ex Voto, vel Pœnitentia obligatus ad dationem Eleemoſynæ, non ſatisfacit, debita incerta diſtribuendo pauperibus; cùm id non ſit Eleemoſyna ſeu donatio liberalis.

Idem quoque docent Varii generaliter de Eleemoſyna ex Voto aut pœnitentia debita, quæ datur pauperi graviter vel extremè indigenti, eo quòd hæc ſit debita; votum autem & pœnitentia cenſeantur cadere ſuper dationem rei aliàs indebitæ per ſe loquendo. Oppoſitum tamen docent *Sanchez, Henriquez, Azorius, Caſtro-Palaus, & Alii apud Herincx cit.* Eo quòd Eleemoſyna illa non ſit debita ex præcepto miſericordiæ, niſi ex ſuppoſitione, quòd nequeas alia via neceſſitati pauperis ſubvenire; ceſſaret enim, ſi v. g. ſolvendo debitum tolleres indigentiam illius: in præſenti autem poteſt hanc tollere Eleemoſyna ex Voto vel Pœnitentia debita, adeòque ipſa in iſto caſu non debetur ex præcepto miſericordiæ.

### §. IV. *Pluribus Legibus, & Præceptis.*

47 Poteſt eodem tempore ſatisfieri per plures actus, quando unus actus non impedit alium debitè exercendum. Ita communiter apud Maſtr. *in Mor. diſp. 2. q. 5. n.* Herincx *cit. n.* 84. Ratio eſt: Quia qui facit id, quod lege, vel præcepto præſcribitur, legi ſatisfacere dicitur, & legem adimplere; ſed poſſumus eodem tempore facere, quod leges diverſæ, vel diverſa præcepta præſcribunt, cùm in præceptis & Legibus diverſitas temporum non præſcribatur: ergo poſſumus eodem tempore pluribus præceptis per diverſos actus ſatisfacere, *quoties unus actus non impedit alium debitè exercendum*; quæ limitatio apponitur ideò, quia ſi unus actus exercitium alterius impediret, tunc utique certum eſt, eodem tempore non poſſe per illos actus diverſos pluribus ſatisfieri præceptis.

48 Hinc potes peregrinationi promiſſæ ſatisfacere & ſub ea legere horas Canonicas. Similiter ſub Miſſa die feſto potes recitare horas Canonicas, vel alias preces obligatorias, quia recitatio Horarum non impedit attentionem requiſitam ad Miſſam, alioquin (quod eſt contra receptiſſimam praxim) nec liceret ſub ea legere Roſarium ex devotione. Experientia ſanè docet orantem ſub ſacro, facilè ſimul attendere ad actiones miſſæ, ut de iis teſtificari poſſet, quod ſufficit. Addit Caſtro-Palaus *d. 2. de legibus, pun.* 20. non requiri in his actionibus, niſi unam intentionem, ſcilicet ad DEUM, quæ ſufficit, & utrique operi convenit.

Hinc etiam, qui ſub miſſa conſcientiam examinat, poteſt audire miſſam, quia poteſt attendere, uti habet communis apud P. Claudium la Croix *lib. 3. part. 1. num.* 655. Multò magis audit Miſſam, qui ſub ea elicit dolorem, vel aliis piis actionibus ſe præparat ad confeſſionem. An autem ille, qui ſub Miſſa confitetur per longum tempus, poſſit ſimul audire Miſſam? *Reginaldus, Caſtro-Palaus, Leſſius, Rhodes, Eſcobar, & alii cum Gobat. apud la Croix cit.* abſolutè affirmant; quia habet intentionem audiendi Miſſam, ut ſupponitur; adeſt corpore, quia confitetur in templo; aſſiſtit moraliter, quia adeſt humano, & Religioſo modo; denique etiam attendere poteſt ad Miſſam, & licèt fortè actu non attendat, tamen occupatur actione pia, adeoque adhuc cenſetur cum ſacrificante, & circumſtantibus DEO cultum exhibere. *In praxi autem ſuadendum* eſt, ut, ſi confeſſio deberet eſſe longa, potiùs fiat extra Miſſam; ſi autem ſit brevis, curandum eſt, ut potiùs fiat ſub aliqua parte non ita ſubſtantiali, v. g. ſub *Orationibus. Gloria, Epiſtola, Credo*; non verò ſub *Offertorio, Conſecratione*, vel *Communione*. Si tamen etiam ſub his partibus fiat, debet confitens ita ſimul attendere ad Miſſam, ut dicere poſſit, quouſque celebrans pervenerit. Quòd ſi Confeſſio alioquin eſſet omittenda, uti ſæpe fieret in ancillis & famulis, ſuaderi poteſt, ut fiat ſub Miſſa, quia voluntas Eccleſiæ præſumitur eſſe potiùs, ut ſic audiatur Miſſa, & fiat Confeſſio, quàm ut attentiùs audiatur Miſſa, & non fiat Confeſſio, uti rectè Leſſius *in Auct. v. Miſſa. c. 3.* ſi enim damnum temporale poſſit excuſare ab auditione Miſſæ, magis excuſabit damnum ſpirituale in omiſſionem majoris attentionis.

An autem, qui Confeſſiones audit, poſſit ſimul audire Miſſam? affirmant Doctores communiùs cum Gobat, apud la Croix. *cit. num.* 656. Ratio eſt: quia quòd confeſſiones audiens ſimul ſit Judex in Confeſſionali, non impedit, quò minùs etiam ſit unus illorum, qui circumſtant, & cum ſacerdote ſacrificium offerunt. Debet tamen ad ſacrificium attendere, quantum poteſt.

Quid verò ſit de vovente plures Miſſas audire, vel ad id obligato ex Pœnitentia Sacramentali, an nimirùm talis ſatisfaceret aſſiſtendo ſimul pluribus Miſſis; id pendet ab intentione voventis, & confeſſarii, quæ præcisè ferri poſſet in fructum ex aſſiſtentia plurium Miſſarum oriundum, qui quidem fructus hoc modo verè percipi poſſet. Quamvis non dubitem, intentionem præſertim confeſſarii regulariter eſſe aliam, ut ſcilicet ſucceſſiva Miſſarum auditione quæ pœnalis eſt, peccatum plectatur. Deinde mens confeſſarii, & voventis, qui legem velut privatam imponunt, regulanda videtur ad inſtar legis communis, ſeu Eccleſiaſticæ. *Ita P. Herincx de ſacrificio Miſſæ diſp. 8. q. 16. num.* 205.

Qualis intentio requiratur ad impletionem cujuſcumque Legis, vel præcepti, poteſt videri in P. Sporer, Theol. Moral. ſuper Decalog. Tract. 1. Prœmiali cap. 3. n. 45. & ſeqq. ubi ſufficienter hanc materiam pertractat. 49

## SECTIO II.

### *De Lege Divina Naturali & poſitiva, Moſaica, & Evangelica.*

## QUÆSTIO I.

### *De Lege Divina Naturali.*

### SUMMARIUM.

51 & 52 *Exiſtit Lex Naturalis.*
53 *Quid ſit formaliter?*
54 *Qualiter cordibus noſtris ſit inſcripta?*
55 & 56 *Eſt una & multiplex diverſo reſpectu.*
57 *Materia Legis Naturalis.*
58 *Quos & qualiter obliget Lex Naturalis?*
59 Uſque ad n. 62. *Quomodo differat à Jure gentium?*
62 *Lex Naturalis eſt mutabilis materialiter;*
63 & 64 *Non tamen formaliter & propriè.*
65 *Patitur tamen interpretationem.*
66 & 67. *Nulla conſuetudo poteſt abrogare Legem Naturalem.*
68 *Lex Naturalis invincibiliter ignorari nequit quoad præcepta primi, vel ſecundi; benè verò quoad præcepta tertii generis.*

### ASSERTIO I.

*Lex Naturalis formaliter eſt actus Divinæ voluntatis, neceſſariò præcipiens, aut prohibens actiones habentes intrinſecam con- vel diſconvenientiam ad naturam rationalem quà talem: non ſolùm prima morum principia, ſed etiam concluſiones ex eis neceſſariò deductæ ſunt materia Legis Naturalis: obligat in conſcientia omnes homines: nec propriè mutabilis, aut diſpenſabilis, nec invincibiliter ignorabilis eſt ab adulto rationis compote.* Ita Authores citandi. 50



Digitized by Google

*§. I. Lex Naturalis formaliter eſt actus Divinæ voluntatis &c.*

51 POſtquam de Lege in communi tractavimus, reſtat, ut de ejus ſpeciebus in particulari diſſeramus. Et quia Lex Divina præcedit Humanam dignitatem, digniorem quoque, ideſt, priorem locum ſibi vendicat. Itaque

52 I. Exiſtentiam Legis naturalis, non eſt qui neget, aut negare poſſit, niſi ſe ex legem, & irrationalem fateatur, & de illis, de quibus dicebat Apoſt. *Rom. I. quod obſcuratum eſt inſipiens cor eorum*, & *Epheſ. 4. tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienari à vita DEI, per ignorantiam, quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum*. Siquidem hoc patet ex S. Scriptura, *Rom.* 2. v. 14. ubi S. Paulus inquit: *gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ Legis ſunt faciunt: ejuſmodi legem non habentes, & ipſi ſibi ſunt Lex: qui oſtendunt opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis*. Hoc idem docent SS. Patres, ſignanter S. Bernardus *l. de diligendo* Deo ita ſcribens: *homo innatam, nec ignotam ſibi legem habet, quæ facienda, ac proſequenda, quæve fugienda ſint, interiùs dictante ratione demonſtrat*. Et ratio id ſuadet, quia niſi DEUS nobis indidiſſet Legem, & regulam, cujus ductu in finem noſtrum poſſemus tendere, minùs benè egiſſet nobiſcum: quàm cum cæteris creaturis: quia illis vires, & inclinationes indidit, quibus eant in bonum ſuum: ergo etiam nobis. Suppoſita itaque Legis Naturalis exiſtentia, quæritur in quo formaliter conſiſtat ejus Eſſentia? nos, ut conſequenter, & conformiter dictis de Eſſentia Legis, ut ſic loquamur dicimus:

53 II. Lex Naturalis formaliter eſt *actus Divinæ voluntatis, neceſſariò præcipiens aut prohibens actiones habentes intrinſecam con-vel diſconvenientiam ad naturam rationalem, quà talem*. Colligitur ex Scoto in 2. d. 50. q. 1. §. de ſecundo tenetur que à Maſtrio diſp. 2. de Leg. q. 2. a. 1. & 2. Ratio eſt: quia Lex Naturalis non conſiſtit in ipſa natura rationali: nec in convenientia, quam habent aliquæ actiones ad naturam rationalem: nec in ipſo lumine rationis quoad actum primum, ſeu quatenùs eſt vis diſcernendi honeſta, & turpia, licita & illicita; nec in actu rationis intimantis voluntatem Divinam præcipientem, aut prohibentem: ergo remanet Legem naturalem eſſentialiter conſiſtere in actu voluntatis Divinæ &c. Prob. antec. Non *primum*: quia natura rationalis eſt ſubjectum Legis naturalis, ab eaque dirigitur; ergo nequit eſſe ipſa Lex naturalis. Non *ſecundum*: ſiquidem Lex, & ejus materia, ſeu objectum non ſunt idem; atqui convenientia, & diſconvenientia actionum humanarum ad naturam rationalem eſt materia Legis naturalis: ergo non eſt ipſa Lex naturalis. Non *tertium*, aut *quartum* quia Lex ut ſic, juxta dicta Sect. 2. numer. 7. eſt actus voluntatis Superioris obligantis ſubditos ad aliquid faciendum, vel omittendum: ergo nequit eſſe Lumen rationis naturalis, aut actus rationis, cùm nec hic, nec illud habeant ratione ſui vim, & poteſtatem obligandi: adeòque Lex naturalis erit actus voluntatis Legiſlatoris imperantis; atqui non alterius, quàm voluntatis Divinæ, ſeu DEI, utpotè Supremi Authoris naturæ: ergo Lex naturalis formaliter eſt actus voluntatis Divinæ; *liber* quidem libertate eſſentiali, *neceſſarius* tamen; quia DEUS ſuppoſito Decreto de creanda creatura rationali; *quà tali*, hoc eſt, quatenùs pro fine habet honeſtatem, non poteſt non præcipere, aut non prohibere materiam Legis naturalis: eo ipſo enim, quòd velit creaturam rationalem, quà talem gubernare, & ad finem honeſtum dirigere, non poteſt non velle præcipere, vel prohibere ea, quæ eſſentialiter honeſta, ſeu naturæ rationali, qua tali ab intrinſeco convenientia, vel eſſentialiter inhoneſta, ſeu naturæ rationali, qua tali: ab intrinſeco diſconvenientia ſunt, cùm nonniſi per has Leges creatura rationalis ad ſuum finem honeſtum dirigi, & gubernari poſſit. Sicut ergo implicat creaturam rationalem creari; & eam non ſubdi regulis morum; ſic implicat DEUM illam creare, & nolle eam gubernare, ſeu ei imprimere Legem naturalem: quamvis, ſi DEUS nollet creare naturam rationalem, poſſet nullam Legem ferre nec naturalem, nec poſitivam: quia deficeret ſubjectum Legis.

Et per hoc Lex *naturalis* differt *à poſitiva*, quòd materia Legis naturalis habeat intrinſecam con-vel diſconvenientiam ad naturam rationalem quà talem; & ideò à DEO, ſuppoſito Decreto de creanda creaturæ rationali quà tali, neceſſariò feratur; Legis verò poſitivè materia non habeat intrinſecam con-vel diſconvenientiam ad naturam rationalem, quà talem, & ideò: etiam ſuppoſita creatione & exiſtentia creaturæ rationalis, quà talis, nec à DEO, nec ab homine neceſſariò, ſed contingenter feratur, ita ut poſſit non ferri.

III. *Dices*: Lex naturalis in Sacra Scriptura, & Sanctis 54
Patribus paſſim dicitur *indita, inſcripta, ſeu impreſſa cordibus noſtris*; ſed actus Divinæ voluntatis non eſt inditus, inſcriptus, ſeu impreſſus cordibus noſtris: ergo non poteſt eſſe Lex naturalis.

Reſpondeo diſtinguo majorem; Lex naturalis dicitur indita, inſcripta, & impreſſa cordibus noſtris, impropriè metaphoricè, & objectivè, quatenùs intellectus noſter eſt Legis naturalis oſtenſivus, concedo majorem: propriè, & formaliter nego majorem, & diſtincta ſimiliter minore, negando conſequentiam. Sicuti enim Lex poſitiva dicitur ſcribi in tabulis, quamvis Script. & Tabulæ non ſint formaliter ipſa Lex, ſed ſolùm ſignum Legis oſtenſivum, ob quod tamen vulgariter *Lex* vocantur; ita etiam Lex naturæ dicitur ſcribi in cordibus hominum, ideſt, in eorum intellectu, tanquam oſtendente Legum, quantùm ſcilicet potens eſt lumine naturali diſcernere inter honeſtum, & inhoneſtum, abſque eo, quòd per vocem, aut Scripturam exprimatur; & hac ratione ait Sanctus Apoſtolus citatus *num.* 52. *Gentes Legem* (intellige Moſaycam (*non habentes, ipſi ſibi ſunt Lex*, ſumpta ſcilicet Lege pro inſtrumento oſtenſivo Legis.

*Inſtabis*: Secluſo quocumque actu Divinæ voluntatis præcipiente, aut prohibente, adhuc aliquæ actiones creaturæ rationalis forent intrinſecè bonæ, ac faciendæ, & aliæ intrinſecè malæ, ac fugiendæ: verbi gratia adhuc amor DEI eſſet intrinſecè honeſtus, & conveniens creaturæ rationali, & odium DEI eſſet intrinſecè malum, & diſconveniens creaturæ rationali: ergo Lex naturalis non eſt actus divinæ voluntatis neceſſariò præcipiens, & prohibens actionem habentes intrinſecam con-vel diſconvenientiam ad naturam rationalem, quà talem.

*Reſpondeo diſtinguo antecedens.* Secluſo quocumque actu Divinæ voluntatis, adhuc aliquæ actiones creaturæ rationalis forent intrinſecè bonæ, & aliæ malæ, philoſophicè, fundamentaliter, & in genere naturæ, concedo antecedentem: Theologicè, formaliter, & in genere moris, nego antecedens cum conſequentia. Ad hoc poſterius enim requiritur, Lex formaliter talis, à qua tamen facta hypotheſis præſcindit. Ex his

*IV. Colliges* Legem naturalem partim eſſe unam; partim 55
multiplicem: una eſt. I. *Unitate actus*: cùm dicat unicum ſimpliciſſimum Divinæ voluntatis actum. *II. Unitate principii univerſaliſſimi*, ad quod cætera Præcepta reducuntur: quale eſt: *bonum eſt amandum, & malum eſt fugiendum*. III. *Unitate finis*: qui eſt bonum naturæ humanæ. Multiplex verò eſt Lex naturalis, ex pluralitate præceptorum particularium, ad diverſas virtutes ſpectantium: alia equidem eſt Lex naturalis juſtitiæ, alia temperantiæ &c.

*§. II. Non ſolùm prima morum principia, ſed etiam Concluſiones ex eis neceſſariò deducta ſunt materia Legis naturalis.*

I. PRænotandum, extare quædam univerſaliſſima mo- 56
rum principia: ut *bonum eſt amandum*; *malum eſt fugiendum*; Item. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, &c.* Et hujuſmodi præcepta pertinere ad Legem naturalem, fatentur omnes. Unde difficultas ſolùm eſt de aliis præceptis, quæ ex præfatis principiis deducuntur ſuntque *in duplici differentia*: quædam enim ex illis immediatè, ac citra operoſam inveſtigationem facillimo diſcurſu colliguntur; prout ſunt ea, quæ exprimuntur in Decalogo. Alia ita ſe habent; ut ex primis principiis, vel Decalogi præceptis, nonniſi mediatè, & remotè, per diligens ſtudium, atque difficilem diſcurſum inferantur: talia ſunt: *ſimplex fornicatio eſt fugienda*; *injuria tibi illata non eſt propria authoritate vindicanda &c.* Itaque

II. Non ſolùm prima morum principia, ſed etiam om- 57
nia Decalogi præcepta (excepto tertio de ſanctificatione Sabbati quoad determinationem temporis) ſunt materia Legis naturalis; ſicut & alia præcepta, quæ ex primis morum principiis, vel Decalogi præceptis mediatè, & neceſſariò inferuntur. Ita Scotus *in 3. diſt. 37. numer.* 5. cum aliis communiter. Ratio eſt: quia id omne eſt materia Legis naturalis præcipientis, vel prohibentis, quod ab intrinſeco habet neceſſariam con-vel diſconvenientiam ad naturam rationalem, quà talem: atqui non tantùm illud, quod prima morum principia, & præcepta Decalogi præcipiunt, vel prohibent, habet ab intrinſeco neceſſariam con-vel diſconvenientiam ad naturam rationalem,

ſed

Digitized by Google

ſed etiam illud, quod ex primis morum principiis, & præceptis Decalogi mediatè, & neceſſariò infertur, cùm hoc non dependeat ab opinione hominum, nec ab aliqua poſitiva inſtitutione; ergo non tantùm prima morum principia, & præcepta Decalogi, ſed etiam ea illis deducta ſint materia, ſeu continent materiam Legis naturalis.

Dixi per parentheſim: *excepto tertio de ſanctificatione Sabbati quoad determinationem temporis.* Quia licet etiam hoc præceptum quoad ſubſtantiam, & quatenùs præcipit cultum Deo exhibendum, ob ſupremam ejus excellentiam & collata in nos beneficia, ſit de Jure naturæ; tamen quoad determinationem temporis, ſolùm obligaverat olim ex Jure Divino poſitivo: & nunc poſtquam Eccleſia obligationem de ſanctificatione Sabbati mutavit, & tranſtulit in obligationem ſanctificandi Dominicam, ſtringit ex Jure Eccleſiaſtico.

58 III. Lex naturalis in conſcientia obligat omnes homines ad obſervanda ſua præcepta. Ita omnes. Ratio: quia Lex naturalis eſt actus Divinæ voluntatis neceſſariò præcipiens, vel prohibens actiones habentes intrinſecam con-vel diſconvenientiam ad naturam rationalem quà talem; atqui talis actus utique obligat in conſcientia, cùm ſit Imperium DEI, ut authoris naturæ, cui tanquam legitimo Superiori parendum eſt; & quidem omnes homines: cùm obliget totam naturam rationalem: ſiquidem præcipiat, vel prohibeat actiones habentes intrinſecam, & neceſſariam con-vel diſconvenientiam ad naturam rationalem quà talem: ergo Lex naturalis omnes homines obligat in conſcientia ad obſervanda ſua præcepta. Ex his omnibus.

59 IV. Colliges differentiam Legis naturali *à Jure gentium* quod propriè loquendo *eſt Jus à pluribus gentibus in bonum commune gentium, cum reciproca obligatione conſtitutum.* Siquidem differunt. I. *ex parte materiæ circa quam*: Materia quippè Legis naturalis ſunt actus intrinſecè boni, vel mali, habentes intrinſecam, & neceſſariam con-vel diſconvenientiam ad naturam rationalem; Materia verò Juris Gentium ſunt actus, non habentes intrinſecam, & neceſſariam con-vel diſconvenientiam ad naturam rationalem, ſed tantùm extrinſecam, & liberam, dependentem ab inſtitutione extrinſeca, & libera communi omnibus, aut ſaltem pluribus gentibus. II. Differunt *ex parte cauſæ efficientis*: ſiquidem Lex naturalis, ut primùm diximus, immediatè ab ipſo authore naturæ humani cordibus imprimitur: Jus Gentium verò deſcendit ex arbitrio, conſuetudine, & mutuo conſenſu gentium. III. Differunt *ex parte cauſæ finalis*; Nam finis Legis naturalis eſt felicitas omnium, & ſingulorum hominum. Juris gentium verò felicitas omnium gentium quà talium. IV. Differunt *ex parte ſubjecti*: quia Lex naturalis omnes, & ſingulos homines obligat; Jus gentium verò non ita; licet enim Imperator libro 1. inſtit. tit. 2. Jus gentium dicat eſſe illud quod *ratio naturalis inter omnes homines conſtituit*: attamen Jus gentium ibi non uſurpavit propriè, ſed pro Jure naturali illud accepit.

Notandum tamen, quòd Jus gentium non conſiſtit in pactione, & conventione gentium: tum quia ex pactis non oritur Jus legale, ſive conſtitutionis, ſed proprietatis; tum quia pacta, & conventiones obligant ſolos paciſcentes, & conſentientes: Jus gentium verò eſt Jus Legale, & obligat omnes gentes etiam non conſentientes. Itaque dicendum eſt, Superiorem, cujus authoritate Jus gentium vim obligativam accepit, eſſe *DEUM*; non tanquam *Authorem naturæ* (ſic enim reſpicitur à Jure Divino naturali) neque ut *authorem ſupernaturalem* (ſic quippe condidit Jus Divinum poſitivum) ſed ut *Authorem humanæ Societatis*: ſeu ſupremum rerum publicarum civilium Principem.

60 Nec obſtat, quòd diximus, Jus gentium deſcendere ex arbitrio, conſuetudine, & mutuo conſenſu gentium. Per illud quippe tantùm inſinuare intendimus, quòd gentes per frequentatos actus introduxerint conſuetudinem: cui deinde DEUS ſua authoritate primò contulit vim obligativam Legis. Neque hinc inferre licet, quod Jus gentium ſit Divinum, & non humanum: quia, ut Jus aliquod vocetur *Divinum*, debet à DEO immediatè ſine prærequiſito hominum conſenſu fuiſſe ſancitum; quod de Jure gentium affirmari nequit, utpotè, quod non à DEO immediatè, ſed mediantè gentium per diuturnos mores declarato conſenſu conditum eſt. Ex quo patet, quod Jus gentium ſit ſpecies *Juris non ſcripti, ſeu conſuetudinarii.* Item patet, quòd Ius gentium differat *à Jure civili*, & ſit jus medium inter jus naturale, & civile, cùm non ſit à natura inſitum, ut jus naturale; nec ab aliquo determinato principe, aut republica ob particularem ſuorum ſubditorum ſalutem, & felicitatem ſtabilitum, ut jus civile: ſed ab omnibus ferè gentibus ad pacem, & incolumitatem earum, quà talium introductum.

## §. III. *Lex naturalis non eſt propriè mutabilis aut diſpenſabilis.*

I. POteſt aliquid dupliciter eſſe de Lege naturali, *poſitivè*, ſcilicet, *& negativè, ſeu permiſſivè.* Illud eſt poſitivè de Lege naturali quod ab ea eſt abſolutè præceptum, vel prohibitum, verbi gratia *colere DEUM, non aſſumere nomen Domini in vanum &c.* id verò eſt negativè, ſeu permiſſivè de Lege naturali, quod ab eadem nec eſt præceptum, nec prohibitum, ſed permiſſum, verbi gratia *omnia eſſe communia: omnes gaudere eadem libertate, &c.* quia nullus à jure naturali inſtituitur Dominus, aut Servus; diviſio namque bonorum, & ſervitus à jure gentium introductæ ſunt. 61

Item Lex aliqua poteſt mutari duplici modo: vel *ab intrinſeco, vel ab extrinſeco.* Ab intrinſeco mutatur, quando mutato fine, & ratione Legis, ceſſat etiam obligatio Legis, vel in totum; & tunc dicitur *ceſſatio Legis*; vel in particulari caſu; & tunc dicitur *Interpretatio Legis*: Ab extrinſeco Lex mutatur, quando ab habente poteſtatem, nempe à Legiſlatore revocatur, vel in totum: & tunc dicitur *abrogatio Legis*, vel ex parte, & quoad aliquem caſum, & perſonam particularem; & tunc dicitur fieri *diſpenſatio Legis.*

Denique mutatio, vel diſpenſatio Legis poteſt eſſe mutatio, vel diſpenſatio Legis *formaliter, & propriè*, vel tantùm *materialiter, & impropriè.* Mutatio, vel diſpenſatio Legis formalis, & propria eſt, cùm Legis obligatio deſinit remanente objecto Legis ſub iiſdem circumſtantiis, ſub quibus terminabat intentionem Legiſlatoris: mutatio verò, vel diſpenſatio materialis, & impropria eſt, quando materia, ſeu objectum Legis ita mutatur, ut ad illud intentio Legiſlatoris, & Legis obligatio ſe non ampliùs extendat. His prænotatis:

II. Certum eſt Legis naturalis mutationem materialem, & impropriam poſſe fieri non tantùm Divina, ſed etiam humana poteſtate, quando nimirùm materiæ, & objecti mutatio, ejuſmodi poteſtati ſubeſt. Sic etiamſi Lex naturalis ſit; ne quis occidat ſeipſum: ſi tamen Deus, qui eſt Dominus vitæ, & mortis, expreſſa revelatione, & præcepto poteſtatem homini tradat occidendi ſeipſum, licita erit occiſio ſui ipſius. Sic etiam, ſi creditor faciat donationem mutui, ceſſabit naturalis obligatio reſtituendi mutuum. Ad hoc ipſum tamen requiritur, juxta mox dicta, ut materiæ, & objecti mutatio poteſtatis Divinæ, vel humanæ ſubſit. Unde nec Deus, etiam materialiter, & impropriè, diſpenſare poteſt in illis præceptis naturalibus, quorum materia ab eo immutari nequit, eò quòd habeat intrinſecam, & eſſentialem repugnantiam cum perfectionibus Divinis: cujuſmodi ſunt præcepta non mentiendi, non blaſphemandi &c. Nec homo poteſt ſic diſpenſare in omnibus iis, in quibus poteſt Deus: cùm multarum materiarum mutatio ſubſit poteſtati Divinæ, & non humanæ: prout rectè advertit Sanctus Bernardus *lib. de præcepto, & diſpenſatione cap. 3.* ubi ſic ait: *Quæ etſi nullam humanæ diſpenſationem admittant, nec cuiquam hominum ex his aliquo modo ſolvere, aut licuit, aut licebit, Dominus tamen horum, quod voluit, & quando voluit, ſolvit.* 62

Similiter certum eſt, ea quæ ſunt de jure naturali *permiſſivo*, mutari poſſe: nec enim ratio naturalis dictat, illa eſſe neceſſariò ad conſervandam morum honeſtatem, ſed tantùm tribuit moralem facultatem illa retinendi, quamdiù legitimam auctoritatem habentibus aliud expedire non videbitur. Sic rerum communitas, & hominum libertas eſt de jure naturali permiſſivo: quia Lex naturalis, nec præcipit, nec prohibet, ſed permittit, homines gaudere bonis communibus, & ſua libertate, quamdiù boni communis. Ratio aliam diſpoſitionem non introduxerit: quæ de facto tamen jure gentium eſt introducta in ſervitutibus, & rerum diviſionibus. Itaque ſolùm remanet controverſia, an Lex naturalis præceptiva, vel prohibitiva formaliter, & propriè mutari, aut diſpenſari poſſit? pro qua reſolvenda dicimus.

III. Lex naturalis præceptiva, vel prohibitiva formaliter, & propria, nec humana, nec Divina poteſtate mutari, aut diſpenſari poteſt. Ita Thomiſtæ cum D. Thoma *part. 2. quæſt. 94. artic. 5. & quæſt. 100. artic. 8. & ſequuntur.* Recentiores communiter. Idem in re docuit Scotus apud Maſtrium *in Moral. diſputat. 2. quæſt. 2. artic. 2. nu. 52.* Ratio eſt: quia illa, quæ à lege naturali præcipiuntur, vel prohibentur, habent intrinſecam, & eſſentialem 63

con-

Digitized by Google

convenientiam, vel diſconvenientiam ad naturam rationalem, & rectam rationem: ergo in iis circumſtantiis, quibus ſunt ſub Lege naturali, id quod præceptum eſt nequit fieri non præceptum; & quod prohibitum, fieri non prohibitum: cùm eſſentiæ, & proprietates eorum ſint immutabiles, & invariabiles.

64 *Sed dices:* DEUS diſpenſavit cum *Abrahamo* in quinto Decalogi præcepto, quando ei præcepit, ut immolaret filium ſuum, *Geneſis* 22. In ſexto præcepto cum *Oſea*, quando ipſi præcepit, ut acciperet mulierem fornicariam, *Oſea* 1. In ſeptimo Præcepto cum *Hebræis*, quando ipſis conceſſit ſpoliare Ægyptios, *Exodi* 11. Ergo DEUS poteſt diſpenſare in Lege naturali.

Reſpondeo. Per prædicta nullo modo formalem, & propriè dictam mutationem, aut diſpenſationem Legis naturalis evinci, cùm per ſolam materiæ, & objecti mutationem commodiſſimè explicentur, in quantum nempè Deus, ceu Dominus vitæ, & mortis, ac univerſæ creaturæ, Abrahamo conceſſit dominium in vitam ſui Filii, Oſeæ in corpus meretricis, Hebræis in bona Ægyptiorum: quo dominio conceſſo, Lex naturalis numquam prohibuit occiſionem, commixtionem corporum, aut ſpoliationem: adeòque fuit tantùm diſpenſatio impropria, & materialis tantùm. Quæ reſponſio etiam applicanda eſt ad alia ſimilia exempla, ſicut & ad Authoritatem Sancti Bernardi Doctoris melliflui, & *Scoti* Doctoris Subtilis, ſi fortè opponerentur.

*Inſt.* Princeps humanus poteſt in ſua Lege propriè, & formaliter diſpenſare: ergo etiam Deus in Lege naturali ſic poterit diſpenſare.

Reſpondeò. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt: quia Princeps humanus totam vim obligandi tribuit ſuæ Legi ſola ſua voluntate, quam proinde relaxare poteſt: at Lex naturalis ex parte objecti fundamentalem aliquam obligationem ſupponit: quæ, cùm objecto ſit eſſentialis, à DEO deſtrui non poteſt: cùm & ipſe nequeat rerum eſſentias immutare.

*Urges:* Pontifex diſpenſat in Juramentis, & votis: in Matrimonio rato, & ſimilibus pluribus, quorum obligatio oritur ex jure, & Lege naturali: ergo &c.

Reſpondeo. Pontificem diſpenſando in voto (idem eſt in juramento) relaxare promiſſionem DEO factam, quo peracto obligatio voti per ſeipſam corruit. Hoc autem non eſt propriè, & formaliter diſpenſare in voto, & ipſius obligatione naturali, ſed ſolùm impropriè, & materialiter jam dictum. Idem reſpondendum de diſpenſatione in matrimonio rato, & hujuſmodi.

65 IV. Addendum tamen eſt, quòd licèt Lex naturalis nulla poteſtate, formaliter, & propriè immutari, aut diſpenſari poſſit, adhuc tamen benè poſſunt, & ſolent præcepta Legis naturalis explicari, & interpretari ab habente authoritatem ratione Superioritatis, aut Doctrinæ. Ratio eſt: quia licèt talia præcepta ſint neceſſariæ veritatis: quia tamen non omnia ſunt æquè clara, & nota, nec æquè ad intelligendum facilia: ideò frequenter, & meritò, ac rationabiliter declaramus, & explicamus, quidnam ratio dictet pro tali caſu, & quid lumine rationali doceamur. Unde hoc pacto interpretamur Legem non occidendi non obligare in caſu neceſſariæ defenſionis, Legem non accipiendi rem alienam non obligare in caſu extremæ, neceſſitatis, vel quando quis, quod ſibi de jure debetur aliter recuperare non poteſt; nam in tali caſu non accipit alienum, ſed quod ſuum eſt; & ſic etiam rectè interpretamur Legem ſervandi depoſitum, aut ſecretum naturale, non obligare, quando alter vult abuti ad perniciem Patriæ, Reipublicæ, vel tertii Innocentis, & ſic in ſimilibus. Maſtrius *cit. num.* 55.

Ubi tamen excipiendæ ſunt Leges naturales vetantes actus ita intrinſecè malos, ut per nullam circumſtantiam, aut materiæ mutationem à malitia depurari poſſint: cujuſmodi ſunt mendacium, odium DEI &c. Hæ enim ſimileſque Leges interpretationem non recipiunt: cùm ab earum univerſalitate nullus particularis caſus deficere poſſit.

Num autem talis interpretatio Legis naturalis debeat propriè dici Epykia? negant aliqui; quorum Ratio eſt: Quia Epykia ab Ariſtotele 5. *Eth. capite* 10. Vocatur correctio, ſeu emendatio Legis, ex ea parte, qua deficit; ſed Lex naturalis, utpotè Divina non poteſt deficere: tùm propter ſummam Sapientiam, Bonitatem Legiſlatoris ſcilicet DEI; tum quia non prohibet, nec præcipit univerſaliter, & abſolutè actus intrinſecè malos, vel bonos, qui patiuntur interpretationem, niſi pro illis circumſtantiis, & caſibus in, & pro quibus actus præcepti ſunt honeſti, & prohibiti ſunt mali ex objecto: ergo videtur Legis naturalis interpretationem non eſſe propriè Epykiam. Ex quibus omnibus

Sequitur, Legem naturalem per nullam conſuetudinem 66
abrogari poſſe: quia, ut dictum, Lex naturalis eſt immutabilis, & indiſpenſabilis. Idem pariter dicendum de Jure gentium; quòd adverſùs illud nulla queat prævalere conſuetudo. Ratio eſt: quia Jus gentium dictante ratione omnium, aut ferè omnium gentium conſenſu introductum eſt; & ideò introductum eſt, quia ad ſtabiliendum inter illas commercium neceſſarium aut ſummè utile videbatur: ergo non apparet, quomodo conſuetudo huic Juri contraria ullo modo poſſit eſſe rationabilis; & conſequenter per nullam conſuetudinem Jus gentium poterit abrogari.

### §. IV. *Nec invincibiliter ignorabilis eſt ab Adulto Rationis compote.*

Hic revocandum eſt in memoriam, quod præcedente §. 67
*ſecundo numero* 56. prænotavimus, nempe præcepta Legis naturalis eſſe in triplici differentia: alia quippe ſunt *prima, & univerſaliſſima morum principia*: alia ſunt *Concluſiones ex illis principiis facilè deducibiles*: & alia ſunt *Concluſiones difficulter ex illis deducibiles*: prout *loco citato* expoſitum, & exemplificatum eſt. Itaque

I. Prima Legis naturalis principia ab adulto Rationis 68
compote non poſſunt invincibiliter ignorari. Communis Doctorum. Ratio eſt: Quia prima morum principia non minùs per ſe, & ex ſola terminorum apprehenſione ſunt evidentia, quàm prima principia Metaphyſica. Sed hæc à nemine rationis compote, & terminos penetrante, ignorari poſſunt: ergo nec illas. Unde Sancti Patres communiter dicunt, Legem naturalem à DEO ſcriptam eſſe in cordibus hominum, nec à quoquam ignorari poſſe.

II. Præcepta verò naturalia ſecundi generis, qualia 69
ſunt, quæ exprimuntur in Decalogo, *abſolutè, conſiderata, nequeunt* longo tempore invincibiliter ignorari. Eſt iterùm Communis. Ratio: nam licèt hujuſmodi præcepta non ſint prima, & immediata Legis naturalis principia, ſunt tamen concluſiones ex illis tam immediatè, tamque evidenter inferibiles, ut, vel leviſſima diligentia quam quilibet adhibere tenetur, ad earum illationem ſufficiat; ergo à nemine rationis compote ignorari poſſunt ſaltem ad longum tempus. Probo antecedens nam ex his præmiſſis lumine naturali notis: *Summum bonum eſt amandum, ſed DEUS eſt ſummum bonum*, evidenter, & quaſi ſuaptè natura ſequuntur hæ Concluſiones: *Ergo DEUS eſt amandus: ergo nulla blaſphemia offendendus: ergo certo tempore colendus*: quæ ſunt præcepta primæ tabulæ. Pariter ex iſtis præmiſſis: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: atqui non vis: ut quis te occidat, tibi furetur &c.* Per evidentem illationem concluditur: *ergo nec tu debes alterum occidere, ei furari, &c.* quæ ſunt præcepta negativa ſecundæ tabulæ; conſequenter præcepta Decalogi faciliimè, & evidenter deducuntur ex primis, & univerſaliſſimis morum principiis.

Dictum eſt, Præcepta Decalogi, *abſolutè conſiderata*, nequeunt longo tempore invincibiliter ignorari. Si enim ea præcepta ſpectentur, ut affecta certis quibuſdam circumſtantiis, utique poſſunt invincibiliter ignorari etiam ad longum tempus. Patet id *in Præceptis non mentiendi, non furandi, non occidendi &c.* Nam licèt clarum ſit, mentiri eſſe illicitum; non tamen ita clarum eſt, id eſſe illicitum in neceſſitate ad propriam, boni ve amici vitam conſervandam. Item quamvis clarum ſit, furtum repugnare Juſtitiæ, & rectæ rationi; non tamen ita liquidum eſt, eſſe vetitum furari malis divitibus ad largiendam Eleemoſynam bonis pauperibus: denique tametſi clarum ſit, eſſe rem peſſimam occidere ſeipſum, vel alterum Innocentem: non tamen eſt omnibus evidens, ſibi vel alteri ad evitanda graviſſima tormenta; mortem conſciſcere, eſſe facinus culpabile: Et ſic de aliis. Conſequenter præcepta Decalogi, *ut affecta certis circumſtantiis*, poſſunt invincibiliter ignorari etiam ad longum tempus.

III. Præcepta denique naturalia tertii generis ſæpè invincibiliter ignorantur. Eſt etiam hæc communis Sententia. Ratio eſt: quia ignorantia invincibilis ex duplici capite evenire poteſt: vel quia animum nullus ſcrupulus, & obligatio alicujus obligationis pulſat: vel quia poſt cogitationem de tali præcepto, adhibita eſt moralis diligentia ad illud inveſtigandum; nec tamen potuit deprehendi: ſed utroque modo contingit, præcepta prædicta Juris naturalis ignorari: Et quidem *primo modo*; quia Confeſſarii deprehendunt, adoleſcentes ignoranter ali-

aliqua ſubinde committere contra Legem Naturalem, verbi gratia *mollitiem &c.* de quorum malitia ſcrupulum, & conſcientiæ remorſum modò poſt majorem judicii maturitatem conceperunt. Sic inter ruſticos multa quandoque ſuperſtitioſa depræhenduntur, quæ à Parentibus accepta, bona fide, & ſine ſcrupulo practicant. *Secundo etiam modo* contingit, Præcepta Naturalia tertii generis ignorari: quia de facto ſunt plurima de Lege naturali dubia, in quibus ad certitudinem deveniri non poteſt. Sic adhuc hodie diſputatur in utramque partem, *An liceat judici damnare, vel occidere reum, qui ſecundùm allegata, & probata eſt nocens: privata tamen ſcientia judicis eſt innocens?* Et ſic de aliis: ergo præcepta naturalia tertii generis ſæpè invincibiliter ignorantur. *Vide Patrem Claudium la Croix, lib 1. n. 730. & ſequentibus* ubi etiam argumenta Adverſariorum doctiſſimè refellit.

71 IV. Hæc ignorantia invincibilis Legis naturalis, etiam pro Statu naturæ lapſæ excuſat à peccato formali. *Ita communiſſimè docent omnes apud la Croix citat. num.* 735. Ratio eſt, quia Alexander Octavus die ſeptima Decembris Anno milleſimo ſexageſimo nonageſimo inter Propoſitiones 31. damnat hanc ſecundam: *Tametſi detur ignorantia invincibilis Juris Naturæ, hæc in ſtatu Naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat à peccato formali*: ergo nunc certum eſt, quod ignorantia invincibilis, etiam in jure naturæ, pro ſtatu Naturæ lapſæ excuſet à peccato formali. II. Peccatum debet eſſe voluntarium, juxta Sanctum Auguſtinum libro primo Retract. capite decimo tertio dicentem; *Uſque adeò peccatum voluntarium malum eſt, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium*: ſed quando adeſt ignorantia invincibilis, peccatum non eſt voluntarium: quia ſecundùm S. Thomam 1. 2. quæſt. 6. ar. 1. in O. *Voluntarium dicitur eſſe ſecundùm definitionem Ariſtotelis, & Gregorii Nyſſeni, & Damaſceni, non ſolùm, cujus Principium eſt intra, ſed cum additione Scientiæ*: ergo quando ignorantia eſt invincibilis, non eſt peccatum formale.

De hoc, ſicut etiam de aliis multis ignorantiam concernentibus videatur *Pater Patritius Sporer Tractatu primo Proœm. cap. 2. ſubſect. 1. num. 29. & ſequentibus.*

## QUÆSTIO II.

### *De Lege Divina Veteri, ſeu Moſayca.*

### SUMMARIUM.

73 *Cur Lex Divina poſitiva ſit neceſſaria?*
74 *DEUS pro Omni ſtatu Naturæ Humanæ tulit Legem Poſitivam.*
75 & 76. *Lex vetus continuit Præcepta Moralia, Cæremonialia, & judicialia.*
77 Uſque ad n. 80. *DEUS fuit immediatus Author, & Legiſlator Legis veteris.*
80 *Moyſes, cui à DEO per Angelos tradita eſt, fuit tantùm ejus promulgator.*
81 *Lex vetus* per ſe loquendo *ſolos obligavit Judæos.*
82 *Cuilibet tamen Gentilium liberum erat iſtam Legem profiteri.*
83 *Præcepta Moralia ex duplici capite obligaverunt Judæos.*
84 *Lex Vetus obligavit* in Conſcientia.
85 *Ac etiam* ex genere ſuo ſub mortali.
86 *Non tamen obligabit* cum periculo mortis per ſe loquendo
87 *Niſi quoad Præcepta Moralia negativa, quæ in Decalogo continentur.*

## ASSERTIO II.

72 *Immediatus Author, & Legiſlator Legis veteris fuit Deus: Moyſes verò, cui tradita eſt Miniſterio Angelorum, fuit tantùm ejus Promulgator: per ſe loquendo ſolos judæos obligavit, & quidem in conſcientia, ac etiam ſub mortali: non tamen cum periculo mortis, niſi quoad Præcepta Moralia negativa, quæ ſcilicet in Decalogo continentur.* Ita Doctores communiter.

### *§. I. Immediatus Author, & Legiſlator Legis veteris fuit DEUS.*

73 Divus Thomas *1. 2. q. 91. a. 4.* Legis Divinæ poſitivæ neceſſitatem, præter Legem naturalem, hac probat Ratione: *Hominem elevatum in finem* Beatitudinis ſupernaturalis, oportebat dirigi in finem illius Beatitudinis: hoc autem non præſtabat Lex Naturalis, quæ nec finem naturalis felicitatis traſcendit, neque actiones particulares ſatis determinat: Neque præſtabat Lex Humana; quippè, quæ tantùm verſatur circa actus externos humanæ cognitioni, & judicio ſubjectos. Neque omnia vitia prohibere, aut punire poteſt. Debuit itaque dari *Lex divina poſitiva*, qua etiam interni actus ad honeſtatem ſupernaturalem in particulari dirigerentur, & vitia Beatitudini oppoſita prohiberentur; unde Pſalm. 101. dicitur: *Lex immaculata, teſtimonium fidele, convertens animas, &c.* Itaque

I. DEUS pro omni naturæ humanæ ſtatu Legem tulit poſitivam; cùm omni tempore voluerit omnes homines ſalvos fieri, & ad ſuum finem ſupernaturalem, ſcilicet cœleſtem Beatitudinem pervenire. Siquidem in omni ſtatu erat obligatio eliciendi actus Virtutum Theologicarum, Fidei nimirùm, Spei, Charitatis; cùm ſine his; utpotè neceſſitate medii neceſſariis, nemo ex adultis, in quocunque demum ſtatu vitam æternam conſequi potuerit. Deinde ad particularia deſcendendo. I. *In ſtatu Innocentiæ*, fuit à DEO præceptum Adæ, & poſteris ejus de non comedendo fructu Ligni Scientiæ boni, & mali. II. *In ſtatu Legis Naturæ*, qui à lapſu Adæ uſque ad Legem Moſaycam protendebatur, fuit præceptum de Uſu remedii contra Peccatum originale. Item præceptum Circumciſionis datum Familiæ Abrahami. III. *In ſtatu Legis Moſaycæ* tulit DEUS Filiis Iſrael (non ob eorum merita, ſed ob promiſſionem factam Abrahæ, ex cujus ſemine Chriſtus erat naſciturus) Legem ſpecialem, quæ ſimpliciter dicitur *Lex Vetus*. De qua in hac, & ſequenti quæſtione agemus. IV. *in ſtatu Legis Gratiæ* (qui à Chriſto incœpit, & durabit uſque ad finem Mundi) Chriſtus Dominus pro Lege veteri, quam abrogavit, tulit novam, ſeu Evangelicam pro omnibus omnino hominibus, de qua Quæſtione quarta ſequenti. *Ita Pater Herincx de Legibus, diſput. 2. num. 1.* 74

II. Lex vetus, ſeu Moſayca triplicis generis Præcepta continuit: ſcilicet *Moralia, Cæremonialia, & Judicialia*. Moralia ſunt Præcepta Legis Naturalis in Decalogo comprehenſa. Cæremonialia ſunt Præcepta, quibus populus Iſraeliticos ſpeciali modo dirigebatur ad Cultum Divinum per Sacramenta, Sacrificia, victimas, & Olocauſta, per obſervantias particulares, Feſta, Jejunia, &c. licèt enim cultus DEI per Legem Naturalem, & Præcepta Moralia præſcribatur: modus tamen Deo cultum debitum exhibendi, verbi gratia per Sacramenta, Sacrificia, &c. à præceptis Cæremonialibus ſuperadditur: adeòque à præceptis Moralibus diſtinguuntur. Judicialia ſunt illa præcepta, quibus populus Iſraeliticus ordinabatur ad bonam, tum Oeconomicam, tum politicam gubernationem. Differunt etiam hæc à Moralibus: licèt enim Lex Naturalis per præcepta Moralia dictet juſtitiam eſſe ſervandam, & cuique jus ſuum eſſe tribuendum; modus tamen tribuendi cuicunque jus ſuum à præceptis judicialibus ſuperadditur. Ex quibus conſequitur, præcepta Moralia eſſe juris Naturalis; præcepta vero Cæremonialia, & judicialia eſſe juris poſitivi Divini. 75

Ubi tamen notandum ex *Reding, apud Paulum Mezger* 76
*tractat. 8. diſput. 33. artic. 1. §. 2. numer. 9.* Præcepta Moralia poſſe tripliciter conſiderari, ſeu poſſe in eis diſtingui triplicem ordinem. Nam primo per illa homo ordinatur ad honeſtum naturale, tanquam finem naturæ rationali, qua tali proprium; & ſic pertinent ad Legem Naturalem humanis mentibus à Deo Authore impreſſam. Secundò poteſt per illa homo ſub lumine Fidei Divinitùs revelatæ ordinari ad finem ſupernaturalem, ejuſmodi præceptorum obſervantia meritoriè conſequendum, & ſic pertinent ad novam Legem gratiæ. Tertiò per illa ordinabatur populus ad Meſſiam venturum, ut nempè obſervantia ejuſmodi præceptorum ſub promiſſione temporalium bonorum, majori puritate diſponeretur ad Chriſtum ex ſe naſciturum. Et ſub hac poſtrema conſideratione præcepta Moralia ſunt propria veteri Teſtamento. Jam ergo

III. Dico: Deus fuit immediatus Author, & Legiſlator veteris Legis, prout continetur in Libris Moyſis, ab Exodo uſque ad Deuteronomium incluſivè. Eſt communiſſima. Ratio eſt: quia *Exodi* 20. dicitur; *Locutus eſt Dominus cunctos ſermones hos:* & Chriſtus, Matthæi 15. Legem veterem vocat *Mandatum DEI*, dicens: *Irritum feciſtis Mandatum Dei propter Traditiones veſtras*: ergo Deus eſt immediatus Author, & Legiſlator Legis veteri, *prout continetur in Libris Moyſis, &c.* Non enim negari poteſt alias quaſdam Obſervationes; & Leges fuiſſe poſteà humana authoritate additas; de celebrando quotannis *Feſto Phurim, Eſter 9. & de Feſto Scenopægiæ 2. Math. 1.* ac ſimilibus. 77

Dices; *actorum* 15. Lex Moſayca vocatur à Sancto 78
Petro *Jugum importabile*: ergo nequit eſſe à Deo, contra

tra

Digitized by Google

tra cujus Sapientiam, & Bonitatem foret imponere ſuis ſubditis Jugum importabile.

Reſpondeo cum Patre Herincx *de Legibus, diſputat.* 2. *qu.* 1. *numer.* 5. Legem Moſaycam vocari *Jugum Importabile*: quia juxta ſervilem conditionem Iſraelitarum fuit dura, & difficilis, tum propter præceptorum multitudinem: tum propter quorundam auſteritatem, tum propter pœnarum ſeveritatem, tum denique propter gratiæ illius temporis parcitatem: cùm qua tamen erat obſervatu poſſibile, ſecundùm illud *Deuter.* 30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non eſt ſupra te.*

79 Inſtabis: Plura fuerunt in Lege veteri ordinata, quæ idcireò ſunt à Chriſto correcta, ut videre eſt *Matthæi* 5. ſimiliter *Deuteronomii* 23. permittitur Judæis, ut fœnerentur alienigenis: ergo Author, & Legiſlator Legis veteris non fuit Deus.

Reſpondeo. Chriſtum non correxiſſe Legem veterem tamquam malam, ſed partim eam explicaſſe contra perverſas quorundam Judæorum expoſitiones: tum, quando etiam concupiſcentiam internam, & otioſa juramenta damnat; cùm iſti ſolos actus externos, & perjurium exiſtimarent non licere: tum, quando dilectionem inimicorum præcepit, quorum odium putabant licere ex eo, quòd *Levitici* 19. dicatur: *Diliges amicum tuum ſicut te ipſum*, pravè inferentes à ſenſu contrario: *Et odio habebis inimicum tuum*. Partim imperfectionem illius Legis, perfectiora conſulendo, ſuppleviſſe: nam cùm in Lege dictum eſſet: *Oculum pro oculo, dentem pro dente &c.* Suadet; ut non quæramus vindictam de injuriis, etiam modo licito, qualis erat modus iſte in veteri Lege præſcriptus: ſed potiùs patienter feramus, præſertim, ubi Gloria DEI, & bonum proximi id ſuadent. Partim denique quædam imperfecto illi populo ſapienter permiſſa revocaſſe: prout abrogavit libellum repudii Judæis ob duritiam cordis eorum permiſſum, DEO veroſimiliùs faciente hoc eis licere per contractus Matrimonialis diſſolutionem. Prout etiam Uſura circa alienigenas eis veroſimiliùs fuit permiſſa, ſic ut licitè eam exegerint, DEO dante illis dominium rerum ſic extorquendum. *Ita noſter P. Herincx cit. num.* 8.

80 IV. Itaque Deus Legem veterem, quam ipſemet condiderat, miniſterio Angelorum tradidit Moyſi in monte Sinai, ab eoque ibidem fuit promulgata: ut patet ex Sacra Scriptura: ſiquidem Sanctus Stephanus Proto-Martyr *Actor.* 7. *verſu* 38. De Moyſe ſic ait ad Judæos: *Hic eſt, qui fuit in Eccleſia in ſolitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sinai, & cum Patribus noſtris, qui accepit verba vitæ dare nobis*. Et infra *verſ.* 53. *Accepiſtis Legem in diſpoſitione Angelorum*. Unde, & *Moſayca* dicitur, non quod ſit à Moyſe condita, ſed quia ab eo fuit promulgata. Accedit etiam Ratio congruentiæ: quia Lex vetus ex una parte erat præparatio ad Legem novam, & Chriſtum, ex altera verò parte non erat ſimpliciter perfecta, ſicut Lex nova; ergo non erat congruum, ut daretur immediatè per Deum hominibus, ſed Miniſterio Angelorum; Lex nova verò, utpote perfectiſſima daretur immediatè hominibus per Chriſtum Deum, & Hominem.

Duo tamen hiſce dictis obſtare videntur; *Primum*: quòd *Matth.* 19. *verſ.* 7. dicatur: *Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudii?* & *Marci* 10. *verſ.* 3. ipſemet Chriſtus Phariſæos interroget: *Quid vobis præcepit Moyſes?* ergo Moyſes videtur eſſe conditor Legis veteris, & non tantùm promulgator.

Reſpondeo. Nego conſequentiam. Nam licet ponatur hic terminus, *mandavit*, *præcepit*, non tamen inde licet inferre; Moyſen hujus mandati, ſeu potiùs ordinationis (*ut ait Gloſſa interlinearis*) Authorem eſſe, aliàs ex illis verbis Chriſti, *Marci* 7. *verſ.* 10. Moyſes enim dixit: *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam*; ſimiliter poſſet inferri Moyſen eſſe Authorem Decalogi: quod nemo admiſerit. Itaque textus illi ſic debent intelligi: *Quid ergo promulgavit vobis Moyſes ordinationem à DEO factam de libello repudii?*

Secundum: quod obſtare videtur, eſt, quòd Lex vetus ſæpiùs in Sacra Scriptura aſſeratur data in monte Horeb: *ut Deuteronom. capite primo, quarto, & quinto, & libro tertio Regum capite octavo*: ergo non fuit tradita in monte Sinai.

Verùm huic difficultati occurrit Divus Hieronymus in locis Hebraicis: Verbo *Horeb*, dicens, eundem montem duplici nomine fuiſſe nuncupatum, & nunc *Sinai*, nunc *Horeb* appellatum. In eandem mentem incidit *Pater Suarez libro nono de Legibus capite quinto*, dicens, veriſimile eſſe, montem *Sinai* fuiſſe quaſi nomen appellativum denominativum à vicino deſerto, quod vocabatur *ſolitudo Sinai*, *Exodi* 19. Nomen autem *Horeb* fuiſſe proprium, & præcipuam, ac excelſiorem ejus partem ſignificaſſe, & ab illa montem totum, *Montem Horeb*, & *Montem Dei* fuiſſe appellatum. Ita *Suarez cit.*

### §. II. *Per ſe loquendo ſolos obligavit Judæos.*

I. Lex vetus, ſeu Moſayca populum dumtaxat Hebræorum, ſeu ſolos Judæos obligavit. Ita communiter docent Theologi *cum Divo Thoma* 1. 2. *quæſt.* 98. *artic. quarto, & quinto, Scoto* 2. *diſt.* 28. *quæſt. unica, Maſtrio in moral. diſputatione ſecunda quæſt. quarta art. primo, Herincx citatus quæſt. ſecunda num.* 15. Ratio eſt: quia generaliter loquendo, nulla Lex obligat, niſi ſolùm eos, quibus intimatur, & promulgatur: at ſolis Judæis Lex vetus fuit intimata, & promulgata; ergo hos ſolos obligavit. Major patet ex ſupradictis de Lege in genere. Minor pariter conſtat ex *Exodi capite* 19. *& ſequentibus* ubi in memoratæ Legis promulgatione ſermo dirigitur ad ſolos Judæos; & ex *Deuteronomio capite quarto verſ.* 8. ibi; *Quæ eſt alia Gens ſic inclyta, ut habeat Cæremonias, juſtaque judicia, & univerſam legem? & Pſal.* 147. *Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis*: ergo Lex vetus ſolis Judæis fuit promulgata. 81

II. Confirmatur. Si Lex vetus obligaſſet alios præter Judæos, obligaſſet Gentiles; ſed hos non obligavit: ergo ſolos Judæos obligavit. Minor inde probatur, quod Gentiles ſine obſervatione Legis veteris ſalvari potuerint, & ſalvati ſint teſte *Divo Dionyſio Areopagita libro nono de Cœleſti Hierarchia*. Quos inter primo loco numeratur Huſſæus vates, videlicet *Job*, & quotquot juxta Legem Naturæ vixerunt: Neque aliter ſenſit Doctor noſter Subtilis, ut hæc ejus verba *in ſecunda diſt.* 28. *num.* 8. declarant: *Gentiles non ſervantes Legem Moſaycam potuerunt ſalvari ſola obſervantia Legis Naturalis ſuppoſito auxilio Divinæ Gratiæ.*

Congruentiam autem Sancti Patres hanc afferunt, ut Deus à populo Judaico, peculiari Fide, & Spe crederetur & ſperaretur, & majori affectu deſideraretur, ac pateretur, & denique, ut Progenitores Chriſti, multo tempore ante ejus Adventum, ſpecialiter eſſent cultores Dei cum tota ſua progenie, & natione.

III. Dictum eſt, quod Lex vetus ſolos obligaverit Judæos *per ſe loquendo*: quia potuiſſet gens aliqua Legem veterem aſſumere, & ſibi imponere. Deinde cuilibet liberum erat iſtam Legem profiteri, & ſeſe adjungere populo Dei per Circumciſionem, quæ erat janua veteris Legis, ſicut Baptiſmus novæ, ſecundùm illud Apoſtoli, *ad Galat.* 5. *Teſtificor omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ*. Quod etiam colligitur *ex cap.* 12. *Exodi: ſi quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam, & facere Phaſe Domini, circumcidetur priùs omne maſculinum ejus, & tunc ritè celebrabit, eritque ſicut indigena terræ.* Porrò quod multi gentiles ad Judæos convenerint, eorumque Legem receperint, conſtat ex illo *Eſther* 8 *In tantùm, ut plures alterius gentis, & Sectæ eorum* (puta Judæorum) *Religioni, & Cæremoniis jungerentur*. Cujuſmodi adſcriptitii gentis Judaicæ dicebantur *Proſelyti*. Undè ſicuti modò licitum eſt ſæcularibus ad Clericatum, & Clericis ad ſtatum Religioſum aſcendere, ita olim dicebat gentilibus tranſire ad Judaiſmum. Ita *Herincx citat.* Ex his. 82

IV. Inſeres, etſi præcepta moralia obligaverint etiam gentiles, in quantùm erant Juris naturalis, non tamen eos obligaſſe, in quantùm erant per poſitivam Dei juſſionem in Decalogo, ſeu Lege Moſayca renovata; ſed eatenùs ſolos Judæos, id eſt, poſteros Abrahæ deſcendentes ex Jacob, obligabant; qui proinde ex duplici capite tenebantur ea ſervare, nimirùm ex vi Legis Naturalis, & Legis Divinæ Poſitivæ. 83

### §. III. *Et quidem in Conſcientia, ac etiam ſub mortali.*

I. Lex vetus obligavit in Conſcientia, non tantùm quoad præcepta Moralia, & Ceremonialia, ſed etiam quoad Judicialia. *Ita unanimiter Doctores apud Herincx citatum numero* 10. Ratio eſt: quia Lex vetus data eſt modo præceptivo in materia capaci obligationis in conſcientia, idque à Deo; cui ſic obligare maximè competit: ergo cenſenda eſt de facto Lex vetus generaliter ſic obligaſſe, cùm non ſit alia commodior via colligendi, an ſit voluntas Dei de facto obligare. 84

II. Confirmatur particulariter *contra Gerſonem tractatu de Vita Spirituali Lectione* 2. *Corollario ſecundo, & ſeptimo* ubi contra omnes Theologos putat præcepta judicialia ad

ſolam

ſolam pęnam temporalem obligaſſe, præſertim, quando illam expreſsè imponunt, Confirmatur, inquam: quia Lex Judicialis eiſdem verbis mandatur, quibus Cæremonialis, aut moralis, *Deuteron.6.* & æqualiter ipſius obſervatio exigitur, ac ſub iiſdem comminationibus *Deuteron.4. & 8.* ac alibi.

III. Accedit, fundamentum *Gerſonis* eſſe nulliusmomenti, & ab ipſomet ſolvendum: nam nullo modo ſequitur. Legem in conſcientia non obligare ex eo, quod imponat pęnam temporalem: cùm utrumque rectè ſimul conſiſtat: imò ex graviſſimis pœnis, quæ in Lege veteri apponuntur, potiùs colligatur contrarium *à Scoto 3. diſt. 40. numer. 2.* Deinde pęnæ temporales etiam apponuntur aliis pręceptis, quæ *Gerſon* docet in conſcientia obligare. Sic violanti Legem Cærèmonialem Sabbati intentatur pœna mortis. Et licèt finis proximus Legis judicialis fuerit politicus: ultimatus tamen erat finis ſupernaturalis, ſcilicet Beatitudo, quam Judæi poterant illius obſervatione mereri. Quare ulteriùs

85 IV. Præcepta veteris Legis ex *genere ſuo* obligabant *ſub morali*. Ratio eſt: quia materia illorum eſt capax gravis obligationis, utpotè in ſe gravis. Nec Deus, ſaltem regulariter, dat Leges poſitivas de rebus levibus: cùm enim ſuponantur non eſſe ordinatu neceſſariæ, minùs deceret Deum, de illis dare Præcepta poſitiva. Dixi; *Ex genere ſuo*: nam parvitas materiæ regulariter excuſat à mortali, etiam in Jurę Divino poſitivo, ſicut in Jurę Naturali. *Herinex cit.*

### §. IV. *Non tamen cum periculo Mortis, niſi quoad Precepta Moralia Negativa, qua in Decalogo, continentur.*

86 I. LEx vetus non obligabat *per ſe loquendo* ad ſui obſervantiam cum periculo Mortis, niſi quoad pręcepta moralia negativa, quæ nimirùm in Decalogo continentur. Ita *communiter Doctores*. Ratio eſt; Nam quod ad pręcepta cęremonialia, & judicialia attinet, cùm illorum materia ex ſe non ſit neceſſaria ad honeſtatem creaturæ rationalis, non fuit conſonum Divinæ Providentię, talem obligationem imponere: adeòque cenſendus eſt Deus eam non impoſuiſſe, quamquam abſolutam illius poteſtatem id non excederet.

II. Confirmatur: Quia ob difficultatem, aut grave periculum Machabęi judicarunt non eſſe ſervandum Sabbatum *1. Machab.2.* & Chriſtus ipſe *Matth. 12.* excuſat Davidem, quòd fugiens à facie Saulis comederit panes Propoſitionis, quos non niſi Levitis edere licebat. Similiter Circumciſio non obligabat durante periculo mortis parvulorum, quæ etiam ob incommoditates, & pericula itinerum in deſerto fuerat intermiſſa.

Deinde quoad pręceptum affirmativum morale de colendo, & amando Deo attinet, non poteſt in eo locum habere periculum mortis, quandoquidem per actum internum impleri poſſit, quatenùs eſt de jure naturæ. Pręceptum verò honorandi parentes: cùm ſit affirmativum, adeòque non obliget ad ſemper, non videtur ſimiliter obligaſſe in tali periculo, ut cum illo mandaretur executioni; quandoquidem ordo Charitatis incipiat à ſeipſo. Ita *Herinex cit num.13.*

87 III. Pręcepta tamen moralia negativa, cùm in illis prohibeatur aliquid intrinſecè malum, obligabant cum periculo mortis, prout ex natura rei obligaſſent, etſi non fuiſſent à Deo in Decalogo renovata: nam pro morte vitanda non eſt pejerandum, fornicandum, blaſphemandum, mentiendum.

88 IV. Dictum eſt: Lex vetus non obligabat ad ſui obſervantiam cum periculo mortis *per ſe loquendo*: nam ſi obſervatio Legis Cęremonialis, vel judicialis fuiſſet neceſſaria ad vitandum contemptum Dei, vel Religionis, non excuſaſſet periculum mortis; ut confirmat exemplum Eleazari, *2. Machab. 6.* & ſeptem fratrum, eorumque Matris *cap. ſeq.*

## QUÆSTIO III.

*An, & quando Lex vetus, ſeu Moſayca ceſſaverit?*

## SUMMARIUM.

90 *Lex vetus fuit à Chriſto abrogata.*
91 *Oppoſitum ſenſerunt aliqui Heretici.*
92 *Lex vetus non tantùm deſiit obligare quoad precepta Caremonialia, ſed etiam quoad Judicialia,*
93 *Ac etiam quoad Moralia.*
94 *Non tamen lex vetus deſiit obligare ante mortem Chriſti.*
95 *Qualiter intelligatur illud:* Lex uſque Joannem.
96 *An Baptiſmus ante Chriſti mortem fuerit preceptus.*
97 *Quomodo Caremonia veteris legis potuerint ſervari tempore Adventus Chriſti.*
98 & 99 *Lex vetus non deſiit in morte Chriſti*, ſed in Pentecoſte.
100 & 101 *Reſponſio Thomiſtarum*, & ſolutio ejuſdem.
502 *Aliud eſt legem veterem eſſe mortuam, aliud eſſe Mortiferam.*
503 *Lex vetus, dum erat mortua, non ſtatim erat mortifera.*
104 *Reſponſio S. Hieronymi, & ſolutio.*
105 *Caremonia Legis veteris non poſſunt reſtaurari ab Eccleſia.*
106 *Quando lex vetus facta ſit Mortifera?*

## ASSERTIO III.

*LEx vetus ceſſavit introducto Evangelio: non tamen ſtatim deſiit obligare in Nativitate Chriſti, vel ante mortem illius, nec praciſè in Mortem Chriſti, ſed à promulgatione Legis nova facta in Pentecoſte: ubi licet fuerit mortua, non tamen ſtatim fuit mortifera, ſed aliquo tempore poſt illius abrogationem licitum fuit ſervare precepta Caremonialia, quamvis non fuerit neceſſarium.* Eſt communis, ut patebit explicatione. 89

### §. I. *Lex vetus ceſſavit introducto Evangelio.*

I. LEgem veterem deſiiſſe obligare, ac à Chriſto Domino abrogatam fuiſſe, fides docet: nam Sanctus Paulus *Rom.6.* ait; *Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia*, quod *capite ſeptimo*: declarat exemplo uxoris poſt mortem mariti liberæ à lege conjugii. Hoc ipſum inculcat Apoſtolus *in Epiſtola ad Hebraos*, & probat *capite ſeptimo* dicens; *Translato enim Sacerdotio, neceſſe eſt, ut & legis tranſlatio fiat*: & *ad Epheſios 2.* inquiens: *Legem mandatorum Decretis* (Evangelicis) *evacuans*. Vocatur autem lex vetus *Lex mandatorum*, ob mandatorum multitudinem: nam (ut teſtatur *Guilielmus Pariſienſis, Galatinus, & Abulenſis*) Præcepta Cæremonialia, & Judicialia fuere 613. inter hæc autem Præcepta *Negativa* fuerunt 248. *juxta numerum oſſium humani corporis*. Reliqua verò *Affirmativa 365. juxta numerum dierum anni ſolaris*, ut obſervavit *R. Moyſes apud Salas de Legibus, Tractatu decimoquarto dub.6. Sect. num.11.* 90

II. Oppoſitum ſenſerunt olim *Cerinthiani, Nazarei, & Ebionita teſte Sancto Auguſtino; hereſi 8.9. & 10.* putantes legem veterem in nova perſeverare: ac ſervandam eſſe cum Evangelio. Quorum fundamentum fuit, quod lex vetus ſubinde in Sacra Scriptura vocetur *aterna, & perpetua*. Item quod *Matth 5.* dicat Chriſtus: *Non veni ſolvere* legem, *ſed adimplere*. 91

Sed ad hęc facilis eſt Reſponſio. Nàm ad 1. dico, quod *ly aterna, & perpetua* interdum ſumitur pro duratione valdè diuturna, & hoc ſenſu lex vetus dicitur *aterna*, ſicut *Geneſ. 13.* promittitur Abrahæ, & ſemini ejus terra Chanaan in ſempiternum: cùm tamen illam jamdiu perdiderint. Addit Sanctus Auguſtinus, *quaſt.43. in Exodum*, legem veterem eſſe perpetuam, non ſecundum litteram, ſed ſecundùm ſpiritum, id eſt ſecundum res per legem figuratas, quæ ultimatè implebuntur in beatitudine.

Ad II. Dico, *ſolvere*, ibi non eſſe idem, quod *abrogare*: itaque Chriſtus legem implevit, tum quatenùs per eam prędicta, & præfigurata, fuere in Chriſto impleta: tum quatenùs Chriſtus contra verum legis ſenſum nil docuit: tum denique quatenùs eam ſervavit, quouſque fuit in vigore: tum denique quatenus ea, quæ perfectioni illius legis deerant, explicando, & perficiendo vetera, novaque addendo præcepta, ſupplevit, etiam vires gratiæ conferendo aliis ad eadem adimplenda. *Vide S. Chryſoſtomum Homil. 15. in Matth. circa medium.*

III. Quam-

Digitized by Google

92 III. Quamvis autem textus S. Scripturæ pro noſtra Doctrina allati potiſſimùm loquantur de Lege Cæremoniali, de qua ſpecialiter etiam præſens quæſtio movetur; pariformiter tamen etiam de lege judiciali indubiè eſt loquendum cum omnibus Doctoribus, & Catholicis, nimirùm quòd ſit à Chriſto abrogata. Nam Sacra Scriptura loquitur generaliter, & indefinitè pro ceſſatione Legis Moſaycæ, cujus magna pars, & quæ eam reddit ad portandum difficilem, fuit præcepta judicialia. Unde ab omnibus ſupponitur, non ampliùs urgere præceptum de non accedendo menſtruatam ſub pœna mortis; ſed ſolùm quæritur, an ex jure naturæ ſit aliqua obligatio non accedendi. Similiter certum eſt, Summum Pontificem hoc titulo diſpenſare poſſe in quibuſdam gradibus affinitatis, in quibus Lege judiciali prohibitum erat contrahere matrimonium; imò nunc quidam gradus ſunt prohibiti, qui tunc erant præcepti: ut quod frater debebat ſuſcitare ſemen defuncto fratri ſuo. *Ita Herincx Epiſcopus Iprenſis citatus qu. num.* 18.

93 IV. Ex quibus colligitur, idem eſſe dicendum de Lege morali, ſeu præceptis moralibus, quæ, etſi certum ſit manere materialiter, quatenùs illorum materia eſt jure naturali, ac etiam in Lege nova præcepta, vel prohibita, nihilominùs formaliter, ſeu in quantum erant pars Legis veteris, obligare deſierunt, ut docet *Divus Thomas* 1. 2. *qu.*98. *art.* 5. *Scotus* 4. *diſtinct. tertia qu. quarta ad* 1. *principale, Suarez, Medina, Tannerus, Ariada, Averſa, & alii communiter contra Bellarminum libro quarto de Juſtificatione. Vaſquez, & alios.* Ratio eſt, quia Lex moralis formaliter ſpectata fuit data, & promulgata ſolis Judæis, ut patet *Exodi* 20. *Ego ſum Dominus DEUS tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.* Ergo ex illa non obligantur alii in Lege nova, ſicut nec obligabantur Gentiles ante adventum Chriſti. Sed neque Judæi ampliùs obligantur; tum quia non eſt modò diſtinctio Judæi, & Græci: tum quia ſtatus Reipublicæ judaicæ, cui Lex vetus eſt lata, totaliter periit; tum quia non eſt ratio, cur generales ſcripturas dicentes legem eſſe poſitam, donec veniret ſemen, eamque nunc ceſſaſſe, etiam ad præcepta moralia non extendamus.

*Nec obſtat*, quòd Apoſtoli, quando docent præcepta moralia eſſe ſervanda à Chriſtianis, allegent verba veteris Teſtamenti: id enim non faciunt, quaſi illa præcepta velint ſpectare ad Chriſtianos, quatenùs erant veteris Teſtamenti: ſed quia in illis clarè proponitur jus naturæ, quod etiam obligat Chriſtianos. Qua ratione Theologi ſubinde ſumunt probationes ex veteri Teſtamento, quando ex illo haberi poteſt quid jure naturali à Chriſtianis ſit obſervandum.

## §. II. *Non tamen ſtatim deſiit obligare in Nativitate Chriſti, vel ante mortem illius.*

94 I. LEx vetus non deſiit in nativitate Chriſti: nec ante mortem illius. *Ita Divus Thomas* 1. 2. *qu.* 103. *art. tertio. Scotus loco citato, & communiter omnes apud Herincx citatum numero* 20. Ratio eſt: quia Chriſtus uſque ad mortem ſervavit Legem Moyſis in Circumciſione, in oblatione in templo, eſu Agnis Paſchalis &c. Item mundatos à lepra miſit ad Sacerdotes juxta Legis præſcriptum, ut ſcilicet de ſanatione judicarent; imo oppoſitam Phariſæorum calumniam à ſe repulit, monſtrando ſe nihil Legi contrarium facere, ac declarando verum illius ſenſum, qui uterque Legis adimplendæ modus à Chriſto ſignificatur, cùm dicit *Matthai* 5. *non veni ſolvere* legem, *ſed adimplere.*

95 II. Nec obſtat, quòd *Matthai* 11. dicatur; *Omnes Prophetæ, & Lex uſque ad Joannem prophetaverunt*: ergo Lex vetus ceſſavit, quando Joannes prædicare incepit.

Reſpondeo. Nego conſequentiam ſenſus enim illorum verborum eſt, quod Lex, & Prophetæ uſque ad Joannem prædixerint Chriſtum eſſe venturum: ille autem jam veniſſe oſtenderit. Vel quòd Lex, & Prophetæ uſque ad Joannem, promiſſiones bonorum temporalium prædicaverint; exinde verò cœperint evangelizari promiſſiones bonorum ſpiritualium, & regni cœleſtis.

96 III. At nunquid Baptiſmus, qui eſt primum novæ Legis Sacramentum, fuit à Chriſto inſtitutum ante mortem, ut docet *Scotus in* 4. *diſtinct.* 3. *qu.* 4. *num.* 2. ergo præceptum Baptiſmi cœpit obligare ante mortem Chriſti, ac proinde præceptum Circumciſionis jam tunc obligare deſiit. Quod conſequenter, & à fortiori etiam ſentiendum eſt de aliis præceptis Legis antiquæ.

Reſp. Neg. conſ. licèt enim Baptiſmus fuerit à Chriſto inſtitutus ante mortem, non tamen ibi fuit ſtatim in præcepto; ut tenet Doctor cit. itaque inſtituto ſemel Baptiſmo Circumciſio non fuit quidem ampliùs neceſſaria determinatè neceſſitate medii, cùm ad delendum peccatum originale illa non eſſet unicum medium, ſed ad hoc ſufficeret Baptiſmus; erat tamen neceſſaria neceſſitate præcepti; nam ita erat Legi antiquæ inſerta, ut ſignum eſſet fidelium qui Legem illam profitebantur; illoque proinde uti, dum Lex illa perſiſteret, neceſſarium fuit ex Dei præcepto. *Herincx cit. num.* 21.

97 IV. Adverte tamen, à tempore Adventus Chriſti non potuiſſe Cæremonias veteris Legis ſervari tamquam ſigna Meſſiæ venturi, quia tunc actu jam venerat; ſed, vel ſimpliciter tamquam figuræ Meſſiæ, vel tamquam figuræ Myſteriorum futurorum, quæ necdum erant impleta: cum præcipua in Paſſione, & morte forent implenda. *Ita Herincx cit. num.* 21.

## §. III. *Nec præcisè in morte Chriſti, ſed à promulgatione Legis novæ facta in Pentecoſte.*

98 I. CIrca hanc controverſiam duæ ſunt famoſæ ſententiæ in Schola Angelica, & Subtili: nam prima Sententia docet Legem veterem deſiiſſe obligare in ipſo puncto mortis Chriſti, etiam antequam nova inceperit promulgari in die Pentecoſtes. Ita apud noſtrum Maſtrium in Theol. Morali, *diſp.* 2. *qu.* 3. *art.* 1. D. Th. *l. c.* cum ſuis, & pluribus Recentioribus, Valentia, Vaſquez, Bellarmino &c. Secunda verò ſententia aſſerit, quòd licèt Mors Chriſti dederit cauſam ceſſationi ſecuturæ Legis Moſaycæ, tunc tamen non ſtatim Legem veterem expiraſſe, ſed eam deſiiſſe obligare in ipſo die Pentecoſtes, in quo facta fuit ſolemnis promulgatio Legis novæ. Ita Doctor noſter Seraphicus Divus Bonaventura *in* 4. *d.* 3. *p.* 2. *ar.* 3. *q.* 2. Doctor noſter Subtilis Joannes Duns Scotus *in* 4. *d.* 3. *q.* 4. Scotiſtæ omnes, ac etiam Suarez, Arriaga, Averſa, & alii Recentiores. Pro qua ſententia clariſſimè ſtat Doctor etiam mellifluus S. Bernardus, Epiſt. 77. ubi ait: *Ex eo tempore tantùm cuique cœpit antiqua obſervatio non valere, ex quo præceptum Baptiſmi inexcuſabiliter ad ejus notitiam potuit pervenire.* Hoc etiam docuiſſe videtur Conc. Tr. ſeſſ. 6. c. 4. ubi agens de tranſlatione ex ſtatu peccati originalis ad ſtatum gratiæ ait: *Quæ quidem Translatio poſt Evangelium promulgatum ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non poteſt.* Quibus verbis non obſcurè ſignificat, ante promulgatum Evangelium potuiſſe id fieri per circumciſionem: atqui Evangelium non eſt promulgatum, niſi à die Pentecoſtes, ergo. Cujus ulterior

99 II. Ratio eſt, quia Lex vetus non priùs deſiit, quàm nova cœperit obligare, cùm generatio iſtius ſit corruptio illius; juxta illud Apoſtoli *ad Eph.* 2. *legem Mandatorum decretis evacuans*, id eſt, Legem Moſaycam decretis Evangelicis excludens, ut exponunt S. Chryſoſtomus, Theophilactus, & Oecumenius ib. atqui Lex Evangelica non cœpit obligare ante diem Pentecoſtes: ergo ante illum diem Lex Moſayca obligare non deſiit. Major conceditur ab Adverſariis tum ob authoritatem primò allegatam: tum etiam, quia aliàs extitiſſet *ſtatus medius* abſque ulla lege poſitiva actualiter obligante: quod abſurdum eſſe ipſimet teſtantur. Minor, quam negant, ſic probatur. Lex ante ſui promulgationem non obligat, cùm promulgatio vel ſit de eſſentia legis, prout volunt Thomiſtæ; vel ſaltem conditio neceſſaria ad hoc, ut Lex actu obliget, prout docent Scotiſtæ: ſed Lex Evangelica non fuit promulgata ante Pentecoſten: cùm Apoſtolis antea publicè prædicare permiſſum non fuerit: ut habetur *Luca* 24. *vos autem ſedete in Civitate, donec induamini virtute ex alto*: ergo Lex Evangelica non cœpit obligare ante diem Pentecoſtes, & conſequenter.

100 III. *Reſpondent Thomiſtæ*, duplicem eſſe Legis promulgationem, *unam eſſentialem, & Legi ſufficientem*, quæ fit, quando Princeps, ut perſona publica, illam proponit, & intimat ſuis ſubditis in Curia exiſtentibus: alteram *Solemnem & Accidentalem*, quæ ad tollendam ſubditorum ignorantiam ordinatur, & fit, cùm Lex à Præcone per ſingulas Provincias, aut per omnes præcipuas civitates publicatur. Quamvis ergo Lex Evangelica hoc ſecundo genere promulgationis ſolùm in die Pentecoſtes promulgata fuerit ab Apoſtolis ut Chriſti præconibus: fuit tamen anteà ab ipſomet Chriſto Domino propoſita, & promulgata: ergo Lex Evangelica etiam ante diem Pentecoſtes jam cœpit obligare.

*Contra eſt*: quòd hæc Reſponſio probet Legem Evangelicam jam obligaſſe ante mortem Chriſti, cùm Chriſtus jam tunc illam intimaverit, & promulgaverit in ſua prædicatione, primo promulgationis genere: quod tamen Thomiſtæ negant. Unde licet Chriſtus potuiſſet per præviam illam promulgationem à ſe factam, inducere obligationem Legis, id tamen noluit: prout colligitur ex illo *Matth.* 10. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta*: ubi publicam, & ſolemnem promul-

Digitized by Google

mulgationem novæ Legis demandavit Apoſtolis; quæ proinde non ſolùm ordinabatur ad tollendam ſubditorum ignorantiam, ſed etiam requirebatur ad conſtituendam legem in ratione proximè obligantis: quia ab ipſomet Legislatore imperata fuit.

101 IV. Cætera, quæ objiciunt Thomiſtæ, v. gr. quòd Chriſtus moriturus dixerit *Joann. 19. conſummatum eſt*: quòd in morte Chriſti *velum templi ſciſſum ſit, & translatum Sacerdotium &c.* & quòd conſequenter Lex vetus in morte Chriſti ceſſaverit, & nova confirmata fuerit; ſimilia, inquam, ſolvi poſſunt, dicendo, quòd Lex vetus in morte Chriſti deſierit, & nova incœperit *Caſualiter, & Radicaliter*, non verò *formaliter, & actualiter*, prout advertunt *D. Bonaventura, Scotus, Suarez, Herincx, Maſtrius, & Alii*. Nec obſtat, quòd ſtatim poſt mortem Chriſti ſit reſerata janua cœli, & patres in limbo exiſtentes translati ſint ad ſtatum gloriæ, quòd Lex vetus præſtare non potuit. Reſpondetur enim, reſeratam tunc eſſe januam cœli; quia oblatum eſt ſufficiens, imò ſuperabundans pretium pro Redemptione hominum, ipſaque cœli apertione, & translatione patrum ad ſtatum gloriæ. Ex quo tamen non licet inferre, Legem veterem tunc expiraſſe: quia etiam ſtante lege veteri illa oblatio pretii potuit fieri, & facta eſt dependenter à meritis Paſſionis, & mortis Chriſti. Nec denique obſtat, quòd præcepta cæremonialia fuerint umbræ, & ſigna præfigurativa Mortis Chriſti futuræ: adeòque morte adveniente debuerint ceſſare: dum enim adeſt veritas, non poteſt ampliùs eſſe locus umbris, & ſignis. Reſpondetur enim, quòd præcepta ceremonialia fuerint umbræ, & ſigna præfigurativa mortis Chriſti ſecundùm id, quod importabant *ſecundariò*, & ſub hac ratione adveniente Chriſti morte debuerint ceſſare: ſecundùm id autem, quod importabant *primariò*, quatenùs ſcilicet præſcribebant ſpiritualem modum colendi Deum, perduravere uſque ad promulgationem Legis Evangelicæ.

§. IV. *Ubi licet fuerit Mortua, non tamen ſtatim fuit Mortifera, ſed aliquo tempore poſt illius abrogationem licitum fuit ſervare Præcepta Cæremonialia, quamvis non fuerit neceſſarium.*

102 De hac Quæſtione fuit olim gravis, & diuturna controverſia inter duo præclariſſima Eccleſiæ lumina, S. Hieronymum, & S. Auguſtinum, hoc aſſerente, uſum Cæremoniarum legalium aliquanto adhuc tempore poſt ceſſationem veteris Legis fuiſſe licitum, illo id acriter negante. Sed Sanctum Auguſtinum ſequuntur plerique Scolaſtici. Pro quo

I. Notandum, quod aliud ſit, præcepta veteris Legis eſſe *Mortua*, & aliud eſſe *Mortifera*. Mortua ex eo dicuntur, quòd careant efficacia obligandi ad ſui obſervantiam, mortifera verò ex eo, quod ſine gravi peccato obſervari non poſſint, adeòque ſui obſervatoribus animæ mortem inferant. Præcepta Legis veteris, *quà poſitiva*, ſtatim fuiſſe mortua in die Pentecoſtes, diximus in §. præcedenti an vero ſtatim fuerint mortifera? dicimus:

103 II. Lex vetus non ita deſiit obligare in die Pentecoſtes, ut quoad omnia ſua præcepta ſtatim fuerit mortifera, ſed aliquo tempore poſt illius abrogationem fuit licitum ſervare præcepta ceremonialia; quamvis non fuerit neceſſarium. Ita *S. Auguſtinus Epiſt. 19. ad Sanctum Hieronymum, Scotus in 4. diſt. 3. quæſt. 4.* & Alii communiter contra Divum Hieronymum. Ratio eſt, quia ipſimet Apoſtoli uſurparunt Cæremonialia iis in locis, ubi Lex nova jam cœperat, & vetus deſierat obligare: ut patet ex *Actorum 16.* ubi Saulus Timotheum, ex parte gentili, & matre judæa natum circumcidit, & *cap. 18.* ubi more Nazaræorum totondit caput in Cenchris, ac *cap. 21.* ubi de conſilio Apoſtoli Jacobi, & Seniorum uſus eſt legali purificatione cum judæis, ut illos ſibi conciliaret, & purificatus cum illis templum ingreſſus eſt: ergo licet lex vetus poſt publicationem novæ fuerit mortua, & deſierit obligare, non tamen ſtatim fuit mortifera quoad omnia ſua præcepta. Accedit congruentia; quia ſicut homines mortui ſolent aliquamdiu ante ſepulturam ſervari, ut cum honore ſepulturæ inferantur; ita decuit Legalia, poſtquam erant mortua, per aliquot tempus ſervari, ut mortua Mater Synagoga ſepeliretur cum honore; ſi cum ſtatim rejecta fuiſſet, præbita fuiſſet anſa hominibus exiſtimandi, veterem Legem fuiſſe malam: ergo &c. *Ita S. Auguſtinus cit.*

104 III. *Reſpondet* Sanctus Hieronymus Epiſtola ad Auguſtinum, quæ inter Epiſtolas ipſius Auguſtini connumeratur undecima, numquam Apoſtolos poſt Chriſti reſurrectionem Legalia obſervaſſe ſecundùm veritatem, ſed ſolùm ex quadam pia ſimulatione, ne ſcandalizarent judæos, & eorum converſionem impedirent. Verùm *contra eſt*: quòd ſi legalia tunc fuiſſent mortifera, ut ſentit Sanctus Hieronymus, non potuiſſent licitè uſurpari ſimulatoriè ab Apoſtolis, quia contra fidei profeſſionem eſt, uti cultu ſuperſtitioſo, & profiteri exterius falſam Religionem; cujuſmodi erat Religio judæorum quoad cultus illos, fuerant ſuperſtitioſi, & mortiferi.

Nec obſtat I. quòd Sanctus Paulus *ad Galatas 5.* dicat, *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit*: ait enim *S. Auguſtinus libro de Mendacio capite quinto, & in expoſitione capite 5. Epiſtola ſecunda ad Galatas*, Apoſtolum intelligendum eſſe de circumciſione cum opinione neceſſitatis ſuſcepta, quaſi ſcilicet vi Legis veteris eſſet obſervatu neceſſaria ad juſtificationem, & ſalutem conſequendam; quod utique fuiſſet erroneum, & malum; non verò de circumciſione cum opinione liceitatis ſuſcepta; qua ratione idemmet Apoſtolus Timotheum circumcidit: Titum verò noluit circumcidere; quia Titus gentilis erat, cui proinde uſus Legalium non ita licuit, ſicut judæis; ſiquidem ideò uſus Legalium aliquamdiù judæis permittebatur, ut mortuam matrem ſuam Synagogam ſepelirent cum honore, aliàs daturi occaſionem opinandi, Legalia, & alia antiquæ Legis præcepta fuiſſe mala, & illicita. Secùs erat de Gentilibus, utpotè, qui de gremio prædictæ matris non erant.

Nec obſtat II. quòd Sanctus Paulus *ad Galatas 2.* reprehenderit Sanctum Petrum, eò quòd legalia uſurpaſſet, ſe à gentilibus Antiochenis recenter converſis ſegregando, & vivendo judaicè cum judæis, qui Jeroſolymis à Jacobo advenerant. Reſpondetur enim, Sanctum Petrum jure quidem eſſe reprehenſum a Sancto Paulo, non quod ſimpliciter uteretur ceremoniis judaicis poſt abrogationem Legis veteris (hoc enim fecerat, & ipſe Sanctus Paulus, ut ſupra dictum) ſed quod uteretur cum aliquo ſcandalo infirmorum; adeò ut Chriſtiani ex ejus facto inducerentur ad exiſtimandum, obſervationem Legalium adhuc eſſe neceſſariam, & ita quodammodo cogerentur judaizare: prout ſignificant verba illa Pauli ad Petrum *ad Galatas c. 2. Si tu Judæus cum ſis gentiliter vivis, & non Judaicè, quomodo cogis gentes Judaizare?* ac ſi diceret; quomodo fieri poteſt, ut tuæ converſationis exemplo gentes convertas? quo facto Petrum peccaſſe venialiter, poſt *Sanctum Auguſtinum* docent *Doctores Angelicus, & Subtilis*, ac Alii plures; licet *Baronius relatus à Suarez libro nono de Lege veteri capite 20.* & quidam Alii putent peccaſſe tantum materialiter ex quadam inconſiderantia. Quin etiam *Suarez citat.* nequidem in hoc conſentit, ratus, in illo actu Petri tantùm fuiſſe defectum majoris Boni ut ſic, ſaltem hoc certum videri debet, non peccaſſe graviter, propterea quod jam confirmati eſſent Apoſtoli in gratia per Spiritum Sanctum *Herincx cit. quæſt. 4. num. 26.*

IV. Ex dictis colligitur, Cæremonias Legis veteris de 105 facto ab Eccleſia reſtaurari, aut uſurpari non poſſe, *ſaltem formaliter*, id eſt, ex vi memoratæ Legis, & cum intentione per eas, quæ ſignificantes Myſteria Chriſti, ut futura, colendi Deum: hoc ipſo enim, quòd hujuſmodi Myſteria, ut futura repræſentare nequeant, cultum falſum, & illicitum continent. *Ita habet communis fidelium ſenſus.* Dixi *formaliter, & cum præpoſtera illa intentione*; hac enim ſecluſa, & materialiter ſolùm ſæpe dictas Cæremonias obſervare, puta, ob alium quempiam finem, v. g. recuperandæ ſanitatis cauſa à ſe lavando, nullam culpam importat;

Porro præcepta judicialia materialiter ſpectata pariter reaſſumi poſſunt, & à Regibus de novo præcipi: quia ex natura ſua non ad cultum, & ſignificationem Chriſti venturi, ſed potiùs ad ſervandam in politico regimine æquitatem ordinata erant. Idem dicendum eſt de quibuſdam Cæremoniis minutioribus materialiter conſideratis: nam, & ipſæ ob moralem Eccleſiæ utilitatem præceptæ, ſive permiſſæ ſunt: ut patet de quibuſdam Sacris veſtibus, & ſimilibus; ſicut etiam Eccleſia miniſtris ſuis ad congruam eorum ſuſtentationem ſolvi jubet decimas, & puerperis permittit (non obligat) ut certo tempore ab ingreſſu Eccleſiæ abſtineant, ex quadam decentia veluti negativa.

*Quæres, quo præcisè tempore Lex Moſayca cœperit eſſe mortifera?*

Reſpondeo, hoc eſſe dubium, & incertum. Non pau- 106 ci Thologorum exiſtimant, illam ſolùm cœpiſſe eſſe mortiferam quadrageſimò circiter poſt Chriſti mortem anno, poſtquam Evangelium ſufficienter jam toto orbe judæis promulgatum fuit per Apoſtolos, templumque Jeroſolymitanum unà cum ſtatu reipublicæ judaicæ à Romanis Imperatoribus everſum; tunc enim non erat ampliùs neceſſarium deferre honorem Synagogæ jam extinctæ, aut

con-

Digitized by Google

condeſcendere judæis, tamdiù Divinæ vocationi pertinaciter reſiſtentibus. Alii contra autumant, Legem Moſaycam jam ante cœpiſſe eſſe mortiferam, nimirùm viventibus adhuc Apoſtolorum principibus Petro, & Paulo, qui ſuam vitam non prorogarunt ad quadraginta annos poſt Chriſti Aſcenſionem, ſed ſolùm ad 35. vel 36. quia jam tunc Evangelium ſufficienter erat promulgatum, prout teſtatur Apoſtolus ad *Rom. 8. Sed dico, nunquid non audierunt? & quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terrævaerba eorum.*

## QUÆSTIO IV.

### *De Lege Nova, ſeu Evangelica.*

### SUMMARIUM.

108 *Lex Evangelica variè nominatur.*
109. *Chriſtus eſt Legiſlator Legis Evangelicæ.*
110 *Quæ multis modis legem veterem excellit.*
111 & 112 *Aſſignatur Excellentia legis Evangelicæ ſupra veterem.*
113 *Lex Evangelica continet præcepta Moralia, Sacramentalia, & Theologalia.*
114 *In quo ergo conſiſtat libertas Chriſtiana, ſi tot ſint præcepta in lege nova?*
115 *An lex Evangelica etiam contineat præcepta judicialia?*
116 *Lex Evangelica obligat omnes homines, & quidem in Conſcientiâ.*
117 *Lex Evangelica incœpit obligare in die Pentecoſtes,*
118 *Et durabit uſque ad finem mundi.*
119 *Cur lex vetus non duraverit uſque ad finem mundi?*
120 *Cur lex nova non ſit inſtituta à principio mundi?*
121 *Lex Evangelica eſt à Deo abrogabilis, & diſpenſabilis;*
122 *Non tamen ab Eccleſia, vel à Summo Pontifice.*
123 *Solvuntur objectiones.*
124 *Lex nova patitur interpretationem humanam, non tamen propriè EpiKeyam.*

## ASSERTIO IV.

107 *CHriſtus Dominus inſtituit Legem Novam, ſeu Evangelicam, quæ ad legem veterem comparata multis eam modis excellit: continet triplicia præcepta, & obligat in Conſcientiâ omnes homines: incæpit obligare in die Pentecoſtes, & durabit uſque ad finem mundi: & licet per Poteſtatem Divinam ſit abrogabilis, & diſpenſabilis, non tamen per poteſtatem humanam.* Ita communiter Theologi apud Maſtrium *in Theol. morali, diſput. 2. quæſt. 3. art. 2.* Herincx *cit. q. 5.* & alios.

### §. I. *Chriſtus Dominus inſtituit Legem novam, ſeu Evangelicam, quæ ad Legem veterem comparata multis eam modis excellit.*

108 LEx Evangelica variis appellatur nominibus; nam *ad Rom. 3.* vocatur *lex fidei*, & *cap. 8. Spiritus vitæ*, *Joann. 1.* appellatur *Gratia. Jacobi 6. lex libertatis*: Denique vocatur *lex nova*, vel quia totum hominem per gratiam renovat, ut ait *S. Auguſtinus tract. 65. in Joannem*: vel quia eſt ultima lex à Deo data, quæ priorem antiquavit, ut ſentit *Cyrillus libro nono in Joannem capite vigeſimo quarto.*

109 I. Hanc ergo Legem Evangelicam Chriſtus inſtituit. Eſt de Fide contra Hæreticos quoſdam noſtri temporis: dicentes Chriſtum Jeſum eſſe hominibus datum, ut Redemptorem, cui fidant, non autem, ut legiſlatorem, cui obediant, quibus dicitur anathema *à Concilio Tridentino ſeſſ. 6. can. 21.* Ratio eſt; quia *Iſaiæ 2.* dicitur: *de Sion exibit lex, & cap. 33. Dominus Judex noſter, Dominus legiſer noſter, Dominus Rex noſter, ipſe ſalvabit nos*, & in Evangelio paſſim Chriſtus de lege ſua loquitur; ut Joann. 14. *Mandata mea ſervate, & Matth. 28. Docentes eos ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis.* Idem patet ad Hebræos 2. & alibi: ergo Chriſtus eſt Legiſlator legis Evangelicæ.

110 II. Quæ Lex Evangelica ad veterem comparata multis eam modis excellit. Quam Legis Novæ excellentiam expreſſit Apoſtolus *ad Galat. 3. ad Hebr. 7. 8. & 9.* aliiſque locis. Poteſt autem hæc excellentia demonſtrari inſtituendo comparationem, *Primò* in cauſa efficiente; nam licèt Author utriuſque legis ſit Deus, hoc tamen intereſt, quòd veterem legem dederit per Miniſterium Angelorum; novam autem per Unigenitum Filium ſuum, ut tradit Apoſtolus *ad Hebræos 2. Secundò* in materia utriuſque legis; nam in primis Myſteria Sanctiſſimæ Trinitatis, Incarnationis, & Redemptionis, aliaque in lege veteri occulta, aut imperfecta cognita ſunt in Evangelio apertè revelata. Ob quod Sanctus Auguſtinus vetus teſtamentum vocat occultationem novi, & novum Teſtamentum appellat revelationem veteris. Et ad idem ſignificandum, Moyſes, dum loqueretur ad populum, faciem velabat; nobis autem Chriſtus revelata facie eſt locutus, *2. Cor. Tertiò* Materiam etiam moralem pravis interpretationibus corruptam lex nova illuſtrat, perfectiſſima morum Conſilia adjicit, & internos animi motus magis, quàm Lex vetus dirigit; Sacrificiis etiam, & Cæremoniis veteribus propè infinitis ſucceſſit efficax, & incomparabile Sacrificium, *& Sacramenta numero pauciſſima, obſervatione facillima, ſignificatione præſtantiſſima, ut loquitur Sanctus Auguſtinus Epiſt. 118. ad Januarium cap. 1.*

III. *Tertiò*, ſi formam ſpectemus, Lex nova non fuit 111
ſcripta in membranis, aut tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus, per proprium Verbum Dei Hominis, Spiritu Sancto per abundantiam gratiæ cooperante, ut ex vaticinio Jeremiæ docet Apoſtolus *ad Hebræos 8.* Quamvis proceſſu temporis varia Myſteria, & ordinationes novæ legis, ſint Evangelicis, aut Apoſtolicis ſcriptis inſerta. *Quartò.* Quia lex nova eſt finis legis veteris ſecundùm Apoſtolum, ad *Rom. 10. finis Legis Chriſtus.* Unde *umbra habet futurorum*, ut dicitur ad *Hebræos 10.* At *veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt. Joann. 1.* & Apoſtolus *ad Hebræos 4.* Legem novam vocat conſummationem veteris. Quare lex nova ſe habet ad veterem, ſicut corpus ad umbram, & in ea continetur, ſicut perfectum in inchoato, ut habet *D. Thomas quæſt. 107. art. 3. Quintò*, ſi effectum utriuſque legis ſpectemus, lex vetus continet mandata, non gratiam, qua impleantur, ſed hanc ex fide in Chriſtum, & lege nova velut emendicat, juxta illud *Act 4. neque enim aliud nomen eſt ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Quod etiam de illis, qui Chriſtum præceſſerunt, debere intelligi, optimè docet *S. Auguſtinus Epiſt. 157. ad Optatum.* Sed lex nova continet ſpiritum fidei, & gratiæ, veramque juſtitiam, & Sanctitatem cum ejuſdem Authore adfert. Deinde lex nova etiam hac in parte excedit, quod gratiam ſibi propriam multò copioſiùs conferat, quàm fuerit ex fide in Chriſtum venturum tempore veteris legis collata. Denique quod contineat ſeptem Sacramenta, quæ ſunt abundantia gratiæ vaſa, quam conferunt ex opere operato.

IV. *Sextò* plures aliæ differentiæ aſſignari poſſunt, ex 112
quibus præſtantia legis novæ eluceſcat; ut, quòd ſit magis univerſalis ex parte locorum, temporum, & perſonarum. Item quòd ſit filiorum, lex vetus autem ſervorum. Denique lex nova non eſt adeo oneroſa, ſecundùm illud Chriſti apud *Sanctum Matthæum cap. 11. Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Nec obſtat præcepti de Confeſſione difficultas: eam enim plurimum lenit, tum Confeſſionis ſigillum, tum Sacramenti iſtius utilitas, nempe reconciliatio cum Deo etiam ſola attritione obtinenda, quam (ut ait *Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. c. 3.*) *interdum in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conſcientiæ pax, ac ſerenitas cum vehementi Spiritus conſolatione conſequi ſolet.* Accedit copioſus Spiritus charitatis, & gratiæ, quam ex ſe lex nova adfert, qui hæc, & nonnulla alia legi carnis adverſa reddit ſuavia; ſiquidem amanti nihil difficile: ut ſimpliciter dicendum ſit cum *Sancto Joanne Epiſt. 1. cap. 5. Mandata ejus gravia non ſunt.* Cum tamen in veteri lege præceptorum multitudo, variorum ſumma difficultas, gratiæ aliunde mutuatæ, pretio redemptionis needum perſoluto, parcitas, eam redderent importabilem, ut illam vocat *Divus Petrus Actu decimo quinto.*

### §. II. *Continet triplicia Præcepta, & obligat in Conſcientia omnes homines.*

I. LEx nova non ſolùm continet præceptum fidei: 113
ſed varia alia præcepta, quæ congruè poſſunt diſtingui *in Moralia, Sacramentalia, & Theologalia.* Eſt de fide ex *Tridentino ſeſſ. 6. can. 19.* contra Sectarios noſtri temporis; qui exiſtimant ſolam fidem eſſe præceptam, ſicut hanc ſolam putant juſtificare, & ſufficere ad ſalutem. Ratio eſt; quia *Matthæi 5.* Salvator noſter legem naturalem renovat, & perfectius declarat, ſæpius repetens. *Ego autem dico vobis &c.* Significans ſe iſta pro tempore Evangelii mandare. Unde tantùm abeſt Chriſtum à Lege Naturæ; ſeu morali exemiſſe Chriſtianos, ut Sanctus Paulus Apoſtolus *ad Galatas 6.* & alibi fures, alioſque legis moralis tranſgreſſores à Regno Dei etiam in lege nova exclu-

cludendos denuntiet. Deinde præcepta Sacramentalia dedit Chriſtus *Joan. 3. niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum DEI, Joann. 6. niſi manducaveritis carnem filii hominis &c. Luc. 22.* de novo Sacrificio ait Chriſtus: *Hoc facite in meam Commemorationem*, & alibi. Poſtremo Præcepta quoque Theologalia ſeu virtutum Theologicarum inſtituit *Marci 16. qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Matth. 22. & Luca 10.* inculcat præceptum illud: *Diliges Dominum DEUM tuum ex tote corde tuo*. Et alibi frequenter tum in Evangelio, tum in ſcriptis Apoſtolorum neceſſitas fidei, & charitatis monſtratur. Ubi tamen eſt obſervandum, omnia Legis novæ præcepta ad aliquod ex hoc triplici præceptorum genere pertinere. Nihilominùs in Lege nova continentur etiam quædam Concilia moralia, quæ idcircò *Evangelica* dicuntur, nempè paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ.

114 II. Dices: *In quo ergo conſiſtit libertas Chriſtiana, ſi Lege Chriſti tot contineantur Præcepta:* Reſpondeo, libertatem Chriſtianam non eſſe ſitam in hoc, quod ſimus liberi ab obſervantia præceptorum DEI: ſed primo in libertate à ſervitute peccati & morte, juxta illud *Joan. 8. omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati: ſi ergo vos filius liberavit, verè liberi eritis*, Et *ad Rom. 6. liberati à peccato, ſervi facti eſtis Juſtitiæ*. Secundo in libertate à Jugo Legis Cæremonialis & Judicialis Judæorum; *ad Gal. 4. Quomodo iterum convertimini ad infirma & egena Elementa, quibus denuò ſervire vultis*. Eſt autem notanda differentia inter eſſe *ſub Lege*, & eſſe *in Lege*, quam notavit *D. Auguſtinus in Pſalm. 1.* Judæi erant ſub Lege: quia tanquam ſervi ſubjecti erant pœnis, & terroribus legalibus. Nos ſumus in Lege, quia tanquam filii ex amore, & charitate vivimus ſecundùm Legem. Hoc ſenſu Apoſtolus *1. Corinth. 9.* negat ſe eſſe ſub Lege, & affirmat ſe eſſe in Lege.

115 III. Quæres: *An Lex Evangelica etiam contineat Præcepta Judicialia?* Reſp. negativè. Ratio eſt: quia Chriſtus non aſſumpſit ſibi regnum temporale juxta illud *Joan. 18. Regnum meum non eſt de hoc mundo:* neque voluit Judicem agere temporalem, ut conſtat *ex Luc. 12. Quis me conſtituit Judicem ſuper vos?* quare licèt ad gubernandam debitè Eccleſiam aliqua præcepta judicialia ſint neceſſaria ſuppoſita hominum infirmitate; quia tamen Chriſtus optavit, ut ejuſmodi infirmitatem ſuperare uteremur, ſimilia præcepta non poſuit, ſed ea ponendi poteſtatem reliquit Eccleſiæ, prout videretur pro occurrentibus occaſionibus locis & temporibus opportunum, aut neceſſarium: qualia præcepta & modò ſtatuta ſunt à Jure Canonico.

116 IV. Lex nova obligat omnes homines, & quidem in conſcientia. Eſt de Fide. Ratio primi eſt: quia Chriſtus *Matth. ultim.* ait: *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo, & in terra: euntes ergo docete omnes gentes &c.* & *Marci ultim. Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni Creaturæ*; ubi nomine omnis creaturæ venit homo, prout pulchrè declarat *S. Gregorius Homil. 29. in Evangelia:* ergo &c. Idem patet ex eo, quod ſicut Chriſtus eſt omnium hominum Redemptor, ita opportuerit ipſum inſtituere Legem pro omnibus, per quam ad ſanctificationem & ſalutem pervenirent. Ratio ſecundi eſt: quia illa Lex obligat in conſcientia, quæ obligat ſub reatu pœnæ æternæ incurrendæ; cùm hæc neceſſariò ſupponat obligationem habitam in conſcientia, & culpam contra talem obligationem contractam: ſed Lex nova obligat ſub reatu pœnæ æternæ incurrendæ: ergo obligat in conſcientia. Minor probatur ex illo *Marci 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur:* & *Joan. 8. ſi non credideritis, quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro:* ergo Lex nova obligat in conſcientia, & quidem regulariter ſub *culpa gravi*, ob eaſdem rationes, ob quas in quæſtione ſecunda præcedenti, num. 85. diximus, ita obligaſſe Legem veterem. Poteſt tamen & hic dari parvitas materiæ à mortali excuſans, ut in confeſſo eſt. An autem Lex Evangelica obliget cum periculo mortis, vel gravis damni, reſolvit *P. Patritius Sporer tract. 1. progm. Theol. Moralis, c. 2. Sect. 4. n. 52. ubi videri poteſt*.

*§. III. Incępit obligare in die Pentecoſtes, & durabit uſque ad finem mundi.*

I. LEx nova incępit ſolùm obligare in die Penteco- 117
ſtes, quandu ſolemniter fuit promulgata. Ita *communiter Doctores*. Item tradit *S. Auguſtinus 119. capit. 56. S. Leo Papa Serm. 1. in Feſto Pentecoſtes*. Ratio eſt: quia ante hanc diem Lex nova non fuit ſolemniter promulgata ante hanc diem non cępit obligare, cùm promulgatio requiratur ut neceſſaria conditio, ad hoc, ut Lex actu obliget juxta dicta *Sect. 1. q. 1. num. 11.* ubi tamen notandum, quod ait *Doctor Subtilis in 4. d. 3. q. 4.* videlicet tempus obligationis Legis Evangelicæ non fuiſſe idem apud omnes, ſed poſt ſolemnem ejus prædicationem in Jeruſalem in die Pentecoſtes, inde ſucceſſivè perveniſſe ad alias civitates; ita ut ſecundùm ordinem cuilibet loco vel genti tempus obligationis inſtaret, ſecundùm quod publicè & ſolemniter Lex Evangelica prædicabatur; ita quod tempus non incępit ſimul apud quoſcunque, ſed quibuſdam populis incępit ad menſem poſt ſolemnem prædicationem in Jeruſalem, & aliquibus ad annum, aliquibus ad decem annos & ſic deinceps, ſicut eis prædicabatur. Cùm autem per 40. circiter annos Lex nova toti mundo potuerit promulgari; hinc etiam poſt tot circiter annos poſt Chriſti Paſſionem elapſos totum videtur mundum obligaſſe.

II. Lex nova durabit uſque ad finem mundi: *eſt de* 118
*fide*, idque voluit Chriſtus *Matth. 28.* dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*. Similiter dum *Matth. 16.* talis ſtabilitas Eccleſiæ Chriſti aſſeritur, ſimul ſtabilitas Legis Chriſtianæ oſtenditur. Unde novum Teſtamentum, & Regnum Chriſti dicitur æternum *ad Hebr. 13.* & in Conſecratione calicis. Item *Apoc. 14. Danielis 2.* & alii.

III. Aliud fuit de Lege veteri, quam hoc ſenſu non 119
dici æternam, patet ex eo, quòd conſtet illam fuiſſe figuram & umbram novæ Legis. Imò in ipſo veteri Teſtamento Lex nova promittitur *Jerem. 31. Malach. 1. & alibi*. Hoc autem non habet locum in Lege Evangelica, quin imò de ea expreſsè dicitur *Dan. 2. in æternum non diſſipabitur, alteri non tradetur, ſtabit in æternum*. Et *Pſal. 109* de Sacerdotio Chriſti dicitur: *Juravit Dominus, non pænitebit eum, Tu es Sacerdos in æternum*.

IV. Cur autem ſimiliter Lex nova non ſit à principio mundi inſtituta, congruentia poteſt aſſignari ex perfectione Legis novæ: non enim aliquid ad perfectum adducitur ab initio, ſed quodam ſucceſſionis ordine. Deinde oportuit hominem ſibi in ſtatu veteris Legis relinqui, ut infirmitatem ſuam in peccatum labendo cognoſcens, recognoſceret ſe gratia indigere, ſecundùm illud Apoſtoli *ad Rom. 3. omnes peccaverunt, & egent Gloria DEI*. Denique non decuit Legem novam, quæ eſt Lex Gratiæ, dari opere Redemptionis necdum per Chriſtum conſummato. Unde dicitur *Jo. 7. nondum erat Spiritus datus, quia JESUS nondum erat glorificatus*.

*§. IV. Licèt per Poteſtatem Divinam ſit abrogabilis & diſpenſabilis, non tamen per Poteſtatem humanam.*

I. CErtum eſt, Legem Divinam poſitivam poſſe à DEO 120
ejus Authore abrogari, ac diſpenſari; hoc enim ex illo generali deducitur principio, quòd quilibet Legislator Legem ſuam mutare poteſt, ac diſpenſare, quod maximè in ſupremo Legislatore, qualis eſt DEUS, locum habere debet; tum etiam ex facto ipſo, quo conſtat, DEUM Legem veterem abrogaſſe, quæ verè Divina erat. Certum etiam eſt potuiſſe ipſum DEUM, potuiſſe Chriſtum, dum ſuam Legem condidit, talem poteſtatem eam diſpenſandi committere Eccleſiæ, ſive Petro & Succeſſoribus ejus, ſicut poteſt quicunque Superior alteri facultatem committere diſpenſandi in ſuis Legibus, & præceptis. Quæritur ergo, num talis poteſtas de facto Eccleſiæ ſit conceſſa, & ſpecialiter, num poſſit Summus Pontifex aliquando ex cauſa gravi, & neceſſaria diſpenſare in præceptis novæ Legis, in caſu, quo alioquin præcepta ipſa verè obligarent; in qua controverſia

II. Communis eſt Theologorum Sententia, non adeſ- 121
ſe in Eccleſia poteſtatem diſpenſandi in Lege nova, ſeu Evangelica. Et ita defacto agnoverunt, & ſervaverunt ipſi Summi Pontifices, Leo Papa, ut refertur *capit. ſicut quædam, dub. 13.* Urbanus Papa, ut refertur *capit. ſunt quidam 25. quæſt. 1.* Zozimus Papa, ut refertur *c. contra ſtatuta*, ibidem, & Marcellinus Papa, ut refertur



Digitized by Google

tur *c. omnes*, ibidem. Et hoc etiam Ratio ipſa ſuadet; quia univerſaliter loquendo inferior non poteſt per ſe diſpenſare in Lege Superioris: ergo tantò minùs poterit humana poteſtas in Lege DEI diſpenſare. Et quamvis Chriſtus potuiſſet talem concedere facultatem Petro, & Succeſſoribus ejus; tamen de facto Chriſtum talem poteſtatem Petro, & ſucceſſoribus ejus contuliſſe non legitur: quia expediebat in Eccleſia extare principalia inſtituta, & præcepta firma, ac ſolida, quæ eſſent prorsùs immutabilia, atque ideò eſſent apud omnes fideles, & in omni tempore ſemper uniformia, ut ita firmitas, & unitas Chriſtianæ Eccleſiæ ſemper, & ubique appareret. *Ita Maſtrius cit. qu. 3. art. 2. n. 77.*

123 III. Nec oppoſitum deduci poteſt ex illis verbis Chriſti Domini *Matth. 16.* quæ Petro dixit: *Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*; ſi enim quis ex his verbis velit, aliquam diſpenſationem in Lege Chriſti eſſe poſſibilem in Eccleſia, poſſet eodem modo dicere, omnes in omni Chriſti Lege diſpenſationes fieri poſſe, quia verba illa indefinita ſunt, & univerſalia, nec magis unam, quàm aliam diſpenſationem indicant eſſe poſſibilem: omnem autem Chriſti Legem ab Eccleſia eſſe diſpenſabilem nemo ſanæ mentis aſſerere poteſt. Illis ergo verbis nil aliud conceſſum eſt Pontifici, quàm Jurisdictio ſupra homines in ordine ad abſolutionem, retentionem abſolutionis Sacramentalis, excommunicationem &c. & hoc pacto omnes ſacri Doctores, & Eccleſia ipſa, ac Summi Pontifices, verba illa intellexerunt. Ita *Maſtrius cit. at.* Nec obſtat, quòd aliqui dicant, factam eſſe diſpenſationem in quibuſdam terris ad ſacrificandum in ſolo pane ob penuriam vini; quia hujus diſpenſationis nullum apparet veſtigium, cùm tamen ibi penuria perſeveret. Cùm etiam ex commiſſione Summi Pontificis ſimplex Sacerdos Sacramentum Confirmationis, & quoſdam Ordines adminiſtrat, non diſpenſatur in Lege Chriſti, ſed fit, quod ipſe ordinavit: cùm inſtituerit Miniſtrum ordinarium iſtorum Sacramentorum Epiſcopum; Extraordinarium autem etiam ſimplicem Sacerdotem. Ita Herincx *cit. diſp. 2. quæſt. 5.*

124 IV. Nihilominùs Lex nova patitur Interpretationem humanam, non tamen propriè Epikiam. Ita *Herincx cit.* Prima pars patet ex praxi Doctorum, & Eccleſiæ. Ratio eſt: Quia cùm Lex poſitiva DEI non ſit menti inſcripta quoad omnes illius circumſtantias, ſed debeat exteriùs proponi, poteſt ſenſus verborum talis Legis, ſicut cujuſvis alterius Legis poſitivæ, declarari, & explicari. Quæ explicatio erit certa, vel probabilis, prout explicantium certa, aut probabilis eſt auctoritas: ideòque explicatio facta à Concilio Generali aut à Papa, eſt infallibilis; quæ autem procedit à privato Doctorum judicio, eſt fallibilis. Secunda pars etiam patet: Quia Epikia eſt emendatio Legis generaliter expreſſæ in caſu, quem Legislator judicatur non fuiſſe comprehenſurus, ſi prævidiſſet: quod in DEO locum non habet, qui omnes caſus prævidit, & excipiendos excepit.

## SECTIO III.

### *De Lege Humana.*

125 ANtequam Legem humanam aggrediamur explicandam, non incongruum judicavimus; *Synopſin Juris humani tum Canonici, tum Civilis ſeu Cæſarei* præmittere, utpotè in quibus Lex humana continetur: ut eo meliùs ſequentia de Lege humana pertractanda intelligantur. Itaque ſit.

### *§. I. De Jure Canonico.*

### SUMMARIUM.

126 *Jus Canonicum ſex complectitur partes. Prima ejus pars eſt Decretum Gratiani.*
127 *Secunda ejus pars 5. Libri Decretalium.*
128 *Tertia pars eſt ſextus Liber Decretalium.*
129 *Quarta pars ſunt Clementina conſtitutiones.*
130 *Quinta pars ſunt Extravagantes Joannis XXII.*
131 *Sexta pars ſunt Extravagantes communes.*
132 *Corpori Juris Canonici additur ſeptimus Liber Decretalium.*

### Jus Canonicum

### *Univerſim ſex complectitur Partes.*

PRima pars eſt *Decretum Gratiani*, id eſt, varia dicta 125
Pontificum, SS. Patrum, & Conciliorum, collecta à *Gratiano Monacho Benedictino*, circa annum Chriſti 1151. In hoc Decreto Gratianus multa addidit de ſuo, vel ex Legibus Civilibus, quæ non habent auctoritatem, niſi illam, quam conciliant eorum auctores, uti *Suarez de Leg. l. 4. c. 5. num. 7.* advertit. Econtrà quæ Gratianus citat dicta, vel approbata è Summis Pontificibus aut ab Eccleſia, habent auctoritatem. Hoc Decretum habet tres Partes. In 1. Parte ſunt Diſtinctiones centum, & una, quæ ſubdividuntur in ſuos Canones ſeu Capitula, & ſic citantur: *c. placuit, 4. diſt. 16.* id eſt, Canone, qui incipit, *placuit*, & eſt ordine quartus, in diſtinctione decima ſexta. In ſecunda Parte ſunt 36. Cauſæ, quæ habent ſuas Quæſtiones, & Canones, ſic autem citantur: *cap. conqueſtus, 8. 9. quæſt. 3.* id eſt, Canone, qui incipit, *conqueſtus*, & eſt octavus in cauſa nona, & in hujus cauſæ quæſtione tertia. Quòd ſi ſit ex Tractatu de Pœnitentia, qui inſeritur in cauſa 33. quæſtione tertia, & habet ſeptem Diſtinctiones, citatio ſic fit: *c. Pœnitentes*, 10. *d. 3. de Pœn.* id eſt, Canone, qui incipit, *Pœnitentes*, & eſt decimus in diſtinctione tertia de Pœnitentia. In tertia Parte agitur de conſecratione per quinque Diſtinctiones, quæ in ſuos Canones diviſæ ſunt, ſicque fit citatio: *c. Relatum* 11. *diſt. 2. de Conſecrat.* id eſt, Canone, qui incipit, *Relatum*, & eſt undecimus, in diſtinctione ſecunda de conſecratione. His ſubjungi ſolent quadraginta ſeptem Canones Pœnitentiales, qui ſic citantur: *Can. Pœnit.* Item octoginta quatuor Canones, quos *Apoſtolicos* vocant, dicunturque collecti per Clementem Papam, & ſic citantur: *Can. Apoſt.*

Secunda Pars Juris Canonici ſunt *Liber 27. quinque* 126
*Decretalium*, id eſt, Conſtitutiones, & Epiſtolæ Pontificum, juſſu Gregorii IX. collectæ *à S. Raymundo de Pennafort, Ordinis S. Dominici*, circa annum Domini 1234. & habent ſuos titulos, hi autem ſua capitula: & ſic citantur: *c. Damnamus; de ſum. Trin.* id eſt, capite, quod incipit, *Damnamus*, in titulo, de Somma Trinitate. Quandoque apponitur *extra*, vel X. quo ſignificatur, quòd ſit extra Decretum Gratiani, ſed non eſt opus, hoc addi; nam hoc ipſo, quod nihil addatur, intelligitur eſſe in Libris Decretalium Gregorii IX. Gloſſator Decretalium eſt *Bernardus Parmenſis*. Materiæ ſingulorum Librorum continentur hoc verſu: *Judex, Judicium, Clerus, Sponſalia, Crimen.*

Tertia Pars Juris Canonici eſt *Liber ſextus Decre-* 127
*talium*, auctoritate Bonifacii VIII. compilatus *à Gulielmo Ebredunenſi, Berengario Biterenſi, & Richardo Senenſi*, circa annum Chriſti 1297. qui dividitur in alios quinque libros reſpondentes quinque libris Decretalium. Libri illi dividuntur in ſuos titulos, & capitula, fit autem citatio addendo, in 6. v. g. *capit. ut ſuper 4 de Appel. in 6.* id eſt, capitulo, quod incipit, *ut ſuper*, & eſt quartum, in titulo de appellationibus in libro ſexto decretalium. Gloſſator hujus libri eſt *Joannes Andreas Bononienſis Juris-conſultus.*

Quarta Pars Juris Canonici ſunt *Clementina*, id eſt, 128
conſtitutiones partim editæ à Clemente V. in Concilio Vienneſi, partim ejus juſſu collectæ, & poſt ejus mortem promulgatæ à Joanne XXII. circa annum 1317. & dividuntur in 5. libros, hi in titulos, & capitula. Fit autem citatio tantùm addendo *Clement.* ver. gr. *capit. ſicut, de Appell. Clement.* id eſt, capite, quod incipit, *ſicut*, in titulo de Appellatione, in Clementinis conſtitutionibus. Vel ſic: *Clem. V. Extravag. exivi*, id eſt, Clemens V. in Extravagante, quæ incipit, *exivi*: Gloſſator eſt idem *Joannes Andreas.*

Quinta Pars Juris Canonici ſunt *Extravagantes Joan-* 129
*nis XXII.* id eſt, viginti conſtitutiones editæ a Joanne XXII. quæ dicuntur *Extravagantes*, quia vagantur per varias materias, ultra illas, quæ in Libris Decretalium habentur. Citantur autem addito nomine hujus Papæ, v. g. *Extravagante, execrabilis, Joannis XXII.* id eſt, in Extravagante conſtitutione Joannis XXII. quæ incipit, *execrabilis.* Gloſſator eſt *Zenzelinus de Caſſanis.*

Sexta Pars Juris Canonici ſunt *Extravagantes Com-* 130
*munes*, id eſt, conſtitutiones, quæ poſt priora omnia emanarunt à diverſis Pontificibus, & dividuntur in 5. libros, hi in titulos, & capitula, ſicque citantur: *Extravag. unigenitus de Pœnit. & remiſ.* id eſt, in Extravagante con-

conſtitutione, quæ incipit, *unigenitus*, io titulo, de Pœnitentiis, & Remiſſionibus. Gloſſas addiderunt *Joannes Monachus*, *Gulielmus de monte Landuno*, *& Joannes Franciſcus de Pavinis*.

132 Corpori Juris Canonici aliquando reperitur adjectus *liber ſeptimus Decretalium* collectus à *Petro Matthai* Juriſconſulto Lugdunenſi. Sed hic, prout nunc eſt editus, non eſt authoritate publica in Corpus Juris Canonici receptus, licèt habeat conſtitutiones reipſa obligantes, quales ſunt Decreta, & Canones poſteriorum Conciliorum uſque ad Tridentinum incloſivè: Item conſtitutiones varias aliorum Pontificom: Unde eò etiam poteſt referri totum *Bullarium*, ideſt, volumina, quibus continentur Bullæ omnes Pontificum, quamvis vim Legis non ideò habeant, niſi aliunde conſtet eſſe authenticas, & originali ſuo conformes, uti rectè *Plettemberg in introductione ad Jus Canonicum cap. 19. advertit*.

### §. II. *De Jure Civili.*

SUMMARIUM.

133 *Jus Civile dividitur in quinque partes.*
134 *Prima pars Juris Civilis ſunt Inſtitutiones Juſtiniani.*
135 *Secunda Pars ſunt 50 libri Pandectarum.*
136 *Tertia Pars eſt Codex novus.*
137 *Quarta pars ſunt Authentica ſeu novella conſtitutiones.*
138 *Quinta Pars ſunt feudorum Conſuetudines.*

### Jus Civile

133 PEr quod hic intelligitur *Jus Cæſareum*, ſive collectio Legum, quibus omnes Imperio Romano ſubjecti diriguntor ad pacem, aliaqoe commoda temporalia, & publica, cœptum eſt colligi in ordinem circa annum 528. *tempore Juſtiniani Imperatoris*; dividitur autem in quinque partes.

134 Prima Pars Juris Civilis ſunt *Inſtitutiones Juſtiniani*, quæ ſont veluti Elementa, & Compendiom totius Juris Civilis, conſtantqoe libris qoatuor in ſuos Titulos, & Paragraphos diſtributis, & ſic citantur: *§. fera, Inſtit. de Rer. diviſ.* id eſt; Paragrapho, qui incipit, *fera*, in Inſtitutionibus, Titolo de Retom diviſione.

135 Secunda Pars Juris Civilis ſont 50. *libri Pandectarum à πᾶν totum, δέχομαι, contineo*, quia continent totum Jus: aliter dicuntur *Digeſtum*, ſeu *libri Digeſtorum*, collecti Juſſu Juſtiniani per 37. Juris peritos, quorum tandem ſexdecim labore triennali bis mille libros contraxerunt in illos quinquaginta. Primi 24. libri ſont *Digeſtum vetus*: ſequentes 14. dicuntur *Infortiatum*. Non ſcitur autem ſatis origo, vel ſignificatio hojus nomiois, niſi, quòd *Phebeus* §. 2. *numer.* 7. dicat, fortè ideò ſic dici, quia continent Leges circa Teſtamenta, & ultimas volnntates, quæ ſunt *fortiſſima*, & irrevocabiles. Reliqui dicuntur *Digeſtum novum*. Hi libri dividuntur in titolos, tituli in Leges, Leges, ſi magnæ ſint in Paragraphos. Pro Digeſtis fit hoc ſignum: *ff.* deberet autem eſſe π græcum, ſignificans Pandectas, quod π per celeritatem ſcribendi, & abuſum eſt converſum in ejuſmodi duplex ff. quandoque etiam ponitur D. id eſt Digeſtum; quandoque DD. vel PP. id eſt Digeſta, vel Pandectæ; onde citatio ſic fit: *L. ſi quis vi*, *§. Differentia*, *ff. de acquir. Poſſ.* id eſt, Lege, quæ incipit, *ſi quis vi*, Paragrapho illius Legis, qui incipit, *Differentia*, in Digeſtis, Titulo, de acquirenda poſſeſſione.

136 Tertia Pars Juris Civilis eſt *Codex novus*, (nam antehàc foit antiqous, dictus Juſtinianeus, qui emendatus fuit) conſtans 12. libris in titulos & Leges diſtributis, quorum tres poſteriores quandoque ſeparatim compinguntur & dicuntur *Volumen*. Pro Codice fiunt citationes pletumqoe per majuſculam litteram C. porrò primi novem libri citantur ſine addito; pro tribus ultimis additur numerus libri, ideòque ſi numerus non addatur, eſt ex novem primis libris, ver. gr. *L. in Teſtamento*, *C. de teſtam.* id eſt, Lege, quæ incipit, *in Teſtamento*, in Codice, titulo de Teſtamentis, *L. omnes profugi*, *C. de agricolis l.* 11. id eſt, Lege, quæ incipit, *omnes profugi*, in Codice, titulo de agricolis, in libro undecimo Codicis.

137 Qoarta Pars ſunt *Authentica ſeu Novella*, ad quas pertinent imprimis *conſtitutiones* 168. collectæ in 46. titulos io ſua capita diſtributos; hi autem tituli rediguntur ad 9. collationes. Accedunt *Juſtiniani* edicta tredecim, quæ etiam in ſua capitula dividuntur; Item Novellæ *Juſtini*, conſtitutiones *Leonis*, *Tiberii*, *& Juſtiniani*: item 113. conſtitutiones *Leonis* quas vocant Correctorias Legum Repurgationes. Item variæ aliæ conſtitutiones Imperatoriæ, quibus in recentibus impreſſionibus addontur *Canones Apoſtolorum*. Citationes ſic fiunt: *cap. ſed tamen*, *Auth. ſeu Nov.* 129. *de Samaritis*, *Col.* 9. ideſt, capite, quod incipit, *ſed tamen*, Aothentica ſeu Novella 129. titulo de Samaritis, Collatione nona. Pro Edictis *Juſtiniani* appouitur littera E. & nomerus capituli: pro Novellis *Juſtini*, littera N. I. pro Novellis *Leonis*, N. L. pro conſtitutionibus Imperatoris, C. I. reliqua vix citantor, vel exprimuntur longiùs.

*Suppl. Theol. Decal.*

Qointa Pars Juris Civilis ſunt *feudorum Conſuetudi-* 137
*nes*, quæ conſtant duobus libris in ſuos titulos, ac paragraphos diviſis: Adjiciuntur quædam conſtitutiones *Friderici II.* Item Extravagantes: ac denique liber de pace. Citatio fit hoc modo: *F. vel feud. de probib. feud. alien. per frid. §. calidis inſuper.* Id eſt, in libris feudorum, titulo de prohibita feudi alienatione, per fridericum, paragrapho, qui incipit, *calidis inſuper*. Reliqua longius citantor. Jam ſit.

## QUÆSTIO I.

### *De Cauſa Effectiva Legis Humanæ.*

SUMMARIUM.

140 *Datur Poteſtas Legiſlativa in Hominibus.*
141 *Quid ſit Juriſdictio, & quotuplex?*
142 *Summus Pontifex poteſt ferre Leges Eccleſiaſticas pro tota Eccleſia 143. & quidem Jure Divino.*
144 *Quinam Libri Juris Canonici habeant vim Legis?*
145 Uſque ad num. 148. *Prælati Eccleſiæ inferiores poſſunt ferre Leges Eccleſiaſticas pro ſuis ſubditis, jure tantùm Pontificio.*
148 Uſqoe adn. 151. *Quid poſſint Concilia œcumenica?*
151 *Quid Concilia Nationalia, Provincialia & Diœceſana?*
152 *Quales Leges poſſit ferre Legatus & Nuntius Apoſtolicus? 153. Patriarcha, Archi-Epiſcopus, & Epiſcopus?*
154 *Quid poſſit capitulum Cathedrale Sede vacante?*
155 *Quid Abbates, Religiosum Generales & Provinciales? 156. præſertim in noſtro ordine Seraphico?*
157 *An Abbatiſſa poſſint ferre Leges?*
158 *An Collegium Cardinalium ſede vacante?*
159 *Poteſtas Legiſlativa Civilis Jure Naturæ reſidet in ipſa communitate;*
160 *Poteſt tamen transferri in alium.*
161 *Regimen eſt triplex, Monarchicum, Ariſtocraticum & Democraticum.*
162 *Imperator poteſt Leges civiles ferre pro toto Imperio, non pro toto mundo.*
163 *Quinam libri Juris Civilis habeant vim Legis?*
164 *Quid poſſint Reges & Principes Supremi?*
165 *An Regina poſſit Leges ferre pro ſuo Regno?*
166 *Quid poſſint Principes inferiores?*
167 *Quid Principes S. R. Imperii?*
168 *Summus Pontifex nequit condere Leges Civiles extra ſtatum Eccleſiaſticum.*

## ASSERTIO I.

*POteſtas ordinaria ferendi Leges Eccleſiaſticas reſidet in* 139
*Summo Pontifice, primariò & illimitatè reſpectu omnium Chriſtianorum, & quidem immediatè Jure Divino; in aliis verò Eccleſiæ Prælatis reſidet limitate ac reſpectu ſibi ſubditorum tantùm, & quidem nonniſi Jure Pontificio: Poteſtas autem ferendi Leges Civiles Jure Naturæ reſidet in ipſa communitate; Jure verò Humano reſidet in Imperatore reſpectu Imperii, Regnorum, & Provinciarum ſibi ſubditarum, in Regibus ac Principibus reſpectu ſuorum Regnorum ac ditionum, imò etiam in Regina Regni herede.* Eſt tota communis.

### §. I. *Poteſtas Ordinaria ferendi Leges Eccleſiaſticas reſidet in Summo Pontifice primariò, & illimitatè reſpectu omnium Chriſtianorum & quidem immediatè Jure Divino.*

I. CUm plorima ſint in moribus homanis, quæ Lex 140
natoralis, & Divina poſitiva relinquant indeterminata, humanæ communitati neceſſarium fuit, ut per leges poſitivas humanas ulteriorem morum diſciplinam obtineret, qua circa particulares actus dirigeretor, *earum-*



Digitized by Google

*que metu malorum coerceretur audacia, & tuta eſſet inter improbos innocentia*, ut inquit Iſidorus relatus à Divo Thoma *quæſt.* 95. *a.* 1. Hanc legiſlativam poteſtatem hominibus à Deo datam frequenter contra Hæreticos teſtatur Sacra Pagina *Proverb.* 8. *Per me Reges regnant, & Legum Conditores juſta decernunt*. *Roman.* 13. *Qui Poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*. Dividitur autem hæc poteſtas in *Eccleſiaſticam, & Civilem, ſeu politicam*; juxta duplicem hominum communitatem: cùm enim duplex ſit finis; in quem homines oportet dirigi, *unus felicitatis naturalis, & temporalis: alter ſpiritualis, æterna, & ſupernaturalis*; ita duplex eſt hominum communitas; *una politica, & civilis: altera Eccleſiaſtica*: illam civilibus, hanc Eccleſiaſticis Legibus oportet dirigi: nam *ubi non eſt Gubernator, populus corruet*. *Prov.* 11. Quia verò poteſtas ferendi Legem eſt quædam ſpecies juriſdictionis; ideò priùs aliqua de juriſdictione dicemus. Itaque

141 II. Juriſdictio eſt poteſtas publica circa aliorum regimen, & gubernationem. Ita communis apud Reiffenſtuel *libro primo Decret. tit.* 29. *num.* 3. Dicitur *poteſtas publica*, ad excludendam eam poteſtatem, quam habet maritus in conjugem, pater in filium, Dominus in ſervum &c. quæ eſt poteſtas *œconomica, & privata*. Hujus poteſtatis publicæ actus ſunt omnes illi, qui à Superiore, quatenùs perſona publica eſt, exercentur circa ſubditos, quod denotatur per reliquas definitionis particulas. Juriſdictio I. dividitur in *Eccleſiaſticam*, quę circa cauſas ad Dei cultum animarumque ſpiritualem ſalutem pertinentes verſatur, & *civilem*, quæ circa cauſas ſæculares, & temporalem Reipublicæ gubernationem verſatur. II. *ordinariam*, quæ cuipiam jure proprio, ſeu ex officio, dignitate, Lege, vel conſuetudine competit; & *delegatam*, quam quis non habet jure proprio, ſeu ex officio, dignitate, Lege, vel conſuetudine, ſed ſolùm ex commiſſione alterius, cujus vice fungitur. II. In *contentioſam, & voluntariam*. Contentioſa eſt, quæ exercetur in invitum, ut puta in jus vocando, puniendo, præcipiendo, Leges condendo, cauſas decidendo, & alia hujuſmodi exercendo, quæ expediri non poſſunt, niſi à judice pro tribunali ſedente, ſeu quando inter duos, pluréſque contenditur. Voluntaria eſt, quæ in volentes tantùm exercetur, cujus actus ſunt ordinare, conſecrare, legitimare, diſpenſare, abſolvere, beneficium conferre, Sacramenta miniſtrare, matrimoniis aſſiſtere, quamvis hic actus nonniſi latè loquendo à juriſdictione provenire dicatur, ſicuti docet *Sanchez lib.* 8. *diſput.* 21. *de matrimonio*. Differt autem juriſdictio contentioſa à voluntaria in hoc. I. quòd illa etiam in invitos exerceri poſſit; hæc nonniſi in volentes, unde etiam nomen accepit. II. Quòd illa à judice extra proprium territorium exerceri non poſſit, ſine expreſſo, vel tacito conſenſu Judicis proprii, ipſarumque partium litigantium: *cùm extra Territorium jus dicenti impunè non pareatur*, *cap.* 2. *de conſtit. in* 6. Voluntaria autem juriſdictio extra proprium territorium validè, & plerumque licitè exercetur, diſpenſando, v. gr. cum ſubditis in eorum votis, juramentis, aſſiſtendo eorum matrimoniis, abſolvendo à cenſuris, peccatis &c. Ratio eſt: quia, cùm voluntaria juriſdictio nullum ordinarium juris proceſſum, neque judicem pro tribunali ſedentem requirat; ideò nulla injuria judici infertur, in cujus Diœceſi ejuſmodi actus exercentur. Sicut docent Doctores apud Laym. *libro primo, tractatu quarto, cap.* 5. *num.* 4. Quamquam ad vitandum ſcandalum, & confuſionem, voluntariæ juriſdictionis actus, non publicè, quaſi alienam juriſdictionem invadendo, ſed fermè tantùm privatim exercere oportet. His prænotatis dicimus:

142 III. Poteſtas ordinaria ferendi Leges Eccleſiaſticas reſidet in Summo Pontifice, primariò, & illimitatè reſpectu omnium Chriſtianorum. Ita paſſim omnia Concilia, & Patres profitentur, certaque fide tenendum eſt teſte *Laym. citat. cap.* 6. §. 1. *num.* 3. Ratio eſt: quia Chriſtus Dominus imprimis Sancto Petro, & Succeſſoribus ejus plenitudinem poteſtatis pro tota Eccleſia apertè promiſit, & commiſit *Matth.* 16. *Tibi dabo claves Regni Cælorum*, & *Joann.* 20. *Paſce oves meas*, *paſcere* autem phraſi ſcripturiſtica denotat poteſtatem regendi, ut patet 2. Regum 5. ubi Deus ad David ait: *Tu paſces populum meum Iſrael.* Hæc autem poteſtas regendi, & paſcendi, cùm debeat eſſe ſtabilis, ſicut ſtabilis eſt Eccleſia, ideò non ſoli Petro, ſed etiam Succeſſoribus ejus data eſt. Quare Innocentius III. *cap. ſolitæ, de majoritate, & obedientia* inquit: *Nobis in Beato Petro ſunt oves Chriſti commiſſæ, dicente Domino: Paſce oves meas.*

143 IV. Et quidem *Jure Divino* competit Summo Pontifici poteſtas legiſlativa Eccleſiaſtica, & ordinaria in totam Eccleſiam. Ita *Catholici*. Ratio eſt: quia Summus Pontifex ſuam juriſdictionem, & conſequenter etiam poteſtatem ferendi Leges Eccleſiaſticas accepit immediatè à Chriſto Domino: ergo eam habet Jure Divino. Probatur antecedens. I. Ex textibus Sacræ Scripturæ modò allatis. II. Quia eam non poteſt accipere ab ullo homine, cùm neminem in terris ſuperiorem agnoſcat: ergo illam immediatè à Chriſto accipiet, ſicut illam accepit Sanctus Petrus. *Nec refert*, quod electio ad Papatum fiat ab hominibus, videlicet à Cardinalibus: quia cum legitima ſucceſſio non fiat jure ſanguinis, aut jure hæreditario, ſed via electiva deſignationis; idcircò Electores deſignant quidem perſonam, quæ Sancto Petro in Pontificatu ſuccedat; non tamen conferunt ei juriſdictionem in totam Eccleſiam, quam ipſi numquam habuerunt, ſed poſita hac conditione poteſtas ſupremæ, & univerſalis juriſdictionis Neo-Electo Summo Pontifici immediatè à Chriſto Domino confertur: hinc fit, quod hæc poteſtas nequeat recipere aliquam mutationem, vel limitationem, ſicut cæteræ poteſtates, quæ in hominibus reſident, & ab eis conferuntur. Quare non dependet Summus Pontifex in Legiſlatione à Concilio, vel Cardinalibus, quandoquidem independenter ab illis ſit poteſtas ei à Chriſto collata. Quod etiam patet ex praxi, & multis Canonibus, prout videre eſt apud *Suarum libro* 4. *capite* 3. *numero* 14. Accedit; quòd Cardinalium dignitas non ſit Pontificiæ dignitati coæva, imò ſit ab ipſo Pontifice inſtituta, adeóque juris humani; quamquam Pontifex prudenter graviora negotia non ſoleat decidere ſine determinatione Concilii, aut aſſenſu Cardinalium. *Ita Herincx de Legibus diſp.* 3. *q.* 3. *n.* 43.

Ex his conſequitur, quinque Libros Decretalium ſuprà recenſitos, item ſextum Librum Decretalium, & Clementinas, unà cum Extravagantibus Joannis XXII. & communibus habere auctoritatem Legis, vimque deciſivam in judiciis: quia omnium horum librorum authores fuere Summi Pontifices, qui, ut dictum, habuerant poteſtatem Legiſlativam Eccleſiaſticam in totam Eccleſiam. Decretum verò Gratiani univerſim non habet auctoritatem legis, cùm Gratianus non habuerit poteſtatem Legiſlativam. Quia tamen à Gregorio XIII. fuit emendatum, & approbatum, quod Canones ibidem allegati concordent cum ſuis originalibus; ideò meretur fidem. De reliquo illi Canones revocantur ad ſuam primævam auctoritatem, id eſt illam: quam à ſuis conditoribus acceperunt. Unde quando Gratianus refert Leges civiles, illæ eatenùs in foro Eccleſiaſtico ſunt obſervandæ, quatenùs ſupplent defectum Juris canonici, nec contrariantur immunitati Eccleſiaſticæ. Si verò referat Sententias Sanctorum Patrum hæ habebunt auctoritatem Sanctis Patribus debitam: ſi verò producat conſtitutiones Summorum Pontificum, vel Conciliorum Oecumenicorum, hæ habebunt auctoritatem legis, utpotè à poteſtate Legiſlativa procedentes. 144

Præter has Leges Canonicas dantur adhuc *Canones*, *& Decreta Conciliorum* tum Generalium, tum Provincialium à Summis Pontificibus approbatorum: item poſteriorum *Pontificum, Bullæ, ac conſtitutiones*, quæ utique vim Legis habent, cùm procedant à Legiſlativa poteſtate. Deciſiones tamen *Rot. Roman.* licèt Jus inter partes ipſas litigantes, non tamen faciunt Jus univerſale, ut docet *Franciſcus de Pavinis in præludio Extravagantium Joann. XXII.* Quod attinet *declarationes Cardinalium* ſacri Concilii Tridentini Interpretum, dicendum cum Patre *Ludovico Engel, in collegio Juris Canonici, in proœmio Juris Canonici num.* 55. Eas obtinere auctoritatem Legis univerſalis; ſi tres ſequentes habent conditiones. *Prima eſt*, ut fiant conſulto Summo Pontifice. *Secunda*, ut Cardinales ſolùm declarent, & interpretentur, non verò diſpenſent, niſi deſuper habito ſpeciali mandato Summi Pontificis: cujus ſpecialis mandati etiam in declaratione mentio inſeratur. *Tertia*, ut appareant in forma authentica cum ſolito ſigillo, & ſubſcriptione Cardinalis Præfecti ac Secretarii ejuſdem Congregationis. Qua de re videri poterit *Barboſa Juris Eccleſiaſtici Univerſalis libro primo, capite quarto, numero octogeſimo primo, & ſequentibus*. 145

§. II.

Digitized by Google

### §. II. *In aliis verò Eccleſiæ Prælatis reſidet limitatè, ac reſpectu ſibi ſubditorum tantùm, & quidem nonniſi Jure Pontificio.*

146 ITa docet praxis Eccleſiæ, & paſſim Jus Canonicum *cap. 2. de majoritate, & obedientia, & cap. 3. de conſtitut. in 6. & alibi*. Ratio eſt: quia Summus Pontifex ex ſe ſolo non poteſt attendere, & invigilare immediatè univerſo populo Chriſtiano: ergo neceſſarios habet ſubſidiarios, ſeu alios Prælatos inferiores, veluti ſunt Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, &c. ergo, & iſtis competet poteſtas ferendi Leges Eccleſiaſticas; eaque *ordinaria*, utpotè annexa officio, & dignitati Eccleſiaſticæ, & *limitata* reſpectu nimirùm ſuorum ſubditorum, & quidem *nonniſi Jure Pontificio*. Ita docent *Suarez lib. 4. de Legibus, cap. 4. Maſtrius, Herincx, Reiffenſtuel, Layman, Mezger, & alii contra Vaſquez, & alios*. Ratio eſt: Quia licèt ordo Epiſcopalis ſit Juris Divini, & Chriſtus voluerit Eccleſiam regi per Epiſcopos, eiſque poteſtatem conferri, nihilominùs eam non contulit immediatè per ſe, ſed voluit conferre per ſuum in terris Vicarium, Summum nimirùm Pontificem juxta illud *Leonis Papæ ſerm. 3. de ſua Aſſumptione: Si quid cum eo commune cæteris voluit eſſe principibus, nunquam niſi per ipſum dedit, quidquid aliis non negavit*. Cui conſonat formula creandi Epiſcopos, quæ teſte *Bellarmino l. 4. de Pontifice cap. 24.* talis eſt: *Providemus Eccleſiæ tali de tali Perſona, committentes ei adminiſtrationem* (id eſt, Juriſdictionem) *in temporalibus, & ſpiritualibus*. Quam proinde Juriſdictionem (cujus pars eſt poteſtas Legislativa) Summus Pontifex limitat, ampliat, auſert &c. ſecundùm ſuum beneplacitum, eamque confert Epiſcopis etiam non conſecratis, poſſetque conſecratis aliquibus non conferre: confert denique Juriſdictionem Epiſcopalem etiam non Epiſcopis, v. gr. Prælatis Majoribus Religionum exemptarum à Juriſdictione Epiſcoporum: quæ ſunt aperta ſigna, illam in Epiſcopis, ac aliis Eccleſiæ Prælatis provenire à Papa. *Ita Herincx diſp. 3. de Legibus, quæſt. 4. numer. 46.* Nec obſtat, quòd Epiſcopi habeant poteſtatem ordinariam ferendi Leges; ex hoc enim non ſequitur, quòd eam non accipiant immediatè à Summo Pontifice; propter hoc ſiquidem non dicitur *ordinaria*; ſed ideò, quòd, licet Epiſcopi ſuam Juriſdictionem accipiant à Summo Pontifice tamen eorum muneri, ac officio cum poteſtate eam delegandi ſit annexa.

147 Quare etiam Summus Pontifex peracta electione Canonica, abſque confirmatione, imò etiam ante conſecrationem jam habet poteſtatem Legislativam Eccleſiaſticam in totam Eccleſiam, *Canon. in nomine Domini, diſt. 3. & Extravag. Quia nonnulli, de Sentent. excommunic. inter Communes*. Alii autem Prælati inferiores ante confirmationem, nullo gaudent jure in re (nam jus ad rem acquiſierunt per electionem) adminiſtrandi ſuas Eccleſias, & ferendi Leges, *capit. Noſtri 9. & capit. qualiter de electìon. & capit. Avaritiæ 5. in eodem titul. in 6.* Ratio diſparitatis eſt; nam Summus Pontifex Canonicè electus omnem ſuam poteſtatem ſive juriſdictionem recipit ab ipſomet DEO, neque in terris Superiorem recognoſcit à quo confirmetur, licèt nihilominùs Inthronizationem, ſeu coronationem admittat. Secùs eſt de Prælatis Inferioribus, qui in terris Superiorem habent, nempè Pontificem, à quo confirmari, ſuamque confirmationem accipere debent. Ita *P. Reiffenſtuel in lib. 1. Decret. tom. 1. de conſtitut. n. 55.* Ex his.

148 I. Sequitur, Poteſtatem ferendi Leges Eccleſiaſticas, & quidem ordinariam, poſt Summum Pontificem in variis reſidere. *In Concilio Generali, ſeu Oecumenico* (ad quod omnes Epiſcopi totius orbis convocantur, & comparere debent niſi impedimento Canonico præpediantur) utpotè, quod repræſentat totum Corpus Eccleſiæ, habetque influxum authoritatis à præſidentia Romani Pontificis tanquam capitis, cujus munus eſt Generalia Concilia convocare, præſidere, approbare, confirmare: ergo ſuppoſito, quòd hujuſmodi Concilium ſit congregatum authoritate Pontificia, poteſt ſtatuere Leges totam Eccleſiam obligantes, dummodò acceſſerit confirmatio Summi Pontificis. Ita *certa Catholicorum*. Idque patet ex recepta praxi Eccleſiæ. Accedit Ratio: quia Summus Pontifex authoritate divinitùs accepta, poteſt extra Concilium novas conſtitutiones totam Eccleſiam obligantes facere: ergo etiam in Concilio.

149 Additum eſt notanter: *dummodò acceſſerit confirmatio Summi Pontificis*. Nam ſatis non eſt, quòd Concilium ſit à Papa congregatum, ſed etiam inſuper requiritur ut ſit ab eodem confirmatum, *ex capit. ſignificaſti 4. de elect. & capit. Regula, & ſeqq. diſt. 17.* Quia nonnulla Concilia, etſi à Summo Pontifice congregata, poſtmodùm tamen in quoſdam errores inciderunt, ac reprobata ſunt: ut patet in *Concilio Epheſino II. per Leonem I. indicto*, nec tamen confirmato, eo quod admiſerit errores Dioſcori, & Euthychetis: tum *Baſileenſi ſub Eugenio IV. Congregato*, ac ex parte reprobato, ut taceantur plura alia Concilia reprobata, quæ recenſet *Bellarminus lib. 2. de Conciliis, cap. 6. & 7.* Unde, ut acta Concilii Generalis robur ſuum obtineant, requiritur inſuper confirmatio Romani Pontificis; quam proinde omnia Concilia, abſente Papa, & Præſidentibus ejus Legatis celebrata, petere, & Pontifices dare conſueverunt, ac noviſſimè Patres *Concilii Tridentini Seſſ. 25. in fin.* per Legatos petenda cenſuerunt, atque obtinuerunt, *Navarrus Conſil. 1. de conſtit. numer. 4. Suarez lib. 4. de Legibus, cap. 6. numer. 2. Herincx cit. n. 63. & Alii.*

Si vero Concilium ſit *Acephalum*, & Papali authoritate deſtitutum, nulla potitur poteſtate Legislativa, quippè carens Juriſdictione requiſita. Porrò ſi Concilium congregetur Sede vacante, vel tempore Schiſmatis, poteſt quidem Leges univerſales condere, in quantum exigit temporum neceſſitas; quæ tamen non ſunt aliter habituræ efficaciam, niſi cùm à ſequenti Romano Pontifice fuerint approbatæ, vel ab Epiſcopis Congregatis pro ſingulis ſuis Diœceſibus acceptatæ, in iiſque promulgatæ. Ratio eſt: quia tale Concilium Juriſdictionem pro tota Eccleſia nec habet à Summo Pontifice, nec immediatè à DEO, cùm hoc nec traditione conſtet. Aliam ergo poteſtatem non habet, quàm illam, quæ cuilibet corpori Morali, ſeu communitati Jure naturæ competit, ut in defectu capitis per Principes congregatos ſe gubernare, ſuoque bono proſpicere valeat, donec caput legitimum acquiſierit, *Suarez lib. 4. cap. 6.* 150

II. Sequitur, Poteſtatem Legislativam Eccleſiaſticam, & ordinariam reſidere in *Conciliis etiam particularibus* pro ſuis particularibus reſpectivè Eccleſiis; nimirùm *in Concilio Nationali* (in quo omnes Archi-Epiſcopi, & Epiſcopi, certæ Nationis, ſub uno Primate, vel Patriarcha conveniunt) pro ſola, & tota Natione, *In Concilio Metropolitico, ſeu Provinciali*, (quod congregatur ex Epiſcopis Suffraganeis certæ Provinciæ, authoritate Archi-Epiſcopi, ſeu Metropolitani) pro ſola, & tota Provincia: Et *in Concilio Epiſcopali, ſeu Diœceſano*, (quod congregatur ex Prælatis, Paſtoribus, Rectoribus Eccleſiarum, Superioribus Regularium authoritate Epiſcopi Diœceſani) pro ſola, & tota Diœceſi. *Ita Communis DD.* Et patet ex *Can. quod dicitis, diſt. 16. & Can. ſi quis Epiſcopus per manus, diſt. 92.* ubi approbantur Canones editi in Concilio Provinciali. Item *ex Can. ultim diſt. 16. & c. ſicut olim, de Accuſat.* ubi quotannis Concilia Provincialia, & Diœceſana celebrari jubentur. Idem conſtat ex perpetua praxi Eccleſiæ, ac pluribus ejuſmodi Conciliis hactenùs celebratis. 151

III. Sequitur, Poteſtatem Legislativam Eccleſiaſticam reſidere in Legato, & Nuntio Apoſtolico pro tota Provincia, ad quàm mittuntur, quia in illam habent Juriſdictionem ordinariam, eamque majorem, quàm Epiſcopi; ut habetur *toto titulo de officio Legati in 6.* Item in Cardinalibus reſpectu ſuarum Eccleſiarum, *c. his, quæ de Major. c. querela, quæ, de Electìon.* 152

IV. Sequitur, Poteſtatem Legislativam Eccleſiaſticam reſidere in Patriarchis, Archi-Epiſcopis, & Epiſcopis reſpectu ſuarum Eccleſiarum, & Diœceſium, *cap. 2. de Majorit. & obedient. in 6.* Excipiuntur Epiſcopi merè titulares, & qui proprias oves non habent: hi enim poteſtate Legislativa non gaudent utpotè quæ conſequitur officium Paſtorale, non conſecrationem. Hinc etiam Archi-Epiſcopi, Epiſcopi &c. illam ſtatim exercere poſſunt poſt confirmationem, antequam conſecrentur; quia ſtatim per confirmationem confertur ipſis Juriſdictio, & conſequenter poteſtas Legislativa, ceu præcipua Juriſdictionis portio. Patriarchæ tamen, Primates, & Archi-Epiſcopi nequeunt condere Leges obligantes totum Patriarchatum, Primatum, aut Archi-Epiſcopatum niſi in Concilio Nationali, vel Provinciali de conſenſu Co-Epiſcoporum, & Com-Provincialium juxta *c. nullus Primas 9. quæſt. 3.* 153

V. Sequitur in Capitulo Cathedrali, Sede vacante, reſidere poteſtatem Legislativam Eccleſiaſticam reſpectu ſuæ Diœceſis. Ita docent *Abbas, Felinus, Fagna-* 154



Digitized by Google

*nus*, *Layman*, *Caſtro-Palaus*, *& alii apud Reinffenſtuel in* 1. *lib. Decret. tit.* 2. *de Conſtit. n.* 89. Ratio eſt: quia Capitulum, Sede vacante, ſuccedit Epiſcopo in his, quæ ſunt Juriſdictionis, *c. cùm olim* 14. *de Majoritate*, *& obedientia*, *& c. unic. eodem tit. in* 6. Sed poteſtas condendi Leges pertinet ad poteſtatem Juriſdictionis: ergo.

155 IV. Sequitur VI. Poteſtatem Legislativam Eccleſiaſticam reſidere in quibuſdam aliis Prælatis Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus reſpectu ſuarum quaſi Diœceſium; cujuſmodi ſunt Superiores Ordinum Religioſorum, videlicet Abbates, Generales, & Provinciales, utpote qui exiſtunt veri, & Ordinarii Paſtores, ac Rectores ſuarum Eccleſiarum; in quas proinde Juriſdictio Epiſcopalis tranſlata eſt. *Communiſſima apud Herincx*, *Reiffenſtuel*, *Mezger*, *& Alios*.

156 Ubi tamen advertendum eſt, poteſtatem Legislativam in Prælatis noſtri Ordinis Seraphici reſtrictam eſſe, ut ſtatuta vim Legis habentia, totumq; Ordinem, vel Provinciam obligantia, concedere non valeant, niſi cum Capitulo Generali, & Provinciali, reſpectivè. In Congregationibus intermediis poſſunt quidem facere quaſdam ordinationes novas, ad bonum regimen Ordinis, ſeu Provinciæ pertinentes, ſuoque tempore duraturas, non tamen ſtatuta vim Legis obtinentia, & in perpetuum duratura, niſi poſtmodùm ultrà per Ordinem, vel Provinciam acceptentur, & Legis inſtar cuſtodiantur. Quòd ſi verò Superiores hujuſmodi extra Capitulum quidpiam ordinent, ſeu obſervari mandent, illud obtinet vim præcepti, non Legis. Ita *Reiffenſtuel cit. numer.* 98.

157 Abbatiſſæ verò, & Superioriſſæ Monialium non gaudent poteſtate Legislativa Eccleſiaſtica. Ita cum D. Thom. *in* 4. *d.* 19. *quæſt.* 1. *art.* 1. & pluribus aliis Paulus Mezger, *de Legibus*, *diſput.* 34. *art.* 1. *numer.* 22. Ratio eſt: Quia fœminæ Jure ordinario non ſunt capaces Juriſdictionis Spiritualis, qualis eſt poteſtas ferendi Leges Eccleſiaſticas: ſiquidem Juriſdictio Spiritualis ex ordinatione Chriſti Domini ordinariè reſpicit ſubjectum capax Ordinis, cujuſmodi eſt maſculus, non fœmina. Unde etiam fœminæ nequeunt imponere præcepta ſpiritualia, ſed tantùm civilia, tamquam Matresfamilias œconomicam poteſtatem habentes.

Nec Collegium Cardinalium, Sede vacante, pollet poteſtate Legislativa reſpectu totius Eccleſiæ. Ita Suarez, *l.* 4. *cap.* 6. *numer.* 5. Paulus Mezger, *cit. numer.* 20. Reiffenſtuel *citat. num.* 91. & Alii. Ratio eſt: Quia talis poteſtas non convenit Collegio Cardinalium *Jure Divino*: cùm nec ipſum Cardinalium Collegium ſit Juris Divini: neque *Jure humano*; cùm oppoſitum ſtatuatur in *Clement. ne Romani*, de *Elect.* ergo. Aliud eſt de Capitulo Cathedrali, quòd juxta ſupradicta, Sede vacante, Leges Eccleſiaſticas pro Diœceſi condere poteſt; cùm hoc eidem Jure humano Eccleſiaſtico conceſſum ſit, ut ſuprà vidimus.

### §. III. *Poteſtas ferendi Leges Civiles jure Naturæ reſidet in ipſa communitate; Jure verò Humano reſidet in Imperatore reſpectu Imperii, Regnorum, & Provinciarum ſibi ſubditarum.*

158 I. POteſtatem Legislativam Civilem, quantum eſt ex Jure Naturæ, reſidere in ipſa communitate, docent apud noſtrum Maſtrium *Theolog. Moral. diſp.* 2. *quæſt.* 4. *art.* 1. *numer.* 83. D. Thomas *quæſt.* 90. *art.* 3. & Doctor Subtilis, *in* 4. *d.* 15. *quæſt.* 2. *art.* 1. Ratio eſt: quia poteſtas Legislativa eſt proprietas quædam Moralis ex natura rei conſequens conditionem corporis politici: ergo quantum eſt de Jure naturæ, reſidet in ipſo corpore politico, ſeu communitate. Antecedens inde patet: quia ſicut Ratio naturalis dictat, & adigit hominem ad Societatem communem vitæ, & Reſpublicas conſtituendas; ſic eadem Ratio naturalis dictat de opportuno remedio ad conſervandam talem Societatem, cujuſmodi remedium, vel maximè eſt poteſtas Legislativa, & gubernativa; *ubi enim non eſt gubernator, populus corruet*, Prov. 11. *Confirmatur*. Sublato omni Jure poſitivo, non eſt Ratio, cur hæc poteſtas potiùs ſit determinatè in uno, quàm in altero: ergo neceſſario reſidebit in ipſa communitate, quantum eſt ex Jure naturæ. Conſequentia patet. Antecedens probatur: ſiquidem quilibet homo, priuſquàm ſocietur alicui communitati, alteri non ſubditur, nec eſt illo Superior; cùm ſinguli ex natura rei ſint liberi; & ideò *Geneſis* 1. declaravit DEUS, ſe facere hominem, ut *præſit animantibus*; non autem, ut unus homo præſit aliis hominibus.

159 II. Adverte tamen hanc poteſtatem non eſſe ita immutabiliter affixam corpori politico, ſeu communitati, quin ab illa poſſit ſeparari, & auferri. Nam *Primò* DEUS tanquam ſupremus omnis Juris creaturæ Dominus poteſt hanc poteſtatem communitati auferre: prout regiminis poteſtatem contulit Moyſi, & Aliis. *Secundò* ipſa communitas poteſt poteſtatem ſuam in alium transferre, etiam immutabiliter, quamvis fortè ita non tranſtulerit, ſed tacitè ſibi reſervarit facultatem graviſſima de cauſa ipſum iſta poteſtate privandi, & in unum alium transferendi, aut ad ſe revocandi; prout Principem legitimum ob nimiam tyrannidem poteſt per legitimam Sententiam deponere. *Tertiò* Jure Belli poteſtate hac poteſt communitas privari, ſicut aliis bonis, imò libertate, & ſic redigi ſub alterius Principatu. Quorum omnium Ratio fundamentalis eſt: quia licet Ratio naturalis dictet poteſtatem Legislativam communitati debere competere, non dictat tamen neceſſarium, ut eam per ſe adminiſtret: potuit igitur ea privari, vel ſponte eam à ſe alienare, imò id fieri magis conveniebat; cùm multò ſit melior forma regiminis Monarchica aut Ariſtocratica, quàm Democratica. *Herincx cit. diſp.* 3. *quæſt.* 3. *numer.* 34. Pro quo

160 Notandum, triplex eſſe regimen, videlicet *Monarchicum*, *Ariſtocraticum*, *& Democraticum*. Et quidem in hoc poſtremo, ſeu in Democratia (id eſt, principatu populi, qualis olim erat apud Athenienſes, & Romanos) poteſtas condendi Leges conſiſtit penes ipſummet populum ſeu communitatem, utpotè cui, quantum eſt de Jure naturæ, ipſa competit; nec adhuc à populo ſeu communitate eſt in alium tranſlata, ut liquet *ex Canon.* 1. *diſtinct.* 2. In regimine Ariſtocratico, ſeu Ariſtocratia (hoc eſt Optimatum principatu, ubi videlicet Optimates Rempublicam gubernant, prout hodie fit apud Venetos) poteſtas condendi Leges pro communi reipublicæ bono reſidet penes prædictos Optimates; ut conſtat *ex Canon.* 3. *diſtinct.* 2. In regimine autem Monarchico, ſeu Monarchia (quæ eſt unius principatus) poteſtas Legislativa tranſlata eſt in unum aliquem, & quidem Jure humano in Supremos Principes videlicet Imperatorem, Reges, Duces, ac Principes Superiorem in terris, quantùm ad civilem juriſdictionem, non agnoſcentes. Quare

161 III. Imperator legitimè electus poteſt ferre Leges pro toto Imperio. Ita *Communiſſima*. Ratio eſt: quia reſpectu illius habet ſupremam regiminis poteſtatem. Unde idem confirmat antiquiſſima Imperatorum praxis; ut videre eſt in corpore juris communis, ſeu Cæſarei.

162 Dubitant verò aliqui Juriſtæ, an poſſit condere Leges *pro toto orbe*. Id ſequitur ex Sententia *Bartholi*, qui refertur dicere, Imperatorem eſſe Dominum totius orbis. Sed hæc Sententia (ait *Herincx citat. num.* 35.) cum ſuo fundamento eſt planè improbabilis: nam nequidem tempore Cæſaris Auguſti Imperator fuit Dominus totius orbis, cùm Perſia numquam fuerit tributaria Romanis, uti nec Japonia, aliæque Regiones noviter inventæ. Cui conſonat illud *Leonis Papæ* Romam alloquentis *Serm.* 1. *in Natali Apoſtolorum Petri*, *& Pauli*: *Ut latiùs præſideres Religione Divina*, *quàm dominatione terrena*. De præſenti tempore, quo limites Romani Imperii plurimùm ſunt conſtricti, nulla eſt apparentia: cùm plures ſint Reges, & Reſpublicæ Imperio Romano non ſubjectæ. Ex quibus

163 IV. Infertur, Jus Civile, ſeu Cæſareum contentum in quinque libris ſuprà num. 133. recenſitis, ſortiri plenariam Legis auctoritatem pro toto, & ſolo Romano Imperio, ſive quia ex ipſis Imperatorum conſtitutionibus conſtat, ſive, quia, etſi Digeſta ex veterum Juris-Conſultorum (ſcilicet *Ulpiani*, *Caji*, *Pauli &c.*) Commentariis, reſponſis, & libris deſumpta ſint, tamen Juſtinianus iis, uti & inſtitutionibus, auctoritatis ſuæ robur adjecit. Nihilominùs poſſunt Leges Cæſareæ alibi habere locum, ſive quia ex conſuetudine, ſive quia per proprium Principum conſtitutiones ſunt aſſumptæ. Unde etiam referuntur Turcæ uti *Codice Juſtinianeo*, velut æquiſſimo. Similiter poſt jura propria, Romanas ſibi Leges adſciverunt variæ in Europa Provinciæ, ut de Gallis, & Hiſpanis varii eorum Juris-Conſulti tradunt, eatenùs ſaltem, quatenùs cùm horum Judices in defectu ſuarum Legum juxta æquitatem judicare tenentur, æquiſſimum meritò arbitrentur, quod Jure communi deciditur.



Digitized by Google

### §. IV. *In Regibus ac Principibus reſpectu ſuorum Regnorum, ac Ditionum; imo etiam in Regina Regni Hærede.*

164 I. REges, & Prinreps ſupremi poſſunt in, & pro ſuis Regnis, Provinciis, ac Ditionibus ſibi ſubditis Leges Civiles ferre. *Ita Communiſſima apud Herincx cit. num.* 37. Ratio eſt: quia hæc poteſtas ſimiliter cum Regimine in illos eſt tranſlata, ſive abſolutè, ſive ſub certo modo, qui ex contractu vel conſuetudine conſtare debet. Atque ideò in quibuſdam Ditionibus non poteſt Rex, vel Princeps concedere Legem ſine Comitiis Regni. Idem dicendum eſt de Republica libera, quæ à ſe poteſtatem ſupremam regendi, aut Leges ferendi non abdicavit, vel ſaltem legitimè illam recuperavit; uti eſt *Veneta*, & *Genuenſis*.

165 II. Etiam Rrgina Hæres Regni per ſe habet Poteſtatem Legislativam Civilem reſpectu ſui Regni, ſive Regina nupta ſit, ſive innupta. Ita *Suarez, Layman, Herincx citat. numer.* 38. *& alii Communiter*. Ratio eſt: quia ut aliquis habeat Poteſtatem Legislativam reſpectu alicujus communitatis, requiritur, ut ſit capax juriſdictionis, habeatque titulum ſupremæ poteſtatis in illam communitatem: atqui Regina Hæres Regni imprimis eſt capax Juriſdictionis Civilis; ut ſupponitur in *cap. ex parte, de Privilegiis, & cap. Dilecti, de Arbitris*. Deinde habet ſupremam Poteſtatem in ſuum Regnum titulo legitimæ hæreditatis; & tandem defectus Scientiæ, aur Prudentiæ in ipſa, æquè ac Viro per Sapientium Conſilia ſuppleri poteſt: ergo. Et hæc Ratio eadem manet, ſive Regina ſit nupta, ſive innupta; nam per Matrimonium nullo jure tenetur transferre Regnum, aut Poteſtatem Regiam in Maritum, ſive adæquatè quoad proprietatem, ſive inadæquatè quoad adminiſtrationem: imò cum Regnum ſit velut officium, & onus Perſonale, ac dignitas in Regem, ejuſque ſucceſſores ita collata, ut citra Regni conſenſum nequeat juſtè in alium transferri, ſive quoad proprietatem, quod eſſet contra pactum, & inſtitutionem Regni, ſive quoad adminiſtrationem tantùm, quod poſſet eſſe Regno valdè pernicioſum; ideò non apparet titulus, quo Poteſtas Legislativa in Maritum Reginæ devolveretur, etſi in eum Regina derivet titulum, & honorem Regis, ſine tamen Poteſtate Regia, quæ ex primæva ſui Origine, vel per electionem, vel hæreditariam ſucceſſionem obvenire ſolet. Et licet juxta doctrinam *Div. Pauli* 1. *Corinth.* 11. *Vir ſit caput Mulieris*; quoad Oeconomicam Familiæ adminiſtrationem; Mulier tamen Regia poteſt eſſe caput Viri, ſicut omnium Civium, & totius Regni quoad politicam adminiſtrationem. Lex etiam illa *l. fœminæ, ff. de Reg. Juris*, ubi dicitur, *fœminas ab omnibus Officiis Civilibus, & publicis remotas eſſe., & ideò nec Judices eſſe poſſe, nec Magiſtratus gerere*, intelligitur tantùm de fœminis ſortis inferioris, non autem de præcellentibus, & in ſummo Regimine conſtitutis. Denique cur Abbatiſſa nequear ferre Leges Eccleſiaſticas, & tamen Regina ferre poſſit Leges Civiles, diſparitas jam ſupra *n.* 157. fuit inſinuata, nimirùm, quia fœmina non eſt capax Juriſdictionis Spiritualis, cùm hæc reſpiciat ſubjectum capax Ordinis, cujuſmodi non eſt fœmina, quia verò Juriſdictio Civilis non reſpicit ſubjectum capax Ordinis, hinc fit, quòd etiam fœmina ſit capax Juriſdictionis Civilis, adeoque etiam poteſtatis Legislativæ Civilis. *Paulus Mezger tract.* 8. *diſp.* 34. *num.* 11. *Suarez l.* 3. *cap.* 9.

166 III. Principes alii Inferiores non poſſunt Leges condere, niſi hoc eis à Principe ſupremo, aut communitate libera fuerit conceſſum, prout conceſſum eſt variis Principibus Germaniæ, & Italiæ. Hinc illi, quibus id non eſt conceſſum, non poſſunt ſuos ſubditos dirigere, niſi juata Leges ſuorum Principum ſupremorum. *Communiſſima apud Herincx cit. n.* 39. Ratio eſt: quia ex ſe non habent illam facultatem, neque etiam ab aliquo legitimam ad id poteſtatem habent. Imò Regulariter ſupremi Principes hoc ſibi munus reſervant, ut ex ſenſu communi, & conſenſu Doctorum patet, ac colligitur ex *l.* 2. *Cod. de veteri Jure enucleanda, & l.* 12. *Cod. de Legibus*. Confirmatur: Lex *juxta ſupradicta ſect.* 1. *quæſt.* 2. *n.* 28. debet eſſentialiter ferri à poteſtate publica, eaque ſuprema, aut ab eo, qui ad ferendam Legem facultatem accepit à ſuprema Poteſtate: ergo Principes inferiores, & non ſupremi nequeunt condere Leges, niſi hoc eis à ſupremo Principe fuerit conceſſum. Idem dicendum eſt de communitatibus non ſupremis ob eamdem rationem.

167 Specialiter ramen Principes Imperii (*ut obſervat Laym. apud Patrem Reiffenſtuel cit n.* 81.) habent à Cæſare *Regalia*, ejuſque benignitate ſummum Magiſtratum repræſentant; ac proinde juxta exigentiam, aliarumque circumſtantiarum poſſunt concedere Leges municipales pro ſuis territoriis, etiam contra commune Jus Cæſareum, dummodò cæteroquin ſint licitæ, & neque Imperatori, neque aliis Principibus, ſeu Populis præjudicium afferant, ſimulque ſalva maneant illa, quæ ſupremo Principi ſive Imperatori ſpecialiter reſervata eſſe ſolent. Ubi advertenda eſt Ratio diſparitatis, cur Imperator cjuſmodi Poteſtatem aliquid ſtatuendi contra commune Jus Cæſareum, Legemque Imperatoriam concedere ſoleat Principibus Imperii: Papa è contra deneget Poteſtatem Epiſcopis aliquid ſtatuendi contra Jus Canonicum: quia nempè in primo caſu tantum non intervenit periculum, quantum in ſecundo: nam in hoc periclitaretur ſalus æterna. (ad cujus promotionem, & conſecutionem Canones principaliter ordinantur) ſi Epiſcopi ex aliqua præſumptione, inronſideratione, aut diabolica fraude circumventi, quidpiam fini ultimo contrarium fortè ſtatuerent: in illo autem priori caſu ſolummodò bonum publicum temporale (quod eſt præcipuus finis Legis Imperatoriæ) aliquod præjudicium ſubiret, ſi contingeret, aliquem Principem Inferiorem ſatere ſtatutum, illi bono adverſum: quod tamen præjudicium fortè illatum, aur inferendum, tantum non foret, quin pluries reſarciatur, vel compenſetur per utiliſſima ſtatuta ab Inferioribus Principibus condita, qualia ab Imperatore tam faciliter non potuiſſent ſanciri, quippè, qui naturam, & mores particularium Nationum tam probè non poteſt noſſe, quàm proprii illarum Principes.

IV. Summus Pontifex *extra ſtatum Eccleſiaſticum*, nequit concedere Leges Civiles. *Communior Theologorum apud Bellarminum de Romano Pontifice l.* 5. *c.* 1. *Suarez, Mezger, & aliorum*. Ratio eſt: quia eam poteſtatem D. Petro, ejuſque Succeſſoribus à Chriſto conceſſam eſſe, ex nullo S. Scripturæ textu eruitur, nec traditione conſtat: ſiquidem Juriſdictio, quæ ſummo Pontifici à Chriſto collata noſcitur, eſt ſola poteſtas clavium Regni cœleſtis merè ad bonum ſpirituale fidelium ordinata. Nec obſtat, quod Boniſacius VIII. *Extravag. unam ſanctam inter communes, de majorit.* Summum Pontificem duobus gladiis, ſpirituali ſcilicet ac temporali à Chriſto munitum, oſtendens, dicat: *Oportet gladium eſſe ſub gladio, & temporalem authoritatem ſpirituali ſubjici poteſtati*. Reſpondetur enim, Pontificem duplicem quidem genere gladium, ſeu duplicem habere poteſtatem, & juriſdictionem, hoc tamen diſcrimine, quòd una poteſtas, videlicet temporalis, extra proprium ejus territorium, ſit ſolùm indirecta, & alteri ſeu ſpirituali poteſtati ſubordinata, ut eadem uti nequeat, niſi quantum exigit finis ſupernaturalis, ſcilicet Eccleſiæ, veræque Fidei ac Religionis Catholicæ conſervatio, & communis ſalus ſpiritualis alicujus Regni vel Provinciæ. Virtute hujus Leo Papa Romanum Imperium à Græcis ad Germanos tranſtulit, *Clement. unic. de Jurejurando*; cùm ad Eccleſiæ defenſionem, conſervationemque id neceſſarium eſſet: Leges præſcriptionem cum mala fide permittentes, aliaſque ſimiles, ab Imperatoribus conditas, alii Summi Pontifices Canonicis ſanctionibus correxerunt; & eodem modo declarata poteſtate, contractus, alioſque actus circa temporalia verſantes, tamquam Juri Divino naturali aut poſitivo contrarios prohibent, vel potiùs, ceu inhoneſtos declarant prohibitos. Unde etiam hæc poteſtas non merè temporalis, ſed ex parte nimirùm ratione finis, eſt ſpiritualis. 168

Dictum eſt: *Extra ſtatum Eccleſiaſticum*; quòd enim Summus Pontifex poſſit concedere leges, etiam Civiles, in ſtatu Eccleſiaſtico, ſeu terris Romanæ Eccleſiæ ex Principum donatione ſubjectis, certum eſt: quia has ditiones fungitur authoritate Principis temporalis. 169

Pro coronide hujus Quæſtionis, addo ſalutare monitum *noſtri Reverendiſſimi Patris Gulielmi Herincx Epiſcopi Iprenſis*, ſæpiùs citati, & ſæpiùs citandi, quod dat omni Legislatori, *diſput.* 3. *de Lege humana, quæſt.* 4. *numer* 57. dum ait: *Nihilominus cautè obſervanda eſt cuivis Legislatori parcitas in ſtatutis ſive Legibus condendis: nam nimia multiplicitas parit contemptum, ac nimiùm aggravat onus ſubditorum, tum in cognoſcendis, tum in ſervandis adamuſſim obligationibus. Deinde corruptiſſima Reipublica indicium, plurimæ Leges: ſat multa, ſat bene conſtituta ſunt, ſi ſat bene obſervari currentur*, ut ait Zypeus *l.* 3. *Analyſis Jur. Pontif. tit.* de *his, quæ ſiunt à Prælatis*. 170

## QUÆSTIO II.

*De materia, & forma Legis humanæ;*

171 CUm R. P. Patritius Sporer *tract. 1. Proœmiali Theologia Moralis Decalogalis c. 3. ſect. 6. n. 35. & ſeqq.* ſatis pertractaverit materiam Legis humanæ, dum fusè docuit, *Lege vel Præcepto humano per ſe directè præcipi, vel prohiberi poſſe omnem, & ſolum actum humanum externum, bonum vel malum moraliter, ac etiam indirectè actus internos ad actuum externorum directè præceptorum, vel prohibitorum moralem ſubſtantiam requiſitos, non item alios: Item ad implendam Legem, vel præceptum quodcunque neceſſariam eſſe intentionem faciendi ipſum opus præceptum, non item intentionem ſatisfaciendi præcepto, nec intentionem finis præcepti &c.* Ideò cùm noſtræ intentionis finis præcisè ſit, ea ſupplere, quæ à R. P. Patritio in ſua Theologia Morali fuere omiſſa, materiam Legis humanæ ulteriùs hic non pertractamus, ſed Lectorem ad præcitatum Tractatum primum Proœmialem R. P. Patritii Sporer remittimus. Hoc tantùm addimus ex *Maſtrio Theol. Moralis, diſput. 2. q. 4. nu. 98.* Actus externos, etiamſi occultos, adhuc ſubjacere pœnis Legis humanæ. *Ita Communior, & probabilior Sententia DD.* Ratio eſt: quia tales actus habent omnia requiſita, ut ſint proxima materia Legis humanæ, adeòque etiam pœnalis; quamvis enim ſint occulti, ſunt tamen ejuſdem naturæ cum publicis, ſolùmque extrinſecum teſtimonium deeſt, quod eſt per accidens. Unde inter actum internum, & externum occultum hoc verſatur diſcrimen, quòd ille ex ſe, & natura ſua occultus ſit, & ideò pœnæ Legis humanæ non ſubjacet; hic verò, quia tantùm per accidens, & defectu extrinſeci teſtis occultus eſt, Legis humanæ pœnam ſubterfugere non debet, Lex enim reſpicit, quod eſt per ſe. Unde ſequitur, quotieſcunque Lex non limitat pœnam ad actum publicum, extendi etiam ad occultum. Quare ille, qui eſt hæreticus internus formalis, & hæreſim animo conceptam prodit per actum externum, etiam nullo omnino teſte præſente, excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrit. Igitur jam de ſola forma Legis humanæ tractabimus.

## SUMMARIUM.

172 & 173 *Forma Legis Alia Intrinſeca, Alia Extrinſeca.*
174 & 175. *Promulgatio ſolemnis requiritur, ut Lex actu obliget.*
176 *Poſt Promulgationem an etiam obliget ignorantes?*
177 *An declarationes Legum debeant promulgari?*
178 *Leges Imperiales debent promulgari in ſingulis Provinciis Imperii,*
179 *Et obligant modo poſt lapſum duorum menſium à die factæ publicationis.*
180 & 181. *Quanta promulgatio requiratur ad obligationem Legum Aliorum Regum, & Principum?*
182 *Leges Epiſcopales debent tantùm promulgari in Matrice Eccleſia.*
183 Uſque ad n. 187. *Leges Pontificiæ, ſolùm Romæ promulgatæ obligant ſtatim totam Eccleſiam.*
187 *Excipiunt aliqui certas Leges Pontificias.*
188 *Excipimus, & nos aliquas.*
189 & 190. *Quid dicendum de Bullis Pontificum damnantium certas propoſitiones?*
191 & 192. *Ad valorem Legis non requiritur Acceptatio populi.*
193 *Niſi ex circumſtantiis contraria Principis voluntas colligatur.*
194 & 195. *Si Lex ſit dura, an eam non acceptantes, vel non obſervantes, peccent?*
196 *Cur multæ Leges Pontificiæ in pluribus regionibus de facto non obligent?*

## ASSERTIO II.

172 P*Romulgatio publica, & ſolemnis requiritur ad hoc, ut Lex humana actu obliget. Leges imperiales non obligant, niſi poſtquàm fuerint promulgatæ in ſingularum imperii Provinciarum Metropoli, & poſt lapſum duorum menſium à facta promulgatione. Leges Regum, & Principum extra Romanum imperium ſtatim obligant poſt factam Promulgationem in Metropoli Regni, vel Principatus, niſi conſuetudo, aut jus aut privilegium particulare aliud exigat: Lex Eccleſiaſtica, ad hoc ut obliget, non exigit, per ſe loquendo, lapſum duorum menſium, ſed præcisè, ut promulgetur in Eccleſia matrice, ſi Epiſcopalis ſit, & ut promulgetur Romæ, ſi ſit Pontificia, ac univerſalis totam Eccleſiam obligant. Nec Lex Eccleſiaſtica, nec civilis quoad ſuum valorem dependet ab acceptatione ſubditorum.* Eſt communis DD. apud Authores infra citandos.

### §. I. *Promulgatio Publica, & ſolemnis requiritur ad hoc, ut Lex humana actu obliget.*

I. F*Orma legis humanæ* alia eſt *intrinſeca*, alia *extrinſeca*. Intrinſeca conſiſtit in ipſa Legis eſſentia, ac in requiſitis ad ſubſtantiam Legis, de quibus ſufficienter diximus ſuprà *Sect. 1. q. 1. & 2.* Extrinſeca conſiſtit in ſolemnitatibus extrinſecis ad actualem Legis efficaciam requiſitis, præcipuè circa promulgationem, & acceptationem. Atque de hac poſteriore forma hic nobis agendum eſt. Itaque dicimus. 173

II. Promulgatio Publica, & ſolemnis requiritur ad hoc, ut Lex humana actu obliget. *Ita Communiſſima Thomiſtarum cum D. Thoma qu. 90. artic. 4. Scotiſtarum cum Doctore Subtili in 4. d. 3. qu. 4. art. 1. ac Recentiorum:* imò eſt certa Doctrina, non tantùm expreſſa in utroque Jure, *cap. 1. de Poſtulatione Prælatorum, & Authent. Ut factæ novæ conſtitutiones, quæ eſt 66. inter novellas Juſtiniani,* ſed etiam ubique jure gentium recepta. Ratio eſt: quia cum lex ſit Regula publica, & communis, debet etiam publicè, & communiter proponi; ita quidem, ut ea ad notitiam totius communitatis devenire poſſit: Non tamen requiritur, ut ejus notitia ſingulorum auribus ſpecialiter inculcetur, cum hoc regulariter ſit impoſſibile. Nec requiritur ex natura rei certa promulgationis forma, ſed quælibet ſufficit, quæ juxta morem patriæ cenſetur ſolemnis propoſitio legis, ſive fiat viva voce, ſive ſcripto, in loco communi, & publico, ad quem poſſint, & ſoleant omnes convenire. *Herincx cit. n. 100.* 174

Hinc patet, aliquem eò uſque non obligari lege humana, quam quis privatim ſciret in conſilio conſtitutam, aut etiam ſcriptam; neque etiam obligari communitatem, quamvis ita privatim perveniſſet ad aures ſingulorum, ut omnium conſenſu, & praxi eſt manifeſtum. Unde ſequitur eum, qui interfuit conſilio, in quo decretum de pretio frumenti, aut valore monetæ minuendo eſt conditum, vel qui id alia via cognovit, poſſe ante publicam promulgationem citra injuſtitiam diſtrahere frumentum, aut monetam juxta valorem, aut pretium currens. Ita *Herincx cit. qu. 9. n. 101. Caſtro-Palaus diſp. 1. q. 2. n. 2. Mezger tract. 8. diſp. 31. art. 2. n. 2. Burghaber cent. 1. caſu 6. vide tamen Sporer tract. 6. in Dec. c. 5. Sect. 1. n. 34.* ubi ponit aliquam exceptionem. 175

III. Nota verò, poſt factam ſufficientem promulgationem obligari Lege etiam illos, qui illam ignorant, ſicut, & obligantur, qui de facto Legem non conſiderant, vel de ea non cogitant. Quamquam ſi ignorantia, vel inadvertentia ſit inculpabilis, certum ſit, ejuſmodi Legis tranſgreſſionem tantùm eſſe peccatum materiale. Si verò ſit culpabilis, poteſt Lex in taliter ignorantibus ſortiri omnes ſuos effectus; niſi quoad aliquos ſpecialiter exigat ſcientiam. Aliquos tamen effectus lex humana etiam in invincibiliter ignorantibus obtinet, qui videlicet non pendent à notitia operantis. Hoc patet in lege irritante contractum v. gr. matrimonii, quod ſine debitis ſolemnitatibus celebratum, quantumvis ab invincibiliter ignorantibus, conſtat eſſe invalidum. Idem eſt in lege inabilitante aliquem ad officium cui, etſi ignoranti, invalidè confertur. Similiter qui, etſi ignoranter, vendit merces ſupra pretium lege taxatum, tenetur ad reſtitutionem. Denique pœnam priori lege conſtitutam v. gr. excommunicationem non incurrit, qui ignorat eam per poſteriorem legem eſſe revocatam, quantùmvis eam ſe putet incurriſſe. *Herincx cit. n. 102.* Ex his. 176

IV. Colliges I. *Declarationes Legum* non indigere promulgatione; quia leges ejuſmodi jam ſupponuntur promulgatæ, & per declarationes aliud non agitur, niſi quod aperiatur ſenſus, qui legibus jam inerat ab initio: prout pluribus oſtendit Fagnanus *in 1. part. l. 1. Decret. de conſtit. c. quoniam, 2. legem non ſcriptam, ſeu conſuetudinem* habentem vim legis, de qua infrà *Sect. 3. num. 295.* etiam nullam exigere Promulgationem; cùm solummodò per tacitum communitatis, vel principis conſenſum invaleſcat, & paulatim introducatur, & uſu communi approbetur. 177

### §. II. *Leges imperiales non obligant, niſi poſtquam fuerint promulgatæ in ſingularum Imperii Provinciarum Metropoli &c.*

I. ITa contra nonnullos docent communiter tam Theologi, quam Juriſperiti *ob Authenticam, ut factæ novæ conſtitut. 66. inter novellas Juſtiniani:* quæ licèt 178

agat

agat de conſtitutionibus circa teſtamenta, id tamen facit ſolùm exemplificativè, ut colligitur ex ratione, quàm allegat: *Cur enim culpabimus eos: qui poſitas noſtras ignoraverint conſtitutiones, ſi eo quòd non fuerint ſufficienter propoſita, ignorentur?* & præſertim ex titulo, ſeu Rubrica univerſali, quæ juxta juriſperitos vim habet textus, facitque jus univerſale, quatenùs non repugnat nigro, ſeu textui, quando habet ſenſum completum, ſeu perfectum, prout in præſenti habetur juxta Doctrinam *Baldi*, & aliorum docentium, quòd Rubrica reddat completum ſenſum, explicet textum, & vim textus habeat, quando incipit per *ne*, vel *ut*, ſicut in præſenti fit. Confirmat hanc explicationem, ſeu conſuetudinem. Sicque hanc Authenticam generaliter latam eſſe, intellexit Pius Quartus in Bulla *ſuper declaratione temporis ad obſervanda Decreta Concilii Tridentini*: quæ incipit: *Sicut ad Sacrorum*, ubi ait: *jure etiam communi ſancitum eſt, ut conſtitutiones novæ vim nonniſi poſt certum tempus obtineant*. Quod tamen non niſi Authentica Præfacta ſancitum eſt, in qua tum hoc, tum promulgatio in ſingulis Provinciis decernitur.

179 II. Leges Imperii debent eſſe duobus Menſibus promulgatæ, computando à die publicationis in Provincia, antequàm in illa vim ſuam exerant. Ita *communiter Doctores ex eadem authentica citata*. Et quamvis aliqui iſtam conſtitutionem accipiant ita, ut non liberentur ab obligatione Legis, qui citiùs notitiam illius obtinent, ſed tantùm duo iſti menſes proſint ad allegationem ignorantiæ, quæ interea præſumitur: nihilominùs ſine fundamento verba conſtitutionis ita reſtrictim intelliguntur: quinimò ipſe Pius IV. *Bulla cit.* aliter eam intellexit. Idem colligi poteſt ex contextu ipſius *Authentica*. Et congruentia juſta ſic ſtatuendi fuit, ut videlicet omni perturbatione, ac confuſione vitata Lex ſimul inciperet ab omnibus per totam Provinciam uniformiter obſervari, poſteaquàm duorum menſium ſpatio per totam Provinciam commodè potuit divulgari, & à pleriſque cognoſci. Unde ante duos menſes expletos à publicatione, licitè contrarium Legi practicari poteſt, & validè, ac licitè ineuntur contractus per Legem Cæſaream irritati. *Herincx cit. num.* 104.

180 III. Leges Regum, ac Principum, quibus per accidens v. gr. ratione matrimonii, aut alio titulo ſubſunt diverſa Regna, vel Provinciæ ſibi invicem non connexæ, aut ſubordinatæ, ſed quorum ſingulæ manent una perfecta communitas, debent promulgari in ſingulis Regnis, & Provinciis. Communiſſima apud Herincx *cit. num.* 105. Ratio eſt: tum quia id eſt uſu, conſuetudine, ac praxi receptum, ut de Regnis Hiſpaniæ notat *Vaſquez diſput.* 156. *cap.* 2. tum quia per ſe requiritur, ut promulgatio fiat in regno, & Provincia ſeparata, perfecta; quò jure non privatur per caſualem ſubjectionem ad Principem, qui ſimul aliis Provinciis præſidet; nec præſumendum eſt, Provincias per hoc ſe voluiſſe jure iſto privare.

181 IV. Extra terras Imperii Romani, aut in quibus jus Cæſareum non ſervatur, pro ſingulis Regnis, aut Principatibus ſufficit una promulgatio, facta in loco aliquo celebri v. g. Metropoli; etſi Regnum pluribus Provinciis conſtet: niſi conſuetudo, aut jus, vel privilegium particulare aliud exigat, prout quandove ex hoc capite requiritur promulgatio etiam in ſingulis Regni civitatibus ſaltem primariis. Nec Legis Promulgatio ſuſpenditur ad duos menſes, ſed ſtatim incipit, poſtquàm effluxit tempus moraliter ſufficiens ad habendam notitiam Legis latæ, & promulgatæ, niſi in Lege certum tempus expreſsè definiatur. Communis DD. apud *Herincx cit. num.* 107. Ratio eſt: quia amplius ex natura rei non requiritur: nec etiam ea jure particulari, ut ſupponitur: Jus autem Cæſareum in locis, de quibus agimus, non habet locum. Unde cenſentur iſti Reges, & Principes id relinquere in terminis Juris, & æquitatis naturalis; nimirùm, ut Leges obligent Regnum, vel Principatum ſine excuſatione, quando effluxit tempus moraliter ſufficiens ad habendam notitiam de Legibus latis, & promulgatis. Hinc conſequens eſt (*ait Vuiggers quæſt.* 96. *artic.* 4. *numer.* 75.) Legem citiùs obligare in civitate, in qua promulgatio facta eſt, quàm in locis remotioribus: ſtatim enim ibi ſolet innoteſcere, ideòque etiam ibi ſtatim obligat. Quod ſaltem videtur omninò uſu receptum ea mente Legiſlatoris.

### §. III. *Lex Eccleſiaſtica ad hoc ut obliget, non exigit per ſe loquendo lapſum duorum menſium, ſed præciſè ut promulgetur &c.*

182 QUòd ad Leges Epiſcopales attinet, juxta communem Doctrinam, ſufficit eas promulgari in Eccleſia Matrice. Similiter Leges Concilii particularis obligant promulgatæ in loco Concilii: plus enim nec ratio, nec jus poſitivum requirit. Quod ſi unus Epiſcopus habeat plures Epiſcopatus, debet Lex reipſa promulgari in utroque Epiſcopatu, ut in ſimili ſupra notavimus de Rege Præſidente in pluribus regnis ſimiliter nec jus, nec conſuetudo requirit lapſum certi temporis, ante quod Leges Epiſcopales poſt promulgationem non cenſeantur obligare, niſi id expreſsè in Legibus determinetur. Ita communis apud *Herincx cit. n.* 108. *Mezger, & Alios*.

II. Leges Pontificiæ, & univerſales totam Eccleſiam obligantes non debent promulgari in ſingulis Provinciis; ſed ſimul, ac Romæ in Curia, aliiſque conſuetis locis ſolemniter promulgatæ fuerunt, quantùm eſt ex ſe, ubique terrarum vim obligandi habent, niſi aliud in ipſis exprimatur. Ita Communior Doctorum, *Abbas Panormit. Cardinalis de Luca, Caſtro Palaus, Suarez, Vaſquez, Sylveſter apud Reinffenſtuel & alii*, contra directè oppoſitam ſententiam non paucorum Doctorum aſſerentium ſpectato rigore juris, & niſi aliud in Bulla Pontificia exprimatur, ad obligationem Legis Pontificiæ, præſertim pro foro conſcientiæ, non ſufficere ſolam Promulgationem Romæ factam. Hanc ſententiam apud Reinffenſtuel *l.* 1. *Decret. tit.* 2. *n.* 125. tenent *Navarrus, Felinus, Medina, Sotus, Leſſius, Laym. lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 6. *Petrus Marchantius, Bernardus Sannig, Pirhing, Engel, & alii*, ut proin huic opinioni non deſit probabilitas extrinſeca, ex authoritate tot Doctorum ipſam tenentium deſumpta. Nec deſunt ei rationes videndæ apud Reinffenſtuel citatum. 183

Ratio noſtræ ſententiæ eſt: Quia ſi requireretur Promulgatio in ſingulis Provinciis; eſſet, vel quia Pontifex aliter obligare non poſſet, vel quia non vellet. Non primum: conſtat enim etiam ex confeſſione aliorum, ipſum abſolutè poſſe velle, ut ſufficiat promulgatio Romæ fieri conſueta in Locis ordinariis: quod ipſum frequenter in ſuis conſtitutionibus exprimit, ſignanter Clemens VIII. in ſua 115. conſtitutione, *Quæcumque*, §. 15. Urbanus VIII. in Bulla, *In Eminente*, ac noviſſimè Innocentius XII. in Bulla, quæ incipit; *Speculatores Domus Iſrael*, edita 1694. *die* 4. *Nov.* Non ſecundùm: quia ejuſmodi mens, ſeu non voluntas ex nullo capite colligitur; quin potiùs oppoſita voluntas ex ſtylo, & praxi Romanæ Curiæ, in qua deciduntur negotia Chriſtiani orbis juxta Leges ibi promulgatas, imò ad oppoſitam opinionem elidendam Pontifices ſubinde addunt in ſuis conſtitutionibus Clauſulam; ut poſt ſolam promulgationem Romæ factam omnes ubique obligent, prout fecerunt tres Summi Pontifices modò citati. Eſtque modus ille utilis declarandæ majori Eccleſiæ unitati, & obedientiæ Vicario Chriſti debitæ, ac independentiæ ab Epiſcopis, & magis à Poteſtate ſæculari, quæ alioquin facilè in Decreta Supremi Capitis manum ſuam authoritativè extenderet.

Confirmatur I. Quia ſummus Pontifex quandoque ſpecialiter exprimit ſuam voluntatem qua vult, aliquam Legem non obligare, niſi in ſingulis Epiſcopatibus promulgatam; atqui hoc fruſtra exprimet, ſi Lex Pontificia de ſe non obligaret totam Eccleſiam, niſi in ſingulis Epiſcopatibus promulgata: ergo. II. Alexander VII. *in Propoſitione octava, nona, & trigeſima ſeptima*, damnata refert ſe ad Decreta Summorum Pontificum non promulgata in ſingulis Provinciis, & tamen ſatis declarat, peccare eos, qui illis contraveniunt: ergo Decreta Pontificia obligant, licet non ſint promulgata alibi, niſi Romæ; modò certitudine morali conſtet, illa eſſe Romæ promulgata; & quidem, quod requiratur hæc notitia certa de promulgatione facta Romæ, eſt indubitabile; *inquit Cardena in Criſi Theologica, diſſerat, nu.* 198. Nam ignoranti Legem, aut invincibiliter dubitanti de illa, aut de illius promulgatione à Superiore facta, non intimatur ſufficienter Lex. 184

III. Nec obſtat, quòd jure Civili requiratur promulgatio in ſingulis Provinciis *Novella* 66. *ſupra cit.* Jus autem Canonicum utatur jure Civili, ubi diverſum, vel contrarium non diſponit, *c.* 1. *de novi operis nunciat.* prout in præſenti non ſit. Nam *capitulo cit.* ſolùm decernitur, ſeu aſſeritur, Leges Cæſareas eſſe ſervandas in Judiciis cauſarum deficientibus Canonicis; idque merito; cùm cauſæ decidendæ aliqua Regula decidi debeant, quà nulla videtur aptior Lege Civili, ſi Canonica deficiat. Modus autem ferendi Leges longè gravior eſt, & pertinens ad propriam Pontificis actionem, & poteſtatem, ideòque ad hunc caſum non eſt Regula iſta extendenda. Saltem ſatis conſtare videtur, non eſſe uſu à Pontifice receptum hac in parte jus Cæſareum. 185

Confirmatur: quia idem jus Cæſareum ſtatuit, obligationem Legis ſuſpendi uſque ad duos menſes à die promulgationis; ut conſtat communi ſenſu, & praxi, non requi- 186

ri lap-

ri lapſum hujuſmodi temporis in Legibus Pontificiis, quando nil ſpecialiter de hoc exprimunt: prout apud *Reiffenſtuel cit. n.*116. docent *Proſper Farinacius, citans Imolam, Zabarellum, Alexandrum de Novo, & Alios; item Pirrhing. Caſtro-Palaus, Navarrus &c.* contra *Hoſtienſem, Quintilianum Mandeſium, Menochium, Decium, & Alios* oppoſitum aſſerentes: ergo ſignum eſt, ſimpliciter nec quoad aliud punctum connexum eſſe receptum. Quòd autem Pius IV. *in Bulla cit. nu.* 578. reſpexerit ad jus Cæſareum circa determinationem temporis, poſtquod Concilium Tridentinum inciperet obligare, id non fecit, quaſi ſenſerit, illud habere locum in Legibus Eccleſiæ, ſed tantùm illius exemplo declarat, rationabiliter à ſe quoque in *Bulla cit.* determinari certum tempus, ideòque non idem, quod jus Cæſareum determinat, ſed diverſum.

IV. Excipiunt plurimi Leges irritatorias contractuum, vel inhabilitantes ad Sacramentorum adminiſtrationem, aut ſuſceptionem ad officia, vel beneficia &c. Alii inſuper revocationes Privilegiorum v. gr. Poteſtatis abſolvendi à caſibus reſervatis: quod *Sotus lib.* 1. *de Juſtit. quæſt.* 1. *art.* 4. tradit veluti certum; quaſi illæ exerant, quidem vim ſuam, ubi ſunt promulgatæ, non tamen alibi. Idem *Sotus ſupr. c.* &c. Alii plures tradunt de revocatoriis Indulgentiarum. Quæ, licet probabilia ſint, non cogunt tamen, utpotè non habentia ſpecialem rationem exceptionis, quàm fundatam in incommodis gravibus aliter oriundis, ob quæ meritò præſumi queat, talem eſſe mentem Legislatoris: Quibus equidem obviari poſſe videtur 1. per hoc quòd non obſtante, quòd eadem incommoda ſequantur, tamen ſubinde Summi Pontifices, ut ſuprà dictum, expreſsè declaraverint, quòd ad obligationem Bullæ ſuæ de novo editæ, ſufficiat ſola publicatio Romæ facta; prout benè advertit *P. Reiffenſtuel cit. num.* 113. 2. per hoc, quòd Leges Romæ promulgatæ non ſtatim ubique actu obligent, quouſque ſufficienter innoteſcant, & illarum moraliter certa notitia habeatur. Unde dum dicimus, Leges Pontificias Romæ promulgatas, *ſtatim* obligare orbem Chriſtianum, *ſtatim* non accipitur pro ſecluſione omnis moræ poſt affixionem, vel evulgationem earum, ſed cum temporis latitudine, moraliter, ſeu prudentum Judicio requiſita, ut ſingulis Provinciis, & Epiſcopatibus innoteſcere poſſit. In quo ſenſu intellecta noſtra aſſertio non ſolùm procedit de Legibus Canonicis, in quantum ſunt præcipientes, vel prohibentes, ſed etiam, in quantùm ſunt *irritantes, inhabilitantes, ſuſpendentes, revocantes, punientes &c.* Et ſic reſpondendo caventur omnia incommoda, quæ aliàs oritura timentur. Nam qui moraliter certus eſt, aut eſſe potuit de Lege à Summo Pontifice lata, & promulgata, vi cujus aliquis contractus, v. g. (*idem eſt de aliis*) ſine forma per talem Legem præſcripta, nulliter celebratur, & tamen eam formam non adhibet, ſibi nullitatem imputare debet, non defectui ſufficientis promulgationis &c. videatur *P. Krimer numer.* 152. & 153. & 129. Quæ verò ex ratione contra noſtram Aſſertionem objici poſſent; ſi quid probent, probarent etiam, promulgationem in ſingulis provinciis requiri ex natura rei: quod tamen authores Sententiæ contrariæ admittere non auderent; imò probarent, ne hanc quidem ſufficere, ſed requiri etiam promulgationem in pluribus Provinciæ, præſertim vaſtioris, locis. Uti bene advertit *P. Herincx cit. n* 112.

188 Diximus tamen in noſtra aſſertione: *per ſe loquendo*; id eſt, *niſi Papa aliter diſponat:* prout diſpoſuit circa Legem irritantem matrimonium clandeſtinum, latam *in Concilio Tridentino Seſſ.* 24. *in Decreto de reformat. cap.* 1. Hæc enim non habet vim obligandi, niſi poſt 30. dies à promulgatione facta in Parochia. Item conſtitutio concernens Medicos c. 13. *de pœnit. & Remiſſ.* ubi ſub pœna ingreſſus in Eccleſiam prohibentur infirmos accedere, niſi ante, ut ſacra exomologeſi animæ morbis medeantur, eos inducant, priùs non ſtringit, quàm in ſingulis provinciis fuerit promulgata. Prætendunt præterea Galli, & Hiſpani apud P. Paulum Mezger *hic n.*11. Regibus ſuis conceſſum eſſe Privilegium ut diplomata Pontificia in eorum ditionibus non obligent, antequam ibi, accedente Regio conſenſu, ſolemniter publicata ſint. Quod ipſum tamen per accidens, eſt nihilque noſtræ aſſertioni officit. Ex his

189 *Colliges*, Bullas Pontificias, quibus aliquæ Authorum Sententiæ, tamquam ſcandaloſæ, temerariæ, & hæreticæ damnantur, & practicari prohibentur, obligare ante publicationem in Diœceſibus factam, dummodò aliàs ſufficienter innoteſcunt, non tantùm, quatenùs declaratorias juris naturalis, & Divini, ſed etiam quatenùs prohibitorias, & pœnales. Ita P. Cardenas *cit. cap.* 11. *Mezger cit. diſp.* 34. *art.* 3. §. 3. *num.* 15. addens: ſicut facta Romæ ſolemni Canonizatione alicujus Sancti, teneor ipſum habere pro Sancto, quamprimùm mihi illa Canonizatio ſufficienter innoteſcit, etiam non facta promulgatione in partibus; ſic teneor illam opinionem habere pro falſa, quam Papa veluti falſam, ſcandaloſam &c. ex Cathedra declaravit, quamtumvis nulla ſpecialis promulgatio in partibus acceſſerit.

### §. IV. *Nec Lex Eccleſiaſtica, nec Civilis quoad ſuum valorem dependet ab acceptatione ſubditorum.*

LEx poſt promulgationem debitè factam tunc cenſetur 190
*acceptari*, quando communitas eam approbat verbo, ſcripto vel alio ſigno v. gr. quando ipſam in caſu occurrente obſervat, inſuper dum communitas Legem obſervat, dicitur *Lex eſſe uſu recepta*. Jam inquiritur, an ad formam Legis humanæ requiratur acceptatio populi? Diximus itaque:

I. Ad eſſentiam Legis humanæ non requiritur accepta- 191
tio populi: ſeu Lex humana, nec Eccleſiaſtica, nec Civilis quoad ſuum valorem dependet ab acceptatione ſubditorum. Ita Maſtrius *Theol. moral. diſput.* x. *quæſt.* 1. *art.* 2. Herincx *cit. quæſt.* 50. *num.* 115. Reiffenſtuel *cit. num.* 136. Suarez, Vaſquez, Averſa, Lezana, Caſpenſis, & communis tum Theologorum, tum Juriſperitorum, & nunc poſt Decretum Alexandri VII. ſtatim allegandum, ferè indubitata. Juxta quam doctrinam conſequenter peccant ſubditi, qui Legem latam, & promulgatam nolunt acceptare, & obſervare. Ratio eſt. I. quia Alexander VII. damnavit ſequentem in ordine 28. propoſitionem: *populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat Legem à Principe promulgatam.* II. Quia ſi obligatio Legis dependeret ab acceptatione populi, id fieret, vel quia in Principe deeſſet poteſtas aliter obligandi, vel quia deeſſet voluntas; ſed neutrum dici poteſt. Non primum, ut de Eccleſiaſtico Principe patet, cùm is non acceperit poteſtatem condendi Leges à populo: ſed Papa quidem immediatè à Chriſto, cæteri autem Eccleſiæ Prælati à Pontifice; quibus tamen non cernitur ex ullo capite poteſtas iſta cum tali à populo dependentia fuiſſe conceſſa. De Principe autem ſæculari ſupremo idem conſtat, *cùm populus ei, & in eum omne ſuum Imperium, & poteſtatem conferat*, ut habetur *l.* 1. *ff. de conſtit. Princ.* atque adeò contulerit quoque poteſtatem populum obligandi, & urgendi ad acceptandam Legem, ſine qua poteſtas obligandi foret ineſficax. Imo ſi energia præceptorum Principis dependeret ab acceptatione populi, jam reverà non eſſet abſolutus Dominus, ſed penes populum reſideret præcipuè vel pro parte, poteſtas condendi Leges. Non poteſt etiam dici ſecundum, quòd ſcilicet deſit in Principe voluntas, quia ſolent Legislatores per pœnas compellere ad Legis executionem, ut ex communi uſu conſtat: ergo obligatio Legis non dependet ab acceptatione populi.

II. Nec obſtat, quòd c. *iſtis*, §. *Leges*, *diſt.* 4. dicatur: 192
*Leges inſtituuntur, cùm promulgantur: firmantur, cùm moribus utentium comprobantur*: ergo dependet ab acceptatione populi. Nam reſpondetur, diſtinguendo conſ. dependet ab acceptatione populi quoad ſuum valorem, & efficaciam, nego conſ. quoad perfectionem accidentalem, quam Lex ab exercitio, & uſu ſubditorum acquirit, ne ipſius vigor ex non uſu, vel contraria conſuetudine enervetur, concedo conſ. Et in hoc poſteriori ſenſu textus cit. intelligendus eſt; ſicut, & ſequens, ubi habetur *l. de quibus, ff. de Legib. Ipſæ Leges nulla alia ex cauſa nos tenent, quàm quod Judicio populi receptæ ſunt.* Si eum velis accipere pro hoc tempore, quo populus ſuam poteſtatem tranſtulit in Principem. Quod ideò additur: quia *P. Reiffenſtuel cit. n.* 142. putat, eundem verificari de populo Romano pro tempore antiquo, quo utebatur regimine Democratico, & poteſtas Legislativa reſidebat in ipſo populo.

III. Advertit tamen optimè *P. Herincx cit. n.* 116. quòd 193
noſtra aſſertio *regulariter* ſit vera, ideſt, niſi ex circumſtantiis contraria Principis voluntas ſatis colligatur; prout v. gr. præſumi poſſe videtur (ut varii aſſertores noſtræ ſententiæ, in ſpecie *Suarez, Pirrhing, & Caſtro-Palaus* apud *Reiffenſtuel cit. n.* 48. notant) in Lege valdè difficili, quòd non intendat initio abſolutè obligare, ſed ſolùm tentare populi ſenſum, & juxta eum Legem vel plenè confirmare, vel relaxare, & moderari. Intereà tamen conſultius erit, apud Principem pro Legis ſublatione ſupplicare, qua ſtante ſupplicatione, licitum eſt populo ſuſpendere obligationem Legis. Ita *Herincx cit. Reiffenſtuel cit. num.* 145. *Rodriquez, Salas, Bonacina, & alii*; id namque eſt moraliter neceſſarium debito Regimini ac paci plebis; adeòque meritò Legislator præſumitur eſſe contentus. Quod proinde circa reſcripta Pontificia (eadem autem ratio militat in Legibus (expreſsè declaravit Alexander III. *c. ſi quando* 5. *de reſcriptis* Archi-Epiſcopo Ravennati reſcribens: *qualitatem negotii,*

pro

Digitized by Google

*pro quo tibi ſcribitur, diligenter conſiderans, aut mandatum noſtrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non poſſis, rationabilem cauſam prætendas; quia patienter ſuſtinebimus, ſi non feceris, quod prava nobis fuerit inſinuatione ſuggeſtum.* Quod ſi Pontifex conſultus nihil reſpondeat, cenſebitur regulariter annuere petitioni, aliàs enim deberet reſpondere. Qui autem tacet in tali caſu, conſentire videtur. Eſtque etiam hæc interpretatio benignior, adeòque in odioſis adhibenda. Nihilominùs ſi ſatis clarè conſtaret ex conjecturis, ſeu iodiciis, Pontificem non aonuere, ſed tacere, ut ſubditi benignè alliciantur ad legis obſervantiam, ceſſaret ratio præſumendi conſenſum ex taciturnitate.

194 Quamvis autem de rigore Juris; & niſi Lex ſit manifeſtè injuſta, licèt dura, videatur recurrendum ad remedium ſupplicationis, ut dictum: idque pro foro externo moraliter ſit neceſſarium; ne Leges à populo paſſim & propemodùm liberè reſpui valeant, ob prætenſum earundem rigorem, vel alias cauſas, à parte rei ſæpè non ſubſiſtentes; & ſic lata porta aperiatur ſcandalis, tumultibus, & ſeditionibus, in graviſſimam Reipublicæ perniciem. Nihilominùs loquendo pro foro Conſcientiæ, ac ceſſantibus memoratis incommodis, ſatis probabile eſt, non peccaturos illos, qui etiam non porrecta Principi ſupplicatione, ex tam rationabili cauſa non acceptarunt, neque obſervarunt Legem publicatam; quod innuitur, atque concluditur ex allegata, & rationabiliter præſumpta Principis voluntate, quòd noluerit illicò populum tam graviter obligare, ſed ſolummodò ſenſum ipſius anteà probare. *Reiffenſtuel num.* 149.

195 Deinde idipſum dicendum eſt, atque excuſatur populus non ſtatim recipiens legem, quando ſubeſt alia rationabilis cauſa à Principe veriſimiliter ignorata; nam ea, quæ ſunt facti, atque in facto conſiſtunt, v. gr. ſpeciales locorum ac perſonarum ſingularium conſuetudines, & ſtatuta, etiam Princeps ignorare poteſt, nec cenſetur iſtis per legem generaliter latam derogare velle, niſi id exprimat. *Reiffenſtuel cit. num.* 150.

196 IV. Ex his patet, quomodo multæ Leges, ſeu Bullæ Pontificiæ in variis Regionibus non obligent (ſecundùm quod proinde varium, ſeu non idem ubique debet eſſe judicium in praxi) videlicet, vel quia in iis neque divulgatæ, ſeu publicatæ, neque acceptatæ, conſentiente, ſeu tacitè connivente Pontifice; vel quia defectu publicationis, & acceptationis, eſto in principio culpabili, aut fundato in contraria opinione, tandem in perfectam deſuetudinem, prævie ad viridem obſervantiam, deſierunt. Illud autem plerumque oritur ex eo, quòd Ordinarii frequenter advertant, aut putent, ac ſæpè non infundatè, leges varias non congruere publicæ utilitati ſuarum Diœceſium ob inveteratas, & ratio iabiles earundem conſuetudines, genium plebis, defectum finis legis, verb. gr. quæ lata fuit ob pericula, vel defectus, qui ibidem generatim non graſſantur, imò vix noſcuntur &c. Interdum etiam Ordinarii ob poteſtatem Laicam non poſſunt exequi pro libitu ſuo mandata Apoſtolica. Intereà verò tempore fluente in deſuetudinem leges abeunt, antequàm uſu recipiantur. Ita *Herincx cit. num.* 557. *& ex illo* Reiffenſtuel *cit. num.* 134

197 Inſuper, quamvis Lex cæteroquin juſta & ritè promulgata, quantum eſt de ſe, illicò habeat vim obligandi omnes, ſingulos ſubditos: tamen quod ad praxin attinet, peccati alicujus damnandi non ſunt, neque puniendi ſinguli de communitate, ſi Legem, quam major pars communitatis defacto non ſervat, nec recipit, ipſi quoque non obſervent. Ratio eſt: quia lex eſt commune Præceptum, *Leg.* 1. *ff. de Legibus*, ſicque primò reſpicit, atque obligat communitatem: ergo ſi non obſervetur, nec recipiatur à communitate, vel ſaltem majori ejus parte, non cenſetur ampliùs Legiſlator velle obligare unum, vel alterum dumtaxat ad ejus obſervantiam: nam in iis, quæ reſpiciunt communitatem, attenditur major pars illius, non autem pars minor, neque unus, vel alter privatus homo illius communitatis. Ita Herincx cit. Reiffenſtuel *cit. num.* 51. Felinus, Navarrus, Suarez, Pirrhing, Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 3. hoc exemplificans de Lege Pontificia, ſi quam in ſua Diœceſi neque promulgatam, neque à communitate uſu receptam, aliqui etiam particulares non obſervent; & alii.

## QUÆSTIO III.

*De Effectu, ſeu Obligatione Legis Humanæ.*

## SUMMARIUM.

199 *Leges humanæ tam Eccleſiaſticæ, quàm etiam Civiles obligant in Conſcientia.*
200 *Si non ſemper ad actum præſcriptum, tamen ad pœnam.*
201 & 202 *Duplex eſt culpa, quæ punitur pœna, una Theologica, altera Juridica.*
203 *Lex humana in Materia gravi poteſt obligare ſub Mortali.*
204 *Ac etiam ſub veniali.*
205 *Lex humana in materia abſolutè levi nequit obligare ſub mortali.*
206 *Secùs eſt, ſi fiat reſpectivè gravis.*
207 *Res levis non poteſt voveri ſub mortali, nec pro pœnitentia imponi ſub mortali.*
208 *Lex humana tunc obligat ſub mortali, quando ſuppoſita gravitate materiæ Legiſlator hoc expreſſè, vel æquivalenter declarat.*
209 *Si præcipiat in virtute obedientiæ &c.*
210 *Vel apponat gravem pœnam,*
211 *Vel conſuetudo indicet, Legem graviter obligare.*
212 & 213 *Qualia verba indicent, Legem obligare ſub mortali?*
214 *Lex humana obligat cum periculo vitæ, ad conſervandum bonum publicum.*
255 *Vel ad conſervandam fidem Catholicam, vel poteſtatem Eccleſiaſticam defendendam.*
256 & 217 *Extra hos caſus non obligat cum periculo vitæ aut gravis damni.*
218 & 219 *Qui tenetur ad Legem, tenetur etiam ad media ad illam obſervandam neceſſaria.*
220 *Licitum eſt aliquid facere, ut quis deſinat eſſe Legi ſubjectus.*
521 & 222 *Ipſo die, quo Lex obligat, non licet ponere impedimentum.*
223 *Nequit in his caſibus ſtatui Regula Generalis.*

## ASSERTIO III.

*Omnis lex humana tam Eccleſiaſtica, quàm Civilis obligat in conſcientia, ſi non ſemper ad actum præſcriptum, tamen ad pœnam: In materia gravi poteſt obligare graviter, & leviter, in materia omninò levi nonniſi leviter: tunc obligat graviter, ſeu ſub peccato mortali, quando Legiſlator, ſuppoſita gravitate materiæ, & finis legis, id expreſſè, vel æquivalenter declarat: non obligat cum periculo mortis aut alterius gravis mali, niſi, quando legis obſervatio eſt moraliter neceſſaria ad bonum publicum conſervandum, vel violatio legis humanæ cederet in contemptum fidei, aut Eccleſiaſticæ legis ſeu poteſtatis.* Ita communiter Doctores apud P. Herincx *diſp.* 3. *de legibus quæſt.* 52. *&* 53. & alios Authores infrà citandos. 198

### §. I. *Omnis Lex Humana tam Eccleſiaſtica, quàm Civilis obligat in Conſcientia &c.*

I. Leges Humanæ tam Eccleſiaſticæ, quàm Civiles obligant in Conſcientia. *Ita unanimiter Theologi.* Patetque ex praxi Eccleſiæ in præceptis feſtorum, jejuniorum, communionis Paſchalis &c. quæ certiſſimè obligant ſub peccato mortali. Ratio inſuper eſt: Quia Leges Humanæ continent præceptum Superioris: ergo obligant in conſcientia; cùm Lex naturalis præcipiat, Superioribus eſſe obediendum. Idem mandat Lex Divina *Matth.* 18. *ſi Eccleſiam non audierit; ſit tibi ſicut Ethnicus &c. Ad Rom.* 13. *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Et infrà: *Ideò neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram* (Principis videlicet, qui pœnam iratus infligeret) *ſed etiam propter conſcientiam.* Quæ Scriptura expreſſiùs loquitur de Superioribus temporalibus, iiſque etiam Ethnicis. Confirmatur: Lex eſſentialiter differt à conſilio, quòd illa inducat neceſſitatem parendi, non verò iſtud: ergo quælibet Lex debet obligare in conſcientia. 199

II. *Si non ſemper ad actum præſcriptum, tamen ad pœnam.* Ita Suarez, Amicus, Herincx *cit. quæſt.* 12. *num.* 159. & alii communiter. Ratio eſt: Quia Legiſlator ſubinde declarat ſe nolle in conſcientia obligare ad actum, ſed tantùm ad pœnam aliquam ſive fixam, ſive arbitrariam; quod non ſolùm in Legibus civilibus praxis oſtendit, ſed etiam in ſta- 200

tutis

tutis præſertim Religioſorum à viris ſanctis conditis, & ſæpè à Sede Apoſtolica approbatis; prout uſus ac eorundem ſtatutorum declaratio in variis Religionibus, ſignanter in noſtra Sacra Religione Franciſcana manifeſtat. Nec his ordinationibus deeſſe rationem legis conſtat, tum ea communi ſenſu, & modo loquendi: tum ea verbis præceptivis, quibus feruntur: tum quia alioquin forent conſilia; quod nemo diaerit; cùm ad danda conſilia non requiratur Juriſdictio, quæ tamen requiritur ad faciendas ejuſmodi conſtitutiones. Deinde ob omiſſionem conſiliorum nemo eſt pœna dignus: & tamen tranſgrediens ejuſmodi ordinationes poteſt juſtè puniri.

201 III. Nec dicas: Ut aliquis in conſcientia teneatur ad ſuſtinendam pœnam, debet priùs commiſiſſe culpam: atqui Religioſus non exercens actum à ſuis ſtatutis Regularibus præſcriptum, non committit culpam, eo ipſo, quòd dicta ſtatuta in conſcientia non obligent ad actum præſcriptum: ergo etiam in conſcientia non tenetur ad ſuſtinendam pœnam. Reſpondetur enim diſtinguendo majorem: Ut aliquis in conſcientia teneatur ad ſuſtinendam pœnam, debet priùs commiſiſſe culpam, vel Theologicam, vel Juridicam, conceditur major: Semper Theologicam neg. maj. & ſimiliter diſtincta minori neg. conſ. Commiſit enim talis Religioſus culpam Juridicam ſeu politicam, quæ eſt deviatio à Regulis bonæ politiæ, quæque ſufficit ad pœnam temporalem infligendam, prout colligitur ea Regula 23. *Juris in 6.* ibi: *ſine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus;* Atqui ſubeſt cauſa puniendi contravenientem legi pœnali, videlicet culpa juridica: ergo.

202 IV. Ea dictis conſtat, quo ſenſu communiter dici ſoleat, hanc, vel illam legem non obligare in conſcientia, nimirùm eam non obligare ad faciendum, vel omittendum actum, qui lege præſcribitur: quamquam obliget tranſgredientem ſaltem ad pœnam in ſe exequendam aut ſuſtinendam; aliàs poſſet dari juſta contentio inter Superiorem, & ſubditum, cùm Superior vellet ſubditum punire, & ſubditus nollet acceptare pęnam, quia diceret, ſe non eſſe in conſcientia obligatum ad eam ſuſtinendam: ex quo quales abſurditates, & inconvenientiæ ſequi poſſint, nemo non videt.

### §. II. *In Materia gravi poteſt obligare graviter, & leviter; in Materia omninò levi nonniſi leviter.*

203 I. LEx humana in materia gravi poteſt in conſcientia obligare graviter ſeu ſub peccato mortali, etiam ſecluſo contemptu, ſcandalo, vel conſuetudine tranſgrediendi. Eſt communis, & certa Sententia apud *Herincx cit.* 158. Ratio eſt: I. Quia *Alexander VII.* damnavit ſequentem in ordine 23. Propoſitionem; *frangens jejunium Eccleſiæ: ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult ſe ſubjicere præcepto.* II. Quia *S. Paulus Rom.* 13. loquendo de Regibus, Principibus, & aliis Superioribus ſæcularibus ait: *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit; & qui reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt;* atqui damnatio non incurritur, niſi ob peccatum mortale; ergo qui reſiſtunt poteſtati, ſeu legibus à legitima poteſtate latis, peccant mortaliter, adeòque leges à legitima poteſtate humana ſive Eccleſiaſtica, ſive Civili conditæ poſſunt in conſcientia obligare ſub peccato mortali. III. Lex humana ſive Eccleſiaſtica ſive Civilis poteſt obligare in conſcientia, ſicut jam dictum, & eſt certum, ac tam verum, ut *Suarez lib. 3. de Legibus, cap.* 21. cenſeat eſſe de fide, vel ſaltem fidei proximum: ergo etiam in materia gravi poterit obligare ad culpam mortalem; quod clarè patet ex eo, ut rectè *Lezana* diſcutit *diſp. 7. quæſt.* 5. Quia plures Leges Canonicæ obligant ſub excommunicatione majori, ſuſpenſione ab officio, beneficio &c. plures etiam Leges Civiles obligant ad pęnas mortis, triremium &c. Certum autem videtur, pęnas iſtas, cùm ſint graviſſimæ, nonniſi propter culpam mortalem incurri poſſe, alioquin eſſent injuſtæ, cùm pęnas delictis improportionatas imponerent: neceſſe eſt ergo dicere, eas obligare ſub mortali, ob gravitatem pęnæ impoſitæ. Nec refert, quòd Legiſlator humanus nequeat infligere pœnam mortis æternæ, ſeu inferni: ergo neque ſub ejus incurſu quidquam præcipere, aut prohibere. Reſpondetur enim negando conſeq. quia ſufficit, quòd ipſe à Deo habeat poteſtatem obligandi ſub peccato mortali, & quod poſt hujus incurſum Deus ipſe poſſit, & velit infligere pœnam æternam: nec enim requiritur, ut ille, qui obligat ſub aliqua pœna, hanc etiam queat infligere; ſiquidem oppoſitum conſtet in Principe inferiori, qui ea poteſtate ſibi commiſſa poteſt ferre Legem ſub pœna mortis temporalis, licet poteſtas eam inferendi penes Principem Superiorem remaneat.

II. Lex humana poteſt in materia gravi etiam obligare leviter, ſeu ſub peccato veniali. Ita Suarez, Layman, Mezger, Herinx cit. *num.* 163. & alii contra Vaſquez, Maſtrium, & alios. Ratio eſt: effectus moralis nequit poni ſine conſenſu voluntatis; ſed obligatio Legis eſt effectus moralis: ergo non oritur ſine conſenſu voluntatis, nimirùm Legiſlatoris: ſed Legiſlator in materia gravi cæteroquin indifferenti (quæ propriè eſt materia Legis poſitivæ, ut contra diſtinguitur à naturali) volens leviter tantùm obligare, non habet conſenſum, ut oriatur obligatio gravis, imò, non vult graviter obligare: ergo nequit inde oriri obligatio gravis, *cùm actiones agentium non operentur ultra intentionem eorum.* Vel igitur oritur levis tantùm obligatio, vel nulla; non nulla quia Legiſlator obligare vult, & poteſt: ergo oritur levis tantùm obligatio. Quod ipſa praxis Religionum ſatis oſtendit, quarum Regulæ, & ſtatuta frequenter ad ſolum peccatum veniale obligant in materia alioquin capaci gravis obligationis. Quæ quidem praxis eſt prudentiſſima; cùm enim eadem materia ſubinde prudenter proponatur ſub conſilio, aut etiam ſub præcepto adſtringente ad ſolam pœnam, eamque levem; cur ſimiliter, non poſſet proponi ſub præcepto obligante ad culpam ſolùm venialem, quæ, & timoratas conſcientias pungat, & tamen in gravis lapſus diſcrimen non adducat? Nec ſufficit dicere, Legem humanam poſſe quidem in materia materialiter gravi obligare leviter, ſeu ſub veniali, non verò in materia formaliter gravi, hoc eſt, tali, quam ſalus Reipublicæ, & Juſtitia Legalis omninò exigit, ut ſub mortali præcipiatur. *Nam contra eſt*, quòd materia Legis humanæ poſitivæ ea ſua natura, & intrinſeca ratione non exigat præcipi, vel prohiberi; cùm non habeat intrinſecam convenientiam, vel diſconvenientiam ad naturam rationalem; ſiquidem in hoc materia Legis naturalis diſcernitur à materia Legis poſitivæ; quòd illa habeat intrinſecam con-vel diſconvenientiam ad naturam rationalem, & ideò ea ſua natura exigat præcipi, vel prohiberi; unde etiam dicitur *præcepta, vel prohibita, quia bona, vel mala:* materia verò Legis poſitivę, & vel maximè humanæ, non habeat intrinſecam con-vel diſconvenientiam ad naturam rationalem, & ideò ex ſua natura non exigat præcipi, vel prohiberi; unde etiam dicitur *bona, vel mala quia præcepta, vel prohibita.* Deinde tranſeat etiam, quòd Legiſlator ea Juſtitia Legali ſubinde teneatur materiam de ſe indifferentem præcipere ſub mortali ad conſervandam reipublicæ ſalutem; quid ſi tamen vel ex inconſideratione, vel ea negligentia, vel etiam ex malitia illam omninò non præciperet; quis dicet, ſubditos ad eandem teneri ſub mortali? ergo etiam, ſi ea iiſdem capitibus eam tantùm præciperet ſub veniali; quis dicet, ſubditos ad eandem teneri ſub mortali? quia obligatio ſub mortali in ſubditos non derivatur ea eo, quod Legiſlator teneatur aliquid præcipere, vel prohibere ſub mortali, ſed ex eo, quòd actu præcipiat illud ſub mortali. Denique Lex Materiam formaliter gravem præcipiens ſolùm ſub veniali, non eſſet injuſta, ac irrationabilis *ex parte objecti*, cùm melius ſit materiam iſtam ſub aliqua culpa ſaltem veniali præcipi, quàm ſub nulla, nec impedit, quin ſub mortali adhuc poſſit præcipi; quamvis ea parte Legiſlatoris eſſet defectus, dum peccaret contra Juſtitiam Legalem; ſicut ſuprà *ſect. 1. quæſt. 2. §. 3. num. 24.* diaimus, quod prava Intentio Legiſlatoris valorem Legis non deſtruat. Ea his etiam apparet diſcrimen, cur Lex naturalis in materia gravi non poſſit obligare leviter, & tamen Lex humana hoc poſſit; diſparitas enim hæc eſt, quòd obligatio Legis naturalis ſequatur exigentiam materiæ ſubjectæ, quæ intrinſecè eſt talis, ut de ſe, ſi ſit gravis, ſemper graviter naturæ rationali, & conſequenter Legi naturali repugnet. Oppoſitum evenit in materia indifferenti, qualis eſt materia Legis humanæ, cujus obligatio contingenter pendet à libera voluntate humani Legiſlatoris, qui proinde poteſt attendere, vel non attendere gravitatem materiæ; atque adeò imponere obligationem gravem, vel levem vel omninò nullam. 204

III. In Materia, quæ omnibus ſpectatis eſt abſolutè levis, nequit Lex humana obligare ſub mortali; quantùmvis id declaret. Ita *omnes Doctores apud Herincx cit. num.* 164. Ratio eſt: quia obligatio nequit excedere capacitatem materiæ; atqui materia levis non eſt capax obligationis gravis, hoc ipſo, quòd aut honeſtati, aut fini à Legiſlatore intento, graviter non repugnare ſupponatur: ergo. Deinde Lex eſſet injuſta, quæ gravem obligationem, & pęnam æternam imponeret levi materiæ ſicut illa, quæ ob levem culpam infligeret gravem pęnam. Accedit, quòd, nec ipſa Lex naturæ, quæ tamen obligat juxta capacitatem materiæ, in levi materia poſſit graviter obligare. 205

Dixi: *In materia, quæ omnibus ſpectatis eſt abſolutè levis;* 106

Quia

Quia ſæpè materia in ſe levis efficitur gravis, eoquòd multùm conducat ad finem notabilem; adeòque poteſt in illam induci gravis obligatio. Ex qua habitudine facilè poteſt res levis fieri gravis in Religionibus, in quibus Leges referuntur ad finem valdè ſublimem. Sic poteſt graviter prohiberi ingreſſus in aliquam domum, quatenùs multùm poteſt juvare ad Religioſam caſtitatem ſervandam, vel ſuſpiciones, ac obloquia hominum vitanda. Hinc etiam aliqui deducunt, poſſe Duces Belli afficere extremo ſupplicio milites ob furtum rei levis, quatenùs hoc multùm conducit ad diſciplinam militarem ſervandam: Item ne exercitus deſtituatur neceſſariis, dum Ruſtici paſſim aufugiunt. Idem dici poteſt de eſu pomi in ſe levi, graviter tamen prohibito primis parentibus in recognitionem debitæ obedientiæ, volente Deo id ſibi velut tributum humanæ ad Deum ſubjectionis præſtari. Ex his etiam patet diſcrimen, cur Lex humana in materia omninò levi nequeat imponere obligationem gravem; & tamen in materia gravi poſſit imponere obligationem levem; diſparitas enim eſt, quòd materia omninò levis ſit incapax obligationis gravis: at materia gravis humanæ Legis ſit capax obligationis ſive gravis, ſive levis; cujus proinde obligationis quantitas, & menſura deſumenda eſt à voluntate Legislatoris, qui, vel poteſt explere capacitatem materiæ, imponendo obligationem gravem, vel non explere imponendo ſolùm obligationem levem; prout viderit expedire.

207 IV. Ex his rectè apud *la Croix lib. 1. de Legibus n. 667.* concludit Diana *part. 5. tract. 5. reſol. 50.* contra *Fagundez*, rem levem non poſſe voveri ſub mortali; & R. 51. contra Joannem Sanchez, rem levem non poſſe pro pœnitentia imponi ſub mortali; conſequenter *q.* 48. dicit, ſi quid abſolutè leve, videatur ab homine imponi ſub mortali, eſſe quidem obligationem, ſed tantùm ſub veniali.

### §. III. *Lex humana tunc obligat graviter, ſeu ſub peccato mortali, quando Legislator id expreſsè, vel æquivalenter declarat.*

208 ITa *communiſſima*, & patet, quia tunc adeſt, & poteſtas obligandi ſub mortali, cùm ſupponatur adeſſe materia gravis; ac etiam voluntas graviter obligandi ſufficienter à Legislatore intimata. Declarat porrò hanc ſuam voluntatem Legislator.

209 I. Quando expreſsè dicit: *ſub reatu peccati mortalis*, vel quando in ſua Lege addit hæc verba: *ſub interminatione divini Judicii, ſub pœna maledictionis æternæ, ſub indignatione Dei, & SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, in virtute Sanctæ obedientiæ &c.* ut communiter tradunt Doctores, ipſaque verborum terribilium energia ſatis oſtendit. Cujuſmodi formulæ ſæpè ponuntur in conſtitutionibus Pontificiis.

210 II. Appoſitio gravis pœnæ ſpiritualis declarat intentionem Legislatoris obligandi ſub mortali. Talis pœna omnium ſenſu eſt excommunicatio major, degradatio, depoſitio, privatio omnium Beneficiorum, officiorum inhabilitas per modum pœnæ, privatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ: quibus etiam meritò annumeratur ſuſpenſio, & interdictum, & irregularitas, quando infligitur in pœnam delicti. Ita *Herincx cit. num. 166.* Item appoſitio gravis pœnæ merè temporalis eſt ſignum gravis obligationis: prout de pœna mortis, & mutilationis tradunt Doctores communiter. De pœna autem infamis flagellationis, perpetui, vel gravis, vel diurni carceris, aut exilii, inhabilitatis ad publica officia, infamiæ, ſervitutis, confiſcationis omnium bonorum, vel valdè notabilium, cenſent idem Doctores paſſim: pœna enim debet proportionari delicto; adeòque gravis pœna præſupponit gravem culpam: qualis ſola eſt illa, quæ eſt peccatum mortale. *Herincx cit. num. 167.*

211 III. Gravis obligatio dignoſcitur ex conſuetudine, quando communis uſus Legem ita recipit; cùm conſuetudo ſit optima Legum interpres, imò ipſamet vim Legis obtinere poſſit. Quare id etiam verum eſt de conſuetudine particulari, adeò, ut ſi in aliqua Provincia, vel Diœceſi Lex recepta ſit ſub mortali, ibi ſub mortali obliget, etiamſi alibi non ita obliget.

Ex quibus ſignis non ſolùm intentio Legislatoris graviter obligandi, ſed etiam ipſius materiæ, & finis gravitas colligitur; cùm (niſi contrarium conſtet) nequaquam præſumendum ſit, Legislatorem iniquè, ſeu imprudenter velle graviter obligare in levi materia, hinc cognita graviter obligandi voluntate, præſumendum quoque eſt de materiæ capacitate. Itaque

212 IV. Suppoſita aliunde ſufficienti gravitate materiæ, per ſe loquendo ad gravitatem obligationis ſufficit, quòd Legislator ſimpliciter aliquid præcipiat, vel prohibeat fieri: etſi enim in actu ſignato non dicat, ſe velle obligare ſub mortali, id tamen dicit in actu exercito, cùm vis præcepti exerat ſe in materiam juxta ejuſdem finis capacitatem, quando aliunde non reſtringitur. Hinc verba præceptiva: qualia ſunt: *Præcipio, Impero, Jubeo, Mando*: aut verba inhibitoria: qualia ſunt: *Prohibeo, Inhibeo, Veto, Interdico*; ex vi verborum ſunt ſufficiens ſignum gravis obligationis, ut tradunt Doctores communiter, & declaratur in *Clement. exivi, de verb. ſignific.* quæ etſi in particulari agat *de Regula Sancti Franciſci*, habet tamen hac in parte vim juris communis, cui eſt inſerta. Idem tradunt Doctores poſt *Clement. cit.* de verbis præcepto æquipollentibus v. g. *omnes obligentur, teneantur, nemini liceat, nemo poſſit &c.* quæ omnia neceſſitatem important, utique non phyſicam, ſed moralem. De verbo *Debeo* communior quoque ſententia docet, importare non ſolum debitum honeſtatis, & convenientiam rei ſed etiam neceſſitatem imperii. Secùs eſt de verbo *oportet*, ut rectè *Caſtro, Sanchez*, & alii notant contra *Toletum & alios*. De verbis imperativi modi v. g. *facite, cavete, nemo audeat, &c.* cenſet idem *Caſtro, Cajetanus*, & alii, per ſe non ſufficienter denotare rigoroſum præceptum, eò quòd etiam Concilia Evangelica ſimilibus verbis ferantur: quamvis interdum ex circumſtantiis, ſive attenta materia, & uſu ſufficiant, ut declaratur in *Clem. cit.* poſtquam ibidem præmiſſum eſſet, quòd *Fratres non ad omnium, quæ ſub verbis imperativi modi ponuntur in Regula, ſicut ad præceptorum ſeu præceptis æquipollentium obſervantiam teneantur*. Nonnulli tamen cenſent, ejuſmodi verba abſolutè prolata importare obligationem, ſed tantùm ſub veniali. Alii cenſent in Decretis Conciliorum, & Pontificum ferè ſemper accipienda pro ſimpliciter præceptivis, arguentes exemplo *Concilii Trid. ſeſſ. 13. cap. 7.* imponentis præceptum his verbis. *Quamprimum confiteatur*. Ubi tamen ex materia, contextu, & ſenſu communi ſatis conſtat, ferri rigoroſum præceptum: prout & ſatis conſtat per ſimilia verba ferri ſtrictum præceptum in Decreto *Clementis VIII.* de caſuum reſervatione; ubi etiam in fine ſubjungitur verbum ſtrictè præceptivum.

Verba communia, & indifferentia præcepto, & exhor- 213
tationi (qualia ſunt: *volumus, decernimus, ordinamus, ſtatuimus, ſancimus &c.*) per ſe loquendo non ſufficiunt ad præceptum, niſi ex circumſtantiis, aut verbis adjunctis reſtringantur ad rigoroſum præceptum, v. gr. ſi Lex dicat: *Statuimus in virtute obedientiæ, ſub pœna excommunicationis &c.* Quotieſcunque autem verba ſunt dubia: idem eſt, undecunque ſimile dubium oriatur: ex quibus vir prudens attentis circumſtantiis nequeat judicare, an in Lege ſint ſigna ſufficientia voluntatis obligativæ Legislatoris, judicandum eſt pro non obligatione: & quoties dubitatur de obligatione, graviſne an levis ſit, judicandum eſt eſſe levem, quia *in obſcuris minimum eſt ſequendum. Reg. 30. Juris in 6.* & in culpis, uti *in pœnis benignior eſt interpretatio facienda Reg. 49. ibidem*, præſertim cùm illo caſu melior ſit conditio ſubditi, qui reſpectu obligationis poſſidet ſuam libertatem; qua proinde in dubio non eſt privandus. Ita cum communi *P. Herincx cit. num. 170.*

### §. IV. *Lex humana non obligat cum periculo mortis aut alterius gravis damni, vel mali, niſi quando Legis obſervatio eſt moraliter neceſſaria ad bonum publicum conſervandum &c.*

I. QUando Legis humanæ obſervatio eſt moraliter ne- 214
ceſſaria ad bonum publicum conſervandum, poteſt obligare etiam cum aperto vitæ diſcrimine. Ita communiter Doctores, *Sotus, Valentia, Suarez, Vaſquez, Layman, Beccanus, Averſa, Lezana, Amicus, Vulpes, Maſtrius cit. quæſt. 5. art. 2. num. 147 Herincx cit. quæſt. 13. num. 174. & alii*. Ratio eſt: quia in illo caſu non deeſt juſta Ratio ſic obligandi; & in Legislatore non videtur deeſſe poteſtas; cùm enim conſervatio boni communis planè ſit præferenda bono vitæ privati, omninò dicendum eſt, Superiorem, cui ex officio id incumbit, poſſe ſubditos obligare, ut non obſtante vitæ periculo ſtudeant per obſervationem Legis conſervare bonum commune maximi momenti, quod cenſeretur alioquin graviter periclitari. Et hinc communiter admittitur, militem teneri tempore periculoſo permanere in ſtatione, cum aperto mortis periculo. Item Paſtor, cui id fuerit ab Epiſcopo præceptum, tenetur tempore peſtis in loco permanere ad confeſſiones etiam infectorum audiendas. Nec in his caſibus cenſetur, homo ſe occidere, ſed vitam non conſervare, quod variis caſibus eſt licitum etiam citra præceptum.

II. Quando violatio Legis humanæ cederet in contem- 215
ptum fidei, aut Eccleſiaſticæ Legis ſeu poteſtatis, eſt Lex ſervanda etiam cum periculo vitæ: ut ſi quis ab hæreticis captus,

Digitized by Google

## QUÆSTIO IV.

*De ſubjecto legis humanæ.*

### SUMMARIUM.

225 *Vis legis alia eſt directiva, alia coactiva.*
226 *Legiſlator humanus tenetur ad proprias leges, in quibus continetur jus naturale vel Divinum.*
227 *In ſtatu Ariſtocratico & Democratico legiſlator tenetur ſuis legibus.*
228 *Legiſlator humanus Monarchicus non tenetur ſuis legibus quoad vim coactivam, neque quoad vim directivam directè, ſed tantùm indirectè.*
229 *Quomodo & qualiter peccet legiſlator non obſervando ſuas leges?*
230 *Quotuplex ſit immunitas Eccleſiaſtica?*
231 *Clerici & Regulares non obligantur legibus civilibus, ſpecificè de ipſis diſponentibus;*
232 *Benè verò aliis generaliter aliquid ſtatuentibus, ſed tantùm quoad vim directivam indirectè.*
233 *Declaratur exemplis.*
234 *Regulares exempti non obligantur legibus Epiſcoporum.*
235 *Exceptis quibuſdam caſibus ſpecificatis.*
236 *Infideles alii ſunt baptizati, alii non ſunt baptizati.*
237 *Infideles baptizati ſeu Hæretici tenentur legibus Eccleſiaſticis, non verò non baptizati.*
238 *Infantes ſeu pueri nondum ſeptennes non tenentur legibus humanis, uti nec perpetuò amentes;*
239 *Tenentur tamen legibus naturalibus.*
240 *Pueri ſeptennes ligantur legibus Eccleſiæ, quarum materia eorum ætati eſt conveniens.*
241 *Impuberes poſſunt incurrere aliquas cenſuras, non tamen omnes.*
242 *Amentes non perpetui, ſicut & ebrii ligantur legibus humanis.*
343 *Qualiter Peregrini à Vagis differant?*
244 *Peregrinus extra ſuum territorium non tenetur legibus ſui territorii ſpecialibus.*
245 *Si tamen ſit extra ſuum territorium tam phyſicè, quàm moraliter.*
246 *Quid dicendum, ſi ſit in loco exempto?*
247 *An teneatur legibus communibus, ſi hæ non vigeant in alieno territorio?*
248 *Si ſubditus exeat à ſuo territorio, ideò, ne teneatur legibus ſpecialibus ſui territorii, quid dicendum?*
249 & 250 *Excipiuntur duo caſus.*
251 252 x53 *Reſolvuntur aliqui caſus.*
254 *Peregrinus exiens è ſuo territorio, & in alieno nactus domicilium, vel quaſi domicilium adſtringitur ejus legibus.*
255 & x56 *Et adhuc in aliquibus aliis caſibus.*
257 *Extra iſtos caſus peregrinus non tenetur legibus ſpecialibus loci, quem tranſit.*
258 *Idem dicendum de Vagis.*

### ASSERTIO IV.

224 *LEgiſlator tenetur ſuis legibus quoad vim directivam indirectè tantùm; ſicut & perſona Eccleſiaſtica quoad vim directivam indirectè tantùm ſubjiciuntur legibus Civilibus eorum ſtatui non repugnantibus: Regulares exempti non obligantur legibus Epiſcopalibus etiam quoad vim directivam, niſi in quibuſdam caſibus in Jure ſpecialiter expreſſis: Infideles non baptizati non ligantur legibus Eccleſiaſticis, benè tamen Hæretici, nec infantes, nec amentes ligantur legibus humanis: Subditus tam phyſicè, quàm moraliter exiſtens extra ſuum territorium non tenetur legibus ſpecialibus ſui territorii; Peregrini, exceptis quibuſdam caſibus, per ſe loquendo legibus particularibus loci, per quem tranſeunt, non obligantur; idem dicendum de Vagis.* Eſt communiſſima Theologorum & Canoniſtarum apud Authores citandos.

#### §. I. *Legiſlator.*

225 NOtandum: *Subjectum* Legis eſſe ſubditos, quibus præſcribitur, & qui habent uſum rationis, ut notat *Suarez lib. 3. de legibus, cap. 31. num. 4.* Sed quinam ſint ejuſmodi ſubditi pro diverſitate Legum, ampla eſt quæſtio, quæ movetur de diverſis hominum generibus, de Legiſlatore reſpectu ſuarum Legum; de perſonis Eccleſiaſticis reſpectu Legum Civilium; de infidelibus reſpectu Legum Eccleſiaſticarum; de peregrinis & vagabundis, de pueris & amentibus. Inſuper notanda eſt duplex vis, & efficacia Legum, nimirùm *directiva*, & *coactiva*. Directiva eſt, quæ obligat ad ſolam culpam in conſcientia incurrendam: Coactiva eſt, quæ etiam obligat ad pœnam; & ſi obliget ad pœnam ipſo facto ante Judicis ſententiam incurrendam, dicitur vis *coactiva interna*; ſin verò obliget ad pœnam inferendam per ſententiam, appellatur vis *coactiva externa*. Porrò vis directiva alia dicitur *directa*, alia *indirecta*. Prior exercetur, ſi cauſa obligandi ſit ipſa Lex, & voluntas Legiſlatoris: poſterior, ſi Lex, & voluntas Legiſlatoris ſit tantùm occaſio, ut obligatio aliunde reſultet: ſic ſubditi directè obligantur Lege territorii; quia ipſa voluntas Legiſlatoris, utpotè cujus juriſdictioni ſubſunt, talem obligationem in illis cauſat: è contra non ſubditi, jurantes tamen ſe ſervaturos leges territorii, obligantur indirectè; quia leges ſunt illis tantùm occaſio, ut ligentur juramento. Hoc prænotato:

I. Certum eſt, Legiſlatorem humanum ſimpliciter 226
obligari illis legibus, quæ continent Jus Divinum ſive naturale, ſive poſitivum: quia hæc jura, cùm procedant ab Authore Deo, ſunt ſupra Legiſlatorem humanum, quamvis ab eo populo propoſita & declarata. Unde, quia ſuo contractui vel pacto ſtare debeat, non eximitur per plenitudinem poteſtatis ſuæ propter conſenſum præſtitum, qui jure naturæ ſervandus eſt, *leg. 1. ff. de pactis*. Præterea certum eſt: quòd, ſi lex contineat materiam ſubditis propriam, cujus obſervatio dedecet dignitatem, & ſtatum Legiſlatoris, hic nullatenùs ſua lege ſtringatur. Unde licèt lex præcipiat, ut ſolvantur tributa, legiſlator illa ſolvere non tenetur. Neque obligatur incedere ſine gladio, aut veſte holoſerica, quando lex prohibet, ne quis gladium, aut veſtem holoſericam portet.

II. Si Legiſlator ſit ipſa communitas, v. gr. capitulum 227
generale, legibus à tali latis ſingula ejus membra, ac proinde etiam, qui legem condiderunt, obligantur, & ad obſervantiam compelli poſſunt, ut colligitur ex *cap. cùm omnes, de conſtitutionibus*: Ex quo ſequitur, quòd Generalis noſtri Ordinis v. gr. obligantur ſtatutis, in Generali Capitulo editis; & Epiſcopus, editis in Synodo Provinciali aut Nationali; idque non ſolùm quoad vim directivam, ſed etiam coactivam: ſiquidem ille tota Religione, & iſte tota Synodo ſimul ſumpta inferior eſt. Idem dicendum de Optimatibus in ſtatu Ariſtocratico, & populo in ſtatu Democratico: quia quilibet ex Optimatibus, & popularibus eſt verus ſubditus reſpectu totius cœtus; tum Optimatum in ſtatu Ariſtocratico, tum populi in ſtatu Democratico. Itaque tota quæſtio devolvitur ad Legiſlatorem humanum Monarchicum reſpectu ſuarum legum quà talium, ſeu quatenùs ejus ſunt, quarum materia communis eſt, & ipſum æquè, ac populum decet. Pro qua decidenda aſſerimus.

III. Legiſlator humanus ſive Eccleſiaſticus, ſive Civi- 228
lis non tenetur ſuis legibus, quoad vim coactivam; neque quoad vim directivam directè, ſed tantùm indirectè. Ita cum communi Theologorum, & Canoniſtarum *D. Thomas 1. 2. quæſt. 96. artic. 5. Maſtrius Theolog. Moral. diſput. 2. quæſt. 4. art. 4. Herincx, Fraſſen, Reiffenſtuel in ſuo Jure Canonico in 1. Decret. tit. 2. num. 268. Navarrus, Fagnanus, Pirrhing, Engel*, & alii. Ratio primi eſt: quia *leg. penult. ff. de receptis arbitris*, dicitur: *neque autem imperare ſibi, neque ſe prohibere quiſquam poteſt*; & conſequenter in Legiſlatore deficit poteſtas ſeipſum obligandi vi coactiva; cùm ſuperiorem, veluti Princeps Supremus, non recognoſcat; à ſe ipſo autem nemo propriè cogatur, neque ſibi quis imperare valeat: ergo Legiſlator non tenetur ſuis legibus quoad vim coactivam, ſed ab eis, quantum ad obligationem pœnæ ſubeundæ, ſolutus eſt juxta illud *leg. Princeps 30. ff. de legibus*, ibi: *Princeps legibus ſolutus eſt*. Ratio ſecundi eſt: quia omnis obligatio directa etiam directiva ſupponit in imponente ſuperioritatem, & in faciente ſubjectionem: ergo cùm Legiſlator reſpectu ſui ipſius non ſit ſuperior, nec ſubditus, ſuis legibus non tenebitur directè etiam quoad vim directivam. Ratio tertii eſt: quia Legiſlatorem humanum teneri ſuis legibus quoad vim directivam indirectè, nihil aliud eſt, quàm ipſum directè obligari à lege naturali, ad ſe conformandum ſuis ſubditis in obſervantia ſuarum legum, ex ſuppoſitione, quòd illas tulerit; ſed ita obligatur: ergo &c. Minor probatur: nam lex naturalis obligat Legiſlatorem ad procurationem boni communis: atqui procuratio boni communis maximè dependet à bono exemplo Principis, dum is docet idem exemplo, quod prædicat verbo; & à conformitate omnium membrorum: nam ut habet *S. Auguſtinus lib. 3. Confeſſ. cap. 8. Turpis eſt omnis*

*pars,*

*pars, ſuo univerſo non congruens*: ergo ea ſuppoſitione, quòd ſuas leges tulerit, à lege naturali ad earum obſervantiam adſtringitur. Ea his

129 IV. Sequitur I. Papam exemptum eſſe ab omnibus pęnis Canonicis Jure humano introductis; uti & Epiſcopum à pęnis per ſe, ſuoſque anteceſſores conſtitutis: quia hujuſmodi pęnæ proficiſcuntur à vi coactiva legum Pontificiarum, & Epiſcopalium, quibus, ut ſic conſideratis, Pontifex, & Epiſcopus non adſtringuntur. II. Si legislator non obſervet ſuas leges, & tamen harum obſervantia ſit graviter neceſſaria ad finem directè quæſitum à lege naturali, tunc utique, & ipſe graviter peccat; quod patet, quando ea eo, quòd non obſervet ſuas leges, ſequitur perturbatio, ſcandalum, aut aliud grave inconveniens in communitate. Item quando contingit injuſtitia; v.g. dum merces ſuas majori pretio vendit, quàm quod per legem taxativam à ſe ſtatutum eſt &c. Si verò legislator non obſervet ſuas leges, & harum ab ipſo obſervantia non ſit graviter neceſſaria ad finem directè quæſitum à lege naturali; videtur eum graviter non peccare, eſto graviter peccent ſubditi, ſi eas non obſervent. Ratio diſparitatis eſt: quia legislator ad materiam præceptam obſtringitur alio Jure, & fine, quàm ſubditi. Sic lex v. gr. jejunii ſubditos obligat propter temperantiam; Jus autem naturale obſtringens legislatorem ad eandem legem ſervandam, intendit Principis conformitatem cum ſubditis: ad quem finem non videtur graviter neceſſarium, ut legislator in quovis omninò actu ſe ſubditis conformet: conſequenter ea hoc precisè non arguetur in legislatore Juris naturalis transgreſſio gravis, quòd transgreſſio legis poſitivæ in ſubditis ſit gravis, cùm graviter neceſſarium ad finem Juris poſitivi, poſſit eſſe ſolùm leviter neceſſarium, ad finem Juris naturalis. Sic ad juſtas, & validas nuptias Jure poſitivo, graviter neceſſaria eſt abſentia impedimenti naſcentis ex jure ſolùm poſitivo; jure autem naturali, nullatenùs. *P. Krimer num.* 555.

## §. II. *Clerici, & Regulares.*

230 I*Mmunitas Eccleſiaſtica* (per quàm intelligitur jus, vi cujus Eccleſiæ, perſonæ Eccleſiaſticæ, ac earum bona eaimuntur à præſtandis oneribus, vel etiam ſubeundis officiis ſæcularibus, & ſubjectione, relatè ad Superiorem laicum) eſt triplex; nempè *Localis*, quæ Eccleſiis, & aliis locis Eccleſiaſticis; *Realis*, quæ rebus, ſeu bonis ad Eccleſiam, vel Clericos pertinentibus; & *Perſonalis*, quæ ipſis perſonis Eccleſiaſticis conceſſa eſt. Hoc prænotato, dicimus.

231 I. Clerici, & Regulares nullatenùs obſtringuntur legibus civilibus, quæ de perſonis, locis, & rebus Eccleſiaſticis, ſpecificè, hoc eſt, expreſsè, vel nominatim diſponunt, ſive præcipiendo, ſive prohibendo: ſimiles enim leges, etiam quando Clericorum, & Regularium commodum, vel favorem non purum continent, omninò ſunt irritæ per *cap. Eccleſia, de Conſtitut.* Ita *Krimer num.* 620. & 637. *Reiffenſtuel cit. num.* 290. *Maſtrius, Herincx, Abbas Panormit. Menochius, ſumma Angelica*, & communis aliorum. Multo minùs ligantur legibus civilibus verſantibus circa materiam, & objectum, ſtatum Eccleſiaſticum, ac Religioſum dedecens, eorumve Privilegiis adverſum. Ratio eſt: quia talibus legibus reſiſtit, & jus Divinum & Canonicum, quod Eccleſiaſticum, & Regularem ſtatum ſupra Laicalem evexit, ut patet ea cit. *cap. Eccleſia* 10. *de conſtit.* ibi: *Nos attendentes, quòd Laicis (etiam Religioſis) ſuper Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis, nulla ſit attributa facultas quos obſequendi manet neceſſitas, non authoritas imperandi; à quibus, ſi quid motu proprio ſtatutum fuerit, quod Eccleſiarum etiam reſpiciat commodum, & favorem nullius firmitatis exiſtit, niſi ab Eccleſia fuerit approbatum*; ſiquidem lex lata ſine juriſdictione, ſeu erga non ſubditum, vim obligandi non habet: atqui Eccleſiæ, ac perſonæ Eccleſiaſticæ, earumque res ſunt exemptæ à juriſdictione ſæculari, ut patet ex immunitate Eccleſiaſtica talibus competente: ergo

232 II. Si verò leges civiles expreſsè non diſponant de Eccleſiis, perſonis Eccleſiaſticis, eorumque bonis, ſed ob publicam utilitatem, ſeu neceſſitatem generaliter quidpiam ſtatuant, verb. gr. quæ juſta rerum venalium pretia taxant; vel quæ prohibent noctu arma ferri, merces à provincia extrahi, vel quæ præſcribunt formam contractibus, &c. Neque contineant aliquid Eccleſiaſticæ, aut Religioſæ libertati, immunitati, ſtatui, ac Privilegiis contrarium aut dedecens, tunc ejuſmodi legibus Clerici, & Regulares directè non ligantur, ſive quoad vim coactivam, ſive quoad directivam, ſed tantùm quoad vim directivam indirectè. Ita *Reiffenſtuel cit. num.* 301. *Maſtrius cit. quæſt.* 4. *art.* 4. *Herincx citat. quæſt.* 11. *Schmalzgruber* §. 6. *num.* 37. *Suarez, Krimer, Bellarminus, Pirrhing.* &c. & eſt communis Theologorum, & Juriſtarum contra Navarrum, & alios. Ratio primi eſt: Quia nemo poteſt directè, ſive quoad vim coactivam, ſive directivam, ligari legibus alicujus legislatoris, niſi ſubſit ejus juriſdictioni, & poteſtati, quoad illam materiam, circa quàm leges verſantur; atqui Clerici, & Regulares nulli Juriſdictioni, & poteſtati legislatoris Civilis ſubditi ſunt quoad perſonas ſuas, Eccleſias, ac harum, & ſua etiam bona: ergo illius Legibus directè ligari non poſſunt ſive quoad vim coactivam, ſive directivam. Minor conſtat ex citat. *cap. Eccleſia, de conſtit.* ubi dicitur, quòd *Laicis ſuper Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis nulla ſit attributa facultas: quos obſequendi manet neceſſitas, non authoritas imperandi &c.* Ratio ſecundi eſt: quia Clerici, Regulares, ſunt veri cives, & membra Reipublicæ, cùm, & ipſi indigeant communitate civili ad hujus vitæ conſervationem: ergo tenentur concurrere ad conſervandam communem Reipublicæ felicitatem; nam juxta Regulam Juris 55. *in 6. qui ſentit commodum, ſentire debet & onus.* Sed hoc fieri nequit, niſi & ipſi ſe accomodent aliis Reipublicæ membris in obſervandis legibus totam communitatem concernentibus: ergo iſti obligantur, non quidem quoad vim coactivam, & directivam directè; ut proximè oſtenſum: ſed quoad vim directivam indirectè, ſicut ſuprà diximus Legislatorem teneri ſuis legibus, nimirùm, partim ex æquitate naturali dictante, quòd pars non debeat diſcordare à toto; nam *turpis eſt omnis pars ſuo univerſo non congruens*, ut dicitur *Canon. qua contra, diſt.* 8. Partim ex Jure tum naturali, tum Divino, de vitando ſcandalo proximi; facilè enim ſcandalizarentur ſæculares ſubditi, atque à debita hujuſmodi legum obſervantia retrahuntur, quando Perſonas Eccleſiaſticas perfectiorem ſtatum profitentes, & cæteros ad juſtam legum obſervantiam alioquin exhortantes, palam, ac libere vident contra tales leges operari. Partim etiam dicta obligatio provenit ex authoritate S. Matris Eccleſiæ, ejuſmodi leges pro bono publico approbantis, ſeu recipientis, *Can. ſi in adjutorium, diſt.* 10. & *cap.* 1. & 2. *de novi operis nuntiat.*

Hinc ſi ſtatutum, vel edictum ſæculare taxet juſtum 233
pretium frumenti, vini, cæterarumque rerum ad vitam neceſſariarum, etiam Clerici, & Regulares indirectè quoad vim directivam tenentur tali ſtatuto, ſeu edicto ſæculari, ita ut mortaliter peccent, teneanturque ad reſtitutionem, ſi notabiliter majori pretio res illas vendant. *Sperellus apud Reiffenſtuel cit.* citans alios. Ratio eſt: quia jure naturali, ac Divino præcipitur, ne quis ultra juſtum pretium vendat, juſtum autem pretium cenſetur illud, quod publica authoritate taxatum eſt: ergo. Similiter, quando tempore inopiæ, ac publicæ caritatis, per edictum Magiſtratus ſæcularis, prohibetur extractio frumenti, aliorumque victualium è Regno, vel provincia; tale quidem edictum directè Clericos Regulares non aſtringit, indirectè tamen ad ejus obſervantiam ſub peccato tenentur. Ratio eſt: Quia licèt tunc non peccent contra legem Principis ſæcularis, cùm ab ejus Juriſdictione ſint exempti: nihilominùs ſtante tali edicto, in publicum Patriæ bonum promulgato, peccabunt contra pietatem Patriæ debitam, & charitatem, qua jure naturali, ac Divino in tanta neceſſitate tenentur potiùs ſubvenire civibus, & incolis, quàm propriis lucris inhiando, frumenta extraneis vendere. Ita *Reiffenſtuel cit. num.* 305.

III. Regulares non exempti à juriſdictione Epiſcopi, 234
ſtringuntur ejuſdem legibus: Nam leges ferre, & his ſubjectos juriſdictioni ſuæ obſtringere, primus actus juriſdictionis eſt. Nec de hoc eſt ullum dubium. At Religioſi exempti à poteſtate, & juriſdictione Epiſcoporum, quales hodie ſunt plerique Regulares, præſertim Mendicantes, per ſe, nec directè, nec indirectè legibus Epiſcopalibus obligantur, niſi in quibuſdam caſibus in jure ſpecialiter expreſſis. Ita *Suarez, Maſtrius, Herincx, Reiffenſtuel*, & alii plures. Ratio eſt: Vel enim obligarentur titulo obedientiæ, vel titulo obligationis naturalis; alius enim titulus non videtur aſſignabilis: atqui non tenentur titulo obedientiæ, hoc ipſo, quòd à juriſdictione Epiſcopali ſint exempti: neque titulo obligationis naturalis, reſultantis ex debita conformitate cum cæteris membris; quia ratione ſui ſtatus ſunt partes heterogeneæ, & diſſimilares, ſeu difformes reliquis partibus, ſub eodem Capite, ſcilicet Epiſcopo, contentis; & aliàs per ſuas Regulas, ac ſtatuta ſufficienter ad bonum commune diriguntur; ergo per ſe non obligantur legibus Epiſcopalibus, niſi in quibuſdam caſibus in jure ſpecialiter expreſſis. Dictum eſt *per ſe*, quòd enim teneantur per accidens ratione ſcandali, vel

quando

Digitized by Google

dali, vel quando bonum publicum ita exigit, fatentur omnes. Dictum etiam eſt: *niſi in quibuſdam caſibus* in jure ſpecialiter expreſſis: tenentur enim in quibuſdam caſibus in jure expreſſis, quorum univerſim quinquaginta duos enumerat Barboſa *parte tertia de officio, & poteſtate Epiſcopi allegat.* 105. Reiffenſtuel *in libro primo Decret. tit. 31. num.* 151. *& ſeqq.* refert quadraginta principaliores, ex quibus aliquot magis practicos breviter referemus; reliqui apud ipſum, & Barboſam videantur.

235 IV. *Primus eſt:* Regulares extra Clauſtra degentes; etiam ſui Ordinis prætextu, tuti non ſunt, quominùs, ſi deliquerint, ab Ordinario loci, tamquam ſuper hoc à Sede Apoſtolica delegato, ſecundùm Canonicas ſanctiones, viſitari, puniri, & corrigi valeant. Ita expreſsè *Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. capit. 3. de Reformatione.* Ubi tamen notandum ly, *degentes extra Clauſtra;* hoc eſt, qui diutiùs exiſtunt, ſeu habent permanentem habitationem extra Monaſterium, ut puta, qui ſtudiorum cauſa extra Conventum commorantur, juxta dictum Concilium, *ſeſſ. 25. cap. 4. de Regular.* & hujuſmodi. Unde obſervat Lauretus de Franchis apud Reiffenſtuel *citat. numer.* 112 quòd Concilium Tridentinum *cit ſeſſ. 6. cap. 3. de Reformatione* non comprehendat illos Regulares, qui de licentia ſuorum Superiorum per aliquot dies, vel etiam duos, aut tres menſes, ex cauſa prædicationis, vel confeſſionum excipiendarum, aut etiam recreationis gratia, & hujuſmodi, exiſtunt extra Clauſtra Monaſterii. Quia tales non videntur abeſſe à Monaſterio juxta citatum Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 5. de Reformatione*: ubi aliquantiſper abſentes (nempè per duos, vel tres menſes) *ex veterum Canonum Sententia non videntur abeſſe, quia ſtatim reverſuri ſunt.*

*Secundus*: quando Regularis, cæteroquin non ſubditus Epiſcopo, intra Clauſtra Monaſterii degit, & extra ea notoriè delinquit, ita ut populo ſcandalo ſit, tunc is, Epiſcopo inſtante, à ſuo Superiore intra tempus ab Epiſcopo præfigendum, ſeverè eſt puniendus, teneturque Superior ejus de punitione Epiſcopum certiorem facere: ſin minùs, Superior à ſuo Prælato officio privetur, & delinquens ab Epiſcopo puniri poterit. Ita decrevit Conc. Trid. *ſeſſ. 25. cap. 14. de Regul.*

*Tertius*: Apoſtatæ, & ejecti è Religionibus, indiſtinctè ſubſunt Epiſcoporum juriſdictioni. Patet hoc ex Decreto S. Congregationis Concilii *die 25. Septembris*, 1624. edito, ac refertur *tom. 4. Bullarii Romani conſtit. 28. Urbani Papæ VIII.* Item Regulares ſine legitimo mandato, in ſcriptis obtento, à ſuis conventibus recedentes, etiam prætextu Superiores ſuos accedendi, ab Ordinariis locorum, tamquam deſertores ſui inſtituti puniri poſſunt. Ita Conc. Trid. *ſeſſ. 25. cap. 4. de Regular.*

*Quartus*: Regulares etiam exempti tenentur ſervare dies feſtos, quos in Diœceſi ſua ſervandos Epiſcopus præceperit. Ita Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 12. de Regul.* Item Regulares etiam exempti, ad publicas proceſſiones vocati, accedere tenentur, poſſuntque ad hoc per Epiſcopos compelli, iis tantùm exceptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuò vivunt: Ita *Conc. Trid. cit. cap.* 13. ubi tamen notandum eſt, quod etiam ad publicas Proceſſiones non teneantur accedere illi regulares, qui per dimidium milliare (Italicum) abſunt à Civitate ex conceſſione Gregorii XIII. ſicut & illi, qui habent ſpeciale privilegium, ut non teneantur ad Proceſſiones accedere; quales ſunt Patres Societatis, Carmelitæ Diſcalceati, &c. *Vide Reiffenſtuel cit. num.* 529.

*Quintus*: Controverſias omnes de præcedentia, quæ in publicis Proceſſionibus, aut defunctorum corporibus ſepeliendis oriuntur, Epiſcopus amota omni appellatione, & non obſtantibus quibuſcunque, componere debet. Ita rurſus Conc. Trid. *cit. ſeſſ. 52. cap. 13. de Regul.*

*Sextus*: Regulares etiam exempti non poſſunt confeſſiones Sæcularium audire, niſi Parochiale Beneficium habeant aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur neceſſarium, aut aliàs idonei judicentur, & approbationem obtineant. Ita Concil. Trid. *ſeſſ. 23. cap. 15. de Reform.*

*Septimus*: Quicunque Sacerdos, ſive Regularis, ſive ſæcularis, alterius Parochiæ ſponſos, ſine illorum Parochi licentia, matrimonia conjungere, aut benedicere auſus fuerit: ipſo jure tamdiù ſuſpenſus exiſtit, quamdiù ab ordinario ejus Parochi abſolvatur. Ita Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.*

*Octavus*: Epiſcopi, etiam ut delegati Sedis Apoſtolicæ, poſſunt prohibere, ne privatis in domibus, atque omninò extra Eccleſiam, & ad Divinum tantùm cultum dedicata Oratoria, ſacrificium Miſſæ à ſæcularibus, vel Regularibus quibuſcunque peragatur. Ita Conc. Trident. *ſeſſ. 22. in Decr. de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ.*

*Nonus*: Non licet Regularibus, etiam in propriis Eccleſiis, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publicè adorandum (*id eſt, cum ſolemnitate, ſeu in Mouſtrantia, ut Sacra Hoſtia videri poſſit*) exponere, niſi ex cauſa publica, quæ ſit probata ab Ordinario. Ita decrevit S. Congregatio *Rituum 26. Februarii*, 1628. & refert Angelus Lantuſca *in Theatro Regularium V. Euchariſtia, num.* 1. Secus dicendum de expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti in oſtiolo tabernaculi, aut in pixide velata cum luminibus, ita ut ipſa S. Hoſtia videri non poſſit: hoc enim poteſt à Regularibus fieri, etiam ex cauſa privata, & abſque alia licentia Ordinarii. Ita Lantuſca *loc. cit. num.* 2. allegans Congregationem Epiſcoporum 7. *Septem.* 1598.

*Decimus*: Regulares extra clauſtra, & ambitum ſuorum Monaſteriorum, non poſſunt facere proceſſiones ſine licentia Ordinarii; & ſi ſecus attentetur (niſi conſuetudine, aut Privilegio id ab eis fuerit obtentum) poſſunt puniri, ac impediri ab Ordinario. Ita Barboſa, Zerola, & alii apud Reiffenſtuel cit. Intra clauſtra tamen, & ambitum ſuorum Monaſteriorum, benè poſſunt Religioſi facere Proceſſiones irrequiſito Ordinario, quia ibi habent ſuum territorium, non verò extra. Ita Zerola *in praxi Epiſcopali, V. Proceſſio, §. ad quartum.*

*Undecimus*: Regulares, etiam exempti, ſubjiciuntur Epiſcopis in iis, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis: ut in petitione Chriſmatis, conſecratione Eccleſiarum, ſuſceptione Ordinum, & hujuſmodi. Niſi habeant ſpecialia privilegia. Vide Reiffenſtuel cit.

*Duodecimus*: Epiſcopis univerſis ſub interminatione maledictionis æternæ præcipitur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 5. de Regul.* ut in omnibus Monaſteriis ſibi ſubjectis, ordinaria, in aliis verò, Sedis Apoſtolicæ auctoritate, clauſuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter reſtitui, & ubi inviolata eſt, conſervari maximè procurent: inobedientes atque contradictores, per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, quacunque appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam, ſi opus fuerit, auxilio Brachii ſæcularis.

*Decimus Tertius*: Regulares ſunt ſubjecti Epiſcopis quoad editionem librorum. Quia præter appoſitionem proprii nominis, licentiam ſuorum Superiorum, atque recognitis per eos libris juxta formam ſuarum ordinationum nequeunt abſque examinatione, & approbatione Ordinarii in ſcriptis danda, atque in fronte libri apponenda, libros de rebus Sacris imprimere, vel imprimi facere. Ita Concil. Later. *ſub Leone X. celebratum ſeſſ.* 10. & Trident. *ſeſſ. 4. in Decreto de editione librorum.* Dicitur notanter: *Libros*: Nam Azorius *parte* 1. *lib. 8. cap. 17. quæſt.* 4. & Alii apud Reiffenſtuel *cit. numero* 144. volunt, conſtitutionem Concilii Lateranenſis, & Tridentini intelligendam eſſe de libris, utpotè de quibus verba conſtitutionis ſonant; non autem de Diſputationibus, Lectionibus, Concionibus & aliis hujuſmodi: quia libri non ſunt, præſertim quando nulla ſubeſt fraudulentiæ, pravæ intentionis, vel perverſitatis ſuſpicio.

*Decimus Quartus*: Regulares, & quicunque alii, indulgentias, quas à Summo Pontifice impetrarunt, ſine Ordinarii licentia publicare non poſſunt. Deſumitur ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 21. cap. 9. de Ref. & ſeſſ.* 25. in Decreto de Indulgentiis. Quod tamen intelligendum de indulgentiis de novo conceſſis, non autem de iis, quæ olim Regularibus fuere à Summis Pontificibus conceſſæ; ut notat Bonacina *t. 3. diſp. 2. de Bulla cœna, q. 3. punct. 30. n. 9.*

*Decimus Quintus*: Regulares de facto ſubſunt Epiſcopis quoad officium Prædicationis: nam præterquam quòd à ſuis Superioribus de vita, moribus, & ſcientia debeant eſſe examinati, approbati, & admiſſi, in Eccleſiis ſui ordinis ſine petita benedictione Epiſcopi, in Eccleſiis verò, quæ ſuorum ordinum non ſunt, ſine habita Epiſcopi licentia prædicare non poſſunt. Ita Conc. Tr. *ſ. 5. c. 2. §. Regulares verò, de Ref.* Quamvis, ut in Eccleſiis ſui ordinis poſſint prædicare; ſufficiat petita Benedictio Epiſcopi, licèt non obtenta, dummodò non accedat expreſſa ejus prohibitio. Fagnanus in *c. Grave, num. 42. de officio Ordinarii, &* Alii.

*Decimus Sextus*: Regulares omnes ſubjiciuntur Epiſcopo quoad renuntiationes Novitiorum per Concilium Triden. *ſeſſ. 25. de Regularibus, cap.* 16. ubi renuntiationes; & obligationes à Novitiis factæ, etiam cum juramento, vel in favorem cujuſcunque cauſæ piæ, nullæ, ac irritæ decernuntur, niſi fiant cum licentia Epiſcopi, ſive ejus Vicarii Generalis, infra duos menſes ante profeſſionem. Veruntamen, quòd hæc diſpoſitio Concilii Tridentini locum non habeat in Teſtamentis, codicillis, & donationibus mortis cauſa, rectè notat Emmanuel Rodericus *tom. 3. RR. Reg. quæſt. 16. art. 1. &* Barboſa *part. 3. de offic. & Poteſt*



Digitized by Google

*Epiſcopi, allegat. 99. numer.* 12. citans plurimos alios. Et meritò: nam verba illa, *Renunciatio, obligatio*, non poſſunt adaptari ad Teſtamentum: hoc enim ſemper liberè poteſt revocari ante Profeſſionem, ſicque per illud in nullo læditur libertas Novitiorum, cui ſacrum Concilium proſpicere voluit. At renuntiatio, ſeu obligatio inter vivos, ſemel acceptata, poſteà eſt irrevocabilis: unde meritò ad ejus valorem inter alia requiritur licentia Epiſcopi, aut ejus Vicarii Generalis, ne Novitii incautè ſeſe obligent, aut renuntient. Secùs accidit in Teſtamentis, codicillis, donationibus mortis cauſa, utpotè ante Profeſſionem liberè revocabilibus.

*Decimus ſeptimus:* Regulares ſubduntur Epiſcopis quoad explorationes voluntatis Puellarum Deo dicandarum. Siquidem Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 17. *de Regul.* ſtatuit, ut Puellæ volentes habitum Religionis ſuſcipere, non antè in Monaſterium ſuſcipiantur, neque poſtmodùm Profeſſionem emittant, niſi anteà Epiſcopus, aut alius ab eo deputatus, diligenter exploravevit voluntatem virginis *an coacta, an ſeducta ſit, an ſciat, quid agat*, prout loquitur Concilium. Et hæc tria interrogatoria in praxi ſunt bene obſervanda: nam alias interrogationes facere non licet; & ſi fiant, non tenentur puellæ ad eas reſpondere, prout declaravit Sanctus Pius V. in ſua 41. conſtitutione: *Et ſi mendicantium*, quæ videri poteſt in *Bullario Romano tomo* 2. ubi etiam §. 6. dicitur, quòd occaſione hujus examinis nec Epiſcopus, nec ejus Vicarius intra ſepta Monaſterii ingrediantur, ſed ſtent ante cratem ferream &c. Vide Reiffenſtuel cit. *num.* 157.

*Decimus Octavus:* In Judicio nullitatis Profeſſionis Religioſæ, omnes Regulares ſubjecti ſunt Ordinariis locorum, nam quicunque Regularis prætendat, ſe per vim, & metum, Religionem ingreſſum fuiſſe, aut ante debitam ætatem, Profeſſionem emiſiſſe, aut quid ſimile, ſicque habitum dimittere velit, audiri non debet, niſi intra quinquennium à die Profeſſionis cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo, & Ordinario. Ita Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 19. *de Regularibus*. Et hoc ipſum habere locum, quando Religio vult ipſum exponere tamquam nulliter profeſſum, declaravit Sacra Congregatio; ut refert Fagnanus *citatus in capit. grave numero vigeſimo ſeptimo*.

*Decimus Nonus:* Ut debitus honor matrici Eccleſiæ reddatur, tam Regulares, quàm Clerici ſæculares, etiam ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis privilegio muniti, die Sabbati majoris hebdomadæ, antequàm campana cathedralis, vel majoris Eccleſiæ pulſetur, campanas in Eccleſiis ſuis minimè pulſare poſſunt; contravenientes autem pœnam centum ducatorum incurrunt: Ita habetur in conſtitutione Leonis X. quæ incipit, *Sacro approbante*. §. *Et ut debitus.* Unde in caſu, quo Eccleſia inferior, dicto Sabbato Sancto, citiùs abſolvit actum ſolemnem illius diei, citiuſque ſub Miſſa, incipit *Gloria in Excelſis*, quam Eccleſia cathedralis, vel major illius loci; non poteſt ad *Gloria in Excelſis* pulſare campanam majorem (benè tamen tintinabulum intra parietes Eccleſiæ) ſed debet expectare, donec campanæ in Eccleſia majori pulſentur; & tunc primùm cum illa campanam majorem pulſare.

*Vigeſimus:* Quamvis ex privilegio quis ſit exemptus à Juriſdictione Epiſcopi, adhuc tamen tenetur Epiſcopo reverentiam præſtare. Hinc cùm Epiſcopi venerint in regularium exemptorum Eccleſias ad celebrandum, reverenter recipiendi ſunt. Poſſunt ipſi etiam in Regularium Eccleſiis quantumvis exemptis, populo benedicere, atque in Pontificalibus celebrare, ſicque uti Baldachino. *Clem. Archi-Epiſcopo* 2. *de Privil.*

### §. III. *Infideles, Infantes, Amentes.*

236 NOtandum, *Infideles* alios eſſe *Baptizatos*, ut ſunt Lutherani, Calviniſtæ &c. qui ſpeciali vocabulo vocantur *Hæretici*: Alios eſſe *non baptizatos*, quales ſunt Judæi, Ethnici, Machometani &c. Et quidem hos omnes obſtringi Legibus Divinis tam poſitivis, quàm naturalibus, eſt indubitatum; cùm ipſi non minùs, ac Catholici, Deo, à quo præfatæ Leges emanant, ſint ſubjecti. Unde ſolùm de Legibus Humanis, iiſque Eccleſiaſticis procedit Quæſtio. Itaque.

237 I. Infideles baptizati; ſeu Hæretici obligantur Legibus Eccleſiaſticis: non verò Infideles non baptizati. Prima pars eſt Laym. *in c. Canonum num.* 2. *de conſtit.* Engel, *eodem tit. num.* 16. & communis aliorum: adeò, ut Lugo *tom.* 3. *in* 3. *part. diſpu.* 15. *ſect.* 7. *num.* 147. abſurdiſſimum fore dicat, ſi quis negaret, Hæreticos Legibus Eccleſiaſticis ligari. Secunda pars eſt itidem communis præſertim Theologorum, adeò, ut inter alios Caſtro-Palaus *parte prima tr.* 3. *diſp.* 1. *puncto* 24. & Herinca *diſp.* 3. *de legibus*, *quæſt.* 15. *num.* 127. eam certam eſſe dicant. Ratio primæ partis eſt: Quia Hæretici per Baptiſmum, & fidem Chriſti receptam, jam ſunt ingreſſi Eccleſiam, ejuſque membra effecti: ergo manent obligati legibus ipſius. Et certè, ſi Hæretici non obligarentur Legibus, fruſtra tot leges pœnales in Iure Canonico, *toto titulo, de Hæreticis*, & aliis Conſtitutionibus Eccleſiaſticis contra Hæreticos latæ fuiſſent. Nec obſtat, quod Hæretici reſiſtant Eccleſiæ, ejuſque Conſtitutionibus: Hoc enim neutiquam eos excuſat: cùm ex ſuo delicto atque perfidia, nemo debeat reportare commodum, utputa exemptionem à Legibus Eccleſiaſticis, *L. nemo ex ſuo, ff. de Reg. Juris* ibi, *nemo ex ſuo delicto meliorem ſuam conditionem facere poteſt*. Ratio ſecundæ partis eſt: Quia Apoſtolus 1. *Cor.* 6. ait: *Quid mihi de iis, qui foris ſunt, judicare? nam eos, qui foris ſunt, Deus judicabit.* Atqui infideles non baptizati, imo etiam Catechumeni adhuc foris ſunt juxta mentem Apoſtoli: ergo. Minor patet quia tales nondum ſunt ingreſſi Eccleſiam per januam Baptiſmi. Concordat *c. Gaudemus, de Divortio*, ubi expreſsè Pontifex fatetur, quòd infideles, & pagani *Conſtitutionibus Canonicis non arctantur*. Idemque videtur ſupponere Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 2. ibi: *cùm Eccleſia in neminem Judicium exerceat, qui non priùs in ipſam per Baptiſmi januam fuerit ingreſſus.* Accedit ratio: Quia leges non poſſunt imponi, niſi ſubditis: atqui pagani, aliique needum baptizati, non ſunt ſubditi Eccleſiæ, utpote, quam per Baptiſmi januam needum ſunt ingreſſi: ergo.

II. Infantes, ſeu pueri nondum ſeptennes, etiamſi habeant uſum rationis, non tenentur legibus humanis, uti nec perpetuò amentes. Prima pars docetur à *Caſtro-Palao tract.* 4. *diſp.* 1. *puncto* 24. §. 2. *Illſung. num.* 18. *Diana part.* 10. *t.* 12. *R.* 37. *Burghaber Cent.* 2. *Caſu* 24. *Joann. Sanchez*, & Aliis pluribus. Secunda pars eſt omnium. Ratio primæ partis eſt; Quia leges Eccleſiaſticæ in obligando procedunt humano modo, ideoque neminem obligant, niſi habentem uſum rationis, quem non præſumunt, niſi poſt completum ſeptennium; leges enim poſitivæ attendunt ad ea, quæ communiter contingunt, *L. nam ad ea, ff. de legibus*; atqui communiter non contingit uſus rationis ante ſeptennium completum: ergo: Hæc Sententia teſte *La Croix lib.* 1. *num.* 676. eſt ſatis probabilis. Ratio ſecundæ partis eſt; quia Lex eſt regula actuum humanorum: ergo ubi abſolutè non eſt capacitas rationis, & actuum humanorum, ibi non eſt ſubjectum legis; atqui ea capacitas non eſt in perpetuò amentibus, ſicut, & in infantibus nondum uſum rationis habentibus: ergo non obligantur legibus humanis. Unde illis tempore Quadrageſimæ licitè dantur carnes. 238

Dictum eſt 1. *legibus humanis*: quia certum eſt infantes, amentes, ſicut & ebrios obſtringi lege naturali: cùm enim hæc ſuam trahat originem à natura intellectuali de ſe rationis capaci, etiam infantes ante completum ſeptennium, à quo primùm leges humanæ obligare incipiunt, & amentes, ac ebrii ſub lege naturali comprehenduntur, ut advertit apud *Paulum Mezger tract.* 8. *diſp.* 35. *art.* 5. §. 3. *num.* 10. *P. Petſchacher*. Ex quo fit, ut pueri etiam ante ſeptennium completum, ſi malitia in ipſis ſuppleat ætatem, contra legem naturæ peccare poſſint. Et, qui amentes, ac ebrios, ſicut, & infantes, inſtigat ad actus intrinſecè malos, peccet cooperando ad actus verè prohibitos: quamvis amentibus, infantibus, & ebriis, ut potè rationis uſu deſtitutis, per accidens non imputentur ad culpam. Quantum ad leges Divinas, pueri uſu rationis conſecuti, etſi needum ſeptennes, etiam iiſdem obligantur; *quarum materia ipſorum ætati eſt conveniens*. Ratio eſt; quia leges Divinæ poſitivæ, cùm procedant immediatè ab ipſo Deo auctore naturæ, & gratiæ, ſintque de magis neceſſariis ad finem ſupernaturalem, ſcilicet beatitudinem cœleſtem conſequendam, quàm leges humanæ: ideò etiam ſtrictiùs, & citiùs obligant, quàm humanæ, & conſequenter, modò pueri habeant uſum rationis, etſi needum ſint ſeptennes, iiſdem obligantur. 239

Dictum eſt 2. *Pueri nondùm ſeptennes*: ſi enim ſeptennium compleverint, & uſum rationis, qui tunc adeſſe præſumitur, adepti ſint, obligantur omnibus Eccleſiæ præceptis *quorum materia ipſorum ætati eſt conveniens*. Ratio eſt: Quia pueri in dicta ætate ſunt capaces obligationis legum Eccleſiaſticarum: ergo niſi Eccleſia in aliqua lege aliquid ſpeciale determinet, obligatio etiam prædictos pueros afficiet. Dixi: *Quorum materia ipſorum ætati eſt conveniens*; Hine primò. Pueri eximuntur à lege jejunii ante completum annum 21. 240

non

Digitized by Google

non tamen à lege abſtinentiæ. 2. Juxta communem pueri in tenera ætate non cenſentur obligari ad Communionem annuam; ad quam obligantur primùm poſt completum annum undecimum juxta *Sotum, Valentiam*, & Alios: ſed veriùs ſic obligari videntur tempore illo, quo ſatis ſunt intelligentes rerum ad ſacram Communionem ritè obeundam ſpectantium ob reverentiam Auguſtiſſimo Myſterio debitam, ut docet *Gobat. Theol. experim. tract. 4. à num.* 84. *Suarez.*, & Alii diſtinguunt inter prudentulos, & ſimplices, & dicunt, nec à Confeſſariis, nec à Parentibus, facilè ejuſmodi jam emunctioris cerebri negandam eſſe facultatem Communionis annuæ, præſuppoſita nimirùm inſtructione: imò in articulo mortis, ſi puer octennis, vel novennis petat, non eſſe negandum Euchariſtiæ Sacramentum. Inſuper *Suarez.*, & Alii volunt, neceſſariò eſſe adminiſtrandum illis, qui ſunt capaces Sacramentalis Confeſſionis *ex capite penultimo 26. quæſt. 6.* 3. Præceptum audiendi ſacrum pariter non ligat, niſi reſpectivè tempore ætatis, tam ex annis, & maturitate ingenii ſpectatæ, qualis in puellis plerumque cenſetur intra 8. & 9. annum, & in pueris intra 9. & 10. quo tempore conſequuntur plenam diſcretionem, & ea adepta peccare poſſunt mortaliter, ut notat *Gobat. cit. tract. quinto num.* 311. 4. In dubio an puer habeat uſum rationis, ſtat poſſeſſio pro carentia rationis, ſi puer ſit ſeptennio inferior: ſi autem ſit ſeptennio major, ſtat poſſeſſio pro præſentia rationis, quia præſumptio deſumenda eſt ex communiter contingentibus: hinc puer ſeptennio minor tantùm conditionatè in eo dubio abſolvi poteſt, & in articulo mortis abſolvi debet, puer autem ſeptennio major debet etiam abſolvi extra mortis articulum: ſed etiam tantùm conditionatè, ſi ſit dubium, an conſecutus ſit uſum rationis.

241 III. Pueri, & puellæ ſeptennio majores, ſed adhuc impuberes (quales ſunt maſculi uſque ad annum 14. & fæmellæ uſque ad annum 12. abſolutum) poſſunt incurrere excommunicationem latam in eos, qui ingrediuntur monaſteria monialium: Concilium enim Tridentinum *Seſſ. 25. cap. 5. de Regularibus*, expreſſe addit, *cujuſcunque ætatis ſint*. Ita *Suarez., Vaſquez., Dicaſtillus num.* 227. Etiam probabilius eſt impuberes incurrere excommunicationem latam in percuſſores Clerici, uti ea Jure probant *Caſtro-Palaus de Legibus diſtinct. 1. part. 24. §. 2. num. 9. Delbene cap. 13. dub. 3. Dicaſtillus num.* 228. & 231. *quamvis contradicat Tamburinus de Communione cap. 4. §. ſecundo*. Attamen impuberes non incurrunt alias cenſuras ab homine ferendas, uti tenent multi apud *Dicaſtillum numero* 229. & cum *Delbene* ſuprà cit. quia pro ferenda cenſura debent moneri, & citari: ætas autem illa non eſt ſufficiens ad intelligendum ordinem Judiciarium, ideoque de Jure citari non poſſunt, neque admittuntur ad agendum, vel defendendum ſe in judicio, neque in tali materia tenentur per procuratorem comparere, cùm ſit res concernens interna, & conſcientiam ipſorum. Ita *la Croix libro ſeptimo numero* 41. Et quamvis probabile ſit, impuberes non incurrere cenſuras alias à Jure, vel homine latas, uti cum multis habent *Tamburinus* ſuprà, *Caſtro-Palaum num.* 8. *Delbene* ſupra *Krimer*, *numero* 1662. Oppoſitum tamen etiam eſt valdè probabile cum *Suarez.*, *Dicaſtillo*, numero 232. quia ætas illa de ſe eſt capax cenſuræ, uti fatetur *Krimer*, & nullo Jure probatur eſſe exempta, uti patet ea textibus, quos adducit *Tamburinus*, ex quibus tantùm colligi poteſt, quòd non teneantur recurrere ad Papam, uti nec ſenes, vel mulieres, quæ tamen cenſuras incurrunt: imò videtur certum in praxi, & fatetur eſſe verum *Delbene* quòd, quando in totum populum fertur cenſura interdicti etiam obligentur impuberes, cùm, & illi abſtineant à divinis; ergo communis ſenſus eſt, quòd incurrant cenſuram interdicti: ergo & alias incurrunt, quamvis non tam facilè, cùm eorum actio ſæpiùs excuſetur à peccato. Similiter impubes completo ſeptennio, capax peccati mortalis poteſt incurrere irregularitatem juxta Dicaſtilum *diſt. 5. numero* 232. & alios: hinc committens homicidium voluntarium contrahit irregularitatem, *ex Clement. ſi furioſus de homicidio*, *Sylveſter*, *Sanchez.*, *Avila*, *apud la Croix lib. 7. num.* 446. quin fine hujus numeri addit: imò multi cum *Caſtro-Palao tractatu 3. d. 1. part. 24. §.* 2. probabiliter excuſant omnes ante pubertatem ab omnibus pœnis, excepta pœna percuſſionis Clerici. Vide *P. Sporer tract. 5. in V. præceptum Decalogi*, *cap. 3. numer.* 67. de hac re adhuc mitiùs ſcribentem.

242 IV. Amentes non perpetui, ſed delirantes per intervalla tantùm, obligantur Legibus humanis, ſicut, & ebrii. Ita cum communi *Herincx. cit. quæſt. 11. numero* 130. Ratio eſt: quia abſolutè pollent uſu rationis: ergo à Legibus etiam humanis non eximuntur, ſed ſolùm tempore delirii & ebrietatis per accidens excuſantur à formali, & imputabili earum tranſgreſſione, cùm careant tunc uſu rationis, ad liberum voluntatis exercitium morale, ſeu actum humanum neceſſariò. Quare præfati, eo ſtatu durante, licitè retinentur domi, quamvis per hoc impediantur ab auditione Miſſæ, verbi gratia, quia non poſſunt exhibere præſentiam moralem ex intentione colendi Deum, adeoque nec ponere ſubſtantiam præcepti de audienda Miſſa, utpotè ſubſtantialiter præmemoratam præſentiam includentis. Illicitè tamen eiſdem die prohibito concederentur carnes: cùm etiam in illo ſtatu præceptum de non comedendis carnibus (idem dic de aliis præceptis, ſeu Legibus actum moralem non imponentibus) implere, ejuſque finem, qui eſt edomatio carnis, aſſequi poſſint, eſto contra illud pro tunc nequeant formaliter peccare ob defectum uſus rationis, qui defectus, cùm non ſit in præbente carnes, hic etiam peccaret formaliter.



### §. IV. *Peregrini, & Vagi.*

PEregrini, ut à Vagis, ſeu vagabundis diſtinguuntur, 243
ſunt propriè illi, qui in aliquo territorio habent domicilium, ſed ex illo abeunt ad alium locum, ſeu territorium, animo non ibi manendi, ſed tantùm ſubſiſtendi per aliquot dies, vel ad ſummum per minorem anni partem: Vagabundi verò vocantur illi, qui nullibi habent domicilium, ſed modò ſunt in hoc, modò in alio territorio, ſine animo ibi manendi, ſed tantùm ſubſiſtendi per aliquot dies aut ad ſummum per minorem anni partem, ſicut ſunt pauperes &c.

I. Peregrinus tam phyſicè, quàm moraliter exiſtens ex- 244
tra territorium ſuum, non tenetur Legibus ſpecialibus ſui territorii. Ita communis Theologorum, & Canoniſtarum Maſtrius *cit. diſp. 2. quæſt. 4. num.* 116. Herincx *cit. quæſt. 11. num.* 131. Sanchez, Suarez, Palaus, Diana, Bonacina, Navarrus, Leſſius, & Alii plures. Ratio eſt, Quia *ex L. ult. ff. de Juriſdict. extra territorium Jus dicenti non paretur impunè*: ergo legiſlator ſuam Juriſdictionem extra proprium territorium protendere non poteſt: & conſequenter neque ſubditum extra illud exiſtentem obligare aliqua lege, quia leges non feruntur in Perſonas abſolutè, ſed dependenter à territorio, *L. omnes populi*, *ff. de Juſtitia*, *& Jure*. Nec obſtat, quòd ſubditus extra territorium obligetur præcepto Superioris ſui; Diſparitas enim eſt, quòd præceptum afficiat Perſonam ſubditi ſecundum ſe, & independenter à loco, adeòque illam liget, ubicunque exiſtat; eſt enim conſtitutio, quæ fit à poteſtate dominationis, & dirigitur primariò ad perſonas ſingulares: Lex è diverſo eſt conſtitutio, quæ prodit à poteſtate Juriſdictionis, & primariò dirigitur ad communitatem, ligatque dependenter à loco, ſeu territorio. Nec obſtat, quod Superior regularis habens poteſtatem ferendi Leges, poſſit iis obſtringere ſuos ſuditos, ubicunque exiſtant; hoc tamen non poſſit Epiſcopus, aut alius legiſlator: ratio enim diſcriminis eſt, quòd Superior Regularis immediatè in perſonas Religioſorum Juriſdictionem obtineat, & non ratione loci: unde Religioſos ſibi ſubjectos tenet, ubicunque terrarum exiſtant, nec ejus Juriſdictio ad aliquod certum territorium, utpotè à quo eſt independens, reſtringi poteſt. Aliud eſt de Epiſcopo, cui Juriſdictio immediatè competit in territorium, utpotè à quo eſt independens, reſtringi poteſt. Aliud eſt de Epiſcopo cui Juriſdictio immediatè competit in territorium, & ratione hujus tantùm in perſonas: unde hæ non ſunt illi ſubjectæ immediatè, & per ſe, ſed tantùm ratione domicilii, beneficii, vel Officii; quod in ejus Diœceſi habent. Id quod, vel inde patet; quia poſſunt hæc, etiam invito Epiſcopo, deſerere, & ad aliam Diœceſim migrare, ubi ſtatim deſinent eſſe ſubditi ſuo priori Epiſcopo. Ait tamen *Herincx. cit. num.* 134. *Cur verò etiam leges abſolutè ferri nequeant, ſaltem à ſupremo Principe, ut maneant affixæ perſonis etiam independenter à territorio, hactenùs videre non potui repugnantiam.* Quæ hactenùs de legibus diximus, ob eandem rationem, etiam de ſtatutis, ſeu ſententiis generalibus dicenda erunt.

Dictum eſt, *Peregrinus tam phyſicè, quàm moraliter exi-* 245
*ſtens extra ſuum territorium*, *&c.* Si enim *phyſicè*, quidem, hoc eſt, *quoad Perſonam*, à proprio territorio abſens ſit, ſit verò præſens *moraliter*, hoc eſt, *quoad rem* circa quam operatur; vel *quoad actionem malam*, quam exercet, legibus proprii territorii ſubjacebit; uti cum communi tenent *Suarez, lib. 3. de legibus cap.* 32. Aliàs enim; ſi vel delinquens, vel delictum etiam quoad effectum, vel res; circa quam delinquitur, ſit in territorio, & Judex hujus loci punire non poſſet, non haberet plenam poteſtatem præcavendi noxia ſuo territorio. Hinc Parochus



Digitized by Google

extra Diœceſim vagans, ſi omittat agere, quæ ipſi ex officio Parochiali incumbunt, peccabit contra leges Diœceſanas, poteritque ab Epiſcopo puniri; quia fictione Juris intra Diœceſim delinquit, ſi quis enim non facit, quod facere tenetur, peccare dicitur, ubi facere tenebitur: *L. Qui non facit, ff. de diverſis Reg. Juris*. Eadem de cauſa puniri poteſt ſubditus Salisburgenſis, v. g. à ſuo Arebi-Epiſcopo, ſi poſt commiſſum in territorio Salisburgenſi delictum Auguſtam Vindelicorum aufugerit. Hoc tamen addendum talem ſubditum poſſe puniri ea dumtaxat pœna, quæ infligitur per vim coactivam internam, non autem, quæ infligitur per vim coactivam externam. Ratio diſparitatis eſt: quia prior puniendi modus poteſt ſine perturbatione pacis, & ſine tumultu, ac ſtrepitu inter populos exerceri in ſubditum extra proprium territorium, non verò poſterior.

246 Ea, quæ diximus de ſubdito exiſtente extra territorium etiam procedere de ſubdito exiſtente intra territorium in loco per ſe, & ratione ſui exempto: nam juxta *c. cùm Epiſcopus*, de *offic. Ordin. in 6. cap. 1. de Privileg. in 6. & Clemens. Archi-Epiſcopo, de Privileg.* locus præfato modo exemptus intra territorium, aut Diœceſim, loco exiſtenti extra illam æquiparatur, tantùm ad uſum Juriſdictionis. Unde ſi Epiſcopus ſub pœna excommunicationis prohibeat luſum aleæ, ea prohibitione non obligantur Clerici ludentes in foro exempto à Juriſdictione Epiſcopi. Ita apud *Herinc cit. numer.* 132. communiter docent Canoniſtæ, *in citat. c. cùm Epiſcopus, de offic. Ordin. in 6. &* apud *Layman lib. 1. tr. 4. c. 11. num. 5. Sylveſter, Armilla, Avila*. Idem docet *Suarez tom. 5. diſp. 5. ſect. 4. num. 6.* Sed excipit Monaſteria Regularium exempta, intra quæ, ſi Epiſcoporum ſubditi Epiſcopalia ſtatuta violent, abſque dubio eorum cenſuram incurrere arbitratur. *Sed hanc exceptionem apud alios non legi:* ſubjungit *Layman cit.* Hinc alii docent apud *Herincx cit.* Sæculares intra Clauſtra Regularium exemptorum exiſtentes, non teneri ſervare jejunium Diœceſanum, quod *Baſſans V. Lex 3. num. 4. in fine*, cenſet eſſe probabile. Ratio videtur eſſe. I. Quia Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 5. de Reform.* tam loca Regularium quàm perſonas exemptas appellat. II. Quia adeſt privilegium Minimis conceſſum, tales eximens à juriſdictione Epiſcoporum, quod vide in Supplem. noſtro Sacrament. *cap. 2. Sect. 3. quæſt. 4. num. 81. circa finem*. Idem docet *Heringuez lib. 13. cap. 25. §. 2.* & indicat *Sylveſter V. excommunicatio. 2. num. 13.* quando propoſita quæſtione; ſi Epiſcopus Generale ſtatutum ferat ſub excommunicationis pœna, ne aliquis virorum ingrediatur Monaſteria monialium, utrùm hanc cenſuram incurrat, qui ingreditur Monaſterium exemptum? Reſpondet non incurrere. Si tamen Epiſcopus in utilitatem ſubditorum, adeòque ex cauſa pertinente ad Eccleſiam, cui Clerici ſubjiciuntur, expreſsè prohibeat, ne quis Monaſterium exemptum ingrediatur, valere, ait, ſtatutum, eoque ligari ſubditos, non minus quàm ſi Civilis Magiſtratus ſtatutum condat in civitatis commodum, ne quis Civium in alienam terram ingrediatur, juxta Doctrinam *Abbatis in c. poſtulaſti, num. 10. de fore compet. Covarruv. 4. Reſol. cap. 20. num. 3.* Ex his.

247 *Sequitur* I. Quòd peregrinus tam phyſicè, quàm moraliter exiſtens extra ſuum territorium, non tantum non teneatur Legibus propriis ſui territorii, ſed nec legibus communibus, ſi eæ, in loco, ubi peregrinatur, non vigeant. Ita docent *Suarez libro 2. de Feſtis, c. 14. in fine, Sanchez l. 1. Moral. cap. 12. num. 28. Layman cit. c. 1. n. 4.* Eſt enim tunc quaſi privilegium locale, quo omnes frui poſſunt, qui in eo loco verſantur. Exemplum habes, ſi in aliqua Diœceſi contra communem Eccleſiæ Legem non jejunetur in vigilia alicujus Apoſtoli, vel quatuor primis diebus Quadrageſimæ (qualis conſuetudo Mediolani eſt) poterit peregrinus ſe conformare teſte *Leſſia lib. 4. de juſtit. c. 2. dub. 8. num. 59.* & conſentit *S. Auguſtinus Epiſtola 118. ad Januar.* & refertur *in capite illa diſtinctione 12.*

248 *Sequitur II.* Quòd ſi ſubditus exeat è ſuo territorio, in quo eſt, v. g. Jejunium, & accedat ad aliud, in quo non eſt jejunium, jejunare non teneatur: & ita de ſimilibus. Idque verum eſt, etiamſi hoc faciat præcisè, ut ſe à Lege eximat. Ita apud *la Croix lib. 1. num. 683.* docent *Sanchez, Suarez, Bonacina, Delbene*, & alii ſeptendecim cum *Illſung. & Paſqualigo*, & alii plures apud Vindicem *Taberna ad propoſ. 2.* contra *Salas, Sayrum, Ledeſma*, & alios. Ratio eſt: quia licèt tunc agat quaſi in fraudem legis, tamen fraus ei non patrocinatur (quod tantùm improbant *c. ſedes, &c. ex tenore, de reſcriptis*) ſed conditio loci, ad quem jus habet accedendi: Lex enim non obligat, ut quis non exeat è ſuo territorio, ſed tantùm obligat, ut exiſtens in territorio eam obſervet: *Et nullus videtur dolo facere, qui ſuo jure utitur, Reg. quinquaginta quinque ff. de Regul. juris.*

Excipiuntur hic ſpecialiter duo caſus: Primus eſt, quem 249 *Clemens Decimus in Bulla, Superna magni edita 1670. die ſecunda Auguſti §. ſeptimo* exprimit his verbis: *poſſe autem Regularem Confeſſorem, in ea Diœceſi, in qua eſt approbatus, conſluentes ex alia Diœceſi, à peccatis in ipſa reſervatis, non autem in illa, ubi idem Confeſſor eſt approbatus, abſolvere, niſi eoſdem pœnitentes noverit, in fraudem reſervationis ad alienam Diœceſim pro abſolutione obtinenda migraſſe.* Secundus eſt, quod ſi peregrinus è ſuo loco, ubi Concilii Tridentini Decretum de contrahendo matrimonio coram Parocho, & teſtibus viget, eat ad locum, ubi non eſt receptum, animo ibi contrahendi clandeſtinè; in hoc caſu dicendum eſt contra *Sanchez l. 3. d. 18. q. 4. Pontium l. 5. c. 9. Leſſium in Auctario V. Matrimonium c. 14. Averſam q. 6. ſ. 2.* & alios multos, tale matrimonium eſſe invalidum, quod *juxta la Croix lib. 6. parte 3. n. 712.* nunc videtur certum *ex Reſponſo S. Congregat. & Brev. Urbani VIII. ad Ferdinandum Archi-Epiſcopum Colonienſem*: cujus hic eſt tenor: *Urbanus VIII. ad futuram rei memoriam. Exponi nobis nuper fecit venerabilis Frater Archi-Epiſcopus Colonienſis, quòd habito nuper per eum ad venerabiles Fratres noſtros, S. R. E. Cardinales, ſacri Concilii Tridentini interpretes recurſu ſupra infraſcriptis dubiis, videlicet; Primò, an incola tam maſculi, quàm fœminæ loci, in quo Concilium Tridentinum in puncto matrimonii eſt promulgatum tranſeuntes per locum, in quo dictum Concilium non eſt promulgatum, retinentes idem domicilium, validè poſſint in iſto loco matrimonium ſine Parocho, & teſtibus contrahere. Secundò, quid ſi eo prædicti incolæ tam maſculi, quàm fœminæ ſolo animo ſine Parocho, & teſtibus contrahendi ſe transferant, habitationem non mutantes. Tertiò, quid ſi iidem incolæ tam maſculi, quàm fœminæ eò tranſferant habitationem, illo ſolo animo, ut abſque Parocho, & teſtibus contrahant. Iidem Cardinales ad primum, & ſecundum, non eſſe legitimum matrimonium inter ſe ſic transferentes, ac tranſeuntes cum fraude: ad tertium verò dubiorum hujuſmodi, ſi domicilium verè transferatur, matrimonium eſſe validum, reſponderunt, & reſolverunt, prout in Decreto deſuper emanato pleniùs continetur. Cùm autem dictus Archi-Epiſcopus reſponſum, ſeu dubiorum prædictorum reſolutionem hujuſmodi, Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri ſummoperè deſideret, nos reſponſum, ſeu dubiorum prædictorum reſolutionem hujuſmodi, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, approbamus & confirmamus, &c. Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem ſub annulo piſcatoris, die decima quarta Menſis Auguſti 1627.*

Quòd autem obliget hoc Decretum, teſtantur *Lugo in re-* 250 *ſponſione Moral. lib. 1. dub. 36. Diana parte 6. tract. ſeptimo R. 29 Tamburinus lib. 8. tract. 6. cap. 2. §. 2. Kugler à numero 905 Gobat tr. nono, numero 481. & 504. ubi numer. 468.* citat Reſponſum Facultatis Vienenſis idem reſolventis. Et ut Decretum relatum nunc ubique obliget, ſatis eſt, notitiam illius nunc haberi, & factam eſſe certam per Theologos, inquit *Gobat. numero 482*. Quod ſi quis ad talem locum iviſſet ſine fraude, id eſt, non ideo præcisè, ut ſic contraheret, ſed verbi gratia ob negotia, vel mercaturam: circa hoc nihil reſolvit Decretum, putavitque facultas Vienenſis, & Alii cum *Lugo*, quod tunc contrahatur validè, eo quòd contractus ſequatur naturam loci, in quo fit. Et pro hac ſententia *Pyrrhus, Cerradus in praxi diſpenſ. lib. 8. cap. 4. num 26.* refert Declarationem S. Congreg. Vide *la Croix cit.*

*Sequitur III.* Si verbi gratia Titius exeat ex loco, ubi 251 eſt ſpeciale jejunium, & veniat ad locum ubi eſt aliud ſpeciale jejunium? Item ſi exeat è Parochia ſua, in qua eſt ſpeciale Feſtum Sancti Fabiani Patroni Eccleſiæ, & veniat in aliam Parochiam, ubi eſt ſpeciale Feſtum Sancti Sebaſtiani Patroni hujus Eccleſiæ, an teneatur jejunare, vel audire Sacrum. Reſpondent plures cum *Caſtro Palao tractatu 3. dub. 1. part. 24. §. 3. & 5.* & dicunt teneri, ſed *Joann. Sanchez, Tamburinus in Decalogo lib. 4. cap. 1. §. 2. numer. 23. & Burghaber Cent. 1. cap. 16.* probabiliter negant; quia imprimis non tenetur ratione ſpecialis præcepti in ſuo territorio, ex quo exit, ut dictum ſuprà *numer.* 144. Deinde: nec tenetur ratione ſpecialis præcepti in altero territorio, ad quod venit: quia non eſt ſubditus Juriſdictioni horum Superiorum: ergo neutro præcepto tenetur, & conſequenter, ſi abſit ſcandalum, poterit non jejunare, nec audire Miſſam, ſed indulgere ſervilibus.

*Nec refert*, quòd fortè veſperi ſit rediturus ad ſuum domicilium: nam ad rem non facit, ſive diù, ſive parum emaneat; quia abſentia à loco proprio eum à lege eximebat, quamdiù per diem aberat; attamen reverſus ad domicilium ſuum non poterit carnes comedere, ſi in hoc ſuo loco erat jejunium, imò nec plenè cœnare, ſi jam antè per diem non ſumpſe-

rat

tat duplicem refectionem, quia jam adhuc poſſet ſervare jejunium, ad quod in ſuo loco exiſtens obligaretur. Videri poteſt *Illſung. tom. 1. diſp. 2. num. 24.*

252 *Sequitur IV.* Quod Peregrinus, antequam exeat ſuo territorio, teneatur audire Miſſam, in feſto ſpeciali ſui territorii: ita enim affirmant 18. authores apud *Paſqualignm de Sacrif. q. 1296. teſte la Croix cit. num.* 684. E contra *Buſembaum, & Alii* undecim apud eundem Paſqualigum abſolutè negant. Alii ſic diſtinguunt. I. ſi antequam exeat, nullum fiat ſacrum in proprio territorio, non tenetur expectare, ſed poteſt exire, & non audire ſacrum. II. Si antequam exeat, fiat ſacrum tantùm unum, tenebitur hoc audire, quia eodie in iſto loco obligatur ad ſacrum: ergo cùm præter hoc nullum aliud futurum ſit, ad hoc obligatur. III. Si antequam exeat, fiat ſacrum, & poſteà etiam aliud fiat, poſtquam exiverit, non tenebitur audire: quia ſi manſiſſet, potuiſſet illud ultimum ſacrum expectare: ergo cùm ante tempus illius ſit deobligandus, eo quod futurus ſit in alio territorio, in quo non eſt obligatio, etiam non tenebitur prævenire: ſicut ſi ſim hora 8. in meo territorio, & prævideam me hora 11. per diſpenſationem deobligandum, non teneor prævenire. *Ita Sanchez, Leſſius, Salas, Caſtro-Palaus, Bonacina, Herinquez, Prapoſitus, Amicus, Reiffenſtnel, Delbene, Moya, Illſung. aliique multi apud la Croix cit. nu.*684. Tenebitur tamen prædictus peregrinus illo mane, quo perſiſtit in ſuo territorio, ſuperſedere labore ſervili, quia hoc præceptum urget diviſibiliter pro qualibet parte notabili totius diei. *Ita Paulus Mezger, tr.8. diſpu.35. art 5. §.4. num.28.*

253 *Sequitur V.* Poſſe diſcedentem manè ex oppido, ubi non eſt jejunium, veſci carnibus, etſi meridie rediturus ſit domum, ubi eſt jejunium: neque domum reverſus ampliùs tenebitur illa die ſervare jejunium, quippè jam violatum, & ſervatu impoſſibile; tenebitur tamen adhuc abſtinere à carnibus: cùm hæc abſtinentia ſit diviſibilis: adeoque etiamnum ſervari poſſit. Item ſi quis eſt abiturus è loco, ubi eſt jejunium, certòque prævideat, ſe perventurum veſperi ad locum ubi non ſit jejunium; tunc etſi non poſſit ibi veſci carnibus, unde abit (cùm iſta abſtinentia, ut dictum ſit diviſibilis) poteſt tamen ibi ſumere jentaculum, & meridie prandium, quia jejunii obligatio completur tempore veſpertino, quo tempore ſcit ſe fore deobligatum. *Ita Paulus Mezger cit. num.29.*

254 II. Peregrinus exiens è ſuo territorio, & nactus domicilium in alio loco, illicò adſtringitur legibus illius loci tam communibus, quàm ſpecialibus, quia ibi fit ſubditus, *per l. Domicilium, ff. ad municipalem.* Naneiſcitur autem *Domicilium* in aliquo loco, dum in eo habitare incipit, animo ibidem ſemper permanendi. Similiter tenetur, ſi acquirat quaſi domicilium: ſiquidem, & tunc fit reſpectivè ſubditus; poteſtque recipere omnia Sacramenta, præter ordines. Acquiritur autem *quaſi Domicilium*, ſi habitare incipiat animo permanendi ſaltem per majorem anni partem; uti faciunt Studioſi, ſervi, ancillæ. Ita apud *la Croix lib. 6. part. 3. num.* 721 cum multis aliis docent *Sanchez, Pontius, Gobat tract. 9. num.*483. *&* 534. *Engel, Kugler, Layman l. 5. tract. 6. cap.* 10. num. 5. *Paludanus, Gabriel, Sylveſter, Suarez, Molina &c.* imò hoc quaſi domicilium acquiritur primodie, ſtatim, ut quis habitare incipit cum voluntate manendi per majorem anni partem. *Ita Kugler* ſuprà, & alii. Suppono etiam, peregrinum teneri legibus communibus in loco, ubi vigent: eſto in loco ſui domicilii non ſint in vigore ob conſuetudinem contrariam, vel privilegium. Hæc eſt communis ſententia, quam tenet *Herincx cit. num.* 139. *Paulus Mezger cit. nu.* 31. *Layman l. 1. tract. 4. cap.* 52. *num.* 31. *Medina, Henrinquez, Suarez*, & alii. Ratio eſt: quia conſuetudine, & privilegia ejuſmodi, communibus legibus, quibus omnes obligantur, derogatoria, ſunt localia, & hoc ipſo ad loci terminos reſtringenda, quòd à jure communi exorbitent. Quamvis contrarium juxta *Layman cit.* non omninò improbabiliter doceatur à *Sanchez*, quia cives, inquit, dum abſentes ſunt, ſed mox in Patriam redituri, per fictionem Juris pro præſentibus habentur.

255 Suppono quoque, peregrinum teneri ad leges locales in celebratione contractuum, *cap. fin. de foro competenti.* Hinc ſi Sponſus, & Sponſa ſpectarent ad Parochiam, in qua decretum Concilii Tridentini de contrahendo matrimonio coram Parocho, & teſtibus non eſt promulgatum, & peregrinarentur ad Parochiam, ubi eſt promulgatum, tenerentur in hac contrahere coram Parocho, & teſtibus, alias matrimonium foret invalidum; nam contractus regulantur juxta leges loci, in quo fiunt. Ita docent *Sanchez libro tertio diſtinctione decima octava num. 26. Krimier, Kugler, la Croix libro ſexto parte tertia num.* 613. *imò habet communis cum Buſembaum, & Pignatelli tom. 5. conſult. 89. nu.*33. quamvis tales contraherent coram Parocho hujus alieni loci, & teſtibus: adhuc nullum fore matrimonium, quia peregrinus nolens alicubi manere per majorem anni partem, non acquirit nequidem quaſi domicilium: ergo hic Parochus, non eſt ipſorum proprius, adeóque contrahunt ſine alio proprio Parocho.

*Supplem. Theol. Decal.*

Soppono denique, peregrinum teneri ad legem loco- 256
rum ubi morantur, quæ ſunt latæ ſpecialiter ob bonum commune illorum locorum, uti ſunt, quæ prohibent, ne certæ merces ex oppido evehantur, ne peregrini ultra certos dies ibi commorentur; ne certum genus armorum ferant &c. aliàs enim inquilini non haberent juſtam, & ſibi debitam defenſionem. Unde recta ratio, & jus naturale exigit, ut peregrini ejuſmodi legibus ſubjiciantur: ſub qua proinde conditione, & onere, merito cenſentur Præſides locorum illis indulgere tranſitum, & non aliter. *Ita Mezger cit. 8. n.32. Krimer, Layman cit. eſtque communis apud Sanchez.* Rurſus ratione delicti peregrini fiunt ſubditi, & nanciſcuntur forum loci, ubi delinquunt, *c. licet ratione, de foro Competenti.*

III. Extra recenſitos caſus, peregrini per ſe loquendo 257
legibus particularibus loci non obligantur: & hinc ſi in tali loco ſit jejunium, aut feſtum ſpeciale, peregrinus poterit, ſecluſo ſcandalo, ibidem comedere carnes, Miſſamve omittere. *Ita Layman lib. 1. tract. 4. cap. 12. num.* 4. & apud ipſum *Paludanus, Antoninus, Sylveſter, Medina, Azorius, Sanchez, Coninch. Sayrus, Avila*, eandem ſententiam docent *Amicus, Tannerus, Haunoldus, Engel, Mezger, Clerle, & alii.* Ratio eſt: Quia lex per ſe non obligat niſi ſubditos, & membra communitatis, cui fertur, atqui prædicti peregrini moraliter non cenſentur ſubditi, vel membra communitatis, per cujus territorium dumtaxat tranſeunt, cùm brevis mora habeatur pro nulla, *c. nam & ego de V.S.* Hinc etiam forum non ſortiuntur, niſi ratione rei ſitæ, vel celebrati contractus, aut perpetrati delicti contra jus naturale, aut commune: ergo leges particulares locorum per ſe loquendo non obligant peregrinos. Quod confirmari poteſt *ex c. duobis, de ſent. excom.* ubi interrogatus Pontifex, an peregrini comprehenderentur in excommunicatione lata ab Epiſcopo pro delictis futuris? reſpondit, ſolos ſubditos comprehendi: ergo peregrini non ſtringuntur legibus particularibus Diœceſium. Nec obſtat tritum illud. *Si fueris Romæ, Romano vivito more.* Nam axioma hoc (ſi tamen præceptum contineat, & non potiùs conſilium) intelligendum eſt de commoratione in alieno territorio per notabilem anni partem, vel de caſu, quo obſervationem legis particularis exigit ratio boni publici, aut ſcandali, & ideò dictum fuit, quòd peregrini *per ſe loquendo*: ſecluſo videlicet ſcandalo, non obligentur legibus ſpecialibus locorum, quæ tranſeunt. Nec obſtat Regula *juris 55. in ſexto Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & è contra*: Ergo dum peregrini ſentiunt commodum, ſeu exemptionem à legibus proprii territorii, etiam ſentire debent onus, ſeu obligationem à legibus alieni territorii. Nam illa juris Regula tunc ſolùm tenet, quando commodum, & onus ex propria inſtitutione connexa ſunt, ut contingit in beneficiis Eccleſiaſticis, in inſtitutione hæredum &c. Ubi tam onera, quàm commoda ad Beneficiatos, & hæredes tranſeunt, non autem, quando commodum, & onus ſunt diſparata: quemadmodùm evenit in propoſito.

IV. Reſtat quæſtio de vagis, ſeu vagabundis, qui nul- 258
libi habent domicilium, utrùm obligentur legibus, & conſuetudibus locorum, per quæ tranſeunt, vel in quibus hoſpitantur? affirmat *Sotus, Suarez, Maſtrius, Herincx, Mezger, Bonacina*, & alii, probantque ex eo: quia vagabundi à loci Magiſtratu capi, atque puniri poſſunt ob delicta etiam alibi commiſſa, ex quo colligi videtur, eos in quovis loco, ubi hoſpitantur ſortiri forum, ac ejuſdem legibus ſubjici, aliàs omninò forent ex-Leges. Nihilominùs *Leſſius lib. 4. cap. 2. dub.7. nu.* 49. *Laym. cit. numer.* 7. *Sayrus, Buſembaum*, & alii probabiliter docent, eandem eſſe rationem vagorum, quæ peregrinorum, ut tantùm illis locorum, quæ tranſeunt, legibus ſpecialibus obligentur, quibus obligantur peregrini, & quibus hi non obligantur, ut ſuprà diximus, etiam vagi non obligentur. Ratio eſt: quia generalis doctrina eſt ex *cap. ult. de foro compet.* Neminem ſortiri forum, niſi vel ratione domicilii, vel ratione delicti, vel ratione contractus, vel ratione rei, ſive poſſeſſionis ſitæ in territorio, vel denique interdum ratione originis ſive patriæ; vagi autem nullo horum modorum ſubjecti ſunt, ut ſuponimus: ergo non ſortiuntur forum in locis, per quæ tranſeunt, conſequenter nec legibus illorum particularibus obligantur. Ad fundamentum autem



Digitized by Google

prioris ſententiæ reſpondent Authores, & Patroni ſententiæ poſterioris; Per conſuetudinem introductum eſſe, ut etiam vagabundi, cùm proprium judicem non habeant, puniri poſſint, ubicumque reperiantur: ne eorum crimina omninò impunita maneant. Ex quo tamen non ſequitur, eos ſimpliciter, & in omnibus ſortiri forum, ſive juriſdictionem loci, in quo exiſtunt. Nec ſequitur, vagos fore omninò ex leges; tenentur enim ſervare leges communes & ex municipalibus illas, quæ reſpiciunt ſpecialiter Bonum commune illius loci, per quem tranſeunt: item leges, quæ concernunt contractus, vel imponunt pœnam delictis contra Jus naturale, & commune perpetratis, ut ſupra diximus de peregrinis.

## QUÆSTIO V.

*De Lege Humana in ſpecie, videlicet de Lege pœnali, irritante, in præſumptione ſundata, ac Conſuetudine.*

### SUMMARIUM.

260 *Quid ſit lex pœnalis, & quotuplex?*
261 *Non obligat ante ſententiam judicis, ſi ſit ferendæ ſententia.*
262 *Judex obligatur ad ſententiam ex præſcripto legis inferendam.*
263 *Pœnæ ſunt variæ, poſitivæ, privativa &c.*
264 *Quænam incurrantur ante ſententiam Judicis?*
265 *Quænam poſt ſententiam Judicis?*
266 *Et ſeqq. reſolvuntur circa hoc varii Caſus.*
269 *Quæ ſit diſtinctio inter ſententiam Judicis condemnatoriam, & declaratoriam criminis?*
270 *Ad quid obligetur reus poſt ſententiam Judicis?*
271 *An liceat ipſi fugere, vel effringere carcerem,*
272 *Quid ſit lex irritans?* 273. *& quotuplex?*
274 *Unde cognoſcatur, legem eſſe irritantem?*
275 *Lex irritans pœnalis quomodo obliget?*
276 & 277 *An lex irritans obliget ignorantes?*
278 Uſque ad n. 281. *Lex ipſo jure irritans quid operetur?*
281 *An Teſtamentum ſine ſolemnitatibus Juris Civilis conditum ſit irritum in foro externo?*
282 *An etiam in foro interno conſcientiæ?*
283 *Et ſeqq. referantur tres ſententiæ.*
287 *Poſt ſententiam Judicis eſt etiam irritum in foro conſcientia.*
288 *Hæres ex teſtamento minùs ſolemni non tenetur Hæredi ab inteſtato manifeſtare, quòd Teſtamentum careat ſolemnitate.*
289 *Caſus.*
290 *Quid ſit lex fundata in Præſumptione?*
291 & 292 *Qualiter obliget, ſi præſumptio fallat?*
293 & 294 *Exemplificatur Caſibus.*
295 *Quid ſit conſuetudo, & qualiter differat à præſcriptione?*
296 *Quid ſit conſuetudo juxta legem, præter legem, & contra legem?*
297 *Conſuetudo contra legem habet vim abrogandi legem veterem, & inducendi novam.*
298 *Requiritur ad hoc. I. Actuum frequentia &c.*
299 *II. Voluntas inducendi obligationem.*
300 *Requiritur III. Tacitus conſenſus Principis.*
301 *Requiritur IV. Notabilis diuturnitas temporis.*
302 *Differentia inter præſcriptionem contra Eccleſiam, & conſuetudinem contra leges Eccleſiaſticas.*
303 *Requiritur V. ut conſuetudo ſit rationabilis, & Legitimè præſcripta.*
304 & 305 *Per actus formaliter malos poteſt induci conſuetudo,*
306 *Non tamen contra legem naturalem, aut Divinam.*

### ASSERTIO V.

299 *LEx pœnalis non obligat ad pœnam ſubeundam ante ſententiam condemnatoriam Judicis, ſi pœna ſit ferendæ ſententia: ſi verò pœna ſit latæ ſententiæ, & ſit poſitiva, ac temporalis, tamen ordinariè non obligat ad ſubeundam pœnam ante ſententiam declaratoriam criminis: Secùs ſi ſit pœna ſpiritualis, vel privativa. Si lex prohibeat actum, & non irritet: actus eſt validus ſed illicitus: ſi vero lex actum à Judice irritandum decernat, tamdiù valet actus, donec ſententia Judicis reſcindatur: ſi denique lex ipſo jure irritet actum v. g. contractum &c. in foro externo eſt invalidus; ac etiam in foro interno conſcientiæ erit nullus, ſi fuerit pleniſſimè, ſeu, ut loquuntur, naturaliter infirmatus. Lex fundata in præſumptione Juris, ſeu communis periculi obligat in conſcientia, etiamſi in caſu particulari præſumptio fallat: Si verò ſit fundata in præſumptione facti, non obligat in conſcientia, quando præſumptio fallit. Conſuetudo legitima vim habet legem novam inſtituendi, & veterem abrogandi.* Eſt communis Theologorum, & Canoniſtarum apud Authores citandos.

### §. I. *Lex Pœnalis.*

LEx *pœnalis* dicitur, quæ pœnam aliquam intentat, di- 260
ſtinguitur a lege *morali*, quæ nullam pœnam intentat, ſed mores dirigit, obligando ad actum, vel omiſſionem illius. Quod ſi lex obliget ad actum, & ſimul ad pœnam, dicitur lex *mixta*, ex morali ſcilicet, & pœnali: ſi vero tantùm pœnam irrogat, nec ad actum faciendum, vel omittendum obliget, appellatur *purè pœnalis*, quæ juxta ſuprà dicta, hac ſectione *qu. 5. n.* 200. adhuc obligat in conſcientia ad pœnam ſuſtinendam, ſiquidem aliàs non eſſet vera lex, de cujus ratione eſt obligare. Lex pœnalis ſubdividitur in legem pœnalem *ferendæ ſententiæ*, & *latæ ſententiæ*. Hæc eſt, in qua Legiſlator de facto transgreſſori pœnam imponit, ac ad eam condemnat; illa verò, in qua Legiſlator tantùm pœnam comminatur, ſeu mandat judici, ut reo pœnam infligat. Ad dignoſcendum verò, an lex aliqua pœnalis ſit latæ, vel ferendæ ſententiæ, notandæ ſunt ſequentes Regulæ. Prima: Quotieſcumque dubium eſt, an verba legis contineant ſententiam latam, vel ferendam, cenſendum eſt, quòd tantùm contineant ferendam; nam *in pœnis benignior interpretatio eſt adhibenda*, ut dicitur *de Regulis Juris in 6.* Secunda Regula eſt: ſi lex ſolùm comminetur pœnam, continet ſententiam ferendam, ut ſi dicat: *Sub pœna excommunicationis, ſub pœna privationis actuum legitimorum &c. vel ſubjacebit excommunicationis, vel excommunicationem ſe noverit incurſurum &c.* Excipe, niſi aliquæ particulæ addantur, quæ ſatis indicent, pœnam de facto infligi; ut ſi dicatur: *Sub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda: ſubjacebit ipſo facto excommunicationi &c.* Item niſi lex alioquin eſſet inutilis, ut contingit in lege pœnali irregularitatis, quæ non ab homine, ſed a ſolo jure infligitur, & in legibus ſtatuentibus impedimenta matrimonii, vel Profeſſionis quæ poſtmodùm irritari non poſſent; hæ enim circumſtantiæ apertè indicant, pœnam infligi ipſo facto, etſi verba præciſe ſumpta id non exigerent. Tertia Regula eſt: Lex eſt latæ ſententiæ, ſi ſententiam judicis expreſsè excludat. Item ſi verba nullam dilationem temporis admittant, v.g. hæc, *ipſo facto, ex nunc, mox &c.* Inſuper ſi lex dicat, reum eſſe in conſcientia obligatum ad pœnam. Similiter ſi Legiſlator ſibi, vel legi ſuæ adſcribat ſententiam, dicendo, v. g. *Authoritate noſtra, virtute hujus legis, ipſo Jure ſubjaceat tali pœnæ*. Denique ſi lex utatur ſolo verbo indicativi modi præſentis, aut præteriti temporis, v.g. *excommunicamus, ſuſpenditur, excommunicationem ſe noverit incurriſſe, ſciat ſe eſſe excommunicatum.* Ita *P. Herincx cit. diſp. 5. q. 1. n. 7.* vide plura apud *Suar. l. 5. de leg. c. 6.* His prænotatis:

I. Quando lex pœnalis continet tantùm ſententiam fe- 261
rendam, certum eſt ex communi omnium Doctrina, non obligare reum ad pœnam ſolvendam, vel ſubeundam, aut aliquos ejus effectus præſtandos ante ſententiam Judicis condemnatoriam. Ratio eſt: quia reus non obligatur ad amplius, quam lex ipſa contineat, ipſa autem ſolùm præſcribit, ut reus pœnæ adjudicetur, quod magis judicem, quàm reum concernit. Hinc patet, reum validè, & licitè ſe gerere tamquam non excommunicatum, ſi per legem excommunicandus decernatur: ſimiliter poſſe acceptare officium, vel Beneficium, actuſque officii exercere, & fructus Beneficii recipere, etſi crimen commiſerit, ob quod Officiis, vel Beneficiis per judicem eſt privandus. Denique poteſt reus validè, & licitè alienare bona temporalia per ſententiam confiſcanda; idque (quamvis aliqui contradicant) etſi fiat in fraudem fiſci, ſeu ejus, cui bona per ſententiam judicis ſunt adjudicanda. Quod tunc fit, quando reus ideò alienat, ne fiſcus poſtmodùm obtineat. Nec refert, quòd fraus, & dolus nemini debeant patrocinari; nam nec debent nocere, ubi Jus id non ſtatuit. Nec denique per hoc fit fiſco injuria: nam utens jure ſuo, nemini facit injuriam. *Ita Herincx cit. n. 9.*

II. Judex obligatus ad ſententiam ex præſcripto legis 262
ferendam, qua reus condemnetur ad pœnam: quando crimen eſt ſufficienter probatum; ſi ejus libertati non relinquatur pœnam moderari. Ita *communiter Doctores*. Et colligitur *ex c. in iſtis, diſt. 4. & c. ſummoperè 11. quæſt. tertia*. Ratio eſt: quia judex eſt cuſtos legis; cujus proinde officium eſt, obſervationem legis procurare, maximè ſi lex ipſum expreſsè concernat, prout facit lex pœnalis ferendæ ſententiæ. Deinde per talem legem præſcribitur medium juſtitiæ vindicativæ; adeòque hoc judex ſervare tenetur; cùm ipſius ſit juſtitiam vindicativam exercere. Uſu tamen, & jure poteſt judex certis caſibus minuere, vel non imponere pœnam. Quod ex variis cauſis Summo Principi faciliùs conceditur. Hic enim non ſolùm
ex

Digitized by Google

ex Epikia, ſed etiam ex facultate diſpenſandi, poteſt pœnam lege taxatam mitigare, & ſententiam à ſe, vel Judice inferiorem latam revocare; cùm tamen Judex inferior citra ſpecialem facultatem, Jure, vel conſuetudine conceſſam, nec poſſit in lege pœnali diſpenſare, nec ſententiam ſemel latam revocare. Videndum tamen, ſi e nimia indulgentia inſoleſcant ſcelerati, & bonum publicum graviter lædatur. Vide *Malderum tr. 6. de Juſtificatione cap. 1. dub. 26.* Num autem Judex, ſi pœnam pecuniariam minuat, vel omninò remittat, teneatur ad reſtitutionem Reipublicæ, vide *P. Patritium Sporer tr. 4. Prælim. ad Præcepta 2. tabulæ cap. 3. ſect. 1. n. 59.*

263 Pro meliori dicendorum declaratione notandum, pœnas aliquas dici *Poſitivas*, quæ ad ſui executionem indigent ulteriori actione, ut ſolutio pecuniæ, foſſio metalli, &c. Alias dici *privativas*, quæ nimirùm privant aliqua re, fructu, jure vel quærendo, vel quæſito, ſine ulteriori actione, ut cenſuræ Eccleſiaſticæ, privatio vocis activæ, & paſſivæ, &c. Alias denique eſſe *conditionales*, quæ non tam ſunt pœnæ, quam carentia Beneficii, quod Legiſlator nonniſi ſub certa conditione dare voluit. Sic Clericus Beneficiatus habitum non deferens privatur privilegio fori, quia Privilegium datur ſub conditione habitum deferendi. Hoc notato dicimus:

264 III. Leges pœnales, quæ inferunt pœnas ſpirituales excommunicationis, ſuſpenſionis, &c. ipſo facto incurrendas, vel privant jure acquirendo, redduntque tranſgreſſorem inhabilem ad aliquod jus, vel actum, vel imponunt pœnam conditionalem: obligant ante judicis ſententiam declaratoriam criminis. *Ita Maſtrius Theol. Mor. diſp. 2. q. 5. art. 3.* & apud ipſum *Cajetanus, Bannez, Medina, Valentia &c.* Item *Herincx cit. q. 2. Reiffenſtuel in 1. lib. Decr. tit. 2. de Conſt. nu. 226. & apud ipſum Suarez, Caſtro. Pal. & Ludov. Engel. Item Paulus Mezger tr. 8. diſp. 35. art. 2. num. 3.* cum communi DD. Et quoad pœnas ſpirituales conſtat *ex c. non dubium, de Sent. excom. & c. 2. de Clerico non ordinato Miniſt.* Sic etiam incurritur Canonicum impedimentum matrimonii ex crimine. Idem eo communi uſu, & Doctorum ſenſu conſtat de irregularitate pœnali, quæ incurritur ante omnem ſententiam declaratoriam. Similiter non licet petere debitum matrimoniale, quando id in pœnam conjugibus prohibetur, ut habet *Sanchez lib. 9. de Matrim. diſp. 30. num. 3.* Sic etiam Beneficiariis non recitantibus officium Divinum imponitur reſtitutio fructuum pro rata *in Concilio Lateran. I. can. 10.* & non reſidentibus in ſuis Eccleſiis *in Trid. ſeſſ. 23. de Reform. c. 1.* Sic per *c. licèt de Elect. in 6.* habens beneficium curatum illo privatur, ſi intra annum non ordinetur presbyter &c. Quoad cenſuras Eccleſiaſticas ratio eſt: quia cùm lex dicat, delinquentem ipſo facto incurrere ejuſmodi pœnas, illæque, ut plurimum ſint medicinales, & non excedant ſuavitatem, & æquitatem humanam; ideo cenſendum eſt, quod Legiſlator velit uti ſua poteſtate ad illas infligendas, non expectata Judicis ſententia. Quoad pœnas inhabilitantes, & conditionales ratio eſt: quia cùm Eccleſia, & Reſpublica ſit Domina ſuorum bonorum: juſtè poteſt habilitatem ad illa percipienda alligare certis conditionibus, quibus non impletis hoc ipſo ceſſabit habilitas ad illa percipienda: ſicut ſi Teſtator Bertæ feciſſet legatum percipiendum ſub conditione, ſi caſtè vivat; hoc ipſo, quòd non verificaretur conditio, etiam ipſa privaretur legato. Ita rurſus in pœnam certi delicti poteſt Eccleſia, & Reſpublica eidem alligare inhabilitatem ad aliqua jura, bona, vel fructus à Legis tranſgreſſoribus incurrendam. Unde poſita tranſgreſſione, delicto, vel crimine, eo ipſo ceſſabit habilitas.

26 VI. Pœnæ temporales poſitivæ, quæ nimirùm externam executionem requirunt, ut eſt amiſſio Dominii, confiſcatio bonorum, privatio Beneficii, aut officii Eccleſiaſtici, &c. vel quæ privant jure jam acquiſito: vel quod acquiri cœptum eſt, non obligant ante judicis ſententiam ſaltem declaratoriam criminis, quamvis verba legis ſignificent pœnam latæ ſententiæ. Ita *Maſtrius cit. Herincx cit. Reiffenſtuel cit. num. 227.* & apud ipſum *Navarrus, Sanchez, Menochius, Sylveſter, Engel, Layman. l. 1. tr. 4. c. 15. Paulus Mezger cit. num. 4.* & Alii plures. Ratio eſt: quia lex non debet eſſe nimis rigida, ſed humano modo obſervabilis; ſed eſt ab hominum natura, & moribus alienum, ut quis ſe ipſum ſpoliare debeat rebus jam poſſeſſis, aut juribus acquiſitis: ergo. Confirmatur *ex c. cùm ſecundùm leges, de Hæreticis in 6.* ubi licèt Hæretici priventur ipſo jure bonis à ſe poſſeſſis à die commiſſi criminis, tamen non tenentur bona tradere ante judicis ſententiam declaratoriam criminis: ergo idem dicendum de aliis ſimilibus pœnis: cùm de ſimilibus idem judicium ſit habendum, *c. corporalia, de Tranſlat. Epiſ.* Idipſum confirmat communis uſus, & ſenſus hominum, quo habetur, non teneri reum bonis ſuis jam acquiſitis ſeſe ſpoliare, ac pœnam privationis bonorum ſuorum, licèt ipſo jure impoſitam, ſtatim exequi ante omnem judicis ſententiam. Ex his

Sequitur I. Licèt S. Pius V. dum in motum proprio con- 226
tra committentes ſimoniam confidentialem dicit: *Ne quiſquam pœna fiducia fretus, non intentandi contra ſe Judicii in crimine perſeveret, omnes, & ſingulos præſentium Authoritate privamus &c.* Satis manifeſtè videatur excludere neceſſitatem ſententiæ judicialis, tamen *Suarez l. 5. de Legibus c. 8. num. 16.* dicit probabile, hanc Legem, ſeu pœnam non eſſe in hoc ſenſu communiter receptam, & ideo fortè illi in hac parte derogatum per communem conſuetudinem: quæ tolerabilis judicari poteſt (inquit) quia reverà pœna eſt valdè rigoroſa: imò *Caſtro-Palaus d. 2. punct. 1. num. 10.* exiſtimat privationem Beneficiorum, & inhabilitatem, nequidem vi verborum, aut intentionis Pontificiæ contrahi ante ſententiam declaratoriam criminis, quaſi menti Pontificis ſatisfiat, ſi à die commiſſæ Simoniæ delinquens maneat obnoxius privationi, nec aliud quàm declaratio delicti poſtuletur, ut privatus exiſtat.

Sequitur II. Quod ſi lex dicat, pœnas ſuprà *num. 265.* 267
ſpecificatas incurri, nulla expectata ſententia, *Covarruvias, Sanchez, Leſſius*, & plures Alii docent, intelligi poſſe de ſententia condemnatoria ad pœnam, quæ in materia pœnali ſolet intelligi per ſententiam, adeoque intelligi debet in re tam odioſa. Quod ſi denique lex dicat: *abſque declaratione, ſeu nulla declaratione præmiſſa, vel nulla alia declaratione expectata, Leſſius, Paulus Mezger cit. & Alii*, id explicant de declaratione pœnæ, non negata declaratione criminis. Licèt autem hæc explicatio videri poſſet ſatis torta, & minùs fortaſſe congruens menti Legiſlatoris, ideòque rejiciatur à *Suarez*, & pluribus aliis; illam tamen confirmat uſus (ait *Herincx cit. num 14.*) ex quo conſtat non teneri reum ſe abdicare bonis, vel officiis, etſi leges dicant pœnam abſque declaratione incurrendam: prout loquitur *extrav. Ambitioſæ, de Rebus Eccleſiæ non alienandis.* Unde licèt prima Legiſlatoris mens fuiſſet alia, non equidem obligaret ex hoc capite, quòd ſimiles leges non videantur in illo ſenſu receptæ, ſed potiùs ſit eis per contrariam conſuetudinem hac in parte derogatum. Vide *Leſſium lib 2. de Juſtitia, cap. 29. dub. 8.* Quare notat *Præpoſitus q. 95. d. 4. dub. 7. num. 38. in fine*, paucìſſimas leges videri eſſe, quæ ita ſtrictè obligent, & fortè nullas Civiles. Imò ultra Cenſuras, & irregularitatem, nullam aliam pœnam propriè dictam (qualis eſt privatio alicujus juris quæſiti, ſeu cœpti poſſideri) incurri ante ſententiam declaratoriam criminis, praxis habet, ut poſt *Farinacium*, & alios aſſerit *Caſtro-Palaus diſp. 2. punct. 2. num. 12.* adeò, ut nullatenùs alioquin poſſit mandari executioni. Declaratoria verò requirit citationem partis, teſte *Julio Claro*, & ab ea dari poteſt appellatio, ut docet *Farinacius*, & alii. Ex quibus juxta *Herincx cit. num. 15.*

Sequitur III. Pœnam privationis officiorum, beneficio- 268
rum, actuum legitimorum, confiſcationis bonorum temporalium, inhabilitatis ad hæreditatem adeundam, & ſimiles, non obligare in conſcientia ante ſententiam declaratoriam criminis; etſi ipſo jure imponantur. Idem eſt de pœna inhabilitatis ad Officia, & Beneficia Eccleſiaſtica; & regularia, quamquam plures contradicant; uſus enim communis declarat, non debere reum ſe his bonis ſpoliare, aut ab eis abſtinere ante ſententiam. Ita Portel. *in dubiis regul. Vv. Inhabilitas, num. 3.* citans Sanchez, Navarrum, Molinam, Sotum, & Ledeſmam. Pro pœnis etiam ſtatutorum Ordinis noſtri Franciſcani tam Generalium, quàm Provincialium, tam conditorum, quàm impoſterùm condendorum, notanda eſt valdè generalis declaratio, quæ habetur in *Statutis Barcinonenſibus Nationi Germano-Belgicæ accomodatis c. 6. §. 9.* videlicet, *quod, quoties pœna ſuſpenſionis, vel privationis, vel alia quæcumque* (pœna excommunicationis excepta) *ipſo facto incurrenda imponitur, nullus ea pœna ligetur, quamvis crimen fuerit publicè perpetratum, quouſque per Prælatum fuerit reus judicialiter declaratus.* Ita *Herincx cit. n. 15.*

Dices: Si pœnæ, num. 265. ſpecificatæ non obligant in conſcientia ante ſententiam Judicis; ergo nulla erit differentia inter pœnas latæ ſententiæ, & pœnas ferendæ ſententiæ, quia utrobique ad inducendam obligationem æquè requireretur ſententia Judicis. Reſp. neg. ſeq. cum ſua probatione: nam ad incurrendam pœnam ferendæ ſententiæ requiritur ſententia condemnatoria Judicis, ac debetur ſolùm à tempore latæ hujus ſententiæ: ut autem debeantur, ſeu obligent pœnæ ſupradictæ ipſo jure impoſi-

tæ, ſufficit ſententia declaratoria Judicis ſuper admiſſo crimine, quæ per quamdam juris fictionem retrotrahitur ad tempus perpetrati criminis, cui pœna ipſo jure impoſita eſt, ſicque facta per Judicem executione debetur pœna illa jam à die commiſſi criminis. Ita *Sanchez libro ſecundo in Decalogo capite 22. numero 33. & capite vigeſimo ſexto num. 7. Pirrhing. cit. de hared. num. 60. Sylveſter Vv. Hereſi 1. num. 13. & 14. Engel. tit. de conſtit. num. 43. Reiffenſtuel cit. num.* 230. & alii. Interim dum non ſequitur ſententia declaratoria criminis, reus non tenetur ſponte illam pœnam ſubire, verbi gratia dimittendo beneficium Eccleſiaſticum, ejuſque fructus reſtituendo, aut bona ipſo jure confiſcata ad fiſcum deferendo: ad hoc enim nemo tenetur in conſcientia ante ſecutam ſententiam declaratoriam.

270 Poſt latam à Judice ſententiam obligatur reus ad pœnam ſubeundam: quia juſtæ ſententiæ parendum eſt, & ſi ſit pœna non nimis acerba, tenetur reus per ſe ipſum illam exequi: quia quiſque tenetur obedire Superiori juſta, & poſſibilia præcipienti: unde teneretur reus ſolvere mulctam pecuniariam, intrare carcerem, abire in exilium &c. Ad graviſſimam tamen, & infamem pœnam tenetur ſaltem indirectè cooperari, quatenùs ad ejus executionem eſt neceſſarium, & conveniens; quia reus tenetur juſtæ Judicis ſententiæ non reſiſtere: ſed ſi aliquando nollet indirectè cooperari ad pœnam à judice inflictam, tunc ipſi reſiſteret, verbi gratia ſi fur damnatus ad furcam nollet ſcalam aſcendere, damnatus ad mutilationem nollet manum porrigere, &c. ergo tenetur indirectè cooperari. Ita cum communi *Maſtrius cit. q. 5. art. 3. Herincx cit. q. 3. Paulus Mezger cit. num. 5. & alii.*

271 *Quæres*: An damnatus per ſententiam judicis ad mortem, vel mutilationem poſſit fugere, ſi via effugiendi pateat? Reſpondeo affirmativè cum Doctoribus communiter apud *Herincx cit. num.* 19. Ratio eſt: quia præceptum oppoſitum foret nimis difficile, & ſuperans humanam conditionem. Unde poſſet fugere ſub ictu gladii, ſi ſpes foret evadendi. Ob eandem rationem licitè poſſet effringere carcerem juxta Doctores paſſim: nam cui licet finis, ſcilicet fuga; etiam licent media, ſcilicet ablatio impedimentorum, ut catenarum, carceris &c. nec obſtat, quod effractoribus carcerum imponatur pœna capitis. Nam imponitur hæc pœna iis, qui aliunde equidem ſunt ordinariè capitis rei. Vel certè imponitur ad terrorem, non infligenda tamen, niſi aliæ ſufficientes cauſæ ſubſint. *Herincx num.* 20. Aliud eſt de iis, qui deforis ſunt extra carcerem ii enim ſi frangerent carcerem, moraliter violarent Auctoritatem publicam. An autem reus effringens carcerem obligetur reparare damnum Reipublicæ illatum, dubitatur. Nonnulli negant. Quibus videtur favere uſus. In rigore tamen videtur obligatus ad reſtitutionem damni, quod per ſe ex effractione carceris oritur, verbi gratia in muris &c. Non quod per accidens ex fuga aliorum reorum naſcitur; ipſe enim ob iſtum eventum per accidens, non amittit jus ſuum fugiendi. *Ita communius DD.* Ex his etiam ſequitur, quòd reo poſſim conſulere fugam: Ratio eſt, quia ſuadeo id, quod honeſtum eſt, & per ſe loquendo licet monſtrare media fugæ, & inſtrumenta porrigere, niſi id prohiberetur ſub obligatione, prout Reſpublica poteſt: quod an factum ſit, non conveniunt *Doctores*. Saltem deberet talis lex proferri. Si tamen valde gravi pœna tales plecterentur, videretur id eſſe à Republica graviter prohibitum, cùm gravis pœna ſupponat gravem culpam. Non liceret tamen proximè ad effractionem cooperari: hoc enim foret violare publicam Auctoritatem, & jure meritò graviſſimè puniretur. Attamen Miniſtri juſtitiæ publicæ non poſſunt conſulere, nec præbere reo inſtrumenta ad fugam, quia ipſorum eſt curare ex officio, ut reus ibi detineatur. *Herincx cit. num.* 25.

Qualiter autem ignorantia excuſet à pœna legis Humanæ, videatur *Pater Patritius Sporer tr. 1. Proœm. cap. 2. ſect. 4. n. 38. & 39.*

## §. II. *Lex irritans.*

272 Lex irritatoria, ſeu irritans ea vocatur, quæ aliquem actum omninò annullat, & invalidat, ut dicendo; *ſit invalidus, nullus, irritus, vel nullius ſit efficaciæ, valoris, vel careat robore firmitatis &c.* Hæc enim eſt communis deſcriptio legis irritantis, ut paſſim docent Doctores apud *Maſtrium citat. quæſt. 5. art. 4.* Certum autem eſt, quod Legislator Supremus tam Eccleſiaſticus, quàm Civilis ob juſtam cauſam ad bonum publicum ſpectantem poſſit aliquos actus irritare, & invalidos reddere. Ratio eſt: quia talis poteſtas eſt neceſſaria Reipublicæ pro bono ejus regimine; quod patet etiam ex praxi & experientia, tam in gubernatione civili, quàm Eccleſiaſtica: ſiquidem de facto Concilium Tridentinum annullavit matrimonia clandeſtina, & Jus Civile Teſtamenta non ſolemnia. Per hoc tamen præcisè, quòd lex aliquem actum prohibeat, eundem non irritat, vel invalidat: de fide enim eſt, Sacerdotem degradatum validè conſecrare, etſi hoc ei ſit prohibitum. Similiter habens votum ſimplex caſtitatis validè contrahit matrimonium, non tamen licitè, cùm ei ſit prohibitum. Ratio eſt, quia prohibere eſt ſolùm obligare, ne fiat actus; irritare autem eſt actum reddere nullum, ita ut ex eo nulla oriatur obligatio. Ita docent *Molina, Suarez, Vaſquez, Salas, Bonacina, Averſa, Arriaga, Lezana, Paulus,* & alii paſſim apud *Maſtrium cit.* Nec obſtat *Lex non dubium C. de legibus ibi: ea, quæ lege fieri prohibentur, ſi fuerint facta, non ſolùm inutilia, ſed pro infectis etiam habeantur, licèt legislator fieri prohibuerit tantùm, nec ſpecialiter dixerit, inutile eſſe debere, quod factum eſt.* Et ne quis dicere valeat, hoc procedere dumtaxat de jure civili, ulteriùs inſtatur; quòd hæc lex fuerit Canonizata in *can. Imperiali 25. quæſt. 2.* ubi Sanctus Gregorius Papa ſic inquit: *Imperiali conſtitutione apertè ſancitum eſt, ut ea, quæ contra leges fiunt, non ſolùm inutilia, ſed etiam pro infectis habenda ſint:* Omiſſis Doctorum reſponſionibus videndis apud *Layman lib. 1. tr. 4. cap. 16. Reiffenſtuel cit. num.* 248. & aliis, reſpondeo cum *Molina, Suarez, Lezana, Bonacina, Averſa, Maſtrio citat. num.* 161. *Herincx cit. diſp. 5. quæſt. 5. num.* 34. Legem prædictam non obligare, niſi poſt judicis Sententiam, eo quòd nimis oneroſa ſit, & gravis.

Lex irritans eſt triplex, videlicet merè *pœnalis, purè irritativa, & mixta.* Prima eſt, quando irritatio præcisè ſtatuitur in pœnam tranſgreſſoris. Secunda eſt, quæ non neceſſariò ſupponit actum malum, ſed præcisè intendit bonum commune, vel privatum, ut quando irritantur Teſtamenta non ſolemnia. Tertia eſt, quando irritatio partim in pœnam, partim ob bonum commune ſtatuitur. Item Lex ſubinde irritat actum *tantùm civiliter*: aliquando etiam *naturaliter*. Civiliter tantùm irritat, quando tollit omnem obligationem, & actionem, quæ ex illo actu oriri poſſet in foro externo, quamvis in foro conſcientiæ remaneat validitas, & obligatio naturalis cum effectibus ex ejuſmodi actu oriundis: quomodo in jure invalidatur luſus alearum. Naturaliter verò lex irritat actum, quando hujus valorem ita deſtruit, ut nec in foro externo, nec in foro conſcientiæ poſſit aliquam obligationem parere: veluti eſt lex irritans matrimonium clandeſtinum, vel cum aliu impedimento dirimente contractum, vel Profeſſionem Religioſam emiſſam ante completum 16. ætatis annum &c. 273

Unde autem cognoſci poſſit, an lex ſit tantùm prohibens, vel etiam irritans? traduntur variæ à Doctoribus regulæ apud *Layman & Herincx cit.* Sed breviter dicendum cum *Maſtrio cit. num.* 162. ac ſententia communiori duobus præſertim modis dignoſci poſſe, Legem eſſe irritantem: *Primò*, quando lex expreſsè continet irritationem, ut dicendo; *actus ſit nullus, ſit irritus, ſit invalidus, ſit nullius roboris*, vel ſub aliis æquivalentibus dicendi modis, ut notat *Averſa quæſt. 96. art. 5. Secundò*, quando lex præſcribit formam eſſentialem, vel ſubſtantialem, qua fieri debet certus actus, vel contractus: tunc enim per omiſſionem talis formæ redditur actus nullus, & irritus; quando verò tantùm præſcribit formam accidentalem, actus non redditur invalidus. Hoc manifeſto exemplo declarat *Lezana diſp. 8. quæſt. 1.* de matrimonio: nam *Concilium Tridentinum ſeſſ. 24.* ſtatuit, *matrimonium celebrari debere coram Parocho, & teſtibus, præmiſſis denuntiationibus:* & quia præſentia Parochi, & teſtium ponitur pro forma ſubſtantiali, ideò ob ejus defectum matrimonium eſt nullum deficientibus autem denuntiationibus, non eſt nullum, ſed ſolùm illicitum, quia hæ ponuntur ſolùm pro forma accidentali. Ad diſcernendum verò in univerſum, quandonam forma, & ſolemnitas præſcripta ſit ſubſtantialis, vel tantùm accidentalis, non poteſt certa univerſali regula definiri, ſed ex verbis legis, ſubjecta materia, & communi Doctorum ſenſu, conſuetudine, & praxi colligi debet. Ulteriùs lex poteſt, & ſolet irritare actum dupliciter: nimirùm. I. Per ſeipſam, *ſive ipſo jure*: & II. *Per ſententiam judicis*: per quam illum irritari, ſive reſcindi jubeat. His præmiſſis dicimus. 274

I. Quando Leges irritantes ſunt merè pœnales, ſequuntur regulas Legum pœnalium, ſicut diximus §. præcedenti, ac requirunt ſententiam declaratoriam criminis, etſi ſint latæ ſententiæ. *Ita Pater Herincx cit. n.* 32. Similiter requirunt ſcientiam legis adeſſe, adeò, ut ignorantia excuſans actum à culpa, etiam excuſet ab irritatione incurrenda: cùm enim in propoſito irritatio actus ſit merè pœna, 275

pœ-

Digitized by Google

pœna autem non incurratur niſi ob commiſſam culpam: ergo nec irritatio actus incurreretur, niſi ob commiſſam culpam, & conſequenter ignorantia excuſans actum à culpa, etiam excuſabit ab irritatione incurrenda. Secùs eſt, quando irritatio non eſt conſtituta in pœnam, aut certè ſimul, ac principaliter ob bonum commune, ac moralem decentiam diſtinctam à punitione delinquentis. Sic conſtat ex ſenſu Eccleſiæ, profeſſionem ſactam ante annum decimum ſextum ætatis completum eſſe invalidam, ſimiliter matrimonium clandeſtinum, aut cum alio impedimento dirimente contractum eſſe invalidum, quantumcunque Lex irritans ignoretur: cùm enim hæ Leges non reſpiciant præciſè, aut præcipuè culpam, ſed bonum commune, hinc locum habent, etſi culpa abſit; cùm equidem adſit ratio boni communis.

276 II. Si Lex ſit ſimul prohibens, & irritans, tunc faciens contra illam peccat, ut de ſe patet, ſi tamen ſciverit Legis prohibitionem; ſi verò eandem inculpatè ignoraverit, non quidem formaliter peccabit, cùm ignorantia inculpabilis excuſet à formali peccato; actus tamen erit nullus, ſi ipſo jure per Legem purè irritativam, aut mixtam fuerit irritatus. Ratio eſt: quia annullatio actus, ut modò num. præced. inſinuatum, non eſt pœna in propoſito, & per conſequens non debet procedere ex culpa; ſiquidem ad invaliditatem non requiritur culpa ex parte contrahentis; ſed eſt effectus quidam poteſtatis Principis, quam habet ſuper contractus ſuorum ſubditorum, & ita etiam ignorantes ligat. Ita *Maſtrius cit. num. 163.* & apud ipſum *Reginaldus, Azorius, Bonacina, Lezana, & alii paſſim.* Si Lex non ſit prohibens, ſed tantùm irritans actum, tunc Lex non obligat in conſcientia ad actum illum ommittendum, ſed præciſè, ut actus non reputetur validus, ſed ſit invalidus, ut modò dictum, etſi fiat ab ignorante Legem ipſo jure, purè irritativam, aut mixtam. Sic v. gr. Lex præſcribens formam, qua teſtamentum condi debeat, non obligat abſolutè, ne homo ſine illa forma teſtetur; ſed ſolùm, quòd ſi ita teſtetur, teſtamentum ſit nullum, etiamſi conditum ſit ab ignorante Legem præfatam, ob rationem modò ſupradictam.

277 III. Quando Lex prohibet quidem contractum, aut aliam diſpoſitionem, ſed ipſum non irritat, nec à Judice irritandum decernit, valet quidem contractus, tamen contrahens peccat, & tunc ejuſmodi contractus (idem de quacunque alia diſpoſitione à jure prohibita ſentiendum) dicitur eſſe validus, ſed non licitus. Ita communis DD. & jam fuit inſinuatum ſuprà num. 272. Quando verò Lex contractum non ipſo jure irritat, ſed à Judice duntaxat irritandum decernit, certum inſuper eſt, eum valiturum, donec per ſententiam Judicis reſcindatur. Ita communior DD. apud *Reiffenſtuel cit. num. 246.* & patet ex *c. cùm jam dudum. 18. de præbendis*, ibi: *multa per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in judicium, exigente juſtitia non debent tolerari.*

278 IV. Si Lex ipſo jure irritet contractus, electiones, aut alias diſpoſitiones, certum eſt, loquendo in ordine ad forum externum hujuſmodi actus ita civiliter annullari, ut non ſolùm nulla eis actio in foro externo tribuatur, ſed, quòd ipſo facto, & jam ab initio fuerint irriti, & invalidi, per Judicis ſententiam declarari debeant: adeò quidem, ut omnis eorum effectus una cùm fructibus, quos inde quis jam perceperat, penitùs reſcindatur, ac ſi nunquam ullum valorem habuiſſent. Ita Communis DD. apud *Reiffenſtuel. cit. num. 251.* & conſtat ex recepta praxi, atque ipſamet poteſtate Legiſlativa ſupremis Principibus competente. *Loquendo vero* in ordine ad forum conſcientiæ, & utrùm ex tali actu de jure irrito acquiſitum, poſſit tuta conſcientia retineri, ſaltem ante ſententiam Judicis, diſtinquendum eſt: nam ſi ejuſmodi actus, vel contractus, ipſo Jure naturali fuit irritus, vel ſaltem per Legem poſitivam pleniſſimè infirmatus, tollendo videlicet obligationem ipſius non ſolùm civilem, ſed etiam naturalem: tunc ex hujuſmodi actu, ſive contractu, nullus effectus, nullaque obligatio, ne quidem pro foro conſcientiæ oritur; adeòque inde acquiſita etiam in conſcientia, & ante omnem Judicis Sententiam, reſtitui debent. Ita *unanimis Doctorum*. Ratio eſt: Quia actus ita pleniſſimè infirmatus, tam quoad obligationem civilem ſcilicet, quàm quoad naturalem, æquiparatur actui, qui Jure naturali eſt irritus; ſicque nullum penitùs valorem habere poteſt, ſicut nec iſte habet. Antecedens patet; quia in utroque deficit omnis prorſus obligatio. *Si autem* contractus, aliuſve actus ipſo jure, civiliter tantùm irritus ſit, & de jure naturali ſubſiſtat, neque per Legem poſitivam Civilem, aut Eccleſiaſtica pleniſſimè infirmetur, tunc, ſi nemo ſeſe opponat, ejuſque reſciſſionem petat, ille in conſcientia tutus eſt, qui virtute ipſius aliquid poſſidet. Ita *Abbas Panormit. in cap. 1. num. 19. de in integr. Reſtitut. Innocentius in cap. Quia propter, de elect. Layman in cap. auditis, num. 1. de elect. & lib. 1. Theol. Moral. tract. 4. cap. 16. nu. 6.* ubi hoc exemplificat de Ludo alearum, de contractu cum pupillo celebrato, de teſtamento minùs ſolemni, de donatione ultra 500. ſolidos facta ſine inſinuatione apud Judicem &c. Eandem Sententiam tanquam probabiliorem amplectitur *Bannes, qu. 62. diſt. 3. p. 100. Reiffenſtuel cit. num. 256.* & alii. Ratio eſt: Quia principalis effectus obligationis naturalis, & ab hac penitùs inſeparabilis, eſt, quod creditori Jus tribuat accipiendi, & retinendi illud, quod ipſi naturaliter debitum eſt, ac ſolvitur: atqui in talibus actibus, qui per Legem pleniſſimè non irritantur, remanet adhuc obligatio naturalis, ſaltem donec hæc per ſententiam Judicis in foro externo reſcindatur: ergo. Major patet. minor probatur: Quia Legiſlatores potuerunt tales actus, vel contractus irritare pro ſolo foro externo, tollendo duntaxat obligationem ipſorum civilem, remanente eorum obligatione naturali, donec hæc per ſententiam Judicis elidatur: ergo ſtante inter Doctores dubio tam rationabili, quid egerint, hoc ipſum aſſerendum eſt: nam *in obſcuris minimum eſt ſequendum*, ut habet vulgata *Regula Juris 30. in 6.* maximè, cùm hac ratione finis Legis, præſertim civilis, ac communi Reipublicæ bono abunde ſatis fiat, & conſulatur; prout à ſimili oſtendunt Leges, quæ irritant actus, ſeu contractus, expectata, & ſecuta primùm ſententia Judicis.

Dices: ſtante hac Sententia ſequeretur nullam eſſe differentiam inter Legem actus ipſo Jure irritantem, & inter Legem irritantem actus expectata, & ſecuta primùm ſententia Judicis. Reſpondetur negando ſequelam: Nam quando Lex irritat actum duntaxat per ſententiam Judicis, valet is ante hujuſmodi ſententiam, tam civiliter, quàm naturaliter; ac proindè invaliditas ipſius primùm computanda eſt à tempore latæ ſententiæ; fructus autem antecedenter percepti remanent illi, qui ex tali actu factus erat poſſeſſor, illoſque jam collegit. Secùs dicendum in Lege irritante actum ipſo jure: nam actus contra eam geſtus, licèt naturaliter obligarit ante ſententiam Judicis nunquam tamen valuit Civiliter: ac proindè, ſi ſubſequatur ſententia ſuper nullitate ejus, hæc per fictionem juris retrotrahitur, ita, ut actus ille cenſeatur eſſe, ac ſemper fuiſſe invalidus; ſicque ipſe non ampliùs prodeſt quoad retentionem fructuum jam perceptorum, ſed hi omnes ſunt reſtituendi. *Reiffenſtuel cit. num. 260.* 279

Quæſtio Incidentalis.

*An Teſtamentum ad cauſas profanas conditum ſine ſolemnitatibus Juris Civilis ſit invalidum, non tantùm pro foro externo, ſed etiam interno Conſcientiæ?* 280

RESP. I. Communis eſt Legiſtarum Sententia, ſolemnitates à Jure Civili præſcriptas eſſe neceſſarias, non tantùm ad faciendam probationem, ſed etiam ad ſubſtantiam, & valorem Teſtamenti, adeò ut ſi, vel una deficiat, totum Teſtamentum in foro externo quoad Hæreditatem, ſeu Hæredis inſtitutionem ſit nullum, & irritum, quantumvis aliunde certò conſtat de voluntate Teſtatoris, niſi ipſe hæres ab inteſtato perceperit, & fateatur Defuncti voluntatem. Ita *Covarruvias cap. 10. de Teſtam. n. 14. & ſeq. Bart. in l. nemo poteſt, ff. de legat. 1. & ibi Jaſon, num. 17. Klingenſperger, Pirrhing, Alexander, Decius, Aretinus, Reiffenſtuel in lib. 3. Decret. tit. 26. nu. 75. & alii.* Ratio eſt: Quia *L. Hac conſultiſſima 21. C. de Teſtam.* dicitur, *ex imperfecto autem Teſtamento* (id eſt, ſolemnitatibus debitis deſtituto) *voluntatem defuncti, teneri non volumus.* Et *§. 7 Inſtit. quibus modis Teſtament. infirm.* dicitur: *Imperfectum Teſtamentum ſine dubio nullum eſt.* Excipit *Molina diſp. 81. nu. 17. & Reiffenſtuel cit. n. 83.* caſum quo ille, quia aliàs ab inteſtato ſuccederet, ipſemet audivit, & fatetur totam voluntatem teſtatoris. Ratio eſt: Quia Lex irritans Teſtamenta non ſolemnia in foro externo fundatur in præſumptione fraudis univerſali, ſeu in periculo fraudis in communi, ut concedunt adverſarii communiter; atqui in caſu, quo ille, qui aliàs ab inteſtato ſuccederet, ipſemet audivit, & fatetur totam voluntatem teſtatoris, ceſſat præſumptio fraudis, ſeu periculum fraudis in univerſali, cùm in hoc caſu implicet ſubeſſe fraudem: ergo in hoc caſu Lex non irritat Teſtamenta non ſolemnia pro foro externo, & multò minùs pro foro interno conſcientiæ. Lege *Reiffenſtuel cit. & n. 98. & ſeqq.* 281

Reſp. II. An etiam pro foro interno conſcientiæ neceſſariæ ſint ſolemnitates à Jure Civili præſcriptæ ad Teſtamentum ad cauſas profanas? (*quia ſuppone, Teſtamentum ad cauſas* 282

*ſas pias pro utroque foro eſſe Privilegiatum; ita, ut non tantùm pro foro interno valeat, ſed etiam pro externo, etiamſi careat ſolemnitatibus à Jure Civili aliàs ad Teſtamentum requiſitis; dummodo aliunde conſtet ſufficienter de ultima teſtatoris voluntate, cùm hanc ſententiam hodie fermè omnes tam Theologi quàm Canoniſtæ, & Civiliſtæ teneant, ita ut hoc tempore ſit extra controverſiam, teſte Reiffenſtuel cit. num. 138.*) circa hoc ſunt tres Sententiæ.

283 Prima dicit, ſolemnitates Juris Civilis pro foro interno non eſſe neceſſarias, valere proin in dicto foro Teſtamentum, etſi una, vel pluribus hujuſmodi ſolemnitatibus careat, dummodò aliunde ſufficienter conſtet de voluntate teſtatoris, ita docent *Fagnanus in cap. cùm eſſes, de Teſtam. Abbas in idem cap. cùm eſſes. Molina d. 81. Leſſius de Jure, & Juſt. lib. 2. cap. 19. Maſtrius Theol. Moral. diſp. 4. nu. 52. Sannig diſp. 12. de Juſtit. qu. 3. nu. 9. Jaſon in L. cùm quis 10. cap. de Jur. & facti ignor. Clarus §. Teſtamentum qu. 90.* & alii. Fundamentum eorum eſt, quòd Leges Civiles ſolemnitatem Teſtamentorum præſcribentes fundentur in præſumptione fraudis *L. fin. c.* de *fideicomiſſ.* ibi: *Lex etenim, ne quid falſitatis incurrat per duos forte teſtes compoſitum Teſtamentum, majorem numerum teſtium exigit.* Atqui præſumptio cedit veritati: ergo ſi aliunde ſufficienter conſtet de voluntate teſtatoris, & clarè cognoſcatur, omnem fraudem abeſſe, Leges prædictæ in conſcientia ſaltem non obligant.

284 Hinc inferunt, quòd licèt in Teſtamento ſolemni ſcripto, vel non adeſſent ſeptem teſtes, vel ex ſeptem unus, vel plures ad teſtandom eſſent inhabiles, vel alia ſimilis ſolemnitas deeſſet, Teſtamentum in foro interno nihilominùs valeret; conſequenter hæredem inſtitutum tutiſſima conſcientia accipere, & retinere poſſe hæreditatem, ſicut, & Legatarios legata: è contra Hæredem ab inteſtato ſine peccatò mortali non poſſe impugnare tale Teſtamentum, & teneri ad reſtitutionem, ſi impugnans in foro externo cauſam lucretur: Item poſſe Legatarios, & Hæredem in tali ſolemnitatibus deſtituto Teſtamento, uti occolta compenſatione, caſu quo hæres ab inteſtato Hereditatem, & Legata eiſdem non reſtitueret.

285 Secunda Sententia dicit, ſolemnitates Juris Civilis non tantùm pro foro externo, ſed etiam interno abſolutè, & ad ſubſtantiam eſſe neceſſarias, adeò, ut Hæredes, & Legatarii vi Teſtamenti ſolemnitate præſcripta carentis, nec aliquid accipere, nec, ſi jam receperunt, illud tuta conſcientia retinere valeant, ſed Hæredibus ab inteſtato cuncta relinquere, vel reſtituere graviter obligentur, quantumcunque de voluntate teſtatoris certò conſtet. Ita docent *Covarruvias de Teſtament. capit.* 10. *Herincx diſp. 2. qu. 4. de Teſtament. Haunoldus tractat. 6. capit. 1. controv. 3. Vaſquez de Teſtament. capit. 3. num. 4. Salas, Bonacina, Diana, Lugo, Decaſtillo,* & alii. Fundamentum hujus Sententiæ eſt. I. quòd Leges Civiles requirentes ſolemnitatem ad Teſtamentorum valorem juſtæ ſint: Lex autem juſta in foro externo, eſt etiam juſta, & obligat pro foro interno. II. quia ad valorem cujuſcunque actus requiritur voluntas, & potentia, *arg. cap. cùm ſuper 23. de offic. & poteſt. Deleg.* nemo autem teſtari poteſt ſine ſolemnitatibus à Jure Civili præſcriptis per textus *num.* 281. allegatos: ergo.

285 Tertia Sententia docet, mentem Legiſlatorum ſolemnitatem Teſtamentorum præſcribentium fuit, Teſtamentis minùs ſolemnibus reſiſtere tantùm civiliter, tollendo actionem, & obligationem civilem (ita videlicet, ut Hæres, vel Legatarius vi talis Teſtamenti, nullam poſſit actionem in foro externo inſtituere, aut Hæreditatem, vel Legatum ibidem repetere) non tamen tollere obligationem naturalem ex tali Teſtamento conſurgentem, vi cujus Hæredi, vel Legatario competit jus accipiendi, vel retinendi Hæreditatem, aut Legatum minùs ſolemni Teſtamento ſibi relictam, niſi per exceptionem Legis, vel per Sententiam Judicis jus tale infirmetur, prout fieri poſſe fatentur, eo quòd obligatio naturalis, & jus ex imperfecto Teſtamento conſurgens non ſit tam firma, & efficax, quin exceptione Legis elidi queat. Ita Layman *lib. 1. tractat. 4. capit. 17.* Sa *V. Contractus, num* 1. *& V. Hæreditas num. 3. Bannes, Victor, Sotus, Reiffenſtuel cit. numer.* 106. & alii. Fundamentum hujus Sententiæ eſt I. Quia non poteſt ex Jure ſufficienter probari, quod Leges irritantes Teſtamenta ſine ſolemnitatibus Juris Civilis condita voluerint ea irritare tam civiliter, quàm naturaliter; quod in ſimili in aliis actibus, pactis, & contractibus verb. grat. electione, alienatione rerum Eccleſiaſticarum, contractibus Minorum &c. patet: quamvis enim ad valorem horum jura certas requirant ſolemnitates, nullumque & irritum ipſo facto pronuntient quemcunque talem actum, qui ſine præſcripta ſolemnitate celebratur eſt, ut de electione conſtat *ex c. quia propter, de elect.*, de alienatione rerum Eccleſiaſticarum ex *can. ſine exceptione, cauſa 12. qu. 2. c. ſi quis 6. de rebus Eccleſiaſt. alien.* de contractibus Minorum, videri poteſt apud Sporer *tractat. 6. in Decal. cap. 2. Sect. 5. num. 137. & 138.* Nihilominùs dicti actus, & contractus obligationem naturalem pariunt pro foro conſcientiæ, ibique valent, adeò, ut ſine debita ſolemnitate electus beneficium, contrahens cum Eccleſiæ Rectoribus rem Eccleſiaſticam emptam, contrahens cum Minori rem vi contractus ſibi competentem, tuta conſcientia accipere, ac etiam retinere valeant, niſi exceptione Legis, vel Judicis ſententia in contrarium fiat; prout habet communiſſima DD. teſte Reiffenſtuel cit. *numer.* 109. ergo idem dicendum de Teſtamento, videlicet, quòd licèt abſque præſcriptis ſolemnitatibus factum, per leges pronuntietur ipſo facto nullum, ac irritum, pariat tamen obligationem naturalem pro foro conſcientiæ, ibique valeat, ita, ut niſi exceptio legis, vel ſententia Judicis in contrarium obſtet, Hæredes, & Legatarii in Teſtamento minùs ſolemni inſtituti, tuta conſcientia Hæreditatem, & Legata accipere, ac retinere valeant; cùm non ſit major ratio de uno, quàm altero. Secundum hujus Sententiæ fundamentum eſt: quia Legiſlator *l. etſi 2. C. de fideicommiſſ.* prohibet repetitionem fideicommiſſi ex minùs ſolemni Teſtamento ſoluti: ergo hoc ipſo agnoſcit obligationem ſaltem naturalem ex tali Teſtamento oriri; aliàs enim fideicommiſſi ſine obligatione aliqua, conſequenter indebitè ſoluti reſtitutionem minimè prohiberet; cùm omne id, quod abſque obligatione aliqua per errorem ſolvitur, repeti poſſit *l. quod indebitum. 7. ff. de condict. indebit.* ac in ſpecie *fideicommiſſum, vel legatum indebitum per errorem ſolutum repeti poſſe, explorati Juris ſit,* uti habet *l. fideicommiſſum 7. C. eod.*

Ex hac Sententia infertur. I. Quòd Teſtamentum 287
ſine debitis Juris Civilis ſolemnitatibus factum, ante Sententiam Judicis, & quando nemo ſe opponit, pro foro interno valeat in tantum, ut Hæredes, & Legatarii in eo inſtituti, tuta conſcientia accipere, & retinere valeant Hæreditatem, vel Legata ſibi in tali Teſtamento relicta: poſt ſententiam Judicis verò etiam in foro interno ſit nullum, adeò, ut tuta conſcientia accipere nil poſſint, & acceptum reſtituere teneantur. Ratio hujus eſt: quia Sententia juſta in foro externo (niſi fundetur in falſa præſumptione) eſt etiam ſervanda in foro interno, prout cum communiſſima aliorum docet Sanchez *lib. 1. Decalog. capit. 10. numer. 11.* Covarruvias *de Teſtament. capit. 10. numer. 13.* & alii, ex illo Fundamento, quòd Judex ex auctoritate Divina ſententiam ferat, eique juſtè judicanti, ut obediatur, velint Leges Divinæ ac humanæ *arg. can. quo Jure diſt. 8. c. omnis anima 2. de cenſibus. cap. 2. de majoritate,* & *obedientia.* Atqui ſententia annullans Teſtamentom minùs ſolemne eſt juſta, hoc ipſo, quod ſit juxta Leges, *l. hac conſultiſſima C. de Teſtament.* & judex juxta Leges judicare debeat, *can. 3. diſt. 8.* nec fundatur in deceptione, vel falſa præſumptione; cùm judex illam pronuntiare, Teſtamentumque minùs ſolemne, irritum declarare teneatur, etiamſi certò ſciat, nullam ſubeſſe fraudem, ſed eſſe veriſſimam voluntatem teſtatoris, uti benè advertit Covarruvias citans unanimem DD. Excipitur ſemper caſus, ſed valdè rarus, quem ſuprà *n.* 281. excipiunt *Molina, & Reiffenſtuel.*

Infertur II. Quod hæres, & Legatarii ex Teſtamento 288
minùs ſolemni non teneantur hæredibus ab inteſtato manifeſtare, quòd Teſtamentum careat ſolemnitate, etſi hæredes ab inteſtato id invincibiliter ignorent; uti cum aliis benè obſervat Menochius *de præſumpt. lib. præſumpt.* 80. apud Reiffenſtuel *cit. n.* 132.

Infertur III. Quod idem homo modò unius Teſtamen- 289
ti tanquam minùs ſolemnis caſſationem petere poſſit; ut ipſemet ab inteſtato ſuccedat: Aliàs vero, ſi ipſe inſtitutus ſit, vel ei quippiam relictum in Teſtamento minùs ſolemni, hæreditatem, vel Legatum capere, & retinere poteſt, ſi nihil contra eum excipiatur. Hæc enim duo, licèt ex diverſis, tamen non oppoſitis principiis oriuntur; primum namque oritur ex beneficio Legis Civilis; ſecundum vero ex æquitate juris naturalis tamdiu efficacis, quamdiu nihil contra excipitur: Si verò in foro externo hæreditas, vel Legatum ex Teſtamento minùs ſolemni debitum per ſententiam Judicis adjudicetur hæredi ab inteſtato, non arbitror (inquit Layman *lib. 1. tractat. 4. capit. 17. numer. 7.*) probabilem ſententiam eſſe, quam defendere videtur Molina *tom. 1. tractat. 2. diſp.* 81. hæredem in minùs ſolemni Teſtamentum inſtitutum, Legatarios

item,

item, ac ſi fideicommiſſarios in eo nominatos poſſe occultam compenſationem accipere. Rationem hujus jam dedimus ſuprà *num.287.*

### §. III. *Lex in Præſumptione fundata.*

290 LEx in præſumptione fundata dicitur illa, quæ ex conjectura certæ cujuſdam circumſtantiæ, aliquid præcipit, vel prohibet: eſtque duplex, una fundata in præſumptione *Juris, ſeu communis periculi*, & altera fundata in præſumptione *facti*. Prima eſt, quæ non fundatur in aliquibus judiciis, ſed in judicio moraliter certo, quòd ex tali actu, vel contractu, non quidem in omni particulari caſu, ſed tamen regulariter, & ut plurimum fraus, vel damnum eveniat; ideoque per illam non præſumitur aliquod factum, ſed periculum fraudis, vel damni. Lex in præſumptione *facti* fundata eſt; quæ ex conjectura determinatæ, & particularis cujuſdam circumſtantiæ, aut qualitatis, pro hoc, vel illo caſu aliquid præcipit, vel prohibet: unde eſt Lex velut conditionata, ſi videlicet factum cum talibus circumſtantiis ſe habeat, ſicut à Legislatore, vel præcipiente (nam quæ de lege hic dicuntur, eadem de præcepto ſunt intelligenda) judicatur. Quo poſito dicimus:

291 I. Lex fundata in præſumptione juris, ſeu communis periculi, obligat in conſcientia, etiamſi in caſu particulari præſumptio fallat. Ita Maſtrius *cit. q.5. art.4. num.* 166. Becanus *tom.3. cap.6. qu.9.* Paulus Mezger citat. *diſput.* 35, *art.3. §.3. num.*11. P. Schmier *cap.1. num.*162. & alii communiter. Ratio eſt: quia cùm finis, & motivum principale legis ſubſiſtit, manet obligatio legis; ſed etiamſi præſumptio fallat in uno, alterove particulari caſu, adhuc tamen finis, & motivum principale legis ſubſiſtit: nempè bonum Reipublicæ, periculum moraliter certum, & evitatio incommodorum, ſcandalorum, &c. quæ ut plurimùm evenire ſolent: ergo manet obligatio legis. Sic Lex Tridentini irritans matrimonia clandeſtina, innititur præſumptioni fallaciarum, quæ in ejuſmodi matrimoniis intercedere ſolent: nec tamen ſuo robore deſtituitur, quantumvis in particulari nulla intercedat fallacia, &c.

292 II. Lex in præſumptione *facti*, fundata non obligat in conſcientia, quando fallit præſumptio: ſeu quando deficit circumſtantia, cui præſumptioni Lex innititur. Ita DD. modò citati. Ratio eſt: quia deficiente motivo adæquato legis, ceſſat obligatio legis per *c. cum ceſſante, de appellat.* ſed quando lex fundatur in præſumptione facti, deficiente circumſtantia cujus præſumptioni innititur, deficit motivum adæquatum legis: ergo tunc ceſſat obligatio legis. Minor probatur: In lege conditionata, deficiente conditione, deficit motivum adæquatum legis, ſed Lex fundata in præſumptione facti, eſt ſaltem tacitè conditionata, nimirùm veritas facti ita ſe habeat, ſicut præſumitur: ergo hac conditione deficiente, deficit motivum adæquatum legis. Accedit, quod Lex non obliget ultra intentionem Legislatoris: ſed Legislator ferens legem fundatam in præſumptione facti, tamdiù ſolùm per eum obligare intendit, quamdiù conditio præſumpta ſubeſt: ergo ſi hæc non ampliùs ſubſit, Legislator non ampliùs intendit obligare, & conſequenter &c.

293 III. Nam præſumptio legis, vel ideò fallit, quia Lex præſumit aliquem actum eſſe licitum: qui tamen jure naturali, vel Divino eſt illicitus, vel quia Lex præcipit aliquem actum licitum, attamen propter aliquod factum præſumptum, quod tamen à parte rei non invenitur. Si primo modo præſumptio fallat, per ſe clarum eſt, quòd tunc Lex humana non obliget: cùm nulla poſſit dari obligatio ad peccandum, Legisque Divinæ, & naturalis vinculum fortiùs ſtringat, quàm illius legis humanæ. Quod etiam patet ex *c. inquiſitioni, de Sentent. excom.* ubi præcipitur, quod, ſi quis ſciens ſe invalidè contraxiſſe matrimonium, per ſententiam Judicis ſub pœna excommunicationis cogatur ad cohabitandum, & utendum matrimonio, debeat potiùs ſententiam excommunicationis humiliter ſuſtinere, quàm per carnale commercium, peccatum operari mortale. Si ſecundo modo præſumptio fallat, rurſus nulla eſt obligatio legis: hæc quippe non intendit obligare, quando fallit præſumptio, eo quod recta ratio dictet, veritatem falſæ præſumptioni debere præferri *c. veritatem diſt.*8. ideóque in foro externo admittitur probatio contra præſumptionem. Ex quo

294 IV. Deduces, illum, qui per Judicis ſententiam condemnatur ſolvere pecunias alteri, qui per falſos teſtes probavit, ipſum eſſe debitorem, non teneri ſolvere; & ſi cogatur, poſſe uti occulta compenſatione, ſi ſciat, ſe non eſſe debitorem. Item illum, qui ſcit ſe alterius rem mala fide, & ſine legitimo titulo poſſidere, non poſſe illam titulo præſcriptionis retinere, ſi altera pars in probanda mala fide deficiat, quia lex præſcriptionis præſumit bonam fidem, & legitimum titulum poſſidentis. Ita Paolus Mezger *cit. numer.* 14. cum Salmanticenſibus, & aliis DD. à ſe citatis.

### §. IV. *Conſuetudo.*

I. COnſuetudo dupliciter accipi poteſt I. *Cauſaliter* pro diuturno uſu, & actibus longo tempore fre- 295
quentatis à communitate, vel majore ejus parte, quo modo ſpectata dicitur *conſuetudo facti*, & definitur à D. Thoma *in 3. diſt.23. quæſt.1. art.4. frequentia operandi liberè eodem modo*. II. *Formaliter* pro jure, quod ex diuturno uſu, & continuatione hujuſmodi actuum oritur, vocaturque *conſuetudo Juris*, & definitur *l. de quibus, ff. de legibus*, *Jus diuturnis moribus, & tacito populi conſenſu introductum*. Differt à præſcriptione. I. Quia conſuetudo reſpicit communitatem, quam obligat, vel aliquid permittendo de obligat: præſcriptio vero perſonas privatas, vel communitatem, quatenùs ſpectatur ut perſona privata. II. Ad conſuetudinem requiritur conſenſus ſaltem tacitus Legislatoris, cujus legi per illam derogatur: ad præſcriptionem autem non eſt neceſſarius conſenſus ejus contra quem præſcribitur. III. Præſcriptio habet locum in rebus mobilibus corporalibus, & incorporalibus; conſuetudo vero tantùm in incorporalibus, ut in Juriſdictione, electione, ſervitutibus. IV. Præſcriptio minuit dominium, aut jus alterius; non conſuetudo. V. Illa requirit bonam fidem, & titulum; iſta etiam mala fide induci poteſt, & loco tituli ſervit tacitus conſenſus Superioris. VI. Ad hanc, ut infrà dicetur univerſaliter decennium ſufficit: in illa ſufficit aliquando tempus brevius, aliquando diuturnius.

Porrò conſuetudo alia dicitur *juxta legem*, quæ eſt ob- 296
ſervantia, vel etiam interpretatio legis præexiſtentis; unde non eſt juris, ſed facti. Alia *præter legem*, quæ inducit novum jus in illa materia, de qua lex ſcripta nihil diſponit, & alia *contra legem*, per quam lex ſeu jus præexiſtens tollitur in totum, vel in partem: hinc communiter nuncupatur *deſuetudo*. Conſuetudo *juxta legem* nec inducit jus novum, nec abrogat præexiſtens, ſed potiùs confirmat, & ejus obſervantiam ſtabilit; atque hoc ſenſu accipitur id, quod dixit Gratianus *leges firmantur, cùm moribus utentium comprobantur, c. in iſtis, diſt.4.* Sic etiam illud: *conſuetudo eſt optima legem interpres, c. cùm Dilectus, de conſuetud.* de conſuetudine juxta legem intelligitur. Conſuetudo *præter, & contra legem* majoris ſunt efficaciæ, de quibus dicimus:

II. Conſuetudo contra legem habet vim abrogandi le- 297
gem veterem, & conſuetudo præter legem habet vim inſtituendi novam legem, ſi habeat debitas conditiones. Ita Maſtrius *cit. quæſt.6. art.4.* Paulus Mezger *cit. diſput.* 36. *art.2.* Suarez *l. 7. cap.* 14. Reiffenſtuel *cit. titul.*5. *de conſuetud.* Layman *cit. cap.*14. Herincx *cit. diſputat. 3. quæſt.* 6. & alii cum communiſſima DD. ſententia, ratio primi eſt: quia Gregorius Nonus *cap. ultim. de conſuetud.* declarat poſſe conſuetudinem aliquam *juri poſitivo præjudicium generare, ſi rationabilis fuerit, & legitimè præſcripta*: quibus verbis fatetur Pontifex, conſuetudinem cum his conditionibus habere vim abrogandi legem poſitivam humanam, de qua ibi loquebatur: ergo. Ratio ſecundi eſt: quia in conſuetudine legitimè introducta, reperiuntur omnia, quæ ad legem inſtituendam deſiderantur: nimirum. I. Materia rationabilis, ſeu honeſta, poſſibilis, & communi bono utilis. II. Poteſtas introducendi juris obligantis, ſaltem ſi adſit conſenſus tacitus Principis. III. Voluntas ſe obligandi. IV. Manifeſtatio talis voluntatis, non quidem verbis, ſed factis, quod ſufficit: ergo conſuetudo poteſt introducere legem novam.

III. Ut autem conſuetudo abroget legem veterem, & 298
inſtituat novam, juxta citatos Doctores ſequentes, requiruntur conditiones. I. Requiritur actuum, vel omiſſionum *frequentia publica, libera, non interrupta. Frequentia* requiritur ex *l. 1. c. quæ ſit longa conſuetudo*. Nam conſuetudo vocatur, quod in communi ſit uſu. *c. 5. diſt.* 1. Sed unus actus non probat communem uſum. Quotnam verò actus ad inducendam conſuetudinem requirantur, nec jura determinant, nec facilè determinari poteſt. Tanta ſaltem frequentia requiritur, quanta ad manifeſtandum firmum populi conſenſum prudentum judicio ſufficit. Frequentia *Publica* requiritur, nam jus conſuetudinarium, cum alia promulgatione non egeat, per actus notorios

pu-

publicæ, & communis Regulæ rationem ſortiri debet. *Libera* ſit oportet; quia communem, & tacitum populi conſenſum indicat: unde etiam actus vi, vel gravi metu extorti, probabiliter ad inducendam conſuetudinem non ſufficiunt; licèt enim tales actus non ſint ſimpliciter involontarii, non tamen videntur ſufficere ad ſignificandum liberum populi conſenſum, & animum inducendi Jus Legale, cùm ipſa populi renitentia potiùs ſignificet animum faciendi oppoſitum. *Non interrupta ſit*, neceſſe eſt, ut nempè communitas offerente ſe occaſione ſemper operetur eodem modo: aliàs legitimè præſcribi, aut uniformem, ſtabilemque populi conſenſum ſignificare non poterit, ſi vel tota communitas, vel major pars ipſius actum contrarium interponat.

299 Requiritur II. in frequentatione actuum (quo nomine etiam *omiſſiones* comprehendunt) ſaltem interpretativa voluntas inducendi Jus, vel obligationem. Suarez *l.4. cap.* 58. Layman *cit. cap.*24. Paulus Mezger *cit. num.* 5. cum communi. Ubi diſtinguendum eſt inter conſuetudinem *contra legem*, & *præter legem*. Conſuetudo contra legem tendit ad liberandum ab obligatione legis, & inducitur per omiſſiones, vel actus legi contrarios, ac in iis requiritur voluntas abrogandi obligationem legis. Conſuetudo præter legem tendit ad obligandum, ſeu inducendum novum Jus præter legem, & requirit voluntatem obligandi: cùm enim *actus agentium non operentur ultra intentionem eorum*, *cap. fin. de Præbend.* hinc, ut Jus, vel obligatio inducatur, etiam intentio ſe ſe obligandi ſaltem implicita, & interpretativa requiritur. Qua de cauſa multi actus publicè frequentati, nullam tamen legem aut obligationem inducunt, quia ex mera devotione peraguntur: ut ſalutatio Angelica ad ternum campanæ pulſum, aſperſio aquæ Benedictæ in ingreſſu Eccleſiæ &c. Signa aliqua obligationis intentæ, vel inductæ tradit Suarez cit. Si res ex ſe difficilis nihilominùs à pleriſque è communitate ſerveeur: ſi ſit Bono communi valdè expediens: ſi populus malè ſentiat de contra agentibus: ſi Superiores in tranſgreſſores ſeveriùs animadvertant &c. In dubio tamen an conſuetudine ex animo ſe obligandi ſit introducta, pro devotione, & gratuito affectu potiùs præſumendum erit: non enim lex præſumitor niſi probetur, & niſi manifeſtè, conſtet, nemo præſumitur ſibi ipſi onus imponere. Ita *Palaus*, *Suarez*, *Salmanticenſes*, *Maſtrius*, *Mezger*, & alii communiter.

300 Requiritur III. Tacitus ſaltem conſenſus illius Magiſtratus, penes quem eſt poteſtas ferendi legem, ſi illa non ſit penes communitatem: ea *l. de quibus l. ſed & ea, ff. de legibus*. Et tradit D. Thoma. *quæſt.* 96. *artic.* 3. Scotus *in* 3. *d.* 39. *quæſt. unic.* Averſa, Suarez *l.7. de legibus*, Layman *cit. cap.*24. *num.* 2. Maſtrius cit. Reiffenſtuel, Mezger, & communis DD. Ratio eſt: quia æquè Jus non ſcriptum, quàm ſcriptum deſcendit à Poteſtate Legislativa: ergo ſi hæc non eſt penès communitatem, ſed Magiſtratum, illius quoque Authoritas interponi debet: ſed hoc fit per conſenſum ſaltem tacitum: ergo. Hinc infertur nullam dari poſſe conſuetudinem, quæ adversùs immunitatem Eccleſiaſticam prævaleat, tametſi ſit immemorialis; ſiquidem Summus Pontifex quotannis in Bulla Cœnæ ejuſmodi conſuetudinem, ceu corruptelam damnat, & improbat. Nec refert, quòd Summus Pontifex ſciat, in multis locis contrarium practicari; nam multa, quæ per patientiam tolerantur (ut evitentur majora mala) non hoc ipſo comprobantur, præſertim dum contraria poteſtatio ſingulis annis renovatur per *c. cùm jam dudum de Præbend.* c. *denique diſt.*4. Porrò prædictus conſenſus Principis, ſive Magiſtratus alius eſt *Perſonalis*, alius *Legalis*. Perſonalis eſt, qui provenit à Perſona Principis, conſuetudinis notitiam in ſpecie habentis, eamque, vel expreſsè, vel tacitè approbantis. Legalis ſeu Generalis eſt conſenſus Jure communi generaliter expreſſus pro omni conſuetudine legitimè introducta: qualis à Superiore Eccleſiaſtico habetur in *cap. fin. de conſuetud.* & à Civili in *l. de quibus*, *ff de Legibus*. Prior conſenſus, adeòque, & ſpecifica notitia conſuetudinis requiritur, quando nondum adeſt tempus ad præſcribendum ſufficiens, tunc enim ad inducendum Jus aliunde robur habere non poteſt. Legalis verò conſenſus ad conſuetudinem tam præter, quàm contra legem ſufficit, quando expletus eſt temporis lapſus ad præſcriptionem requiſitus, cùm Jura plus non requirant, quàm ut conſuetudo ſit rationabilis, & legitimè præſcripta. Unde

301 Requiritur IV. Notabilis temporis diuturnitas: ſed quanta illa? variant Anthores. Et quidem ſi conſuetudo introducatur ſciente, & connivente Principe, veriſimile eſt juxta priùs dicta, minorem temporis tractum, & quidem illum ſufficere, ex quo prudenter colligi poteſt, principem in novi Juris introductionem, vel propriæ legis abrogationem conſentire. Verùm quia & hoc nimis incertum eſt, ideò regulariter ad conſuetudinem tam præter, quam contra legem requiritur *Decennium*: quia Jura ad introductionem conſuetudinis requirunt longum tempus: ſed eadem Jura continuatum decennium reputant longum tempus, *l. ultim. C. de Præſcript.* §.1. *Inſtit. de uſucapien.* Ergo illud regulariter ad conſuetudinem requiritur. Et hæc eſt communis DD. ſententia, de qua teſtatur *Abbas cap. ultim. num.* 11. *titul. de conſuetud.* quantùm ad conſuetudinem contra legem Civilem Principe ignorante, & via præſcriptionis ducendam. An verò etiam ſufficiat decennium ad inducendam conſuetudinem contra Jus Canonicum, ſeu leges Eccleſiaſticas, multùm variant Doctores. Ego teneo cum Leſſio *lib.* 2. *de Juſtit. & Jure capit.*6. *n.* 46. Lugo *diſput.* 7. *de Juſtit. & Jur. Sect.*4. *numer.* 94. Azorio *part.* 1. *libr.* 5. *capit.* 18. *quæſt.* 6. Caſtro-Palao *part.* 1. *tract.* 3. *diſput.* 3. *punct.* 2. Pirhing. *tit. de conſuetud. numer.* 39. Haunoldo *tom.* 1. de *Juſtitia & Jure tractat.* 1. *capit.* 3. *controv.*2. *numer.* 130. Herinex, Sannig, Emanuel Sà, Diana, Reiffenſtuel & aliis, ad abrogandam legem Eccleſiaſticam quamcunque vi contrariæ conſuetudinis, rationabilis tamen, ſufficere decennium. Quod tamen intelligendum eſt de vera conſuetudine, ſeu quæ ſolummodò eſt contra, vel præter Jus commune; non autem de illa, in qua ſimul agitur de præjudicio tertii, puta alicujus particularis Eccleſiæ; nam ut hujus Juri jam quæſito præjudicetur, requiri veram præſcriptionem 40. annorum, in confeſſo eſt. Ratio eſt I. Quia non eſt inducenda diſcrepantia inter Jus Civile, & Canonicum, ubi non habetur expreſſa diſpoſitio Juris in contrarium, *cap.* 1. *de novi oper. nuntiat.* atqui ad abrogandam legem Civilem per conſuetudinem contrariam ſufficit decennium juxta ſupradicta, nec quoad hoc reperitur expreſſa diſpoſitio in contrarium: ergo pariter ad abrogandam legem Canonicam quamcumque ſufficit decennium. II. Conſuetudo abrogans legem Eccleſiaſticam non eſt contra Eccleſiam, ſed potiùs pro illa, cùm ex conſenſu illius abrogatio iſta procedat: neque per ejuſmodi conſuetudinem eidem tollitur, vel imminuitur ullum Jus, quod ante habuit; cùm Papa legem, quæ per conſuetudinem abrogata eſt, liberrimè poſſit reſtituere, quando id bono Eccleſiæ judicaverit expedire: Ergo.

Nec obſtat, quòd ad præſcribendum contra Eccleſiam 302 requiratur ſpatium 40. annorum. Nam hoc eſt verum de præſcriptione contra Eccleſias ſive bona immobilia Eccleſiarum; non autem de præſcriptione contra leges Eccleſiaſticas: alioquin enim, cùm contra Romanam Eccleſiam non currat, niſi centenaria præſcriptio, *cap.* 13. & 14. *de præſcript.* leges Papales nonniſi ſola centum annorum præſcriptione, ſeu conſuetudine abrogari poſſent; quod tamen etiam eſt contra communem ſententiam Doctorum etiam Adverſariorum. Accedit ratio diſparitatis inter præſcriptionem bonorum immobilium, vel Jurium Eccleſiæ, & inter conſuetudinem contrariam legi: nam per ejuſmodi præſcriptionem bonorum Eccleſiæ, ſi breviori tempore abſolveretur, ipſamet Eccleſia plurimùm damnificaretur in ſuis bonis, ac Juribus, utpotè quæ ipſi vi præſcriptionis auferrentur. Secùs fit in abrogatione legis Eccleſiaſticæ per contrariam conſuetudinem, ut modò ſuperiùs dictum. Itaque paritas præſcriptionis cum conſuetudine tunc ſolùm procedit, quando per conſuetudinem non tantùm obligatio legalis tollitur, inſuper Jus Eccleſiæ læditur; ut ſi Parochiani per conſuetudinem ſe eximerent à Decimis ſolvendis Eccleſiæ; nam tali caſu eſſet conſuetudo non tantùm legalis, ſed verè præſcriptiva; & conſequenter, quemadmodùm ad præſcriptionem contra Eccleſiam, ita etiam ad ipſam requirerentur 40. anni cum titulo, & hoc deficiente tempus immemoriale: c. *Epiſcopum*, *de præſcript. in* 6. quod etiam nos ſuprà *num.* 301. notavimus ex Reiffenſtuel *titul. de conſuetud. num.* 105. & 109.

Requiritur V. Ut conſuetudo ſit rationabilis & legitimè 303 præſcripta, ex c. *ult.* de *conſuetud.* ibi: *Licèt longeva conſuetudinis non ſit vilis Authoritas, non tamen eſt uſque adeò valitura, ut Juri poſitivo debeat præjudicium generare, niſi fuerit rationabilis, & legitimè præſcripta*. Cùm enim conſuetudo vim legis à Poteſtate Legislativa accipiat, ideò ſicut lex debet eſſe rationabilis, ita etiam conſuetudo debet eſſe rationabilis, & legitimè præſcripta. Illa autem conſuetudo juxta Suarez *l.* 7. *de lege capit.* 6. Azorium *lib.* 5. *cap* 17. Layman *lib.* 1. *tract.* 4 *cap.* 24. Reiffenſtuel *cit numer.* 34 & plures alii, dicitur *Rationabilis*, quæ non adverſator Juri naturali aut Divino, nec à Jure Canonico reprobatur, nec peccandi licentiam, aut occaſionem præbet, nec alia ratione communi utilitati pernitioſa eſt:

Ubi

Digitized by Google

Ubi notandum, ad introductionem legis requiri, ut poſitivè conferat ad publicam utilitatem: ad ejuſdem vero abrogationem vi contrariæ conſuetudinis ſufficiat, ut hæc communi utilitati non adverſetur.

304 Verùm hic non levis inſurgit difficultas, nam ut introducatur conſuetudo Juris, debet eſſe rationabilis, & legitimè præſcripta: ſed contra legem ſub peccato obligantem conſuetudo non poteſt eſſe rationabilis: ex actibus quippe peccaminoſis, & contra legem, adeòque, & contra rectam rationem factis non poteſt oriri conſuetudo *Rationabilis, & legitime præſcripta*: ergo non poteſt induci conſuetudo contra legem. Reſpondeo cum Suarez *lib. 7. cap. 1.* Palao *diſput. 3. punct. 2.* Haunoldo *de Juſtit. & Jur. tom. 5. cap. 3. controv. 2.* Clerle *in Aſſert. Juridicis, Aſſert. 3. part. 8.* Sanchez, Diana, Lugo, Bonacina, Maſtrio, Reiffenſtuel *cit. nu. 143.* & aliis, poſſe introduci conſuetudinem contra legem per actus etiam formaliter peccaminoſos; quæ tamen erit rationabilis, & legitimè præſcripta. Ratio eſt. I. conſuetudo contra legem introducitur per actus exercitos cum ſcientia Legis contrariæ cum animo ſe deobligandi ab illa; atqui actus ejuſmodi ſunt formaliter peccaminoſi: ergo. Minor patet. Major probatur: Actus ex ignorantia, vel errore eliciti nunquam præbent ſufficiens fundamentum liberi, & voluntarii conſenſus in legis novæ inductionem, & veteris abrogationem: ergo. II. Conſuetudo præter legem non conſurgit ex ignorantia, ſed fit per liberum conſenſum, & animum inducendi Jus, & obligationem: ergo etiam conſuetudo contra legem fit ex ſcientia contrariæ legis, cùm animo ſe deobligandi. Quod non fit niſi per actus formaliter malos contra legem exercitos. III. Quia alioquin vix unquam à ſubditis præſcribi poſſet ulla conſuetudo contra legem; cùm moraliter impoſſibile ſit, ut ſubditi ab initio non ſciant, ſe agere contra legem, ſicque conſuetudinem mala fide incipiant. Certè in dubio nunquam poſſet præſumi pro valore conſuetudinis: quia præſumitur lex non ignorari (quin imò Juris ignorantia non excuſat, juxta *Reg. 13. Juris in 6.*) adeòque tranſgreſſiones præſumerentur eſſe peccaminoſæ, ſicque everteretur tota propemodùm materia, & Juris utriuſque diſpoſitio circa conſuetudinem.

305 Nec urget ratio in oppoſitum, quòd conſuetudo debeat eſſe rationabilis, & legitimè præſcripta. Nam conſuetudo debet eſſe rationabilis, non in fieri, ſed in facto eſſe, hoc eſt, illud Jus, vel obligatio, quæ per conſuetudinem inducitur, ſicut & non obſervatio legis per contrariam conſuetudinem abrogandæ, non debet adverſari Juri naturali aut Divino, nec à Jure Canonico reprobari, nec licentiam aut occaſionem peccandi præbere, nec communi utilitati pernicioſa eſſe: aliàs ſi conſuetudo deberet eſſe in tantum rationabilis, ut omnino non eſſet contra legem, etiam per actus materialiter peccaminoſos non poſſet introduci conſuetudo, cùm & hæc foret contra legem, adeòque non rationabilis; quod tamen, nec Adverſarii concedunt. Deinde conſuetudo debet eſſe legitimè præſcripta, quatenùs nimirùm tempore legitimo, ſeu longo debet eſſe continuata: non vero, quod ſicut ad præſcriptionem requiritur bona fides, ita etiam ad introducendam conſuetudinem contra legem requiratur bona fides; cujus diſparitas, præter adductas, ſuprà *num.* 302. hæc eſt: Quia præſcriptio cum mala fide facta redundaret in damnum tertii innocentis, cui res ſua injuſtè auferretur, non ſic conſuetudo contra legem. Etenim cùm lex tota ordinetur ad bonum commune ſubditorum, ſi conſtet per experientiam, optimam rerum Magiſtram, quòd à Subditis non obſervetur, ſicque nonniſi ad conſcientiæ laqueum deſerviat, non vero ad utilitatem ſubditorum, tanquam deſtituta ſuo fine, ſapienter, ac meritò à legiſlatore ſubditorum infirmitati condeſcendente, cenſetur revocari, ſaltem per conſenſum ſuum legalem, & Juridicum, non obſtante mala fide ſubditorum, qui per legis tranſgreſſionem antehàc peccaverunt. Ex quo etiam pateſcit, ſubditos ex ſua tranſgreſſione legis, non directè, ſed indirectè commodum reportare, quod nihil eſt inſolitum; nec tranſgreſſiones legis formaliter peccaminoſas à ſubditis commiſſas eſſe cauſam abrogationis veteris legis, & inductionis novæ legis, ſed conſenſum legiſlatoris eſſe cauſam; illas verò eſſe tantùm conditionem, qua poſita legiſlator conſentit in legis præexiſtentis abrogationem, vultque conſuetudinem, requiſitis conditionibus inſtructam, vim legis obtinere. Ex his

306 IV. Conſequitur, conſuetudinem poſſe abrogare legem *Humanam* tam Civilem, quam Eccleſiaſticam; non tamen legem *naturalem*; cùm hæc ſit immutabilis; nec *Divinam*: quia conſuetudo eſt Jus merè humanum, utpotè introductum moribus populi, & conſenſu Principis, poteſtas autem humana nequit prævalere adversùs poteſtatem, & legem Divinam etiam poſitivam, utpotè longè Superiorem, quæ Jus conſuetudinarium contra ſuas leges numquam approbavit.

## SECTIO. V.

### *De Ceſſatione Legis Humanæ.*

HActenùs locuti ſumus de efficacia, & obligatione legis humanæ; reſtat nunc declarandum, quibus modis lex humana temperari, aut omnino ceſſare poſſit. Porro legis humanæ obligatio, vel ceſſat univerſim, vel pro caſu particulari. Univerſim ceſſat, vel per *ceſſationem cauſa finalis*, vel *per legis abrogationem*. Pro caſu verò particulari obligatio legis temperatur partim *interpretatione ſeu Epikia*, partim *Diſpenſatione*, partim *Privilegio*. De quibus nunc agemus. 307

## QUÆSTIO I.

### *De Ceſſatione legis per Ceſſationem Cauſa finalis, & per legis abrogationem.*

## SUMMARIUM.

309 *Mutatio legis poteſt fieri ab intrinſece, & ab extrinſeco.*
350 *Finis legis duplex eſt, intrinſecus & extrinſecus.*
311 *Poteſtque ceſſare contrariè, vel negativè.*
312 *Quando finis legis adæquatus univerſaliter ceſſat, ceſſat etiam lex.*
313 *Non verò ceſſat lex, ſi ejus finis inadæquatus ceſſat.*
314 & 315 *Si finis legis in præſumptione periculi fundata ceſſat in caſu particulari ſolùm negativè, non ceſſat obligatio legis.*
316 *Exemplificatur caſibus.*
317 & 318 *Ceſſat vero obligatio legis, ſi finis ceſſat contrariè, vel ſi ceſſat finis legis in præſumptione facti fundata.*
319 *Quæ ſit differentia inter abrogationem, & derogationem legis?*
320 *Legem abrogare poteſt legiſlator,*
321 *Ejus ſucceſſor, & in officio Superior.*
322 *An requiratur promulgatio abrogationis?*
323 *Abrogatio legis poteſt ſubinde rationabiliter fieri.*
324 *Debet tamen eſſe prudens, & moderata.*
325 *Facta ſine juſta cauſa à Superiore Ordinario eſt quidem illicita, ſed tamen valida.*

## ASSERTIO I.

*QUando finis legis adæquatus univerſaliter ceſſat, ſive negativè, ſive contrariè, ceſſat etiam lex, ejuſque obligatio? Si verò finis legis in præſumptione periculi fundata, in caſu particulari ceſſat ſolùm negativè, non ceſſat obligatio legis: Secùs, ſi ille ceſſat contrariè. Legem abrogare poteſt ipſe legiſlator, ejus in officio ſucceſſor, vel in Juriſdictione Superior: Si legis humanæ abrogatio ſine juſta cauſa fiat à Superiore Ordinario, eſt quidem valida, attamen illicita: ab inferiore verò, quàm ſit ipſe legiſlator facta eſt etiam invalida.* Communiſſima Doctorum. 308

### §. I. *Quando finis legis adæquatus univerſaliter ceſſat, ceſſat etiam legis obligatio.*

CUm res humanæ, circa quas lex humana occupatur, ſint mutabiles, ipſas quoque leges mutationibus ſubjectas eſſe, neceſſe eſt. Hæc mutatio fieri poteſt, vel *ab intrinſece*, vel *ab extrinſece*. Ab intrinſeco fit, cùm deſinit finis, & adæquata ratio legis; ut ſi lex incipiat fieri manifeſtè nociva, vel impeditiva majoris boni, vel ad finem intentum inutilis. Ab extrinſeco fit legis mutatio, quando lex, vel à legiſlatore, vel à contraria conſuetudine (de qua jam diximus *Sect. præc. qu. ult. §. 4.*) abrogatur. 309

Porrò finis legis duplex attendi poteſt; unus *intrinſecus*, alter *extrinſecus*. Intrinſecus eſt honeſtas ipſius materiæ præceptæ: extrinſecus eſt honeſtas à legiſlatore intenta, & diſtincta ab honeſtate materiæ præceptæ. Sic cùm lex præcipit Eleemoſynam, ut ſubditi ſatisfaciant pro peccatis, finis legis intrinſecus eſt honeſtas ipſius materiæ præceptæ: ſcilicet ſublevatio pauperis, quæ reperitur in largitione eleemoſynæ præceptæ: extrinſecus eſt honeſtas quæ reperitur in ſatisfactione pro peccatis à lege præcepta. Hæc poſterior honeſtas à priori eſt diſtincta, ac ſeparabilis; & conſequenter finis extrinſecus ab intrinſeco, 310

Digitized by Google

ſeco, & viciſſim. Hinc aliquando conjunguntur, & aliquando non. Quando igitur finis intrinſecus, & extrinſecus in lege conjuncti ſunt, non ceſſat lex, etiamſi ceſſet finis extrinſecus. Ita Communis cum Suarez de Legibus, *lib. 6. capit. 9. numer. 9.* Ratio eſt: Quia aliàs homines, qui carnem ſuam habent Spiritui debitè ſubjectam, non tenerentur v. g. ad jejunium; cùm in illis eſſet finis extrinſecus talis legis, videlicet motivum ſe macerandi in carne, ad hanc Spiritui ſubjiciendam: quod tamen nemo dixerit. Unde adhuc obligantur jejunare ob finem intrinſecum jejunii, id eſt, ob honeſtatem temperantiæ: Quia legis exiſtentia eſſentialiter dependet à fine intrinſeco legis. Inſuper.

311 II. Finis legis poteſt ceſſare, vel *contrariè & poſitivè*, vel *negativè tantùm*. Contrariè ceſſare dicitur, quando redditur illicitus aut impoſſibilis: v. gr. Lex præcipit jejunium corporis macerandi cauſa; ſi tamen mulier gravida per illam macerationem exponeret fœtum periculo mortis, finis legis ceſſaret contrariè: uti, & ſi lex præciperet contributionem propter ædificationem pontis; & pons propter difficultatem ſubortam non poſſit ædificari: quia in priori caſu maceratio illicita; & in poſteriori ædificatio pontis foret impoſſibilis. Negativè tantùm finis legis ceſſare dicitur, dum, etſi ſit licitus atque poſſibilis, tamen ad bonum commune, nec utilis, nec neceſſarius eſt. Rurſus finis legis poteſt ceſſare *adæquatè*, vel *inadæquatè*: idque, vel ex parte motivi, vel ex parte ſubjecti. *Ex parte motivi* ceſſat adæquatè, quando ceſſat tota ratio, ob quam lex condita eſt: & inadæquatè, quando ceſſat ratio inadæquata. *Ex parte ſubjecti* finis legis ceſſat adæquatè, quando ratio, ob quam lex condita eſt, ceſſat pro tota communitate: & inadæquatè, quando ratio ceſſat pro una, vel altera communitatis parte in particulari. His ſuppoſitis.

312 III. Quando finis legis adæquatus univerſaliter ceſſat ſive negativè, ſive contrariè, ceſſat etiam lex, & ejus obligatio. Ita D. Thomas 1. 2. *queſtion.* 103 *artic.* 4. Suarez *de legibus lib. 6. capit. 9.* Maſtrius *cit. quæſt. 6. numer.* 209 Herincx cit. *diſput. 3. quæſtion. 16. numer.* 202. Paulus Mezger cit. *diſput. 36. num.* 4. Cum communi DD. Ratio eſt: Quia lex in tantum obligat, in quantum ejus materia eſt expediens, vel neceſſaria pro bono communi; atqui quando finis legis adæquatus ceſſat univerſaliter tam ex parte motivi, quàm ex parte ſubjecti, materia legis non eſt ampliùs expediens, vel neceſſaria pro bono communi: ergo tunc non ampliùs obligat. Quod confirmari poteſt tum ex communi Juris axiomate, quod *ceſſante legis ratione ceſſet quoque ejus diſpoſitio, l. in omni, ff. de Adoptionibus*: Tum à paritate voti, quod ſimiliter obligare deſinit, quando cauſa ejus adæquata ceſſat. Sic lex primitivæ Eccleſiæ præcipiebat abſtinere ab immolatis, ſanguine, & ſuffocatis, cujus motivum erat, ut Judæi ab iis abhorrentes tantò faciliùs in fide, & Religione cum Gentilibus jungerentur. Qua ratione ſucceſſu temporis ceſſante, antiquata fuit illa lex abſtinentiæ.

313 IV. Dictum eſt: *Quando finis legis adæquatus ceſſat &c.* Nam ſi eſſet finis legis tantùm inadæquatus, vel partiale motivum, non ideò ceſſat lex. Ita Maſtrius cit. Mezger *cit. num.* 5. La Croix *lib. 1. num.* 866. Herincx *cit. num.* 202. Layman *cit. capit. 21. numer.* 3. & alii apud ipſos. Ratio eſt: Quia quando ſunt plures fines, licet ſimul ſumpti faciant unicum finem totalem, & adæquatum, tamen deficiente uno, ſi alius maneat, hic cenſeri debet ſufficiens in ordine ad movendum legiſlatorem, niſi oppoſitum conſtaret: ergo quamvis ceſſaret finis inadæquatus legis, non ideò ceſſaret lex, nec ejus obligatio. Sic Iſraelitæ, quantumvis alia via fuiſſent ab Originali peccato mundati, nihilominùs tenebantur lege Circumciſionis: quia finis ipſius non erat ſolùm peccati originalis extinctio, & Juſtificatio, ſed etiam diſtinctio à Gentilibus. Dictum etiam fuit: *quando finis adæquatus legis ceſſat univerſaliter*, ſcilicet ex parte ſubjecti; nam

§. II. *Si finis legis in Præſumptione periculi fundata, in caſu particulari ceſſat ſolùm negativè, non ceſſat obligatio legis.*

314 I. HÆc eſt Communis, eamque docent D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 154. *artic.* 2. & 3. Suarez *lib. 6. de leg. c. 9. num.* 6. Layman cit. Maſtrius *cit. num.* 210. & apud ipſum *Amicus, Averſa, Caſpenſis*. Item Herincx *cit. num.* 203. Paulus Mezger, *cit. num* 6. & apud ipſum *Salmanticenſes, Sotus, Salas, Reding.* Item La Croix *cit. num.* 868. Aliique plurimi contra Granad. Henriquez, Dianam, & plures alios. Ratio eſt: quia quando non tollitur ratio adæquata, nec inadæquata primaria legis, lex non deſinit obligare; atqui quando ratio legis non militat pro aliquo caſu particulari, non tollitur ratio adæquata primaria legis: ergo tunc lex non deſinit obligare. Major patet. Minor probatur: Quia remanet adhuc finis legis, qui eſt directio communitatis, uniformitas operandi in illa materia, præſumptio periculi communis &c. unde

II. P. Claudius la Croix cit. *num.* 868. mihi benè videtur dicere, quòd finis adæquatus legis humanæ non poſſit ceſſare quoad aliquem in particulari, ſi quoad communitatem maneat: quia finis legis in præſumptione periculi fundatæ, non eſt evitare quodcunque periculum in particulari, ſed periculum in communi, & generaliter; jam autem, etſi non ſit periculum in caſu particulari, adhuc eſt periculum in communi, & generaliter: ergo finis adæquatus legis non poteſt ceſſare quoad aliquem in particulari, ſi quoad communitatem maneat. Idem docet *P. Herincx cit.* dum ait: dum vulgariter dicitur ceſſare ratio legis in caſu particulari, verè non ceſſat omnis ratio etiam reſpectu Perſonæ particularis, quin adhuc juſtè præcipiatur illi, quòd generali lege cavetur: adhuc enim manet finis generalis, & altior nempè bonum commune, cui manet valdè utile ſervari legem in tali caſu, nimirùm, ut ſit conformitas in membris communitatis, & præcludatur via variis incommodis, quæ ſequerentur, ſi tali, & ſimilibus caſibus tribuatur licentia agendi contra legem: nam quiſque facilè ſibi blandietur, cauſam legis & nunc in ſe ceſſare. Imò etiam particularis ratio legis ſufficienter afficit caſum, in quo communiter dicitur ceſſare; dum enim prohibetur actus ob inconvenientias plerumque adeſſe ſolitas, poteſt ob illas prohiberi generaliter, etiam, quando iſtæ inconvenientiæ non ſubſunt: manet enim actus equidem talis conditionis, ut frequenter ſint illi natæ ſubeſſe ſimiles inconvenientiæ. Finis autem ſeu ratio legis eſt vitare generale, ſeu commune periculum, (quod manet) & non tantùm ſpeciale, quod in caſu particulari ceſſat. Ita *Herincx cit.* 315

III. Sic ob commune periculum fraudum rectè prohibentur, aut irritantur generaliter certi contractus, & electiones: ob periculum incontinentiæ rectè præcipitur generaliter Clauſura Monialibus: ob periculum perverſionis prohibetur generaliter Lectio librorum Hæreticorum: ob periculum adulteriorum, & libidinum, aliarumque inconvenientiarum, univerſaliter fuit olim prohibitum (nunc verò omninò irritatum) Matrimonium Clandeſtinum, atque etiamnum ob pericula impedimentorum occultorum, generaliter prohibetur celebratum ſine præviis denuntiationibus &c. Quæ proinde leges indubiè etiam afficiunt illas perſonas, & caſus, in quibus per accidens non ſubeſt ſpecialiter inconveniens ſeu periculum, quod generaliter natum eſt ſubeſſe. 316

IV. Dictum eſt I. *Si finis legis in præſumptione periculi fundata &c.* Quando enim lex fundatur in præſumptione facti, hoc deficiente ſive negativè, ſive contrariè, in caſu, & perſona particulari, ceſſat quoque lex in tali caſu, & perſona particulari; uti diximus *Sect. præc. quæſt. 5. num.* 292. 317

Dictum eſt II. *Si finis legis in caſu particulari ceſſet ſolùm negativè:* Si enim ceſſet contrariè, ſeu poſitivè, certum eſt reſpectu perſonæ etiam particularis ceſſare legem: non enim aliter ceſſat finis legis contrariè, & poſitivè, niſi cùm materia, & objectum legis propter mutationem circumſtantiarum fit illicitum, impoſſibile, aut nimis difficile; unde ſi hoc fiat reſpectu totius communitatis, vel majoris partis, lex generaliter ceſſabit; ſi reſpectu unius, vel alterius membri tantùm, ceſſabit particulariter. Ita Paulus Mezger *cit. num.* 7.

§. III. *Legem abrogare poteſt legiſlator, ejuſque in Officio Succeſſor, vel in Juriſdictione Superior.*

I. LEx ſi tollatur à Legiſlatore in totum, dicitur *abrogatio legis*: Si quoad partem, dicitur *derogatio legis*, *l. 102. ff. de V. S.* Unde quæ de abrogatione dicimus, proportionaliter intelligenda ſunt etiam de derogatione. 319

II. Legem abrogare poteſt Legiſlator, qui eam tulit. Quia omnis res per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur, *cap. 1. de Reg. Jur.* Sed obligatio legis naſcitur ex voluntate Legiſlatoris: ergo ſublata voluntate obligandi ex parte Legiſlatoris, etiam ceſſat obligatio legis. 320

III. Idem dicendum de Legiſlatoris Succeſſore in officio, vel in Juriſdictione Superiore. Ratio eſt: quia voluntas Succeſſoris æquivalet in Juriſdictione voluntati Anteceſſoris; voluntas verò Superioris etiam prævalet: ergo quod in Juriſdictione licuit Anteceſſori, etiam licebit Succeſſo- 321

Digitized by Google

ceſſori, vel utriuſque Superiori. Ex quo colliges, Inferiorem non poſſe abrogare legem Superioris; eò quod voluntas Inferioris nullum habeat Jus ſupra voluntatem Superioris, niſi fortè ex Privilegio, vel præſcripta conſuetudine.

322 IV. Difficultas eſt: An quando lex abrogatur, requiratur publicatio, & promulgatio talis abrogationis? negant apud Maſtrium *diſp. 2. de leg. q. 6. art. 2. n. 179.* Capreolus, Corduba, Conradus, Medina, & alii. Affirmant Azorius; Vaſquez, Salas, Caſpenſis, & Alii. Tandem Lezana, Amicus, & alii cum diſtinctione procedunt dicentes, quòd, quando abrogatio fit cum impoſitione legis contrariæ, tunc, ſicut ad impoſitionem legis requiritur ſolemnis promulgatio, ſic etiam ad talem abrogationem. Quando verò abrogatio legis fit ſine nova legis impoſitione, non videtur requiri talis promulgatio, cùm illa non ſit vera lex; ſed ceſſatio legis, quæ ſola Principis voluntate fieri poteſt. Idem docet noſter Heruicx cit. *diſp. 3. q. 16. n. 213.*

### §. IV. *Si legis humana abrogatio fiat ſine juſta cauſa à Superiore Ordinario, eſt quidem valida, ſed illicita, &c.*

323 I. MUtationem legis, ſeu abrogationem ſæpè rationabiliter fieri, inde patet, quòd ob humani ingenii imbecillitatem non ſemper exactè perſpiciantur omnia conſideranda; quo fit, ut temporis ſucceſſu aliquando deprehendatur obeſſe, aut minùs prodeſſe, quod credebatur ampliùs profuturum; ſubditorum quoque ingenia, negotia, aliæque circumſtantiæ diverſis ſubſunt mutationibus, quibus ſubinde lex deſinit eſſe utilis, aut incipit communi bono eſſe minùs utilis, aut humanæ fragilitati non ſatis accommodata; ob quæ recta ratio dictat, eam poſſe, aut debere mutari. His accedit invaleſcens paulatim legum multitudo, ob quam ſubinde lex alioquin utilis licitè revocatur, ut populi onus in gravi legum obſervantia portandum relevetur.

324 II. Nihilominùs mutatio, & abrogatio legum debet eſſe prudens, & moderata, nec mox, ut melius aliquid occurrit, adhibenda: nam *in rebus novis conſtituendis evidens eſſe utilitas debet, ut recedatur ab eo Jure, quod diu æquum viſum eſt*, ut dicitur *l. 2. ff. de conſtit. Princ.* juſta enim mutatio hoc continet incommodi, quod æſtimationem legum diminuat, conſuetum populi morem immutet, & (ut ait S. *Auguſt. Epiſt. 118. ad Januarium cap. 5.*) *qua adjuvat utilitate, novitate perturbet.* Plura quoque ſolent interdum poſteà apparere incommoda anteà non prævisa. Unde *Philoſophus 2. Politic. 6.* exiſtimat, errata quædam legislatorum potiùs eſſe diſſimulanda, quàm de facili legem mutandum. Quare

325 III. Si Superior Ordinarius ſine juſta cauſa legem abroget, eſt quidem illicita legis abrogatio, ſed tamen valida. Ita Communis Theologorum, & Juriſtarum apud Maſtrium cit. *qu. 6. num. 178.* Paulum Mezger *citat. num. 12.* Ratio primi eſt: quia legislator peccat agendo contra exigentiam boni publici; ſed abrogare legem ſine juſta cauſa, eſt contra exigentiam boni publici, aut enim lex abrogata fuit utilis aut inutilis Reipublicę: ſi inutilis, jam erat juſta cauſa eam abrogandi: ſi utilis, ergo ſine juſta cauſa illam abrogans agit contra exigentiam boni publici, & conſequenter abrogatio legis ſine juſta cauſa erit illicita. Ratio ſecundi eſt: quia ſublata adæquata cauſa, à qua effectus dependet tam in fieri, quàm in conſervari, tollitur etiam effectus; atqui obligatio legis dependet à voluntate legislatoris in fieri, & conſervari tanquam à cauſa adæquata: ergo ſublata hac voluntate peribit obligatio legis; & conſequenter abrogatio erit valida.

326 IV. Dictum eſt: *Si Superior Ordinarius, ſine juſta cauſa legem abroget.* Nam abrogatio legis ſine juſta cauſa facta ab inferiore, nec eſt valida, nec licita. Ratio eſt: Quia Superior Ordinarius non cenſetur Juriſdictionem, & facultatem conceſſiſſe inferiori, abrogandi legem ſine juſta, & rationabili cauſa: ergo abrogatio legis ſine juſta cauſa facta ab inferiore eſt illicita, & invalida.

## QUÆSTIO II.

*De Ceſſatione legis, per Interpretationem, & Epikiam.*

### SUMMARIUM.

328 *Interpretatio legis quid, & quotuplex?*
329 *Quid ſit Interpretatio declarativa, extenſiva, & reſtrictiva?*
330 *A quo debeat fieri authentica Interpretatio?*
331 *Et à quo doctrinalis?*
332 *Quæ regulæ ſint obſervandæ in Interpretatione legis doctrinali declarativa?*
333 *Regula ſecunda.* 334. *Regula tertia.*
335 *Regula quarta.*
336 *Qualiter fieri poſſit Interpretatio comprehenſiva?*
337 *Debet eſſe identitas adæquata rationis.*
338 *Et eſſe credibile, legislatorem talem caſum, vel perſonam voluiſſe comprehendere.*
339 *Excipitur* lex pœnalis.
340 *Ideò valet tantùm* in correlativis, in connexis, & æquiparatis.
341 *Interpretatio merè extenſiva non habet vim extra judicium.*
342 *Per Epikiam poteſt deſinere obligatio legis.*
343 *In quibus caſibus habeat locum?*
344 *An etiam in ſententia probabili, vel in dubia?*
345 *An in omni lege procedat?*

## ASSERTIO II.

*INterpretatio legis eſt vera ſenſus legis declaratio; eſtque triplex, authentica videlicet, uſualis, & doctrina-* 327
*lis. Doctrinalis rurſus dividitur in declarativam, extenſivam, & reſtrictivam, ſeu Epikiam. In declarativa ſunt obſervandæ certæ regulæ: Extenſiva ſi ſit comprehenſiva, locum habet in lege favorabili, ac præceptiva, non tamen pœnali: Per reſtrictivam, ſeu Epikiam poteſt lex deſinere obligare in caſu particulari; non tamen habet locum in omni lege.* Eſt communis apud Authores citandos.

### §. I. *Interpretatio legis eſt vera ſenſus legis Declaratio, eſtque triplex &c.*

I. PEr *Interpretationem legis* nihil aliud intelligitur à 328
Doctoribus, quàm explicatio verborum legis, ordinata ad concipiendum verum legis ſenſum à Legislatore intentum. Eſtque triplex juxta Gloſſam *in l. 37. ff. de legibus*, nimirùm *Authentica, Uſualis, & Doctrinalis.* Authentica eſt, quæ fit per aliam legem prioris declarativam, & obtinet eandem Authoritatem ac ipſa lex, quam declarat. Uſualis eſt, quæ per uſum, & conſuetudinem introducitur: *nam optima legum interpres eſt conſuetudo, cap. cùm dilectus de conſuetud.* Imò, & ipſa conſuetudo legitimè præſcripta habet vim legis, prout ſect. præc. qu. 5. num. 297. diximus. Doctrinalis, ſeu Scholaſtica eſt, quæ nimirùm à Doctoribus traditur: & hæc per ſe loquendo, non inducit obligationem, ſed probabilitatem, habetque locum non ſolùm in lege humana, ſed etiam Divina, & naturali, quando præcepta legis dubium, vel obſcurum ſenſum præſeferunt, ut jam dictum ſuprà ſect. 2. n. 65. & 124.

II. Interpretatio Doctrinalis ſubdividitur in *declarati-* 329
*vam, extenſivam, & reſtrictivam.* Declarativa eſt congrua dubiorum, vel obſcurorum verborum expoſitio. Extenſiva vel eſt *purè talis*, per quam diſpoſitio legis ob paritatem, vel ſimilitudinem rationis, extenditur ad perſonam, vel caſum, neque verbis, neque mente Legislatoris comprehenſum: vel eſt *comprehenſiva*, qua lex extenditur ad perſonam, vel caſum, verbis quidem non expreſſum, mente tamen Legislatoris comprehenſum, ob adæquatam rationis identitatem. Reſtrictiva eſt, qua interpretamur, aliquem caſum particularem propter certas circumſtantias ſub lege, & intentione Legislatoris non contineri: eaque peculiari nomine vocatur *Epikia, vel Epychia, vel Epicheia,* latinè, *æquitas, ſeu benignitas*, ſoletque deſcribi ab Ariſtotele *l. 5. Ethic.* & Doctore Angelico *ibidem lib. 16.* quòd ſit *emendatio legis, qua parte deficit propter univerſalitatem.* Sive *benigna Interpretatio, & reſtrictio legis ſecundùm æquum, & bonum.*

III. Authentica legis interpretatio fieri poteſt à Legisla- 330
tore, ejuſque Succeſſore, vel utriuſque in juriſdictione Superiore, non autem ab inferiore, niſi adhoc ipſum à Superiore acceperit poteſtatem *ex c. inter alia, de ſentent. excom.* ibi: unde *jus prodiit, interpretatio quoque procedat.* Atque ab his facta interpretatio obtinet vim legis, ut dictum: dummodò ſubditis per ſolemnem promulgationem innoteſcat. Nec obſtat, quòd *ſect. præc. q. 2. n. 177.* diximus, declarationes legum non indigere promulgatione: ſiquidem id intelligendum eſt quoad declarationes legum purè tales, cujuſmodi ſunt Doctrinales, quæ vim legis non habent.

IV. Doctrinalis interpretatio legis poteſt fieri etiam à 331
privatis Doctoribus, ſi obſervent regulas communiter præſcribi ſolitas. Ita DD. communiter apud Maſtrium *cit. q. 6. art. 5. num. 225.* & habetur *l. unic. de Profeſſoribus, cap. 2. de privilegiis in 6.* & aliis juribus. Ratio eſt: quia cùm lex non rarò ambiguitatem in ſua ſignificatione involvat, neceſſarium erat, ut Doctoribus traderetur facul-

tas

tas eam interpretandi, quando Legiſlator interrogari non poteſt, ſi enim interrogari poſſit, nulla Doctorum interpretatio locum habet: quia Imperator *lib. 1. cap. de lege* ait: *inter æquitatem, juriſque interpoſitam interpretationem, nobis ſolis, & oportet, & licet inſpicere*. Ubi advertendum, quòd, quando interdicitur alicujus interpretatio, & præcipitur intelligentia, prout verba jacent, per ſe loquendo illa ſolùm intelligatur prohibita, quæ eſt frivola, & contra mentem Legiſlatoris, aut quæ fiat ex profeſſo Typis mandanda. *Ita Pater Schmalzgrueber hîc nu. 46.* Sic etiam Pius Quartus in Bulla confirmationis Concilii Tridentini ſolùm prohibuit, ne quis ex profeſſo illud Concilium interpretetur, edendo feilicet in illud ſcholia, aut expoſitiones; non tamen prohibuit illud explicare in Cathedris, aut etiam incidenter pro occaſione, aliquas quorundam locorum explicationes edi in libris, aut certè eatenùs prohibitio non eſt in uſu, ut patet ex ſenſu, & praxi totius Chriſtianitatis. *Ita noſter Pater Herincx Epiſcopus Iprenſis diſputatione 3. de lege humana, quæſt. 14. num. 186.*

### §. II. *In Interpretatione Doctrinali Declarativa ſunt obſervandæ ſequentes Regulæ.*

332 I. INveſtiganda eſt mens, & intentio Legiſlatoris, quam babuit, dum legem conderet; hæc quippe eſt anima legis: ideòque ſi de hac conſtet, illi adhærendùm eſt, quidquid aliud verba ſonare videantur, nam ut dicitur *lib. 17. de LL. ſcire leges non eſt earum verba tenere, ſed vim, & poteſtatem. Et leg. non dubium, eodem: in legem committit, qui verba legis amplectens contra legis nititur voluntatem. Et eleganter Sanctus Hilarius lib. 4 de Trinitate. Intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi: quia non ſermoni res, ſed rei debet eſſe ſermo ſubjectus.* Ita poſt Suarez *lib. 6. cap. 1.* Sanchez, Layman, Salmanticenſes, Herincx *cit. nu. 187.* Reiffenſtuel *tit. de conſtitutione n. 386.* Paulus Mezger *citatus diſp. 36. art. 3. num. 3.*

333 II. Attendenda eſt ratio legis, quæ plerumque in Proœmio, & initio legis ponitur: quia exinde potiſſimùm finis, & intentio legiſlatoris elucet: præſertim ſi ratio legis comparetur cum aliis legibus, debet quippe præſumi mens Legiſlatoris ſibi, ſuiſque legibus conſona, ſi nulla ſit juſta, & ſufficiens oppoſitio, quàm in legibus, quantum fieri poteſt, vitare oportet.

334 III. Attendenda eſt verborum proprietas, ſive lex ſit favorabilis, ſive odioſa, prout docet Layman *lib. 1. tr. 4. c. 18.* Caſtro-Palaus *tr. 3. diſp. 5. part. 3. §. 3.* Herincx *cit.* Mezger *cit. num. 3.* quippè nulla foret legibus firmitas, ſed omnes forent illuſioni, & confuſioni obnoxiæ. Igitur per ſe loquendo talis præſumitur fuiſſe Legiſlatoris intentio, qualem verba in proprio ſenſu, & communi uſu accepta ſignificant. Quod ſi verba admittant duplicem ſenſum, *naturalem* (hoc eſt, qui communi hominum impoſitione, & acceptione convenit) ſimul & *civilem* (hoc eſt, qui convenit rebus per fictionem juris) diſtinguunt præcitati Doctores. Vel enim lex eſt odioſa, vel favorabilis; ſi odioſa, ſive dein præceptiva, ſive pœnalis reſtringi debent: adeòque verba in proprio, & naturali ſenſu accipienda ſunt: unde leges latæ de filiis, intelligendæ ſunt de filiis legitimis, non de legitimatis per favorem Principis. Si verò lex ſit favorabilis, etiam ſenſus civilis admittitur, juxta regulam juris; *favores ſunt ampliandi*: & ſic ſub nomine filii venit etiam adoptatus, legitimatus, nepos; ſub nomine nobilis venit, non ſolùm, qui talis eſt jure ſanguinis, ſed etiam beneficio Principis. Dictum eſt, *per ſe loquendo*: quia ut communiter notant Doctores, ſi ex proprio ſenſu legis aliqua ſequeretur iniquitas, aut damnum Innocentis, vel lex redderetur inutilis, & illuſoria, à proprio ſenſu etiam ad improprium foret declinandum: quia, ut dicitur *in capit. ſecundo requiris 42. de appellatione verb. intentioni deſerviunt, & non intentio verbis*. Non poteſt autem præſumi de Legiſlatore, quòd in lege condenda iniquitatem intenderit.

335 IV. Jus generaliter, & indiſtinctè loquens generaliter, & indiſtinctè intelligitur, niſi per aliud diſtinguatur, ſive, ut aliis terminis tradunt Doctores: *verba generalia generaliter ſunt intelligenda*. Hæc regula habetur clarè *in c. quia circa 22. de privilegio* addita hac ratione: *cùm nihil exceperis, & poterat excepiſſe*. Unde Summarium in *l. de pretio ff. de Publiciana in rem action.* ſic habet: *ubi lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus*; eſtque vulgatum Juriſtarum axioma. Dictum eſt: *niſi per aliud diſtinguatur*; nam ſecùs erit dicendum, quando una lex diſtinguitur, ſeu declaratur per aliam legem.

### §. III. *Interpretatio Doctrinalis extenſiva, ſi ſit comprehenſiva, locum habet in lege favorabili, præceptiva, non tamen pœnali.*

I. ULtra omnem verborum ſignificationem lex quan- 336
doque per interpretationem comprehenſivam extendenda eſt ad eos etiam caſus, & perſonas, quas ob adæquatæ rationis identitatem credibile eſt Legiſlatorem etiam comprehendere voluiſſe. Quæ eſt communis Doctorum ſententia, eamque tenet Layman cit. Suarez *lib. 6. cap. 3. num. 16.* Pirrhing, Konig, Mezger cit. & alii. Ratio deſumitur ex ultima regula juris in 6. quòd poſſit eſſe ſub mente legis id, quod non comprehenditur ſub verbis Legis: quod aliud eſſe non poteſt, quam id, in quo currit adæquata ratio Legiſlatoris motiva ad ferendam legem, cùm prudenter præſumi poſſit, voluiſſe legiſlatorem ſua lege comprehendere omnes caſus; in quibus ratio adequata reperitur, niſi de contrario aliunde conſtet, & niſi lex ſit pœnalis.

II. Diximus autem primò, ad talem extenſionem com- 337
prehenſivam faciendam neceſſarium eſſe, ut ratio, quæ Legiſlatorem movit ad id, quod in lege ſua expreſſit, ſtatuendum, *adæquata, ſive per omnia*, etiam locum habeat in aliis caſibus per verba non expreſſis; nam ſi aliqua ratio diſparitatis aſſignari poſſit, cur Legiſlator unum caſum, vel perſonarum genus ſua lege comprehendere voluerit, atque ideircò etiam verbis expreſſerit, non autem alios caſus, vel perſonas; tunc interpretatio merè extenſiva fieret non tantùm ultra proprietatem verborum, ſed etiam probabiliter ultra mentem Legiſlatoris per verba expreſſam, ac limitatam. Id autem numquam permiſſum eſt: eò quòd mens & voluntas Legiſlatoris ſit veluti anima legis, per verba tanquam ſenſibilem materiam indicata, à quibus proinde ſine neceſſitate recedendum non eſt, juxta *l. non aliter ff. de legatis*.

Diximus II. *Si credibile ſit Legiſlatorem alios quoque* 338
*caſus, & perſonas voluiſſe comprehendere*. Tali enim præſumptione non exiſtente, neque ob eandem, vel parem, neque ob majorem rationem extenſio legis à privato homine fieri poteſt. Ratio eſt: quia in dubio non eſt recedendum à proprietate verborum, quippè, quæ internæ Legiſlatoris voluntatis interpres eſt. Licèt autem eadem, par, vel major ratio Legiſlatorem meritò movere potuiſſet, ad idem de aliis quoque caſibus, aut perſonis ſtatuendum; potuit tamen etiam eum non moviſſe, ſed pro ſua libertate, non de omnibus, ſed de una, aut quibuſdam dumtaxat ſtatuere voluiſſe, & hanc fuiſſe ejus mentem in dubio præſumi debet, quàm ipſa verborum proprietas exprimit.

Diximus III. *Et niſi ſit lex pœnalis*. Nam in lege pœ- 339
nali non datur extenſio comprehenſiva ad caſus non expreſſos, neque quoad pœnam, neque quoad vinculum obligationis, tametſi videatur eſſe rationis identitas; nam leges odioſæ ſunt reſtringendæ. *Et l. 42. ff. de pœnis: interpretatione legum pœnæ ſunt molliendæ potiùs, quàm exaſperandæ*. Ratio quoque eſt: quia tota vis obligandi tam quoad culpam, quàm quoad pœnam, dependet à voluntate Legiſlatoris: ſi ergo ipſe noluit legem extendi ad alium caſum quoad pœnam; veriſimile eſt, etiam noluiſſe extendere quoad culpam, & obligationem; ſiquidem pœna infligitur propter culpam. Ideò quamvis in jure æquipatentur conſulentes, mandantes, facientes, ſi tamen excommunicatio lata ſit contra facientes, non extenditur ad conſulentes. Sic etiam irregularitas lata contra Rebaptizantes, non extenditur ad iterantes Sacramentum Ordinis, vel Confirmationis, quamvis nulla appareat diverſitas rationis. Ita Layman *citatus numer. 2. & novo*. Sanebez *libro 20. de matrimonio diſputat. 4. &c.*

III. Itaque interpretatio Doctrinalis comprehenſiva lo- 340
cum habet, ſi ſit adæquata rationis identitas, ſi ſit credibile, Legiſlatorem etiam alios caſus, vel perſonas comprehendere voluiſſe, & caſus, vel perſonas in lege expreſſa tantùm appoſuiſſe exempli cauſa, & ſi non ſit lex pœnalis, videlicet in ſequentibus. 1. *in correlativis*, ubi quod eſt diſpoſitum de uno, cenſetur etiam diſpoſitum de altero; ita ſi maritus eximatur ab obligatione reddendi debitum conjugale uxori adulteræ, etiam uxor deobligatur reſpectu mariti. 2. *In connexis*, ita ut unum ſubordinetur alteri; & in iſto contineatur tanquam pars in toto, aut imperfectum imperfecto: in his enim, *cui licet, quod eſt plus, etiam licet, quod eſt minus*, juxta Reg. 53. *Juris in 6.* Hinc cui lex concedit facere Teſtamentum, etiam concedit facere codicillum: cui prohibet codicillum, à fortiori prohibet teſtamentum &c. 3. *In his, quæ Jure æquiparantur quoad ea, in quibus æquiparantur*. Unde ſi excommunicatio lata ſit in ſurripien-

tem

tem centum florenos, eandem incurrit, qui ſurripit torquem ejuſdem pretii. Ita *Laym. tit. n.* 10. denique extenſio Legis locum habet in omnibus iis, in quibus, ſi non fieret ejuſmodi extenſio comprehenſiva, ſequeretur iniquitas, aut abſurdum: nam ad hæc cavenda, verba Legis etiam impropriè, & latè accipi poſſunt, & debent; tunc enim rationabiliter præſumitur, Legiſlatorem fuiſſe locutum impropriè. Ita Reiffenſtuel *tit. 2. de conſtitut. nu. 390. & ſeqq.*

341 IV. Interpretatio merè Extenſiva, per quam Lex ob paritatem, vel ſimilitudinem rationis extenditur ad perſonam, vel caſum, neque verbis, neque mente Legiſlatoris comprehenſum, nullam habet vim, & efficaciam extra judicium, & in foro conſcientiæ. Ratio eſt: quia Lex non obligat ad hoc, quod eſt extra intentionem Legiſlatoris: ſed quod neque verbis, neque mente Legiſlatoris continetur, eſt extra ejus intentionem: ergo ad id Lex non obligat. *Extra judicium*, dixi; quia in Judicio ad deciſionem cauſarum forenſium, etiam huic extenſioni eſt locus; cùm enim nequeant omnes caſus Legibus comprehendi, prudentia dictat, ut in caſu non expreſſo procedatur ad normam expreſſi per *l. 13. ff. de leg.* Ita Paulus Mezger *cit. nu.* 5.

§. IV. *Per Interpretationem legis reſtrictivam, ſeu EpiKiam poteſt lex deſinere obligare in caſu particulari &c.*

342 I. ITa communiſſima cum D. Thoma 1. 2. *q. 96. art. 6. & 2. 2. qu. 120. art.* 1. Scoto 1. *d.* 44. Navarro, Soto, Vaſquez, Suarez *l. 6. de LL. cap.* 6. Maſtrio, Heriucx, Mezger & aliis. Ratio eſt: quia Leges feruntur univerſaliter cum reflexione, quid in pluribus, non quid in ſingulis caſibus particularibus contingere poſſit, & ſoleat; ideòque nonnunquam opus eſt exceptione alicujus caſus, & perſonæ particularis; cùm æquitas naturalis dictet, Legis univerſalitatem, & Legiſlatoris intentionem ad ejuſmodi caſum ſe non extendere: qua ratione perſonæ debiles, & magno labore fatigatæ excuſantur à Lege jejunii. Neque ſic præjudicium infertur poteſtati Legiſlativæ, cùm præſumatur Legiſlator in ſimili caſu, eadem fuiſſe dicturus, ut colligitur, ex *L. nulla Juris, ff. de Legibus*, ubi habetur: *Nulla Juris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, ut, quæ ſalubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipſorum commodum producamus ad ſeveritatem.*

343 II. Porrò EpiKia non habet locum præcisè ex eo, quòd in caſu particulari ratio Legis videatur ceſſare negativè, ut dictum *hac ſect. q. 1. nu.* 314. Verùm habet imprimis locum, quando caſus Particularis foret pernitioſus bono communi, ſive quando ratio Legis deficit contrariè, ut dictum ſuprà *q. cit. nu.* 318. Secundò, quando caſus ſupervenit, quo Legis obſervantia foret nimiùm difficilis: regulariter enim, & ſine cauſa graviſſima, ſub Legem humanam non cadunt valde difficilia. Unde ratione gravis damni in honore, vita, vel rebus fortunæ regulariter ceſſat obligatio Legis Eccleſiaſticæ. Idque non tantùm, quando ſequeretur ejuſmodi damnum in rebus acquiſitis, ſed etiam in acquirendis, v. g. amiſſio notabilis lucri: nam lucrum ceſſans moraliter loquendò æquiparatur damno. Tertiò poteſt eſſe locus Epikiæ juxta *Suarez* infrà, quando Lex quidem non eſſet adeò rigida, ut Superior abſolutè non poſſet obligare in tali caſu, adſunt tamen rationes, & circumſtantiæ, ex quibus colligitur non fuiſſe mentem Legiſlatoris, talem caſum comprehendere. Ratio eſt: quia voluntas tacita idem valet, quod expreſſa; ex circumſtantiis autem colligi poteſt, eſſe tacitam Superioris voluntatem non obligandi in omni eventu, & rigore, quo poſſet, ſed ſæpè minùs, ſpectata materia Legis; ut patet in variis Legibus, v. g. jejuniorum, feſtorum &c. quæ ut docet praxis, multas excuſationes patiuntur, in quibus colligitur ex circumſtantiis, Legiſlatorem obligare noluiſſe, quamvis potuiſſet abſolutè loquendo: ergo in ſimilibus caſibus locum habere poteſt Epikia. Quæ proindè non æquè facilè in quibuſvis Legibus adhiberi poteſt, ſed in aliquibus faciliùs, in aliis tariùs. Vide *Suarez l. 6. c. 7. n.* 11. Generalis autem Regula eſt: quotieſcunque moraliter poteſt conſtare, quòd Legiſlator noluerit aliquem caſum comprehendere, etſi verba Legis ſint generalia, licitum eſt contra illa operari. *Ita Herinex cit. q. 15. n.* 197.

344 III. Imò, quando tantùm probabiliter judicatur Superiorem non potuiſſe, aut non voluiſſe, caſum ſub Lege comprehendere, licitus eſt uſus Epikiæ ex communi principio, quòd, quando agitur de ſola honeſtate actionis, licitum ſit in operando ſequi ſententiam probabilem. Nihilominùs ſi Superior poſſit conveniri, & caſus moram patiatur omnino ſuadendum eſt, imò neceſſarium juxta *Suarez l. 6. c. 8. n.* 9. (qui dicit eſſe communem ſententiam) conſulere Superiorem: tunc enim ceſſat ratio Epikiæ ſeu æquitatis; imò potiùs contra æquitatem eſſe videtur, tunc uti opinione probabili, & ob incertas conjecturas deſerere verba Legis, quando nobis explorata poteſt eſſe Superioris voluntas; cui proindè diſpliceret oppoſitus procedendi modus. Idem à fortiori dicendum eſt, quando eſt, & manet propriè dictum dubium, an caſus ſit ea mente Legiſlatoris comprehenſus Lege; tunc enim nullum apparet principium rectè procedendi in tali dubio contra verba Legis. Quòd ſi verò commodus non pateret acceſſus ſeu recurſus ad Superiorem, adhuc in dubio non poſſe procedi contra tenorem verborum Legis, cenſent Doctores paſſim, eo quòd Lex ſit certa etiam in ordine ad hunc caſum particularem, adeòque ſit in poſſeſſione; exemptio autem, uti & ipſa Legiſlatoris mens, tantùm ſit dubia; quorum neutrum tollitur per impotentiam recurrendi ad Superiorem. Verùm etſi hoc ſit tutius, in rigore tamen videtur tali caſu, non Lex, ſed libertas eſſe in poſſeſſione: cùm ſit dubium, an circa talem caſum particularem Lex unquam fuerit, ſive an obligatio aliquando intraverit; & conſequenter Lex non eſt certa quoad ipſum caſum particularem. *Ita Herinex cit. qu. 15. num.* 198.

IV. *EpiKia non habet locum in omni Lege.* Nam I. num 345 detur Epikia in Lege naturali, dictum eſt *ſect. 2. prec. qu. 1. nu.* 65. II. Num admittenda ſit Epikia in Lege Divina, etiam diximus *ſect. 2. prec. quæſt. 4. numer.* 124. III. Igitur ex modò dictis conſtat, Epikiam locum habere in Lege humana, excepta tamen Lege irritante, & formam ſubſtantialem actui præſcribente, in hoc enim juxta receptum Doctorum ſententiam EpiKia contra verba, & formam Legis non admittitur; eo quòd rigor iſtarum Legum irritantium, & forma ſubſtantialis actibus, vel contractibus præſcripta concernunt bonum publicum, cui cedere debet privatum, niſi tamen aliter mens Legiſlatoris colligi poſſit. Ideò non obſtante quacunque neceſſitate, matrimonium ſine Parocho, & teſtibus contractum eſt irritum, & invalidum. Ita Suarez *l. 5. de Leg. c.* 23. Coninch. *tom. 2. diſp. 30. dub.* 2. Layman *de Legibus, cap.* 19. Sanchez *de Matrim. l. 3. diſp.* 17. Engel *tit. 2. de Conſtitut. nu.* 78. Herinex *cit. n.* 199. Paulus Mezger *cit. n. 9. & Alii.*

## QUÆSTIO III.

*De Ceſſatione Legis per Diſpenſationem,*

### SUMMARIUM.

347 *Diſpenſatio quid ſit?* 348. *An detur Poteſtas diſpenſandi?* 349. *& ſeq. & apud quos ſit?*
352 *An Prælati inferiores poſſint diſpenſare in Lege Superioris?*
353 *In quibus caſibus poſſint Epiſcopi diſpenſare?*
354 *Qualiter Prælati Regulares valeant diſpenſare cum ſuis ſubditis?*
355 *Diſpenſatio ut valida ſit, debet exerceri erga ſubditum.*
356 & 357 *An Ordinarius loci poſſit diſpenſare cum Vagis?*
358 Uſque ad num. 361. *An cum peregrinis?*
361 *An ſuperior poſſit diſpenſare ſecum ipſo?*
362 *An inferior diſpenſans in Lege Superioris poſſit onus Legis in aliud commutare?*
363 Uſque ad num. 366. *Ut diſpenſatio ſit licita, requiritur cauſa juſta.*
366 *Juſta cauſa etiam requiritur ad valorem diſpenſationis, ſi fiat à Delegato.*
367 *Secùs, ſi fiat ab ipſo Superiore.*
368 Uſque ad num. 372. *An ceſſante cauſa ceſſet Diſpenſatio?*
372 *Quid ſit Diſpenſatio ſubreptitia, & obreptitia?*
373 *Diſpenſatio eſt invalida, quando tacetur qualitas, quam Jura exprimi volunt.*
374 *Vel tacetur veritas, vel exprimitur falſitas intrinſeca,*
375 *Vel committitur error circa moralem rei ſubſtantiam*
376 *Vel quando cauſa finalis non ſubſiſtit.*
377 *Valet* Diſpenſatio, *ſi erretur tantùm in nomine Perſonæ, & in pluribus aliis caſibus ibi recenſitis.*
378 *Inſtructio Practica Confeſſariorum impetrandi Diſpenſationes pro foro interno.*
379 & 380 *Modus impetrandi Diſpenſationes.*
381 *Quid faciendum Confeſſario, quando accedit ipſum Pœnitens indigens Diſpenſatione?*
382 *Quænam ſint exprimenda in petitione Diſpenſationis ſuper impedimentis matrimonii?*
383 *Quænam taciturnitas veri, vel expreſſio falſi reddat diſpenſationem invalidam in impedimentis matrimonii?*
384 *In quibus impedimentis matrimonii poſſint diſpenſare Epiſcopi?*
385 *Formula petendi Diſpenſationem apud Epiſcopum.*



Digitized by Google

386 *In quibus poſſit diſpenſare Sacra Pœnitentiaria.*
387 *Formula petendi diſpenſationem à S. Pœnitentiaria.*
388 *Formula petendi diſpenſationem apud ipſum Summum Pontificem.*
389 *An etiam Regulares Mendicantes diſpenſare poſſint in impedimentis matrimonii?*
390 *Regulares Mendicantes poſſunt diſpenſare in impedimento affinitatis poſt matrimonium contractum, ſi impedimentum ſit occultum.*
391 *Hoc Privilegio non eſt utendum, niſi in gravi neceſſitate, & cum certis cautelis.*
392 *Regulares Mendicantes nequeunt in aliis impedimentis diſpenſare.*
393 *Modus exequendi diſpenſationes.*
394 *Formula litterarum diſpenſationis ſuper impedimento affinitatis, item ſuper voto caſtitatis.*
395 *Declaratio clauſularum in litteris S. Pœnitentiariæ contentarum.*
396 *An Regulares Mendicantes poſſint exequi litteras S. Pœnitentiariæ, ſi non ſint Magiſtri, vel Doctores Theologiæ, vel Juris Canonici?*
397 *Quid dicendum de Licentiatis in Theologia?*
398 *An quilibet Confeſſarius poſſit exequi litteras Sacræ Pœnitentiariæ?*
399 *Seqq. ſequitur declaratio reliquarum clauſularum.*
414 & 415 *Declaratio clauſularum in altera formula diſpenſationis in voto caſtitatis contentarum.*
416 *Formula diſpenſandi à confeſſario adhibenda, dum actu diſpenſat.*

## ASSERTIO III.

346 *Diſpenſatio eſt relaxatio legis pro aliquo caſu, vel perſona, vel pluribus, facta ab habente legitimam poteſtatem, manente vigore legis ex parte materiæ. Ad ejus valorem requiritur. I. Ut fiat ab habente legitimam diſpenſandi poteſtatem. II. Ut fiat circa ſubditum. III. Ut adſit juſta cauſa. IV. Ut non ſit obreptitia, vel ſubreptitia. Eſt communiſſima Doctorum.*

### §. I. *Ad valorem diſpenſationis requiritur, ut fiat ab habente legitimam diſpenſandi poteſtatem.*

347 Diſpenſatio eſt relaxatio legis pro aliquo, vel pluribus, facta ab habente legitimam poteſtatem, manente vigore legis ex parte materiæ; eſt in re communiſſima. Dicitur I. *relaxatio legis*; quia formalis effectus ipſius eſt, eximere ſubditum ab obligatione legis. Dicitur II. *pro aliquo, vel pluribus*; quia ſi ſit pro omni caſu, & perſona, non erit diſpenſatio, ſed abrogatio legis. III. *ab habente legitimam poteſtatem*; quia eſt actus juriſdictionis, ex quo diſtinguitur ab interpretatione, & Epikia. IV. *Manente vigore legis ex parte materiæ*; hoc quippe ſublato, & mutata materia, legis obligatio non ampliùs ad illum caſum extenditur, vel per Epikiam ad illum ſe non extendere declaratur.

348 Dari poteſtatem juſtè, & licitè diſpenſandi in lege humana, ſupponunt omnes cum *D. Thom. quæſt. 97. art. 4.* & demonſtrat praxis quotidiana. Inſuper ſuadet ratio: Nam datur poteſtas legem totam abrogandi quoad omnes: ergo etiam eandem remittendi quoad aliquos. Siquidem variæ dari poſſunt rationabiles cauſæ, unum alterumve à generali legis vinculo eximendi: ut, aliqua legem ſervandi difficultas, non tamen adeò magna, & evidens, ut quis per ipſum Epikia uti poſſit; vel dignitas perſonæ ejuſve erga Rempublicam merita, & obſequia, quorum intuitu æquum eſt eandem à communibus oneribus eximi, ut habetur *in cap. multa de præbendis*. His notatis

349 I. Poteſtas ordinaria diſpenſandi eſt penes omnes Superiores, qui habent juriſdictionem ordinariam in foro externo: ut ſunt Papa, Epiſcopi confirmati, Principes ſæculares, Prælati regularium, eorumque Vicarii in abſentia item Vicarius Generalis Epiſcopi &c. ſecùs eſt regulariter de Archi-Presbyteris, ſeu Vicariis foraneis. Diſpenſatio enim eſt actus fori externi. Deinde illius eſt ſolvere, cujus eſt ligare. Ita P. Herincx *de legib. diſp. 4. quæſt. 2. num. 19.* Unde Parochis, & Confeſſariis non competit jure ordinario poteſtas diſpenſandi; cùm careant juriſdictione in foro externo. Quamquam ex ſpeciali privilegio competat Confeſſariis Mendicantium ampla in votis diſpenſandi ſæcularibus, aut illa commutandi delegata poteſtas, ſimiliter Parochi ſolent ex conſuetudine diſpenſare in caſibus particularibus frequentiùs occurrentibus circa præcepta jejunii, & feſtorum quoad vacationem ab operibus ſervilibus: quæ conſuetudo ſervari poterit quoad leges, circa quas eſt introducta, non autem extendi ad alias, quia eſt juri contraria, ut ait *Suarez lib. 6. de legib. cap. 14. in fine.*

Porrò facultas diſpenſandi poteſt delegari ab iis, quibus jure ordinario illa competit; ut patet ex praxi *Eccleſiæ*. Fit verò hæc delegatio per ſignum aliquod externum declarativum voluntatis Superioris, quòd, licèt ordinariè ſit Reſcriptum, in foro tamen conſcientiæ ſufficit quodcunque aliud. Non poſſunt autem delegare, niſi qui habent poteſtatem ordinariam, aut quaſi ordinariam, ſeu quodammodo æquivalentem; ut ſunt imprimis delegati ad univerſitatem cauſarum; deinde quibus datur ſpecialis commiſſio ſeu facultas ad ſubdelegandum, juxta Doctrinam communiter in praxi receptam. *Herincx cit. num. 20.* 350

II. Poteſt quiſque jure ordinario diſpenſare in lege à ſe lata; idemque poteſt Succeſſor, aut in juriſdictione Superior; quemadmodùm hi poſſunt jure ordinario abrogare totam legem. Ratio eſt: quia illius eſt ſolvere, cujus eſt ligare, adeòque etiam in juriſdictione Succeſſoris, aut Superioris. Dictum eſt: *in juriſdictione Superior*: quia Archi-Epiſcopi, & Primates non poſſunt diſpenſare cum ſubditis ſuorum ſuffraganeorum, ſeu Epiſcoporum Comprovincialium in eorundem, aut quibuſcunque legibus, quia non ſunt Epiſcoporum Superiores in juriſdictione, ſed tantùm per viam appellationis, & in quadam dignitate, cui pauci actus juriſdictionis jure expreſſi annectuntur. Ex quo ſequitur, Papam poſſe diſpenſare in toto Jure Canonico, quatenùs concernit mores; & quatenùs eſt Eccleſiaſticæ poteſtatis, etſi lex ordinata foret à Conciliis Generalibus, aut ab Apoſtolis. Eſt enim Concilus Superior, Petro, cui ſuccedit, poteſtate æqualis, cæteris ſimiliter Apoſtolis Superior, etſi in gratiis, gratis datis, & munere Apoſtolatus ſit eiſdem inferior. Idem eſt de Epiſcopo reſpectu conſtitutionum Synodi Diœceſanæ, *Herincx cit. num. 21.* 351

III. Prælati inferiores non poſſunt ordinariè in lege Superioris diſpueſare, etſi diſpenſatio non reſervetur expreſsè per Superiorem. Eſt communior, & probabilior Doctorum contra S. Antoninum, Covarruvias, & plures alios, quos refert Barboſa *2. part. de Poteſt. Epiſcop. allegat. 33. num. 17.* Quorum ſententiam probabilem varii noſtræ ſententiæ Patroni reputant. Colligitur ex *Clement. ne Romani, de elect.* & ratio eſt: quia diſpenſatio eſt actus juriſdictionis, inferior autem non habet juriſdictionem in legem Superioris, niſi quatenùs ei poſitivè conceditur. Deinde non poteſt inferior tollere voluntatem Superioris, niſi de ipſius conſenſu. Tollitur autem voluntas Superioris partialiter per diſpenſationem, ſicut totaliter per abrogationem, quam idcircò inferiori certum eſt non competere citra ſpecialem commiſſionem. Nec obſtat *cap. nuper, de ſent. excomm.* ubi dicitur, eo ipſo, quòd excommunicatio non reſervatur, concedi illius abſolutionem inferiori: ergo idem eſt de diſpenſatione: Negatur enim conſequentia, diſparitas eſt: quia Superior expreſsè concedit poteſtatem abſolvendi ab excommunicatione, quæ ſpecialiter non reſervatur: nullibi autem expreſsè concedit inferioribus generalem poteſtatem diſpenſandi in quibuſcunque legibus, quando diſpenſationem ipſe ſpecialiter ſibi non reſervat; in jure autem poſitivo non licet argumentari à paritate rationis. Deinde abſolutio ab excommunicatione eſt ſecundùm jus, quando præcipit diſpoſitum abſolvi, & ordinatur ad bonum animæ, ideòque conveniebat faciliùs concedi, quàm diſpenſationem in lege. 352

Ex quo infertur, Epiſcopos non poſſe communiter diſpenſare in legibus Pontificum, & Conciliorum Generalium. Poſſunt tamen in certis caſibus. I. Quando jus concedit, etſi tantùm imperſonaliter ſeu indefinitè, ut poſſit diſpenſari; nam ordinariè intelligitur, quòd poſſit hoc fieri ab Epiſcopis: tum quia favor eſt ampliandus: tum quia ſuperfluè hoc adderetur in ordine ad Papam. II. Quando materia videtur parva, aut leviter obligans; non enim eſt præſumendum, Papam velle obligare, ut pro re levi ad Sedem Apoſtolicam accedatur; quod ſanè nimis etiam oneroſum foret. *Ita paſſim Doctores*. III. Quando frequens occurrit neceſſitas, poſſunt Epiſcopi diſpenſare, ſaltem ex conſuetudine; & quia moraliter id requiritur ad bonam gubernationem, ne gravia ſequantur incommoda, ſi caſibus ſæpè occurrentibus nequeat obviari, niſi per Sedem Apoſtolicam: ut in jejuniis, feſtis, horis legendis &c. Quare cenſetur Papa illam poteſtatem conceſſiſſe. IV. Poteſt Epiſcopus diſpenſare, quando gravis occurrit neceſſitas, & eſt periculum in mora, & ad Papam difficulter recurri poteſt; hæc enim videtur rationabilis interpretatio mentis Pontificiæ, quam Pontifice ſciente Doctores, hoc præſertim tempore communiter adhibent, ut Sanchez *lib. 2. de Matrimon. diſp. 40. num. 3. & lib. 8. diſp. 9. num. 22.* Azorius, Præpoſitus *quæſt. 97. dub. 3. num. 22.* Navarrus *cap. 22. num. 85.* Coninch. *tom. 2. diſp. 33. dub. 3.* Layman *de Legibus cap 22.* & apud ipſum Suarez, Leſſius, 353

Syl-

Digitized by Google

Sylveſter, item Herinc. *de Leg. diſp.* 4. *q.* 2. *n.* 25. Reiffenſtuel *tit.* 2. *de Conſtit. n.* 470. & apud ipſum Barboſa, Pirrhing, Caſtro-Palaus, Diana, & Alii plures. Nec tenentur Epiſcopi ſuis ſumptibus procurare diſpenſationem Pontificiam; id enim eſſet nimis grave, nec conſonat praxi. Unde ſtante gravi neceſſitate, & periculo in mora, ſi recurreretur ad Papam; poſſunt Epiſcopi tam ante, quam poſt contractum matrimonium diſpenſare pro foro conſcientiæ in impedimentis occultis matrimonii. Excipit *Præpoſitus ſuprà*, quando adiri poteſt alius habens facultatem delegatam; prout habent interdum Nuntii: tunc enim ceſſat neceſſitas reſpectu Epiſcopi. V. Poſſunt diſpenſare Epiſcopi in caſibus dubiis, de quibus dubitatur, an indigeant diſpenſatione, ex *c. cùm deſideres*, *de excomm.* Verùm ſi probabiliter judicetur, caſum non indigere diſpenſatione, non eſt neceſſariò adhibenda; etſi conſultum ſit ad majorem cautelam. Si verò ſit propriè dictum dubium, cenſet *Bonacina* habere praxim, ut obtineatur diſpenſatio Pontificia, ne quis exponatur periculo tranſgreſſionis Legis. Attamen mihi (inquit *Herincx cit. num.* 26.) probabile videtur tali caſu, utpotè quo de Lege non conſtat, poſſe judicari pro libertate, adeòque diſpenſationem non requiri. Et admiſſo, quòd requiratur, cenſet probabiliter varii Auctores (inter quos eſt Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 10. *numer.* 74. *& c.* 40. *n.* 26. Layman *cit. n.* 4. Barboſa *parte* 2. *de offic. & poteſt. Epiſc. Allegat.* 35. Diana, Sà, Reiffenſtuel *cit. nu.* 474. & Alii) ſufficere Epiſcopalem; cùm Pontifici videantur reſervari ſolùm caſus certi, & poteſtas diſpenſandi ſit latè interpretanda. VI. Poſſunt diſpenſare Epiſcopi, quando poteſtatem diſpenſandi in Lege Pontificia habent ex Privilegio non revocato (tunc enim patet de voluntate concedentis) vel ex conſuetudine legitimè præſcripta; hæc namque Juriſdictionem confert juxta *c. cùm contingat*, *de foro compet.*

354 IV. Prælati Regularium exemptorum poſſunt cum ſuis ſubditis diſpenſare in Legibus Pontificis in iiſdem, in quibus poſſunt Epiſcopi cùm ſuis: quandoqoidem in illis, quæ ſunt merè Juriſdictionis, gaudeant poteſtate Epiſcopali reſpectu ſuorum ſubditorum. Ita Herincx *cit. numer.* 20. eſtque conſtans Theologorum Doctrina teſte noſtro P. Gaudentio Kerckhove *in ſtatut. Gener. cap.* 8. *§.* 11. *num.* 3. Noſter tamen Miniſter Generalis non poteſt aliter diſpenſare in ſtatutis Capituli Generalis, quàm quatenùs illi à Capitulo eſt conceſſum ſive expreſsè, ſive tacitè, & ex uſu (Idem dicendum de Epiſcopis, imò Archi-Epiſcopis, & Primatibus reſpectu ſtatutorum Concilii Provincialis) ratio eſt: quia Generales Religionum ſunt ipſo Capitulo Generali inferiores, ut generatim tradit Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 8. *& num.* 18. & ſpecialiter de Religione noſtra id tenet *Corduba*, & Alii expoſitores Regulæ noſtræ. Ita *P. KercKhove cit. num.* 4. Miniſtri verò Provinciales in noſtris ſtatutis Generalibus diſpenſare omninò non poſſunt, niſi in caſibus, qui expreſsè Miniſtris Provincialibus ſunt commiſſi: quia, ut ſæpè dictum, nullus inferior in Lege ſui Superioris diſpenſare poteſt, niſi in quantum id ei à Superiore conceditur. Sic etiam Miniſtri Provinciales in ſtatutis Provincialibus per ſe loquendo diſpenſare non poſſunt, niſi in quantum id eis expreſsè, tacitè, vel ex uſu à Capitulo Provinciali permittitur, ob rationem ſupradictam, quòd nemo in Lege ſui Superioris diſpenſare poſſit, niſi in quantum id ei à Superiore permittitur; atqui Provinciales ſunt ipſo Capitulo Provinciali inferiores: ergo &c. In caſibus tamen levibus, & quibuſdam minoribus obſervantiis, ac frequenter occurrentibus poſſunt Provinciales diſpenſare, etiam in ſtatutis Generalibus, prout juxta ſupra dicta Epiſcopi diſpenſare poſſunt quandoque in Legibus Pontificiis; eo quòd præſumatur, Generales Superiores non velle adſtringere ſubditos, ut pro ſimilibus ad eos recurratur; id enim Superioribus Generalibus, ſicut etiam ſummo Pontifici nimis oneroſum foret, & bonæ gubernationi repugnaret. Ita Herincx *cit. num.* 28. Kerckhove *cit. n.* 8. & alii paſſim.

Qualiter autem Superiores noſtri Ordinis Seraphici diſpenſare poſſint in præceptis Regulæ noſtræ Seraphicæ, videatur & ſedulò legatur ſuprà citatus noſter *P. KercKhove in ſtatut. Gener. c.* 1. *§.* 15.

### §. II. *Ad valorem diſpenſationis requiritur, ut fiat circa Subditum.*

355 Ratio eſt: Quia diſpenſare, ſeu eximere ab obligatione Legis non minùs eſt actus Juriſdictionis, quàm condere Legem, ſeu per inductam Legem imponere obligationem, atqui nonniſi ſubdito poteſt imponi Legis obligatio: ergo etiam nonniſi à ſubdito poteſt tolli, ſeu relaxari Legis obligatio; adeòque ut diſpenſatio Legis ſit valida, debet fieri, & exerceri circa ſubditum. Hinc

I. Poteſt Summus Pontifex diſpenſare cum omnibus fi- 356 delibus totius mundi, cùm omnes ſint ipſius ſubditi: Epiſcopi verò, *quoad caſus ſupradictos*, diſpenſare poſſunt cum ſuis Diœceſanis; Prælati Regulares exempti cum ſuis Religioſis; Parochi cum ſuis Parochianis. Imò poteſt diſpenſatio concedi ſubdito, etiam extra territorium concedentis exiſtenti; ſola enim contentioſa Juriſdictio reſtringitur intra territorium. Idem habet praxis, & ſenſus communis, teſte Herincx *de Leg. diſp.* 4. *q.* 2. *nu.* 29. Confirmatur: quia poteſt ſubditus diſpenſationem extra territorium executioni mandare: ergo, & ipſa poteſt extrà territorium concedi. Attendendum tamen eſt, ut ſi diſpenſatio certam rem afficiat, concedatur ab illo Superiore, in cujus territorio res eſt ſita, ratione cujus alter extra territorium exiſtens cenſetur ſubditus illius: Sic diſpenſationem in Reſidentia Salisburgenſi debet obtinere Beneficiarius alibi habitans ab Ordinario Salisburgenſi.

Sed difficultas eſt, an Ordinarius loci poſſit cum forenſibus, ſeu peregrinis, & vagis in ſuo Territorio exiſtentibus, ſicut cum ſubditis, diſpenſare in Legibus, votis, & juramentis.

Quantùm ad Vagos, qui nimirùm nullibi habent domi- 357 cilium, attinet, poteſt Superior loci, in quo morantur cum eis diſpenſare in Legibus communibus, votis, & juramentis. Ita Paulus Mezger *diſp.* 36. *art.* 4. *num.* 13. P. Claudus la Croix *lib.* 1. *num.* 799. & apud ipſum Sanchez, Leſſius, Caſtro-Palaus *tom.* 3. *d.* 6. *p.* 7. *§.* 2. Ratio eſt: tum, quia juxta probabilem multorum ſententiam, Vagi per præſentaneam habitationem, forum [illegible]antùm conſcientiæ, ſed etiam externum ſortiuntur [illegible]o, ubi exiſtunt, ideòque fiunt ſubditi ibidem: ergo cum iiſdem Superior loci illius diſpenſare poterit: Tum quia diſpenſatio eſt actus Juriſdictionis voluntariæ: ergo licèt ſuprà dixerimus, Vagos non teneri Legibus particularibus loci, quem tranſeunt; quia ad hoc requireretur, ut ſubjicerentur Juriſdictioni contentioſæ illius, qui territorio præeſt: poſſunt nihilominùs ſeſe ſubmittere ejus Juriſdictioni voluntariæ, ſicque ab eo diſpenſationem impetrare in quibus aliàs etiam cum ſuis ſubditis diſpenſare valet.

Quantùm verò ad Peregrinos, aſſerit *Baſilius Pontius* 358 apud *Herincx cit. num.* 30. Ordinarium loci poſſe cum iis in Legibus, votis, & juramentis diſpenſare, dum cauſa urget: eo quòd mora etiam tranſitoria, ſicut facit ſubjectos eſſe forenſes Legibus territorii, ſic etiam facere debeat ſufficienter ſubjectos ad obtinendam diſpenſationem ab Ordinario territorii.

Econtrà *Sylveſter*, *Angelus*, *Barboſa*, & Alii neceſſarium ad hoc putant domicilium, & favent declarationes Cardinalium (quorum relatione audita, probaſſe idipſum fertur *Gregorius XIII.*) cenſentium forenſes quidem poſſe à peccatis, & cenſuris abſolvi, non poſſe tamen cum eis diſpenſari ab Ordinario loci, etiam in quo habitant, ſcilicet citra fixionem domicilii perpetui, ut referunt *Garzias*, & *Farinacius* apud Herincx cit. eò uſque enim non fiunt verè ſubditi.

Denique *Sanchez*, *Rodriquez*, *Herinquez*, *Leſſius*, & Alii cenſent, non requiri quidem ſtrictum domicilium, ſufficere tamen, & ſaltem requiri quaſi domicilium, contractum per diuturnam habitationem ver. gr. per majorem anni partem; eo quòd per hoc ſortiatur quis forum externum, ſic ut ibi de alibi geſtis poſſit conveniri, ut ex diverſis Juribus colligitur: adeòque etiam in rebus Spiritualibus, in ordine ad diſpenſationem, ſortietur forum, cùm utrobique par requiratur Juriſdictio. His opinionibus in ſua probabilitate relictis:

II. Dicendum exiſtimo cum *Herincx cit. n.* 31. poſſe Su- 359 periorem loci diſpenſare cum Peregrinis in Legibus tam communi, quàm municipali, ob eandem rationem, quæ ſuprà adducta eſt quoad Vagos, *nu.* 357. At in votis, juramentis, & aliis ſpecialibus impedimentis, cum Peregrinis Superior loci, in quo morantur, diſpenſare probabiliùs nequit, ut notat *Palao tract.* 3. *diſp.* 6. *punct.* 7. *§.* 2. *num.* 4. Ratio eſt: quia obſtant declarationes Cardinalium, quas refert Garzia *de Benefic. p.* 11. *cap.* 10. *numer.* 139. requirentes in ordine ad diſpenſationem, ſubjectionem titulo domicilii in diſpenſando, qualem ſubjectionem non habent Peregrini in ordine ad Superiorem loci, quem tranſeunt. Ita etiam docet Paulus Mezger citat. *numer.* 13. Addens: & licèt Peregrini, ac forenſes majori parte anni ibidem commorari decreverint, tamen Ordinarium non poſſe cum forenſibus diſpenſare in votis, v. gr. & juramentis, exinde videtur evinci, quia nec illos poteſt ordinare abſque licentia proprii ſui Ordinarii *c. cùm*



Digitized by Google

*nullus, de temp. Ordin. in 6.* Ita *Reding. qu. 17. a. 2. controv. n.6.* idem tenet *la Croix l.1. n. 799.*

360 Confeſſarii nihilominùs Mendicantium ex delegata per Privilegia Pontificia facultate, poſſunt indubiè diſpenſare in votis aliiſque vinculis, ad quæ eorum poteſtas ſe extenderit, etiam cum forenſibus, Peregrinis, & Vagis undecumque ad eos confluentibus, uti ex Bullis Pontificum eſt manifeſtum.

361 III Habens ordinariam poteſtatem diſpenſandi, uti cum aliis, ita ſecum diſpenſare poteſt, non tantùm *indirectè, vel per ſe ipſum*, quando v. g. in Lege jejunii aut feſti concedit diſpenſationem pro tota civitate, tunc neceſſariò eandem etiam concedit pro ſeipſo, cùm ſit præcipua communitatis pars: *vel per alium*, cui ſuas vices vult committere, uti eſt certum: ſed etiam *directè, & immediatè*: cùm enim poſſit ſeipſum Legibus obligare, non eſt ratio, cur non poſſet ſolvere, ſi adſit tamen juſta cauſa. Ita *Sanchez, Suarez*, & alii apud *Layman de Leg. cap. 22. num. 31. Herincx citat. num. 33. La Croix cit. num* 799. Nec refert, quòd diſpenſatio ſit actus Juriſdictionis; quia poteſt quis Juriſdictionem voluntariam in ſeipſum exercere. Aliud eſt de Juriſdictione contentioſa, qua quis ſeipſum cogat, aut ſententiam dicat inter partes, quarum una ipſe ſit, de qua debent intelligi Jura in contrarium allegari ſolita: Sic etiam ex inſtitutione Divina abſolutio Sacramentalis requirit diſtinctionem Perſonarum, aliàs forma Sacramentalis falſificaretur. Sic abſolutio à cenſuris requirit diſtinctionem Perſonarum, quia eſt quædam Sententia, & actus Juriſdictionis contentioſæ, quam nemo in ſeipſum exercere poteſt. Sic etiam Jus ſpecialiter diſponit de Patrono, quod non poſſit præſentare ſe ipſum *c. per noſtras, de Jure Patronatus*, & de collatione Beneficii, *c. fin. de Inſtitut.* Unde quod ibi dicitur; *cum inter dantem, & recipientem debeat eſſe diſtinctio perſonalis*; intellige de dante, vel accipiente beneficium; ut nimirùm ambitio, proprius quæſtus, & ſimilia mala caveantur; alioquin generaliter loquendo conſtat eſſe falſum: nam Filiusfamilias, ſi ſit Præſes, vel Conſul, poteſt ſeipſum emancipare *L. ſi Conſul. ff. de Adopt.* & procurator Principis poteſt ſibi ipſi dare ſolutionem, uti aliis creditoribus.

362 Hinc ſequitur, Papam poſſe ſibi ipſi concedere Indulgentias, vel ſoli, vel ſimul cum communitate fidelium; ſimili modo poteſt ſecum diſpenſare in Legibus, & votis, idem dicendum de aliis Prælatis tum ſæcularibus, tum Eccleſiaſticis, ut Epiſcopis, Generalibus, Provincialibus, & Superioribus localibus. Imò, & de eo, cui poteſtas diſpenſandi generaliter, & ſine limitatione eſt delegata; nulla enim poteſt obſtare ratio, quàm identitas perſonæ (quam tamen non obſtare oſtenſum eſt) aliàs namque non debet ipſe eſſe deterioris conditionis, quàm cæteri. Aliud eſt, quando poteſtas delegatur cum limitatione ad certas perſonas, aut certum perſonarum genus, vel aliunde ex tenore conceſſionis oppoſitum colligitur. Vide *Sanchez l. 8. diſp. 3. à n. 6. uſque ad* 11.

IV. An Inferior diſpenſans in Lege Superioris, vel habens poteſtatem tantùm delegatam diſpenſandi, poſſit onus Legis in aliud commutare *Sanchez*, & alii negant; eò quòd per commutationem imponatur alteri novum onus; ſeu obligatio, quod talis diſpenſans imponere non poteſt; cùm non ſit Legislator, nec talis poteſtas includatur in poteſtate relaxandi, ſeu tollendi onus Legis. Quæ Sententia etſi fortaſſe in rigore Juris ſit vera, nihilominùs conſtat ex uſu, Prælatos inferiores, diſpenſando in Legibus univerſalibus ſæpè uti commutatione. Unde ſaltem ex conſuetudine præſcripta, & tacito Legislatoris conſenſu id poſſunt. Atque ita docet *Suarez l. 6. cap. 16. num. 4 & ſeqq. Herincx cit. n.* 35. Eſtque id interdum ad hoc etiam expediens, ut commutatione ſuppleatur cauſæ inſufficientia, aut dubia ſufficientia. Accedit, quòd facultatem habens diſpenſandi in votis poſſit eadem commutare.

## §. III. *Ad Diſpenſationem requiritur Juſta Cauſa.*

363 I. UT diſpenſatio fiat licitè, requiritur juſta cauſa: Eſt certum, & colligitur *ex Concilio Trident. Seſſ. 24. capit. 5. de reform. Matrim.* ubi ordinat circa diſpenſationes Matrimoniales, ut nonniſi ex cauſa concedantur, & *ſeſſ. 25. c. 18. de reform.* generaliter loquens juſtam cauſam poſtulat, oppoſitumque dicit *nil aliud eſſe, quàm unicuique ad Leges tranſgrediendas aditum aperire*, & ex D. Bernardo *l. 3. de conſid. cap. 4. in fine*, ubi ait: *ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt. Ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt: Utilitas, dico, communis, non propria. Nam cùm nil horum eſt, non planè fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.* Accedit ratio à Conc. Tridént. *ſuprà c. 18.* inſinuata: quia alioquin ſequeretur Legum contemptus, & vilipenſio. Cui accedit irrationabile ſubditorum præ aliis gravamen, & quæ inde ſequitur, eorundem turbatio. Unde Legislator, vel Princeps irrationabiliter diſpenſans nocet bono communi, quod ex Juſtitia Legali tenetur promovere. Peccat inſuper contra Juſtitiam diſtributivam in onerum impari diſtributione, adeóque ex genere ſuo mortaliter delinquit diſpenſans in Lege ſua, ut cum multis aliis docet *Suarez l. 6. c. 18. n. 9.* & conſequenter eodem modo peccat is, qui Principem ſcienter ad dandam ſimilem diſpenſationem inducit. Varii tamen exiſtimant eſſe levem materiam, niſi aliis grave damnum ſequatur, vel ſcandalum, & gravis perturbatio apud prudentes ſequatur, eo quòd frequenter fiant hujuſmodi diſpenſationes ſine cauſa, vel levibus de cauſis, quia enervatur diſciplina Eccleſiaſtica aut Reipublicæ. Ita inter alios *Navarrus, Sanchez, Baſilius, Pontius, & Præpoſitus qu. 97. dub. 5. n. 26. apud Herincx cit. q. 1. n. 6.*

364 Quid vero dicendum ſit de ipſo Principe ſecum diſpenſante in ſua Lege, pendet à qualitate, & modo, quo adſtringitur ſuis Legibus. Itaque cum *Sect. præc. quæſt. 4. num. 229.* diximus, Principem graviter adſtringi ſuis Legibus, ſi ex earum non obſervantia, ſequatur gravis perturbatio, ſcandalum, vel aliud grave inconveniens in communitate, item quando contingit injuſtitia &c. Hinc, ſi ſine juſta cauſa ſecum in ſuis Legibus, in his circumſtantiis diſpenſet, graviter peccabit; ſin vero prædicta non ſequantur, peccabit tantùm leviter; in utroque tamen caſu diſpenſatio erit invalida: ſiquidem juxta dicta *Sect. præc. quæſt. 4. num.* 228. Legislator ad ſuas Leges obſervandas obligatur Lege naturali, in qua diſpenſare nemo poteſt; imò etiam accidente juſta cauſa, non diſpenſat ſecum propriè, & formaliter in Lege naturali, ſed interpretatur, ac prudenter judicat, ſe in hoc caſu, ea non obligari. *Layman cit. c. 22. n. 32.*

365 Juſtæ porrò cauſæ diſpenſandi, aſſignantur à Theologis communiter: Gloria DEI, bonum commune, vel proximi, utilitas privata corporis ſeu animæ, adeóque ejuſdem nimia fragilitas: quarum ſufficientia prudenti Judicio relinquitur æſtimanda, attento, quòd debeant gravitati ipſarum Legum eſſe proportionatæ, ut rectè notat *Suarez lib. 6. de Voto, cap. 17. num.* 14. In quo etiam conſiderari debet commune dictum, quòd *melius ſit de nimia pietate, quàm de nimia ſeveritate redargui*, Juſta etiam cauſa ſubinde eſt impoſitio alicujus mulctæ, vel pecuniæ pro bono communi; quæ cauſa ſolet vocari extrinſeca, habetque ſæpe locum in diſpenſationibus Matrimonialibus, ut docet *Sanch. lib. 8. diſp 19. & diſp. ſeq. n. ult.*

366 II. Juſta cauſa etiam requiritur, ut valida ſit diſpenſatio facta à delegato in Lege Superioris; ut apud omnes eſt in confeſſo; quia Superior non cenſetur conſentire, ut alicui relaxetur vinculum Legis abſque cauſa rationabili. Sed valetne diſpenſatio facta in Lege Superioris, ſi diſpenſans, & diſpenſatus bona fide putent juſtam cauſam adeſſe: & tamen à parte rei non adſit? Reſpondet *Sanchez lib. 8. diſp. 17. num. 8. & 9.* cum pluribus aliis affirmativè, adeò, ut poſtmodùm etiam errore detecto non expiret diſpenſatio: merito enim præſumi poteſt, Superiorem ratam habere diſpenſationem bona fide factam re examinata, alioquin omnia plena forent periculis, & ſcrupulis. Unde etſi cauſa particularis diſpenſandi verè non ſufficeret, ſufficere tamen poteſt iſta generalis. Hoc tamen ſaltem ita limitandum cenſeo cum *P. Herincx citat. num.* 13. quod diſpenſatus ſit quidem in conſcientia tutus; quouſque conſtet de nullitate cauſæ; ſimiliter validi, & liciti ſint, & maneant actus vi illius facti, v. g Matrimonium cum tali diſpenſatione celebratum, collatio Ordinum, & beneficiorum facta taliter diſpenſatio in irregularitate. Idem eſt de aliis effectibus, qui perficiuntur in inſtanti, ſi verò effectus habeat durationem ſucceſſivam, adeóque ſit virtualiter multiplex, dico, cognita inſufficientia cauſæ diſpenſationem ceſſare, in quantùm adhuc non eſt mandata executioni, ut v. g. contingit in diſpenſatione jejunii, recitationis horarum Canonicarum &c. licèt enim videatur eſſe unica diſpenſatio, eſt tamen virtualiter multiplex. Alioquin, ſi cum aliquo diſpenſatum foret in jejunio quadrageſimali ob debilitatem, foret liber jejunio, etſi interea fieret manifeſtum, debilitatem eſſe nullius momenti, quod nemo dixerit.

367 III. Diſpenſatio Superioris in propria Lege, cum aliis facta abſque legitima cauſa eſt valida. Ita plerique Doctores apud *Herincx cit. nu.* 14. Ratio eſt: quia Lex pendet in fieri, & conſervari à voluntate Superioris: ergo ſi Superior aliquem non velit obligari ſua Lege, etſi peccet, ſi id faciat ſine cauſa, tamen factum tenebit; prout juxta

omnes

omnes valet, etſi non liceat, totalis abrogatio Legis facta ſine cauſa. Sed peccabitne utens tali diſpenſatione, poſito, quòd ſit valida? affirmant varii peccare ſaltem venialiter: ſed veriùs negant *Rodriquez*, *Navarrus*, *Baſilius*, *Pont. Vaſquez*, & Alii plures apud *Herincx cit. nu.* 15. Nam per validam diſpenſationem eſt à Lege exemptus: ergo illa uti poteſt abſque eo quòd in Legem committat diſpenſationis. Quod addo: quia plures docent latere aliquam culpam contra naturalem æquitatem, quæ poſtulat, ut pars non diſcrepet ſine cauſa à toto corpore. Averte etiam, non peccare acceptantem ejuſmodi diſpenſationem, ſi Superiorem ad indebitè diſpenſandum ſcienter non induxerit, ſed bona fide ſuas rationes propoſuerit, judicium de earum ſufficientia Superiori relinquendo.

368 IV. Sed quid ſi tempore diſpenſationis in voto, juramento, irregularitate, impedimento Matrimonii &c. juſta diſpenſandi cauſa adfuit, poſtea verò penitus ceſſet, eritne diſpenſatio valida? Reſp. I. Si tempore impetrationis, vel datarum litterarum (poteſt enim diſpenſatio, vel Privilegium viva voce, vel in Reſcripto concedi) cauſa diſpenſandi ſubſiſtat; non item tunc, cùm ex dantis commiſſione, precum veritate inſpecta, diſpenſatio conferenda eſt, non poteſt eam commiſſarius executioni mandare, v. g. Caja allegata paupertate, item ſuſceptione prolis ex conſanguineo ſuo, poſtulavit à Papa diſpenſationem ſuper impedimento conſanguinitatis: Papa commiſit Ordinario, vel ejus Officiali, ut precum veritate inſpecta, cum Caja, ejuſque conſanguineo diſpenſet; ſed priuſquàm id Officialis exequatur, proles moritur, & Caja per acceptam ab extraneo Hæreditatem repentè fit dives, tunc non poteſt Ordinarius cum ipſis diſpenſare, ſicuti docet *Suarez lib. 6. de Leg. cap.* 20. *numer.* 13. *Sanchez lib. 8. de Matrimon. diſput. 30. numer. 12. Coninch. in 3. part. tom. 2. diſput. 33. ſect. 6. numer. 94. Layman lib. 1. tract. 4. capit. 22. num.* 24. Ratio eſt: quia *ceſſante cauſa finali mandati, effectus mandati expirat, ſi nondum conſummatus eſt*. Diſpenſatio autem Ordinario commiſſa, effectum ſuum (qui eſt abſolutio à Lege, vel impedimento) non ſortitur, priuſquàm is mandatum exequatur: ergo ſi tunc, tempore, inquam, executionis, cauſa mandati ceſſet, non poteſt executioni mandari. Loquor autem in caſu, quo diſpenſationis cauſa finalis, ac principalis totaliter aut fermè totaliter ceſſat; ſecùs enim eſt, ſi ceſſet tantùm cauſa impulſiva; item ſi pars cauſæ finalis deſinat, altera adhuc manente, ita ut executor benignè interpretari poſſit, concedentis mentem eſſe, ut diſpenſatio executioni mandetur, ſicut notavit *Sanchez citat. num. 7. & 8.* imò poſtquàm gratia diſpenſationis faciendæ à Papa emanavit, præſumendum eſt, faciliùs eam permittere, ut executioni mandetur, quàm ut ab initio concedatur, ſicut notavit *Coninch. cit. dub. 6. in fine*.

369 Reſp. II. Si vice verſa accidat, ut tempore quidem conferendæ, ſeu exequendæ Diſpenſationis, cauſa ſubſiſtat, ſed non conſtiterit tempore impetrationis, ſeu conceſſionis, ac datarum litterarum; quia poſtulatio fraudulenta, & ſubreptitia fuerat, non poteſt diſpenſatio fieri à Commiſſario, vel executore, ſicut conſtat *ex c. ſi eo, de reſcriptis in 6. & docet Suarez num.* 14. id probatur tum ex Regula *Juris 18. in 6. non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non ſubſiſtit*; tum ex verbis, quibus commiſſio fieri ſolet: *precum veritate inſpecta*. Layman cit.

370 Reſp. III. Si cauſa diſpenſandi eo tempore ſubſiſtat, quo diſpenſatio ab Ordinario, aut Commiſſario abſolutè facta, ſuum effectum conſecuta eſt, etſi poſteà deſinat ſubſiſtere, non tamen reviviſcit obligatio, quæ ſemel per diſpenſationem ablata fuit. Ita docet Suarez *l. 6. de Leg. cap. 20. numer.* 15. Covarruvias 1. *reſol. cap. 20. numer.* 5. Abbas, Sanchez *l. 8. de Matrimon. diſp.* 10. *numer.* 14. Layman *cit. num.* 15. Herincx *cit. diſp. 4. quæſt. 3. numer.* 52. & Alii, v. gr. ſi cum aliquo diſpenſatum ſit in voto continentiæ, vel ſuper impedimento Matrimonii, cauſa legitimandæ prolis, etſi poſt factam diſpenſationem proles moriatur, non reviviſcit impedimentum, vel voti obligatio. Ratio eſt: quia per diſpenſationem, cauſa juſta ſubſiſtente, extinguitur obligatio Legis aut voti: ergo poſteà reviviſcere non poteſt, niſi per aliquam cauſam de novo producatur obligatio Legis, aut voti, quæ in caſu propoſito nulla aſſignari poteſt. *Hoc tamen à Doctoribus limitatur ad caſum*, in quo factum conſummatum, & non tantùm inchoatum ſit: nam etiam Privilegia, & diſpenſationes, quæ tractum ſucceſſivum habent, ceſſante cauſa finali partes ceſſant, ſicuti rectè docent *Sanchez cit.* & *Suarez num.* 18. Quare ſi Papa cum infirmo, cujus valetudo deſperata videtur, abſolutè diſpenſet in Lege jejunii: ille autem præter opinionem vires integrè recuperet, tenebitur poſteà Legem cum aliis obſervare. Ratio eſt: quia non fuit alia Papæ diſpenſantis mens, & intentio; ſiquidem nunquam præſumendum eſt peccatum, peccaſſet autem Papa diſpenſando, ſi aliquem ab obſervatione Legis communis eximeret, etiam eo eventu, quo omnis cauſa exemptionis penitus ceſſavit: ergo. Vide *Suarez l. 8. de Legib. c.* 30.

Ex his etiam colligi poteſt, quid ſit dicendum ad hunc 371
caſum: Titius petiit diſpenſationem ſuper voto continentiæ, ut poſſet contrahere Matrimonium cum Caja: poſteà verò impeditis his nuptiis, vult contrahere Matrimonium cum Sempronia. Inſpicienda namque eſt cauſa, & forma factæ diſpenſationis. Nam interdum diſpenſatio v. gr. in voto continentiæ confertur limitatè, & reſpectivè, puta in ordine ad certum Matrimonium, cujus contrahendi cauſa atque neceſſitas incumbit, v. g. ne mulier decepta infamiam incurrat; tunc enim talibus nuptiis impeditis, non erit licitum aliud Matrimonium contrahere ſine nova diſpenſatione. Secùs eſt, ſi diſpenſatio ſuper voto continentiæ, in ordine ad Matrimonium contrahendum alicui abſolutè data ſit, propter difficultatem continendi à ſupplicante allegatam; tunc enim, etſi nuptiæ, quarum contrahendarum, cauſa diſpenſatio petita fuit, poſt diſpenſationem impediantur, poterit aliud Matrimonium contrahere. Frequenter tamen in Reſcripto exprimitur, diſpenſationem non extendi ultra primum Matrimonium. Ita *Layman cit. n.* 16.

### §. IV. *Ut Diſpenſatio ſit valida, requiritur, ut non ſit obreptitia, aut ſubreptitia.*

Diſpenſatio tunc vocatur *Subreptitia*, in qua tacetur 372
veritas alioqui neceſſariò exprimenda; illa verò dicitur *Obreptitia*, in qua exprimitur falſitas, qua cognita non fuiſſet facta diſpenſatio. Diſpenſationem ſubreptitiam, vel obreptitiam eſſe invalidam, eſt communiſſima DD. apud Layman *citat. num. 17. & ſeqq.* Herincx *citat. quæſt. 3. num.* 36. La Croix *l. 1. num.* 816. & Alios: id enim conſtat *ex c. ad aures, c. conſtitutus, de Reſcriptis, c. ultim. de filiis Presbyt. in 6.* Nunc tantùm videndum, quando diſpenſatio cenſenda ſit ſubreptitia, vel obreptitia? ubi tamen advertendum, quòd diſpenſatio obreptitia, & ſubreptitia frequenter confundatur, & pro eodem ſumantur: ut proinde frequenter litteræ indifferenter dicantur, (& ordinariè) ſubreptitiæ, quoties malè impetrantur, ſive tacita veritate neceſſariò explicanda, ſive falſo, quod ad rem confert, allegato. Non tamen quævis taciturnitas veri, aut expreſſio falſi irritam reddit diſpenſationem, ut rectè Doctores monent; qui proinde certas Regulas ponunt ad dignoſcendum, quandonam diſpenſatio ex hoc capite ſit ſubreptitia vel obreptitia. Itaque

I. Diſpenſatio eſt invalida, quando tacetur aliqua qua- 373
litas, quam jura exprimi volunt, quantumvis ea cognita ſuperior equidem diſpenſaſſet, v. g. ſi in petitione Reſcripti taceatur beneficium, etſi minimum, ut patet ex *c. non poteſt*, & *c. ſi motu proprio, de Præbendis in 6.* Tunc enim expreſſionem talis qualitatis jura requirunt tamquam formam ad ſupplicationem diſpenſationis requiſitam, adeòque ad diſpenſationem deſuper datam, qua proinde non ſubſiſtente diſpenſatio non ſubſiſtit. Ita Layman *cit. num.* 18. & apud ipſum *Covarruvias*, *Guttier. Maſcardus*, *Sanchez*. Item Herincx *cit. q. 3. n.* 38.

II. Diſpenſatio eſt ſubreptitia, & invalida, quando 374
tacetur veritas, vel exprimitur falſitas intrinſeca, ſeu faciens ad rationem diſpenſandi, qua cognita Superior rationabiliter noluiſſet diſpenſare. Patet ex *cap. fin. de filiis Presbyt. in 6.* Si tamen Superior equidem abſolutè diſpenſaſſet, etſi difficiliùs, non redditur ex hac parte diſpenſatio ſubreptitia, uti nec involuntaria: & tunc dici ſolet error verſari circa cauſam impulſivam, quæ ſcilicet allicit Principem ad faciliùs concedendam diſpenſationem, ſine qua tamen eodem modo fuiſſet conceſſa. Quando autem eſt cauſa, ſine qua diſpenſatio non fuiſſet conceſſa, dicitur cauſa finalis: qualis cenſetur eſſe ea, quæ in Reſcripto exprimitur, ſi ſit unica. Quòd ſi re examinata maneat dubium, un ſit error circa cauſam finalem, an circa impulſivam, controvertunt Doctores. Videtur autem cum *Sanchez*, & *Herincx cit. numer.* 41. ac Aliis paſſim exiſtimandum, valere diſpenſationem: quia Jura maximè favent valori actuum, & in dubio eum præſumunt. Quamvis oppoſitum mihi non diſpliceat (quod varii docent) ſaltem quando diſpenſatio eſt odioſa. Non vitiatur equidem diſpenſatio, quando tacetur, aut fingitur conditio aliqua extrinſeca, ſeu impertinens: nam quamvis diſpenſans ita habitualiter ſit diſ-

poſitus, ut re cognita non diſpenſaſſet: tamen ſimpliciter, & abſoluta vult ob cauſam propoſitam diſpenſare. Quæ voluntas non tollitur, nec fit conditionata ob aliquid, quod ad finem ſeu cauſam diſpenſationis non confert; ut patet à ſimili in extortis per dolum aut mendacia, ſubſiſtenre cauſa finali diſpoſitionis. Ita *Sanchez*, *Suarez*, & alii, ut refert, & ſequitur *Bonacina de Leg. quæſt. 2. punct. 4. numer.* 3. Unde valet diſpenſatio in irregularitate contracta ex homicidio, etſi non fuerit expreſſum, quòd occiſus fuerit Sacerdos: defectus enim lenitatis, & non circumſtantia Sacerdotii pertinet ad pœnam irregularitatis. Ita *Molina tr. 3. diſp. 76. n. 9. Herincx cit. n. 43. La Croix lib. 1. n.*806. *Layman cit. num.* 21. *Sanch. Dian.* & Alii.

375 III. Vitiatur diſpenſatio, fitque ſubreptitia, quando in ſupplicatione committitur error circa moralem ſubſtantiam rei: ut enim alii contractus, ſic & diſpenſatio tunc eſt nulla, quod verum eſt, etſi errore detecto Superior æquidem, imò faciliùs diſpenſaſſet. Ita Communis apud *Herincx cit. n.* 44. Unde non valet diſpenſatio petita in tertio gradu conſanguinitatis, cùm ſit affinitas, etſi in hac diſpenſatio ſit facilior; aut econtrà: item in impedimento dubio, cùm ſit certum: tunc enim non exprimitur moralis ſubſtantia rei; diſpenſans autem cenſetur diſpenſare in ſpecie ſibi expreſſa. Idem eſt, ſi petatur diſpenſatio in tertio gradu, cùm ſit ſecundus. Secùs eſt juxta *Bonacin. quæſt. 2. punct. 5. n.* 15. & plures alios *apud Herincx cit.* ſi petatur diſpenſatio in ſecundo gradu, cùm ſit tertius, aut in tertio, cùm ſit quartus: eo quòd ſecundus gradus contineat tertium, & tertius quartum velut minorem, diſpenſans autem in toto cenſeatur etiam diſpenſare in parte contenta. Idem ſit de ſimilibus Judicium. Notandum etiam taciturnitatem veri, aut expreſſionem falſi, non ſemper vitiare totam diſpenſationem, ſed pro ea ſolùm parte, quam talis taciturnitas, aut expreſſio concernit; dummodò ea pars ſit ab aliis ſeparabilis: v. g. petit quis diſpenſationem in jejunio plurium dierum, allegata cauſa, quæ non ſufficit, niſi pro uno, vel altero die, diſpenſatio ſaltem pro his valebit: nam *utile non debet per inutile vitiari*, ut habet *Reg. 37. Juris in 6.*

376 IV. Quando unica tantùm cauſa in ſupplicatione diſpenſationis allegatur, eaque non ſubſiſtit, diſpenſatio eſt nulla. Si autem plures cauſæ disjunctivè narrentur, ſufficit unam eorum ſubſiſtere. Quod ſi variæ cauſæ allegentur copulativè, & aliquæ eorum ſubſiſtant, aliquæ non, diſtinguendum eſt: ſi enim cauſa finalis, aut principalis, ob quam diſpenſatio conceditur, ſit vera, & ſufficiens, valet diſpenſatio, etſi cauſæ impulſivæ non ſubſiſtant, quæ non ſunt ratio juſtæ diſpenſationis, etſi aliunde voluntatem Superiores impellant. Secùs eſt, quando plures cauſæ narrantur, quarum una ſine altera non ſufficit ad æquitatem diſpenſationis; aut etſi forte ſingulæ ad hoc ſufficiant, quando ad aliquam quæ non ſubſiſtit, conſtat Superiorem ita reſpexiſſe; ut ſine ea diſpenſationem non dediſſet *Herincx cit. num.* 48. Ex his,

377 Infertur, valere diſpenſationem. I. Si erretur tantùm in nomine perſonæ. *Herincx cit. n.* 45. Ratio eſt: quia Superior intendit diſpenſare cum perſona, pro qua petitur, & in materia, ſuper qua petitur, qualitercunque nominetur: cùm nomen materiæ, aut perſonæ, dum de ipſa re, & perſona conſtat, nihil conferat ad diſpenſationem, aut cauſam illius. Idem patet in abſolutione Sacramentali, & ſimilibus: II. Valet diſpenſatio, quæ priùs petita, & negata fuit, ſi poſteà obtineatur, licet taceatur, quod priùs negata fuerit. Quod verum videtur, non ſolùm quando diſpenſatio fuerat obtenta à ſupremo Principe, à quo fuerat antè negata, ſed etiam quando obtinetur ab ejus Succeſſore, aut etiam inferiore habente poteſtatem ordinariam circa materiam, & formam diſpenſandam; imò licèt ſit delegatus ejus, qui negavit. Similiter hoc procedit, ſive in petitione poſteriori allegentur novæ, & plures cauſæ, ſive non. *Herincx cit. num. 49. Suarez, & alii cum Caſtro-Palaus §. 4. & Roſa num. 365. apud La Croix lib. 1. num.* 811. III. Valet diſpenſatio, ſi erretur in nomine Diœceſis, uti habet *Amicus cum Gobat apud La Croix cit. numer.* 810. *Herincx cit. n.* 46. Ratio eſt: quia Papa dat poteſtatem Epiſcopo petenti, quiſquis ille ſit, & abſolute conſentit. Nec refert, ſi error aliquis per injuriam ſcriptoris irrepat, ut ſi pro gradu tertio affinitatis reſcribatur tertius conſanguinitatis, *Layman, Diana apud La Croix cit. num.* 810. IV. Si in Reſcripto loco veræ cauſæ, quæ allata eſt, ſubſtituatur alia ſecundùm formulam reſcribendi Curiæ Romanæ, diſpenſatio eſt valida, & credendum eſt fuiſſe errorem ſcriptorum, aut negligentiam expedientium. *Marchant. in Trib. T. 3. p. 3. T. 1. Tit. 9. quæſt. a. reſ.* 2. dicens ſe ſæpiùs expertum. V. Valet diſpenſatio in Lege obtenta per vim, aut metum, modò cauſa ſit juſta. Ita *Herincx cit. n. 51. Suarez lib. 6. c. 21. La Croix l. 1. num.* 796. VI. Diſpenſatio poteſt impetrari; non tantùm pro ignorante, ſed etiam invito, quando neceſſitas exigit. Ita *Sanch. Becanus apud La Croix l. 1. num. 796. reſolut.* 10. id tamen locum non habet in ea, quæ impetratur ex Pœnitentiaria Romana, niſi impetretur à perſonis conjunctis, vel conſanguineis intra quartum gradum, vel ſaltem à Confeſſario, *Marcus Leo in praxi p. 1. ſ.* 14. VII. Multi apud *Sanchez de Matrim. l. 8. d. 28. num.* 86. dicunt, commiſſionem diſpenſandi exſpirare morte committentis. Sed *Sanchez num.* 87. probabiliùs ſic diſtinguit: quando in litteris gratiæ in alicujus favorem conceſſis, Miniſter executurus eſt voluntarius, utpotè cui non præcipitur, ut exequatur, ſed ſola exequendi facultas conceditur, non favore, ſed ejus, cui gratia eſt concedenda, tunc eſt *gratia facienda*, ac proinde exſpirat morte concedentis re integra; at ſi ſit executor neceſſarius, utpotè qui exequi jubetur, ſi preces veritate nitantur, tunc cenſetur *gratia facta*, ac proinde non perit morte concedentis; quod utrumque ſatis colligitur *ex c. ſi cui, de præbendis in 6. & c. ſi ſuper gratia, de officio delegati in 6.* Ratio diſparitatis eſt: quia in priore caſu non eſt jus quæſitum illi, qui diſpenſandus eſt, ſed relinquitur voluntati delegati, velitne diſpenſare, an non; in poſteriore per mandatum, jus quoddam illi eſt factum, ut à delegato diſpenſationem exigat, qui etiam exequi tenetur. Eandem ſententiam tenent cum *Sanch. Rebuffus, Majolus, Henriquez, Suarez, Sa, Layman, Caſtro-Palaus, Illſung apud La Croix lib. 1. nu.* 816. Hinc *Buſembaum apud la Croix cit. n.796. in fine*, de diſpenſationibus S. Pœnitentiariæ ait: commiſſio hujus diſpenſationis non expirat *morte Pœnitentiarii concedentis*, re integra; quia eſt gratia non facienda, ſed facta in favorem Oratoris, cui jus quæſitum eſt: & executor eſt diſpenſator neceſſarius, ſiquidem preces nitantur veritate. *Neque etiam morte Pontificis*: tum ob rationem allatam, tum quia officium majoris Pœnitentiarii non expirat morte Pontificis, *Diana p. 8. tom. 3. R. 89. ex Suarez, Sanch. Garz. &c. contra Navar. Bonac.* VIII. In dubio, an caſus diſpenſatione indigeat, ſi dubium ſit poſitivum, ideſt, ſi habeas rationem gravem, quòd non indigeat, non eſt opus diſpenſatione, quia licite ſequeris ſententiam probabilem: ſi dubium verò ſit negativum, *Diana p. 4. tom. 3. R. 46. Caram. apud Dianam p. 8. tom. 3. R. 95. Caſtro-Pal. tom. 3. d. 6. p. 5. num.* 10. abſolutè dicunt, non eſſe opus diſpenſatione, quia præſumptio eſt pro libertate. Hinc *ff. de reg. juris, Reg.* 20. dicitur: *quoties dubia interpretatio libertatis eſt, ſecundùm libertatem reſpondendum erat*: quod tenet *Caſtr.* licet magis inclinares, quòd indigeres diſpenſatione, quia non debes cenſere te obſtrictum Legi niſi de Lege ſis certus, *La Croix c. n.* 818. IX. Quando in conceſſione diſpenſationis omnia jubentur fieri *gratis ubique*, Sà V. *gratia*, n. 25. putat intelligi de datis, vel promiſſis alioqui illicitis. Gutierez, & Homobonus putant tantùm prohiberi ea dona, quibus animus recipientis corrumpi poſſet; ſed opiniones illæ ſunt rejiciendæ; prohibentur enim etiam alia data, vel promiſſa. Rectè tamen dicunt *Sanchez, Filliucius, Diana p. 4. T. 4. R.* 15. tantùm prohiberi, ne aliquid detur ante expeditionem, vel ne dando contrahatur; non autem prohiberi, ſi poſt expeditionem aliquid detur ex gratitudine, *La Croix cit. n.* 817. X. Si certus ſis te indigere diſpenſatione, & dubites, an obtinueris, non poteris pergere, quia certa indigentia prævalet contra incertam diſpenſationem. Si autem certus ſis te impetraſſe diſpenſationem, ſed dubites, an ea ſit valida, præſumendum eſt eſſe validam: quia eſt quædam poſſeſſio pro actu, & ſemper præſumendum eſt in favorem valoris actus. Ita *Sanchez, Caſtro-Pal. Tambur. Gobat, Diana, Santarelli* apud *La Croix cit. num.* 805. Nec refert, quòd impedimentum videatur eſſe in poſſeſſione, cùm ſit certum, diſpenſatio autem ſit dubia: nam contra illam poſſeſſionem prævalet diſpoſitio juris, dicens, in dubio judicandum eſſe pro valore actus, ut ſcilicet magis valeat, quàm pereat: ſic enim *L. Quoties, ff. de rebus dubiis* dicitur: *Quoties in actionibus, aut exceptionibus ambigua eſt oratio, commodiſſimum eſt id accipi, quo res, de qua agitur, magis valeat, quàm pereat*: &c. *Abbat.* de verb. *ſignif. profectò ſic intelligenda ſunt illa verba, ut res, de qua agitur, valere poſſit potiùs, quàm perire.* Nunc ſequitur pro re ſummè neceſſaria,

Bre-

### Brevis Inſtructio Practica

*Confeſſariorum impetrandi Diſpenſationes à Sacra Pœnitentiaria Romana, atque etiam à Curia Epiſcopali, præſertim in impedimentis Matrimonii*
pro foro interno.

378 CUm experientia teſte ſæpè compertum ſit, plurimos utriuſque ſexus fideles, cenſurarum vinculis, votorum obligationibus, matrimoniorum impedimentis, nec non irregularitatum, & caſuum quoquo modo reſervatorum ligaminibus adſtrictos, ad ſanctam Sedem, ejuſque ſacram Pœnitentiariam ſpectantibus irretitos, in illis lacrymosè perſiſtere, & continuis conſcientiæ agitationibus laborioſè perdurare: quia nec ipſi, nec ipſorum Parochi, & Confeſſarii ſciant modum, pro ipſis obtinendi diſpenſationem à S. Pœnitentiaria, vel à Curia Epiſcopali; ideò ad ipſos, eorumque Parochos, ac Confeſſarios juvandos, breviter hic, quantùm pro eis ſufficit, modum impetrandi diſpenſationes ſuppeditabimus. Quare ſit

### §. I. *Modus impetrandi Diſpenſationes.*

379 I. SCiendum, quòd Romæ duplex tribunal erectum ſit à Summo Pontifice, ad quæ pro impetrandis diſpenſationibus recurri poteſt: primum pro ſolo foro interno conſcientiæ, & vocatur *ſacra Pœnitentiaria*: alterum pro foro externo, & vocatur *Dataria*: quod benè notandum eſt Confeſſariis, nam ſi quoad ſolùm forum internum pro ſuo pœnitente velint petere diſpenſationem, ad illud primum tribunal, ſcilicet ſacram Pœnitentiariam oportet recurrere, nec debent exprimi vera nomina, & cognomina, & locus nativitatis diſpenſandi, ſed ſolùm ficta, aut per conſuetas litteras N. N. Quòd ſi verò diſpenſatio pro foro externo poſtuletur, non facilè ſe intromittat Confeſſarius, ſed cùm impedimentum ſit notum, & publicum, remittantur pœnitentes ad ſuum Ordinarium, vel ejus Vicarium Generalem. Si tamen ob circumſtantias à Confeſſario, pro foro externo eſſet petenda diſpenſatio, neceſſe eſt, eandem ab altero tribunali ſcilicet Dataria poſtulare, ubi ordinariè à diſpenſandis faciendæ ſunt expenſæ pecuniariæ, niſi Reſcriptum expediatur in forma pauperum, quæ pecunia deinde ad alias Eccleſiæ Catholicæ utilitates, & neceſſitates applicatur. Nos in præſenti ſolùm de primo tribunali, videlicet de S. Pœnitentiaria agemus, ad quam Confeſſarii pro foro conſcientiæ recurrere debent, & ubi omnia gratis ſine ullis expenſis conceduntur. Recurſum verò ad Datariam relinquimus Canoniſtis.

380 II. Sciendum, Sacram Pœnitentiariam in moderna forma à S. Pio V. Papa erectam, eſſe à ſucceſſoribus Pontificibus uſque nunc laudabiliſſimè continuatam. Conſtituti præterea ſunt etiam in Urbe Roma Pœnitentiarii in tribus aliis præcipuè Baſilicis; noſtri PP. Franciſc. Regularis obſervantiæ in Baſilic. Later. RR. PP. Societ. in Vatic. & RR. PP. Dominicani in Liberiana: qui omnes *Minores Pœnitentiarii* vocati, Auctoritate Pontificia à majori Pœnitentiario, qui ſemper eſt unus ex Eminentiſſimis Cardinalibus, ad officium aſſumuntur, nec abſque licentia ejuſdem Eminentiſſimi majoris Pœnitentiarii à miniſterio removentur.

381 Itaque ubi accedit aliquis pœnitens ad Confeſſarium caſu quopiam ad S. Pœnitentiariam ſpectante irretitus, ante omnia Confeſſarius diligenter examinet pœnitentem, ut totum caſum ſincerè aperiat, & eundem Confeſſarius benè percipiat: obſervet Confeſſarius genus cenſuræ, vel voti, vel impedimenti matrimonii, vel irregularitatis, ſcrutetur exactè facti circumſtantias (quibus prætermiſſis, vel non debitè perceptis, & expoſitis, Confeſſarius fruſtraneo labori ſe, & ſuum pœnitentem graviſſimis incommodis exponit) item inquirat ex pœnitente, cujus ſit conditionis, an Laicus vel Clericus, an Regularis vel Sæcularis, an Sacerdos, an Subdiaconus: an in minoribus Ordinibus conſtitutus? item an caſus ſit publicus, an occultus: in voto, an ſit caſtitatis integræ, & perpetuæ, an ſit ſimplex, vel etiam ſit votum juratum, an ſit votum Religionis approbatæ &c. In irregularitate, an ſit ex defectu, an ex delicto, & ex quali delicto? In impedimento matrimonii, an ſit occultum, vel publicum, vel ſaltem facilè publicandum ſit, an de contracto, vel contrahendo agatur, an ſit bona, vel mala fide, ex parte unius, vel utriuſque conjugis contractum, in facie Eccleſiæ, præmiſſis tribus denuntiationibus, an exinde ſint natæ proles adhuc ſuperſtites; denique quid cauſæ allegetur pro diſpenſatione obtinenda? ſine juſta enim cauſa non conceditur diſpenſatio. Ultimò advertat Confeſſarius, utrùm Roma à ſacra Pœnitentiaria diſpenſatio peti debeat, num verò à Diœceſano citiùs, & faciliùs impetrari poſſit?

III. Ut autem Confeſſarius ſciat, quænam ſint exprimenda in petitione diſpenſationis in impedimentis matrimonii, advertat ad verba *Reverendi Patris Vincentii Filliucii Tomo* 1. *Moral. quæſtionum tract.* 10 *part.* 2. *cap.* 10. *n.* 351. Siquidem ipſe multis annis fuit functus officio Pœnitentiarii Romæ ad Sanctum Petrum; ideòque peritior, quàm plurimi alii, ſtyli, ſeu praxis, & uſus, ut eum collaudat *P. Gobat in ſuo Quirinario tr.* 5. *cap.* 37. *ſect.* 7. *num.* 280. Sic ergo ipſe in rem præſentem ſcribit l. c. 382

Primò in diſpenſatione affinitatis de contrahendo matrimonio, quatuor exprimenda ſunt. I. An ſit ſecretum impedimentum, & quomodo? II. An ſequantur ſcandala, niſi contrahant, & unde, verbi gratia, quia habitus ſit tractatus de matrimonio, ſecuta ſit ſponſio à conſanguineis, parentibus, amicis? III. An ſubſit periculum vitæ, infamiæ, & unde? IV. An impedimentum ſit utrique parti notum, an ſolùm uni?

Secundò in diſpenſatione affinitatis de contracto matrimonio exprimenda ſunt ſex. 1. An ſit contractum ſervata forma Concilii Tridentini? 2. A quot annis ſit contractum? 3. An extent filii, quorum etiam peti debet legitimatio? 4. An impedimentum ſecretum ſit, vel ſaltem jus ignotum, quod ſcilicet tale impedimentum dirimeret? V. An ſecutura ſint ſcandala ex ſeparatione, & nequeant abſtinere à copula? 6. An alter, vel uterque ſit in bona fide?

Tertiò in diſpenſatione cognationis ſpiritualis de contrahendo exprimi ſolent potiſſimùm. Quatuor. 1. A quot annis ſit contracta cognatio? 2. Unde oriatur? ex Baptiſmo, an ex Confirmatione? & an ſit in primo, vel ſecundo gradu, hoc eſt, Baptizantis, vel ſuſcipientis cum Baptizato, vel ſuſcepto, an Baptizantis, vel ſuſcipientis cum patre, aut matre Baptizati, vel ſuſcepti? 3. Quomodo ſit ſecreta, cùm deſcribi ſoleant in codice nomina eorum, qui baptizant, vel ſuſcipiunt &c. & in natura ſua publicum ſit impedimentum. 4. Quæ, & quomodo ſcandala immineant, infamia, & pericula mortis, niſi contrahatur?

Quartò in diſpenſatione conſanguinitatis, ſed occultæ aliquando diſpenſat etiam Sacra Pœnitentiaria; ut plurimùm enim, quia publica eſt, pertinet ad Datariam. 1. Ergo exprimendus eſt gradus, nam ſi ſit primus, vel ſecundus, non eſt facultas in pœnitentiaria. 2. A quanto tempore ſit contractum? nam diſpenſatio de contrahendo non datur in pœnitentiaria. 3. Quomodo occultum, cui venerit in notitiam, & qua ratione? 4. An adſint pericula ſcandalorum, ſi petatur diſpenſatio in Dataria, & quomodo?

Quintò in diſpenſatione impedimenti criminis, adulterii cum machinatione, hæc exprimenda ſunt. 1. An contractum ſit in facie Eccleſiæ, & ſervata forma Tridentini? 2. A quo tempore? 3. Quomodo ſit occultum? 4. An ſecutura ſint ſcandala ex ſeparatione, & quæ, quave ratione? 5. An fuerit altero tantùm, an verò, utroque machinante, & ſeries facti exponenda cum ſuis circumſtantiis, ut verè patratum eſt? 6. An ſint filii, & petatur eorum Legitimatio?

Hæc eadem reſpectivè proponuntur in contrahendo: excepto enim primo, & ſecundo puncto, reliqua uſque ad ſextum excluſivè etiam in eo exprimi debent.

Denique in impedimento adulterii cum fide data, eadem ſunt exponenda. Hactenùs *Filliuc. cit.*

Ut etiam Confeſſarius ſciat, quæ taciturnitas veri, vel 383
expreſſio falſi, reddat diſpenſationem irritam, & invalidam in impedimentis matrimonii obſervet. 1. Diſpenſationem eſſe nullam, ſi impedimentum allegetur ut dubium, cùm ſit certum. Si allegetur gradus affinitatis pro grado conſanguinitatis, vel contrà. Si allegetur gradus 3. pro 2. gradus lineæ tranſverſæ pro gradu lineæ rectæ, ut jam ſuprà dictum *num.* 375. 2. Si adſit multiplex impedimentum ejuſdem generis v. g. ſi quis carnaliter cognoverit duas ſorores illius, quam vult ducere; ſi ſit cognatus ex parte patris, & matris, ſi levavit ex fonte baptiſmi duos filios Titiæ, quam jam vellet ducere in uxorem &c. docent *Henriquez*, *Ledeſma*, *Vega* apud *la Croix lib.* 6. *part.* 3. *n.* 919. non eſſe opus utrumque exprimere, ſicuti qui per plures actus ejuſdem rationis incurriſſet irregularitatem, non teneretur exprimere, niſi unum actum, & hanc ſententiam *Lug in Reſp. Moral. l.* 1. *d.* 45. dicit eſſe probabiliorem, *favetque Krimer n.* 2144. Rationem dant: quia videtur eſſe unum numero impedimentum. Contradicunt alii communiùs *Sanch. Pont. Perez d.* 46. *ſ.* 5. *Dicaſt. Tamb. Averſa q.* 19. *ſ.* 5. *Voieſtner &c.* Quia Rota ſemper decidit oppoſitam, *Gobat tractatu* 9. *numer.* 619. *& in Quinario tractatu quinto*, *cap.* 37. *num.* 240.

dicit, non eſſe ſcrupulum movendum, ſi expreſſio duplicis illius impedimenti bona fide eſſet omiſſa. III. Si ſint inter aliquos plura impedimenta, & diverſa, putant *Navarrus, Henriquez, Sala, Sà*, & probabile eſſe dicunt Sanchez *l. 8. d. 23. numer. 1.* Diana *p. 1. tract. 10. R. 30.* Lugo *Reſponſ. Moral. l. 1. d. 43. num. 2.* validam fore diſpenſationem, quamvis in diverſis ſupplicis petatur ſingulorum diſpenſatio, & non exprimatur, quòd ſint conjuncta in eadem Perſona, quia non ideo poſtulatio redditur ſubreptitia, & ſingula illa impedimenta ſunt per ſe, & ſigillatim capacia diſpenſationis: Contradicunt probabilius Ledeſma, Suarez, Layman Sanchea, Pontius, Diana, Gobat. *tr. 9. num. 624.* Vvieſtner & alii apud *la Croix cit. num. 920.* Ratio eſt: quia plura ejuſmodi impedimenta afferunt in eadem Perſona majorem indecentiam, & meritò reddunt difficiliorem diſpenſationem. Notant autem multi cum Averſa *q. 19. S. 5.* Si aliquod ex his impedimentis eſſet occultum, nec poſſet abſque infamia publicari, valere diſpenſationem unius publicè obtentam, dummodò in ſupplica pro altero occulto fiat mentio iſtius alterius diſpenſati, vel diſpenſandi; quia non videtur conſentaneum pietati Papæ obligare, ad ſe & proximum in iſto altero iterum publicè diffamandum, cum de illo conjunctim alibi fiat mentio. Speciatim aut notant plerique, impedimentum impediens voti alicujus, poſſe ſeparatim proponi, cùm per accidens ſe habeat ad impedimenta dirimentia, & aliquando poſſit ab Epiſcopo, vel parentibus tolli, *la Croix cit.* IV. Si impetraſti diſpenſationem pro ducenda Titia cognata, ea autem mortua, petas diſpenſationem pro ducenda Caja etiam cognata tua, non eſt opus, facere mentionem diſpenſationis prioris, *la Croix cit. n. 921.* V. Quando pro conſanguineis, vel affinibus in gradu dirimente petitur diſpenſatio ad contrahendum matrimonium, & intervenit copula carnalis inter ipſos; Henriquez, Salas, Vega, Rodriquez, Diana, Pontius, Hurtadus, Krimer, Perez, & Averſa, apud *la Croix cit. n. 922.* dicunt, diſpenſationem eſſe validam, etſi non exprimatur copula carnalis inter ipſos habita, & *Averſa q. 19. S. 6.* vocat hoc in praxi tutum, & Sanchez, ac Leſſius probabile. Contrà *Navarrus, Ledeſma, Rebellus, Layman Reginaldus, Corradus* docent, diſpenſationem eſſe invalidam, ſi non exprimatur copula. Quia ſic eſt ſtylus Curiæ, & declararunt Cardinales. Si tamen matrimonium cum ſcientia impedimenti, vel præmiſſa copula ſit initum, ex intentione facilitandi diſpenſationem, & hoc non exprimatur, diſpenſatio eſt irrita, *Sanchez. l. 8. d. 25. n. 38. Leſſius in Auct. V. Matrim. c. 8. Diana p. 8. tom. 3. R. 82.* ſi tamen unus ſponſorum ignoraſſet impedimentum, aut non habuiſſet eam intentionem, aut ſaltem uterque externe non manifeſtaſſet, Averſa *q. 19. S. 6.* & alii multi contra multos alios apud *Gobat n. 625.* dicunt, non neceſſariò eſſe exprimendum; quia innocens puniri non debet ratione nocentis: & merè interna non ſubſunt humanæ diſpoſitioni: quidquid ſit de hoc, ſaltem ſcribere non poſſunt, ſe bona fide contraxiſſe, quod alioquin facilitat diſpenſationem, quia ſaltem unus mala fide proceſſit. Quando verò Papa in caſu, de quo loquimur, diſpenſationem committit cum hac clauſula: *Niſi copula intervenerit:* tunc ſi diſpenſetur in foro externo, & copula intervenerit, ſed ſit occulta, non tenetur ſponſi conſanguinei, vel affines diſpenſandi eandem fateri, ſed poſſunt eam negare ſub apta æquivocatione, niſi fortè adeſſet aliqua ſuſpicio. *Ita Gobat tr. 9. caſu 22. nu. 628.* & *Averſa* ac Alii apud *la Croix cit. n. 922.* Ratio eſt: quia præſumi non poteſt, quòd Eccleſia Pia Mater velit, ut ſeipſum quis graviſſimè infamet, & quamvis *Suar. l. 8. diſp. 25.* velit, quòd copula exiſtens occulta ſaltem apud Sacram Pœnitentiariam exponi, & ſollicitari debeat, ut vitium diſpenſationis ſuppleat; verùm hujus expreſſionis non apparet ſolidum fundamentum; cùm talis copula nec ſit impedimentum dirimens, nec propterea Sacra Pœnitentiaria mulctam, vel taxam exigat, utpotè quæ cunctas ſuas literas expedit gratis. Ita Reiffenſtuel *in 4. Decretalium, in appendice de diſpenſatione ſuper impedimentis, n. 191. & 192.* Si tamen copula carnalis foret publicè nota, aut de ea publica infamia, vel ſuſpicio, diſpenſandi debent eam fateri, aliàs diſpenſatio erit irrita. Ita *la Croix, & Gobat. cit.* Si verò diſpenſetur pro foro interno, v. gr. ex commiſſione Sacræ Pœnitentiariæ, à Confeſſario, debet pœnitens copulam etiam occultam fateri, ut fatentur omnes; aliàs diſpenſatio erit invalida: quia tunc non incurrit infamiam pœnitens, confitens copulam apud ſolum confeſſarium. *Ita Gobat tr. 9. caſu 22. n. 628.* Denique ſi copula allegetur pro cauſa diſpenſandi ſuper aliquo impedimento, debet exprimi, an ſub ſpe faciliùs obtinendi diſpenſationem fuerit habita, vel non. Ita Sanchez *l. 8. diſp. 25. n. 38.* Juſtis *de Diſpenſat. lib. 3. cap. 4. num. 266.* Guttierez *lib. 1. Canon. qq. cap. 15. num. 20.* Gobat *in Theol. experiment. tr. 9. num. 626.* eoque recte omnes. Ratio eſt: quia eſt notorius ſtylus Curiæ. Et meritò, ne quis ex fraude, & dolo facile reportet commodum, contra *c. ſi vir, de cognat. Spirit. & c. de eo, qui duxit, cum Concord.* Et licèt plures, ut Gobat *loco cit.* Portel. *in Reſponſ. caſ. moral. p. 3. caſus 5.* Diana & Alii velint, non eſſe exprimendam hanc ſpem, ſi fuit tantùm ex parte unius, vel ſi quidem ex parte utriuſque, tamen unus alteri non manifeſtavit; tamen in praxi contrarium eſt tenendum, ut benè advertit Corradus *lib. 8. cap. 1. numer. 18.* allegans inveteratum ſtylum Curiæ, ſimulque addens, præfatos, & alios Doctores contrarium aſſerentes toto cœlo aberrare. *Vide Reiffenſtuel cit. num. 156.* VI. Quando juncti gradibus inæqualibus conſanguinitatis, vel affinitatis, lineæ tranſverſæ volunt contrahere matrimonium, tenentur exprimere gradum propinquiorem, ſi propinquior ſit primus à ſtipite, aliàs diſpenſatio eſt nulla; cum S. Pius V. in Bulla, quæ incipit: *Aſcendens per quandam*, edita *Anno* 1566. *die* 26. *Auguſti* declaravit non eſſe mentem Pontificis, in tali graduum propinquitate diſpenſare, niſi exprimatur. Ita Laym. *lib. 5. tr. 10. parte 4. cap. 6. n. 9.* Gobat *tr. 9. caſu 22. num. 619.* Vide etiam Covarruviam *part. 2. cap. 9. §. 10.* Sanch. *l. 8. diſp. 24. n. 15.* Coninch. *diſp. 33. dub. 6. n. 73.* Si tamen propinquior ſtipiti in gradibus lineæ inæqualibus tranſverſæ non ſit primus à ſtipite, & pro ſolo foro interno petatur diſpenſatio, non opus eſt exprimere gradum propinquiorem, nec opus eſt petere litteras declaratorias, quòd gradus propinquior non obſtet; aliud eſt, ſi diſpenſatio petatur pro foro externo, tunc enim debet etiam gradus propinquior exprimi, aliàs diſpenſatio eſt invalida, uti probat *Reiffenſtuel cit. num. 166. & 172. & 181.* quem vide. VII. Si ſcienter contractum ſit matrimonium in gradu prohibito, aut ignoranter quidem, ſed neglectis proclamationibus, & hoc non exprimatur; item ſi non exprimatur, quòd matrimonium ſic contractum ſit conſummatum, diſpenſatio eſt irrita; uti colligitur ex *Concil. Tridentino, Seſſ. 24. cap. 5. de Reform. Matrim.*

IV. His benè notatis (ſi Confeſſarius prudenter judicet, 384
Epiſcopum in occurrente caſu diſpenſare poſſe, & velle) poſſunt autem Epiſcopi diſpenſare in caſibus ſuprà *q. 3.* hujus *Sectionis, n. 353.* ſpecificatis, item Epiſcopi Germaniæ *ex ſpecialibus Privilegiis* ordinariè diſpenſare poſſunt in tertio, quarto ſimplici, & mixto tam conſanguinitatis, quàm affinitatis, tantùm cum pauperibus, in contrahendis matrimoniis: in contractis verò cum Hæreticis converſis etiam in ſecundo ſimplici, & mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum; & in his caſibus prolem ſuſceptam declarare legitimam. Item poſſunt diſpenſare ſuper impedimento publicæ honeſtatis ex ſponſalibus proveniente; item ſuper impedimento Criminis, neutro tamen conjugum machinante, & reſtituere jus petendi debitum amiſſum: item in impedimento Cognationis ſpiritualis, præter levantem, & levatum in Baptiſmo. Item poſſunt abſolvere ab Hæreſi quoſcunque etiam Eccleſiaſticos tam Sæculares, quàm Regulares, & diſpenſare in irregularitatibus ex delicto occulto tantùm provenientibus, excepta ea, quæ ex homicidio voluntario contrahitur, ac abſolvere ab omnibus caſibus reſervatis etiam in Bulla Cœnæ &c. poſſuntque has facultates etiam aliis ſacerdotibus delegare. Ita videre eſt apud *Reiffenſtuel cit. num. 21. & ſeqq. La Croix lib. 6. p. 3. num. 846.* ſi, inquam, Confeſſarius putet Epiſcopum in caſu occurrente diſpenſare poſſe, & quidem ſatis fundatè (ſecùs, ſi dubitet) tunc enim ſtatim Romam recurrat, ne ab Epiſcopo Romam remiſſus, interim ob diuturnitatem temporis, & ipſe, & penitens notabile patiatur incommodum) tunc tali aut ſimili modo formet ſupplicam, proportionaliter ad dignitatem, & Preminentiam Epiſcopi. Quia verò in Germania Epiſcopi ſunt ordinariè S. R. Imperii Principes poterit ſic ſcribi:

*Reverendiſſime, ac Celſiſſime Princeps, Domine, Domine Clementiſſime.* 385

*Exponitur humiliter Celſitudini ſuæ Reverendiſſimæ pro parte devotæ illius oratricis* (additur fictum nomen ver. gr.) *Titia, Diœceſis Herbipolenſis* (nota, addendum eſſe nomen Diœceſis, quia cum Oratore alienæ Diœceſis Epiſcopus diſpenſare nequit; non item Parochiæ, ut crimen omni modo poſſibili maneat occultum) *quòd ipſa ignara impedimenti, præmiſſis denuntiationibus in facie Eccleſiæ bona fide contraxerit ante 10. annos* (ponatur hic accuratè tempus, quod nimis accuratè obſervari debet in recurſu ad S. Pœnitentiariam, ut ipſemet per experientiam novi)

Digitized by Google

novi) *Matrimonium, illudque ſucceſſivè conſummaverit*) ſi proles etiam inde habetur, additur v.g.) *Suſcepta etiam exinde prole, tum viro, à cujus fratre anteà fornicariè erat ſæpius cognita per copulam carnalem perfectam. Cùm autem dicta Oratrix ob affinitatis impedimentum ex prædictis proveniens, quod occultum eſt, in eo Matrimonio remanere non poſſit abſque diſpenſatione: & ſi divortium fieret, gravia exinde ſcandala veroſimiliter orirentur, cupit à præmiſſis, de quibus ſummè dolet, abſolvi, & ſecum ſuper impedimento ad remanendum in dicto Matrimonio diſpenſare, ac proles ſuſceptas legitimas declarari* (hoc additur, ſi proles ſuſcepta ſit) *Quare Celſitudini ſuæ Reverendiſſimæ humillimè ſupplicat, ut ſuper his de opportuno remedio Clementiſſimè providere dignetur, eo quòd abſque periculo incontinentiæ, vel gravis infamiæ diſpenſatio Romæ expectari non valeat. Dignetur ſua Reverendiſſima Celſitudo Gratioſum reſcriptum dirigere ad me* (hic Confeſſarius ponat ſuum verum Nomen, cognomen, ſuum ſtatum, Officium, Diœceſin, & Civitatem, vel locum, in quo degit v.g.) *P. Kilianum Kazemberger Ord. Fratrum Min. S. Franciſci Recoll. SS. Theologiæ Lectorem, in Diœceſi Ratisbonenſi, in Civitate, quæ vocatur Egra. Dabam Egræ 26. Junii, Anno* 1722.

Nota: ſi uterque conjux conſcius ſit impedimenti occulti, uterque per Nomen fictum exprimendus eſt. *Ad extra ſcribitur Titulus Epiſcopi.*

386 Sin autem Epiſcopus diſpenſare non poſſit, aut non velit, poſſit autem Sacra Pœnitentiaria, ad eam recurrendum erit. Poteſt autem Sacra Pœnitentiaria, & ſolet ex juſta cauſa diſpenſare ſuper omnibus, & ſolis impedimentis occultis; jure dumtaxat Eccleſiaſtico dirimentibus, vel impedientibus, tam ante, quàm poſt contractum Matrimonium pro foro interno. Ita Juſtis *lib. 1. cap. 8. num. 29.* Filliucius *tom. 1. tract. 10. pa. t. 2. cap. 10.* Reiffenſtuel *cit. num.* 418. cum communi aliorum. Quod tamen limitandum eſt quoad impedimentum conſanguinitatis, utpotè ſuper quo ante contractum Matrimonium nunquam, poſt contractum verò in tertio gradu, & in quarto (ſi conſanguinitas ſit occulta) minimè verò in primo, vel ſecundo diſpenſare ſolet, etſi conſanguinitas ſit occulta. Ita ex ſtylo, & praxi. *Juſtis lib. 1. cap. 8. num. 30. Filliucius loc. cit.* Super impedimento affinitatis autem etiam in primo gradu lineæ rectæ, & tranſverſæ diſpenſat. DD. citati apud *Reiffenſtuel cit. num.* 419. Si igitur ſit impedimentum, in quo Sacra Pœnitentiaria diſpenſare poteſt. Confeſſarius tali modo formet ſupplicam.

387 *Eminentiſſime, & Reverendiſſime Domine, Domine S. R. E. Cardinalis, Major Pœnitentiarie, Domine, Domine Clementiſſime. Exponitur humiliter Eminentiæ ſuæ Reverendiſſimæ pro parte devotæ illius oratricis Titiæ, quòd dicta oratrix aliàs Votum caſtitatis integræ, & perpetuæ emiſerit. Cùm autem ſtimulis carnis ita agitetur, ut ſe continenter vivere poſſe diffidat, pro ſua conſcientiæ tranquillitate cupit per Sedem Apoſtolicam, votum prædictum ad effectum contrahendi Matrimonium commutari. Quare humiliter ſupplicat Eminentiam ſuam Reverendiſſimam, quatenùs prædictum votum ad hoc ut Matrimonium juxta formam Concilii Tridentini contrahere, debitumque conjugale exigere, & reddere licitè poſſit, in alia Pœnitentiæ, & pietatis opera diſpenſando commutare authoritate Apoſtolica dignetur, quam gratiam ſtudebit pro poſſibili ſuis apud Deum precibus demereri. Dignetur autem Eminentia ſua Reverendiſſima Gratioſum Reſcriptum dirigere ad me* (hic ponat Confeſſarius ſuum verum Nomen, cognomen, ſtatum, officium, Diœceſin, Civitatem, vel locum, in quo degit ſicut ſuprà *num.* 385. & addat (per *Mantuam, Auguſtam Vindelicorum, Egram*) *Dabam Egræ 26. Junii, Anno* 1722. Ad extra faciat talem inſcriptionem:

*Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo Domino Domino S. R. E. Cardinali, Majori Pœnitentiario, Domino Domino Clementiſſimo.*

*Per Auguſtam Vindelicorum, Mantuam, Romam.*

Sicque factam ſupplicam, & ſigillatam ſuo ſigillo, vel Conventus, mediante poſta ordinaria Romam dirigat, & certus ſit Confeſſarium, quòd infra ſex, vel octo circiter ſeptimanas (pro quantitate Romam uſque) aderit diſpenſatio, etiamſi Romæ nullum hominem habeat ſibi notum, ut ipſemet non ſemel expertus ſum; ita ut non ſatis mirari potuerim ſollicitudinem, & ſedulitatem Sacræ Pœnitentiariæ Romanæ. Quòd ſi aliquando Reſponſio tardaverit, poterit Confeſſarius litteras eaſdem repetere, ut; ſi forſan priores eſſent deperditæ, ſaltem poſteriores ad Sacram Pœnitentiariam, & inde litteræ diſpenſationis eveniant. Oportet autem addere, quòd litteræ repetantur ex eo, quia ob diu emanens Reſponſum timeatur priores fuiſſe perditas.

378 Si autem Confeſſarius ex prædictis colligat, nec majorem Pœnitentiarium, ſeu Sacram Pœnitentiariam in tali caſu diſpenſare poſſe, Confeſſarius ad ipſum Summum Pontificem ſupplicam dirigere debebit hoc, vel ſimili modo.

Beatiſſime Pater.

*Exponitur humiliter Sanctitati Veſtræ pro parte Caji, & Cajæ, quòd ipſi ignorantes ſe eſſe conſanguineos in ſecundo gradu, præmiſſis denuntiationibus, coram Parocho, & duobus teſtibus, bona fide ante 20. annos Matrimonium contraxerint, conſummaverintque, ſuſceptis inde quinque prolibus. Cùm autem dicti Oratores ob conſanguinitatis impedimentum, quod occultum eſt, in eo Matrimonio remanere non poſſint abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione, & tamen, ſi divortium inter eos fieret, gravia exinde ſcandala, & incommoda orirentur; cohabitare verò ut frater, & ſoror ob præſentiſſimum incontinentiæ periculum non poſſint? igitur humiliter ſupplicant Sanctitatem Veſtram oratores præfati, quatenùs eum eiſdem ſuper dicto conſanguinitatis impedimento ad remanendum in dicto Matrimonio diſpenſare, proleſque ſuſceptas legitimas declarare dignemini de gratia ſpeciali. Et gratioſum reſcriptum ſupplicatur dirigendum ad me* (hic Confeſſarius ponat ſuum verum nomen, cognomen, & reliqua omnia, ſicut dictum eſt *num.* 387. in ſupplica ad majorem Pœnitentiarium)

Inſcriptio ad extra non fit ſummo Pontifici in caſu, de quo loquimur, videlicet, quando petitur pro foro interno, ſed Majori Pœnitentiario, eodem modo, quo fit, quando ſcribitur majori Pœnitentiario, videlicet:

*Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo.*
*Domino Domino S. R. E. Cardinali Majori Pœnitentiario,*
*Domino Domino Clementiſſimo.*
*Per Mantuam, Romam.*

Sed cùm innumeri ſint caſus, in quibus ſupplicari poteſt, & debet pro diſpenſatione, innumera quoque formari debent ſupplicationum exemplaria, pro quorum notitia hæc indicaſſe ſufficiat.

## Quæſtio Incidentalis.

*An etiam Regulares Mendicantes diſpenſare poſſint in impedimentis Matrimonii?*

RESpond. I. Ex P. Reiffenſtuel *in 4. Decret. in Appendice* 389
*de diſpenſatione ſuper impedimentis* §. 11. *nu.* 538. Poſſunt Regulares Mendicantes ſuper quovis impediente Matrimonium *impedimento voti* diſpenſare: quando votum non eſt unum ex quinque ſpecialiter reſervatis Papæ. Caret controverſia, patetque ex P. Patritio Sporer *tract. 3. in 2. præcept. Decal. cap. 3. ſect. 3. num.* 54. Cùm enim Confeſſarii approbati Ordinum Mendicantium habeant poteſtatem diſpenſandi in omnibus votis, in quibus jure ordinario poſſunt diſpenſare Epiſcopi, nimirùm in omnibus, quæ Papæ ſpecialiter non ſunt reſervata; conſequenter etiam poſſunt tollere ex eis proveniens impedimentum contrahendi Matrimonium. Ex quo conſequitur Regulares Mendicantes poſſe diſpenſare ſuper impedimento voti. 1. Suſcipiendi Ordinem. 2. Caſtitatis non perpetuæ. 3. Etiam perpetuæ, ſed pœnalis. 4. Vel conditionati. 5. Vel ex metu emiſſi. 6. Non nubendi, non fornicandi &c. Ratio eſt: quia hæc vota non ſunt ſpecialiter reſervata Summo Pontifici, ut probat Sporer *cit. num. 57. & ſeqq.* atque in iis diſpenſare poſſunt Regulares Mendicantes. Imo P. Reiffenſtuel *cit. num. 539. & in 3. Decret. tit. 34. num.* 40. probabiliter pro foro interno docet, quòd, quia Epiſcopi poſſunt diſpenſare in votis verè reſervatis Papæ, v. gr. integræ, & perpetuæ caſtitatis &c. quando adeſt impedimentum adeundi Summum Pontificem, vel non eſt facilis aditus ad eum ob paupertatem, vel aliam cauſam, & gravis urget neceſſitas maturandi diſpenſationem, uti docent apud Reiffenſtuel *in 3. Decret. cit. n. 37.* Sanchez *lib. 8. Moral. diſp. 9. num.* 22. Rodriquez *tom. 1. QQ. Regul. quæſt. 63.* Sylveſter, Navarrus, Layman, & Sporer *cit. num.* 71. & Communiſſima aliorum; etiam Regulares Mendicantes, in his votis reverà Papæ reſervatis, quando eſt impedimentum adeundi Summum Pontificem, & gravis urget neceſſitas maturandi diſpenſationem, diſpenſare poſſunt pro foro interno. Ita noſter P. Herincx *diſp. 4. de voto quæſt. 6. num.* 73. Crouſers *in cap. 7. Reg. S. Franciſci Lect.* 29. Baſſæus, qui apud *Herincx cit.* refert, hanc Sententiam viſam eſſe in conciſtorio Cardinalium, anno 1629. & toleratam fuiſſe. Ratio eſt: quia Regulares mendicantes poſſunt diſpenſare in omnibus votis, in quibus jure ordinario poteſt diſpenſare Epiſcopus, juxta communem etiam adverſariorum; atqui Epiſcopus *Jure ordinario* poteſt

teſt diſpenſare in votis aliàs revera Papæ reſervatis urgente neceſſitate: ergo etiam Regulares Mendicantes &c. Major eſt certa ea privilegiis mendicantium. Minor probatur: Quia Epiſcopi in his votis urgente neceſſitate diſpenſant, vel vi officii, vel vi univerſalis conſuetudinis; atqui tam officium dat juriſdictionem ordinariam, ut patet ex definitione juriſdictionis ordinariæ, quàm univerſalis conſuetudo, prout pluribus demonſtrat *Sanchez lib.8. de Matrim. diſp.*12. Ergo Epiſcopi in his votis reverà Papæ reſervatis diſpenſantes urgente neceſſitate, diſpenſant jure ordinario; conſequenter idem poterunt regulares mendicantes, ſed tantùm pro foro interno, non autem externo, ſeu quando votum eſt publicum. Attendant tamen, qualiter S. Pœnitentiaria diſpenſet in ſimilibus votis, ut referemus infrà *num.* 394. *&* 414. & ſequantur.

390 Reſp. II. Ex eodem P. Reiffenſtuel *in 4. Decret. in Appendice de diſpenſatione ſuper impedimentis &c. §.11. nu.*542. *& ſeqq.* Poſſunt regulares mendicantes per totum orbem exiſtentes, poſt matrimonium ſive bona, ſive mala fide jam contractum pro foro interno diſpenſare ſuper occulto dirimente matrimonii impedimento affinitatis, etiam in primo gradu, & prolem inde ſuſceptam legitimam declarare, quamvis hac poteſtate utendum non ſit, niſi in caſibus, & cum cautelis infrà allegandis. Ita docent *Richardus Roffenſis Epiſcopus Martyr in Anglia, in ſuo libello de cauſa Matrimonii Regis Angliæ, Chaſſaing de privileg. regul. tract.5. cap.5. propoſitione 3. Veracrux 2. part. ſpeculi aurei art.*27. & alii contra communiorem aliorum. Ratio eſt: quia Patribus Auguſtinianis per totum mundum exiſtentibus *Leo X.* Pontifex maximus Clariſſimum, idque Bullarum conceſſit privilegium: *quòd cum his, qui in primo affinitatis gradu ſcienter, aut ignoranter contraxerunt, modò notorium id non fuerit, neque in judicium productum, diſpenſare valeant, ut de novo contrahant, & in eodem contracto matrimonio remaneant, prole etiam legitima.* Ita tenor Privilegii: uti patet ex Bulla Leonis X. in quo privilegio utique communicant, & cæteri Ordines mendicantes. Hoc privilegium refert *Richardus Roffenſis Epiſcopus* cit. Cujus teſtimonio certè credendum eſt propter ejus maximam Sanctitatem; ſiquidem pro fide Catholica gladiis impiorum occubuit, inquit Doctiſſimus Rodriquez noſter *tom.3. QQ. regul. quæſt.2. art.*2. & Chaſſaing *cit.* ait; de quo privilegio non auderem dubitare propter viri eminentis Sanctitatis, & Doctrinæ teſtimonium. Idipſum privilegium ex *Veracrux* adducit etiam Quintanadvennas *ſingul. tract.9. ſingulari* 1. *num.*1. addens ad finem, *Veracrux* utpotè Auguſtiniano, de privilegiis ſui Ordinis ſcribenti fides adhibenda videtur. Idem privilegium allegat etiam Sanchez *lib.8. dip.6. num.*28. Baſſæus, Bonagratia, Pellizarius *in Manuali regul.* Gobat *in Theol. experiment. tract.9. num.*719. & alii communiter. Nec obſtat, quòd plures ex allegatis Doctoribus dictom privilegium etiam impugnent, quia eorum rationes non convincunt. Aliqui enim dicunt, quòd hoc privilegium non ſit in uſu. Sed reſpondet *Chaſſaing* cit. quod non conſtet de non uſu hujus privilegii, cùm tantùm verſetur circa impedimenta occulta ſoli Confeſſario, & pœnitenti nota, nullusque ſcire poſſit, an non plures Confeſſarii dicto privilegio pro foro conſcientiæ uſi fuerint. Deinde, quia, ſi (dato, non conceſſo) dictum privilegium in uſu non fuerit, id provenit ex ignorantia ejuſdem privilegii, quali non uſu privilegia minimè amittuntur juxta Innocentium *in cap. accedentibus, de privileg.* Donatus *tom.* 1. *tract.12. quæſt 6. num.6. arg. leg. his, qui uſum fructum ff. quibus modis uſusfructus amittitur.* Alii dicunt, hoc privilegium non competere Epiſcopis: ergo nec regularibus mendicantibus. Sed reſpondet idem P. *Chaſſaing cit.* quòd conſtet regulares in quibuſdam caſibus potiri aliquibus privilegiis, quibus Epiſcopi non gaudent. Alii dicunt, quòd hoc privilegium non reperiatur apud illos, qui diligenter collegerunt privilegia mendicantium. Sed reſpondet P. Reiffenſtuel *cit. num.* 547. Licèt non reperiatur in illis privilegiorum collectoribus, quos adverſarii legerunt, reperitur tamen in aliis, ut in *Richardo Roffenſi Epiſcopo* Sanctiſſimo, in P. *Brunone Chaſſaing* Ord. Fratrum Minorum Recoll. citato, & in deſumentibus ex illo, *Veracrux*, aliiſque adhærentibus. Alii dicunt, quòd Bulla, in qua dictum privilegium continetur, non facilè ampliùs ſit reperibilis. Sed replicat Reiffenſtuel cit. Quòd benè poſſit eſſe, quòd turbulentiſſimis temporibus, quibus rex Angliæ in Catholicos, ac præcipuè in regulares ſæviebat, memorata Bulla in Anglia forſan aſſervata (nam ibi primitùs allegabatur, & citabatur) una cum aliis Catholicis Monumentis perierit. Accedit, plura alia privilegia adhuc valere, & pro Authenticis haberi, etſi conceſſionis Bulla apud Doctores non facilè ampliùs inveniatur. Pluribus adhuc objectionibus benè reſpondet *Reiffenſtuel cit.*

Addit tamen *num.*550. ut regulares mendicantes hoc privilegio non utantur, ſed ad Sacram Pœnitentiariam, vel 391
ad Epiſcopum juxta ſupradicta pro diſpenſatione recurrant; *niſi periculum incontinentiæ, vel alia neceſſitas aliud ſuadeat.* Ratio eſt: quia quando agitur de valore Sacramenti, (ut in præſenti contingit) tenemur ſequi Sententiam tutiorem. Dictum eſt: *niſi periculum incontinentiæ, vel alia neceſſitas aliud ſuadeat.* Si enim Confeſſarius regularis mendicans ex circumſtantiis cognoſcat, quod putativus conjux indigens diſpenſatione in caſu, de quo eſt ſermo, ſine incontinentiæ periculo, uſque dum diſpenſatio Roma, aut ab Epiſcopo veniat, vivere poſſit, & velit, dicat ei Confeſſarius, quod illico pro ipſo diſpenſationem apud Papam, vel Epiſcopum in ſecreto procurare velit; ille verò intereà ſe contineat; ſic enim ille omninò contentus, & valor Sacramenti ſecurus erit. Si verò cognoſcat Confeſſarius, putativum conjugem ob fragilitatem, vel alias circumſtantias in evidenti incontinentiæ periculo verſari, vel adeſſe periculum mortis ex parte unius (& conſequenter injuſtam ſucceſſionem in bonis &c.) donec diſpenſatio Roma, vel ab Epiſcopo adveniat, utatur prædicto privilegio, & pro foro conſcientiæ diſpenſet cum illo, ſimulque doceat, qualiter matrimoniom de novo contrahere poſſit, & debeat juxta doctrinam P. Sporer *Theol. Sacrament. part.4. cap. 2. ſect.*2. *num.* 451. *& ſeqq.* quo facto nihilominus Romam, vel ad Epiſcopum, ipſo etiam ignorante pœnitente pro diſpenſatione ſcribat (valet enim diſpenſatio etiam ignoranti impetrata, ut cum aliis docet benè Sanchez *lib.8. diſp.26. num.*4. Vide quæ diximus ſuprà *num.*377. obtenta deinde diſpenſatione vocet, vel accedat Confeſſarius eundem conjugem, illumque informet, quare præter ſuam jam factam diſpenſationem, etiam Romæ diſpenſationem procurarit; qualiter ipſe ejuſdem Matrimonium denuò revalidare poſſit, ac debeat. Ratio eſt: quia, ut docet Joannes Cardenas Author alioquin rigidus *in criſi Theologica diſſertat.4. cap.7. & apud ipſum Navarrus, Sotus, Sanchez lib.2. de Matrim. diſp.36. num.*8. in extrema, aut graviſſima neceſſitate, etiam quando agitur de valore Sacramenti, licitum eſt uti opinione tenuiter probabili: ergo multò magis in gravi neceſſitate licebit uti Sententia minus fortè probabili, & minùs tuta, etiamſi agatur de valore Sacramenti; ſiquidem neceſſitas affert ab intrinſeco pondus rationis, vi cujus Sententia pro illo caſu neceſſitatis fit practicè probabilis, adeòque etiam in caſu, de quo loquimur, poterit Confeſſarius diſpenſare ſi periculum incontinentiæ, vel alia neceſſitas urgeat; etſi poſteà diſpenſationem omninò certam pro certo Sacramenti valore impetrare debeat; ſicut etiam contingit in Baptiſmo, ubi, poſtquam infans in neceſſitate in defectu materiæ certæ baptizatus eſt cum materia dubia, ceſſante neceſſitate ſub conditione rebaptizandus eſt cum materia certò valida.

Reſp. III. Quamvis non deſint docentes, poſſe Regula- 392
res mendicantes diſpenſare ſuper quovis tam dirimente, quàm impediente Matrimonii impedimento, ſuper quo jure ordinario, & extraordinario diſpenſare poteſt Epiſcopus, tamen hæc Doctrina omninò periculoſa, & nullatenùs practicanda eſt, ut benè advertit Gobat *in Theol. experim. tract.* 9. *num.*721. & Reiffenſtuel *cit. num.*540. Ratio eſt: quia hæc poteſtas mendicantibus, nec ex jure, nec ex privilegio, conſequenter nullo modo competit. Non ex jure, ut omnes fatentur. Non ex privilegio; quia nullum allegari poteſt, prout etiam adverſarii nullum allegant. Nec obſtat, quòd mendicantes poſſint diſpenſare ſuper quovis, ſuper quo, jure ordinario diſpenſare poſſunt Epiſcopi, ut dictum ſuprà *num.*389. Ergo etiam poſſunt diſpenſare ſuper impedimentis, ſuper quibus jure ordinario poſſunt diſpenſare Epiſcopi, Negatur enim conſequentia, & paritas. Diſparitas eſt, quod poteſtatem diſpenſandi ſuper votis, ſuper quibus poſſunt Epiſcopi diſpenſare jure ordinario, habeant ex ſpecialibus, expreſſis privilegiis per plures Pontifices conceſſis, ut videre eſt apud Patritium Sporer *tract.3. in 2. Præcept. Decalog. cap.3. ſect.3. num.*54. non item poteſtatem diſpenſandi ſuper impedimentis Matrimonii.

### §. II. *Modus exequendi diſpenſationes Sacræ Pœnitentiariæ.*

POſtquàm igitur ſupplica pro diſpenſatione Romam ad 393
Sacram Pœnitentiariam, vel ad Curiam Epiſcopalem tranſmiſſa fuerit, tunc à S. Pœnitentiaria remittuntur litteræ Inſcriptæ ipſi Confeſſario, qui pro diſpenſatione Romam ſcripſit: has ergo Confeſſarius aperiat, & in illis inveniet litteras S. Pœnitentiariæ clauſas, & ſigillo S. Pœnitentiariæ obſignatas, quorum inſcriptio ad extraordinariè ita ſonat: *Diſcreto Viro Confeſſori, Magiſtro in Theologia,*

vel

*vel Decretorum Doctori, ex approbatis ab Ordinario, per latorem præſentium ad introſcripta ſpecialiter eligendo, ſalutem in Domino.* Subinde vero ſolùm ſic ſonat? *Diſcreto Viro Confeſſario, ex approbatis ab Ordinario, ſive proprio latoris Parocho ad introſcripta ſpecialiter deputato, ſalutem in Domino.* Ad intra verò litteræ S.Pœnitentiariæ pro diverſitate impedimentorum, & cauſarum pro quibus petitur diſpenſatio, ſunt variæ. Nos tantum duas in terminis formalibus hic referemus. Prima ſit

Formula Litterarum diſpenſationis.

*Super impedimento occulto affinitatis poſt contractum Matrimonium.*

394 N*Icolaus tituli S.Mariæ Angelorum S. R. E. Presbyter Cardinalis Ludoviſius, Diſcreto Viro Confeſſori, Magiſtro in Theologia, vel Decretorum Doctori, ex approbatis ab Ordinario, per latorem præſentium ab infraſcripto ſpecialiter eligendo. Ex parte latoris præſentium nobis oblata petit continebat, quòd ipſe aliàs matrimonium cum muliere, cujus ſororem anteà carnaliter cognoverat, publicè in facie Eccleſiæ contraxit, & ſucceſſivè conſummavit. Cùm autem, ſicuti eadem petitio ſubjungebat, lator prædictus ob impedimentum ex prædictis proveniens in dicto Matrimonio remanere nequeat abſque Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione, ad vitanda ſcandala, quæ, ſi divortium fieret inter eos, veroſimiliter oriri poſſent, ac pro ſuæ conſcientiæ quiete, cupit à præmiſſis, quæ ſunt occulta, & de quibus plurimùm dolet, abſolvi, ſecumque deſuper diſpenſari. Quare ſupplicavit humiliter, ut ſibi ſuper hoc de opportuno remedio providere dignemur. Nos itaque, qui Pœnitentiariæ Domini Papæ curam gerimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, authoritate Apoſtolica ſpecialiter nobis conceſſa, diſcretioni tuæ committimus, quatenùs, ſi eſt ita, dictum latorem audita priùs ejus Sacramentali confeſſione, ac ſublata occaſione, ſi qua adhuc extat, ampliùs cum dicta ſorore peccandi, à quibuſvis ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, quas propter præmiſſa quomodolibet incurrit, inceſtu, & exceſſibus hujuſmodi abſolvas hac vice, in forma Eccleſiæ conſueta, injuncta inde ei pro tam enormis libidinis exceſſu gravi pœnitentia ſalutari, ac Confeſſione Sacramentali peccatorum ſuorum, ſingulis ſcilicet menſibus, ut minimùm ſemel, aut quoties tibi videbitur, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda. Demum dummodò impedimentum præfatum ſit occultum, & ſeparatio inter latorem, & præfatam mulierem fieri non poſſit abſque ſcandalo; ex cohabitatione verò de incontinentia probabiliter timendum tibi viſum fuerit, aliudque impedimentum Canonicum non obſt, cum eodem latore, & dicta muliere de nullitate prioris conſenſus certiorata, ſed ita cautè: ut latoris delictum nuſquam detegatur, Matrimonium cum eadem, & uterque inter ſe de novo ſecretè ad vitanda ſcandala, præmiſſis non obſtantibus, contrahere, & in eo poſtmodùm remanere licitè valeant, miſericorditer diſpenſes; prolem ſuſceptam, ſi qua ſit, & ſuſcipiendam exinde legitimam decernendo in foro conſcientiæ, & in ipſo actu Sacramentalis Confeſſionis tantùm, & non aliter, neque ullo alio modo. Ita quod hujuſmodi abſolutio, & diſpenſatio latoris in foro judiciario nullatenùs ſuffragentur; nullis ſuper his teſtibus adhibitis, aut litteris datis, ſeu proceſſibus confectis, ſed præſentibus laniatis, quas, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ laniare tenearis, ita ut nullum earum exemptum extet eas latori reſtituas; quòd ſi reſtitueris, nihil ei præſentes litteræ ſuffragentur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub ſigillo officii Pœnitentiariæ &c.*

Altera formula litterarum diſpenſationis ſuper voto Caſtitatis integræ, & perpetuæ, in Ordine ad Contrahendum Matrimonium.

F*Abritius miſeratione Divina Epiſcopus Albanenſis S. R. E. Cardinalis Paulutius, diſcreto viro Confeſſario ex approbatis ab Ordinario, ſive proprio latricis Parocho ad infraſcripta ſpecialiter deputato ſalutem in Domino. Ex parte latricis nobis oblata petitio continebat, quòd ipſa aliàs ſimpliciter vovit caſtitatem ſervare. Cùm autem, ſicuti eadem petitio ſubjungebat, dicta latrix continenter vivere poſſe diffidat, ideò pro ſua conſcientiæ quiete cupit ſibi votum præfatum ad effectum contrahendi Matrimonium per Sedem Apoſtolicam commutari. Quare ſupplicavit humiliter, ut ſibi ſuper his de opportuno remedio providere dignaremur. Nos igitur, qui Pœnitentiariæ Domini Papæ curam gerimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati authoritate Apoſtolica ſpecialiter nobis conceſſa diſcretioni tuæ committimus, quatenùs, ſi eſt ita, dictam latricem audita priùs ejus Sacramentali confeſſione à mutatione propoſiti abſolvas hac vice in forma Eccleſiæ conſueta injuncta ei pœnitentia ſalutari, ſibique votum præfatum ad hoc tantùm, ut Matrimonium legitimè contrahere, & in eo debitum conjugale exigere, & reddere licitè valeat, diſpenſando commutes in Sacramentalem Confeſſionem ſemel quolibet menſe, & in alia Pœnitentiæ opera per te injungenda tamdiu duratura, quamdiu commutationi præfatæ locus erit, inter quæ ſint etiam aliqua pietatis opera, quæ quotidie faciat ad eum finem, ut ea adimplens meminiſſe ſemper poſſit obligationis ſuæ qua hujuſmodi voto adſtringebatur, prout ſecundùm Deum ipſius animæ ſaluti expedire judicaveris, in foro conſcientiæ, & in ipſo actu Sacramentalis Confeſſionis tantùm, & non alio modo: ita ut ſi conjugi, cui copulabitur ſuper vixerit, caſtitatem ſervet, utpote eodem voto, ut priùs obligata; & ſi unquam extra Matrimonium fornicata fuerit, aut mortuo conjuge alteri abſque nova diſpenſatione copulabitur, ſciat ſe contra votum hujuſmodi facere, & debitum conjugale exigere non poſſe, & ita illam moneas. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum ſub ſigillo officii Pœnitentiariæ, pridie Calendas Junii, Pontificatus Innocentii Papæ XIII. Anno primo.*

Subinde vero pro qualitate caſus, impedimenti, voti, vel irregularitatis, in quibus petitur diſpenſatio, Sacra Pœnitentiaria aliter reſcribit, ut etiam mihi non ſemel contingit. Inſuper, quando Sacra Pœnitentiaria diſpenſat in irregularitate cum clerico homicida, non eo ipſo diſpenſat etiam in inhabilitate ad beneficia, & officia Eccleſiaſtica, vel Regularia, contracta ob homicidium, ſed nova diſpenſatione opus eſt. Quoniam verò Confeſſarius, qui eligitur à Pœnitente, ad exequendas litteras Sacræ Pœnitentiariæ, ad amuſſim debet obſervare omnes clauſulas in iiſdem contentas, hinc ut eas meliùs intelligat, & conſequenter accuratiùs obſervet, ſequitur

II. Declaratio Clauſularum

*In Litteris Sacræ Pœnitentiariæ Contentarum.*

PRima Clauſula eſt: *Diſcreto viro Confeſſori, Magiſtro in Theologia, vel Decretorum Doctori*. Igitur qui vult aperire, & exequi litteras S.Pœnitentiariæ taliter inſcriptas, debet eſſe, vel Magiſter in Theologia, cujuſmodi ſunt in Curia Romana, & Academia Sorbonienſi, vel Doctor in Theologia; quia enim in dictis locis vocantur Magiſtri, appellantur in Germania, & in nonnullis aliis Univerſitatibus Doctores in Theologia, adeo ut Magiſter, & Doctor in Theologia ſint Synonyma teſte Sanchez *lib.*8. *diſp.*34. *nu.*5. Gobat *in Quinario tract.*5. *cap.*37. *num.*155. vel debet eſſe Doctor Decretorum ſive Juris Canonici; ita enim in ſenſu diviſivo has qualitates requirit tenor Clauſulæ. Unde nec Lectores, nec Profeſſores Theologiæ, etiam regulares, qui juxta Ordinis ſtatuta vocantur *Magiſtri* Theologiæ, vel Juris Canonici, præfatas litteras exequi poſſunt, niſi in publica aliqua Univerſitate, vel Academia realiter, & formaliter inſigniti ſint Laurea Doctoratus, aut id eis ex ſpeciali Privilegio Apoſtolico competat, quale competit Lectoribus Ordinis noſtri Seraphici, qui per Ordinis noſtri ſtatuta vocantur, & ſunt Lectores Jubilati (non item Generales, vel Emeriti, multò minùs actuales non Jubilati) prout per ſpecialem Bullam: *Exponi nobis* die 27. Novemb. 1679. conceſſit Innocentius XI. Ita Sanchez *lib.*8. *diſp.*34. *num.*9. Lezana *V. Littera Apoſtolica num.*14. Diana *part.*8. *tract.*3. *reſol.*103. Juſtis *lib.*1. *cap.*8. *num.*101. Reiffenſtuel *cit. num* 444. Pariter ex ſpeciali Privilegio poſſunt dictas litteras exequi Patres Confeſſarii Societatis Jeſu, non quidem omnes, ſed illi, qui ab eorum Præpoſito Generali, vel de ejus licentia ab aliis Societatis Superioribus ad id ſpecialiter deſignati fuerint, etiamſi Doctores Theologiæ, vel SS.Canonum non exiſtant. Ita enim expreſsè per ſpeciale privilegium conceſſit eiſdem *Gregorius XIII.* 3. *Aprilis* 1582. 395

Idem poſſunt ex communicatione cum privilegiis Societatis, alii mendicantes, ut benè notat Sanchez *lib.*8. *diſp.*34. *num.*11. Rodriquez *tom.*1. *QQ regul. quæſt.*63. *à num.*8. *in fine*, Juſtis *lib.*1. *cap.*8. *num.*103. Reiffenſtuel *cit. num.*447. & alii. Monent tamen Sanchez, & Rodriquez *loc. cit.* quod, ſicut Superiores Societatis, ita, & aliarum Religionum Mendicantium Superiores, quicunque tandem, etiam Provinciales, nec ipſimet exequi, nec ad exequendum alios deputare poſſint niſi, ad id licentiam à Generali habeant; quia hoc tanquam conditio in conceſſo privilegio expreſsè requiritur, aliàs non erit valida diſpenſatio. Hinc apud Societatem providè introductum eſt, ut à quovis Generali deſignentur in genere omnes Superiores Societatis, & alii Confeſſarii ab his ſpecialiter deputandi ad exequendas præfatas litteras; quod ut in hoc imitarentur aliæ Religiones, planè optandum eſſet, ut benè monet Rodriquez *loc. cit.* 396

Specia-

Digitized by Google

397 Specialis eſt difficultas, an S. Theologiæ, vel S. Canonum Licentiatus præfatas S. Pœnitentiariæ litteras validè exequi poſſit? Ad quàm negativè reſpondent Sanchez *lib.8. diſp.34.à num.5.* Juſtis *lib.1.cap.8.num.95.* Diana *par.8. tract.3 reſol.103.* Lezana *V.Littera Apoſtolica*, Pontius *de Matrim. lib.8.cap.21.§.1.num.13.* Gobat *in Quinario tract.5.cap.37.nu. 156* Reiffenſtuel *cit.num.442.* La Croix *lib.6.part.3.num.954.* cum communi aliorum. Ratio eſt: quia talis Licentiatus non eſt verè, & effectivè Magiſter aut Doctor in aliqua publica Univerſitate, vel Academia creatus, cui tantùm delegatur facultas exequendi litteras S.Pœnitentiariæ. Accedit, quòd in Sacramentis, ubi agitur de valore, ſicut eſt iſte, teneamur ſequi ſententiam tutiorem: ergo non licet ſequi ſententiam contrariam, quàm contra torrentem Doctorum docet *Engel in Manual. Paroch.par.3.cap.2.§.1.num. 16.* apud Reiffenſtuel *cit. num.443.*

398 Quando verò litteræ S.Pœnitentiariæ inſcribuntur ſic: *Diſcreto viro Confeſſario, ex approbatis ab Ordinario &c.* videre eſt ſupra *num.394.* In altera Formula litterarum diſpenſationis ſuper voto caſtitatis, non requiritur, ut ille, qui vult exequi præfatas litteras, ſit Magiſter aut Doctor Theologiæ aut SS.Canonum; cùm hoc in litteris S.Pœnitentiariæ taliter inſcriptis non deſideretur. Hinc, quando Confeſſarius, quiſcunque demum, Romam ſcribit pro impetranda diſpenſatione pro ſuo Pœnitente, & à S. Pœnitentiaria humiliter petit, ut ſibi, licèt non ſit Magiſter, vel Doctor Theologiæ, aut S.Canonum, deleget facultatem exequendi ipſius litteras reſpectu ſui Pęnitentis, hoc ipſi ordinariè concedetur; maximè ſi alleget aliquam cauſam.

399 Secunda clauſula eſt: *Ex approbatis ab Ordinario* illius videlicet, Diœceſis in qua ſit executio litterarum S.Pęnitentiariæ, vel ab Ordinario Pęnitentis. Ubi notandum, quòd ſi Confeſſarius Regularis velit exequi litteras S.Pęnitentiariæ, neceſſariò debeat eſſe approbatus ab Epiſcopo loci, in quo ſit executio litterarum S.Pęnitentiariæ, & non ſufficiat, quòd ſit approbatus ab Ordinario Pęnitentis; quando verò Confeſſarius non Regularis vult exequi litteras S. Pęnitentiariæ, ſufficiat, quòd ſit approbatus, vel ab Ordinario loci, in quo ſit executio litterarum S.Pęnitentiariæ, vel ab Ordinario Pęnitentis. Ratio hujus diſparitatis eſt: quia Confeſſarius exequens litteras S.Pęnitentiariæ, debet eum, circa quem vult diſpenſare, audire pęnitentem, ut brevi infrà dicetur, & conſtat ex litteris S. Pęnitentiariæ; jam autem Clemens X. Bulla: *Superna* 2. Auguſti 1670. decrevit: *Regularem ab Epiſcopo approbatum ad audiendas Confeſſiones* ſæcularium in ſua Diœceſi, non poſſe in alia Diœceſi audire Pęnitentes ſubditos eidem Epiſcopo, citra approbationem Epiſcopi Diœceſis, ubi eſt: ergo ut Regularis poſſit exequi litteras S.Pęnitentiariæ, non ſufficit, ut ſit approbatus ab Ordinario pęnitentis, ſed debet eſſe approbatus ab Epiſcopo loci, in quo ſit executio litterarum præfatarum. Cùm verò ſupradicta Bulla Clementis X. concernat tantùm regulares, ut ex ipſa patet; hinc ſi Confeſſarius non regularis velit exequi litteras S. Pęnitentiariæ, ſufficit, quòd ſit approbatus, vel ab Epiſcopo loci, in quo ſit executio diſpenſationis, vel ab Epiſcopo pęnitentis; quia Confeſſarius approbatus ab Epiſcopo pęnitentis habet juriſdictionem in illum in quocunque loco, quæ utpotè voluntaria etiam extra territorium exerceri poteſt, & conſequenter eum pœnitentem ubivis audire, & abſolvere poteſt. Ita P. Dominicus Viva, *de Jubilæo quæſt.9.art.3.*

400 Tertia clauſula eſt: *Per latorem præſentium ad infraſcripta ſpecialiter eligendo*. Hinc requiritur, ut quis ab oratore, pro quo diſpenſationis litteræ ſunt emanatæ, ad exequendas illas ſpecialiter ſit electus. Si tamen unus Confeſſarius à pœnitente electus exequi recuſet, vel ob nimium rigorem pœnitenti diſpliceat, poſſit pœnitens alium eligere, qui forſan alterius, & benignioris eſt opinionis. Sanchez *lib. 8. diſp.27.n.40.* Guttierez *de Matrim.cap.125.num.18.* Lezana *V. littera Apoſtolica num.19.* Juſtis *de diſpenſat.lib.1.cap.8.num. 122.* Corradus *lib.7.cap.4.num 72.* dicens, ita ſæpè interrogatam S.Pœnitentiariam ipſammet reſpondiſſe. Ratio eſt: quia commiſſio in litteris S.Pœnitentiariæ non determinatur ad unum in individuo Confeſſarium.

401 Quarta clauſula eſt: *Diſcretioni tuæ committimus, quatenùs ſi ita eſt &c.* Vi hujus clauſulæ debet executor Pœnitentem examinare, & videre, an preces veritate nitantur, v.g. an Matrimonium jam ſit contractum, an impedimentum ſit occultum, an ſcandala ex ſeparatione veroſimiliter ſint timenda &c. & ſi preces veritate non niti repererit, diſpenſare non poteſt; quia veritas precum eſt conditio requiſita ad valorem diſpenſationis; conditione autem non ſervata, invalida eſt diſpenſatio juxta communem, & certam, *arg. leg. diligenter ff mandati & cap.cùm dilecta*, *de reſcript.* Non tamen eſt neceſſarium, ut pro informatione adhibeat notarium, vel teſtes, vel exigat juramentum à pœnitente, ſed ſufficit, ipſum ſolum examinare; cujus deinde dictis fidem habere, & diſpenſare poteſt, ac debet. Ita Juſtis *lib.1.cap. 8.num.127.* Sanchez *lib.8.diſp.34.num 25.* Pontius *de Matrim. lib.8.cap.22.num.16.* & alii communiter. Ratio eſt: quia, cùm diſpenſatio committatur pro ſolo ſecreto foro conſcientiæ interno, attenduntur leges dicti fori, in quo creditur ſoli pœnitenti etiam non juranti.

402 Quinta clauſula eſt: *audita priùs ejus Sacramentale Confeſſione*. Quare certum eſt defacto, ante executionem litterarum S.Pœnitentiariæ debere pœnitentem priùs Sacramentaliter confiteri Confeſſario debitè qualificato, & ad exequendas litteras electo. Ita Corradus *lib.8.cap.10.num.31.* Juſtis *de diſpenſat.lib.1.cap.8.* Gobat *in Quinario tract.5.cap. 37.num.176.* Reiffenſtuel *cit.num.457.* Ratio eſt: quia dicta clauſula in ablativo poſita conditionem importat. Idque procedit, etſi pœnitens priùs alteri jam fuerit confeſſus, & ab inceſtu, aliiſque peccatis abſolutus, de facto nullum in conſcientia habeat peccatum mortale ob rationem modò datam. Nec refert, quòd pœnitens ab alio jam abſolutus de præſenti nonniſi venialia habeat, ad quæ confitenda nullum Eccleſia obligat. Nam licèt abſolutè loquendo ad venialia confitenda, vel mortalia jam confeſſa Eccleſia nullum obliget, tamen poteſt Eccleſia ad ea confitenda obligare conditionatè, dicendo: *Quicunque vult eſſe particeps hujus vel illius ſpecialis gratiæ, priùs confiteatur Sacramentaliter*; uti in caſu noſtro expreſsè ſit. Hanc clauſulam confirmat ſequens clauſula: *In foro conſcientiæ, & in ipſo actu Sacramentalis confeſſionis, & non aliter, nec alio modo*. Putat tamen Gobat, valere diſpenſationem caſu, quo pœnitens ſacrilegè confiteatur Commiſſario Pœnitentiariæ, ſi id ſacrilegium committeretur præcisè, vel ob defectum doloris, vel ob reticentiam peccati non habentis reſpectum ad diſpenſationem. Item Filliucius *tract.10. num. 355.* Eſcobar *in Summa tract 1.Exam.61 cap.4.num.124.* Diana *part.8.tract.3. reſol. 106.* apud Gobat *cit. num.188.* Si verò reticentia illa ſacrilega verſetur circa rem, cujus diſpenſatio quæritur, non ſufficit ea ſacrilega confeſſio. Ita *citati*. Hinc in praxi pęnitens, licèt jam fuerit confeſſus ſuum inceſtum, iterum de novo illum confiteatur Confeſſario diſpenſaturo, & novam propter illum pęnitentiam accipiat, & ſic nullum erit periculum de nullitate diſpenſationis.

403 Sexta clauſula eſt: *ac ſublata occaſione, ſi qua adhuc extat, ampliùs cum dicta ſorore peccandi*. Quæ clauſula, quia rurſus in ablativo ponitur, conditionem importat, & neceſſariò ſervari debet. Videtur autem hic per *occaſionem peccandi* intelligi occaſio proxima, non remota. Gobat *cit.num. 189.* debet tamen occaſio proxima cum dicta ſorore peccandi jam ante diſpenſationem actualem eſſe ſublata; quia ſic volunt litteræ S. Pęnitentiariæ, ut ex ipſarum tenore patet conſequenter ante actualem ejuſdem ablationem diſpenſari nequit validè. *Gobat cit.num.190.*

404 Septima clauſula eſt: *injuncta ei pro tam enormis libidinis exceſſu, gravi Pœnitentia ſalutari, ac Confeſſione Sacramentali peccatorum ſuorum, ſingulis ſcilicet menſibus, ut minimum ſemel, aut quoties tibi videbitur*. Quæ clauſula in ablativo poſita pariter conditionem importat, & conſequenter ante diſpenſationem adimplenda eſt, ſaltem quoad impoſitionem menſtruæ Confeſſionis citatæ. Quod attinet *gravem pœnitentiam ſalutarem*, ſi pęnitens aliàs jam fuiſſet ritè confeſſus illam enormem libidinem Confeſſario, non deberet gravem pro ea pęnitentiam imponere. Gobat *cit. n.208.* quia *Divina Clementia dimiſſa peccata in ultionem redire non patitur cap.fin de Pœnitent. diſt.4.* Quantùm *ad Confeſſionem menſtruam*, hæc debet fieri per totam vitam, quia litteræ S. Pęnitentiariæ non determinant certum tempus. Sufficit tamen, quocunque die menſis fiat, & ſi Pœnitens ex alterius Confeſſarii præcepto, vel ex voto haberet jam aliàs onus confitendi ſingulis menſibus, videretur ſatisfacturus, & huic, & Pœnitentiariæ obligationi per unam Confeſſionem uno menſe, per duas duobus. *Salas, Portel, Lezana* apud Gobat *cit. num.220.* quia *in pœnis benignior interpretatio eſt facienda, reg 49. Juris in 6.* Imò Gobat *cit.num.215.* & apud ipſum *Perez* dicunt, ſi pœnitenti moraliter foret impoſſibilis Confeſſio menſtrua, ſufficeret bimeſtris; quia Eccleſia utpotè pia mater non vult obligare ad moraliter impoſſibilia. Argum. *reg.6. in 6. & cap.Conſilium*, *de obſervat. jejun.* Si Pęnitens hanc ſibi impoſitam Confeſſionem menſtruam culpabiliter omitteret etiam ſemel tantùm, peccaret mortaliter Judice *Gobat cit. num. 222.* Ratio eſt: quia particularia Eccleſiæ præcepta obligant ad inſtar univerſalium: cùm igitur præceptum Generale de Confeſſione annua obliget ſub mortali, obligat & hoc particulare de Confeſſione menſtrua ſub mortali ſingulis menſibus. Quod ſi uno menſe omittat, non tenetur alio compenſare, quia eſt annexa menſi. *Gobat cit.num.219.* Nec deſinit hæc Confeſſio

ma-

Digitized by Google

menſtrua obligare per lucrationem Jubilæi, vel indulgentiæ plenariæ. *Gobat cit. num.226.* Quia tamen litteræ S. Pœnitentiariæ nil dicunt de Communione, hæc non eſt à Confeſſario injungenda. Poſſet tamen loco illios gravis pęnitentiæ, de qua ſuprà, eam aliquoties per annum impetrare Confeſſarius exequens litteras S. Pœnitentiariæ. Ita *Gobat cit. num.217.*

405 Octava clauſula eſt: *Et aliis, quæ de jure fuerint injungenda.* Id eſt, ſi præter pœnitentiam ſalutarem, & menſtruam Confeſſionem occurrerit Confeſſario aliquid, de quo monendus foret pœnitens, v.gr. aliqua fortaſſe reſtitutio honoris, bonorum &c. deberet Confeſſarius monere.

406 Nona clauſula eſt: *à quibuſvis ſententiis, Cenſuris &c. abſolvas in forma Eccleſiæ conſueta*, ea, ſcilicet, qua Eccleſia in foro Sacramentali uti ſolet. *Gobat cit. num.207.*

407 Decima clauſula eſt: *Dummodò impedimentum præfatum ſit occultum.* Itaque ſi impedimentum jam eſſet manifeſtum, diſpenſatio fieri non poſſet, & facta invalida foret etiam in foro interno. Reiffenſtuel *cit. num.469.* Impedimentum autem tunc cenſetur occultum, quando, vel omninò ſecretum exiſtit, ita, ut nulla ratione probari valeat; vel ſi quidem ſciatur ab uno, vel alio, aut tribus, vel quatuor, vel quinque nullum tamen periculum eſt, quòd ulteriùs publicetur, Sanchez *de Matrim. lib.2. diſp.40. num.15.* Boſco *de Matrim. diſp.12. ſect.13. num.* 138. Barboſa, Henriquez, & alii apud Reiffenſtuel *cit. num.44.*

408 Undecima clauſula eſt: *Et ſeparatio inter latorem, & Mulierem fieri non poſſit abſque ſcandalo; ex cohabitatione verò de incontinentia probabiliter timendum tibi viſum fuerit.* Vult hæc clauſula, ut, ſi abſque ſcandalo ſeparari poſſint putativi conjuges, vel ſaltem, ſi ſeparari nequeont, ut frater, & ſoror cohabitare ſine periculo incontinentiæ valeant, negata diſpenſatione Confeſſarius putativos conjuges ad id inducat. Si verò ſecundùm prudens Confeſſarii judicium utrumque fieri nequeat, cum ipſis diſpenſet.

409 Duodecimà clauſula eſt: *Aliudque Canonicum impedimentum non obſtat*: quia diſpenſatio non niſi ſuper petito datur, conſequenter aliud non expreſſum minimè tollit; ut habet certa, & communis: *arg. cap. inter dilectos 6. de fide inſtrum.* hinc ſi Confeſſarius præter expreſſum in litteris impedimentum, etiam alio laborare pęnitentem cognoſcit, diſpenſare nequit, etſi bona fide, & ex ignorantia invincibili illud pœnitens exprimere omiſerit.

410 Decima tertia eſt: *Dicta muliere de nullitate prioris conſenſus certiorata, ſed ita caute, ut latoris delictum nunquam detegatur.* Qualiter hoc fieri debeat, vide Patritiom Sporer *Theol. Sacram. par.4 cap.2. ſect.2. num.458.* Sequitur: *Ut Matrimonium ſecretè ad vitanda ſcandala contrahere &c.* id eſt, ſine Parocho, & teſtibus de novo valeat.

411 Decima quarta eſt: *Prolem ſuſceptam, ſi qua ſit, exinde legitimam decernendo in foro conſcientiæ tantùm.* Pro intelligentia hujus clauſulæ notandum. I. Quod ſi Matrimonium præmiſſis denuntiationibus in facie Eccleſiæ, bona fide ſaltem ex parte unius jam erat contractum, proles ex eo nata quoad omnia in utroqoe foro, ipſo jure ſit legitima, modo tempore conceptionis prolis adhuc duraverit bona fides ex parte ſaltem unius conjugis. Ita Reiffenſtuel *lib.4. Decret. tit. 17. num.2. & ſeqq.* cùm pluribus à ſe citatis Authoribus. II. Si proles fuit concepta ante diſpenſationem, & Matrimonio mala fide ex parte utriuſque contracto legitimatur vi dictæ clauſulæ in foro conſcientiæ quoad omnes effectus tàm temporales, v.g. ſucceſſionem in hæreditate, quàm ſpirituales, eo quòd tunc Pontifex cenſeatur diſpenſare in radice Matrimonii. Reiffenſtuel in appendice de diſpenſat. *num.475.* III. Si proles concepta, & nata fuit ante Matrimonium invalidè contractum, vi dictæ clauſulæ etiam pro foro interno legitimatur tantùm quoad effectus ſpirituales, conſequenter nec in occulto bona conſcientia ſuccedere poteſt in bonis temporalibus, ſi extant alii liberi legitimi, Sanchez *lib. 8. diſp.7. num.7.* Corradus *lib.8. cap.3. num* 50. *&* 53. Juſtis *lib.1. cap.7. num.270.* & alii communiter. Ratio eſt: quia Papa talem prolem quoad effectus politicos legitimare non poteſt; niſi de ejuſdem territorio temporali exiſtant ejus parentes. Vide Reiffenſtuel *cit. num.456.* IV. Si poſt diſpenſationem ex Matrimonio mala fide utriuſque priùs invalidè contracto, nunc autem revalidato naſcatur proles, legitima cenſetur quoad omnes effectus tam temporales, quàm ſpirituales. Idem *Reiffenſtuel cit. num.477.* debet tamen iſta legitimatio fieri in ipſo actu Confeſſionis Sacramentalis.

412 Decima quinta clauſula eſt: *In foro conſcientiæ tantùm &c. ita quòd hujuſmodi abſolutio, & diſpenſatio latori in foro judiciario nullatenùs ſuffragentur.* Hæc clauſula apertè indicat, quòd Sacra Pœnitentiaria uti non poteſt, ita nec velit aliter abſolvere, diſpenſare, & legitimare, quàm in caſibus occultis pro ſolo foro interno. Hinc ne quid pro foro externo probari valeat, addit ulteriùs Sacra Penitentiatia ſeqoentes clauſulas: *nullis ſuper his teſtibus adhibitis aut litteris datis*, vi cujus clauſolæ vult, ut pro diſpenſatione facienda, vel facta nullus teſtis adhibeatur, nec de ea facta litteras teſtimoniales det Confeſſarius, nec ipſe oretenùs deſuper teſtetur. Hinc denuo addit: *Præſentibus laniatis, quas ſub pœna excommunicationis latæ laniare tenearis, ita ut nullum eorum exemplum extet.* Per quàm clauſulam tenetur Confeſſarius ſub peccato mortali litteras diſpenſationis lacerare, vel deſtruere, vel comburere, vel ſaltem Sigillum deſtruere. *Gobat cit. num.267.* Ratio eſt: quia excommunicatio major non infligitur, niſi propter peccatum mortale; ut de cenſuris patebit. Poteſt tamen Confeſſarius eas deſcribere, & copiam pro ſua, vel aliorum inſtructione retinere: quia illa verba: ita ut nullum eorum exemplum extet, prohibent tantùm copiam authenticam in debita juris forma factam, ſervientem ad probandum pro foro externo. *Gobat cit. num.273.* Sequitur: *Neque latori reſtituas.* Hinc graviter peccaret Confeſſarius, ſi litteras diſpenſationis, jam mandatas executioni, iterùm reſtitueret pęnitenti, ut obſervat *Gobat cit. num.274.* meritò tamen addens, novam excommunicationem propterea noo incurri. Denique additur: *Quòd ſi reſtitueris, nihil ei præſentes litteræ ſuffragentur*, intellige, in foro externo; quia poſtquam executioni jam fuere mandatæ, earum valor, & effectus pro foro interno minimè tollitur ex eo, quod Confeſſarius illas iterum tradat Pęnitenti, quamvis tradendo graviter peccet, ut modo dictum.

Decima ſexta clauſula eſt: *Gratis ubique.* Hæc à tergo 413
inſcribi ſolita id ſignificat, quod nec Officiales Pęnitentiariæ, nec executores litterarum illius, poſſint aliquid exigere, vel acceptare etiam ſponte oblatum, etiam ſub prætextu laboris. Lezana verſ. *Littera Apoſtolica num.* 34. Gobat *cit. num.179.* Poſt factam vero diſpenſationem executor ejuſdem aliquid gratis oblatum accipere, (minimè verò prætendere) poteſt. Sanchez *lib.7. diſp.35. num.14.* Juſtis *lib.1. cap.6. num.* 245. La Croix *cit. num.817.* & alii, eo quod tunc jam eſſet ratio prohibitionis, quæ eſt, ne Judex muneribus excęcatus iniquè diſpenſet. Vide dicta ſuprà *num.377.*

Declaratio clauſularum in altera formula diſpenſationis 414
ſuper voto caſtitatis contentarum poteſt colligi partim ex declaratione præcedentium clauſularum, partim ex ſequentibus. I. Dicitur in ea formula: *Votum præfatum ad hoc tantùm, ut Matrimonium legitimè contrahere, & in eo debitum conjugale exigere, & reddere licitè valeat, diſpenſando commutes &c.* Ex qua clauſula clarè patet, votum caſtitatis non totaliter extingui, nec totaliter diſpenſari, ſed ad certum tempus, quamdiu nimirùm Matrimonium contrahendum durabit, in alia pęnitentiæ opera per litteras S. Pęnitentiariæ commutari poſſe. II. Dicitur: *in Sacramentalem Confeſſionem ſemel quolibet menſe, & in alia pœnitentiæ opera per te injungenda &c. inter quæ ſint etiam aliqua pietatis opera, quæ quotidiè faciat &c.* Hinc Confeſſarius debet pro commutatione prædicti voti caſtitatis imponere Confeſſionem menſtruam, & alia pęnitentiæ opera v. gr. communionem menſtruam, & eleemoſynam annuam; præter quæ adhuc debet imponere ad minimum duo opera pietatis quotidiana, cùm in litteris diſpenſationis dicatur in plurali: *inter quæ ſint etiam aliqua pietatis opera, quæ quotidie faciat.* Et ſic præter ſupradicta imponat pęnitenti v. gr. recitationem trium Pater, & Ave quotidianam in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, & Litanias Lauretanas quotidie recitandas in honorem Beatiſſimæ Virginis Mariæ. Hæc opera tenetur tunc modò pęnitęns incipere exequi, quando actu contrahit Matrimonium, & illa die, qua moritur ipſius conjux, ceſſat obligatio prædicta opera exequendi. Ratio eſt: quia ante Matrimonium contractum, & poſt Matrimonium per mortem iterùm diſſolutum tenetur ſuum votum caſtitatis totaliter ſervare. III. Dicitur: *ita, ut ſi conjugi, cui copulabitur, ſupervixerit, caſtitatem ſervet, utpote eodem voto ut priùs obligata, & ſi unquam extra Matrimonium fornicata fuerit, aut mortuo conjuge alteri abſque nova diſpenſatione copulabitur, ſciat ſe contra votum hujuſmodi facere, & debitum conjugale exigere non poſſe, & ita illam moneas.* Ex quibus patet manifeſtè votum caſtitatis non totaliter diſpenſari, ſed prætiſè ad hoc, ut Matrimonium cum uno contrahere, & in illo debitum conjugale petere, & reddere licitè valeat. Hinc Confeſſarius debet talem pęnitentem monere. I. Quòd, ſi conjux, cui copulabitur, mortuus fuerit, ſuum votum caſtitatis ex integro iterum teneatur ſervare. II. Si in Matrimonio, quod jam contrahere intendit, faciat aliquid contra caſtitatem cogitatione, verbo, vel opere, conjugibus non permiſſum, etiam peccat contra ſuum votum, graviter, vel leviter pro qualitate materiæ, & conſequenter circumſtantiam voti in gravi materia in Confeſſionali aperire teneatur. III. Quòd, ſi conjux, cui copulabi-

tur,

Digitized by Google

tur, mortuus fuerit, nequeat alteri nubere ſine nova diſpenſatione; ſi tamen nuberet alteri, faciat contra ſuum votum, & mortaliter peccet; ac etiam in tali Matrimonio contra ſuum votum caſtitatis contracto debitum conjugale exigere non poſſit, licèt reddere teneretur, ut benè docet P. Patritius Sporer *Theol. Sacrament. part. 4. cap. 1. num. 140. & cap. 2. ſect. 3. num. 476.*

415 III. Acceptis itaque litteris diſpenſationis Sacræ Pęnitentiariæ, ſignificabis tuo pęnitenti, habere te, de quo ipſi loquaris. Ipſo præſente oſteres ipſi litteras adhuc clauſas, & ſigillatas, & inquires, an te, vel alium eligat pro executione ipſarum; ſi alium elegerit, tu ne præſumas aperire litteras præfatas, ſed remittes pęnitentem ad illum, quem elegerit. Si verò te eligat ad executionem illarum, & tu habeas qualitates in ſuperinſcriptione litterarum S. Pęnitentiariæ requiſitas, in nomine Domini eaſdem aperias, & exponas pęnitenti omnes clauſulas eum concernentes, quæres, an vera ſint, quæ illic aſſeruntur, & an præſtare velit, quæ injunguntur. Si his interrogatis deprehendas defectum neceſſariæ conditionis, cave ne diſpenſes; ſi verò comperias omnia adeſſe requiſita (credas autem aſſerenti ſine teſte, ſine juramento, dummodò contrarium tibi non conſtet aliunde. *Perez disp. 48. ſect. 5. num. 9.* Salas *de Legibus disp. 20. ſect. 10. num. 97.*) jube eum aut mox, aut paulò poſt tibi confiteri. Audita Confeſſione commonefac, ſi opus eſt, de fugienda occaſione peccandi cum ſorore uxoris, injunge injungenda, impone tum pœnitentiam, quàm merentur ejus peccata, tum Confeſſionem per totam vitam ſingulis menſibus peragendam, & alia pœnitentiæ opera, prout litteræ diſpenſatoriæ præſcribunt, abſolve à cenſuris, deinde cum illo diſpenſa in impedimentn, vel voto, vel irregularitate &c. declara ejus prolem eſſe legitimam, denique da abſolutionem à peccatis. Poſtremò litteras diſpenſationis dilania. Poſtquam diſpenſatio ſic fuit executioni mandata, conjuges antequam exerceant actus ſolis conjugibus licitos, renovare debent conſenſum juxta modos traditos à P. Patritio Sporer *Theolog. Sacrament. part. 4. cap. 2. ſect. 2. num. 456.* quia ſola diſpenſatio in impedimento dirimente Matrimonii non facit Matrimonium validum, niſi accedat novus, & validus conſenſus, cùm prior propter obſtans impedimentum fuerit invalidus.

416 IV. Formula diſpenſandi in impedimento poſt Matrimonium jam contractum. Dicto *Miſereatur, & Indulgentiam. Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat, & ego Authoritate ipſius abſolvo te ab omni vinculo excommunicationis, & interdicti, in quantum poſſum, & tu indiges: & authoritate Apoſtolica* (*vel Epiſcopali*, ſi ab Epiſcopo fuerit conceſſa diſpenſandi facultas) *mihi ſpecialiter delegata, diſpenſo tecum ſuper impedimento primi gradus affinitatis v. g. ex copula illicita, quam cum ſorore tua putata conjugis habuiſti, antequam cum ea Matrimonium contraheres, ut illo non obſtante, renovato conſenſu, Matrimonium cum tua putata uxore contrahere, conſummare, ac in eo remanere validè, & licitè poſſis, pariterque proles, ſi quas ſuſcepiſti, vel adhuc ſuſcipies, legitimas decerno, declaro. Deinde ego te abſolvo à peccatis tuis, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti &c.*

Si uterque conjux ſit conſcius impedimenti, uterque in petitione diſpenſationis exprimendus eſt, & conſequenter uterque, impetrata diſpenſatione, confiteri, & ſic abſolvi debet.

Formula diſpenſandi in voto caſtitatis in ordine ad contrahendum Matrimonium. Dicto *Miſereatur, & Indulgentiam. Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvas, & ego Authoritate ipſius abſolvo te ab omni vinculo excommunicationis, & interdicti, in quantum poſſum, & tu indiges, & authoritate Apoſtolica mihi ſpecialiter delegata, diſpenſo tecum ſuper voto caſtitatis integræ, & perpetua à te emiſſo, illudque commuto in Confeſſionem menſtruam, & alia pœnitentiæ opera &c. & ut illo non obſtante Matrimonium contrahere, ac in eodem debitum conjugale exigere, & reddere licitè valeas, & poſſis. Deinde ego te abſolvo à peccatis tuis, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Paſſio Domini &c.*

Qualis Formula ſit adhibenda in diſpenſatione ſuper irregularitate, dicetur infra *cap. 3* cùm agemus de irregularitate. Sciendum tamen, quod quando S. Pœnitentiaria diſpenſat in irregularitate, non eo ipſo diſpenſat ad Beneficia, vel dignitates Eccleſiaſticas obtinendas, vel condonat fructus malè perceptos ex Eccleſiaſticis Beneficiis, quia hæc nova, & ſpeciali diſpenſatione indigent, obtinenda tamen à Sacra Pœnitentiaria.

417 Notat etiam Gobat *in Quinario cap. 37. nu. 254.* Quamvis in litteris S. Pœnitentiariæ ſit expreſſum, ut diſpenſatio fiat *in ipſo actu Sacramentalis Confeſſionis* (ſicuti ordinariè ſic exprimitur) id eſt, dum durat Confeſſio Sacramentalis, quæ tamdiu durat, quamdiu non datur, vel pœnitentia, vel abſolutio; hæc quippè eſt pars Sacramenti eſſentialis, illa integralis; tamen videretur etiam Confeſſarius ſatisfacturus menti S. Pęnitentiariæ, & Summi Pontificis, ſi ſtatim poſt datam abſolutionem diſpenſaret; quia Confeſſarius ſtatim poſt datam abſolutionem adhuc poteſt loqui cum pęnitente de peccatis in Confeſſione detectis, & nondum cenſeatur planè perfectum Confeſſionis Miniſterium, ſed adhuc durat Judicium Sacramentale: certum tamen eſt, ſecurius eſſe, dare diſpenſationem ante datam abſolutionem à peccatis ob verba S. Pęnitentiariæ ſupradicta.

## QUÆSTIO IV.

### *De Ceſſatione Legis per privilegium.*

### SUMMARIUM.

419 *Quid ſit privilegium, ejuſque natura?*
420 *Quotuplex ſit privilegium?*
421 *Quiſnam poſſit privilegium concedere.*
422 *Et Quibus?*
423 *Quid ſit communicatio privilegiorum?*
424 *An Regulares Mendicantes habeant inter ſe communicationem privilegiorum?*
425 *An etiam communicent in privilegiis Societatis Jeſu?*
426 *An etiam Moniales, & Tertiarii gaudeant communicatione privilegiorum?*
427 *Quid obſervandum in communicatione privilegiorum?*
428 *Modi, quibus ceſſant privilegia, recenſentur.*
429 *Quomodo privilegia ceſſent per renuntiationem, & non uſum?*
430 & 431 *An pereant morte concedentis?*
432 *Et qualiter per revocationem concedentis?*
433 *Duplex eſt privilegium Clericorum, ſcilicet Canonis, & fori.*
434 *Multa ſunt privilegia Regularium.*
435 *Primum eſt remiſſio omnium peccatorum, & pœnarum per Profeſſionem Religioſam.*
436 *Secundum eſt omnium votorum præcedentium per profeſſionem Religioſam ſublatio.*
437 *Et ſeqq. Recenſentur reliqua Religioſorum privilegia in communi.*
441 *Quænam Regularium Mendicantium privilegia poſt Concilium Tridentinum, & poſt revocationem vivæ vocis Oraculorum adhuc valeant?*
442 & 443 *Quænam privilegia pro noſtro Ordine Seraphico adhuc valeant?*
444 & 445 *Noſtra privilegia fuere à Sede Apoſtolica ſæpiſſimè, ac noviſſimè confirmata.*

## ASSERTIO IV.

*Privilegium eſt conſtitutio Principis ſpecialem favorem concedens, adeóque ſolus ille, qui poteſt legem condere, poteſt privilegium concedere, non tantùm ſubditis, ſed etiam extraneis. Regulares Mendicantes habent pleniſſimam inter ſe communicationem privilegiorum, imò etiam communicant privilegiis conceſſis aliis Ordinibus non Mendicantibus; & licet privilegia Regularium Sacris Canonibus, Decretis Concilii Tridentini adverſantia, ſicut etiam vivæ vocis Oraculo conceſſa ſint revocata, nihilominus Clerici, & Regulares, gaudent adhuc pluribus veris, validis privilegiis.* Eſt communiſſima 418

### §. I. *Privilegii Natura, Diviſio, Cauſa, & Subjectum.*

I. Privilegium deſcribi poteſt, & quòd ſit conſtitutio Principis ſpecialem favorem concedens; nam per privilegium datur facultas ſpecialis, ad aliquid agendum, vel omittendum, recipiendum, vel conferendum, aliiſque implicitè, & velut ex natura rei eo ipſo præcipitur, ne in hoc poſſint privilegiatum impedire. Differt privilegium à lege in hoc, quòd privilegium ex natura ſua non petat eſſe perpetuum, aut concedi communitati perfectæ, aut ſolemniter promulgari, nec etiam in eo intendatur bonum commune, ſed potiùs, & immediatè privatum, ob quod *Lex privata* dici ſolet, *c. Privilegia diſt.* 3. inſuper per ſe loquendo non obligat privilegiatum ad eo utendum: per privilegium enim conceditur beneficium, non imponitur onus. Per accidens tamen tenetur ſubinde privilegiatus uti ſuo privilegio, quando hoc nimirùm in privilegio præcipitur; prout præcipitur Clericis, ut utantur privilegio, 419

Cleri-

Digitized by Google

Clericali Canonis, & fori. Differt etiam privilegium à diſpenſatione, ut patet ex communi modo loquendi, quo diſpenſationes in impedimentis Matrimonii, irregularitate, & ſimilibus, quæ dantur ad unicum actum, etſi ſint quædam Beneficia, non tamen ſunt privilegia. Quia privilegium non eſt ſemper contra legem, & Jus, ſed ſubinde præter legem, vel ultra jus; diſpenſatio verò ſemper eſt contra legem, & jus; quia eſt relaxatio legis. Deinde privilegium, etſi non ſemper ſit perpetuum, tamen ſuapte natura amat ſtabilitatem, & permanentiam, & videtur importare jus velut ordinarium agendi, vel omittendi aliquid contra, vel præter jus. Porrò ad eſſentiam privilegii non requiritur ſcriptura, ex *Clem. dudum, de ſepulturis*, & conſtat ex pluribus privilegiis vivæ vocis Oraculo conceſſis; quamvis ad fidem faciendam in judicio regulariter ſcriptura requiratur, quando privilegium non eſt conſuetudine acquiſitum; prout inſtar aliorum jurium, ac bonorum acquiri poteſt. Scriptura autem, in qua privilegium conceditur, ſubinde vocatur *Indultum*, aliquando *reſcriptum*, vel *Bulla* vel *Breve*. Ut tamen privilegium ſortiatur ſuum effectum, neceſſe eſt, ut innoteſcat, & acceptetur à privilegiato, vel ejus Procuratore. Ita *Doctores paſſim*. Ratio eſt: quia privilegium eſt veluti quædam donatio, quæ non valet, antequàm innoteſcat donatario, vel ejus procuratori, & ab eo acceptetur; maximè quia invito Beneficium non datur, *reg. 69. ff. de reg. juris*.

420 II. Multiplex eſt privilegii diviſio: I. Enim dividitur privilegium in *Reale*, & *Perſonale*; nam licèt omne privilegium perſonam reſpiciat, quippè, quæ ſola eſt ipſius capax: aliud tamen confertur perſonæ intuitu ipſius individuæ perſonæ; aliud verò intuitu Rei, quæ perſonæ annectitur, puta, loci, officii, dignitatis alteriuſve qualitatis &c. prius dicitur perſonale, poſterius reale. Perſonale ſequitur perſonam, & cum ea expirat, *cap. privilegium, de reg. juris in 6.* Reale ſequitur rem, & tranſit ad omnes, in quibus res invenitur, *leg. Imperatores, ff. de publicanis*. Porrò res, cui privilegium annectitur, alia eſt corporea, ut Eccleſia, Monaſterium &c. Alia eſt incorporea, ut Epiſcopatus, Doctoratus, Clericatus, Monachatus &c. Unde omne privilegium alicui communitati conceſſum eſt reale, & perpetuum. Reale eſt: quia perſonæ alicujus communitatis non ideò gaudent illo privilegio, quia ſunt individuæ perſonæ, ſed quia ſunt affectæ qualitate totius communitatis. Perpetuum eſt; quia communitas durat perpetuò, & fictione juris habetur quaſi pro perſona perpetua. Ita *Suarez, & Palao apud Paulum Mezger tract. 8. disp. 37. art. 2. num. 2.* II. Dividitur privilegium in privilegium *contra jus*; & *ultra, vel præter jus*. Privilegium contra jus eſt, quo juri communi derogatur, eſtque proinde ſtrictæ interpretationis, ut exemptio à ſolvendis decimis &c. Privilegium ultra, vel præter jus eſt, cujus actus, vel materia non eſt quidem jure prohibita, ſed tamen non niſi certis perſonis conceſſa, ut poteſtas diſpenſandi, abſolvendi à reſervatis &c. III. Dividitur in *Perpetuum*, & *Temporale*. Privilegium perpetuum eſt, quod ex vi conceſſionis, & rei, cui conceditur, potens eſt perpetuò durare. Temporale eſt, quod ex vi conceſſionis tempore limitato finitur. IV. Dividitur privilegium *in ſcriptum, & non ſcriptum*. Scriptum eſt, quod per ſcripturam conceditur. Non ſcriptum, vel eſt oretenùs tantum à Superiore conceſſum, & dicitur *Privilegium vivæ vocis oraculo conceſſum*; vel per conſuetudinem, legitimamque præſcriptionem introductum. V. Dividitur in privilegium *pro foro conſcientiæ tantùm, & pro foro externo*: Privilegium pro foro conſcientiæ eſt, quod ſolùm prodeſt, ut quis ſalva conſcientia illo uti poſſit, non verò, ut quis exteriùs, & in foro contentioſo pro privilegiato agnoſcatur. Privilegium pro foro externo eſt, quod non tantùm prodeſt in conſcientia, ſed etiam in judicio externo. Dubium autem eſt: an ſi privilegium concedatur pro foro pœnitentiali, liceat illo uti extra Sacramentum pœnitentiæ? multi probabiliter negant, nihilominùs probabilis etiam eſt: teſte Paulo Mezger *cit. num. 15.* illorum ſententia, qui diſtinguunt; vel actus conceſſus in privilegio, eſt abſolutio à malo culpæ, quod nonniſi per Sacramentalem abſolutionem tollitur; & tunc privilegium extra Sacramentum pœnitentiæ exerceri non poteſt, ut per ſe patet: vel eſt à malo pœnæ, ut ſunt Pœnitentia, Cenſura, excommunicatio &c. quæ extra Sacramentum pœnitentiæ imponi, & auferri ſolent, & tunc datur exercitium privilegii etiam extra forum Sacramentale: quia, cùm talis abſolutio ſit verè pœnitentialis, datur in foro conſcientiæ pœnitentiali, licèt non ſit in foro Sacramentali, quod ſtrictè appellatur pœnitentiale. Ita cum Sylveſtro, Roſella, Tabiena docet Suarez *lib. 8. cap. 6. num. 15.* Palao *tract. 3. disp. 4. part. 2. §. 5.* Herincx *de legibus disp. 4. quæſt. 5. num. 67.* addens aliud eſt enim forum pœnitentiale, aliud forum pœnitentiæ Sacramentalis; nam etiam exercetur judicium pœnitentiale, quando aliquis v. g. à Cenſura abſolvitur pro foro conſcientiæ, impoſita ſalutari pœnitentia, etſi hoc fiat extra Confeſſionem.

III. Privilegium concedere poteſt ſolus legiſlator. Nam 421
vel privilegium eſt contra jus, adeoque includit diſpenſationem, & derogationem legis: & hoc clarum eſt ſoli legiſlatori, vel ejus ſucceſſori, vel utriuſque Superiori competere juxta ſupradicta; aut eſt præter jus commune, vel municipale, & tunc ſaltem obligat ſubditos, ne privilegiatum impediant in uſu ſui privilegii, qui eſt indirectus privilegii effectus: ſed etiam iſtud nemo poteſt niſi legiſlator. Ita Suarez *lib. 8. cap. 8. num. 1.* Salas *disp. 17. ſect. 3.* Palao *tract. 3. disput. 4.* Layman, Herinx, Mezger *cit. art. 5. num. 1.* & alii. Poteſt igitur Pontifex, & Imperator concedere privilegium derogans juri communi, Epiſcopus legi Diœceſanæ; omnes tamen in materia ſibi ſubjecta, in qua ſubditos obligare poſſunt. Item ſolus legiſlator poteſt Authenticè interpretari privilegium à ſe conceſſum: ejus quippè eſt juridicè, & Authenticè interpretari actum, cujus eſt concedere actum, *leg. Sacratiſſima C. de LL.* Unde privilegia à Summo Pontifice conceſſa, inferiores Prælati non poſſunt judicialiter interpretari. Generalibus tamen Religionum, & reſpectivè Provincialibus, dubia privilegia non tantùm doctrinaliter ſed etiam juridicè, & Authenticè interpretari conceſſum eſſe, ex conceſſione à Julio II. facta Generali Ordinis Prædicatorum, probant *Salmanticenſes* apud *Mezger cit. art. 3. num. 2.* Ubi etiam poteſtatem limitandi, reſtringendi, imò etiam pro ſuis ſubditis tollendi uſum privilegiorum ab Apoſtolica Sede promanantium, ex Summorum Pontificum Leonis X. Clementis IV. & Gregorii XIII. conceſſionibus probant Miranda *tom. 2. quæſt. 43. art. 4.* Lezana *tom. 1. cap. 18.* Suarez *de relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 22.* Aliiſque. Quis verò doctrinaliter poſſit privilegia interpretari, & quomodo ſint interpretanda, colligi poteſt ex dictis ſuprà hac *ſect. quæſt. 2. num. 331.* Hoc adnotare placuit, privilegia contra jus commune, aut particulare alterius, eſſe ſtrictè interpretanda ordinariè; privilegia verò, quæ in nullius cedunt præjudicium, eſſe amplè interpretanda, cùm ſint purum Principis beneficium, quod latam petit explicationem, *leg. Beneficium, ff. de Conſtitut. Princip.* & favores ſunt ampliandi ex *reg. juris 15. in 6.* Odioſa verò ſunt reſtringenda. Item privilegium conceſſum Religioſis, extendi ad Moniales, conceſſum filiis ad filias, conceſſum Fratribus ad ſorores, nam hæ cenſentur nomine illorum comprehendi, niſi contrarium ſignificetur, ut ſi dicatur: *Viris Religioſis, filiis maſculis &c.* Herincx *cit. disp. 4. quæſt. 7. num. 92.* Qui etiam *num. 87.* docet, Prælatis Eccleſiæ inhiberi interpretationem privilegiorum Regularium, ex conceſſione Clementis IV. facta Prædicatoribus, & Minoribus, & Pauli III. facta Societati Jeſu. Et meritò; ne cognoſcant de propria cauſa, & in ea ſint Judices. In favorem tamen non prohibentur privilegia Doctrinaliter explicare: quo modo in favorem interpretanda eſſe Regularium, privilegia quando dubium exoritur ex ambiguitate verborum aut interpretatione juriſperitorum, varii Pontifices conceſſerunt; ut refert Rodriquez *tom. 1. quæſt. 11. art. 6. verſ. Decima Regula*.

IV. Privilegium ſtrictè dictum, vel quod eſt contra jus 422
debet concedi aliquo modo ſubdito; per illud enim eximitur privilegiatus à lege, cui proinde ſubdi debeat, aut exercetur aliquis actus juriſdictionis. Quando autem eſt præter jus, poteſt concedi non ſubditis; tunc enim propriè non eſt tam actus juriſdictionis, quàm cujuſdam donationis, & dominii illius rei, vel juris, quod per privilegium datur. Herincx *cit. quæſt. 4. num. 59.* Sic Princeps poteſt forenſibus concedere facultatem è ſuo regno extrahendi arma, frumentum, merces, quas alioquin ſubditis extra provinciam vendere non liceret. *Palao*, Aliique apud Mezger *cit. art. 5. num. 2.* Sed poteſtne quis uti privilegio extra territorium concedentis? Reſpond. I. poſſe te uti privilegio illimitatè conceſſo in omni loco contentò ſub territorio concedentis; uti è contra non poteſt in omni eo loco uti, ſi privilegii conceſſio limitetur ad determinatum locum. Ratio eſt: quia poteſtas utendi privilegio dependet à voluntate privilegiantis, undè ſi illa nihil limitet, poteris uti illimitatè; ſi quid limitet, debebis uti limitatè. II. Si privilegii uſus nec juri communi, nec particulari alicujus loci adverſetur, potes ubique locorum eo uti; imò ſi privilegium ſit contra jus commune, licèt eo uti extra territorium concedentis. Ratio eſt: quia privilegium non ſequitur locum, ſed perſonam, ſi ſit perſonale; vel qualitatem perſonæ, ſi ſit reale; ideò diſpenſatus ab Epiſcopo

à je-

à jejunio, abſtinentia à carnibus &c. ubivis locorum poteſt uti ſuo privilegio. Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 23. num.* 16. Mezger *cit. num.* 5. Excipit Layman cit. caſum, ſi diſpenſatio in lege communi jejunii facta ſit pro tota Diœceſi ob peculiarem aliquam cauſam, v. gr. ut in Quadrageſima propter tempora belli veſci carnibus liceat, non poterit incola peregrè profectus eo uti in aliena Diœceſi, ubi lex communis Eccleſiaſtica jejunii obſervatur, quia ejuſmodi privilegium cenſetur adhærere loco; idem dicendum de aliis ſimilibus. III. Si privilegium adverſetur legibus ſpecialibus locorum, quibus etiam Peregrini, & forenſes obligantur (quales dari diximus *ſect. præced. quæſt.* 4. *num.* 254. *& ſeqq.*) non poteſt illo uti in tali loco extra territorium concedentis. Ratio eſt: quia concedens privilegium non potuit te abſolvere, & deobligare à legibus Principis illius loci, per quem tranſis, ut patet. Si verò leges ſpeciales tuo privilegio contrariæ ſint ejuſmodi conditionis, ut illis Peregrini tranſeuntes non ligentur (quales etiam dari, diximus *ſect. præced. quæſt.* 4. *num.* 257.) poteris uti privilegio, ſi adſit ſcandalum. Ratio eſt: Quia tunc non es ſubjectus legibus ſpecialibus illius loci, per quem tranſis. Ita apud Mezger *cit. num.* 7. P. Petſchacher.

### §. II. *Communicatio privilegiorum.*

423 Communicari privilegium eſt jus per privilegium conceſſum uni, per novam conceſſionem etiam concedi alteri, quando nimirùm privilegium ejuſdem rationis conceditur ad imitationem alterius jam priùs alteri ſubjecto conceſſi. Hoc notato

424 I. Religioſi Mendicantes habent pleniſſimam inter ſe communicationem privilegiorum; imò etiam communicant privilegiis conceſſis aliis Ordinibus non Mendicantibus. Communiſſima Doctorum Regularium apud Herincx *cit. quæſt.* 6. Sannig *diſt. 2. de privileg. Regular. quæſt.* 4. Reiffenſtuel *in 5. Decret. tit. 33. num.* 55. Caſſaing *de privileg. regular. tract. 1. cap. 3. propoſitione* 1. Portel. *V. Communicatio privileg.* Alphonſus de Caſarubios *eodem verbo*. Rodriquez *tom. 1. QQ. regul. quæſt.* 55. Miranda *tom. 2. quæſt.* 4. *& alii*. Idque ex variis conſtitutionibus Pontificiis, præſertim Julii II. Leonis X. & S. Pii V. manifeſtè patet. Et quidem pro Ordine Fratrum Minorum notanda eſt ampliſſima conceſſio Clementis VII. per Bullam, quæ incipit; *Dum fructus uberes*, in quo Pontifex *motu proprio, & ex certa ſcientia, omnia, & ſingula privilegia, immunitates, exemptiones, indulta, Indulgentias, peccatorum remiſſiones, & gratias, dicto Minorum, & S. Claræ, ac Tertio de pœnitentia nuncupato, Ordinibus, illorumque perſonis, locisque conceſſa &c. approbat, & innovat: eiſque omnia, & ſingula privilegia, conceſſiones, Indulgentias, & gratias &c. quibuſvis Ordinum Mendicantium, vel non Mendicantium Congregationibus quomodolibet conceſſa, & concedenda, ſuæ profeſſionis regularis obſervantiæ non contraria, communicat in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi eis ſpecialiter conceſſa fuiſſent*. Ita citata Bulla Clementis VIII. pro Ordine Fratrum Minorum Regularis obſervantiæ. Data Romæ 1525. die 30. Maii. Quæ Bulla poſteà fuit confirmata à Paulo IV. Pio IV. S. Pio V. Gregorio XIII. Sixto V. & aliis Pontificibus; ſpecialiter à Clemente VIII. Bulla: *Ratio Paſtoralis* 1597. Unde

425 II. Ordines Mendicantes etiam communicant in privilegiis Societatis Jeſu, Quia Gregorius XIV. per Conſtitutionem quæ incipit: *Illius, qua*, quæ eſt 17. *in tom. 2. Bullar. Cherub.* Ciſtercienſibus, & Cruciferis, præter cuncta alia privilegia, etiam in ſpecie conceſſit *privilegia Societatis Jeſu*, cum quibus Ciſtercienſium privilegiis ſine dubio communicant etiam cæteri Mendicantes, præſertim nos Fratres Minores. Imò etiam Ordines Mendicantes communicant in in privilegiis Societatis illis, quæ habent clauſulam talem; *Ne illis per communicationem fruantur cæteri Mendicantes*. Ita Diana *part. 3 tract. 2. reſol.* 81. Rodriquez *tom. 1. QQ. Regular. quæſt. 55. art.* 7. Herincx *diſp. 4. de Legibus quæſt. 6. num.* 75. Donatus *part. 1. tom. 1. tract. 7. quæſt.* 8. Miranda *in Manual. Prælat. tom. 2. quæſt. 46. art. 5. concluſ.* 2. Reiffenſtuel *in 5. Decretal. tit. 33. num.* 64. Ratio eſt: Quia ſubſequentes Gregorium XIII. (qui talem clauſulam appoſuit) Pontifices, de novo abſque dictis limitationibus pleniſſimam conceſſerunt Mendicantibus, & confirmarunt communicationem privilegiorum; quorum Pontificum poteſtati derogare non ſtatuit, imò non potuit, ullus Anteceſſor juxta unanimem: *cum non habeat par in parem imperium, cap. exiit, §. cæterùm, de verborum ſignific.* & alibi. Quòd autem Succeſſores ſine dictis limitationibus conceſſerint, patet ex Bulla cit. Clementis VIII. *Ratio Paſtoralis* 20. Decembris 1597. in qua pro Ordine noſtro de novo conceſſit, innovavit, & confirmavit omnia, & ſingula privilegia quibuſcunque, & quomodocunque conceſſa, non obſtantibus quibuſvis *clauſulis irritativis, nullativis, etiam privilegiorum eorum revocativis, reſtrictivis, reſervativis, exceptivis, declarativis, mentis atteſtativis, ac derogatoriarum derogativis &c.* prout ampliùs videre eſt in citata Bulla per extenſum poſita apud *Reiffenſtuel cit. num.* 57. idem patet ex conſtitutione Gregorii XIV. ſuprà in principio hujus numeri citata; adeò, ut teſte *Reiffenſtuel cit. num.* 65. proin nullum prorſus dubium ſuperſit, quin cæteri Mendicantes, præſertim Fratres Minores, gaudeant quoque privilegiis Societatis Jeſu, etiam cum clauſula, *ne illis per communicationem fruantur cæteri Mendicantes*, conceſſis.

III. Omnes Moniales S. Claræ, & Tertiariæ clauſtraliter viventes ſubditæ Fratribus Minoribus; item etiam aliæ Moniales, quæ non ſunt Clariſſæ, vel Tertiariæ, ſi ſint ſubditæ Fratribus Minoribus, gaudent privilegiis Fratrum Minorum. Ita Rodriquez *tom. 2. QQ. regul. quæſt.* 55. ubi plures hac ſuper re affert Bullas Papales, idem dicendum, juxta *Sannig citat. num.* 7. de aliis Monialibus, aliis Religionibus ſubjectis. Tertiarii verò utriuſque ſexus, ſive conjugati, ſive non conjugati, viventes in privatis domibus, non gaudent privilegiis Fratrum Minorum quoad exemptionem à decimis, tributis, poteſtate Ordinarii ſive Eccleſiaſtici, ſive Laici, ſed illi ſolum, quibus competunt conditiones requiſitæ à Concilio Lateranenſi, ſub Leone X. quales ſunt clauſtraliter viventes &c. (vide P. Kerckhove *in ſtatuta noſtra Generalia cap. 7. §. 25. num.* 10. Cæteris tamen privilegiis, quæ non ſunt ſublata per Concilium Lateranenſe, ut ſunt merè ſpiritualia, gaudere poſſunt. Ad quod facit, quòd Sixtus IV. in Mari Magno Carmelitarum Bulla 57. in Bullario *Rodriquez*, extendat indulta, & favores tam ſpirituales, quàm temporales ad Tertiarios Carmelitarum etiam conjugatos utriuſque ſexus, ſpecificans *num.* 84. etiam Indulgentias. Conformiter Clemens VII. Bulla 5. apud *Rodriquez*. Tertiariis quibuſcunque Ordinis noſtri communicat omnia privilegia, favores, & Indulgentias Ordinis Minorum, Predicatorum, Clariſſarum, aliorumque Ordinum Mendicantium. Vide Hieronymum Rodriquez *reſol* 116. *num.* 40. *& reſol.* 136. *num.* 1. Novitii quoque gaudent privilegiis conceſſis illius Ordinis profeſſis, in quo annum probationis faciunt; ut conſtat ex diverſis conceſſionibus Pontificiis, quas vide *in compend. privileg. Societ.* titulo *communicatio*, & habet Suarez, Riccius, & alii apud *Dianam, & Sannig cit. num.* 6. 426

IV. Circa communicationem privilegiorum adhuc ſciendum. I. Quòd Religioſi non communicent in pœnis, & prohibitionibus alterius Ordinis. Ita Portel. & Herincx *cit. quæſt. 6. num.* 81. quia odia ſunt reſtringenda, favores verò amplianda. II. Quòd in communicatione privilegiorum ſubintelligatur, etſi non exprimatur clauſula: *dummodò privilegia Regulari obſervantiæ non ſint contraria*. Hanc enim non præſumitur Papa velle relaxare, niſi, quando id cauſa cognita, & urgente, expreſsè declarat. *Herincx cit. num.* 77. III. In privilegiis ſubindè adduntur quædam reſtrictiones ad coarctandum ipſum favorem, & hæ ſine dubio communicantur aliis, qui in privilegiis communicant; cùm non communicent majorem favorem, quàm ſit datus in principali conceſſione. Sic quando datur privilegium familiaribus Fratrum Minorum; ſed degentibus dumtaxat intra ſepta Monaſterii, communicatur aliis Ordinibus cum eadem reſtrictione. Item privilegia conceſſa in feſtivitatibus Sanctorum Ordinis Minorum communicantur Ordini Prædicatorum cum ſimili reſtrictione. Et quidem *Julius II. Bulla* 18. *apud Rodriquez* declarat, reſtrictionem cum proportione eſſe accomodandam; adeò ut conceſſa Magiſtro Generali Prædicatorum cenſeatur conceſſa Miniſtro ſeu Vicario Generali Ordinis Minorum, & contrà: ſimilem item proportionem inſtituendam eſſe Provincialis ad Provincialem, Prælati aut Vicarii loci ad Prælatum aut Vicarium loci, item Congregationis Ordinis unius ad Congregationem Ordinis alterius, Fratrum privatorum ad Fratres privatos, ac denique feſtivitatum ad feſtivitates. Unde colligit Rodriquez *tom. 1. QQ. regul. quæſt. 55. art.* 20. Indulgentias plenarias conceſſas Eccleſiis Fratrum Minorum in feſtivitatibus SS. Franciſci, Antonii &c. cenſeri conceſſas Eccleſiis Fratrum Prædicatorum pro feſtivitatibus SS. Dominici, Thomæ de Aquino &c. & contrà: quamvis feſtivitates utriuſque Ordinis ſint in impari numero. Idipſum tradit *Hieronymus Rodriquez, Marchant in reſolutionibus Caſuum, caſu* 15. *& Herincx cit n.* 79. Subindè autem additur reſtrictio non ad reſtringendum favorem, 427

ſed

ſed potiùs ad concedendum favorem ſpeciali inſtituto; prout ex declaratione Gregorii XIII. conceduntur Societati JESU privilegia cum hac reſtrictione, ut ſinguli Religioſi eis uti non poſſunt, niſi à præpoſito Generali, vel alio per ipſum deputato eis communicentur. Hæc tamen reſtrictio non communicatur aliis Religionibus, in quibus ratio iſtius reſtrictionis locum non habet: ideòque ſicut conceſſionibus ſibi principaliter factis, ſic etiam factis Societati per communicationem fruuntur abſque tali reſtrictione. E contrà autem Clerici Societatis, ſicut privilegiis principaliter Societati conceſſis, ſic etiam aliis conceſſis per communicationem non gaudent, niſi cum præfata reſtrictione. Deinde, (*ut ait Suarez lib. 8. cap. 17. num. 6.*) reſtrictio iſta fuit addita per ſpecialem declarationem Gregorii XIII. poſtquàm privilegia abſolutè Societati erant conceſſa, nec proinde reſtringit modum utendi privilegiis, niſi quoad Societatem ipſam: communicatio autem facta Religionibus eſt de ſolis privilegiis, & Gratiis, non autem de hujuſmodi declarationibus. Interdum tamen (quòd benè notandum) additur iſta reſtrictio ad coarctandum ob ſpecialem cauſam, & conditionem privilegii, & tunc ipſa communicatur cæteris Religionibus, ut patet in privilegio exequendi litteras S. Pœnitentiariæ, conceſſo Generali Societatis, & per ipſum ſpecialiter deputandis, quod cum tali reſtrictione etiam cęteris Religionibus communicatur, ut diximus quæſt. præc. *n.* 396.

### §. III. *Ceſſatio Privilegiorum.*

428 I. MUltis modis ceſſare privilegia, omnium eſt Doctorum Sententia; nam I. privilegium perſonale perit pereunte perſona, cui conceſſum eſt, ut juxta *reg. 7. juris in 6. privilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinquitur cum perſona.* Ita cum communi Maſtrius *Theol. Moral. diſp. 2. qu. 6. art. 3. num.* 194. Privilegium verò reale perit pereunte re privilegiata, quia rei cohæret, ſicque per deſtructionem rei etiam perit privilegium juxta *reg. 42. jur., in 6. Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis.* Hoc tamen non eſt indiſtinctè intelligendum, ſed tunc demum procedit, ſi res privilegiata deſtruatur ſine ſpe reſtitutionis. Ita Zoeſius *in 5. Decret. tit. 33. num.* 43. Engel *eodem titul. num.* 14. Reiffenſtuel *eod. nu.* 171. Hinc ſi res, Eccleſia, vel alius locum privilegiatus deſtruatur authoritate Superioris, abſque ſpe reſtitutionis, perit ejus privilegium. Quòd ſi verò per vim hoſtium, ruinam, vel alium caſum fortuitum locus, vel alia res privilegiata, puta, Eccleſia fuerit deſtructa, cum ſpe tamen refectionis, conſervantur ejus privilegia, & jura, cum hoc diſcrimine: quòd ſi Jus, vel privilegium adhæret pavimento, remanet continuò, ut conſecratio loci ſacri, quæ etiam ſalva manet loco deſtructo, *l. Æde Sacra, ff. de Contrah. Emption.* ibi: *Æde Sacra terra motu diruta, locus ædificii non eſt profanus.* Si autem uſus Juris, vel privilegii præcisè requirat ipſam rem privilegiatam puta, Eccleſiam, adeò, ut alibi non poſſit haberi, tunc quidem pro tempore ſuspenditur privilegium; extructa tamen iterum Eccleſia reviviſcit. arg. *c. Paſtoralis 7. quaſ. 1. & l. cùm loca ff. de religioſis, & ſump. fun.* ac notat Zoeſius *cit. numer.* 43. II. privilegium ceſſat, & perditur per *abuſum*, ex *capit. ultim. privilegia, de privilegiis*, ubi dicitur: *privilegium omninò meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate.* Non tamen ſemper ipſo Jure amittitur privilegium per abuſum, ſed per ſententiam, & revocationem eſt auferendum. Ita Zoeſius *citat. num.* 38. poſt Suarez. Interdum tamen ipſo facto amittitur, quando omnimòm de Jure expreſſum eſt. III. Privilegium ceſſat ceſſante cauſa, ob quam datum eſt: nam ut *dicitur cap. ceſſante 60. de Apellat. ceſſante cauſa ceſſat effectus.* Intellige hoc de cauſa *finali*, quæ eſt principalis cauſa privilegii, ita ut ab ea dependeat privilegium & *in fieri* & *in facto*, ac conſervari, & ſine qua princeps privilegium nullo modo conceſſiſſet. Nam ceſſante ſolùm cauſa impulſiva, non idcircò ceſſaret, cùm in ea non nitatur. Item intellige hoc de *privilegio, quod derogaret Juri communi, aut alterius tertii*, ad cujus conſervationem etiam requiritur cauſa. Siquidem privilegium *preter Jus*, ſeu quod continet merum beneficium Principis, ad ſui conſervationem non requirit aliam cauſam præter liberalem conceſſionem: quin imò juxta *reg. 16. jur. 6. Decet conceſſum à Principe beneficium eſſe manſurum.* Item intellige hoc de *privilegio tractum ſucceſſivum ad actum, ſeu effectum reiterabilem habente*: nam ſi privilegium in unica tantùm actione conſiſtat, puta, in diſpenſatione ſuper Matrimonio, jamque habeat ſuum effectum conſummatum, v. gr. actualem diſpenſationem conceſſam ſuper matrimonio, manebit ſalvum, etiamſi poſtmodùm cauſa ceſſet, & ad caſum devenerit, à quo inchoari non poſſet: ſiquidem, ut habet *regula 73. jur. in 6. factum legitimè retractari non debet, licet caſus poſted eveniat, à quo non potuit inchoari.* Item intellige hoc, quòd hic modus per ceſſationem cauſæ amittendi privilegium tunc præcipuè procedat, quando finis, ſeu cauſa privilegii, non tantùm ceſſat *negativè*, ſed etiam *contrariè*. Ubi nota, quòd tunc cauſa privilegii, ceſſet *negativè*, quando ratio, quæ movet Principem ad conceſſionem privilegii, non ampliùs ſubſiſtit, uſus tamen ejus non eſt injuſtus. *Contrariè* verò tunc dicitur ceſſare cauſa finalis privilegii, quando uſus propter mutationem materiæ, & circumſtantiarum factus eſt iniquus, ac injuſtus: nam cùm privilegium de re illicita ſit nullum, ceſſabit, quamprimùm cauſa ejus contrariè ceſſat. Ita *Reiffenſtuel cit. n.* 87.

II. Quartò privilegium ceſſat per renuntiationem liberam, & expreſſam alicujus perſonæ particularis, ſi in ejus ſolius favorem privilegium fuit conceſſum; *cùm liberum ſit unicuique juri ſuo renuntiare; cap. ſi de terra*, de *privilegiis*. Si verò privilegium principaliter conceſſum ſit in favorem alicujus communitatis, dignitatis, vel loci, non poteſt ei renuntiari à perſonis particularibus illius communitatis vel loci, ex *cap. ſi diligenti, de foro competent.* ubi dicitur: *cùm non ſit beneficium hoc perſonale, cui renuntiare valeat: ſed potiùs toti Collegio Eccleſiaſtio publicè ſit indultum, cui privatorum pactio derogare non poteſt*: Hinc Clerici etiam volentes non poſſunt renuntiare privilegio *fori*, prout deciſum habetur cit. *cap. ſi diligenti, de foro competent.* Neq; poſſunt renuntiare privilegio *Canonis*, ex *c. contingit. 36. de ſentent. excomm* ibi: *cùm ille Canon non tam in favorem Clerici ordinati, quàm in favorem Ordinis Clericalis fuerit promulgatus*; ut ibidem ſubditur. Quintò privilegia affirmativa conceſſa cum gravamine aliorum ver. gr. exigendi decimas, imponendi tributum &c. amittuntur per non uſum via præſcriptionis, ſi interim fuit occaſio utendi privilegio, & tamen eo uſus non fuerit privilegiatus, *ſcienter, ſpontè, ac voluntariè*, & per tempus ad præſcriptionem requiſitum pro qualitate privilegiorum, de quo tempore videatur P. Patritius Sporer *tract. 6. in Decal. cap. 1. ſect. 5. numer.* 213. Ita communis, & certa apud Reiffenſtuel *cit. num.* 204. Ratio eſt: quia etiam aliæ obligationes, & ſervitutes tam reales, quàm perſonales, tranſeundi per aliam viam, ſic præſcribuntur, & amittuntur, ut videre eſt apud Sporer *loc. cit.* privilegia verò affirmativa, quæ ſunt meræ gratiæ, atque in nullius gravamen cedunt, v. gr. celebrandi ante auroram, abſolvendi, diſpenſandi, & hujuſmodi per merum non uſum nunquam amittunt. Ita Reiffenſtuel *cit. numer.* 209. citans Layman, Suarez, Pirrhing, Engel, Baſſæum, Bonacinam, Rodriquez, & alios. Idemque nonnulli extendunt ad Indulgentias perpetuas, quæ per longum tempus non ampliùs fuerunt uſitatæ. Ratio eſt: Quia hujuſmodi privilegia non amittuntur via præſcriptionis; cùm nemo ſit, qui contra hujuſmodi privilegia non oneroſa præſcribere poſſit. Neque amittuntur per tacitam renunciationem, quia quilibet liberam facultatem habet privilegio utendi, vel non utendi; unde cùm in ſimilibus *non uſus, vel uſus contrarius*, ſit actus liberæ facultatis, qui non inducit præſcriptionem, vel renuntiationem, non videntur talia privilegia per eum amitti, dummodò habeant cauſam ſucceſſivam, & effectum iterabilem. Similiter privilegia negativa merè gratioſa ver. gr. non jejunandi, nunquam amittuntur per uſum contrarium, ob rationes modò dictas. Ita Suarez *lib. 8. de legibus c. 35. num.* 22. Pontius *lib. 8. de Matrim. cap. 18. num.* 2. Pirring *tit. de privileg. num.* 183. cum communi. Privilegia autem negativa cum onere aliorum conceſſa, v. gr. non ſolvendi decimas vel tributum, amitti poſſunt per uſum contrarium. Ita Suarez *cit. cap. 34. n.* 20. & 35. *num.* 1. & 2. Pontius *loc. cit. num.* 9. Layman *lib. 1. tr. 4. cap.* 23. Pirring *cit. num.* 178. cum communi, & certa aliorum apud Reiffenſtuel *cit. num.* 213. uti patet ex *c. cùm deceſſiſſent. de conſtit.*

III. Sextò privilegium conceſſum ad certum tempus, vel actum, perit elapſo tempore, aut abſoluto actu. Sed Petes: *An etiam privilegium pereat per mortem concedentis naturalem, vel Civilem, id eſt, per abdicationem officii?* Reſp. cum communi apud Herinex *diſp. 4 de legibus qu.* 8. negativè. Ratio eſt: quia donatio, & gratia ſimpliciter facta, & acceptata non dependent in conſervari ab influxu donantis, aut concedentis. Patet etiam ex *c. ſi ſuper gratia*, de *offic. Judicis delegati in 6.* idque verum eſt, etſi res adhuc ſit integra, ſeu privilegium necdum ſit cœptum deduci in uſum, nam equidem eſt gratia abſolutè facta. Unde à fortiori Confeſſarii Regulares Mendicantes ſemel à Provinciali deputati ad diſpenſandum v. g. cum inceſtuo- 430



Digitized by Google

ſis ad petendum debitum conjugale, non indigent ulteriori deputatione Succeſſoris, præſertim, cùm licentiam, ſeu privilegium diſpenſandi non det ipſe Provincialis, ſed ipſe Papa, etſi iis duntaxat, qui fuerint à Provinciali deputati. Ita Herincx *cit. n.* 94. Portel. *in dubiis Regularibus V. Confeſſor Regularis erga ſæculares, n.*83. Confirmatus ex eo, quia etiam amoto Provinciali, qui deſignavit Confeſſarios Regulares pro ſæcularibus, non expirat eorum Juriſdictio, cùm hanc non det Provincialis, ſed Summus Pontifex. Aliud eſt, ſi privilegium non detur ſimpliciter, ſed cum aliqua conditione illud reſtrigente ad vitam aut durationem officii, vel ſoleat ex conſuetudine, aut ſpecialibus ordinationibus ita intelligi; prout idcircò interdum ex uſu, vel ſtatutis facultates à Prælatis provincialibus conceſſæ ſubditorum ſuorum Confeſſariis ſuper caſus reſervatos indigent renovatione facienda per Succeſſorem, de quo noſter P. Gaudentius Kerckhove *in noſtra ſtatuta Generalia cap.* 6. §. 22. *num.* 106. Ita ſcribit: poteſtas, quæ datur aliquibus Confeſſariis pro aliqua communitate, ſeu conventu noſtri Ordinis Seraphici, Nationis Germano-Velgicæ, deputatis, qui & Pœnitentiarii iſtius Conventus dici poſſunt, expirat per ſe loquendo, ſi tales ad alium Conventum traſferantur, & poteſtas illa pro alio Conventu non renovetur: quia tantùm ratione loci illam habent. Si autem in eodem Conventu maneant, hæc eorum poteſtas non expirat, donec is, qui dedit, aut Succeſſor illius, expreſsè revocet, vel denuò alios pro illo Conventu determinet ipſis prætermiſſis, ut patet ex hoc ſtatuto. Ita *Kerckhove cit.* Unde (pergit *Herincx cit. nu.* 95.) Facultas audiendi Confeſſiones, abſolvendi à caſibus Papalibus &c. Ordini, imò privatæ perſonæ conceſſa abſque limitatione, aut ſub conditione, quæ per mortem concedentis non extinguitur, perſeverat mortuo concedente; ut ſi dicatur: *Ad beneplacitum Sedis, uſque ad revocationem noſtram &c.* Secùs eſt, ſi dicatur: *donec vixero, tempore mei officii &c.* idem etiam eſt juxta varios Doctores, ſi dicatur: *uſque ad beneplacitum meum*: per mortem etiam ceſſat beneplacitum. Aliquibus tamen videtur ſic loquentem communi uſu intendere idem, ac ſi diceret: *donec revocavero aut aliter ordinavero*. Imò ſicut juxta ſententiam plurimorum (de qua in materia de contractibus) poſſunt cæteræ donationes poſt mortem donantis acceptari, ſic conſequenter etiam poſſet acceptari privilegium poſt mortem concedentis: ex parte enim illius eſt gratia abſolutè facta: adeòque non expirat per mortem, juxta *c. ſi ſuper gratia, cit.* & per conſequens non eſt ratio, cur nequeat poſt mortem acceptari, ſi donationes ſaltem ſic acceptari queant.

431 Signanter autem dictum eſt: *Gratiam abſolutè factam non expirare per mortem concedentis*: Si enim adhuc ſit facienda ab altero, cui facultas committitur, in favorem determinatæ perſonæ, expirat. Idem eſt juxta probabilem multorum ſententiam, ſi detur mandatum diſpenſandi, ut fieri ſolet in diſpenſationibus Matrimonialibus, quæ committuntur Ordinariis pro foro externo, Confeſſariis pro interno, facienda ab eis, ſi preces veritate nitantur. Sed contrarium non eſt improbabile; moraliter enim cenſetur gratia ex parte Pontificis eſſe facta; & diſpenſandus acquiſivit jus ad diſpenſationem, eò quod executor non ſit voluntarius, ſed diſpenſare teneatur, ſi preces veritate nitantur. Imò aliqui exiſtimant, idem dicendum in priori caſu, quando executor eſt voluntarius, ſeu quando tantùm datur poteſtas diſpenſandi, v. gr. cum aliqua determinata perſona: nam eo ipſo factus eſt illi perſonæ favor, ſcilicet, ut ei conferatur diſpenſatio: favor autem, ſeu gratia non expirat morte concedentis. Quemadmodùm non expirat licentia data ad eligendum confeſſorem, qui abſolvat, etſi finalem gratiam confeſſor needum ſit executus. Ita Herincx citat. *numer.* 96. Ad *L. inter cauſa* 26. *ff.* mandati, in qua habetur, *mandatoris morte ſolvi mandatum*, dici poteſt, eam intelligi de mandato Juriſdictionis litigioſæ, ſeu contentioſæ, quod expirat morte mandantis, non autem de mandato gratiæ. Quo modo etiam ſpeciale eſt Juriſdictioni contentioſæ, quæ alicui delegatur, quod re integra, ſe nondum inchoata, expiret morte concedentis: ſecùs tamen eſt de ordinaria Juriſdictione. Similiter reſponderi poteſt ad alia Jura, ea ſcilicet loqui de Juriſdictione contentioſa, aut certè de materia odioſa, adeòque ad gratias non debere extendi.

432 IV. Denique amittitur privilegium per revocationem concedentis, Succeſſoris, vel Superioris. Poſſunt autem revocari privilegia gratuita ſubditis conceſſa. Regulariter tamen revocari non poteſt privilegium conceſſum non ſubdito, niſi ſtatus rerum notabiliter mutetur: dum enim illud à non ſubdito acceptatur, tranſit in contractum. Similiter revocari non poſſunt privilegia Conventionalia, ſeu per contractum onerofum ſubditis conceſſa, vel in renuntiationem, aut ſi contineant tranſlationem Dominii, niſi gravis cauſa intercedat. Vide plura apud *Suarez lib.* 8. *cap.* 37. *& ſeqq.* Ubi notandum, privilegia Regularibus Mendicantibus à Sede Apoſtolica conceſſa eſſe remuneratoria, ut patet ex Bulla S. Pii V. *etſi Mendicantium*; & Bulla Aurea Sixti IV. apud *Herincx cit. nu.* 104. in quibus pro motivo concedendi privilegia Regularium Mendicantium merita adferuntur. Unde etſi abſolutè à Pontificibus revocari poſſint, tamen ad rationabiliter revocandum requiritur gravis, & urgens cauſa. Quod tamquam ex communi ſententia docet *Baſſæus in Supplem. V. Privilegium, num.* 15. Notandum præterea, privilegia non cenſeri eſſe revocata, niſi ſufficienter, & expreſsè eis derogetur; idque non ſolùm, ſi non contineantur in corpore Juris, ſed etiam, ſi contineantur Jure communi. *Herincx cit. num.* 105. Nam generi per ſpeciem derogatur, etſi ſpecies præcedat. Imò privilegiis generaliter revocatis non cenſentur revocari illa, quæ ſunt in corpore Juris; ut rectè inter cæteros docet *Suarez lib.* 8. *cap.* 38. *num.* 1. quia privilegia Juri communi inſerta, tamquam Canones, & leges communes earundem conditiones participant. Quòd ſi privilegium ſit conceſſum in Concilio generali, debet etiam ſpecialiter ei derogari, ut cenſeatur revocatum, ut tradit *Covarruvias*, *Menochius*, *Sanchez*, & alii paſſim ſimiliter ſub generali revocatione non comprehenduntur privilegia remuneratoria, vel conventionalia. Nec item privilegia, in quibus dicitur, ea non cenſeri revocata, niſi tenor illorum de verbo ad verbum in litteris revocationis contineatur. Ad horum tamen derogationem ſufficit hæc aut ſimilis Clauſula: *Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, etſi in iis expreſsè caveatur, quod non cenſeantur revocata, niſi de verbo ad verbum fiat expreſſa illorum mentio.* Quod eſt benè notandum pro quibuſdam Bullis Jubilæi, & aliis, quæ ſic loquuntur. Sic etiam privilegia Regularium Mendicantium non cenſentur ſufficienter revocata (niſi fortaſsè conſuetudo, aut circumſtantiæ in ſpecialibus caſibus aliam fuiſſe mentem revocantis demonſtrent) per generalem clauſulam, ob nonnullas conceſſiones exigentes fieri ſpecialem eorundem mentionem: tum etiam, quia conceſſa ſunt ob merita: ut tradit Rodriqoez *tom.* 1. *QQ. Reg. quæſt.* 9. *art.* 6. Baſſæus *in Supplement. V. Privilegium, num.* 16. ubi etiam ex *Diana*, & aliis addit, in dubio, an privilegium ſit revocatum, cenſendum non eſſe revocatum. An autem ad valorem revocationis privilegiorum requiratur ejuſdem promulgatio? Reſp. Quando revocatio privilegii, Indulgentiarum, vel hujuſmodi gratiarum, fit per legem communem, ſufficit ad ejus validitatem legitima promulgatio dictæ legis: ita ut in publicam notitiam devenire poſſit, neque opus eſt, eam ſingulorum auribus inculcare, *arg. cap.* 1. *de poſtulat. Prælatorum*, & cum aliis Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 23. *num. ult.* unde quamvis aliqui in particulari adhuc, & quidem invincibiliter ignorent legem, ſeu *ejuſmodi revocationem privilegii*, tamen illud ampliùs non proderit, neque validè quis eo utetur; uti benè notat Pirrhing *tit. de Privileg. nu.* 197. ſi verò revocatio privilegii fiat ab homine, ſive privatim, & non per legem communem, non priùs ipſa habet effectum, antequàm revocatio illa privilegii, aut alterius gratiæ deveniat ad notitiam privilegiati. Ita citati authores, & alii communiter apud Reiffenſtuel *cit. num.* 134. Ratio eſt: tum quia alioquin poſſent oriri plurima incommoda; ut ſi Epiſcopus dediſſet ſimplici Sacerdoti licentiam aſſiſtendi matrimonio, eamque revocaret inſcio illo Sacerdote. Tum quia idipſum habetur *L. ſi fortè, ff. de officio Præſidis*, ibi: *ſi fortè Præſes Provinciæ manumiſerit, vel tutorem dederit, priuſquàm cognoverit ſucceſſorem adveniſſe, erunt & hæc rata.*

## § IV. *Privilegia Clericorum, & Regularium.*

I. DUplex eſt præcipuè privilegium Clericorum, ſcilicet 433
*Canonis, & fori*, privilegium *Canonis* eſt, quo à jure Canonico, ſeu Eccleſiaſtico cavetur Clericis ne à quoquam injurioſe percutiantur ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ reſervatæ, extra articulum mortis, in Concilio Lateranenſi, celebrato ſub Innoc. II. Anno 1139. & refertur *Canone, ſi quis* 29. *Cauſa* 17. *qu.* 4. qui ita ſonat: *ſi quis ſuadente Diabolo, hujus ſacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo ſubjaceat, & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſolvere, niſi mortis urgente periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & ejus mandatum ſuſcipiat,*

Ex

Digitized by Google

Ex quo pariter conſtat, hoc privilegium eſſe juris humani. Privilegium *Fori* eſt, quo Perſona Eccleſiaſtica eximitur à ſæculari Juriſdictione, tam in civilibus, quàm in criminalibus, ſimulque ab omnibus oneribus Perſonalibus, & realibus Laicorum, & vocatur *immunitas Eccleſiaſtica*: prout decernitur *capit. 4. & 8. de Judiciis, & capit. 2. & 12. de foro competenti, & patet ex Bulla Cœnæ Domini §. 14. & ſeqq.* attendenda tamen ſunt privilegia aliquorum Principium. *De quibus vide Clericatum in Prot. de Sacr. in perſonas Sacras cap. 27. num. 30.* His duobus privilegiis gaudent imprimis Clerici in Sacris conſtituti, imò etiam ſolùm prima Tonſura, vel Minoribus Ordinis initiati, ſi tamen hi juxta ſanctionem Concilii Trid. *Seſſ. 23. cap. 6. Beneficium Eccleſiaſticum habeant, aut Clericalem habitum, & tonſuram deferentes, alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſerviant, vel in ſeminario clericorum, aut in aliqua Schola, vel univerſitate, de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad Majores Ordines ſuſcipiendos verſentur.* Ratio eſt: Quia tales ſunt verè Clerici, & Perſonæ Eccleſiaſticæ, gaudentque privilegio fori *ex Concilio Tridentino mox citato*: ergo etiam gaudebunt privilegio Canonis; cùm illud ſit majus, hoc minùs; à majori autem ad minus fit bona argumentatio. Ita communis apud Layman *lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 5. num. 3.* Deinde iiſdem privilegiis Clericalibus fruuntur etiam omnes Religioſi omnium Ordinum etiam militarium, eorum converſi, ſeu Laici, ac Novitii: item Moniales omnes tam profeſſæ, quàm Novitiæ, *per cap. non dubium 5. cap. de monialibus, 33. de ſent. excomm.* Ad quos reducuntur Eremitæ, qui ſub obedientia Epiſcopi, vel Prælati Regularis, ejus Ordinis habitum Religioſum geſtant, & à ſæcularibus curis ſegregati vitæ ſolitariæ exercitiis vacant. Non autem illi, qui abſque Superioris Eccleſiaſtici auctoritate proprio libitu ejuſmodi habitum geſtant, vitamque exercent, uti cum Navarro, Sylveſtro, Engel. *libr. 5. titul. 39. num. 130.* Bordono *de Privileg. Cleric. cap. 1. num. 31.* Rodriquez *tom. 2. QQ. Regul. qu. 63. art. 4.* Molina *tract. 3. diſput. 52. num. 4.* Suarez, Reiffenſtuel, Mezger, *tractat. 8. diſput. 39. art. 5. num. 5.* Docet communiſſima. Quantùm ad Tertiarios, qui tertiam Regulam, & habitum Ordinis S. Franciſci, vel S. Dominici ſuſcèperunt, dubitari non poteſt, quòd ſint perſonæ Eccleſiaſticæ, & earum privilegiis gaudeant, ſi editis tribus votis eſſentialibus verè Religioſi ſint, ſub Regula, & Juriſdictione Ordinis Mendicantium viventes ex conceſſione Sixti IV. apud Rodriquez *tom. 3. QQ. regul. qu. 72. art. 1. concluſ. 3.* Mirandam *in Manuali Prælatorum titul. 1. qu. 36.* Quoad alios verò Tertiarios, Leo X. apud Rodriquez *tom. 2. QQ. regul. qu. 65. art. 6.* & Layman *lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 5. nu. 4.* decrevit, quòd Fratres, & Sorores, qui dicuntur tertii Ordinis, ſi in propriis domibus habitent, ſæcularibus perſonis omninò annumerari debeant. Sin autem collegialiter vivant ſub habitu, & voto aliquo expreſſo, gaudere eos oporteat privilegiis, quibus Fratres Ordinis, qui tertiæ Regulæ habitum geſtant, potiuntur, & gaudent. Idem docent Lantuſca *in Theatro Regularium V. Tertiarii*, Mattheucci *in officiali Curiæ Regularis, V. Tertiarii*. Kerckhove *in ſtatuta noſtra General. cap. 7. §. 25. num. 9. & ſeqq.* ſimilia habet Reiffenſtuel *in 3. Decret. titul. 1. num. 27.* dicens, quod Tertiarii, ſeu illi, qui habitum tertiæ Regulæ cujuſpiam Ordinis de manu Prælatorum ad hoc authoritate Pontificia facultatem habentium recipientes, ſub ejuſdem, vel Epiſcopi loci obedientia vivunt, atque Ordini, vel alteri Eccleſiæ deſerviunt, quamvis tria vota ſubſtantialia Religionis non emittant, atque idcircò proprium habere poſſint, cenſeantur perſonæ Eccleſiaſticæ, ſicque in favorabilibus veniant nomine Clericorum. Quia pro his militant eædem rationes, quæ pro Eremitis, qui ſub obedientia Epiſcopi vivunt, de quibus diximus ſuprà. Miranda *in Manuali, titul. 1. qu. 29.* monet diſtinguendum eſſe: Quod alii ſint Fratres *Laici*, qui communem cum aliis Religioſis Regulam profitentur, eoſque eſſe verè Religioſos: nemo dubitat. Alii verò ſunt Fratres *Converſi*, qui mutato ſeculari habitu, & aſſumpto Regulari, quamvis diſtincto à Cæterorum Religioſorum habitu, alicui Eccleſiæ, vel Religioni ſe devoverunt, emiſſo voto ſimplici ſaltem continentiæ, interdum etiam obedientiæ, & paupertatis: & hi haud dubiè ſunt Perſonæ Eccleſiaſticæ, atque Eccleſiaſtica immunitate gaudent, quamvis non ſint propriè Religioſi: quia non profitentur Regulam Ordinis, nec habent votum ſolemne, ſed ſimplex continentiæ. Denique alii ſunt *Oblati*, *ſeu Donati*, qui nulla facta mutatione habitus, neque emiſſo voto continentiæ aut obedientiæ in domibus ſuis manent: quamvis ad majoris meriti cumulum, ſua bona Religioni dicarint: & hi non ſunt propriè perſonæ Eccleſiaſticæ, neque Eccleſiaſtica immunitate gaudent. Vide Laym. *lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 5. n. 4.*

II. Perſonæ Religioſæ; tamquam ſingulare Decus, & 434
Ornamentum S. Eccleſiæ, ſemper à Summis Pontificibus, diverſis favoribus, gratiis, ac privilegiis fuere condecoratæ: quæ quidem ſingillatim omnia proſequi, non eſt noſtrum propoſitum, quia ea non caperent anguſtiæ hujus Supplementi; hinc pauca tantùm, & in communi delibare proponimus. Itaque præter Canonis, & fori, aliaque Clericorum privilegia, etiam Regularibus competentia, de quibus in præcedentibus dictum.

Primum, non tam privilegium, quàm gratia toti ſta- 435
tui Religioſo communis, & propria eſt, quod per Religioſam profeſſionem conferatur perfectiſſima remiſſio omnium peccatorum, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam: quæ quidem Indulgentia, tametſi fuerit à Paulo V. Summo Pontifice conceſſa, tamen etiam independenter ab illa conceſſione, eſt ex natura rei annexa ipſius profeſſionis Religioſæ dignitati, quippe in qua homo omnia ſua, ſuamque voluntatem, qua nihil habet præſtantius, DEO offert. Ita docent D. Thomas 2. 2. *qu. ultim. art. 3.* ad 3. Hieronymus Platus *de bono ſtatus religioſi lib. 1. capit. 15.* Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 10.* Azorius, Mezger, & alii. Imo noſter S. Bernardinus Senenſis *in Quadrageſ. tract. 2. ſerm. 24. ar. 1.* affirmat, toties prædictam Indulgentiam renovari, quoties ſeria voluntate renovatur Sacra Profeſſio. Ejus verba ſunt: *Hæc libertas non ſolùm datur in illa hora, qua ipſum votum emittitur, ſed etiam in omni tempore, quo ſibi voviſſe placet, & in quo cum hac complacentia votum implet.* Adſtipulantur Carthus *in opuſc. de Profeſſ. Mon.* Hyacinthus Caſal. *in Cenſ. Chriſt. in Monit. ad Relig. num. 5.* Layman. *cit. nu.* 2. Sa *V. Religio, num. 17.* Paulus Mezger *tract. 8. diſput. 39. art. 5. numer. 4.* & alii. Ratio eſt: Quia vota, quæ in Religione eduntur, ideò afferunt plenam remiſſionem peccatorum, quia continent perfectam traditionem hominis erga DEUM: ſed hæc traditio non ſemel, ſed iterum fieri, ſeu renovari poteſt: ergo etiam remiſſio peccatorum iteratò acquiri.

Secundum ſtatus Religioſi privilegium eſt, quòd om- 436
nia alia vota, & Juramenta pia, per ſolemnem Religionis profeſſionem ipſo Jure expirent, non per irritationem, aut redemptionem, aliamve relaxationem, imò nec per propriæ voluntatis ſeu intentionis commutationem, ſed per veram ſolutionem, ſpectata natura ipſius operis in perpetuum DEO præſtandi. Ratio eſt: quia per profeſſionis Religioſæ obligationem omnes hominis facultates, ac vires in perpetuum, & irrevocabiliter DEO offeruntur, ideò eminenter in ſe continent omnes alias particulares obligationes, ad eum modum, ſi quiſpiam erga hominem obſtrictus debitis, omnia bona ſua illi offerat, & ſe ipſum in ſervum perpetuum addicat, talis pleniſſimè ſatisfeciſſe cenſebitur. Ita D. Thomas 2. 2. *qu. 88. ar. 12. ad 5.* Barboſa *in cap. Scriptura 4. de voto*, citans *Sotum: Navarrum, Ledeſma, Azorium, Sayrum, Mirandum, Rodriquez*, & alios. Item Layman *cit. num. 3.* Paludanus, Sanchez, *in præcepta Decalogi, tom. 2. lib. 5. cap. 5.* ubi *num. 38.* tenet, ipſo Jure vota in ſæculo facta cenſeri commutata in Religionis profeſſionem, proinde abſque alia commutandi intentione manere profitentem ab eis liberum, & *num. 39.* reſolvit idem dicendum eſſe de votis tempore novitiatus emiſſis, & *num. 43.* quòd omnia vota ſive perſonalia ſive realia commutentur ipſo Jure in Religionis profeſſionem, quod etiam tenent Covarruvias, Ludovicus Miranda *in Manuali Prælatorum tom. 1. qu. 25.* Naldus *V. Votum num. 50.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 14. num. 5.* Addit Sanchez *cit. num. 45.* Votum reale emiſſum non ſolùm DEO, ſed intimatum parti, ut ab ea acceptetur, & ita conjunctum cum promiſſione illi parti facta, non poſſe in Religionis profeſſionem commutari, quia tunc eſt jus ipſi acquiſitum, & ita ceſſat commutatio in melius. Et *numer. 47.* pariter ob eandem rationem reſolvit, hæredem obligatum ad realia defuncti vota perſolvenda, non eximi Religionis profeſſione, ſed obligationem illam ad ejus hæredem tranſire. Et *num. 50.* docet votum ſubſidii terræ ſanctæ commutari in profeſſionem, non ſolùm, quoad illuc eundi laborem, ſed etiam quoad illius ſubſidii expenſas; quod etiam tenent *Miranda, Suarez ll. cc.* An autem per ſimplicia vota emiſſa in Societate JESU, aut Coadjutorum formatorum poſt biennium Novitiatus, vota anteà facta extinquantur, vide Sanchez *cit. num. 54.*

Tertium ſtatus Religioſi privilegium eſt, quòd per pro- 437
feſſionem in Religione tollatur irregularitas ex natalium

defectu, ut proinde illegitimi omnes, etiam ſpurii, in Religione aliqua profeſſi ad ſacros Ordines abſque alia diſpenſatione promoveri poſſint, *c.1. de Filiis Presbyt. cap.1. diſt.65.* nequeunt tamen abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione promoveri ad prælaturam, vel dignitatem Eccleſiaſticam, *ex cit. cap. 1. de Filiis Presbiter.* & videri poteſt *Rodriquez*, *& Sanchez* citati à Layman *cit. num.4.* qui ibidem ſubdit, quòd aliæ irregularitates per Religionis ſuſceptionem non tollantur. Citatque *Rebuffum*, *Navarrum*, *Henriquez*, *Suarez*, *& Sanchez*.

439 Quartum eſt, quòd profeſſio Religionis tollat maculam quoad actus temporales, ita ut damnatus de crimine furti, verbi gratia aut perjurii, poſteà ad teſtimonium in judicio & ſimiles actus legitimos admitti poſſit, ſicut colligitur *ex authent. de Monach. collat. 1.* Idque ex communi decent Abbas *in c. cùm deputati, de Judiciis*, *Rebuffus*, *& Sanchez*, apud Laym. cit.

440 Quintum eſt, quòd per profeſſionem Religionis ſolvatur patria poteſtas: cùm Religioſus penitùs tranſeat in poteſtatem Superiorum ſuorum. Item quod profeſſio Religioſa deleat ingratitudinis notam eſſe commiſſam, ob quam alioquin pater, vel filius exhæreditari, ſeu legitima Hæreditatis portione ſpoliari poſſet. Ita habetur in novella Juſtiniani Imperatoris apud Gratianum, *cauſa 19 qu.3. cap. ultim.* & tradit Covarruvias *in cap. Raynutius, in princ. nu. 18.* & alii plerique Doctores, quos refert, & ſequitur Sanchez *l.5. Moral. cap.5. num.33.*

441 Sextum privilegium eſt, quòd Religioſa profeſſio dirimat matrimonium poſtea contrahendum, ac diſſolvat matrimonium contractum ratum, nondum conſummatum, de quo vide *Patritium Sporer de matrim. cap.1. sect.1. num 39. & sect. 4 num. 396.*

III. Quantum ad privilegia Regularium mendicantium præſertim Ordinis noſtri Seraphici attinet, plurima, imò (teſte P. Anacleto Reiffenſtuel *in 5. Decret. tit. de privilegiis, num. 232.*) multa centena privilegia, in ſpecie Regularibus mendicantibus, præſertim Ordinis noſtri Seraphici per diverſos Pontifices conceſſa, etiam pro utroque foro adhuc vere valida exiſtunt, validèque, & licite practicari poſſunt. Ratio eſt: quia tam in noſtro, quàm in Societatis JESU, & aliorum Ordinum compendio privilegiorum, maxima copia illorum in ſpecie allegari poſſunt, quæ nec ſunt revocata, nec per uſum contrarium, aut non uſum, vel per renuntiationem, præſcriptionem, aut aliam viam amiſſa fuere. Et quidem, quòd plurima nunquam revocata ſint, inde patet: quia nunquam hucuſque facta eſt, nec unquam fiet univerſalis revocatio omnium privilegiorum Regularibus conceſſorum. Deinde licèt Conc. Trid. in diverſis ſeſſionibus, in ſpecie, & expreſsè revocaverit aliqua Regularium privilegia, ac inſuper omnia Decretis ejuſdem ſeſſionis 25. de Regularibus contraria, juxta communem Doctorum apud *Reiffenſtuel citatum numero 137. & ſeqq.* tamen non obſtante, quod præfata per Concilium Tridentinum, & multa alia per alias conſtitutiones Pontificias verè ſint revocata, adhuc multa alia centena exiſtunt, quæ nec præfato Concilio, nec aliis conſtitutionibus Pontificiis ſunt contraria, conſequenter ab eis minimè revocata, uti videre eſt inter alia in noſtro compendio privilegiorum primitùs compilato ab *Alphonſo de Caſarubios Hiſpano*, poſteà reformata per *Hieronymum a Sorbo*: nam dictum noſtrum privilegiorum compendium omni debita cum reverentia, & obedientia erga Sedem Apoſtolicam, juxta Decreta Concilii Tridentini, & aliarum conſtitutionum Papalium fuit reformatum, & ſic reformatum editum, 1609. Venetiis: adeo ut nullum in illo privilegium à Concilio Tridentino, vel aliqua conſtitutione Pontificia uſque ad Clementem Octavum. (ſub quo reformatum fuit) reperiatur revocatum: & tamen multa centena in illo reperiuntur privilegia, etiam nulli poſteriori conſtitutioni Pontificiæ contraria, nec per aliam cauſam amiſſa, ut legenti patebit. Pariter res ſe habet de compendio privilegiorum Societatis JESU recenter edito, ſicut, & de aliis. Et licet Gregorius Decimus quintus Bulla: *Romanus Pontifex*, edita 2. Julii, 1622. & Urbanus Octavus Bulla: *Alias felicis*, edita 20. *Decembris*, 1631. Univerſaliter pro utroque foro revocaverint omnia *vivæ vocis oracula*, Regularibus quibuſcunque etiam Societatis JESU (non vero ſæcularibus, *uti notat Gobat in exper. tract. 9. numer. 728. & la Croix libro primo num. 851.*) conceſſa, *non verè authentica*, ſeu de quibus teſtimonium Officialium, & Miniſtrorum, quibus vi Officii ſui de gratiis, & privilegiis per Pontifices oretenùs conceſſis, vel concedendis fides haberi ſolet, & debet, non conſtat; tamen non obſtante dictorum Pontificum revocatione, plurima privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa adhuc valent; tum quia plurima habentur pro foro in- & externo verè *authentica*, omnia videlicet illa, quæ in noſtro privilegiorum compendio ſignata ſunt *majori littera O.* Sciendum namque, quòd privilegia, quæ in noſtro privilegiorum reformato compendio comprehenſa, in fine cujuslibet notantur *littera majori O* indicent *vivæ vocis oraculum verè authenticum*: notata verò littera *minori O* ſignificent *vivæ vocis oraculum non authenticum*. Tum quia omnia vivæ vocis oracula in libris Ordinis noſtri Seraphici reperta, etſi teſtimonio præfatorum Officialium non authenticata, Leo Decimus ſaltem pro foro conſcientiæ, novo vivę vocis Oraculo verè authentico de novo conceſſit, & eadem etiam Gregorius Decimus tertius Bulla: *Ex Benigna Sedis*, edita 20. Maii, 1575. & Clemens Octavus Bulla: *Ratio Paſtoralis*, edita 20. *Decembris*, 1597. ex certa ſcientia de novo confirmarunt, & conceſſerunt, conſequenter fecerunt, quòd dicta noſtra oracula in libris Ordinis noſtri reperta, Gregorianæ, & Urbaniſticæ revocationi non ſubjaceant, cùm oracula, quæ per novam Bullam denuò ſunt conceſſa, evadant privilegia ſcripta, & Bullata, & per conſequens à Gregorio Decimo quinto, & Urbano Octavo nullatenùs revocata, & ideò adhuc ſaltem in foro conſcientiæ valeant. Dixi: *ſaltem in foro conſcientia*, quia omnia, & ſingula dicta privilegia eſſe conceſſa non poſſumus probare pro foro externo. Tum denique quia dicta magna copia privilegiorum nil minuitur non uſu, aut uſu contrario, aut renuntiatione illorum, aut alia amiſſionis cauſa; ſiquidem plurima ex eis ſunt merè gratioſa, quæ non uſu, aut uſu contrario minimè ceſſante ex ſupradictis, & pleraque ſunt data Ordini, dignitati, officio, aut communitati, quibus per privatos renuntiari nequit, nec alia amiſſionis cauſa probari poteſt, & intereà privilegiati ſunt in poſſeſſione privilegiorum. Denique privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa poſt Urbanum Octavum valeut adhuc, & quidem pro foro interno omnia, & ſingula, de quibus ſufficienter conſtat, quòd fuerint conceſſa, etſi de iis teſtimonium authenticum ab officialibus ſupradictis non habeatur, ſed alii fide digni Superiores Generales, Provinciales, Procuratores, aut alii hujuſmodi fide digni, in quorum præſentia Papa privilegium oretenùs conceſſit, de illis teſtimonium ferant. Ut autem etiam valeant pro foro externo, non requiritur quidem teſtimonium ſupradictorum officialium, & miniſtrorum (nempe illorum, quibus vi officii ſui de gratiis, & privilegiis, per Pontifices conceſsis, aut concedendis fides haberi ſolet, ac debet) non tamen etiam ſufficit quodvis cęteroquin dignum fide teſtimonium de eorum conceſſione, ſed debet eſſe tale, quale ad probandum in foro externo aliàs requiritur, & ſufficit. Ratio eſt: tum quia Gregorius XV. & Urbanus Octavus: tantùm revocaverunt privilegia vivæ vocis oraculo anteà conceſſa, minimè verò concedenda: uti legenti illorum Bullas revocatorias patebit: ergo privilegia vivæ vocis oraculo poſt ipſos conceſſa valebunt, ſicut ante revocationem prædictorum Pontificum valere conſueverant: tum quia, cùm par in parem non habeat imperium, conſequenter Gregorius Decimus quintus, & Urbanus Octavus manus Succeſſorum ligare non potuerunt, & conſequenter ſubſequentes conceſſiones vivæ vocis oraculo factæ valebunt pro foro interno, ſi de earum conceſſione teſtimonio fide digno conſtet, ac etiam pro foro externo, ſi de iiſdem conſtet Teſtimonio cæteroquin in jure ſufficienti ad faciendam fidem in foro externo. Ita *Reiffenſtuel in quinto Decretali titulo trigeſimo tertio numero 158. & ſequentibus item num. 231. & ſeqq.*

Itaque omnia, & ſingula privilegia ſcripta, ſeu Bullata 442 item omnia, & ſingula vivæ vocis oraculo verè authentica, quæ in noſtro reformato privilegiorum compendio reperiuntur, & *Nova aliqua conſtitutione poſt Clementem Octavum circa certam materiam expreſse revocata non ſunt*, & contra quæ cauſa aliqua amiſſionis probari non poteſt, adhuc pro utràque fòro valent: vivæ vocis oracula vero plenè non authentica ex libris tamen Ordinis noſtri ibidem adducta, valent pro ſolo foro interno. Denique privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa poſt Urbanum VIII. valent pro foro interno, ac etiam externo, ſi de eorum conceſſione competens juxta modò ſupradicta teſtimonium habeatur, & nova *aliqua conſtitutione Papali poſt Urbanum VIII revocata non ſint*.

Dictum eſt notanter: *Et nova aliqua conſtitutione* 443 *poſt Clementem Octavum, item poſt Urbanum Octavum revocata non ſint*. Quia aliqua, reſpectivè tamen valdè pauca, in dicto compendio repeṛiuntur privilegia, quę à novis conſtitutionibus fuere revocata, utpotè contraria hujuſmodi conſtitutionibus in illa materia circa quam fuere edita cum clauſula. *Non obſtantibus quibuſcunque Privilegiis, & cætera*: uti erat privilegium ſuper Altari portatili celebrandi Sanctam Miſſam, etiam in loco ſæcu-

Digitized by Google

ſæculari, quod fuit revocatum à Clemente XI. per Decretum: *Quoniam Sancta*, editum 15. Decembris, 1703. videndum apud Reiffenſtuel *lib.3. tit.41. n.5.*

444 IV. His omnibus accedit, quòd Privilegia Mendicantium, præſertim noſtri Ordinis, non tantùm *in forma communi*, ſed etiam *in ſpeciali*, *& ex certa ſcientia* ſæpius fuere confirmata, uti conſtat pro Ordine noſtro ex Bulla Gregorii XIII. *ex Benigna*, 20. May, 1575. Clementis VIII. *Ratio Paſtoralis*, Decembris, 1597. Pauli V. *Injuncti nobis*, 19. Julii, 1607. & Innocentii XI. *Exponi nobis*, 5. Sept. 1686. quorum Pontificum Bullæ citatæ per extenſum poſitæ apud Reiffenſtuel *l.5. Decret. tit.33.* legi poſſunt. Dum verò prædicti Pontifices in prædictis Bullis confirmant noſtra Privilegia cum clauſulis ſequentibus: *Dummodò ſint in uſu, & Sacris Canonibus, & Decretis Concilii Tridentini non adverſentur, nec ſub aliqua revocasione ſint comprehenſa*. Per Primam clauſulam: *Dummodò ſint in uſu*, intelligunt, quòd non confirment Privilegia, quæ per non uſum, vel uſum contrarium jam ceſſarunt, aut amiſſa fuerunt, conſequenter ea de novo non revalident. Ita Reiſſenſtuel *cit. n.108.* citans *Rodriquez, Donatum, & Peirinis*. Per Secundam clauſulam: *Dummodò Sacris Canonibus, & Decretis Concilii Tridentini non adverſentur*, per illa verba, *Sacris Canonibus*, non intelligunt Sacros Canones in corpore Juris communis clauſos, ſeu contentos, ſed Sacros Canones Concilii Tridentini, ita ut ſenſus ſit: *Dummodò Sacris Canonibus Concilii Tridentini, & ejuſdem Decretis non adverſentur* (ita Barboſa Rodriquez, Donatus, Miranda cum communi, & certa aliorum apud Reiffenſtuel *cit. numer.* 113.) videlicet illis, quæ continentur in *Seſſione* 25. *de regularibus*, ſicut, & illis, quæ habent annexam clauſulam: *non obſtantibus Privilegiis*. Ita Rodriquez *tom.1. QQ. Regular. quæſt.* 8. *art.* 7. Miranda, Suarez *l.8. de legibus, cap.* 18. Reiffenſtuel *cit. num.* 139. & alii. Per Tertiam clauſulam; *Dummodò non ſint ſub aliqua revocatione comprehenſa*, intelligunt prædicti Pontifices, quòd non confirment Privilegia, quæ per legem, conſtitutionem, vel Decretum generale aut ſpeciale, expreſsè, vel tacitè fuerunt revocata, & de novo non ampliùs conceſſa, vel confirmata ita communis. Vide plura de hac materia apud *Reifſenſtuel citatum num.* 319.

445 Quænam igitur privilegia Regularium Mendicantium, præſertim Ordinis noſtri Seraphici adhuc in ſpecie valeant, videri debent, juxta ſupradicta, in compendio privilegiorum noſtrorum reformato. Quæ verò ſcitu neceſſaria ſunt, illa à R. P. Patritio Sporer in ſua Theologia Sacramentali, & Decalogali ſuis locis opportunis adducta ſunt ſicut & in hoc ſupplemento, atq; ampliùs adducentur, Tria adnotare adhuc volui. I. Quod privilegium Regularium etiam Mendicantium celebrandi in loco ſæculari (quod refert P. Sporer *Theol. Sacrament. part.* 2. *cap.* 6. *num.* 439.) ſit revocatum à Clemente XI. per Decretum: *Quoniam Sancta*, editum 15. Decembris, 1703. quod videre potes apud Reiffenſtuel *lib.* 3. *Decret. tit.*41. *num*: 5. ut jam ſuprà notaveram. II. Quantùm ad privilegium relatum à P. Sporer *Theol. Sacrament. part.* 3. *cap.* 6. *ſect.* 1. *nu.* 678. quod *Gregorius XIII. Patribus Societatis* (*& conſequenter per communicationem privilegiorum, etiam reliquis Mendicantibus*) *conceſſit, ut ſi ab uno ſaltem Epiſcopo approbati, iter agentes, poſſint fidelium confeſſiones audire in locis, in quibus commodus ad Epiſcopum non patet acceſſus, ſeu in quibus non exiſtit Epiſcopus*: adnumero verba P. Reiffenſtuel *lib.5. Decret. tit.49. §.8. nu.*259. ita ſcribentis: hoc privilegium adhuc poſt Urbanum VIII. Alexandrum VII. & Clementem X. (qui in ſua Bulla: *Superna Magni*, edita 2. Auguſti, 1670. §. 4. ita decrevit: *Ad hac Religioſos ab Epiſcopo ad confeſſiones ſæcularium in ſua Diœceſi audiendas approbatos, non poſſe in alia Diœceſi eas abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione audire, quamvis pœnitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi, à quo ipſi Religioſi jam fuerant approbati*) Subſiſtere, cenſent plurimi, etiam poſt dictos Pontifices ſcribentes. Jacobus *part.5. Theol. cap.6. §. 8. nu.* 873. Bernardus Sannig *tom.3. Theol. diſt.* 11. *qu.4. n.15.* Patritius Sporer *par.* 3. *Theol. Sacrament. cap.6. Sect* 1. *n.*178. Jacobus Vvieltner *lib.5. Inſtit. Canonic. tit.38. num.*36. prope finem &c. Bulla autem Clementis X. *Superna &c.* in contrarium allegata commode forſan intelligi poſſet de ſtabiliter in aliqua Diœceſi permanentibus, qui utique debent ab Epiſcopo illius loci approbari, non autem de tranſeuntibus tantùm; nam cùm privilegium toti alicui Religioni à Summo Principe conceſſum ſit favorabile, ſicque id, quod contra tale pugnare videtur, tamquam odioſum ſtrictam patiatur interpretationem, etſi etiam aliquo modo derogaret Juri communi, uti cum Suarez, Azorio, Bonacina, & ipſomet Illſung tenet Caſtro-Palaus *part.1. tr. diſp. 4. punct.* to. *num.*5. Hinc poſſet præfato modo Bulla Urbani VIII. & Clementis X. explicari, ut ſaltem quoad hoc punctum non obeſſet valori privilegii. Nihilominus aliqui cum Illſung *in ſua Theologia*, de *Approbatione Confeſſarii tr.6. diſp.6. q.6. ar.1. §. 3. n.*176. putant hoc privilegium non ampliùs valere: Alii cum La Croix *lib.6. part.* 2. *numer.* 1513. ſaltem de valore ejuſdem dubitant ob Bullam Clementis V. *Superna*, ſuprà citatam; quia Clemens X. ad Confeſſiones ſimpliciter audiendas, præſcindendo, an tranſeunter, an permanenter, univerſim requirit approbationem Ordinarii loci, in quo Regularis audit Confeſſiones, ac revocat omnia qualiacumque, & quomodocumque data privilegia in contrarium, hinc (ait *La Croix cit.*) non auderem uti hoc privilegio, & ſubdit: *Nec novum compendium privilegiorum Societatis V. Confeſſarius*, §. 2. *videtur ſatis fidere iſti privilegio*. *Tertium eſt*, quòd, quantùm ad reliqua privilegia Regularium Mendicantium adducta à P. Patritio Sporer in ſua Theologia Sacramentali, & Decalogali attinet, non ſciam, ex illis, aliquod eſſe revocatum. Nam licèt ſit revocatum privilegium Regularium etiam Mendicantium, celebrandi ſacrificium Miſſæ in loco ſæculari, ut diximus ſuprà *n.* 445. tamen Regulares non obſtante prædicto Decreto Clementis XI. poſſunt adhuc hodie, vi privilegiorum, in propriis Monaſteriis habere Oratoria privata, & Cappellas domeſticas, ibique (imò etiam in cameris, ac cellis ſuis, ubi infirmus decumbit frater) Miſſam celebrare. Ita *Reifſenſtuel l.3. Dec. tit.* 41. *n.* 19. citans *Dianam, Azorium, Pelizarium*, & communes DD. Ratio eſt: quia quoad hæc loca non ſunt revocata Regularium privilegia, uti fusè deducit *Reiffenſtuel cit.* ſubjungens *n.* 21. illud tamen hic notandum, quòd, quamvis in Oratoriis, & Cappellis Monaſteriorum privatis, ſi à Superioribus benedicantur, & ad Divinum duntaxat cultum deputentur (*prout id adhuc hodie facere poſſunt noſtri Ordinis Superiores, Generales, Provinciales, & Guardiani* ex *privilegio à Leone X. conceſſo, in compendio noſtrorum privilegiorum Verſ. Benedicere; quia eſt privilegium Bullarum, nec ad hoc requiritur aqua ab Epiſcopo benedicta*) poſſint etiam alii Sacerdotes ſæculares legere, & Laici audire Miſſam atque ſatisfacere præcepto Eccleſiæ; non item in Camera, aut Cella privata alicujus Religioſi, eo quòd illa, non autem iſta loca ſufficienter cenſeantur Sacra, hoc ipſo, quod dicta Oratoria, non item Cellæ, ſint à Superiore benedictæ, & ad Divinum duntaxat cultum deputatæ, prout communiter obſervant Doctores. Similiter noſtri Superiores, Generales, Provinciales, Guardiani, & in horum abſentia Vicarii, poſſunt adhuc hodie benedicere non tantùm ſuarum, ſed etiam aliarum Eccleſiarum quarumcumque Paramenta, Ornamenta, & alia ad Divinum cultum pertinentia, ubi Unctio Chriſmatis non intervenit, ex privilegio conceſſo ab Innocentio VIII. Prioribus S. Hieronymi, in quo privilegio communicat noſter Ordo. Ita *Reiffenſtuel cit. tit.* 4. *num.* 52. Nec obſtant declarationes Cardinalium in contrarium: quia hæ non derogant huic privilegio. Denique adhuc hodie poſſunt noſtri Fratres ordinari extra tempora, & per quemcumque Epiſcopum, communionem Eccleſiæ Catholicæ habentem, tribus Dominicis, vel feſtivis diebus continuis, vel interpolatis, etiam non ſervatis interſtitiis, non obſtante Decreto Clementis VIII. *Super Ordinatione Regularium* 15 *Martii* 1596. Quia hoc idem Papa, eodem Anno, poſt dictum decretum, nimirùm 23. Novembris conceſſit *Congregationi S. Joannis Evangeliſtæ in Portugallia*: in quo privilegio nos communicamus. Ita *Reiffenſtuel lib.1. Decret. tit.11. num.*136. *Barboſa, Pirrhing*, & alii apud ipſum.

## CAPUT II.

## DE

## PRÆCEPTIS PARTICULARIBUS, STATUI CLERICALI, RELIGIOSO, ET LAICALI PROPRIIS.

HActenùs egimus *de Legibus Divinis, & Eccleſiaſticis, quibuſcumque fidelibus communibus*; nunc agendum eſt *de Præceptis Particularibus certo hominum Statui propriis*. Sicut enim fideles omnes Præcepta Decalogi, & Eccleſiæ omnibus communia ſub peccato mortali ſcire tenentur, ita ut eorum ignorantia vincibilis, craſſa, ſupina, vel affectata ſit peccatum mortale, etiamſi tranſgreſſio non ſequatur; ita etiam quædam particularia Præcepta, quæ ad quorundam ſtatum, & officium pertinent, ipſi quoque ſcire tenentur. Sunt autem in Eccleſia tres hominum ſtatus Principales, videlicet

*Clericorum, Religioſorum*, & *Laicorum*; ſic quoque Triplicia erunt Præcepta Particularia Horum Trium ſtatuum fideles obligantia. De quibus ſit

## SECTIO I.

### *De ſtatu Clericali.*

## QUÆSTIO I.

### *De Vita, & Honeſtate Clericorum.*

## SUMMARIUM.

3 *Quid ſit Clericus?*
4 *Quinam veniant Nomine Clericorum in Materia favorabili?*
5 *Et quinam in Materia odioſa?*
6 *Quænam ſint clericorum privilegia, & quinam ipſis gaudeant?*
7 *In Clericis requiritur duplex vita Honeſtas, Interior, & Exterior.*
8 *Clerici tenentur ad ſervandam caſtitatem, & ad deferendum habitum, & tonſuram clericalem.*
9 *Item tenentur abſtinere à crapula, & ebrietate.*
10 *Item à commerciis ſæcularibus, & à luſu alearum, &c.*
11 *Clerici tenentur vitare omnem ſuſpectam cohabitationem cum altero ſexu,*
12 *Ac etiam ſuſpectam converſationem ubivis locorum.*
13 *Poſſunt tamen in ſuis domibus retinere fœminas non ſuſpectas, conſanguineas,*
14 *Imo etiam extraneas.*
15 *Clerici ſua officia tenentur debitè peragere.*
16 *Clericis prohibitum eſt arma geſtare, excepto caſu neceſſariæ defenſionis.*
17 *Clerici nequeunt officia ſæcularia exercere, aut negotiari.*
18 *Clerici debent abſtinere à Ludis inhoneſtis; Spectaculis, conviviis nuptialibus &c.*
19 *Item ab officiis ſæcularibus, ab exercitio Chirurgiæ, venatione &c.*

1 CUm R. P. *Patritius Sporer* ſatis multa jam pertractaverit de Clericis, videlicet de eorum obligatione, geſtandi habitum, & tonſuram Clericalem, ſervandi caſtitatem, & recitandi horas Canonicas, *in Theol. Sacr. par.2. c.9.* Item de Dominio Clericorum, & obligatione bona Beneficialia ſuperflua erogandi in pauperes, vel ad alias pias cauſas, *in tract.6. in Decalogum, cap. Sect.2. §.4.* hinc ea tantùm hic pertractabimus de ſtatu Clericali, de quibus P. Patritius non egit. Sit itaque

## ASSERTIO I.

2 *CLericus eſt Homo Chriſtianus, qui à negotiis, curiſque ſæcularibus remotus, ſervitio cultuique Divino ſpecialiter eſt deputatus. In eo requiritur duplex vita honeſtas, interior, & exterior: interior conſiſtit in munditia cordis, atque interno cœleſtium virtutum exercitio: Exterior autem conſiſtit præcipue in tribus, videlicet in probitate morum, ac honeſta converſatione; in honeſto, ac decenti habitu, atque in debito, convenientique exercitio officiorum, & negotiorum ſuo ſtatui convenientium, fugaque non Convenientium.* Communiſſima.

### §. I. *Clericus eſt Homo Chriſtianus, qui à negotiis, curiſque ſæcularibus remotus &c.*

3 I. CLericorum *Nomen* bifariam accipitur, largè videlicet, ſeu generaliter, & ſtrictè, ſeu ſpecialiter, magiſque propriè. Ita Barboſa *lib.1. Jur. Eccleſiaſt. univerſ. c. 39. n.1. & ſeqq.* & communis, idque patet declarando terminos. Et quidem largè, ſeu generaliter loquendo *clericorum* nomine veniunt omnes omninò Perſonæ, quæ in ſortem Domini vocatæ, atque Divinis officiis obeundis, verique DEI cultui, ac ſervitio ſpecialiter ſunt deputatæ, ſive dein talis deputatio fiat per ſuſceptionem Sacrorum Ordinum, ſive per Profeſſionem Religioſam *arg. ca. ſi quis ſuadente, 17. qu. 4.* ibi *in clericum, vel Monachum violentas manus injecerit.* Atque in hoc ſenſu Moniales, & Religioſi converſi (quos alii appellant *Fratres Laicos*) Clericorum nomine intelliguntur. Poſteriori modo ſeu magis ſpecialiter, & propriè loquendo Clerici ſunt, atq; dicuntur illi ſoli, qui Ordine aliquo Eccleſiaſtico, vel ſaltem prima tonſura ſunt initiati, ſicq; ſpecialiter Divinis Miniſteriis deputati, *arg. can. Cleroſ. diſt.21.*

4 *II.* In materia favorabili nomen *Clericorum* ſumitur generaliter, ac prout comprehendit non ſolùm prima tonſura, aut Ordinibus Sacris initiatos; ſed etiam Monachos, & Regulares, imo, & Moniales cujuſcumque Religionis ab Eccleſia approbatæ. Ita Barboſa *cit. nu.2. & ſeqq.* & communis aliorum. Prima pars liquet ex *can. Cleros, diſt.21. Et c. cùm contingat. 11. de ætate, & qualit. Præficiend* ubi non ſolum in Sacris Ordinibus exiſtentes, ſed etiam prima tonſura initiati *clericorum* appellatione veniunt. Quia igitur *favores ſunt ampliandi*, non eſt, ut quis eorum a tali favore excludatur, ſive ſit ſimplex Clericus ſive Curatus, aut Canonicus, vel Epiſcopus, dummodo materia ſubjecta eiſdem ſingulis ſit adaptabilis, neque aliunde de contraria diſpoſitione, ſeu alia Legiſlatoris mente conſtet. Secunda pars, quod in materia favorabili, nomine *Clericorum* veniant etiam Monachi, & Moniales, patet ex *can. ſi quis ſuadente, 17. q.4.* Ubi Clerici, & Monachi in materia favorabili æquiparantur. Et cùm ibidem expreſſa mentio de Monialibus facta non fuiſſet, nihilominùs Canonem illum etiam in Monialibus procedere, poſteà declaratum fuit *cap. de Monialibus. 33. Sentent. Excom.* Et conſequenter in materia favorabili, ſuoque ſtatui adaptabili, etiam Moniales nomine *Clericorum* veniunt. Accedit ratio: quia Clericus dicitur à *Cleros*, quod eſt *Sors*; ſeu quia Clerici ſunt in ſortem Domini electi, *can. Duo ſunt genera. 12. q.1.* Atqui etiam Monachi, & Moniales, per aſſumptionem Religionis ab Eccleſia approbatæ ſpecialiter eleguntur in ſortem, ſeu partem Domini: Ergo

III. In materia tamen odioſa nomine *Clericorum* non comprehenduntur Religioſi utriuſque Sexus: niſi iſtud exprimatur, vel ex ſubjecta materia, aliiſque circumſtantiis ſecùs appareat. Ita Suarez *diſp. 31. de cenſuris, Sect.2. n.17.* Layman *l.1. Theol. mor. tr.5. part.4. c.4. n.3.* Reiffenſtuel *in Jure Canon. lib.3. Decret. tit.1. n.19.* & alii: Ratio eſt: quia ipſum Jus Canonicum *can. ſi quis ſuadente. 17. q.4. & c. ſuper ſpecula 10. ne Clerici vel Monachi*, ac præſertim libro III. Decretalium, & alibi ſæpiſſimè diſtinquit Religioſos à Clericis: ergo in materia ſaltem odioſa, nomine *Clericorum* non veniunt Religioſi; maximè cùm odioſa ſint reſtringenda. 5

IV. Quænam ſint Privilegia Clericorum, & quinam ipſis gaudeant, maximè Privilegio *Canonis & fori*, jam dictum eſt *capite præcedenti, ſection.4. quæſt.4. §.5. nu.433.* & ſequentibus. 6

### §. II. *In Clericis requiritur duplex Vita Honeſtas, nimirùm*

I. INterior, & *Exterior*. Interior conſiſtit in munditia cordis, atque interno cœleſtium virtutum exercitio: nam Clericos, utpotè ſpecialiter in ſortem Domini vocatos, atque Divino officio mancipatos, *convenit ceſſare ab omni ſtrepitu temporalium, & deditos eſſe contemplationi, & orationi*, juxta *can. Duo ſunt genera. 12. quæſt.1.* Concordat illud Propheticum Iſaiæ *c.52. Mundamini, qui fertis vaſa Domini.* Exterior autem honeſtas Clericorum conſiſtit in probitate morum, ac honeſta converſatione; in honeſto, ac decenti habitu, atque in debito, convenientique exercitio officiorum, & negotiorum ſuo ſtatui convenientium, fugaque non convenientium. Quod nervosè inculcat Concilium Trident. *Seſſ.22. cap 1.* de *reform.* dicens: *Nihil eſt, quod alios magis ad pietatem, & DEI cultum aſſiduè inſtruat, quàm eorum vita, & exemplum, qui ſe Divino Miniſterio dedicarunt, cùm enim à rebus ſæculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eos tamquam ſpeculam reliqui oculos conjiciunt, ex eiſque ſumunt, quod imitentur. Quapropter ſic decet omninò Clericos, in ſortem Domini vocatos, vitam, moreſque ſuos omnes componere, ut habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, aliiſque omnibus rebus, nil, niſi grave, moderatum, ac Religione plenum præſeferant; levia etiam delicta, quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.* Hucuſque Concilium: quibus ſimilia habet *Seſſ. 25. cap.1. de reform.* & alibi. Hinc 7

II. Clerici univerſi tenentur ab omni libidinis vitio abſtinere, caſtèque vivere: alioquin per Judicium Eccleſiaſticum pro merito culpæ ſunt puniendi. Patet ex *c. ut clericorum. 13. de vita, & honeſtate clericorum.* Nihilominùs quoad obligationem ſervandi caſtitatem eſt notabilis differentia inter Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos & inter Clericos Minoriſtas; de quo videndus eſt Patritius Sporer *ſuprà num.1. citatus.* Hoc addo quod præſertim Clericis ſit prohibitus acceſſus ad Moniales alloquendas; *in c. Monaſteria. 8. de Vita, & honeſtate Clericorum*, ubi pro meliori caſtitatis obſervantia, ex utraque parte DEO promiſſę, ſpecialiter prohibetur, ne *Monaſteria Sanctimonialium quiſquam Clericus ſine manifeſta, & rationabili cauſa frequentare præſumat: alioquim per Epiſcopum arceatur,* 8

*& ſi*

Digitized by Google

*& ſi non deſtiterit, ab officio Eccleſiaſtico reddatur immunis. Si Laici* hoc ipſum facere præſumpſerint, *excommunicationi ſubdantur, & à Catu fidelium fiant penitùs alieni*. Ita Concilium Generale, ſeu Lateranenſe ſub Innocentio III. *cap.* 15. quod refertur *dicto cap. Monaſteria*. Item Clerici tenentur deferre habitum, & tonſuram ſuo Ordini, ſtatuique convenientem. De quo iterùm videndus eſt P. Patritius Sporer ſuprà *num.* 1. *citatus*.

9 III. Inſuper Clericis à crapula, & ebrietate abſtinendum eſt, adeò ut ſi quis eorum tranſgreſſor fuerit, & admonitus non deſiſtat, ab officio vel beneficio, per Superiorem ſuſpendendus ſit; ut patet ex *cap. à crapula* 14. *de vita, & honeſtate Clericorum, & can. Epiſcopus diſt.* 35. Concordat Concilium Trid. *ſeſs.* 22. *cap.* 1. *de Refor.* ſub pœnis per antiquos Canones ſtatutis, vel etiam majoribus arbitrio Ordinarii infligendis, ſeriosè injungens Clericis, decentem vitæ, morumque compoſitionem, ſimulque abſtinentiam *à luxu, commeſſationibus, choreis, aleis, luſibus, ac quibuſcumque criminibus*. Ratio hujus tam rigidæ prohibitionis eſt in primis graviſſima DEI offenſa, propter quam *Ebrioſi regnum DEI non poſſidebunt*. 1. *Cor.* 6. Deinde: quia ebrietas luxuriæ provocat incentivum, & impedit, ne officia Clericalia peragantur cum debita intentione, attentione, devotione, ac perfectione; ex quo redundat in Clericos infamia, in DEUM offenſa, & in proximum injuria, ac damnum animæ, & corporis, ut conſideranti patebit. Qualiter enim ebrius Sacerdos abſolvet Pœnitentem, baptizabit infantem, juvabit moribundum, & agonizantem? ut taceam de reliquis. Quare ad evitandum ebrietatis periculum, Clerici omnes generaliter prohibentur, edendi, vel bibendi cauſa: ingredi tabernas cauponarias, niſi itineris neceſſitate compellantur, *ex c. Clerici* 15. *de vita, & honeſtate Clericorum*, & *ex can.* 53. *Apoſtolorum*, ubi dicitur: *Si quis Clericus in caupona cibum capere deprehenſus fuerit, à communione excludatur, excepto tamen eo, qui neceſſariò in itinere in commune diverterit hoſpitium*. In praxi tamen attendantur ſingularum Diœceſium conſtitutiones, & conſuetudines, pœnæque per eas tranſgreſſoribus ſtatutæ.

10 IV. Inter alias, quæ vitam, honeſtatemque Clericorum, vel maximè commaculant, eſt vitium avaritiæ, à quo proinde Clericos cum primis oportet eſſe alienos. Ratio eſt: quia *Eccleſiaſtici* 10. *Avaro nihil eſt ſceleſtius*. Ut igitur Clerici ab avaritiæ vitio reddantur alieni, Sacri Canones eiſdem in primis prohibuerunt, officia, vel commercia ſæcularia exercere maximè inhoneſta, *in c. Clerici* 13. *de vita*, & *honeſt. Cleric.* Nam ut inquit S. Paulus 2. *Tim.* 2. *Nemo militans DEO, implicat ſe negotiis ſæcularibus*. Deinde Clericis ſeveriſſimè prohibitus eſt alearum, ſeu taxillorum luſus, uti liquet ex *Canone* 41. *&* 42. *Apoſtolorum*: ubi in tranſgreſſores, niſi deſinant, ſtatuitur pœna depoſitionis, aut excommunicationis; & *ex c. Clerici.* 15. *de vita, & honeſt. Cleric. & ex Concil. Trident. ſuprà n.* 114. *citato*. Ex quo Doctores, præſertim Navarrus *cap.* 20. *Manual. nu* 9. Sylveſter *V. Ludus*, *q.* 4. Layman *lib.* 3. *Moral. tract.* 4. *cap.* 21. *num.* 1. & alii ab his relati docent, quòd Clericus lucri gratia, & pro magna quantitate taliter ludens, peccet mortaliter, ſi frequenter, aut publicè cum ſcandalo aliorum id fiat. Secùs foret dicendum, ſi ſolius recreationis cauſa, diſtractionis, vel charitatis ergo, Clericus ex bonis Patrimonialibus (vel etiam ex Eccleſiaſticis ſed in modica duntaxat quantitate, ſpectato ſtatu ſuo) ſine aliorum ſcandalo, privatim ſemel, ut bis, vel ad breve tempus ita luderet: Nam Canones relati loquuntur de illis, qui *alea, atque ebrietati deſerviunt*; id eſt, crebrò, & per longum tempus ludunt, ſeu luſui ejuſmodi *valdè ſerviunt*. Denique Sacri Canones hoſpitalitatem in Clericis, præſertim Beneficiariis requirunt velut debitam: unde *diſt.* 43. *§.* 1. legitur: *Hoſpitalem oportet eſſe Sacerdotem, ne ſit in numero eorum, quibus in judicio dicetur*, Matth. 25. *Hoſpes eram, & non collegiſtis me*. *Qui enim Apoſtolum ſecutus, alios ad hoſpitalitatem debet invitare, quomodo hoſpitalitatis exhortator poterit eſſe qui domum propriam hoſpitibus claudit?* Quare etiam certum eſt, & non tantùm probabile, quòd Clerici bona ſuperflua beneficialia teneantur in pauperes, vel in pias cauſas erogare ſub peccato mortali, licèt in utramque partem adhuc probabiliter controvertatur, an ex virtute Juſtitiæ, vel Religionis, vel alterius? de quo vide *P. Patritium Sporer ſuprà* 1. *citatum*.

## *§. In Clericis requiritur bona Converſatio.*

I. CUm Clerici, præſertim in Ordinibus Sacris conſtituti, caſtè, & continenter vivere teneantur, ut 11 ſupra dictum eſt: Mulierum autem conſortia vitam Clericorum, de incontinentia reddant ſuſpectam; hinc bona Clericorum converſatio, & caſtitatis obſervantia requirit, ut omnem ſuſpectam cohabitationem cum altero ſexu, quàm maximè fugiant: ut non tantùm ab ipſo fœdo opere, ſed etiam à quovis periculo, atque ſuſpicione ipſius reddantur immunes. Propterea *can. hoſpitiolum. diſt.* 32. S. Hieronymus, *ad Nepotianum, de vita Clericorum*; in hæc verba ſcripſiſſe legitur: *Hoſpitiolum tuum, aut rarò, aut numquam mulierum pedes terant: quia non poteſt toto corde cum DEO habitare, qui fœminarum acceſſibus copulatur; fœmina conſcientiam ſecum pariter habitantis exurit. Numquam de formis mulierum diſputes. Fœmina nomen tuum noverint, vultum neſciant. Fœminam, quam benè videris converſantem, mente dilige, non corporali frequentia*. Huc accedit textus *cap.* 1. *de vita, & honeſt. Cleric.* ſic loquens: *inhibendum eſt, ut nullus Sacerdos fœminas, de quibus ſuſpicio eſſe poteſt, retineat. Sed neque illas, quas Canones concedunt, matrem, amitam, & ſororem: Quia inſtigante diabolo, & in illis ſcelus perpetratum reperitur, aut in pediſſequis earum. Sed ſi qua de his neceſſitatem habuerit, presbyteri habeant in vico, aut in villa domum longè à ſua converſatione, & ibi eis, quæ ſunt neceſſaria, ſubminiſtrent. Prohibendum quoque eſt, ut nulla fœmina ad altare præſumat accedere, aut infra cancellos ſtare, ſive ſedere*. Unde ad præcavendum omni ſiniſtræ opinioni, optimè faciunt Clerici illi, qui vel penitùs nullam fœminam in domos ſuas recipiunt, ſed neceſſaria miniſteria per mares ſibi fieri procurant: vel ſaltem intra ſua hoſpitiola, ſeu interiores partes domus, ubi remanere conſueverunt, fœminas ingredi non patiuntur.

II. Clerici non tantùm à domo propria removere tenen- 12
tur ſuſpectas mulieres, ſed etiam in domibus alienis eas accedere, aut ſuſpectam cum ipſis converſationem ubivis locorum habere prohibentur. Ita Communis apud Reiffenſtuel *cit. tit.* 2. *num.* 4. Eſtque clarè deciſum *can. Clericus ſolus & cum in omnibus*, & *can. Clerici, vel continentes diſt.* 81. Ratio eſt: quia Clerici, qui populum exemplo, & doctrina paſcere, ac inſtruere debent, in ſua converſatione debent eſſe irreprehenſibiles, ut *non vituperetur Miniſterium eorum*. 2. *Corinth.* 6. Alioquin doctrina ipſorum, atque exhortatio parùm, aut nihil fructificaret in populo: nam *legimus, & quotidianis etiam experimentis didicimus, cujus vita deſpicitur, reſtat, ut prædicatio contemnatur*; inquit S. Bernardus *Serm.* 2. *de reſurrect. Domini*, *paulò ante finem*. Ex ſuſpecta autem converſatione Clericorum cum fœminis, ipſi fierent multum reprehenſibiles, vituperaretur eorum miniſterium, ſcandalizaretur populus, vileſceret dignitas Clericalis, atque lapſus carnalis periculum ſubintraret, juxta illud *Eccleſiaſtici cap.* 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*, & eſto lapſus abſit, non tamen abeſt lapſus ſuſpicio, quam ipſam Sacri Canones graviter volunt à Clericis eſſe alienam.

III. His non obſtantibus, licitum eſt Clericis, & à Jure 13
conceſſum, in domo ſua, rei domeſticæ gratia, ſeu ob aliud honeſtum motivum, retinere illas perſonas, ſive mulierculas, in quibus naturale fœdus nihil permittit fœdi criminis ſuſpicari. Ita habetur *can. cùm omnibus diſt.* 81. Ubi præmiſſa prohibitione, ne Clericis omninò cohabitent extraneæ mulieres; hinc excipiuntur matres, aviæ, & materteræ, amitæ, ſorores, & filiæ fratrum, aut ſororum &c.

IV. Præter prædictas fœminas, modò non ſint ſuſpectæ, 14
etiam licitum eſt Clericis domi retinere alias, de quibus nulla prudens ſuſpicio fœdi criminis concipi poteſt: *Ex can. interdixit diſt.* 32. Ubi Synodus Nicæna præter matrem, aut amitam, etiam eas idoneas perſonas, quæ fugiant ſuſpiciones. Clericis habere permiſit. Nihilominùs pro poſſibili Clericus obſervare debet, ne ſolus cum ſola confabuletur, nec in tenebris, aut occultis locis; ſed ſociatus aliis, vel ſaltem in conſpectu aliorum in publicis, honeſtiſq; locis neceſſaria cum mulieribus loquatur. Ita habetur *can. in omnibus diſt* 81. Ubi hujus ratio redditur illis verbis: *Ut excludatur omnis nefanda ſuſpicio. Certè ſolum, & ad ſolam accedere, nulla Religionis ratio permittit*. Accedit periculum ſcandali, & lapſus in peccatum carnale; nam *qui malè agit, odit lucem*, juxta teſtimonium veritatis. *Joan.* 3.

§. IV. *Vita Honeſtas in Clericis requirit debitum Officiorum exercitium, & fugam non Convenientium negotiorum.*

15 QUomodò Clerici ſua officia debitè integrè, devotè, ac ædificatoriè peragere debeant, v. g. celebrare Miſſas, adminiſtrare Sacramenta, recitare horas Canonicas, &c. videri poteſt in P. Patritio Sporer *in ſua Theologia Sacramentali*. Nos hic eas actiones tantùm recenſebimus, quæ Clericali ſtatui diſconveniunt, & conſequenter à Clericis ſunt fugiendæ. Itaque

16 I. Clericis ſub pęna excommunicationis ferendæ per Judicem ſententiæ prohibitum eſt arma geſtare, *ex cap. 2. de vita, & honeſt. Cleric.* ibi: *Clerici arma portantes, & Uſurarii excommunicentur*; adeóque, ut infert Abbas *ibidem n. 1.* peccant mortaliter, arma prohibita deferendo: quia excommunicatio non debet inferri, niſi pro peccato mortali. Accedit Ratio: Quia officium clericatus Clericos reddit inhabiles ad pugnandum, *ex c. multa, 9. de voto*. Unde Clericorum arma debent eſſe orationes. Ex juſta tamen cauſa, v. g. ad ſe, vel proximum, propriaſque, vel alienas res contra invaſorem defendendas, licitum eſt Clericis arma portare, ut patet *ex c. Dilecto. 6. de ſent. excom. in 6.* ubi additur ratio: quia *omnes leges, omniaque Jura, vim vi repellere, cunctiſque ſe defenſare permittunt*. Hinc conſuetudine jam receptum eſt, ut Clerici iter facientes, arma defenſoria ſecum ferant. Quòd ſi Clericus in Ordinibus Minoribus conſtitutus, non ſolùm arma deferat, ſed etiam militiæ operam dederit, tunc is à clericatu excluditur, *ex Can. ſi quis poſt remiſſionem diſt. 50. & can. aliquando, ac ſeqq. diſt. 51.*

17 II. Clerici officia, vel commercia ſæcularia non exerceant, maximè inhoneſta. Ita his ipſis verbis ſtatuitur *c. Clerici officia 15. de vita, & honeſt. Clericorum*. Hinc Clerici non poſſunt Tabernam Cauponariam publicè tenere, *Can. nulli Clerici. diſt. 44. & Clement. 1. de vita, & honeſt. Cleric.* Aut Lanionum, ſeu Macellariorum officium publicè, & perſonaliter exercere, *ex Clement. citata*. Aut ſabrum publicè agere, pelles, vel coria parare, aut alia hujuſmodi vilia, & immunda exercere. Speculator *tit. de Cleric. conjug. nu. 6. & 7.* & Abbas *c. ult. num. 16. de vita, & honeſt. Cleric.* ſpecialiter verò Clericis prohibitum eſt, negotiationem exercere, *cap. 1. ne Clerici, vel Monachi*. Quia ſalvator legitur è templo ejeciſſe negotiatores. *Matth. 21.* addita ratione: *ne domus orationis fieret ſpelunca Latronum*. *Negotiatio* verò dicitur, quando res empta, non mutata materia, alteri venditur, & talis negotiatio Clericis eſt prohibita. *Artificium* verò eſt, quando quis emit aliquam materiam, quæ poſteà per artem reducitur ad aliam formam: ut ſi quis emat fila, & faciat tela, aut hujuſmodi, *can. ejiciens diſt. 88.* & tale artificium non eſt Clericis prohibitum, quin potiùs commendatum, ſicut & Agricultura, dummodò fiat abſque neglectu officii Eccleſiaſtici: quia non inducit ad peccatum, ſicuti negotiatio, quæ ſolet homines inducere ad mendacia, perjuria, fraudes &c. Hinc etiam Apoſtoli poſt Chriſti Paſſionem redierunt ad piſcandum. *Joan. 21.* S. Matthæus verò ad Telonium non ampliùs reſedit: quia iſtud poſterius inducit ad peccatum, non verò prius; prout notavit S. Gregorius Papa, *Homil. 24. in Evangelio*. Quare Clerici in Sacris conſtituti, aut beneficium Eccleſiaſticum habentes, exercendo negotiationes prohibitas peccant mortaliter ex genere ſuo, niſi excuſet parvitas materiæ, aut neceſſitas. Ita Barboſa *l. 1. Juris Eccleſiaſt. univerſ. c. 40. n. 114. & 128.* Belletus *Diſquiſ. clerical. part. 2. §. 51. de Pœnis clericor. n. 2.* Reiffenſtuel *cit. tit. 1. De vita, & honeſt. cleric. n. 133.* & alii. Idque patet *ex c. ſecundum 6. Ne clerici, vel Monachi*, ubi dicitur: *ſub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi, vel clerici, cauſa lucri negotientur*, ac proinde contrafacientes ſunt excommunicandi; atqui pęna tam gravis non imponitur, niſi ob peccatum mortale: ergo Clerici exercendo negotiationes ſæculares peccant mortaliter. Poteſt tamen Clericus Agros Beneficiorum, aut bonorum ſuorum Patrimonialium, opera Laicorum colere, item retinere, atque locare boves, oves, aliaque animalia, quæ habet ex ſucceſſione, vel decimis, nec non fructus illorum vendere; item vendere granum, hordeum, & alios fructus collectos ex bonis Patrimonialibus, vel Eccleſiaſticis pro ſua, & ſuorum ſuſtentatione. Ita *S. Congregatio Concilii Trident. relata à Barboſa cit. n. 127.*

18 III. Clericis prohibitum eſt repræſentare Ludos Theatrales inhoneſtos, ſcurriles, aut profanos, iiſque intereſſe: *ex cap. cum decorem. 12. De vita, & honeſt. cleric.* Secùs eſt de repræſentationibus piis. Quas exhibere, iiſque intereſſe non prohibentur. Item Clericis prohibitum eſt, mimis, joculatoribus, & hiſtrionibus intendere, *ex cap. Clerici officia 15. de vita, & honeſt. cleric.* eiſdem etiam *can. his igitur, diſt. 23.* præcipitur: *Ut à mundi voluptatibus ſeſe abſtineant, non ſpectaculis, non pompis interſint, convivia publica fugiant uſuris nequaquam incumbant, amorem pecuniæ quaſi materiam cunctorum criminum fugiant, & ſæcularia officia, negotiaque abjiciant, viduarum, & virginum frequentationem fugiant*; & *can. Presbyteri diſt. 34.* ſtatuit Concilium Agathenſe: *Ut Clerici etiam alienarum nuptiarum evitent convivia, nec his cœtibus miſceantur, ubi amatoria cantantur, aut turpia; aut obſcœni motus corporum choreis, & ſaltationibus efferuntur: ne auditus, aut obtutus Sacris Myſteriis deputati, turpium ſpectaculorum atque verborum contagione polluantur*. Hucuſque Concilium.

IV. Clericis univerſaliter eſt prohibitum: *ne Miniſtri Laicorum fiant, nec in rebus eorum procuratores exiſtant, ex cap. 2. Ne Clerici, vel Monachi & cap. ſed nec. 4. Ne Clerici, vel Monachi.* ibi: *ſed nec Procuratores villarum, aut Juriſdictiones etiam ſæculares ſub aliquibus principibus, & ſæcularibus viris, ut Juſtitiarius eorum fiat, clericorum quiſpiam exercere præſumat* & cap. Clerici. 15. de vita, & honeſt. Cleric. ibi: *Clerici officia ſæcularia non exerceant.* Specialiter prohibetur Clericis officium Tabellionis, ſeu Notarii publici agere: *ex cap. ſicut te. 8. Ne Clerici, vel Monachi*. Item prohibitum eſt Clericis, & Religioſis publicè, ſeu in Scholis, vel univerſitatibus publicis Jus civile, & Phyſicam, id eſt, Medicinam audire, *ex cap. magnoperè 3. c. fin. Ne Clerici, vel Monachi*: Ne occaſione talis ſcientiæ, ſpirituales viri mundanis rurſus actionibus involvantur. Quod tamen intelligendum, niſi alicubi in univerſitate habeatur contraria conſuetudo, vel privilegium ſpeciale Apoſtolicum, ut Clerici, vel Religioſi Jus Civile publicè audire valerent. Privatim tamen, & domi ſtudere Juri Civili, aut Medicinæ, non eſt Clericis, aut Regularibus prohibitum; ut habet communior DD. *apud Reiffenſtuel cit. in 3. Decret. tit. 50. n. 9.* Rurſus ſpecialiter prohibetur Clericis, ne Judicium ſanguinis dictent, proferant, vel executioni ſententiæ interſint, ut patet *ex cap. Clericis. 5. & cap. ſententiam 9. Ne Clerici, vel Monachi*. Hinc *Epiſcopus, ſeu quicunque alius Prælatus, vel Clericus Juriſdictionem obtinens temporalem; ſi homicidio, aut alio maleficio ab aliquibus in Juriſdictione ſua commiſſo Ballavio ſuo* (ſeu Judici) *aut alii cuicunque injungat, ut ſuper hoc veritatem inquirens, Juſtitiæ debitum exequatur, irregularis cenſeri non debet* (nec malè agere) *quamvis ipſe Ballavius* (ſeu Judex) *vel alius contra malefactores ad pœnam ſanguinis proceſſerit, Juſtitia mediante. Nam licet Clericis cauſas ſanguinis agitare non liceat, eas tamen* (cùm *Juriſdictionem obtinent temporalem*) *debent, & poſſunt metu irregularitatis ceſſante, aliis delegare*, uti in terminis ſtatuitur *cap. 3. Ne Clerici, vel Monachi in 6.* Denique qualiter Clericis, & Monachis prohibitum ſit aſſiſtere ultimis reorum ſuppliciis, vide apud P. Patritium Sporer *tr. 5. in 5. Præceptum Decalogi, cap. 2. Subſectione, num. 72.* Item qualiter Clericis, & Monachis interdictum ſit exercitium artis medicæ, vel chirurgicæ, vide apud eundem P. Sporer *cit. c. 3. ſect. 5. nu. 169. & ſeqq.* Item qualiter Clericis prohibita ſit venatio, habet idem P. Sporer *tract. 6. in Decal. cap. 1. ſect. 4. num. 156.* 19

## QUÆSTIO II.

*De Reſidentia Clericorum Beneficiariorum.*

### SUMMARIUM.

21 *Quid ſit Reſidentia Clericorum?*
22 *Omnia Beneficia Jure communi poſtulant reſidentiam.*
23 *Beneficiati curam animarum habentes tenentur ad reſidentiam Jure Divino, & naturali;*
24 *Reliqui Jure duntaxat Eccleſiaſtico.*
25 *Epiſcopi debent reſidere in loco ſuarum Eccleſiarum Cathedralium,*
26 *Et tenentur ibi ſua munia peragere.*
27 *Enumerantur munera Epiſcopis, aliiſque Curatis Jure Divino incumbentia.*
28 *Quamdiu, & ex quibus cauſis liceat Epiſcopis abeſſe à ſuis Eccleſiis?*
29 *Quid ſtatuerit Concilium Tridentinum circa Reſidentiam Parochorum?*
30 *Parochi ex legitima cauſa, & accedente licentia Ordinarii poſſunt per duos menſes abeſſe à ſuis Parochiis.*
31 *Et ſine licentia Ordinarii per unum, vel alterum diem*
32 *Cauſæ excuſantes Parochos à Reſidentia.*
33 *Parochi per ſeipſos debent peragere ſua munia.*
34 *Canonici tenentur reſidere in ſuis Eccleſiis;*
35 *Et in eiſdem ſua conſueta officia perſonaliter peragere.*

36 Pæ-

Digitized by Google

*36 Pœna non reſidentium Canonicorum.*
*37 Cauſa excuſantes Canonicos à reſidentia.*

## ASSERTIO II.

20 R*Eſidentia Clericorum eſt commoratio fermè continua in loco beneficii, cauſa officii, ſeu ſervitii Eccleſiaſtici perſonaliter præſtandi: Ad hanc tenentur Epiſcopi in ſuis Eccleſiis Cathedralibus: Parochi, ſeu Curati in ſuis Parochiis, & Canonici in ſuis Eccleſiis: exceptis quibuſdam dumtaxat caſibus.* Communiſſima.

### §. I. *Reſidentia Clericorum eſt commoratio fermè continua in loco Beneficii &c.*

21 I. EXplicatur. Dicitur 1. Reſidentia Clericorum eſt *commoratio fermè continua in loco Beneficii*. Nam, qui *aliquantis per tantum abſunt; ex veterum Canonum ſententia non videntur abeſſe, quia ſtatim reverſuri ſunt*: prout loquitur Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. de Reform. cap. 1.* Dicitur 2. *Cauſa officii, ſeu ſervitii Eccleſiaſtici*: Quia onus Reſidentiæ Clericis Beneficiariis incumbens, eſt intelligendum cum effectu ex *c. relatum 4. de Clericis non reſidentibus*. Hinc, ſi Clericis perſonaliter quidem exiſtat in loco Beneficii, ſed officium ſuum numquam præſter, non cenſetur reſidere Pirrhing. *tit. de Clericis non reſidentibus, num. 1.* Dicitur 3. *Perſonaliter præſtandi*. Siquidem nullus ad Beneficium Eccleſiaſticum aſſumendus eſt, niſi, qui reſidere in loco, & curam ejus per ſeipſum valeat exercere juxta *cap. 3. de Clericis non reſidentibus*. Quia enim Beneficium datur propter officium *cap. ult. de reſcriptis in 6.* Hinc reſidentia accipienda eſt in eum ſenſum, ut ſit laborioſa, non otioſa. Nec hic locum habet *Regula 68 in 6. poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum.* Quia hæc Regula patitur exceptionem, quoties electa eſt induſtria, & fides Perſonæ, cui quidpiam committitur *ex c. ult. de officio Judicis delegati*. Sic autem in Beneficiis Eccleſiaſticis cenſetur electa induſtria, fideſque perſonæ, cui aliquod ipſorum confertur ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 1. de reformat.* Ubi nonniſi digniores, & Eccleſiæ magis utiles judicati, ad Beneficia Curata promoveri jubentor. Unde conſequens eſt, quòd non poſſit quis per alium reſidere in beneficio. Sicut etiam nequit Clericus recitare Breviarium per alium.

22 II. Omnia Beneficia, etiam ſimplicia, ſpectato jure communi, poſtulant Reſidentiam. Ita Abbas, Fagnanus, & communis apud Reiffenſtuel *in 3. Decret. tit. de Clericis non reſidentibus, num. 8.* idque patet *ex cap. ex parte 8. de Clericis non reſidentibus*, & de beneficiis ſimplicibus idipſum patet ex *Can. Eleutherius*, & Can. *Clericus, diſt. 91.* Dictum tamen fuit, *ſpectato Jure communi*. Nam ex Generali conſuetudine totius Eccleſiæ, Beneficia ſimplicia reſidentiam perſonalem non requirunt: adeoque poteſt quis per ſobſtitutum eiſdem deſervire, *niſi fundator diſertis verbis oppoſitum expreſſerit*. Ita communis apud Reiffenſtuel *cit. n. 9.* Ratio eſt: quia Sacra Congregatio apud Zerolam *part. 1. Praxis Epiſcopalis. V. Beneficium*, ita declaravit, hiſce verbis. *Obtinens Beneficium, quod ſit ſimplex, & ſine cura animarum, & extra Eccleſiam Collegiatam, nec perſonalem reſidentiam ob aliam cauſam* (puta niſi fundator diſertis verbis requiſiverit eandem) *requirens, non tenetur in eo reſidere ſed ad inſerviendum illi per alium, qui probatus ſit ab Ordinario.*

23 III. Epiſcopi, aliique Beneficiati curam animarum habentes tenentur ad Reſidentiam perſonalem non ſolùm de Jure Canonico, ſed etiam Jure Divino, & naturali. Ita Navarrus *cap. 25. Manual. num. 121.* Barboſa *part. 3. de Offic. & poteſt. Epiſc. Allegat. 53. num. 2.* Leſſius *lib. 2. de Juſt. & Jure cap. 24. dubit. 29. num. 153.* Garzias, Fagnanus, Pirrhing, Sannig, Reiffenſtuel, & communiſſima Theologorum. Ratio eſt: quia Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. c. 1. de reform.* dicit: *Cum præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his Sacrificium offerre, verbique Divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere, pauperum aliarumque miſerabilium Perſonarum curam paternam gerere, & in cætera munia paſtoralia incumbere: quæ omnia nequaquam ab iis præſtari, & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non invigilant, neque aſſiſtunt: Sacroſancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio, & veritate paſcant, & regant.* Accedit ulterior ratio deſumpta ea natura, & officio paſtoris. Siquidem paſtor Jure naturæ, & vi officii, tenetur gregi ſuo invigilare, eumque ad inſtar mercenarii neutiquam deſerere: quod ipſum Jure Divino præcipitur Paſtoribus Eccleſiaſticis, *Ezechielis*, *cap. 3. Actorum cap. 20.* Ergo etiam Jure naturali, & Divino paſtor animarum tenetur ad Reſidentiam Perſonalem, utpotè ſine qua juxta allegatum Concilium Tridentinum munia paſtoralia nequaquam adimpleri, & præſtari poſſunt. Eadem enim obligatione, qua quis tenetur ad finem, tenetur etiam ad medium, ſine quo finis obtineri non poteſt.

IV. Beneficia non Curata, Jure dumtaxat Eccleſiaſtico, 24
atque ex primæva fundatorum intentione per Sacros Canones approbata, exigunt reſidentiam. Ita Communis apud Reiffenſtuel *cit. num. 14* Ratio eſt: quia Beneficia curam animarum non habentia, ſolummodò per Eccleſiam propter cultum Divinum ſunt inſtituta, neque in iſtis urget ratio proximè allata, cùm careant officio paſtorali, curaque animarum: ergo nonniſi Jure Eccleſiaſtico exigunt reſidentiam.

### §. II. *Epiſcopi tenentur ad Reſidentiam in Eccleſiis ſuis Cathedralibus.*

I. REſidentia Epiſcoporum facienda eſt in loco, ubi eſt 25
ipſorum Eccleſia Cathedralis. Ita deſumitur *ex Can. Placuit, ut nemini 7. quæſt. 1.* docetque Barboſa *cit. num. 3.* Fagnanus *c. qualiter num. 27. & 34. tit. de Clericis non reſidentibus, &c. Canonum ſtatuta, n. 101. de Conſtit.* aſſerens, quòd Sacra Congregatio Concilii declaravit, Epiſcopos teneri apud ſuam Eccleſiam Cathedralem reſidere; nec ſatis eſſe, ut in Diœceſi reſideant: haud obſtante, quòd Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 1. verſ. eoſdem interim admonet de Reformat.* utatur verbo illo, *Admonet*; quia obligatio reſidendi juxta Cathedralem Eccleſiam ſurgit ea diſpoſitione antiquorum Canonum, quos Concilium non ſuſtulit, ſed ſolùm moderabatur. Idpſum probatur à ſimili quia pariter Abbas in ſuo Monaſterio, Parochus in loco Eccleſiæ Parochialis, aliique Beneficiati in loco Beneficii ad ſua munera ritè obeunda reſidere tenentur.

II. Epiſcopi, aliique Beneficiarii præcepto reſidentiæ 26
non ſatisfaciunt ea eo, quòd corporaliter præſentes ſint in loco Beneficii; niſi etiam munera ratione officii ſibi incumbentia peragant. Ita certa, & communis teſte Reiffenſtuel *cit. n. 40.* eamque tradit Barboſa *cit. n. 20.* Garzias, & alii apud cit. Reiffenſtuel. Ratio eſt clara: quia verbum *reſidere*, ſignificat Eccleſiæ deſervire; debet enim accipi cum effectu *c. Relatum 4. de Clericis non reſidentibus*. Per hoc tamen non negatur, quin Epiſcopus poſſit conſtituere Vicarium Generalem: nam propter multitudinem negotiorum Epiſcopus; etſi diligentiſſimus ſit, plerumque non ſufficit ad omnia negotia ſe ſolo expedienda; ſimulque decet, ut ſua onera partiatur cum aliis.

III. Munera, quæ Epiſcopis, aliiſque curam animarum 27
habentibus ex præcepto Divino incumbunt, atque ab ipſis vi debitæ Reſidentiæ præſtari debent, potiſſimùm enumerantur à Concilio Tridentino *ſeſſ. 23. c. 1. de reformat.* Sequentibus verbis: *Videlicet, oves ſuas agnoſcere: pro his ſacrificium offerre: verbique Divini Prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac Bonorum omnium operum exemplo paſcere: pauperum, aliarumque miſerabilium Perſonarum curam paternam gerere &c.* Et quamvis de facto Epiſcopi, ſive ob negotiorum multitudinem, ſive ob alia legitima impedimenta. Verbi Divini Prædicationem, Sacramentorumque adminiſtrationem (excepto Sacramento confirmationis, & Ordinis) perſonaliter exercere rariùs ſoleant, atque ad iſtud teſte longæva conſuetudine regulariter non teneantur: nihilominùs eiſdem incumbit, perſonaliter eſſe ſolicitos, & vigiles, ut per deputatos Vicarios qualificatos idipſum debite præſtetur; ita tamen, ut ipſimet Epiſcopi non intermittant perſonaliter pro ovibus ſuis Sacrificium offerre, eaſque bono exemplo inſtruere, & ſpecialem pauperum, ac miſerabilium perſonarum curam habere, juxta præſcriptum *Concilii Trid. cit.*

IV. His non obſtantibus, poſſunt Epiſcopi nihilominùs 28
per ſingulos annos duobus, aut ad ſummum tribus menſibus conjunctim, vel interpolatim à ſuis Eccleſiis abeſſe: dummodò id fiat abſque ullo gregis detrimento, ſimulque ipſi non abſint tempore Adventus, Quadrageſimæ, aut in feſtis ſolemnioribus, niſi Epiſcopalia munia in ſua Diœceſi eos aliò vocent. Ita habet expreſsè *Conc. Trid. cit.* Similiter præter modicitatem temporis abſentiæ juxta mox dicta abſque detrimento gregis Dominici peragendæ, quatuor generatim adhuc ſunt cauſæ, ob quas Epiſcopi corporaliter poſſunt abeſſe ab Eccleſiis ſuis, videlicet *Chriſtiana Charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, ac evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas: dummodò intereà meminerint diſceſſuri, ita ovibus ſuis providendum, ut, quantum fieri poterit, ex ipſorum abſentia nullum damnum accipiant.* Ita expreſsè Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 1. de reform.* ſubjungens: *Si quis autem (quod utinam numquam eveniat) contra hujus decreti diſpoſitionem abfuerit, ſtatuit ſacroſancta Synodus,*

*præter*

Digitized by Google

*præter alias pœnas, adverſus non reſidentes, ſub Paulo III. impoſitas, & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non facere, nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi detinere poſſe, ſed teneri, aut ipſo ceſſante, per Superiorem Eccleſiaſticum, illos fabricæ Eccleſiarum, aut pauperibus loci erogare, prohibita quacumque conventione, vel compoſitione, quæ pro male perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur, non obſtantibus quibuſcunque Privilegiis cuicumque loco, aut fabricæ conceſſis.* Hæc Concilium loc. cit.

### §. III. *Parochi tenentur ad reſidentiam in loco ſuarum Eccleſiarum Parochialium.*

29 I. CIrca Reſidentiam Parochorum, aliorumque Curatorum inferiorum, & non reſidentium pœnas, ſtatuit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 1. §. eadem omninò* (quæ de reſidentia Epiſcoporum ibidem præmiſit) *etiam quoad culpam, omiſſionem fructuum, & pœnas, de Curatis inferioribus, & aliis quibuſcunque, qui Beneficium aliquod Eccleſiaſticum curam animarum habens, obtinent, Sacroſancta Synodus declarat, & decernit. Ita tamen, ut quandocunque eos, cauſa priùs per Epiſcopum cognita, & probata abeſſe contigerit, Vicarium idoneum ab ipſo Ordinario approbandum, cum debita mercedis aſſignatione relinquant. Diſcedendi autem licentiam in ſcriptis, gratiſque concedendam, ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſa non obtineant. Quòd ſi per edictum citati, etiam non perſonaliter, contumaces fuerint, liberum eſſe vult Ordinariis, per cenſuras Eccleſiaſticas, & ſequeſtrationem, & ſubtractionem fructuum aliaque Juris remedia, etiam uſque ad privationem compellere, nec executionem hanc, quolibet Privilegio, licentia, &c. ſuſpendi poſſe.* Hæc Conc. cit. Ex quibus.

30 II. Sequitur, Parochos, vel alios Curatos inferiores, v. g. Vicarios, aut coadjutores perpetuos, non poſſe abeſſe à ſuis Parochiis, ſeu Beneficiis curatis per duos menſes, niſi ex legitima cauſa, per ordinarium loci approbata, & accedente hujus licentia in ſcriptis obtenta, alioquin peccant mortaliter, ſimulque fructus pro rata temporis abſentiæ non faciunt ſuos. Ita docent etiam Barboſa *part. 3. de offic. & Poteſt. Epiſc. allegat. 53. numer. 93. & ſeqq.* Garzias *part. 3. de Beneſ. cap. 2. numer. 19. & 23.* Fagnanus, Piaſecius, Leſſius, Reiffenſtuel, & Alii contra Navarrum *c. 25. Manual. n. 121. Verſ. Et quamvis*: ubi arbitratur, etiam poſt Concilium Tridentinum, poſſe Parochum abeſſe duos menſes abſque licentia ſcripta, cum cauſa, quæ videtur ei juſta, cujus ſententiam probabilem, cenſet Azorius *part. 2. lib. 7. c. 4. q. 10.* & Caſtro-Palao *tr. 13. de Beneficiis, diſp. 5. punct. 5. num 3.* cum nonnullis, quos citat. Ratio noſtræ ſententiæ eſt, tum Concilium Tridentinum num. præced. citatum: tum Declaratio Sacræ Congregationis Concilii Trid. quam refert Garzias *part. 3. de Beneficiis c. 2. num. 23. & part. 9. de Beneficiis c. 2. num. 295.* Declarantis, Parochos non poſſe abeſſe duos menſes abſque Ordinarii licentia. Si tamen occurrat cauſa gravis, & neceſſaria ſubitò diſcedendi, quæ tantam celeritatem requirit, ut non patiatur dilationem, ſed ſit periculum in mora petendi licentiam, tunc Curatus, relicto idoneo Vicario, poterit diſcedere ſine præhabita licentia Ordinarii. Quia neceſſitas non habet Legem, *c. 4. de reg. Jur.* Ita tamen ut hujuſmodi Curatus, quamprimùm fieri poterit, teneatur certiorare Ordinarium de diſceſſu, atque neceſſitate occurrente, ut is de cauſa cognoſcat, detque licentiam, niſi in brevi ſit reverſurus. Ita Abbas *c. relatum n. 6.* Fagnanus, Garzias, Reifenſtuel *cit. num. 75.* & Alii.

31 III. Præmiſſis non obſtantibus poteſt Parochus ex cauſa, quæ ſibi legitima videtur, per unum, vel alterum diem, imò, & per ſex, aut ſeptem dies abeſſe ſine alia licentia ordinarii: dummodò interim idoneum Vicarium ab Ordinario approbatum relinquat, neque obſtet ſpecialis conſtitutio Epiſcopi. De uno, vel altero die, videtur eſſe certum ex univerſali conſuetudine. De ſex, vel ſeptem diebus, docent Barboſa *part. 3. de Officio, & Poteſt. Epiſc. Alleg. 53. numer. 106.* Caſtro-Palao, Reiffenſtuel *cit. numer. 79.* Ratio eſt: quia ex tam modica abſentia Parochi conſtituentis interim Vicarium idoneum, non cenſetur morale aliquod concreditarum Ovium, ſeu Parochianorum oriri periculum.

32 IV. Cauſæ excuſantes Parochum ad tempus à Reſidentia Perſonali cum licentia Ordinarii, ſunt illæ quatuor, quas Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 2. de Reform.* enumerat: videlicet, *chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, ac evidens Eccleſiæ vel Reipublicæ utilitas.* An autem propter peſtem graſſantem, vel hoſtilem incurſum excuſetur Parochus à Reſidentia perſonali? Declaravit S. Congregatio Concilii Tridentini *ad dubia, inſtante S. Carolo Borromæo, Archi-Epiſcopo Mediolanenſi, & S. R. E. Cardinale propoſita, 1576. die 11. Octobris.* Reſpondens, quòd Parochi tempore peſtis teneantur in Parochialibus reſidere. Quod ipſum ob paritatem rationis intelligendum eſt de tempore Belli, ſeu hoſtilis incurſus, ne tempore tam periculoſo deſtituantur oves ſpirituali auxilio Paſtoris ſui; contra illud ſalvatoris *Joannis cap. 10. Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Notandum tamen eſt Parochis, atque conſtitutis ipſorum Vicariis, ut tempore peſtis in adminiſtrandis Sacramentis cautè ſe gerant, ne ex ipſorum præmatura morte plures alii ſpirituale damnum patiantur.

Hoc etiam hic advertendum eſt, quòd parochi non ſa- 33
tisfaciant reſidentiæ præcepto, ſuæque conſcientiæ, qui licet in parochia perſonaliter exiſtant, numquam tamen, aut fermè numquam, ceſſante juſto impedimento, Sacramentorum adminiſtrationem, aliave munera Paſtoralia per ſeipſos exerceant, ſed iſta omnia relinquunt Cappellanis, & cooperatoribus ſuis. Ita Barboſa *part. 1. de Off. c. Parochi, c. 8. n. 41.* allegans Poſſevinum, *de offic. Curati, c. 1. num. 10.* plureſque alios. Engel. *cit. de Clericis non reſidentibus, numer. 15.* Garzias *part. 3. de Beneficiis, c. 2. num. 53* Reiffenſtuel *cit. num. 85.* Ratio eſt, quia reſidere, eſt Eccleſiæ deſervire per ſeipſum *ex c. 3. & 4. de Clericis non reſidentibus*: atqui iſtud non præſtat Parochus, omnia munere parochialia exercens dumtaxat per ſuos Cappellanos, & cooperatores: ergo ceſſante alio legitimo impedimento, peccat, nec ſatisfacit præcepto reſidentiæ; quamvis non videatur obligatus ad reſtitutionem fructuum, neque incidat in alias pœnas non reſidentium, juxta Garziam *part. 3. de Beneficiis c. 2. num 53.* & Reiffenſtuel *cit. n. 87.* Ratio eſt: quia in tali caſu adhuc obtinetur finis præcepti, videlicet cura animarum, rectaque gubernatio parochianorum: etſi non eo modo, quo deberet.

### §. VI. *Canonici tenentur ad Reſidentiam in ſuis Eccleſiis.*

I. CAnonici Eccleſiarum Cathedralium, & Collegia- 34
tarum tenentur reſidere in ſuis Eccleſiis, adeò, ut non liceat ipſis ultra tres menſes, ab eiſdem quolibet anno abeſſe: ſalvis tamen earum Eccleſiarum conſtitutionibus, quæ longius ſervitii tempus requirunt: ſicque abſentiam trium menſium non concedunt. Sic enim ſtatuit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 12. de reform.* ſequentibus verbis: *Præterea obtinentibus in eiſdem Cathedralibus, aut Collegiatis, Dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet ſtatuti, aut conſuetudinis, ultra tres menſes, ab eiſdem Eccleſiis, quolibet anno abeſſe; ſalvis nihilominùs earum Eccleſiarum conſtitutionibus, quæ longius ſervitii tempus requirunt.* Hæc ibi.

II. Quantum eſt de rigore Juris communis (*præſcindendo à* 35
*contraria alicubi conſuetudine.*) Canonici, cæterique proximè enumerati non ſatisfaciunt ſuæ obligationi, exhibende dumtaxat præſentiam ſuam in Choro, niſi etiam cantent, cæteraque conſueta officia juxta ordinatam alternationem perſonaliter peragant. Sic enim ſtatuit Concilium Trid. *ſeſſ. 24. cap. 12. de reform.* his verbis; *Omnes verò Divina per ſe, & non per ſubſtitutum, compellantur obire officia, & Epiſcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti aſſiſtere, & inſervire, atque in Choro ad pſallendum inſtituto, hymnis, & canticis DEI Nomen, reverenter, diſtinctè, devotèque laudare.* Hæc Concilium cit.

III. Pœnæ obtinentium in Eccleſiis Cathedralibus, aut 36
Collegiatis, Dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, nec reſidentium, ut debent, enumerantur à Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 12.* de *reform.* Sequentibus verbis: *Alioquin primo anno privetur unuſquiſque* (non reſidens, ut ſuprà) *dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac reſidentiæ fecit ſuos. Quod ſi iterum eadem uſus fuerit negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Creſcente verò contumacia, contra eos, juxta Sacrorum Canonum conſtitutiones procedatur.* Hæc ibi. Ex quibus verbis infertur, quòd Canonicus illicitè abſens, qui ob abſentiam in pœnam privationis fructuum incidit, non teneatur iſtos ante ſententiam condemnatoriam judicis reſtituere, uti patet ex Verbo, *privetur*, quod non operatur ipſo Jure, ſed per ſententiam. Ita Garzias *pert. 3. de Beneſ. c. 2. n. 151. & 152.* Barboſa *c. 20. de Canonicis, n. 22.* citans alios: Quamvis ſecùs dicendum ſit de Epiſcopis & curatis inferioribus: hi enim, ſi debitè non reſideant, ipſo jure tenentur reſtituere fructus pro rata temporis abſentiæ, utpotè quos non fecerunt ſuos: adeò, ut nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi detinere poſſint: prout expreſſis verbis decrevit Concilium



Digitized by Google

Tridentinum *ſeſſ.23. cap.ta. de reform.* eſtque jam dictum ſuprà num. 28.

37 IV. Inter cauſas legitimè excuſantes à Reſidentia perſonali Beneficiariorum, etiam Curatorum, communiter Doctores connumerant abſentiam Studiorum cauſa juxta *cap. relatum. 4. de Clericis non reſidentibus*; quæ cauſa ſolet reduci ad quartam ex enumeratis à Concilio Tridentino *ſeſſ. 23. cap.1. de reform.* quæ eſt *evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas*. Siquidem totius Eccleſiæ univerſalis maximè intereſt, ad ſui regimen viros habere litteratos, *cap. cùm ex eo 34. de Elect. in 6.* Qui eùm docti fuerint, in Dei Eccleſia velut ſplendor ſulgeant firmamenti, ac veluti ſtellæ in perpetuas æternitates manſuri, ad Juſtitiam valeant plurimos erudire, *cap. ult. de Magiſtris*. Juvat hic adducere verba Bonifacii VIII. *Relati cap. cum, ex eo 34. de Electionibus in 6.* Ita dicentis: *Præſenti conſtitutione ſancimus, ut Epiſcopi, eorumque Superiores cum his, qui hujuſmodi ſubjectas ſibi Eccleſias obtinent, vel obtinuerint in futurum diſpenſare poſſint liberè, ut uſque ad ſeptennium litterarum ſtudio inſiſtentes promoveri minimè teneantur, niſi ad Ordinem ſubdiaconatus dumtaxat ad quem infra prædictum annum recipiendum (ne, ſicut à multis de Chriſti Patrimonio ſublimatis olim factum eſſe dignoſcitur, à ſtatu recedere valeant Clericali) omninò obſtringi volumus: & niſi receperint; pœna contenta in dicto Concilio* (privationis ipſo jure) *eo ipſo percelli*. Hæc Pontifex ſubjuncta obligatione conſtituendi ad interim idoneum Vicarium, ea proventibus Eccleſiarum Parochialium congruè ſuſtentandum. De facto tamen privilegium percipiendi fructus Beneficiorum in abſentia ratione ſtudii, eſt ſublatum, quoad Eccleſias Parochiales; adeò, ut cum obtinentibus eas non ampliùs poſſint ad ſeptennium Epiſcopi diſpenſare: secùs dicendum de Canonicatibus, atque Beneficiis ſine cura animarum reſidentiam exigentibus. Ita Garzias *part.3. de Beneficiis, c.2. nu. 81. & ſeqq. allegans multiplicem Declarationem Sacræ Congregationis Concilii*. Barboſa *cap. Relatum, nu.7. de clericis non reſidentibus* Pitthing. Gonzales, & alii, apud *Reiffenſtuel cit. n.144. quem vide*. Ubi etiam *n.149.* docet, Epiſcopum poſſe uti opera, ſeu ſervitio duorum Canonicorum, qui abſentes cum Epiſcopo, ſeu in ejus ſervitio, integrè percipiunt fructus præbendarum in abſentia exceptis diſtributionibus quotidianis, juxta communem DD. atque habetur clarè deciſum *c. de cætero. 7. de clericis non reſidentibus*.

## QUÆSTIO III.

*De Beneficiis Eccleſiaſticis, & jure Patronatus.*

### SUMMARIUM.


39 *Explicatur definitio beneficii Eccleſiaſtici.*
40 *Beneficium Eccleſiaſticum dividitur in regulare, & ſæculare.*
41 *Item in Curatum, & non Curatum, in duplex, & ſimplex.*
42 *Item in Electivum, Patronatum, & Collativum: in manuale, & non manuale: in Canoniam, Vicariam, comendam, præſtimonium, & penſionem.*
43 *Papa habet Poteſtatem conferendi omnia Beneficia totius Mundi: Epiſcopus ſuæ Diœceſeos, per ſe loquendo.*
44 *Ad legitimam collationem beneficii plura requiruntur.*
45 *Unus nequit habere plura beneficia Eccleſiaſtica.*
46 *Exceptis aliquibus caſibus.*
47 *In eligendis ad Prælaturas, & beneficia Eccleſiaſtica requiritur ætatis maturitas?*
48 *Et morum gravitas, quæ conſiſtit in multis;*
49 *Et litterarum ſcientia.*
50 *Item, ut ſint Digniores.*
51 *Item in electione ſuperiorum regularium?*
52 *Quid ſit jus Patronatus?*
53 *An Patronus ſub peccato mortali obligetur præſentare Digniorem?*
54 *Patronus habet Jus Honoris, & Alimentationis.*
55 *Item obligationem tuendi, & defendendi Eccleſiam.*
56 *Quæſtio incidentalis de Officiis ſæcularibus.*


## ASSERTIO III.

38 *Beneficium Eccleſiaſticum eſt jus perpetuum percipiendi fructus ex Bonis Eccleſiaſticis, propter aliquod officium Spirituale, perſona Eccleſiaſtica, auctoritate Eccleſiæ conſtitutum. Multiplex eſt diviſio beneficii Eccleſiaſtici: Non licet ſimul retinere plura beneficia Eccleſiaſtica exceptis aliquibus caſibus; in eligendi ad Prælaturas, & beneficia Eccleſiaſtica requiritur ætatis maturitas, morum gravitas, & litterarum ſcientia: imò ſub peccato mortali ad beneficia Curata, etiam Parochialia, & Prælaturas Eccleſiaſticas promovendi ſunt Digniores, quos etiam Patroni ſub eadem obligatione præſentare tenentur.* Eſt communis apud Authores citandos.

### §. I. *Beneficium Eccleſiaſticum eſt Jus perpetuum, &c. & multipliciter dividitur.*

I. Beneficium Eccleſiaſticum dicitur in primis *Jus*, videlicet *Spirituale*, propter dependentiam à Spirituali; quia nimirùm præſupponit Clericatum. & datur propter officium, ſeu Miniſterium Sacrum. Additur, *perpetuum*: quia Doctores paſſim, apud Reiffenſtuel *in 3. lib. Decret. tit.5. de Præbendis, & Dignitatibus n.8.* tradunt de eſſentia Beneficii Eccleſiaſtici eſſe, quòd ſit perpetuum; tum quia Beneficium per hoc eſſencialiter differt à *Penſione*, nam Penſio non confertur in perpetuum: tum quia hoc deſumitur *ex can. Sanctorum, diſt.70.* ibi: *in qua Eccleſia quilibet intitulatus eſt, in ea perpetuo perſeveret*, hoc eſt, per totam vitam. Dicitur 2. *percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis, propter aliquod officium ſpirituale*: quia ut docet Barboſa *lib.3. Jur. Eccleſiaſt. univerſ. c.4 n 9. & 10.* tria in Beneficio Eccleſiaſtico diſtingui poſſunt. Primum eſt, *Officium aliquod ſpirituale*: puta obligatio recitandi horas canonicas in Choro, vel ſaltem extra illum: item obligatio deſerviendi in officiis ſpiritualibus cuipiam Eccleſiæ, celebrandi Miſſas, aut hujuſmodi. Et iſtud eſt omninò ſpirituale: non tamen eſt Beneficium, ſed fundamentum, & cauſa ipſius, hoc eſt, Juris percipiendi fructus ex Bonis Eccleſiaſticis: nam *propter officium datur beneficium Eccleſiaſticum*, ubi habetur *c. ult. de reſcriptis in 6.* Alterum eſt *jus percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis*. Et iſtud jus propriè dicitur Beneficium: eſtque Spirituale, quia oritur ex ſpirituali officio, ipſique connectitur. Tertium ſunt *ipſi fructus percipiendi ex bonis Eccleſiaſticis*, id eſt, ex bonis Deo dicatis, & Eccleſiæ donatis. Et hi ſunt quid temporale, ac proinde licitè venduntur abſq; labe Simoniæ, uti patet in fructibus Decimarum. Dicitur 3. *Perſona Eccleſiaſtica*, ideſt, ſaltem prima tonſura initiatæ. Nam aliàs quilibet, & ad quolibet Beneficium, inhabilis exiſtit: adeo quidem ut non ſufficiat poſt illud jam acquiſitum tonſurari, ut patet *ex c. litteris 6. de Tranſactione*. Dicitur tamdem in Definitione beneficii: *Auctoritate Ecclrſia conſtitutum*. Siquidem Beneficia Eccleſiaſtica nonniſi interveniente legitima auctoritate Eccleſiæ (hoc eſt: approbatione Epiſcopi, vel alterius Prælati ad hoc poteſtatem habentis) conſtitui, ſeu erigi poſſunt. Ita Barboſa *cit. n.16. & ſeqq.* Rebuffus, Piechus, Corradus, Gonzalez, & alii apud Reiffenſtuel *cit. n.14.* 39

II. Beneficium Eccleſiaſticum eſt multiplea, variéque dividitur. Et primò quidem ratione diverſi ſtatis hominum, quibus conferenda ſunt, beneficium dividitur in *regulare*, quod ſolis Regularibus competit: & *ſæculare*, quod Sæcularibus Clericis debitum eſt. Ubi ſciendum, quod omnia beneficia cenſeantur ſæcularia, niſi contrarium probetur, & quod ſæcularia beneficia ſæcularibus, & Regularia Regularibus ſint conferenda. Ita plures DD. apud *Reiffenſtuel cit. num. 23. & ſeqq.* 40

III. Beneficium ratione annexæ Curæ animarum, adminiſtrationis, aliorumve jurium, dividitur *in Curatum, & non Curatum*. Item *in duplex, & ſimplex*: ex quibus beneficiá duplicia ſubdividuntur in *Dignitates, Perſonatus, & Officia*. Beneficium Curatum eſt, quod habet annexam curam animarum: *Non Curatum* eſt, cui nulla animarum cura eſt annexa. Porrò beneficia Curata ſunt duplicis generis. Nam quædam habent Curam animarum *in foro externo, ſeu contentioſo*, quatenùs habent Juriſdictionem Spiritualem viſitandi, corrigendi, excommunicandi, & alia hujuſmodi præſtandi. Alia verò beneficia habent curam animarum *in foro interno, ſeu animæ*, quatenùs habent poteſtatem ligandi, & ſolvendi in foro pœnitentiali, ſimulque ſubditis ſuis adminiſtrandi Eccleſiaſtica Sacramenta in foro interno, & externo. Et talis cenſentur ſtrictè, & propriè beneficia Curata, qualia habent Parochi. Beneficium *duplex* eſt, quod vel curam animarum habet annexam, vel quamdam Juriſdictionem, Præcedentiam, vel adminiſtrationem adjunctam continet: uti ſunt Dignitates, Perſonatus, & officia. *Dignitas* eſt præcedentia cum Juriſdictione: *Perſonatus* eſt præcedentia ſine Juriſdictione. *Officium* denique eſt adminiſtratio rerum Eccleſiaſticarum ſine alia præcedentia ſpeciali, vel juriſdictione. Beneficium *ſimplex* eſt, quod neque curam animarum, neque Dignitatem, neque perſonatum, neque officium adjunctum habet, ſed tantùm eſt inſtitutum ad preces Deo perſolvendas, aliaque Divina 41

officia

Digitized by Google

officia peragenda. Quare Canonicatus non eſt Beneficium ſimplex: tum quia perſonalem Reſidentiam requirit ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 12. de Reform.* tum quia Canonicus majorem præ cæteris Clericis Præcedentiam habet, *ex cap. Statutum 22. de elect. in 6.*

42 IV. Beneficium ulteriùs dividitur in *electivum*, quod confertur per electionem legitimè celebratam, & à Superiore confirmatam; in *Patronatum*, quod ad Patroni præviam præſentationem, & ſubſecutam inſtitutionem à prælato factam confertur; & in *collativum*, quod per liberam Superioris Collationem, ſine prævia Capitulari electione, vel alterius præſentatione confertur. Item Beneficium aliud eſt *manuale*, quod non confertur alicui in perpetuum, ſed ad nutum conferentis, vel alterius; ita ut beneficiatus pro libitu ipſius amoveri poſſit: & ideò tale beneficium non eſt propriè beneficium: quia non eſt jus perpetuum, prout requiritur ad rationem beneficii propriè dicti, juxta dicta ſuperiùs *num. 39.* Aliud eſt *non manuale*, quod nimirùm confertur in perpetuum. Denique beneficium aliud eſt *canonia*, ſeu *canonicatus*, quod eſt jus ſpirituale proveniens ex electione, ſeu receptione alicujus in Canonicum: aliud eſt *Vicaria perpetua*, quando presbyter vice principalis Rectoris deſervit Eccleſiæ, & confertur in perpetuum cum canonica inſtitutione, ſeu inveſtitura, ac erectione tituli Vicariæ, nam Vicaria temporalis, qua Vicarius non inſtituitur in perpetuum, non eſt beneficium propriè dictum; eo ipſo, quia non eſt jus perpetuum. Similiter loquendo de Cappellania (hoc eſt, de beneficio ſimplici fundato in capella, ſeu Eccleſia quapiam cum auctoritate, & conſenſu Epiſcopi) ſi hæc fuerit perpetua, & conceſſa in titulum verè nomine beneficii propriè dicti: aliàs ſecus; exceptis nonnullis caſibus videndis apud Reiffenſtuel *cit. num. 71. Commenda* eſt cuſtodia Eccleſiæ alicui commiſſa. Unde Commendatarius dicitur ille, qui accepit Eccleſiam in commendam, ſeu cuſtodiam ejuſmodi: & ſiquidem commenda ſit perpetua, ſicut de facto ſunt, æquiparatur beneficio propriè dicto, ex Conc. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 17. de Reformat.* Ubi prohibetur quis habere *plura beneficia, etiam commendata. Præſtimonium*, per quod intelligitur ſtipendium, quod ab Eccleſiaſticis redditibus abſtractum dari ſolet Canonicis, vel aliis Clericis in Vitæ ſubſidium, ſi ſit perpetuum, eſt beneficium propriè dictum: ſecùs, ſi ſecùs. Item dicendum eſt de *Penſione*: quæ eſt Jus percipiendi partem fructuum ex alieno beneficio. Plura de his, qui volet, legat apud Reiffenſtuel *cit. num. 57. & ſeqq.*

### §. II. *Non licet ſimul retinere plura Beneficia Eccleſiaſtica, exceptis aliquibus caſibus.*

43 I. PApa, ſive Romanus Pontifex, habet poteſtatem conferendi omnia beneficia totius mundi. Ita communis Theologorum, & Canoniſtarum, atque habetur expreſſum *c. 2. de præbendis in 6.* Poſt Papam verò Ordinarius Collator beneficiorum in ſua diœceſi eſt Epiſcopus. Eſt itidem communis, & patet *ex can. Regenda 10. q. 1. & can. omnes Baſilicæ 16. q. 7.* Tribus autem potiſſimùm modis conferuntur beneficia I. *per electionem Canonicam*, ſeu legitimè celebratam à Capitulo, vel aliis, quorum intereſt, atque à Superiore confirmatam. II. Per *Præſentationem præviam*, & inſtitutionem in beneficio factam à prælato III. Per *collationem liberam*, quando videlicet Beneficium ſolo Jure prælati liberè, ſeu abſque prævia Capitulari Electione, vel alterius præſentatione, cuipiam idoneo clerico confertur.

44 II. Ad legitimam autem proviſionem, ſeu collationem Beneficii Eccleſiaſtici requiritur 1. Quod ſit *Canonica*, hoc eſt, facta juxta præſcriptum Sacrorum Canonum 2. *Ut fiat gratis*, hoc eſt, non pretio, pecunia, ſeu mercede temporali interveniente, alioquin quippe contraheretur ſimonia, qua proviſio beneficii vitiatur, ipſoque jure invalida exiſtit ejus acquiſitio, *extrav. cum deteſtabile, de Simon. inter commun.* de quo videtur P. Patritius Sporer *tr. 2. in 1. Præcept. Decal. cap. 10. ſect. 4. §. 4. num. 33. & ſeqq.* 3. Ut Collatio beneficii non ſit obtenta ſubreptitiè, hoc eſt, per expreſſionem falſitatis, aut ſuppreſſionem veritatis de jure exprimendæ, alioquin ipſa non tenet, ac nullius exiſtit momenti, *ex cap. cum adeò 17. & cap. ad audientiam 31. de Reſcriptis* 4. Ad validam proviſionem, ſeu collationem beneficii etiam requiritur, ut fiat intra debitum tempus, hoc eſt, intra tres menſes, loquendo de Eccleſiis Cathedralibus, & Regularibus prælato perpetuo vacantibus, vel intra ſemeſtre, à die notæ vacationis computandum, loquendo de cæteris prælaturis, Dignitatibus & Beneficiis Eccleſiaſticis *ex cap. Ne pro defuncto 41. de Election. & cap. Nulla 2. & c. Quia diverſitatem 5. §. fin. de conceſſione Præbendæ.*

III. Beneficia ſingula ſingulis ſunt conferenda, non plura uni. Ita Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 17. de Reform.* inquiens, quod *Eccleſiaſticus Ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum: & quod improbæ cupiditatis affectu ſeipſos, non Deum decipiant, qui ea, quæ benè conſtituta ſunt, variis artibus eludere, & plura ſimul Beneficia obtinere non erubeſcunt, &c.* Accedit, quod ex pluralitate beneficiorum uni collatorum, plura oriantur inconvenientia, quæ deplorat Joannes Papa XXII. *in Extravag. execrabilis, de Præbendis, & Dignitatibus*, ſequentibus verbis: *Unde inter cætera inconvenientia, ſubſcripta naſcuntur, quòd videlicet interdum unus, qui unum, quamvis modicum vix officium implere ſufficeret, plurimorum ſibi vendicet ſtipendia, quæ multis literatis viris vitæ puritate, ac teſtimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, poſſunt abundè ſufficere, æqua diſtributione collata: habentibus ipſa paratur vagandi materia. Divinus cultus minuitur, hoſpitalitas in ipſis beneficiis debita non ſervatur. Et dum non ſunt ſui in unaquaque Regione Rectores, Eccleſiarum detrahitur commodis, & honori, quæ carentes defenſorum auxilio, in juribus ſuis, & libertatibus, multipliciter collabuntur, & ruinis patent ædificia nobilia, quæ Magnificentia extruxerat Deceſſorum. Et (quod amariùs eſt dolendum) animarum Cura negligitur, & vitiorum ſenſibus ſementum periculosè præbetur.* Hæc Pontifex, miſera experientia ampliùs comprobata. 45

IV. Dantur nihilominùs aliqui caſus, in quibus plura 46 Beneficia Eccleſiaſtica ſimul retinere, peccatum non eſt juxta communem DD. Primus eſt; quoties ipſa beneficia de ſe non ſunt incompatibilia, ſimulque unum eorum non ſufficit ad honeſtam Clerici ſuſtentationem. Ita Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. de Reform. cap. 17.* Secundus eſt, quando Summus Pontifex rationabilibus de cauſis diſpenſat ſuper pluralitate beneficiorum ſimul retinendorum. Reliquos caſus vide apud *P. Reiffenſtuel citat. num. 207. & ſequentibus.*

### §. III. *In eligendis ad Prælaturas, & Beneficia Eccleſiaſtica requiritur ætatis maturitas &c.*

I. PEr *Ætatis maturitatem* intelligitur legitima ætas à 47 Sacris Canonibus præſcripta, qua non ſervata electio eſt nulla, & ſcienter eligentes incurrunt pœnas in jure ſtatutas, ut patet *ex cap. cum in cunctis 7. de Electione, & electi poteſtate, & cap. indecorum 3. de ætate, & qualitate præficiendorum*, ubi hujus ratio aſſignatur, quia videlicet *indecorum eſt, ut hi debeant Eccleſias gerere, qui non noverunt gubernare ſeipſos: cùm ad Eccleſiarum regimen tales perſonæ ſint admittendæ, quæ diſcretione præemineant, & morum fulgeant honeſtate.* Hæc ibi. Itaque pro quocunque Beneficio Eccleſiaſtico obtinendo ad minimum, de facto, requiritur ætas quatuordecim annorum inchoatorum; prout noviſſimè ſtatuit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. de Reform. cap. 6.* ibi *nullus ante decimum quartum annum, Beneficium poſſit obtinere.* Ut verò quis poſſit eligi, ſeu promoveri ad regimen Eccleſiæ Parochialis, requiruntur ex parte ipſius viginti quinque anni, ad minùs inchoati, *ex cap. cum in cunctis 7. de electione, & electi poteſt. & c. licet canon. 14. de elect. & electi poteſt. in 6.* ibi; *Decernentes, collationes de Parochialibus Eccleſiis, his, qui non attigerint vigeſimum quintum annum, de cætero faciendas, viribus omnino carere.* Porrò ad dignitates, & perſonatus, quibus nulla animarum cura ſubeſt, debent, promovendi, præſertim in Eccleſiis Cathedralibus, non eſſe minores viginti duobus annis, juxta noviſſimum Decretum Concilii Tridentini *ſeſſ. 24. de Reform. cap. 12.* Denique ad dignitates, & Miniſteria Eccleſiaſtica quæcunque quibus animarum cura ſubeſt, nullus promoveri poteſt, niſi vigeſimum quintum ætatis annum attigerit: *ex cap. cum in cunctis cit.* & ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. de Reform. cap. 12.* Ut quis verò eligatur in Epiſcopum, requiritur ætas triginta annorum completorum: ut iterum patet *ex c. Cum in cunctis cit.*

II. In eligendis requiritur *gravitas morum*, quæ conſiſtit 48 in ſequentibus 1. Ut eligendus ad prælaturas, & beneficia Eccleſiaſtica, ſit *ex legitimo Matrimonio procreatus*: illegitimus enim cujuslibet beneficii incapax eſt, niſi cum eo diſpenſetur, *ex c. cum in cunctis cit.* 2. Ut eligendus *ſit clericus*, hoc eſt, ut ſaltem quis prima tonſura initiatus ſit. Nam aliàs quilibet, & ad quodlibet Beneficium, inhabilis exiſtit: adeò quidem, ut non ſufficiat, poſt illud jam acquiſitum tonſurari, *ex cap. ex litteris 6. de tranſact.* 3. *Ut ſit in Ordine Sacro conſtitutus*, licèt enim ad beneficium ſimplex, per ſe, & quantum eſt de jure communi, ſufficiat prima tonſura, dummodò illud ex ſua inſtitutione non requirat certum Ordinem: nihilominùs ad Canonicatus, & portiones Cathedrales ex diſpoſitione Concilii Tridentini *ſeſſ. 24. de Reform. cap. 12.* requiritur Ordo Sacer. Item

ad

ad Archi-Diaconatum requiritur ordo Diaconatus: ad decanatum verò, atque ad alia beneficia, quæ curam animarum habent annexam, ſicut, & ad regimen Eccleſiæ Parochialis requiritur Ordo Presbyteratus, vel jam receptus, val ſaltem intra tempus à Jure præſixum (hoc eſt, intra annum) recipiendus, *ex cap. cum in cunctis 7. §. inferiora, de elect. & electi poteſtate, & c. licet canon. 14. eodem tit. in 6.* Ubi promotus ad Eccleſiam Parochialem jubetur intra annum, à tempore commiſſi ſibi regiminis numerandum, ad Sacerdotium promoveri: ſin minùs, elapſo anno Eccleſia ſibi commiſſa eſt ipſo jure privatus. Cùm igitur Concilium Tridentinum nihil diſpoſuerit de Canonicatibus Eccleſiarum Collegiatarum, ſed iſtud reliquerit intra terminos illos, qui ante dictum Concilium præſcripti fuerant, hinc ad Canonicatus Eccleſiæ Collegiatæ etiam inſignis requiritur, atque ſufficit prima tonſura, & ætas quatuordecim annorum, quæ generatim requiruntur ad quodcunque beneficium etiam ſimplex, juxta ſuperiùs dicta. Licèt talis Canonicus interim vocem in capitulo non ſit habiturus, donec Sacro Ordine Subdiaconatus fuerit inſignitus. Ita Reiſſenſtuel in t. *Decret. tit. 14. de ætate, & qualitate præficiendorum num.* 20. 4. Requiritur *abſentia cenſuræ; atque irregularitatis. §. Vera fides:* unde non ſolùm non baptizati ſed etiam Hæretici, Schiſmatici, imò & Neophyti (hoc eſt, noviter ad fidem converſi, ſunt ineligibiles ad beneficia Eccleſiaſtica. Reiſſenſtuel *in t. Decret. tit. 6. de electione num.* 223. & ſeqq. 6. Requiritur, *ut non ſit infamis*: nam ut habet *Regula 87. juris in 6. infamibus porta non pateat dignitatum* 7. Requiritur, ut eligendus *ſit de gremio Eccleſiæ Capituli, Diœceſis, aut Provinciæ, ubi fit electio*: Quia talis in pluribus conſuevit eſſe utilior ad bonum commune; ſiquidem magis diligit Eccleſiam, in qua nutritus eſt, ut notavit D. Thomas 2. 2. *quæſt. 63. art. 2. ad 4.* 8. Requiritur ex parte eligendi ad beneficium Eccleſiaſticum, intentio ſtatus Eccleſiaſtici. Si enim quis accipiat beneficium Eccleſiaſticum; eo dumtaxat animo, ut ex ejus fructibus ſuſtentari valeat, donec ſtudia ſua abſolverit, vel divitem uxorem repererit, intentione poſteà beneficium deſerendi, peccat mortaliter, nec poteſt tuta conſcientia illud retinere. Ita Leſſius *l. 2. de juſt. & jur. cap. 34. dubit. 26. num.* 132. allegans communem. Nihilominùs ſatis eſt, ut quis ſincero animo, bonaque fide proponat ſtatum Eccleſiaſticum retinere, neque ab eo reſilire, niſi juſta cauſa ſupervenerit: quia non eſt mens Eccleſiæ, per beneficium ita firmiter adſtringere Clericum ad ſtatum Eccleſiaſticum, ut nulla de cauſa: licet adhuc ſit conſtitutus in Ordinibus Minoribus, poſſit eum deſerere, ineundo Matrimonium. Reiſſenſtuel *in 1. Decret. tit. 14. de ætate, & qualitate præficiendorum, num.* 7. 9. Etiam requiritur *carentia alterius beneficii incompatibilis:* non quidem, quod collatio ſecundi beneficii incompatibilis ſit nulla (valida enim eſt) ſed quòd adepta pacifica poſſeſſione ſecundi vacet primum: prout declaraſſe Sacram Congregationem Cardinalium Concil. Tridentini interpretum, refert Fagnanus c. *ſuper inordinata, num. 9. de præbendis* 10. Requiritur *Cælibatus*, hoc eſt, ut quis non ſit Matrimonio ligatus; ſiquidem collatio facta ei, qui Matrimonio junctus eſt, invalida exiſtit, *cap. ſanè 2. de Clericis conjugatis*. Quinimo ſi clericus in Minoribus Ordinibus conſtitutus habeat beneficium, & poſteà contrahat matrimonium, illud ipſo jure perdit. ex c 1. & 3. *de clericis conjugatis*. Et communi DD. tradit Sanchez *l. 7. de Matr. diſp. 42. num.* 4.

49 III. In eligendis ad prælaturas, atque officia Eccleſiaſtica requiritur ſaltem *tanta ſcientia*, ſeu rerum agendarum notitia, quanta eſt neceſſaria, & ſufficiens ad rite exequendum officium ſuum, ad quod quis eligitur. Idem dicendum in eligendis, ſeu promovendis ad alias dignitates, & officia Eccleſiaſtica. Fagnanus *in cap. cum in cunctis num. 144. de elect. & electi poteſtate*. Garzias *part. 7. de Benef. c. 7. n.* 33. Paſſerinus, Engel, Reiſſenſtuel, & alii. Ratio eſt: Quia alioquin procedat propheticum illud *Oſeæ cap. 4. quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.*

50 IV. Alienis peccatis communicantes mortaliter peccant qui, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi dijudicaverint, ad Eccleſias promovent. Ita verbatim Concilium Trident. *ſeſſ. 24. c. 1. de Reform.* Quod verum eſt non tantùm de electione, & promotione ad dignitatem, & officium Cardinalis, Epiſcopi, Abbatis, ac Prælatorum Regularium, ſed etiam de electione, & promotione ad Eccleſias Parochiales. Ita Paſſerinus *cap. 30. de elect. num. 1. allegans plurimos authores*, addenſque *num.* 81. id certum eſſe. Joannes Cardenas *in Chriſi Theologica, ſuper propoſitione 47. per Innocentium Undecimum damnata, capite quarto numero quadrageſ.* Joannes Maria Sbogar *in Theologia Radicali, tractatu 15. num.* 10. Maſtrius *in Theologia Morali d. 6. quæſt. 1. art. 1. num.* 7. citans Divum Thomam 2. 2. *quæſt. 63. art. 2. & quæſt. 185. art.* 3. Caietanum, Antoninum, Palatios, Sotum, Leſſium, Sanchez, Vaſquez, Turrianum, Salonium, Caſpenſem, Sylveſtrum, & alios. Ratio eſt: quia omnibus ſupradictis incumbit regimen Eccleſiarum, atque animarum, ſed Eccleſiarum, & animarum regimen eſt onus Angelicis humeris formidandum; ut loquitur Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. c. 1. de Reform.* illicò hinc faciens concluſionem: ergo ad illud, qui maximè digni ſunt, aſſumantur, conſequenter peccant, & quidem mortaliter, qui ad tam grave officium, tantunque onus eligunt minùs dignum, prætermiſſo digniore: ſunt enim cauſa omnium malorum, atque peccatorum, ex promotione minùs digni conſequentium: ſicque, ut loquitur Concilium Trid. communicant alienis peccatis. De qua re vide *P. Patritium Sporer tract. 5. in 7. & 10. Præceptum Decal. c. 5. ſect. 5. §. 3. num.* 153. *& ſeqq.* Aliqua tantum ſuperaddo 1. Quòd licet electio indigni ad prælaturam, vel beneficium, vel officium Eccleſiaſticum ſit ipſo jure irrita, atque invalida *ex cap. dudum 22. de elect.* Nihilominùs ſi fiat electio digni, poſthabito etiam digniore, eadem in utroque foro, tam interno ſcilicet, quàm externo, ſit valida, nec reſcindi poſſit. Ita D Thomas 2. 2. *quæſt. 63. art. 2. ad 3.* Garzias *parte 7. de beneficiis, cap. 16. num.* 2. citans plurimos alios, Zoeſius *tit. de elect & elect. poteſtate* Engel *eodem tit. num.* 47. Reiſſenſtuel *eodem num.* 228. cum communi. Idque deſumitur ex *cap. cum nobis 19. & cap. cum dilectus 32. de elect. & electi poteſtate*, ubi talis electio minùs digni, omiſſis dignioribus refertur, & ſtantibus aliis confirmanda cenſetur. Accedit ratio: quia ſi electio impugnari poſſet in foro externo, ſeu Judiciali, ex eo dumtaxat, quòd non fuerit electus dignior, facilè omnis electio poſſet habere hanc calumniam, & lata porta aperiretur innumeris litibus, quod eſt abſurdum 2. Quando eligitur dignus, relicto non notabiliter digniore, non committi peccatum mortale, docet Lugo *diſp. 35. de juſtit. & jure ſect. 3. num.* 21. Sanchez *lib. 2. conſil. cap. 2 dub. 1. num* 17. Garzias, Navarrus, Sotus, Sylveſter, & Alii ab ipſis relati. Siquidem tunc à mortali excuſat parvitas materiæ, ſicut, & in aliis talibus materiis iſtud contingere ſolet. Deinde loquendo de beneficiis ſimplicibus, & nullam curam animarum habentibus, non eſſe peccatum mortale, eadem conferre dignis, omiſſis dignioribus, cenſent multi auctores, apud Reiſſenſtuel *citat num.* 247. nimirùm *Lugo, Leſſ. Garzias, Navarrus, Diana, Cardenas:* quamvis contrarium tenere videatur D. Thomas 2. 2. *quæſt. 63. art. 2.* eumque non pauci alii ſequantur. Ratio prioris ſententiæ eſt. Quia neque Concilium Tridentinum *cit. ſeſſ. 24. cap. 1. & 18.* Neque propoſitio 47. damnata ab Innocentio XI. agit de beneficiis ſimplicibus, ſed ſolùm de Curatis, ſimulque periculum tanti mali non imminet, neque ex iis adeo pendet bonum Eccleſiæ, ſicuti fit in Curatis: ac proinde faciliùs poteſt excuſari elector: qui ſemel, aut iterum digniorem omittit, dummodò alter ſit verè dignus: & hoc communiter non fiat: prout limitat Lugo *cit. ſect. 2. n.* 20. & Leſſius *lib. 2. de juſtit. & jure, cap. 34. dubitat.* 14. Ne alioquin ſucceſſive graviter lædatur Eccleſia, ſi ſemper digniores omittantur, & nemo curet promovere digniores in ejus miniſtros 3. Poteſt minùs dignus eligi, quando dignior ex induſtria ad aliud majus beneficium brevi vacaturum reſervatur; item quando electio reſtringitur ad perſonas talis loci, vel communitatis; tunc enim poſſunt omitti digniores alterius loci, vel communitatis, qualia eſſe ſolent beneficia, quæ vocantur *Patrimonialia*. Ita Lugo, apud Maſtrium c. *num.* 12.

Quantum ad electiones Regularium, Concilium Trid. 51 *ſeſſ. 25. c. 6. de Regularibus* ſtatuit ſequentia: *In electione Superiorum quorumcumque Abbatum temporalium, & aliorum officialium, ac Generalium, & Abbatiſſarum, atque aliarum Præpoſitarum, quo omnia rectè, & ſine ulla fraude fiant, imprimis ſancta Synodus diſtrictè præcipit, omnes ſupradictos eligi debere per vota ſecreta, ita ut ſingulorum eligentium nomina numquam publicentur. Nec impoſterùm liceat Provinciales, aut Abbates, & Priores, aut alios quoſcunque titulares, ad effectum electionis faciendæ conſtituere, aut voces, & ſuffragia abſentium ſupplere. Si verò contra hujus Decreti conſtitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita ſit.* Hæc Concilium cit. quod cap. 7. ſubjungit. *Abbatiſſa, & Prioriſſa, & quocunque alio nomine præfecta vel præpoſita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis poſt expreſſam profeſſionem laudabiliter vixerit. Quod ſi his qualitatibus non reperiatur in eodem Monaſterio, ex alio ejuſdem Ordinis eligi poſſit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præeſt, videatur, ex iis, quæ in eodem Monaſterio annum trigeſimum*

ex-

Digitized by Google

*exceſſerint, & quinque ſaltem annis poſt profeſſionem rectè vixerint, Epiſcopo, vel alio Superiore conſentiente, eligatur. Duobus verò Monaſteriis nulla præficiatur.* Hæc ibi. Inſuper notat Mattharucci *in officiali Curiæ Regularis, quoad Electionem Prælatorum cap. 15. num.* 40. Quod Regulares prælaturæ, etſi ſtricta, & propria ſignificatione, beneficia Eccleſiaſtica nuncupari non poſſint, ex non adjuncta utilitate reddituum Eccleſiaſticorum, tamen, ut obſervat *Lezana, & Habſenſis*, ſunt quaſi beneficia, & res ſpirituales, propter ſpiritualem juriſdictionem in ſubditos, & annexam curam animarum: ideò ſimili modo diſcurrendum de illis, ac de beneficiis.

### §. IV. *Jus Patronatus*

52 I. *Eſt Jus, ſeu poteſtas præſentandi Clericum ad beneficium Eccleſiaſticum vacans.* Ita in re communis. Acquiritur verò jus patronatus tribus cauſis, & modis, videlicet *fundatione, ædificatione, & dotatione Eccleſiæ.* Si unus; idemque ſimul fundet, ædificet, ac dotet Eccleſiam, ſolus erit Patronus: ſi verò plures concurrant, ita ut unus dotet, alter fundet, & tertius ædificet, erunt omnes patroni. Communis apud Reiffenſtuel *in 3. Decret. tit. 38. num.* 10. Poteſt nihilominùs jus patronatus etiam acquiri ex *Privilegio* Summi Pontificis, & *præſcriptione*. Porrò juris patronatus capaces ſunt non tantùm Clerici, ſed etiam Laici: *ex cap. quoniam 3. & cap. cùm autem 25. de Jure Patronatus*, & hoc ex ſpeciali gratia Eccleſiæ, ut Laici magis inducerentur ad fundandas, & dotandas Eccleſias, imò etiam *fœminæ* ſunt capaces juris patronatus, ex cap. *fin. de Conceſſ. Præbend. & cap. ex litteris 7. de Jure Patronatus*, ſicut & *impuberes, ex can. pia mentis 26. & ſeqq. can. Quicunque 30. & can. filiis 31. cauſa 16. quæſt. 7.*

53 II. Patrono ratione juris patronatus, quatuor jura competunt ex *cap nobis 25. de Jure patronatus*, & enarrantur à Gloſſa ibidem per notos illos verſiculos.

*Patrono debetur honos, onus, utilitaſque;*
*Præſentet, præſit, defendat, alatur egenus.*

Itaque primò competit Patrono *jus præſentandi*, ita ut ſi Clericum idoneum præſentet ad beneficium; Epiſcopus, vel alius, ad quem inſtitutio ſpectat, eum admittere, & in beneficio inſtituere teneatur: juxta communem, & certam ſententiam, patetque *ex toto titulo de jure patronatus:* ſi tamen tempore à Jure præſcripto fiat præſentatio. Habet autem Patronus Eccleſiaſticus ad præſentandum ſex menſes, Laicus verò tantùm quatuor, à die notitiæ vacantis beneficii ex *cap. 3. & 27. de Jure patronatus, & capite unico, eodem tit. in 6. & cap. Quia diverſitatem 5. de Conceſſ. præbend.* Quo tempore elapſo, & non facta præſentatione, devolvitur pro ea vice collatio beneficii ad eum, ad quem pertinet inſtitutio, ex *cap. eam te 22. & cap. cùm propter 27. de Jure patronatus*. Jam certum eſt, ſi patronus præſentet indignum quòd præſentatio ſit invalida, *ex toto titulo, de Jure patronatus*. Sed quæſtio eſt ſatis intricata: An Patroni teneantur præſentare digniorem ad beneficium *Curatum?* quia Patronum, ſive Eccleſiaſticum, ſive Laicum, regulariter loquendo, non obligari graviter, digniorem præſentare *ad beneficia ſimplicia*, non Curata: communis eſt Sententia, de qua vide *ſuprà num. 50. circa medium*. Et quidem Patronum Eccleſiaſticum graviter obligari ad beneficium Curatum, Parochiam, v. g. præſentare illum, quem cognovit digniorem, ſive in, ſive extra concurſum fiat præſentatio, docent Covarruvias, Gutticrez, Leſſius, Sanchez, Cardenas apud Reiffenſtuel *cit. num.* 77. cum communi aliorum, & nos jam probàvimus *ſuprà num.* 50. Quantum ad patronum Laicum, quamvis non deſint, docentes, eum non obligari graviter, ut ad Parochiam præſentet digniorem inter quos eſt Caſtro-Palaus *parte 2. tractatu 11. diſputat. 2. p. 7. numero quarto*. Garzias de *Beneficiis, parte ſeptima cap. 16. numero 19.* & alii, tamen probabilior, & meritò tenenda eſt ſententia dicens, etiam patronos Laicos graviter obligari, ut præſentent digniorem ad Beneficium. Ita Doctores mox citati, utpotè, qui indiſtinctè docent, quamvis Patronum teneri præſentare digniorem, & quidem Guttierez cum Covarruvia dicere non dubitat, contrariam ſententiam eſſe falſam. Fundamentum eſt. Quia ratio quoad patronos Eccleſiaſticos *ſuprà num.* 50. allata, etiam militat in patronis Laicis, ut legenti patebit: atqui ubi eadem eſt ratio, eadem eſt legis diſpoſitio: ergo. Confirmatur ex Concilio Tridentino *ſeſſione 24. de Reformatione capite primo:* ubi expreſsè aſſerit *omnes, & ſingulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque Jus, quacunque ratione, à Sede Apoſtolica habent, aut alioquin operam præſtant, alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, & præfici diligenter curaverint*. Atqui patroni Laici æquè, ac Eccleſiaſtici, vel maximè operam præſtant in præficiendis Parochis; ergo. Nec obſtat, quòd Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. de Reformatione cap.* 18. inſinuare videatur, patronos Laicos ſatisfacere, ſi dignos, etſi non digniores, præſentent, eo ipſo, quòd ibi præcipiat, ut ſi hi idoneum præſentent, eum Ordinarius admittat. *Reſpondetur* enim: per hoc ſolummodò probari, quòd ſit valida, & conſequenter neceſſariò admittenda præſentatio digni relicto digniore, (quod nos etiam fatemur) non item, quod ſit licita, aliàs enim manifeſtè ſequeretur, quòd etiam patroni Eccleſiaſtici licitè præſentarent, imo Epiſcopi licitè conferrent Parochias dignis, prætermiſſis dignioribus (quod eſt contra omnes adverſarios) etiamſi forent non patronatæ, eo quòd idem Concilium Tridentinum *ſeſſ. 7. de Reformatione cap.* 3. Univerſaliter ordinet, ut *ſi Beneficia, vel Curata perſonis dignis, & habilibus* (nulla facta mentione de dignioribus) *conferuntur, admitti debeant*.

54 III. Secundum Jus patrono competens eſt jus *honoris*, conſiſtens in eo, quòd patrono competat præcedentia proceſſionis, quatenùs ei in Litaniis proceſſionaliter cantari, aut recitari ſolitis, & in aliis publicis proceſſionibus locus dignior præ aliis Laicis debetur. Item quòd in Eccleſia ſua *Patronata*, debeat honorari in præcedentia honorabilioris Sedis, & dignioribus loci, atque Anterioritate in ſuſcipienda pace, Thurificatione, & aliis ſimilibus caſibus, *ex can. Pia mentis 26. Cauſa 16. quæſt. 7. & cap. Nobis 25. de jure patronatus*. Tertium jus patrono competens eſt jus *Alimentationis* conſiſtens in eo, ut *ſi ad inopiam vergat* (patronus) *ab Eccleſia illi modeſtè ſuccurratur, ſicut in ſacris eſt Canonibus inſtitutum*, ſunt verba *cap. Nobis 25. de jure patronatus*. Præterea

55 IV. Patronus *duo* præcipuè *onera, ſeu munera, & obligationes* habet tuendi nempè, & defendendi Eccleſiam. Et quidem *primò* debet tueri Eccleſiam, habendo debitam ſollicitudinem pro ejus bonis, ne videlicet à Rectore, vel miniſtris, aut etiam ab aliis dilapidentur malè, aut contra finem à Fundatore intentum applicentur. *Can. filiis 31. cauſa 16. quæſt. 7. Secundò* debet patronus, Eccleſiam tamquam advocatus ipſius in, & extra Judicium pro poſſibili defendere *cap. præterea 23. & cap. cum autem 24. de Jure patronatus*. Plura de his vide apud Canoniſtas.

### Quæſtio Incidentalis.

#### *An ad Officia Sæcularia debeat eligi dignior, & an poſſint licitè vendi?*

56 RESpondeo I. Certum eſt, non poſſe abſque peccato ad Officium ſæculare eligi perſonam indignam, hoc eſt ineptam ad ſatisfaciendum obligationibus talis officii, & Principem, ac alios quoſcunque, quibus electio commiſſa erat, teneri ad reſtitutionem pro damno illo, quod Reipublicæ ex tali electione obvenit. Ratio eſt, quia ſunt injuſta cauſa damni illius. Reſpondeo II. Quamvis Leſſius, Valentia, Reginaldus, Diana, & plures Alii apud Cardinalem de Lugo *diſp. 34. ſect.* 2. & noſtrum Maſtrium *in Th. Moral. diſp. 6. quæſt. 1. num.* 4. doceant, ad officia ſæcularia, & temporalia eligendos eſſe digniores: nihilominùs *Cajetanus, Vaſquez, Molfeſius, Homobonus, & Alii apud Maſtrium cit.* docent Electores ſatisfacere ſuæ obligationi, eligendo dignos ad hujuſmodi Officia, etiam digniori prætermiſſo *excepto concurſu*. Quorum ratio eſt: quia non apparet, electores aliam habere obligationem in his officiis diſtribuendis, quàm ut ſufficienter provideant, ne ex electione Reſpublica damnum patiatur: ſed eo ipſo, quòd eligant dignum, id curant ſufficienter, ergo non tenentur eligere digniorem, maximè, cùm officiis ſæcularibus non ſit annexa cura animarum, uti eſt in Eccleſiaſticis. Dictum eſt: *excepto concurſu*, quando ſcilicet vocantur plures, ut ex illis dignior eligatur. Et ratio eſt: quia eo ipſo, quòd vocentur plures concurrentes, fit cum ipſis implicitus contractus, ut ille, qui meliùs ſubſtiterit, & dignior fuerit inventus, Officium tamquam præmium reportet: ſed hic contractus non ſervaretur, ſi dignior non eligeretur: ergo. Reſpondeo III. Licet Joannes Medina, Adrianus, Angles, Leſſius, & Alii apud *Maſtrium cit. num.* 6. negent, ſæcularia Officia licitè vendi poſſe: affirmant tamen alii magis communiter, talia officia licitè vendi poſſe, quoties ex venditione eorum non eſt periculum, quod Reſpublica damnum patiatur: ad quod periculum evitandum dicunt, in tali venditione aliquas conditiones obſervari debere. Prima eſt, ut non vendantur, niſi dignis. II. Ut hoc fiat ob aliquam Reipublicæ neceſſitatem, cui aliter conſuli commodè non poſſit. III. Ut non vendantur pretio adeò exceſſivo, ut inducatur emptor Officio abuti, ad compenſandum ſibi pretium ſolutum. IV. Ut hi officiales ſuis temporibus

exa-

Digitized by Google

examinentur, & viſitentur, ut conſtet, an in ſuis officiis ſe benè gerant: his enim ſervatis conditionibux, non ſequuntur inconvenientia, ab oppoſita ſententia ea tali venditione illata. Ita Cajetanus, Navarrus, Vaſquez, Azorius, Corduba, Valentia, Sylveſter, Poncius, & Alii plures, quos refert Cardinal. de Lugo *diſputatione 24. ſectione tertia*: & ſatis probabile putat, cùm talia Officia ſæcularia ſint res temporales, & pretio æſtimabiles. Aliud eſt in Eccleſiaſticis, ac Regularibus, dignitatibus, beneficiis officiis, &c. quæ quia ſunt res ſpirituales, vel rei ſpirituali ſunt annexa, vendi non poſſunt, ſed gratis debent conferri, ut jam ſuprà dictum *numer. quadrageſimò quarto in hac ſectione*: aliàs committeretur ſimonia, & collatio foret nulla: ea cap. *cùm deteſtabile, de ſimon. Extrav. commun.*

## QUÆSTIO IV.

*De Parochiis, & earum Juribus.*

## SUMMARIUM.

58 *Quid ſit Parochia?*
59 *Quatuor requiruntur ad conſtitutionem Parochiæ.*
60 *Jura Parochiæ, Eccleſiæ, & Parocho competentia enumerantur.*
61 *Quid ſit Parochianus proprius, & quid alienus?*
62 *Quid ſint Decimæ?*
63 *Decimæ debentur Jure naturali, Divino, & humano.*
64 *Defraudans decimas peccat contra virtutem Religionis, & juſtitiæ.*
65 *Defraudans, vel non ſolvens decimas poteſt, & debet excommunicari.*
66 *Quid ſint primitiæ, & quo Jure debeantur?*
67 *Quid ſint Oblationes, & quæ veniant nomine Oblationum?*
68 *Oblationes per ſe loquendo, nec Divino, nec humano jure debentur.*
69 *Ad quem ſpectent Oblationes intra, vel extra Eccleſiam factæ, an ad Parochum, vel ad Eccleſiam:*
70 *Oblationes, quæ fiunt in Eccleſiis Regularium, pertinent ad Monaſterium, pro Religioſis ibi ſervientibus.*

## ASSERTIO IV.

57 *Parochia eſt certum Territorium, ſeu diſtrictus per Papam, vel Epiſcopum determinatus, habens unum Rectorem ſtabilem, cum poteſtate populum ibidem exiſtentem regendi, eique Sacramenta, & alia Divina adminiſtrandi. Jura Parochialia Eccleſiæ, & Parocho competentia ſunt plura; inter quæ etiam eſt, quòd Parocho ſolvi debeant Decimæ, Primitiæ, & Oblationes.* Communiſſima.

### §. I. *Parochia eſt certum Territorium*

58 I. *Seu diſtrictus per Papam, vel Epiſcopum determinatus*: quia quævis Parochia habet certos limites, intra quos, & non extra, Juriſdictionem in foro pœnitentiali habet, & exercere poteſt Parochus, *ex capite primo cauſa decima tertia quæſtione prima*, quos limites determinare poteſt Papa, vel Epiſcopus, & nullus alius, *ex Canone Nullus omninò 11. Cauſa decima ſexta quæſtione ſeptima*, & docet ibi Barboſa cum communi. *Habens unum Rectorem ſtabilem*, qui non ampliùs, ut olim, ad nutum eſt amovibilis, ſed ſtabilis, ac perpetuus præeſt, & inſtituitur in quavis parochia, & vocatur *Parochus, vel Rector Eccleſiæ Parochialis, vel Curatus* à Cura ſpirituali, qua commiſſum ſibi populum regit. Reliqua verba adduntur ad indicandum Officium, & poteſtatem Parochi. Itaque

59 II. *Quatuor* requiruntur ad conſtitutionem Parochiæ, ſeu Eccleſiæ parochialis: & quidem I. Requiritur, ut auctoritate Papæ, vel Epiſcopi ſit erecta. II. Certus diſtrictus cum certis limitibus ab Epiſcopo determinatis. III. Ut unum ſolum, ac perpetuum Rectorem, ſeu parochum habeat, *ex Concilio Tridentino ſeſſione vigeſima quarta de Reformatione capite decimo tertio*. IV. Cura animarum, & poteſtas fori pœnitentialis, competens ſoli Rectori Eccleſiæ, ita, ut Jure Ordinario ſolus Parochus in Parochianos prædictam habeat curam. Ex Concilio Tridentino mox citato, dicente: *Cuicunque Parochiæ ſuum perpetuum, peculiaremque Parochum aſſignent Epiſcopi, qui eas cognoſcere valeat, & à quo ſolo licitè Sacramenta ſuſcipiant.*

60 III. Jura parochialia, Eccleſiæ, & Parocho competentia, præter poteſtatem fori pœnitentialis, (de qua ſuprà *hac ſectione numero quadrageſimo primo*) ſunt potiſſimùm ſequentia. I. Quòd parochiani proles ſuas proprio Parocho teneantur baptizandas offerre, *ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii, &* docet cum communi aliorum Layman *libro quinto, tractatu ſecundo, capite ſeptimo, numero ſecundo*. Barboſa *de officio, & poteſtate Parochorum parte prima, capite decimo octavo, numero primo*: dicentes, Parochianum graviter peccare, ſi abſque licentia proprii Parochi prolem baptizandam alieno offerat. II. Ut diebus Dominicis, & Feſtivis in Eccleſia parochiali Miſſam audiant, *ex capite ſecundo de Parochiis*. Quo non obſtante conceſſit Leo Decimus, Bulla *intelleximus quoſdam, data Romæ, die decima tertia Novembris*, 1517. in Bullario Cherubini *tomo primo pagina* 597. quòd audientes Miſſam in Eccleſiis Fratrum Ordinis Mendicantium, Dominicis, & Feſtis diebus, ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ de audienda Miſſa, nec aliquam labem peccati contrahant, nec pœnam incurrant. III. ut ſemel in anno proprio Parocho confiteantur, *ex capite omnis utriuſque 12. de Pænitentiis, & remiſſionibus*. Ex conſuetudine tamen, & privilegio *Clementis dudum 2. §. ſtatuimus etiam*, & Bulla, *ſuperna, Clementis Decimi*, & alibi habetur, quod dicti Parochiani etiam tempore Paſchali confiteri poſſint Religioſis Mendicantibus. Vide dicenda *ſectione tertia, quæſtione quarta, numero* 194. IV. Ut Parochiani reverenter ad minùs in Paſchate Euchariſtiæ Sacramentum ibidem ſuſcipiant, *ex capite omnis utriuſque, citato*. V. Ut non niſi à proprio Parocho Sacramentum Extremæ Unctionis percipiant. *Clement. 1. de Privilegiis*. Ubi etiam exemptis, & privilegiatis Regularibus ſub pœna excommunicationis prohibetur, ne abſque licentia Parochi hoc Sacramentum alicui Parochiano adminiſtrent. VI. Quod mortui in parochiali Eccleſia, vel cœmeterio ſepeliri debeant, niſi alibi ſepulturam Majorum habeant, vel propriam eligant, juxta dicenda *ſectione tertia, quæſtione quarta, numer*. 198. VII. Quod in Eccleſia parochiali coram proprio Parocho Matrimonia, & nuptiæ ſolemni ritu celebrentur, *capite primo de Clandeſtina diſpenſatione, & can. primo cauſa trigeſima, quæſtione quinta*, & ex Concilio Tridentino *ſeſſione vigeſima quarta, de Reformatione Matrimon. capite primo*, de quo vide Patritium Sporer, *de Matrimonio*. IX. Quod Parocho ſolvi debeant Decimæ, primitiæ, & oblationes, juxta ſtatim infrà dicenda 9. Quòd limites, fines, ſeu termini parochiarum, nec per tempus immemorabile præſcribi valeant, *ex capite ſuper eo, quarto, de Parochiis, & alienis parochianis* 10. Quamvis nullum exiſtat in jure præceptum, quod mulieres poſt partum in Lege nova, ante ingreſſum in Eccleſiam petant à Parocho loci benedictionem, & dent aliquid pro ea, ſed ſtando Juris diſpoſitioni, utrumque liberum ſit mulieribus, tamen conſuetudine introduci poteſt, pluribuſque in locis introducta habetur obligatio, dictam benedictionem ante ingreſſum ad Eccleſiam petendi, & aliquid pro ea Parocho præbendi: quare facultas benedicendi poſt partum mulieres, & aliquid ab eis recipiendi, *ſi per conſuetudinem legitimam introducta ſit* etiam numeratur inter Jura parochialia, & tunc Regularibus non competit: prout declaravit Sacra Congregatio *Concilii Tridentini 1662. die decima octava Novembris* apud Reiffenſtuel *in tertio Decretal. titulo 47*.

IV. Quantum ad *parochianos* ſciendum, omnes, & ſolos illos eſſe, & dici parochianos, qui intra limites alicujus Parochiæ verum, vel ſaltem quaſi domicilium habent, ſive Laici, ſive Clerici (niſi alibi beneficium cum reſidentia habeant, ibique reſideant) dicunturque *proprii parochiani* reſpectu illius Parochi, in cujus Parochia degunt: *Alieni* verò reſpectu alterius parochi, in cujus parochia domicilium non habent. Ita communis apud Reiffenſtuel *in 3. Decret. titulo vigeſimo nono, numero decimo*. Patetque ea terminis; *Parochiani* enim *à Parochia* dicuntur. Si quis in duabus Parochiis domicilium habet, ibique æqualiter, vel quaſi æqualiter habitat, utrobique parochianus eſt. Ita Barboſa, *de officio, & poteſtate Epiſcopi parte ſecunda, alleg. trigeſima ſecunda, numero* 73. citans plures Rotæ deciſiones. Si verò inæqualiter in illis habitet, ibi Parochianus erit, in qua per notabiliter majorem anni partem moratur. Barboſa *loco citato numero* 70. Quòd ſi domicilium in confinibus duarum Parochialium habeat: ibi Parochianus erit, ubi domus aditum habet. Barboſa *citatus numero* 71. Cæterùm, quid ſit domicilium verum, & quaſi tale, vide *capite præcedenti, ſectione tertia, numero* 254. Porrò parochiani Laici poſſunt pro libitu mutare domicilium, & etiam abſque ulla licentia, non tantùm ab una Parochia, ſed etiam ab una Diœceſi ad aliam migrare: Clerici tamen ab una Diœceſi ad aliam ſine licentia, & dimiſſoriis proprii ordinarii tranſire non poſſunt, *ex capite primo, & ſecundo, de Clericis Peregr.* 61

Quæres; *Quæ ſit obligatio Parochorum erga ſuos parochianos?*

Reſp.

Digitized by Google

Reſpondeo Curatus, ſive Parochus jure Divino tenetur. I. *reſidere* in ſua Parochia, ſicut jam ſuprà *quæſtione ſecunda, numero vigeſimo tertio*, generaliter, & ſpecialiter *numero vigeſimo nono, & ſequentibus* diximus. II. *Tenetur* ſuis Parochianis adminiſtrare Sacramenta, adeò quidem, ut Sacramenta neceſſaria teneatur eiſdem adminiſtrare etiam cum periculo vitæ, verbi gratia tempore peſtis, contagionis, belli &c. Imo tenetur vitam exponere non ſolùm in extrema, ſed etiam in gravi neceſſitate ſpirituali alicujus ſibi ſubjectæ oviculæ. Ita Sanctus Thomas 2. 2. *quæſtione vigeſima ſexta, articulo quinto ad tertium, & quæſtione* 185. *articulo quinto*. Suarez, Granad. Caſtro-Palaus, Bannes, Cardenas, & Alii apud la Croia *in libro ſecundo numero* 174. Ratio eſt: Quia aſſumens officium paſtoris, uti eſt Epiſcopus Parochus, &c. ad hoc ſe obligavit, veluti per pactum ideòque communitas ipſi aſſignavit proventus, & ſtipendia. III. *Tenetur* Parochus orare pro populo, & celebrare, ut populus audiat Miſſam, & ſi redditus pingues habeat, tenetur pro ſuis Parochianis Sacrificium applicare ſingulis diebus, ſi verò redditus tenues habeat, tenetur ſaltem feſtivis diebus pro eiſdem Sacrificium applicare. Ita Reiffenſtuel *in* 3. *Decret. titul.* 41. *in numero vigeſimo ſecundo, & in quinto Decret. titul.* 32. *in libro tertio numer.* 210. *& ſequentibus*: Referens plures declarationes authenticas Sacræ Congregationis Concilii id declarantes, & confirmatas ab Innocentio Duodecimo, Bulla: *Nuper, vigeſima quarta Aprilis* 1699. quem vide. IV. Tenetur Parochus docere populum per conciones *ex Concilio Tridentino ſeſſ.* 5. de *Reformatione cap.* 2. Unde juxta Bonac. *in Decal. D.* 5. *part.* 2. *num.* 31. Parochus peccat graviter omittens conciones per integrum menſem continuum, vel per decurſum totius anni duobus, tribuſve menſibus, in diebus Dominicis, & Feſtis. V. Parochus tenetur diebus Dominicis, & aliis Feſtivis diebus populo per ſe, vel per alium Doctrinam Chriſtianam explicare, ut conſtat ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24 *cap.* 4. de *Reformatione*. Idque ſub gravi obligatione etiam juris Divini. VI. Tenetur Parochus pauperum curam habere, infirmos viſitare &c. Nec ſatisfacit ſuo Officio, ſi poſtquàm moribundum munivit Eatremis, eum deſerat, nec ulteriùs viſitet. Ita la Croix *lib.* 3. *part.* 1. *num.* 760. *Gobat, & Alii*. Ratio eſt: quia quò vicinior eſt mors, eò majus ſalutis periculum ingruit à dæmone: ergo tunc maximè tenetur Parochus ex officio ſuorum ſaluti providere.

## §. II. *Decima*.

62 I. SUnt *decima pars omnium fructuum, & proventuum juſtè acquiſitorum, DEO in recognitionem univerſalis, ſupremique Dominii debita, & Miniſtris Eccleſiæ ſolvenda*. Communis. Dividuntur in *Prædiales, ſeu Reales, & Perſonales*. Decimæ Prædiales, ſeu Reales ſunt, quæ ſolvuntur de prædiorum, agrorum, animalium, &c. fructibus. Perſonales ſunt, quæ ſolvuntur ex acquiſitis proprio cujuſcunque labore, & induſtria, verbi gratia negotiatione, artificio, officio, &c. Inſuper Decimæ, adhuc dupliciter conſiderari poſſunt, videlicet *vel materialiter, & ſecundùm ſubſtantiam*, quatenùs nempe ſunt neceſſarium ob præſtita ſervitia ſtipendium Miniſtrorum Eccleſiæ, pro honeſta, & neceſſaria eorum ſuſtentatione: vel poſſunt coſiderari *formaliter, & ſecundùm certam, ac determinatam quotam, Decimam* nempe *partem* fructuum. Jam

63 II. Si Decimæ ſumantur in prima acceptione, quatenùs nempe ſunt neceſſarium ſtipendium pro honeſta ſuſtentatione Miniſtrorum Eccleſiæ, debentur iiſdem Miniſtris jure naturali, Divino, & humano. Divus Thomas 2. 2. *quæſt.* 87. *art.* 1. *in corp.* Layman *lib.* 4. *tr.* 6. *cap.* 2. *num.* 1. Guttierez, Navarrus, Engel, Pirrhing, Sannig, apud Reiffenſtuel *in* 3. *lib. Decret. tit.* 30. *num.* 7. cum communiſſima. *De Jure Naturali* conſtat: Quia Lex Naturalis Juſtitiæ dictat, ut qui alicui ſervitium præſtat, ab eodem ſtipendium juſtum recipiat: ergo quia Miniſtri Eccleſiæ Laicis ſervitia ſpiritualia præſtant utique eiſdem à dictis Laicis naturaliter debetur ſtipendium: quòd juxta dicta ſunt ipſæ Decimæ ſecundùm ſubſtantiam, ſeu materialiter conſideratæ. *De Jure Divino* etiam conſtat ex Sacra Scriptura: *Matth.* 10. ubi Chriſtus de Miniſtris Eccleſiæ loquens ait: *Dignus eſt operarius mercede ſua*; & 1. *Cor.* 9. ait Sanctus Paulus; *Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciaverunt, de Evangelio vivere*. *De Jure Humano* patet *ex toto titulo de Decimis*: item ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *de Reformatione cap.* 12. Quantum ad Decimas formaliter ſumptas: certum eſt, quòd in veteri teſtamento fuerint Jure Divino debitæ; ut patet *ex Levitici cap.* 27. ibi; *Omnes Decima terræ, ſive ex frugibus, ſive de pomis arborum, Domini ſunt, & illi ſanctificantur*: an verò in novo teſtamento ſint etiam Juris Divini, vel ſolius humani, ſub Judice lis eſt. Eſſe Juris ſolius humani, docent Divus Thomas 2. 2. *quæſt.* 87. *artic.* 1. *in Corp.* Laym. *lib.* 4. *tract.* 6. *capit.* 2. *num.* 1. & communiſſima tam Theologorum, quam Canoniſtarum Recentiorum; ac ita probant: Certum, & ab ipſis Adverſariis conceſſum eſt, quòd Decimæ formaliter ſumptæ non debeantur jure Naturali. Certum inſuper eſt, quòd nullus textus, nullaque Lex Divina in toto novo teſtamento oſtendi valeat, ex quo probari poſſit obligatio dandi Decimas formaliter ſumptas: Lex autem vetus expiravit: ergo ſolo Jure Eccleſiaſtico debentur *ex toto titulo de Decimis*. Eſſe etiam Juris Divini in novo teſtamento Decimas formaliter ſumptas, ſaltem prædiales, docent Communiſſima Canoniſtarum Antiquorum apud Reiffenſtuel *cit. numer.* 13. ex variis textibus Juris Canonici, quos apud illum vide, ſi placet.

III. Defraudans Decimas, vel non ſolvens dupliciter 64
peccat, contra Virtutem *Religionis* nempe, & *Juſtitiæ*. Azorius *part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 23. *quæſt.* 8. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 8. & Alii. Ratio primæ partis eſt: quia Decimæ etiamnum debentur in conteſtationem, & ſignum Univerſalis Dominii DEI ſuper nos, *ex cap. tua nobis* 26. *de Decimis*: ergo, qui eas defraudat, contra cultum DEO debitum, conſequenter contra Religionem agit, ſicque Sacrilegium committit, *Can.* 1. *cauſa* 16. *quæſt.* 7. ubi dicitur, defraudantes Decimas, *Sacrilegii crimen committere, & æternæ damnationis periculum incurrere*. Ratio ſecundæ partis eſt: quia abſtrahendo à cultu Divino tenentur Laici Clericis Divina Miniſtrantibus Decimas tamquam juſtum ſtipendium ex juſtitia dare: vi enim hujus virtutis *Dignus eſt operarius mercede ſua*, *Matth.* 10. patetque ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 12. *de Reformatione*: ubi defraudantes Decimas ad reſtitutionem obligantur; quòd non fieret, niſi ad eas ſolvendas Laici ex juſtitia tenerentur.

IV. Defraudans, vel non ſolvens Decimas poteſt, & 65
debet excommunicari, ex Concilio Tridentino cit. dicente: *qui verò eas* (Decimas) *ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſolvantur*. Parochus tamen talem defraudantem, vel Decimas dare recuſantem non poſſet per vim compellere, aut vi eripere Decimas, vel propterea negare Sacramenta. Navarrus *lib.* 3. *Conſil. de Decimis Conſil.* 2. Layman *lib.* 4. *tract.* 6. *cap.* 5. *num.* 3. aliiſque citatis Reiffenſtuel *cit. num.* 39. Ratio eſt: tum quia Parochus non habet juriſdictionem fori externi in ſuos Parochianos: tum quia non debet eſſe Judex in propria cauſa: ſed in tali caſu cauſam ad Epiſcopum deferre debet, qui ea diſcuſſa Parochianum compellere poteſt, ac debet, etiam per excommunicationem, ſi poſt primam monitionem non ſatisfaciat *ex Can. omnes Decimæ* 5. *cauſa* 16. *q.* 7.

## §. III. *Primitiæ*.

DIcuntur primi fructus agrorum, vinearum, horto- 66
rum, arborum, uti colligitur *ex cap.* 18. *Numerorum & 23. Exodi*. Fuiſſe autem in Lege veteri Præceptum Cæremoniale de Primitiis Sacerdotibus offerendis, conſtat *ex Exodi cap.* 20. ibi *Primitias non tardabis reddere*. Similiter in Lege nova, Eccleſia præcepit ſuis fidelibus, offerendi Primitias fructuum DEO, ac ejus Miniſtris, ut patet *ex Can. Revertimini* 56. *quæſt.* 1. *& Can.* 1. *eadem, & cauſa & quæſt.* ibi: *oportet autem Primitias, quas jure Sacerdotum eſſe ſancimus, ab omni populo recipere, & Can. Præter.* 6. *diſt.* 32. in fine, Ibi. *Primitiæ fideliter reddantur à Laicis, niſi conſuetudo aliud habeat*. Quamquam hodie (ait Layman *lib.* 4. *tract.* 6. *cap.* 7. *num.* 1.) pluriſque in locis Primitiarum oblatio per deſuetudines ablata ſit; cùm enim jure ſolùm Eccleſiaſtico, principaliter propter convenientem Miniſtrorum ſuſtentationem, conſtituta fuerit: ideò ſi ipſis aliunde, videlicet ea Decimis, aliiſve fidelium oblationibus, neceſſaria non deſint, nihil obſtat, Primitiarum præſtationem abrogari.

## §. IV. *Oblationes*.

I. DIcuntur res illæ, quas fideles Religionis intuitu, 67
per ſe, vel per alios in Eccleſia ad Altare, aut in alio Eccleſiæ loco, aut etiam extra Eccleſiam, ad imaginem miraculoſam, vel devotam, verbi gratia pro dono offerunt ad hoc, ut in uſum Eccleſiæ, vel Miniſtrorum Ec-

cleſiæ

Digitized by Google

cleſiæ cedant. Ita in re communis, *ex c. cum inter 29. de V. S.* Unde non ſolùm ea, quæ ſub Miſſa offeruntur, veniunt nomine oblationum, prout vulgus communiter æſtimat, ſed etiam, quæ ſine Miſſa, in, vel extra Eccleſiam dicto modo offeruntur, v.g. pro purificatione mulierum, in benedictione nuptiarum &c.

68 II. Oblationes, per ſe loquendo, nec Divino nec humano jure debentur. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 86. *art.* 1. Sylveſter *V. Decima quæſt.* 2. aliiſque citatis Reiffenſtuel *cit. num.* 181. cum communi aliorum. Et quidem, quod jure Divino non debeantur, inde patet, quia Lex Divina eas in veteri teſtamento præcipiens, utpotè Cæremonialis, per Legem novam fuit ſublata: in novo autem teſtamento, renovata, vel nova poſita non reperitur. Pariter, quia nulla apparet in jure Lex eas præcipiens, nec jure humano obligabunt. Ratio eſt: quia *Oblationis* nomine ex ſua natura ſignificatur munus voluntarium adeoque non debitum, aut obligatorium. Dictum eſt: *per ſe loquendo*; quia per accidens, v.g. ex accedente pacto, ex teſtamento, legato, voto, vel ex legitima conſuetudine, vel ſi Miniſtri Eccleſiæ non haberent neceſſariam ſuſtentationem, oblationes poſſunt eſſe debitæ, & obligatoriæ, ut ipſe D. Thomas cit. & communis Theologorum, & Canoniſtarum obſervat.

96 III. Omnes oblationes, quæ ſive in, ſive extra Eccleſiam Parochialem, intra limites tamen Parochiæ fiunt, de jure communi ad Parochum ſpectant: ſicut etiam illæ, quæ ſub Miſſa alicujus Sacerdotis cujuſcunque ad Altare offeruntur; niſi aliud habeat legitimè introducta conſuetudo, aut aliter conſtet de offerentium intentione, & voluntate. Fagnanus *in c. Paſtoralis 9. de his, quæ fiunt à Prælatis*, Barboſa *de offic. & poteſt. Paroch. p. 3. cap. 24. n. 22. & ſeqq.* Pirrhing, Engel, Abbas, Azorius, Reiffenſtuel *cit. n.* 190. cum communiſſima. Ratio eſt: quia niſi aliter de intentione offerentis conſtet, oblationes fieri cenſentur Parocho ratione curæ animarum, adminiſtrationis Sacramentorum, & aliorum Divinorum, *ex can. quia Sacerdotes 13. cauſa 10. qu. 1.* ibi: *quia Sacerdotes pro omnibus orare debent, &c. Oblationes accipiunt*. Dictum eſt: *niſi aliud habeat loci conſuetudo, aut aliter conſtet de offerentium intentione, & voluntate*: quia conveniunt DD. communiter, quòd ſi ſufficienter conſtet, offerentem velle, ut Oblationes ſuæ ad ornatum, vel fabricam Eccleſiæ, vel alterius cauſæ piæ applicentur, vel pro commodo alterius Sacerdotis celebrantis, & non Parochi cedant, dictæ intentioni ſatisfieri, & juxta eam oblationes applicari debent. Ratio eſt: quia cùm oblationes, regulariter loquendo, voluntariæ, ac liberæ ſint haud dubie juxta intentionem dantis applicari debent; cùm quivis liberè donans, & offerens, rerum ſuarum moderator, & arbiter exiſtat, *l. in re mandata C. mandati*. Pariter conveniunt Doctores, quod ſi alicubi legitimè introducta conſuetudo habeat, ut oblationes non ipſi Parocho, ſed Eccleſiæ, vel alii pio loco, vel cauſæ, ad ornamentum, vel fabricam, v.g. aut alii Sacerdoti celebranti acquirantur, licita, & valida ſit, conſequenter obſervanda, atque juxta eam oblationes applicandæ erunt, *ex c. cùm inter 29. de V.S.*

Infertur proin, quòd oblationes, quæ fiunt ſub Primitis, vi univerſalis conſuetudinis, atque intentionis dantium, ad Neomiſtam pertineant, Parocho nihil penitùs juris in eas habente; uti benè obſervat Fagnanus *in c. Paſtoralis 9. de his, quæ fiunt à Prælatis*. Item infertur, quòd oblationes, quæ fiunt in Sacellis, Oratoriis, aut aliis locis, in, vel extra Eccleſias, ubi imagines miraculoſæ honorantur, non ad Parochum, ſed ad Eccleſiam ipſam, vel Sacellum pro fabrica, vel ornatu Eccleſiæ; vel imaginis ſpectent: quia conſuetudo penè univerſalis dicto fini, & non Parocho ſimiles Oblationes attribuit, illucque, intentio dantium, & non ad Parochum dirigitur, uti notat *Cardinalis de Luca, de decimis diſcurſ. 19. num.* 11. Ex eadem ratione infertur quoque, quod oblationes, quæ fiunt in truncis, menſis, capſulis &c. pro capiendis oblationibus, in, vel extra Eccleſiam poſitis, non ad Parochum, ſed ad Eccleſiam ipſam, vel alium certum finem (caſu quo pro illo ſpecialiter capſula, v.g. exponitur) pertineant, utpotè pro quo, & non pro Parocho conſuetudo, & intentio offerentium ſtat. In caſu tamen, quo oblationes ad Eccleſiam, vel alium finem pertineut, & non ad Parochum, nihilominùs hic habet earum adminiſtrationem non quidem, ut eas ſibi appropriet; ſed ut ad debitum finem, juxta loci conſuetudinem, aut dantium intentionem applicet. Ita *Fagnanus, Abbas, & Van-Eſpen* apud Reiffenſtuel *citatum nu.* 194. Niſi, & circa hanc adminiſtrationem aliud habeat loci conſuetudo, pro ut in pluribus locis videmus; ubi etiam Laici ſoli, vel unà cum Parocho Oblationes, & quidem licitè adminiſtrant; *ut docent DD. cit.*

IV. Oblationes, quæ fiunt in Eccleſiis Regularium, pertinent ad Monaſterium pro Religioſis ibi ſervientibus. Ita Abbas *in capit. 1. de ſtatu Monachorum*, Engel *tit. de Decimis n. 69. ex cit. cap. 1. de ſtatu Monach.* ibi: *cùm Monachis ibi ſervientibus debeat proficere, quidquid à fidelibus offerri contigerit*. Ratio eſt: quia licèt Religioſi ſint intra limites Parochiæ, non tamen ſunt de Parochia, nec Divina à Parocho accipiunt, & ideo oblationes inibi factæ ad Parochum non pertinent. 70

## SECTIO II.

### *De Immunitate Eccleſiaſtica.*

IMmunitas Eccleſiaſtica eſt jus, quo Eccleſiæ, & alia loca ſacra, nec non perſonæ Eccleſiaſticæ, ac res ipſarum ſunt liberæ, & immunes a muneribus, & oneribus ſæcularibus, atque ab actibus, earum ſanctitati, reverentiæ debitæ repugnantibus: eſtque triplex, nimirùm *Localis*, *Realis*, *& perſonalis*. Immunitas *Localis* (quæ propriè dicitur *immunitas Eccleſiarum*) eſt jus competens Eccleſiis, aliiſque locis Religioſis, vi cujus actus profani, ſeu ſæculares in iis exerceri non valent, & malefactores illuc confugientes, in vita, & membris proteguntur, ita, ut inde extrahi non poſſint. Immunitas *Realis*, *& perſonalis*, ſeu rerum, & perſonarum Eccleſiaſticarum eſt jus, quo perſonæ Eccleſiaſticæ, & bona cuncta, ſeu res omnes ad perſonas Eccleſiaſticas, vel ad Eccleſiam aliquam pertinentes ſunt immunes, liberæ, & exemptæ à juriſdictione cujuſvis poteſtatis, & perſonæ laicalis, ſeu Laici, atque ab exactionibus, & oneribus eorundem quibuſcunque. Ita in re omnes tam Theologi, quàm Canoniſtæ, teſte Reiffenſtuel *in lib. 3. Decret. tit. 49. n.* 225. Nec eſt circa hoc aliqua controverſia. Solùm notandum, quod immunitas, qua res Eccleſiarum, & Clericorum, ſunt immunes, vocatur *Realis*: illa verò, qua perſonæ ſunt exemptæ à juriſdictione, & ab oneribus perſonalibus, vocatur *perſonalis*. Jam ſit in Nomine Domini 71

## QUÆSTIO I.

### *De Immunitate Eccleſiaſtica reali, & perſonali.*

## SUMMARIUM.

73 *Bona Eccleſiarum, & perſonarum Eccleſiaſticarum ſunt triplicia;*

74 *Eaque omnia gaudent immunitate reali:*

75 *Immunitate verò perſonali gaudent omnes, & ſinguli Clerici ſæculares.*

76 *Sicut etiam omnes regulares utriuſque ſexus, tam profeſſi, quàm Novitii;*

77 *Ita ut prædicta Eccleſia perſona, cauſaque illas tangentes nequeant ad Judicem ſæcularem trahi, & quòd ſint immunes ab omnibus exactionibus,*

78 *Ordinariis, & extraordinariis, niſi ſex conditiones requiſita concurrant.*

79 *Si tamen res aliqua habeat onus ſimpliciter, & formaliter reale annexum, cum tali onere etiam tranſit ad Eccleſiam, & perſonam Eccleſiaſticam.*

## ASSERTIO I.

IMmunitate Eccleſiaſtica reali gaudent Eccleſiæ, unà cum Cæmeteriis, & omnia loca pia, ac religioſa, authoritate Epiſcopi erecta; item vaſa Sacra, Veſtes, Paramenta &c. ad Divinum Cultum deputata; item Eccleſiarum, Beneficiorum, Monaſteriorum, ac locorum Religioſorum bona temporalia, ſicut etiam Eccleſiarum, Clericorum, ac Regularium bona propria. Immunitate verò perſonali gaudent omnes, & ſinguli Clerici ſæculares, ac omnes Regulares utriuſque ſexus, cujuſcunque Religionis approbatæ, ita ut prædicta Eccleſia, perſona, & cauſa eaſdem tangentes nequeant coram Judice ſæculari conveniri, aut judicari, & quòd ſint immunes, & exempta ab omnibus oneribus, & exactionibus, tam perſonalibus, quàm realibus, quæ non vi Dominii directi, quod alius habet, vel vi ſpecialis pacti, aut contractus rebus illarum inhærent. Ita Communiſſima Theologorum, & Canoniſtarum. 72

§. I. *Bona Eccleſiarum, & perſonarum Eccleſiaſticarum ſunt triplicia.*

73 I. BOna Eccleſiarum, & perſonarum Eccleſiaſticarum ſunt triplicis generis. *Primi generis* ſunt ipſæmet Eccleſiæ materiales, ſeu templa ædificata una cum Cœmeteriis: item vaſa Sacra, veſtes, paramenta, & alia ſive conſecrata, ſive benedicta, ad divinum cultum deputata quaſi inſtrumenta. *Secundi generis* ſunt Eccleſiarum beneficiorum, ac Monaſteriorum bona temporalia, nec conſecrata quidem, nec benedicta, tamen à fundatoribus, aut aliis fidelibus propter DEI honorem, & gloriam pro dote Eccleſiæ, hacque intentione, & fine oblata, & donata, ut per Prælatos Eccleſiarum, pro decenti ornatu, & conſervatione ipſius Eccleſiæ, ac neceſſariorum ad eam; item pro honeſta ſuſtentatione Rectorum, ac Miniſtrorum Eccleſiæ, & (ſi quid ſupereſt) in pauperum, aliarumque piarum cauſarum uſus expendantur. *Tertii generis* ſunt bona Eccleſiarum, Clericorum, ac regularium propria, titulo aliquo temporali. v. g. emptione, hæreditate, arte, labore, inventione, aut alio ſimili titulo acquiſita, quæ communiter etiam *bona patrimonialia* vocantur.

§. II. *Omnia hæc triplicis generis bona gaudent immunitate Reali;*

74 SUntque libera, immunia, & exempta ab omni juriſdictione laicali, atque ab oneribus, & exactionibus laicorum quorumcunque. De bonis, ſeu rebus *primi generis* conveniunt omnes; quia nullam utilitatem habent, hoc ipſo, quòd tanquam conſecrata, ac benedicta, & ad divini cultus Miniſterium deputata, nullis aliis humanis, ac profanis uſibus applicari valeant, *ex cap. ſemel* 51. *de R. J. in* 6. ibi: *ſemel DEO dicatum non eſt ad uſus humanos ulterius transferendum*. De *ſecundi generis* bonis, quòd præfata immunitate reali gaudeant, pariter conveniunt DD. ita, ut teſte Fagnano *in c. non minus* 4. *de immunitate Eccleſiarum n.* 8. nullus diſcrepet. Ratio eſt: quia hoc ipſo, quòd à fidelibus pro dote Eccleſiarum, ad DEI cultum, Eccleſiæ, ac Miniſtrorum ejus conſervationem, pauperum ſuſtentationem, & in alios pios uſus dicata, ac deſtinata ſiut, nonniſi in præfatos pios uſus convertenda ſunt; quod non fieret, ſi oneribus, & exactionibus Laicorum gravarentur, & in cultus divini, cauſarumque piarum præjudicium, & Chriſti injuriam, ac irreverentiam diminuerentur, ex *can. ſecundùm* 24. *cauſa* 13. *q.* 8. *& can. nulli* 3. *cauſa* 52. *q.* 2. De *tertii generis* bonis eſt communis DD. ut videre eſt apud Barboſam *Juris Eccleſ. univerſi cap.* 39. *§.* 5. *nu.* 6. Layman *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 6. *nu.* 9. Abbas, Pirrhing, Engel, Reiffenſtuel *in* 3. *Decret. tit.* 49. *nu.* 229. Ratio eſt: tum quia *cap. quamquam, de cenſibus in* 6. dicitur: *cùm igitur Eccleſiæ, Eccleſiaſticæque perſonæ, ac res ipſarum, non ſolùm jure humano, quin & divino à ſæcularium perſonarum exactionibus ſint immunes*. Imo ibidem in ſpecie res etiam proprias perſonarum Eccleſiaſticarum eſſe exemptas aſſeritur: ibi: *de rebus ſuis propriis*; quod etiam aſſeritur *cap.* 1. *de immunitate Eccleſiarum in* 6. Tum quia Domini laici nihil poſſunt ſtatuere circa bona Eccleſiaſtica, vel perſonarum Eccleſiaſticarum, niſi obligando perſonas eaſdem, eiſque præcipiendo: obligare verò aliquem, eique præcipere, onera, ac tributa imponere eſt ſignum juriſdictionis in eum; atqui Domini laici nullam penitus juriſdictionem habent in perſonas Eccleſiaſticas, nec hæ eiſdem ullatenùs ſunt ſubjectæ; cùm ab omni juriſdictione Laicorum plenè ſint exemptæ, ut omnes fatentur: ergo etiam bona tertii generis gaudent immunitate reali, ſuntque immunia ab oneribus, & exactionibus Laicorum quorumcunque. Nomine autem *Eccleſiarum*, quæ, & quarum bona, gaudent immunitate reali, veniunt omnia loca pia, ac religioſa authoritate Epiſcopi erecta, juxta communem, & certam apud Reiffenſtuel *in* 3. *Decr. tit.* 49. *n.* 231. Qualia ſunt Eccleſiæ, templa, & cappellæ conſecratæ, vel non conſecratæ, Monaſteria, Xenodochia pro peregrinis pauperibus, Noſocomia pro infirmis, Orphanotrophia pro educandis pueris & puellis, Hoſpitalia pro ſenibus, & debilibus; item Confraternitates, Congregationes & alia quæcunque loca ad charitatis, miſericordiæ, vel religionis opera, aliumve pium uſum deſtinata, dummodò authoritate Epiſcopi ſint erecta. Ex *cap. ad hæc* 4. *&c. fin. de religioſis domibus*, apud Reiffenſtuel *in* 3. *Decret. tit.* 36. *num.* 2. *& ſeq.*

§. III. *Immunitate verò perſonali gaudent omnes, & ſinguli Clerici &c.*

NOmine *Perſonarum Eccleſiaſticarum*, quæ gaudent immunitate perſonali, & quorum bona gaudent immunitate reali, veniunt. I. Omnes, & ſinguli Clerici ſæculares, non tantùm in majoribus ſed etiam in minoribus conſtituti, vel etiam tantùm tonſurati, dummodò ultimi, nempe minoriſtæ, vel ſola prima tonſura initiati habeant conditiones à Concilio Trid. requiſitas. Ita communis, & certa apud Reiffenſtuel *in* 3. *Decret. tit.* 49. *num.* 232. Ratio eſt: quia jura numero præcedenti citata, univerſaliter omnibus Eccleſiaſticis perſonis, & Clericis, eorumque bonis, immunitatem competere aſſerunt; atqui etiam minoriſtæ, vel ſolùm tonſurati ſunt verè Clerici, *ex c. Clericos diſt.* 21. ergo & ipſi, eorumque bona gaudebunt immunitate perſonali, & reali; præſertim, quia favores ſunt ampliandi *c. odia de R. J. in* 6. Dictum eſt, dummodò minoriſtæ, aut primùm tonſurati habeant conditiones à Concilio Trid. *ſeſſ.* 23. *de Reform. cap.* 6. requiſitas videlicet, *ut beneficium Eccleſiaſticum habeant, aut Clericalem habitum, & tonſuram deferentes, alicui Eccleſiæ, ex mandato Epiſcopi inſerviant, vel in ſeminario Clericorum, aut in aliqua ſchola, vel univerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in via, ad majores ordines ſuſcipiendos verſentur*. Ita Layman *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 7. *num.* 2. Barboſa *in cap.* 7. *de immunitate Eccleſiarum num.* 7. & plures ab eo citati. Ratio eſt: quia minoriſtæ vel ſolùm tonſurati non gaudent *privilegio fori*, ſi non habeant modò ſpecificatas, & à Concilio requiſitas conditiones; ut dicit ipſum Concilium: ergo nec gaudent immunitate perſonali, cùm illud ſub hac contineatur, & comprehendatur. Deinde nec gaudent immunitate reali; quia ſi Clericus immunitate perſonali, ſeu privilegio fori non gaudeat, ſeu quod idem eſt, ſi à Juriſdictione Laicorum, non exemptus, ſed ei ſubjectus ſit, jam hoc ipſo immunitate reali non gaudet, ſeu bona ipſius à juriſdictione, & exactione laicorum exempta non ſunt; cùm Domini laici, bona ſibi ſubditorum, oneribus, & tributis gravent, non tam ob ipſa bona, ſeu naturam illorum, ſed quia habens bona, eis ſubditus, eorumque juriſdictioni ſubjectus eſt, *ex c.* 2. *de cenſibus*; & conſequenter etiam bona talium Minoriſtarum, vel ſolùm tonſuratorum, tributis, & oneribus gravare poſſunt. 75

Secundò, nomine *Perſonarum Eccleſiaſticarum* veniunt, 76 & conſequenter immunitate reali, & perſonali, gaudent etiam omnes Regulares, utriuſque ſexus, cujuſcunque religionis approbatæ, tam profeſſi, quàm novitii, & novitiæ. Molina *diſp.* 671. *numer.* 1. *Barboſa lib.* 1. *Juris Eccleſiaſtici univerſi capit.* 39. *numer.* 23. *Felinus*, *Pirrhing*, *Reiffenſtuel cit. numer.* 234. cum communi, & certa aliorum. Ratio eſt: tum quia hi omnes ſunt perſonæ ad cultum Divinum ſpecialiter deputatæ, conſequenter Eccleſiaſticæ: tum quia in materia favorabili qualis eſt *immunitas*, nomine *Clerici* veniunt quoque regulares, utriuſque ſexus, etiam novitii, & novitiæ, ut diximus ſuprà *hoc capite, ſect.* 1. *quæſt.* 1. *num.* 4. *& capit.* 1. *ſect.* 4. *num.* 433.

§. IV. *Ita ut prædicta Eccleſia, perſona, & cauſæ eaſdem tangentes nequeant coram Judice ſæculari conveniri, aut judicari, & quòd ſint immunes ab omnibus exactionibus Laicorum.*

I. CAtholica veritas eſt, quòd cauſæ omnes ſpirituales, 77 ſuapte natura, & inſtitutione Divina ab omni ſæcularium Principum poteſtate, & Juriſdictione penitus exemptæ, ac liberæ ſint. Quare etiam *Eccleſiaſtica* appellantur, quia earum cognitio, & tractatio ad Eccleſiaſticos Prælatos propriè ſpectat. Tales cauſæ ſunt omnes illæ, quæ ſunt de fidei doctrina, Sacramentis, Sacrificio Miſſæ, de Miniſtrorum Ordinatione, Officiis, & beneficiis Eccleſiaſticis, de decimis, de Sacramentalibus, de veneratione Sanctorum, obligatione votorum, obſervatione feſtorum, jejuniorum, &c. Ratio eſt: quia omnes iſtæ cauſæ tendunt ad finem ſpiritualem, & ſupernaturalem: ergo ſunt poteſtatis ſpiritualis, & Eccleſiaſticæ, non ſæcularis, & civilis. Cauſæ verò mixtæ, ſeu crimina mixta, videlicet, quæ à jure tam Canonico, quàm civili prohibita ſunt, qualia ſunt ſponſaliorum violatio, Adulterium, Uſura, Blaſphemia, Perjurium, Sortilegium, Sacrilegium &c. pertinent ad utrumque forum, videlicet Eccleſiaſticum, & Civile juxta communiſſimam apud Layman *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 2. *num.*

*nu.* 5. Similiter omnes perſonas Eccleſiaſticas ſupradictas, in omnibus cauſis criminalibus, ac etiam civilibus pleniſſimum fori privilegium obtinere, ita ut coram judice ſæculari conveniri, aut puniri, nullo modo poſſint, conſtat ex multis Decretis Conciliorum, & Pontificum, quæ congerit Gratianus *cauſa* 11. *q.* 1. & videri poſſunt apud Layman *cit. cap.* 4. & 5. Vide etiam quæ diximus *cap. præc. ſect.* 4. *n.* 433. *de privilegiis Clericorum*. Pariter Eccleſiæ, Eccleſiaſticæque perſonæ, ac res ipſarum etiam propriæ, per immunitatem realem, & perſonalem ſunt immunes, & exemptæ ab omnibus, & ſingulis quomodocunque nuncupatis oneribus, præſtationibus, & exactionibus Dominorum laicorum, tam perſonalibus, quàm realibus, quæ non vi dominii directi, quod alius habet, vel vi ſpecialis pacti, aut contractus rebus illarum inhærent. Hæc concluſio ſequitur ex hactenus dictis. Nihilominùs adducam pro ejus confirmatione textum clariſſimum *c.* 1. *de immunit. Eccleſ. in* 6. Ubi Pontifex ita ſtatuit: *Auctoritate Apoſtolica prahabita cum fratribus noſtris diligenti deliberatione decernimus, non licere communiis, ſcabinis, & iis, qui in eis juriſdictionem temporalem obtinent, vel juſtitiam temporalem exercent, tallias, vel collectas, ſeu exactiones quaſcunque Eccleſiis, vel perſonis Eccleſiaſticis imponere, vel exigere ab eiſdem pro domibus, prædiis, vel quibuſcunque poſſeſſionibus, ab eiſdem Eccleſiis, vel perſonis Eccleſiaſticis legitimè hactenùs acquiſitis, vel impoſterùm acquirendis; etiamſi ipſa Eccleſia, vel perſona, vel res hujuſmodi ſint intra illorum diſtrictum, vel territorium conſtituta. Nec etiam liceat illis ipſas Eccleſias, vel perſonas ad diſtrahendum, vel alienandum, aut extra manum ſuam ponendum, acquiſita jam, vel quæ deinceps acquirent, aliquatenùs coarctare.* Quod ulteriùs ſanè efficaciſſimè confirmat Urbanus VIII. *Bulla, Romanus Pontifex, data* 5. *Junii* 1641. *quam vide in Bullario Cherubini tom.* 4. *ubi* 159. *conſtitutio Urbani VIII. eſt*. Ex his

78 II. Infertur I. Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas, cunctaque earum bona eſſe immunes, & exemptas à tributis, oneribus, & exactionibus ordinariis Dominorum Territorialium. II. à vectigalibus, Teloniis, Pedagiis, Gabellis, Acciſis, Germanice, Mauth. Boll, Auſſchlag, &c. (niſi negotiationis cauſa res ſuas aliò deferant, vel deferri faciant, *ex c. quamquam de cenſibus in* 6.) III. Etiam ab exactionibus extraordinariis, quæ ob bonum commune reipublicæ in caſu neceſſitatis communis tam Clericos, quàm Laicos tangentis imponuntur, niſi ſex conditiones à SS. Canonibus requiſitæ concurrant videlicet. *I. ut ſit utilitas, vel neceſſitas gravis. II. Communis tam Clericos, quàm Laicos tangens. III. Ut Laicorum facultates ad eam levandam non ſufficiant. IV. Ut Epiſcopus cum Clero priùs cognoſcat, an tanta ſit neceſſitas, ut de bonis quoque Eccleſiarum, & perſonarum Eccleſiaſticarum ſuccurrendum ſit. V. Ut priùs conſulatur Papa, niſi ſit periculum in mora. VI. Ut exiſtentibus præfatis conditionibus collecta, & onera non imponantur, nec exigantur authoritate laicali, ſed Eccleſiaſtica.* Ita habetur *c. non minùs, de immunitate Eccleſ. c. Adverſùs* 7. *eod. tit. extravag. Quod olim eod. ac in Bulla Cœnæ Domini*, §. 18.

79 III. Si tamen res aliqua habet *onus ſimpliciter & formaliter reale* annexum, v. g. ex ſpeciali pacto, vel contractu, vel ſi res eſt Emphyteutica, habeat annexum cenſum annuum &c. quod onus nempè debet præſtari propter rem ipſam nullo habito reſpectu poſſidentis, tunc talis res, ſi veniat in dominium Eccleſiæ, vel perſonæ Eccleſiaſticæ, ad eaſdem cum tali onere tranſit, & tale onus debebit etiam ab Eccleſia, vel perſonis Eccleſiaſticis præſtari, & ſic verum eſt illud: *Quævis res tranſit cum onere ſuo, c. cùm non ſit, de decimis*. Non verò tranſit *onus perſonale, vel tantùm materialiter reale*, quod imponitur rei ratione perſonæ, quatenùs hæc ſubdita eſt imponenti onus, licèt in impoſitione oneris habeatur reſpectus ad quantitatem, & qualitatem rei: qualia onera ſunt tributa, vectigalia, &c. Dominorum laicorum.

80 IV. Si hæc ita ſint; quo ergo fundamento domini laici territoriales exigunt ab Eccleſiis, Monaſteriis, Clericis, eorumque bonis tributa, vectigalia, Gabellas &c. Reſpondet P. Reiffenſtuel *in librum* 3. *Decretalium, tit.* 49. *de immunitate Eccleſiarum*, ſe planè nullum ſolidum ſcire fundamentum, aut juſtum titulum; quod *loc. cit.* ulteriùs probat, & deducit, quem ſi placet, vide, & lege. De pœnis violantium immunitatem realem perſonalem, dicemus infrà *quæſtione quarta*.

## QUÆSTIO II.

*De immunitate locali, ſeu jure Aſyli.*

### SUMMARIUM.

81 *Immunitas localis duos habet effectus.*
82 *Immunitas Aſyli eſt jure humano, Civili, & Canonico introducta, non item naturali, nec divino.*
83 *Reſpondetur ad objectionem ex Concilio Tridentino adductam.*
84 *Jus Aſyli competit Eccleſiis, Cœmeteriis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, & omnibus locis religioſis;*
85 *Etiam Eccleſiis nondum conſecratis, etiam pollutis, vel interdictis, &c.*
86 *Item jus Aſyli competit omnibus laicis Catholicis. An etiam Clericis &c.*
87 *Dummodò non commiſerint delictum in Bulla Gregorii XIV. exceptum.*
88 *Hinc Aſylo gaudent fures, adulteri &c.*

Immunitas localis, prout *quæſt. præc. ab initio ſectionis hujus* jam diximus, eſt jus competens Eccleſiis, aliiſque locis religioſis, vi cujus actus profani, ſeu ſæculares in iis exerceri non valent, & malefactores illuc confugientes in vita, & membris proteguntur, ita ut inde extrahi non poſſint, adeòque in duobus præcipuè conſiſtit, duoſque effectus parit hæc immunitas localis, videlicet. I. Quòd in locis Sacris actus profani fieri nequeant. II. Quòd illuc confugientes malefactores, tuti ſint in vita, & membris. De primo egit P. Patritius Sporer *tract.* 2. *in* 1. *præcept. Decalogi, cap.* 10. *ſect.* 4. §. 2. *num.* 18. quò Lectorem remittimus, de ſecundo hic agemus. Itaque ſit 81

### ASSERTIO II.

*Jus, ſeu immunitas Aſyli eſt jus Eccleſiis, & aliis locis piis auctoritate Epiſcopi erectis competens, confugientibus ad ea malefactoribus ſecuritatem præſtans ad hoc, quod inde violenter extrahi non poſſint, nec in vita, nec in membris puniri valeant. Hoc jus competit Eccleſiis, Cœmeteriis, Oratoriis etiam privatis, Monaſteriis, & Conventibus religioſorum, eorumque domibus, & habitationibus, hoſpitalibus, noſocomiis, & omnibus locis piis, modò omnia loca præmemorata auctoritate Epiſcopi ſint erecta: Item competit omnibus laicis Catholicis, probabiliter etiam Paganis, Judæis. Imò etiam hæreticis, ſi non propter crimen hæreſis, ſed ob aliud delictum, fugiant ad Eccleſiam: probabiliter etiam Clericis, non tamen religioſis; modò prædicta perſona non commiſerint delictum in Bulla Gregorii XIV. exceptum.* Communiſſima Theologorum, & Canoniſtarum. 82

#### §. I. *Jus, ſeu immunitas Aſyli,*

Eſt jure duntaxat humano Civili, & Canonico introductum, non item naturali, nec Divino. Ita Layman *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 3. *nu.* 1. *qu.* 1. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 8. *nu.* 9. Covarruvias, Sannig, Zoeſius, Engel, Pirhing, Reiffenſtuel *in* 3. *Decret. tit.* 49. *nu.* 21. *cum communiori*. Ratio primæ partis, quòd ſit juris humani civilis, & Canonici, patet ex toto titulo, præſertim *leg.* 2. 3. & 6. *C. de his, qui ad Eccleſias confugiunt*, & *c. inter a* 6. de immunitate *Eccleſiarum*, ibi: *Fugiens ad Eccleſiam, quantumcunque gravia maleficia perpetraverit, non eſt violenter ab Eccleſia extrahendus, nec inde damnari ad mortem, vel ad pœnam*, (corporalem, ut habet ibi Gloſſa V. *Puniendus*) *ſed rectores Eccleſiarum ſibi obtinere debent membra, & vitam: ſuper hoc tamen, quod iniquè fecit, eſt aliàs legitimè puniendus*. Ratio ſecundæ partis, quòd non ſit juris naturalis, inde patet: quia jus naturale eſt immutabile, indiſpenſabile, & invariabile; ſed jus Aſyli per Papam fuit immutatum, quoad certa crimina, & perſonas reſtrictum, ut infrà patebit; fuit inſuper eidem variis in locis conſuetudine derogatum, teſte Barboſa *lib.* 2. *juris univerſ. Eccleſiaſt. cap.* 20. *num.* 82. Layman *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 3. *numer.* 2. & Alii: ergo non eſt Juris naturalis. Ratio tertiæ partis, quòd non ſit Juris Divini poſitivi, inde ſumitur: Quia nulla ſimilis Lex, aut Jus poſitivum, aut traditio ab Apoſtolis accepta extat: quamvis enim in antiquo Teſtamento per Legem poſitivam Divinam certa loca habuerint Jus Aſyli, tamen hæc Lex per Legem novam expiravit, & à Chriſto in novo Teſtamento nullibi reperitur renovata: ergo. 83



Digitized by Google

84 Dices: Concilium Trident. *ſeſſ. 25. de reform. cap. 20.* ait, *Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem DEI ordinatione, & Canonicis ſanctionibus conſtitutam eſſe.* Reſp. Concilium loqui de immunitate Eccleſiaſtica reali, & perſonali, quæ eſt de jure Divino, uti docent Layman *lib. 4. tract. 9. cap. 8.* Azorius *part. 1. lib. 5. cap. 12. quæſt. 1.* Tamburinus de *jure Abbat. tom. 1. diſp. 15. quæſt. 19.* Diana *part. 1. tract. 2. reſolut. 1.* Barboſa *l. 1. juris univerſ. Eccleſiaſt. cap. 39. §. 5. numer. 3.* Cum communiſſima aliorum, *ex capit. quamquam, de cenſibus, in 6.* & patet ex Concilio Trident. mox citato: Non verò loquitur Concilium de immunitate locali. Si tamen quis contendat, Concilium Trident. loqui etiam de immunitate locali, ſeu de jure Aſyli, dicendum, Concilium plus non velle, quàm quòd loquendo de jure Aſyli, id ad imitationem Legis Divinæ veteris, Divinoque inſtinctu per Canonicas Sanctiones fuerit conſtitutum. Ex quo infertur, quòd contra immunitatem perſonalem nulla valeat conſuetudo, aut præſcriptio; benè verò contra jus Aſyli: quia contra jus humanum, non verò contra jus Divinum, ulla valet conſuetudo, aut præſcriptio, ut diximus *cap. præced. ſect. 3. qu. 5. num. 306.*

### §. II. *Jus Aſyli competit Eccleſiis, Cœmeteriis, Monaſteriis, Oratoriis, Hoſpitalibus,*

85 ET univerſaliter omnibus, & ſingulis locis piis ad charitatis, miſericordiæ, Religionis &c. aliumve pium uſum deſtinatis, modò loca omnia prædicta auctoritate Epiſcopi erecta ſint. Layman *lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 3.* Barboſa, Abbas, Fagnanus, Reiffenſtuel *cit. nu. 47.* & communis aliorum. Ratio eſt: Quia omnia prædicta Loca, ſi auctoritate Epiſcopi ſint erecta, ſunt verè loca Religioſa, *ex c. ad hæc 4. & c. fin.* de *Religioſis domibus, & can. in qualibet 23. cauſa 23. quæſt. 8. & l. ſancimus, C. de SS. Eccleſiis*: atqui cuncta loca religioſa gaudent jure Aſyli, ut clarè patet ex Bulla Gregorii XIV. *Cùm aliàs data Romæ* 1591. *nono Calendas Junii*, ibi: *Locisque ſacris, aut religioſis.* Accedit, quod privilegia Eccleſiis conceſſa; etiam dictis locis conceſſa intelligantur, *l. omnia C. de Epiſcop. & Cleric.* Ergo. Ex his

86 Infertur I. Quòd jure Aſyli gaudeant Eccleſiæ, etiam pollutæ, & interdictæ, imò etiam nondum conſecratæ, *ex cap. Eccleſia 9. de immunitate Eccleſ.* Earumque Sacriſtiæ, Turres, Atria, Porticus, Campanilia &c. Barboſa *lib. 2. J. E. V. cap. 3. num. 62.* Layman *cit. num. 2.* Reiffenſtuel *cit. num. 29. ex can. id conſtituimus 36. cauſa 17. quæſt. 4.* Item qui ſaltem Eccleſiæ januam, ſeram, vectem, parietem, vel annulum valvorum Eccleſiæ tangit. Barboſa *cit. num. 65.* Layman cit. Reiffenſtuel *cit. num. 30.* Covarruvias, Pignatelli, afferens Decreta S. Congregationis, *in tom. 6. conſult. 4. num. 81. & ſeqq.* idem à multò magis dicendum de exiſtente in tecto Eccleſiæ. Item jure Aſyli gaudet ſpatium terræ per 40. paſſus Eccleſiæ majori, ſeu Cathedrali, & per 30. paſſus Eccleſiis minoribus, ſeu cappellis adjacens *ex can. ſicut antiquitus 6. cauſa 17. quæſt. 4.* Privilegium tamen dicti ſpatii non ſe extendit ad domos extraneas laicales, infra dictos paſſus exiſtentes, benè verò ad domos Clericorum, intra dictos paſſus exiſtentes, *ex can. quiſquis 21. cauſa 17. quæſt. 4.* II. Infertur, quòd jure Aſyli gaudeant Cœmeteria, non tantùm Eccleſiis contigua, ſed etiam ſeparata. III. Oratoria etiam privata, & cappellæ. IV. Monaſteria, eorumque clauſtra, cellæ, habitacula, hortus, area, domus familiarum, ſtabula animalium, officinæ, cunctaque alia loca, quæ intra ſepta Monaſterii continentur. Ita Reiffenſtuel *cit. num. 45. cum pluribus, quos citat.* Ratio eſt: quia etiam hæc in favorabilibus veniunt nomine Monaſteriorum, & loca religioſa ſunt, quia religioſis adhærent. Id multò magis dicendum de reſidentiis, & domibus religioſorum. V. Hoſpitalia, Noſocomia &c. VI. competit jus Aſyli reis confugientibus ad SS. Euchariſtiam, dum portatur ad ægrotum, aut in proceſſione circumfertur, modo tangant veſtem Sacerdotis SS. Euchariſtiam portantis, vel ſe aſſocient proceſſioni, aut illis, qui Venerabile Sacramentum comitantur. Ita pluribus citatis *Reiffenſtuel cit. numer. 49.* Excipitur caſus, quo Sanctiſſimum portatur ad reum in carcere detentum. Ita *omnes*. VII. competit jus Aſyli palatio, ſeu domui Epiſcopi, & Cardinalium, etſi hi non ſint Epiſcopi. Reiffenſtuel *cit. numer. 51. & ſeqq.* quem lege. VIII. Probabilius eſſe judicat idem Reiffenſtuel *cit. num. 46.* Domos, villas, & hoſpitia à Monaſteriis ſeparata, & quæ ſolius recreationis, vel œconomiæ cauſa, aut pro recipiendis hoſpitibus habentur, non gaudere jure Aſyli: tum quia non ſunt Auctoritate Epiſcopi erecta; tum quia religioſis locis non adhærent.

### §. III. *Jus Aſyli competit omnibus laicis &c.*

OMnibus laicis (*niſi commiſerint crimen exceptum, de* 87
*quo §. ſeq.*) competere jus Aſyli, certum eſt ex Bulla Gregorii XIV. *cùm aliàs, citata*: quia hæc de *Laicis* generaliter, & indiſtinctè loquitur. Imò etſi laici eſſent perſonaliter interdicti, aut excommunicati, etiam denuntiati, & publici Clericorum percuſſores. Layman *lib. 4. tract. 9. c. 3. n. 10.* Covarruvias, Pirrhing, Sylveſter, Reiffenſtuel *cit. n. 55.* cum communi. Ratio eſt: quia nullius cenſuræ effectus eſt, privare malefactores Aſylo. *Clericos ſæculares* contra Judices, & ſuperiores Eccleſiaſticos (*nam contra judices laicos gaudere Aſylo, certum eſt ex privilegio fori Clerici competente*) gaudere, & non gaudere Aſylo, utrumque videtur probabile, cùm pro utraque parte ſtent plures, & graves Doctores, ſicut & rationes, quas vide apud Reiffenſtuel *cit. n. 57 & ſeqq.* Religioſis verò non competere jus Aſyli contra ſuperiores proprios, de facto patet ex univerſali praxi, & conſuetudine apud omnes religiones notoriè recepta, & ſummis Pontificibus ſpecialibus Bullis confirmata, ac propriis Ordinum ſtatutis, à S. Sede approbatis ſtabilita graviter puniendi, etiam carcere perpetuo, ac triremibus, vel expulſione ab ordine &c. Religioſos, ſive in, ſive extra Monaſterium delinquant: ſive cum, ſive abſque animo fruendi Aſylo in Monaſterio, aut alio loco religioſo ſint. Quantùm ad Judæos, Paganos, ac cæteros infideles, qui in Chriſtum non credunt, etiamſi ad veram fidem ſe convertere nolint, eos gaudere Aſylo, putat eſſe probabile Reiffenſtuel *cit. num. 77.* hancque ſententiam tenent apud ipſum Fagnanus, Sylveſter, Barboſa, & plures alii citati à Fagnano, *in c. inter alia 6.* de *immunitate Eccleſiarum n. 60.* Ratio eſt: quia jura concedentia laicis confugientibus ad Eccleſias jus Aſyli, univerſaliter, & indiſtinctè loquuntur de omnibus; & vel maximè, quia ita declaravit S. Congregatio 1631. teſte Barboſa *lib. 2. J. E. V.* apud Reiffenſtuel cit. Imò etiam Hæreticos ob prædictam rationem, gaudere Aſylo: ſi non propter crimen Hæreſis, ſed ob aliud delictum fugiant ad Eccleſiam, aut alium Religioſum locum, docent Sylveſter, *Verſ. immunitas 3. q. 3.* Haunoldus *de jure, & juſt. to. 6. tr. 1. nu. 161* Sannig, Pirrhing, Zoeſius, & alii. Dictum eſt: *ſi non propter crimen hæreſis fugiant ad Eccleſiam*; ob hoc enim, ſi ad Eccleſiam confugiant, certum eſt eos non gaudere Aſylo, ut patebit mox *§. ſeq.*

### §. IV. *Dummodò prædicta perſona non commiſerit Delictum in Bulla Gregorii XIV. exceptum.*

GRegorius XIV. edidit anno Domini 1591. Bullam: 88
*cùm aliàs*, quæ in Bullario Cherubini eſt ordine 7. Conſtitutio dicti Pontificis, in qua excipit aliqua crimina, quæ committentes non gaudeant jure Aſyli, ſequentibus verbis decernit: *Ut laicis, ad Eccleſiam, locaque ſacra, & religioſa prædicta confugientibus, ſi fuerint publici latrones, viarumque graſſatores, qui itinera frequentata, publicaſque ſtratas obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis, earumque cœmeteriis committere non verentur; aut qui proditoriè proximum ſuum occiderint, aut aſſaſſinii, vel hæreſis, aut læſæ Majeſtatis in perſonam ipſius Principis rei, immunitas Eccleſiaſtica non ſuffragetur. Sed univerſis, & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris, Patriarchis, Primatibus, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque Eccleſiarum, & Monaſteriorum Prælatis, tam ſæcularibus, quàm cujuſvis ordinis regularibus, ſæcularibus, cujuſvis ordinis regularibus, diſtrictè præcipiendo mandamus, & præcipimus, ut laicos in caſibus prædictis delinquentes ad eorum Eccleſias, Monaſteria, domos, & alia loca ſupradicta ſacra, ſeu religioſa, reſpectivè confugientes, & in eis ſe recipientes, atque morantes, qui prædicta, eorumque aliquod judicio ſuo commiſiſſe videbuntur, quando à curia ſæculari fuerint requiſiti, & quilibet eorum fuerit requiſitus, miniſtris, & officialibus curiæ ſæcularis, abſque irregularitatis nota, aut alicujus cenſuræ Eccleſiaſticæ incurſu tradi, & conſignari curent, & facient, & quilibet eorum curet, & faciat.* Huc uſque Bulla Gregoriana. Ex qua ſequitur, quòd omnia, & ſingula crimina, quæ in ea non ſunt ſpecialiter excepta, gaudeant Aſylo. Hinc

I. Gaudent Aſylo fures, qui occultè, vel etiam aliis 89
videntibus, ſine tamen vi, vel armis aliena auferunt: vel qui in Eccleſiis furantur, vel qui in Eccleſiis vulnerant alios

alios, ſine homicidio, vel mutilatione. II. Gaudent Aſylo, adulteri, ſimoniaci, incendiarii, banniti, cudentes falſam monetam, homicidæ Clericorum, raptores virginum, extrahentes injuſtè reum ex Eccleſia, Parricidæ, Sodomitæ, &c. III. Gaudent Aſylo Decoctores fraudulenti, item debitores confugientes ad Eccleſiam ob debitum ex cauſa civili contractum juxta *Haunoldum*, *& Pirrbing*. Ratio horum omnium eſt: Quia omnes præfati non commiſerunt crimen exceptum in noviſſima Bulla Gregorii XIV. *cit.* IV. Gaudent Aſylo rei è carceribus, aut manibus ſatellitum fugientes, dum ducuntur ad carceres, vel inde ad ſupplicium, dummodò non commiſerint crimen exceptum. Ita cum communi Farinacius, Navarrus, Gutierez, apud Reiffenſtuel *cit. n.* 154. Ratio eſt: quia tales non excipiuntur in Bulla Gregoriana cit. quod verum eſt, etiamſi fugiant cum compedibus: non vero ſi unà cum ſatellite per vim intrent in Eccleſiam, ex declarationibus Cardinalium apud Jacobum Pignatelli, *tom. 6. conſult. 4. nu. 88. & 91.* Pariter non gaudet immunitate reus ex eo, quòd per locum Sacrum ducatur ad ſupplicium, caſu quo alia via è carceribus ad locum ſupplicii non ſit; ſecus, ſi alia exiſtente via per illum duceretur. Ita Peregrinus de *immunit. cap. 5. nu.* 8. Diana, & alii. V. Noſter Gaudentius Kerckhove *in ſtatuta noſtra Generalia c. 5. §. 8. nu.* 54. docet, licere malefactori ingredi Monaſterium Monialium, ſi fores apertas reperiat, ut periculum inſequentis Judicis evadat, meritò timens fore, ut ex Eccleſia extrahatur. Ratio eſt: quia jus tuendi vitam, aut vitandi grave corporis damnum, cenſetur licitum reddere talem ingreſſum. Ita in terminis *Sanchez*, *Bonacina Tamburinus*, *aliique ab eo citati*. Qui malefactor tamen non poſſet commorari in Monaſterio Monialium, quia dedecet virum cum Monialibus eſſe; ſed deberet reponi in alio loco tuto, ubi etiam Privilegio immunitatis gaudere poſſet, ut notat Pellizarius *nu. 134. apud KercKove cit. num.* 53.

## QUÆSTIO III.

*De effectu immunitatis Aſyli, & de Cuſtodia, & extractione confugientium ad locum ſacrum.*

### SUMMARIUM.

91 *Effectus immunitatis Aſyli eſt, quòd reus confugiens ad locum ſacrum, debeat in eo recipi.*

92 *Multò minùs ab eo per vim extrahi,*

93 *Nec ad mortem, aut pœnam corporalem condemnari poteſt.*

94 *Si verò commiſit crimen exceptum, tenetur rector Eccleſiæ, aut alterius loci Sacri, ſi à curia ſæculare fuerit requiſitus, reum cuſtodire;*

95 *Et eundem eidem extradere, modo à Bulla Gregoriana præſcripto.*

96 *Si tamen, ut jam dictum, deſuper requiratur à curia ſæculari.*

### ASSERTIO III.

90 *Effectus immunitatis Aſyli eſt, quòd reus confugiens ad locum ſacrum debeat recipi, nec inde poſſit excludi, multò minùs ab eo per vim extrahi; nec quamdiu in eo exiſtit, ad mortem, aut aliam pęnam corporalem condemnari poteſt, ſuppoſito, quòd non commiſerit crimen exceptum; ſi verò commiſit crimen exceptum, tenetur rector Eccleſiæ, aut alterius loci ſacri, ſi à curia ſæculari fuerit requiſitus, reum cuſtodire, ac eidem extradere eundem modo à Bulla Gregoriana præſcripto.* Communiſſima.

§. I. *Effectus immunitatis Aſyli eſt, quòd reus confugiens ad locum ſacrum debeat recipi, &c.*

91 ITa Haunoldus *tom. 6. tract. 1. num.* 274. Pignatelli *tom. 2. conſult. 4. num.* 63. Delbene de *immunit. cap. 16. dub. 48. num.* 1. Reiffenſtuel *tit. de immunit. Eccleſ. num.* 156. & alii. Ratio eſt I. Quia *cap. inter alia 6. de immunit. Eccleſ.* dicitur: *Rectores Eccleſiarum ſibi* (id eſt, reis) *obtinere debent membra, & vitam*. II. Quia Rectores Eccleſiarum tenentur jura Eccleſiæ, ipſiuſque immunitatem defendere: ergo hoc ipſo non poſſunt reos illuc confugientes repellere. III. Quia eo ipſo, quod concedatur reis jus ad Eccleſias confugiendi, imponitur Rectoribus Eccleſiæ obligatio eos recipiendi; aliàs enim, ſi rei pro libitu rectorum poſſent non recipi, aut etiam recepti iterùm expelli, parum, aut nihil prodeſſet reis *Jus Aſyli*. Quare etiam Eccleſia, aut alius locus ſacer reum de ſuis bonis debet ſuſtentare; eique vitæ præbere neceſſaria, niſi ipſe bona propria habeat, aut aliunde à Conſanguineis v. g. facilè habere poſſit. Ita cum communi Sylveſter *verſ. immunitas 3. nu.* 5. Aliiſque citatis Reiffenſtuel *cit. nu.* 157. Ratio eſt: quia aliàs reus indirectè cogetur ad exeundum, & poteſtati ſæculari ſe tradendum, aut fame moriendum; ſicque rurſus eidem non prodeſſet *Jus Aſyli*. Dictum eſt: *Niſi ipſemet bona propria haberet, aut aliunde à conſanguineis v. g. facilè habere poſſit*. In tali enim caſu de illis, non de Eccleſiæ bonis vivere deberet reus, prout citati DD. cum communi aliorum benè advertunt. Imò non poteſt Eccleſia in tali caſu eum de bonis ſuis ſuſtentare, quia male dilapidaret patrimonium Chriſti, & pauperum. Hinc etiam juxta DD. citatos, in caſu, quo ipſe reus nihil habet, nec aliunde quid habere valet, poteſt cogi ad laborandum, & ſerviendum in commodum Eccleſiæ; ut ſic expenſæ in eum factæ de Eccleſiæ bonis, quæ nonniſi ad cauſas pias, & pauperes erogari poſſunt, compenſentur; atque ne immunitas ſit ei occaſio otiandi, & exinde etiam peccandi. Addunt aliqui, & meritò, non expedire, ut rei propriis deſtituti mediis diutiùs morentur in locis ſacris, *ne ipſi per incommodum Eccleſiæ, egentium, & pauperum alantur expenſis*, ut dicitur *l. præſenti 6. C. de his, qui ad Eccleſ. confug.* Hinc benè poſſunt rectores Eccleſiæ reo ſuadere, ut diſcedat; ſi cognoſcant, quòd in alio loco, aut provincia, ſecurè, & abſque periculo degere valeat, illucque eundem convenientibus modis ducere, & dirigere ſine periculo poſſint, & niſi aliud circumſtantiæ exigant. Ex his etiam ſequitur, quòd nemo prohibere, aut impedire poſſit, quominùs ad exiſtentem in loco Aſyli deferatur neceſſarius victus, & veſtitus, ipſeque neceſſaria requie frui, & naturam etiam extra locum Aſyli (ſi reverentia loci exigat) exonerare valeat. Ita *omnes* ob rationem ſuprà jam datam.

§. II. *Multò minùs ab eo per vim extrahi, nec ad mortem, aut pœnam corporalem condemnari poteſt.*

ITa unanimes DD. *Ex can. Diffinivit 35. cauſa 17. qu. 4.* 92
ibi: *Nullus audeat confugientes ad Eccleſiam, & reſidentes inde abſtrahere, & l. 2. de his, qui ad Eccleſ. confug.* ibi: *Sancimus, nemini licere ad Eccleſias confugientes abducere*. Poteſt tamen reus ſponte exire, & permittere, ut egreſſus capiatur. Si tamen ad ſponte egrediendum Judex ficta promiſſione ſecuritatis, & impunitatis reum induxit, tenetur eidem ſervare fidem promiſſam, vel iterum reſtituere loco Sacro, Barboſa *lib. 2. juris Eccleſiaſt. univerſ. c. 3. n. 54.* Navarrus *in Manual. c. 25. n.* 22. Caſtro-Palao, Azorius, Reiffenſtuel *cit. nu.* 162. cùm communi aliorum. Ratio eſt: quia cùm reus nonniſi ſub conditione ſecuritatis promiſſæ deſeruerit locum Aſyli, debet conditio à promittente ſervari, aut deſertio loci Sacri cenſetur nulla; cùm paria ſint, nihil fieri, & ſub conditione fieri, quæ non purificatur.

Quòd reus, quamdiu in loco Sacro exiſtit, non poſſit 93
per ſententiam aliquam condemnari ad mortem, aut aliam pęnam corporalem, docent Pirrhing, Sylveſter, Abbas, Fagnanus, apud Reiffenſtuel *cit. n. 166. ex cap. inter alia 6. de immunitate Eccleſiarum, &c. Id conſtituimus obſervandum, quod Eccleſiaſtici Canones decreverunt, & lex Romana conſtituit, ut ab Eccleſiæ atriis, vel domo Epiſcopi, reos abſtrahere omninò non liceat, ſed nec alteri conſignare, niſi ad Evangelia datis Sacramentis, de morte, & debilitate, & omni pęnarum genere ſint ſecuri; ita ut ei, cui reus fuerit criminoſus, de ſatisfactione conveniat. Quòd ſi quis Sacramenta ſua convictus fuerit violaſſe, reus perjurii non ſolùm à communione Eccleſiæ, vel omnium Clericorum, verùm etiam, & à Catholicorum convivio ſepararetur*. Nihilominùs reus, quamdiu exiſtit in loco Sacro, licèt ad pęnam mortis, vel corporis condemnari non valeat, poteſt tamen puniri pęna pecuniaria, aut alia competenti pęna, Ita *Abbas*, *Fagnanus*, *Barboſa*, *Farinacius*, *Pirrhing*, cum communiſſima aliorum apud Reiffenſtuel *cit. n. 168. ex cap. inter alia 6. de immunit. Eccleſ.* ibi: *ſuper hoc tamen, quod iniquè geſſit, eſt aliàs legitimè puniendus.*

§. III. *Si verò commiſit crimen Exceptum, tenetur rector Eccleſiæ, aut alterius loci Sacri, ſi à Curia Sæculari fuerit requiſitus, reum cuſtodire.*

OMnia præcedentia dicta, ſunt intelligenda de reo, qui 94
non commiſit crimen exceptum, & conſequenter gaudet jure Aſyli: *Si verò reus commiſit crimen exceptum*, & conſequenter non gaudet Aſylo, vel ſaltem dubitatur, ac commiſerit crimen exceptum, & gaudeat





Digitized by Google

Aſylo, nec ne, benè facit rector loci Sacri, ſi reum de dubio, & periculo admoneat, eique fugam ſuadeat, & ad eam adjuvet, *antequàm à Curia Sæculari ad eum benè cuſtodiendum, aut tradendum requiratur*; tunc enim fugæ locus non ampliùs eſſet, ſed tunc tenetur Rector Eccleſiæ, aut alterius loci ſacri, cautè cuſtodire reum, adhibitis etiam, ſi opus foret, carceribus, & compedibus, donec ab Epiſcopo cauſa examinetur, & decidatur; ſi nimirùm à Poteſtate Sæculari ad hoc fuerit requiſitus. Ita pluribus citatis Farinacius, & Reiffenſtuel *cit. n.* 174. Ratio eſt: quia reus criminis excepti debet tradi Curiæ Sæculari, juxta dicenda *§. ſequenti*: ergo in caſu dubio, & multò magis in certo, ſaltem interim cuſtodiri debet etiam auxiliu Sæcularium, ſi opus foret, ad requiſitionem Curiæ Sæcularis, ut cauſa per Epiſcopum examinata tradi, ſi fieri oporteat, poſſit. Dictum eſt: *Si commiſit crimen exceptum*; in caſu enim, quo liquido conſtat, crimen non eſſe exceptum ipſumque reum gaudere Aſylo, nec rector Eccleſiæ, nec Sæcularis Poteſtas intra Eccleſiam, vel alium locum ſacrum, aliquu modo carcerare, vel cuſtodire reum poteſt; aut tenetur. Ita fermè *omnes*, & ratio eſt: quia in tali caſu ceſſat cuſtodiendi ratio, & finis, qui eſt, ut Jure Aſyli carens, legitimè tradi valeat Curiæ Sæculari, & ab ea puniri, ne delicta maneant impunita. Nihilominùs extra Eccleſiam poteſt Curia Sæcularis cuſtodiam ponere ad præcavendum, ne liberè effugiat Reus, & ut, ſi exeat, extrà facilius capi, & puniri valeat. Ita Bonacina *t. 2. diſp. 3. q. 7. pun. 3. n. 2.* aliiſque citatis Reiffenſtuel *cit. n.* 183. Ratio eſt: quia per talem cuſtodiam nulla vis, aut injuria infertur loco Sacro.

### §. IV. *Ac reum extradere Curiæ Sæculari, modo à Bulla Gregoriana Præſcripto.*

96 Modus extradendi reum non gaudentem Aſylo, Curiæ Sæculari, præſcribitur in Bulla Gregorii XIV. *cum aliàs*, citata, ſequentibus verbis: *§. 3. Sed univerſis, & ſingulis venerabilibus noſtris, Patriarchis, Primatibus, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque Eccleſiarum, & Monaſteriorum Prælatis, tam ſæcularibus, quàm cujuſvis ordinis regularibus, diſtrictè præcipiendo mandamus, & præcipimus, ut Laicos in caſibus prædictis* (nimirùm in criminibus exceptis) *delinquentes, ad eorum Eccleſias, Monaſteria, Domos, & alia loca ſupradicta ſacra, ſeu religioſa, reſpectivè confugientes, & eis ſe recipientes, atque morantes, qui prædicta delicta, eorumque aliquod, judicio ſuo commiſiſſe videbuntur, quando à Curia Sæculari fuerint requiſiti, vel quilibet eorum fuerit requiſitus, miniſtris, & officialibus Curiæ Sæcularis, abſque irregularitatis nota, aut alicujus cenſuræ Eccleſiaſticæ incurſu, tradi, & conſignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet, & faciat.*

*§. 4. Ne autem Curiæ Sæcularis Miniſtri prædicta facultate, illos per ſe, & propria authoritate extrahendi, & abducendi, ſibi olim, ut præfertur, attributa, & per præſentes revocata abutantur, volumus, dictaque authoritate decernimus, & declaramus, ut Curia Sæcularis, ejuſque judices, & officiales, ab Eccleſiis, Monaſteriis, lociſque ſacris prædictis laicum aliquem, ut præfertur delinquentem, in nullo ex caſibus ſupradictis ſine expreſſa licentia Epiſcopi, vel ejus officialis, & cum interventu perſonæ Eccleſiaſticæ, ab eo authoritatem habentis (ad quos ſolos, & non alios Epiſcopis inferiores, etiamſi aliàs ordinarii, aut nullius Diœceſis, aut conſervatores ab hac Sede ſpecialiter, vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat. Occurrente autem caſu loco exempto, & nullius Diœceſis, tunc ad Epiſcopum viciniorem devolvatur hæc cognitio, & non ad alios) capere, extrahere, aut incarcerare non poſſint; niſi eo caſu, quo ipſe Epiſcopus, & dicta perſona Eccleſiaſtica requiſitæ, illos in delictis ſuperiùs expreſſis culpabiles, tradere, aut capturæ, & carcerationi intervenire, & aſſiſtere recuſarint, tuncque reverentiæ Eccleſiæ, & locis ſacris debitæ memores, prædictos delinquentes, minori, quo id fieri poterit, ſcandalo, & tumultu extrahere curent.*

*§. 5. Quodque delinquentes laici prædicti, poſtquàm, ut præfertur, ab Eccleſiis, lociſque extracti, & capti fuerint, ad carceres curiæ Eccleſiaſticæ reponi, & inibi ſub tuto, & firmo carcere, ac opportuna cuſtodia datâ illis, ſi opus fuerit, per Curiam Sæcularem, detineri debeant, nec inde extrahi, Curiæque Sæculari prædictæ conſignari, nec tradi poſſint, niſi cognito priùs per Epiſcopum, ſeu ab eo deputatum, an ipſi verè crimina ſuperiùs expreſſa commiſerint: tuncque demum de mandato Epiſcopi, per Judicem Eccleſiaſticum Curiæ Sæculari, quacunque appellatione ſepoſita conſignentur.*

*§. 6. De crimine verò hæreſis cognitio ad forum Eccleſiaſticum tota pertineat, neque in ea, Curia Sæcularis ſe quoquo modo intromittat.* Huc uſque Bulla Gregorii XIV. citata.

Dictum fuit hactenùs ſæpiùs: *Si rectores Eccleſiarum, vel locorum religioſorum fuerint requiſiti à Curia Sæculari*: quia tantùm, quando à Curia Sæculari fuerint requiſiti, vult Papa, ut cuſtodiant, vel tradant, reum criminis excepti: conſequenter à ſenſu contrario: *Si non requiſiti fuerint à Curia Sæculari*, nec cuſtodire, nec extradere tenentur talem reum, ſed poſſunt eum liberè dimittere, & ad fugam juvare: & multò minùs tenentur cuſtodire, aut extradere reum, qui commiſit crimen non exceptum, & conſequenter gaudet Aſylo, etiamſi à Curia Sæculari fuerint requiſiti: quia ſine peccato mortali Rectores Eccleſiæ non poſſunt reum talem privare ſuo Jure, & privilegio ſibi conceſſo à Summo Eccleſiæ Monarcha; nec Curia Sæcularis poteſt talem reum requirere, vel extrahere ſub graviſſimis pœnis, ut ſtatim dicetur. Ait tamen Layman *lib. 4. tract. 9. cap. 3. num.* 13. Eccleſiæ tamen Prælatus reum quandoque Judici Sæculari tradere poteſt, exacto priùs juramento, vel ſimili cautione immunitatis à pœna mortis, & omni corporali, ſicuti colligitur *can. id conſtituimus*, 36. *cauſa* 17. *quæſt.* 4. (quem in terminis retulimus, ſuprà *num.* 93.) apud Layman citatum.

## QUÆSTIO IV.

*De Pœnis violantium immunitatem Eccleſiaſticam, & de abſolutione ab iiſdem.*

### SUMMARIUM.

98 *Extrahens ex Aſylo reum vi, vel fraude, vel injuſto timore, vel contra præſcriptum Bullæ Gregorianæ, peccat mortali ſacrilegio, & tenetur reum ſic extractum reſtituere loco ſacro,*

99 *Atque incurrit ipſo facto excommunicationem Papæ reſervatam.*

100 *Violans verò immunitatem realem, vel perſonalem incurrit graviſſimum ſacrilegii peccatum, & tenetur reſtituere omnia, quæ ab Eccleſiis, Eccleſiaſticiſque perſonis, aut bonis earum exegit;*

101 *Et incurrit ipſo facto excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini contentam.*

## ASSERTIO IV.

*Extrahens ex Aſylo reum, vi, vel fraude, vel injuſto timore, vel contra præſcriptum Bullæ Gregorianæ, imprimis peccat mortali ſacrilegio, & tenetur reum ſic extractum reſtituere loco ſacro, cum omnibus bonis inde abſtractis, obligaturque ad reſtitutionem damni exinde conſecuti ipſi reo, vel aliis, atque incurrit ipſo facto excommunicationem Summo Pontifici reſervatam, aliaſque pœnas: Violans verò immunitatem realem, & perſonalem, præter graviſſimum ſacrilegii peccatum, tenetur reſtituere omnia, quæ ab Eccleſiis, Eccleſiaſticiſque perſonis, aut bonis earum exegit, & incurrit ipſo jure, & facto graviſſimam pœnam excommunicationis in Bulla Cœnæ Domini contentam, à qua nullus omninò, extra articulum mortis, niſi Romanus Pontifex, abſolvere poteſt.* Eſt communiſſima. 97

### §. I. *Extrahens ex Aſylo reum, vi, vel fraude,*

Vel injuſto timore, vel contra præſcriptum Bullæ Gregorianæ, imprimis peccat *mortali ſacrilegio*, uti conſtat *ex can. Sacrilegium, cauſa* 17. *q.* 4. & docet S. Thomas communiter receptus 2. 2. *q.* 99. *art.* 2. *ad* 2. Quia in re graviſſima violat reverentiam Eccleſiis, & Sacris locis debitam. *Et tenetur reum ſic extractum reſtituere loco ſacro, und cum omnibus bonis inde abſtractis.* Barboſa *lib.* 2. *J. E. V. c.* 3. *n.* 52. Pirrhing *de immunitate Eccleſ. n.* 51. Pignatelli, Farinacius, Fagnanus, aliiſque citatis Reiffenſtuel *cit. n.* 203. cum communi, & certa aliorum. Ratio deſumitur tum ex *can. Miror.* 8. *cauſa* 17. *q.* 4. ibi: *Eccleſia igitur reſtitue, quæ irreligioſiſſimus rapuiſti*: tum ex illa univerſali regula, quòd ſpoliatus ante omnia ſit reſtituendus, *ex c. Item* 6. *& c. conquerente* 7. *de Reſtitutione Spoliatorum. Obligaturque ad reſtitutionem damni exinde conſecuti ipſi reo, vel aliis.* Ita communis, ac certa ex *can. ſicut antiquitùs* 6. *cauſa* 17. *q.* 4. ibi: *qui perſonam, vel bona ejus inde* (è loco Aſyli) *ſubtraxerit, quouſque emendet, & quod rapuerit, reddat, excommunicetur.* Ratio eſt: quia, qui injuſtè aufert, vel damnificat, ad reſtitutionem tenetur. Hinc infertur, quòd ſi injuſte extractus etiam capite plexus eſt, teneatur judex ad damnum, quod inde liberis, uxori, aut aliis ſubſecutum eſt. Ita Reiffenſtuel *cit. nu.* 110. Layman *lib.* 4. *tract.* 9. *c.* 3. *nu.* 14. & apud ipſum Suarez, & Valentiam. 98

§. II.

Digitized by Google

§. II. *Atque incurrit ipſo facto Excommunicationem Papæ reſervatam.*

99 ITa Bulla Gregorii XIV. *cùm aliàs*, citata, §. 8. Sic dicens: *quod ſi quis quacunque dignitate, & auctoritate præditus, Præmiſſorum, aut alio quovis prætextu, quidquam præter, aut contra hujus noſtræ conſtitutionis tenorem attentare præſumpſerit, declaramus, eum ipſo facto Cenſuras, & pœnas eaſdem incurrere, quæ contra libertatis, Juris, aut immunitatis Eccleſiaſticæ violatores, per Sacros Canones, & Conciliorum Generalium, noſtrorumque Prædeceſſorum conſtitutiones ſunt promulgatæ*. Idem docent Bonacina *tom. 1. diſp. 3. q. 7. pun. 8. n. 3.* Farinacius, Caſtro-Palaus, Barboſa, Diana, Haunoldus, apud Reiffenſtuel *cit. n.* 215. cum communi aliorum, poſt Bullam Gregorianam ſcribentium, contra nonnullos ante Bullam cit. ſcribentes, & propterea ad præſens non attendendos. Hanc excommunicationem incurrunt, non tantùm illi, qui aliquem etiam excepti Criminis certò reum, in loco Aſyli exiſtentem, capere, extrahere, vel incarcerare auſi fuerint, juxta certam ſententiam; ſed etiam illi, qui capere, extrahere, aut incarcerare tantùm tentaverint, effectu non ſecuto. Ita Diana *p. 1. tract. 1. reſolut.* 15. Farinacius, Peregrinus, apud Reiffenſtuel *cit. num.* 217. quòd apertè patet ex Bullæ Gregoriana *cit.* §. 8. ubi Papa pœnas Juris ipſo facto incurrere declarat eum, *qui contra tenorem hujus conſtitutionis quidquam attentare præſumpſerit*. Hinc etſi aliàs Leges pœnales intelligendæ ſint ſecuto effectu; ſecùs tamen eſt, ſi Lex etiam ipſum conatum expreſsè punire vult. Imò non tantùm prædicti, ſed etiam, & vel maximè illi, qui tale quid mandant, excommunicationem prædictam ipſo facto incurrunt. Ratio eſt: quia in Bulla Gregoriana pœnis ipſo facto ſubjacere, univerſaliter declarantur omnes, & ſinguli *quavis Dignitate prædicti, qui contra tenorem conſtitutionis, ſeu Bullæ aliquid attentare præſumpſerint*; hoc autem, vel maximè faciunt, qui præfata authoritativè mandant. Hæc excommunicatio eſt Summo Pontifici reſervata, ob declarationem Sacri Concilii, 1617. apud Jacobum Pignatell. *tom. 2. conſult.* 59. quæ ita ſonat: *abſolutio à Cenſuris ob violatam immunitatem Eccleſiaſticam, juxta conſtitutionem Gregorii XIV. quæ incipit:* Cùm aliàs nonnulli, *eſt Sedi Apoſtolicæ reſervata*. Nihilominùs ab eadem (ſed priùs reſtituto Reo, & facta ſatisfactione læſæ Eccleſiæ) abſolvere poſſe Regulares Mendicantes extra Italiam, docet Paſſerinus, *de Hominum ſtatibus, & officiis, quæſt.* 187. *art. 1. nu.* 443. Ubi ait, Regulares Mendicantes extra Italiam poſſe abſolvere à violatione Immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis conſtitutionis felicis recordationis Gregorii XIV. quæ incipit: *Cùm aliàs nonnulli*. Probatque ex *Decreto Sacræ Congregationis, ſub Urbano VIII. edito*, 1628. 17. *Novembris*, citatque pro hac ſententia *Lezanam, Antonium à Spiritu S. Dianam, Naldum, Bordonum, Sanchez, Merolam, Delbene, Peregrinum, Barboſam, Tamburinum*. Cujus ratio eſt: quia Regulares Mendicantes extra Italiam poſſunt abſolvere ſæculares, ab omnibus caſibus, & Cenſuris, etiam Papæ reſervatis, exceptis caſibus Bullæ Cœnæ, & caſibus ab Epiſcopis ſibi reſervatis, uti habet Patritius Sporer, *Theol. Sacrament. part. 3. cap. 6. ſect. 2. nu.* 740. & exceptis iis, qui ad forum contentioſum ſunt deducti: jam autem hæc excommunicatio non continetur in Bulla Cœnæ Domini, ut legenti eam patebit: nec, ut ſupponitur, eſt caſus ab Epiſcopo ſibi reſervatus, aut jam ad forum contentioſum deductus: ergo ab ea virtute ſuorum privilegiorum Regulares Mendicantes extra Italiam abſolvere poterunt.

§. III. *Violans verò immunitatem realem, vel perſonalem,*

100 PRæter graviſſimum Sacrilegii peccatum, quod incurrit, tenetur reſtituere omnia, quæ ab Eccleſiis, Eccleſiaſticiſque perſonis, aut bonis earum exegit. Ita *omnes*. Ratio eſt: quia injuſtè acquiſivit: quidquid autem injuſtè acquiritur, reſtitui debet: hinc donec reſtituat, & ſatisfaciat, abſolvi non poteſt. Violatores autem Immunitatis Realis, & Perſonalis ſunt, qui quaſcunque exactiones, aut onus quodcunque tandem, & quomodocunque nominetur (exceptis oneribus verè, ſimpliciter, & formaliter realibus, de quibus ſuprà hac *ſect. qu. 1. num.* 79.) Eccleſiis, Eccleſiaſticis perſonis, aut bonis earum imponunt, ſeu exigunt ab eis. Ita *Bulla Cœnæ Domini*. §. 18. Item Laici, qui perſonas cauſaſque Eccleſiaſticas ad ſuum tribunal trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant, directè, vel indirectè, quovis quæſito colore. Ita *Bulla Cœnæ* §. 14. 15. Plura vide in Bulla Cœnæ Domini, & in Bulla Urbani VIII. *Romanus Pontifex*, quæ in Bullario Cherubini, *tom. 4. & 159. conſtitutio dicti Pontificis*.

§. IV. *Et incurrit ipſo facto excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini contentam.*

ITa omnes. Et patet clariſſimè ex ipſa *Bulla Cœnæ Domini citata*, ſicut etiam ex Bulla Urbani VIII. mox citata, & ex aliis textibus Juris Canonici. Hanc igitur excommunicationem incurrunt omnes violatores immunitatis Eccleſiaſticæ realis, & Perſonalis, §. præcedente ſpecificati; & cùm hæc excommunicatio ſit contenta in Bulla Cœnæ Domini, nullus ab ea extra articulum mortis abſolvere poteſt, niſi Romanus Pontifex, & qui ab eo ſpecialem habet facultatem abſolvendi à caſibus Bullæ Cœnæ; conſequenter nullus Regularis etiam Mendicans, virtute privilegiorum ſuorum ab ea abſolvere poteſt. Ita habetur expreſsè *in Bulla Cœnæ* §. 22. imò etiam in articulo mortis nullus abſolvere poteſt, niſi violatores priùs cautionem præſtent, quòd ſatisfacere, & mandatis Eccleſiæ ſtare velint, & ſimilia ulteriùs non facere seriò propoſuerint. Ita clarè ſtatuitur *in citata Bulla Cœnæ* §. 22. imò omnis abſolutio per alium, quàm Romanum Pontificem, extra mortis articulum, vel etiam in illo, ſed non juxta tenorem præfatum facta, non tantùm eſt nulla, ſed eſt etiam graviter peccaminoſa, ac inſuper abſolventem excommunicationi ſubiicit. Ita iterum expreſsè *Bulla Cœnæ*, §. 23. 101

Alias pœnas contra violatores immunitatis Eccleſiaſticæ latas, videre poteris apud Auctores citatos. Sed pro aliquibus Principibus ob eorum privilegia in omnibus præfatis materiis vide Clericatum alibi citatum.

## SECTIO III.

*De ſtatu Religioſo.*

## QUÆSTIO I.

*De ſtatus religioſi eſſentia, diverſitate, novitiatu, & profeſſione.*

### SUMMARIUM.

102 *Quotuplìciter accipiatur nomen Religionis?*
103 *Quid ſit religio, ſeu ſtatus Religioſus?*
104 *Quot conditiones requirantur ad Religioſum?*
105 *Religiones in eſſentialibus conveniunt, & in accidentalibus differunt.*
106 *A quo inſtitutus ſit ſtatus Religioſus?*
107 *Religionum Diverſitas.*
108 *Religio dividitur in Contemplativam, Activam, & Mixtam; &*
109 *In Clericalem, Monachalem, Mendicantem, & Militarem.*
110 *Quatuor ſunt regulæ religionum.*
111 *De regula S. P. N. Franciſci Seraphici.*
112 *Novitius religionis debet habere certas qualitates; nimirùm*
113 *Ætatem debitam, ſcilicet pubertatis;*
114 *Ut non ſit alteri obligatus,*
115 *Ut Corpore non ſit vitiatus,*
116 *Ut non ſit criminoſus, aut infamis.*
117 *Quænam adhuc ſint obſervanda circa novitios?*
118 *Novitius ſine juſta cauſa nequit expelli ab ordine.*
119 Uſque ad num. 122 *Novitii gaudent privilegiis religionis &c.*
122 *Quid novitio egredienti debeat reſtitui?*
123 *A quid obligentur novitii?*
124 *An poſſit facere teſtamentum &c.*
125 *Quid de novitiis monialibus.*
126 *An novitii incurrant caſus reſervatos ordinis?*
127 *Quid ſit profeſſio religioſa?*
128 *Ad valorem profeſſionis requiritur aptitudo voventis.*
129 & 130 *Annus probationis integer;*
131 *Plena deliberatio religionis.*
132 *Et acceptatio religionis.*
133 *An invalidè profeſſus reclamare, & religionem deſerere poſſit? & ſeq.*
139 *An religio poſſit expellere nulliter profeſſum?*

### ASSERTIO I.

*REligio, ſeu ſtatus religioſus eſt fidelium ad Divinæ Charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuæ paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, ſtabilis in communi vi-* 102

*vendi modus ab Eccleſia approbatus. Dividitur in religionem Clericalem, Monachalem, Mendicantem, & Militarem. Ut quis poſſit ingredi Religionem, requiruntur in eo quatuor conditiones. I. Eſt, ut habeat debitam ætatem. II. Ut non ſit alteri obligatus. III. Ut corpore non ſit multùm vitiatus, aut deformis. IV. Ut non ſit crimininoſus. Similiter ad valorem Religioſæ Profeſſionis, quatuor conditiones requiruntur I. Aptitudo voventis. II. Annus Probationis integer. III. Ut fiat liberè ſine metu gravi injuſtè incuſſo ad extorquendum actum, & deliberatè ſine errore circa ſubſtantiam. IV. Acceptatio habentis poteſtatem recipiendi ad profeſſionem.* Ita Communiſſima Theologorum, & Canoniſtarum.

§. I. *Religio, ſeu Status Religioſus eſt fidelium ad Divinæ Charitatis Perfectionem, &c.*

103 RELigio tripliciter accipi poteſt. *Primò.* Quidem, ac in primæva ſua ſignificatione, qua denotat virtutem, quæ inter morales Principalis eſt, ex natura ſua tendens ad DEO debitum cultum, & honorem exhibendum, prout ex D. Thoma tradit Miranda *in Manuali Prælatorum, tom. 1. qu. 1. art. 1.* de qua Religionis virtute agit P. Patritius Sporer *tract. 2. in 1. Præcept. Decal cap. 7. Secundò.* Accipitur pro Univerſitate verum DEUM ritè colentium per fidem, & fidei opera; quo ſenſu dicitur *Religio Catholica*; de qua Controverſiſtæ. *Tertiò.* Religio accipitur pro ſtatu, in quo fideles per tria vota Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ ſe totos DEO in perpetuum conſecrant; de qua acceptione agimus in præſenti. Itaque

104 I. Religio, ſeu ſtatus Religioſus benè deſcribitur, quòd ſit *Fidelium ad Divinæ Charitatis Perfectionem tendentium, editis votis perpetuæ paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, ſtabilis in communi vivendi modus, ab Eccleſia approbatus,* Ita Maſtrius *in Theol. morali, diſp. 14 qu. 1. art. 1.* Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 1. num. 1.* Reiffenſtuel *lib. 3. Decret. tit. 31. num. 3.* Pirrhing, & Engel *eod. tit.* Pellizarius *in Manuali Regular. tom. 1. cap. 1. num.* reſtque in re communis. Dicitur I. *Fidelium;* quia ad ſtatum, & Ordinem Religioſum requiritur, ut ſit Sacra quædam congregatio ſeu communitas plurium fidelium. Dicitur, II. *Ad Divinæ Charitatis perfectionem tendentium,* quia ſtatus Religioſus eſt diſciplina quædam, qua aliquibus exercitiis ad perfectionem devenitur; unde ſtatus Religionis dicitur eſſe *ſtatus perfectionis,* non quidem in eo ſenſu, quòd omnes Religioſi debeant eſſe perfecti; cùm quidam eorum ſint incipientes; quidam proficientes; unde Doctor noſter Subtilis *in 3. diſt. 18. quæſt. unica,* diſtinguens ſtatum Perfectionis, inquit, quod quædam perſona eſt in ſtatu perfectionis exercendæ, ut Prælatus; quædam verò in ſtatu Perfectionis acquirendæ, ut ſimplex Religioſus; ſed in eo tantùm ſenſu, quod omnes ad Chriſtianam perfectionem, unionemque cum DEO, tanquam propoſitum ſibi finem ex ſui ſtatus obligatione tendant, ut docet Doctor Angelicus D. Thom. *2. 2. q. 186. art. 1.* Dicitur III. *Editis votis perpetuæ paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ &c.* quia tria ſunt præcipua hujus Perfectionis conſequendæ impedimenta, teſte S. Joanne *Epiſt. 1. c. 2.* dicente: *Omne, quod eſt in Mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Ab his autem impedimentis liberatur homo per voluntariam paupertatem, caſtitatem, & obedientiam. De paupertate enim dicitur *Matth. 19. v. 21. Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus;* & de obedientia ſubditur ibidem: *Veni, & Sequere me.* de caſtitate tandem etiam ibidem v. 12. dicitur: *Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum Cœlorum,* id eſt, amputaverunt uſum, & poteſtatem venereorum, non quidem per abſciſſionem membri corpoream, ſed per votum caſtitatis propter regnum DEI emiſſum; ut communiter explicant SS. Patres. Additur autem: *hæc tria vota debere eſſe perpetua:* quia ad ſtatum Religioſum non ſufficit nudum propoſitum ſervandi illa tria conſilia Evangelica, ſed requiritur perſonalis obligatio per Vota DEO edita, non ad tempus determinatum, ſed in perpetuum, & uſque ad finem vitæ. Unde eſſentia ſtatus Religioſi conſiſtit in tribus illis votis, juxta *c. ad Apoſtolicam. Et c. cùm ad Monaſterium de ſtatu Monachorum.* Tandem additur, quòd hic ſtabilis in communi vivendi modus debeat eſſe *ab Eccleſia approbatus;* quia quamvis olim Epiſcopi potuerint Religiones approbare, poſteà tamen in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. ſtatutum eſt, ne nova inducatur Religio, niſi à Pontifice approbata. Cùm enim Religio ſit quædam Sacra Congregatio ſeu communitas, in qua conſequenter aliqua ſpiritualis Juriſdictio eſſe debet, & hæc à ſolo Papa proveniat, neceſſarium eſt, ut talis ſtabilis in communi vivendi modus ab eodem approbetur. Ita Alteſanus noſter *lib. 6. tit. 47. de Regularibus, art. 2.* & poſt ipſum Bellarminus, Suarez, Reginaldus, Layman, Joannes de la Crux, Lezana, Maſtrius cit. & alii Recentiores. Ex his

II. Conſtat, ad hoc, ut quis ſit verè, & propriè *Religioſus,* ſeu (quod idem eſt) *Regularis,* quatuor requiri conditiones, ut notat Lezana *in Summa QQ. Regularium, c. 2.* Prima eſt profiteri obedientiam, caſtitatem, & paupertatem. Secunda, ut hæc tria votis tribus firmentur. Tertia, ut hæc vota emittantur in Religione aliqua per Sedem Apoſtolicam approbata. Quarta, ut promittens hæc vota ſub Juriſdictione, & poteſtate alterius conſtituatur. Et quidem prædicta tria vota perpetuæ Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ adeò eſſe de eſſentia Religionis, & quidem Jure Divino, ut ſine illis Religio aliqua nullatenùs conſiſtere poſſit, docent Miranda *in Manuali Prælat. tom. 1. quæſt. 1. num. 4. & 5.* Hyacinthus Donatus, Reiffenſtuel cum communi Aliorum. Ratio eſt: quia *c. cùm ad Monaſteriorum, 6. de ſtatu Monachorum,* habetur, quòd Papa cum Religioſo, *manente Religioſo,* non poſſit diſpenſare in aliquo ex dictis votis: ex quo manifeſtè ſequi videtur, hæc tria non ſolo Jure humano, ſed etiam Divino requiri ad ſubſtantiam Religionis; ſi enim ſolo Jure humano ad eam eſſent neceſſaria, Papa in iis haud dubiè diſpenſare poſſet; utpotè, qui *ſecundùm plenitudinem poteſtatis de Jure poteſt ſupra Jus diſpenſare,* uti dicitur *c. Propoſuiſti 4. de Conceſſ. Præbend.* Dictum eſt: *quòd Papa cum Religioſo, manente Religioſo, non poſſit diſpenſara in aliquo ex dictis votis,* quod intellige cum gloſſa in *cit. capit. Verſ. Abdicatio,* & communi DD. in ſenſu compoſito, id eſt, ut quis ſit, maneatque Religioſus, & tamen non ſit adſtrictus tribus allegatis votis: nam ex cauſa aliqua graviſſima poteſt Summus Pontifex diſpenſando, ex Religioſo facere non Religioſum, ſicque liberando eum à Religione, etiam à votis liberare, atque concedere; ut ad Sæculum redeat, ac etiam nubat prout cum aliquibus factum eſſe, refert Rodriquez *QQ. Regul. tom. 3. q. 1. art. 5.* hinc gloſſa loc. cit. dicit: *Papa non poteſt diſpenſare, ut Monachus habeat proprium, exiſtendo Monachus; ſed de Monacho poteſt facere non Monachum.*

III. Ex quibus ſequitur, varios Religioſorum Ordines 106 in Eſſentialibus convenire, & ſolùm inter ſe differre accidentaliter, quatenùs omnes variis mediis accidentaliter differentibus ad Chriſtianam tendunt perfectionem, quæ eſt Charitas, & conjunctio cum DEO; eſſentialia verò ſtatui Religionis omnibus ſunt communia: commune eſt enim omnibus, ut editis DEO votis in perpetuum, à ſe amoveant ea, quæ mortales plerumque à virtutis perfectione impediunt, ſcilicet rerum externarum ſubſtantiam, carnis delectationes, & propriæ voluntatis libertatem, diverſitas verò accidentalis procedit ex diverſitate mediorum, quæ unuſquiſque Ordo juxta Regulam ſuam adhibet ad eundem finem principalem aſſequendum, ſau ad ipſa eſſentialia vota meliùs adimplenda: ex quo etiam oritur, quòd inter Religiones, ſeu Ordines Religioſos ille perfectior cenſeri debeat, qui ſecundùm Regulam ſuam habet media magis accommodata ad finem principalem aſſequendum; huc enim omnia Religionis exercitia tendunt, ut Charitas DEI in nobis perfecta ſit, ut diſcurrit Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 3.* Ex quo etiam deducitur, eos non eſſe Religioſos propriè, & verè tales, qui in Ordinibus Militaribus ab Eccleſia approbatis caſtitatem non abſolutam, ſed limitatam, ſeu conjugalem profitentur, licèt Perſonæ Eccleſiaſticæ cenſeantur; qualis eſt Ordo Militaris D. Jacobi Calatravæ, Alcantaræ, ac ſimilium. Ita docent D. Thomas *2. 2. q. 186. art. 4* Sotus *lib. 7. de Juſtit. q. 5. art. 3.* Layman *cit. c. 1. nu. 5.* Rodriquez, Miranda, Reiſſenſtuel cum communiſſima Theologorum. Ratio eſt: quia in eis deficit unum eſſentiale ex requiſitis, votum nempè perfectæ caſtitatis, quod juxta ſupradicta de Jure Divino pertinet ad eſſentiam ſtatus Religioſi, ſeu Religionis ſimpliciter, & abſolutè talis. Quia tamen dicti Ordines Militares habent Regulam à Sede Apoſtolica approbatam, eorumque Profeſſores emittunt tria vota, atque ab ipſis Summis Pontificibus appellantur non ſolùm Eccleſiaſtici, ſed etiam Religioſi teſte Navarro *de Reddit. Eccleſiaſt. qu. 3. Monit. 27.* atque etiam capaces ſunt Beneficiorum Regularium, gaudentque privilegio fori, & Canonis juxta Navarrum cit. ideò eos poſſe dici *Religioſos,* non abſolutè, & ſimpliciter, ſed cum addito, *Militares,* docet cum Rodriquez, & Miranda citatis, P. Reiffenſtuel *cit. nu. 32.* Profeſſi verò in Ordinibus Militaribus illis, in quibus præter vota paupertatis, & obedientiæ etiam emittitur votum perfectum, & totale caſtitatis (qualis eſt Ordo Militaris S. Joannis) veri, ac propriè dicti Religioſi ſunt. Ita docet certa ſententia apud Reiffenſtuel *c. n. 31.*

Ra-

Digitized by Google

Ratio eſt: quia habent omnia ad propriè dictum Religioſum requiſita, tria nempè vota ſubſtantialia, Similiter, qui in Societate Jeſu poſt probationis biennium emittunt vota ſimplicia, verè, & propriè Religioſi ſunt, ut definivit Gregorius XIII. Bulla: *Aſcendente Domino*. Et Ratio eſt; quia illis etiam conveniunt quatuor conditiones ſupra aſſignatæ ad eſſentiam veri, & propriè dicti Religioſi requiſitæ; & licèt talia vota non ſint perpetua ex parte acceptantis, ſunt tamen perpetua ex parte voventium, quod ſufficit; ſicut ad ſtatum ſervitutis ſufficit, ut ſervus nequeat ſe eximere à ſervitute, etſi à Domino manumitti poſſit. Denique ex Tertiariis Fratribus, & Sororibus, ſive noſtri Ordinis Seraphici, ſive aliorum, tantùm ſunt Religioſi propriè dicti illi, qui in Religione approbata, ſecundùm certam Regulam, tria vota ſubſtantialia emittunt; illi verò qui hoc non faciunt, non ſunt veri, & propriè dicti Religioſi, quia non habent conditiones ad verum Religioſum ſuprà requiſitas.

107 IV. Religio, ſeu ſtatus religioſus ſecundùm ſuam ſubſtantiam non ab aliquo puro homine, ſed immediatè ab ipſo Chriſto Domino fuit inſtitutus. Ita Rodriquez *tom. 1. qu. 1. art. 1.* Miranda *in Manuali Prælatorum tom. 1. quæſt. 3. art. 1.* Pellizzàrius *in Manuali regul. tract. 1. cap. 2. quæſt. 5.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 3. cap. 2. num. 3.* eſtque teſte Miranda certiſſima, & omnium Catholicorum hac de re rectè ſentientium, probaturque ex variis Evangelii locis, in quibus manifeſtè apparet, quòd Chriſtus multos ad modum, & normam ſub tribus votis vivendi, ſive ad ſtatum Religioſum, invitarit, & cohortatus ſit, uti patet ex textu *Matth. 19. Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis Theſaurum in Cælo, & veni, ſequere me.* Et ulteriùs ex *Matth. 10. Nolite poſſidere aurum, & argentum &c.* & illo *Lucæ 4. Niſi quis renunciaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*; quibus verbis de *paupertate* inſt. conſtat. *De caſtitate* patet etiam ex *Matth. 19. ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum Cælorum. De obedientia* item per quàm quis ſeipſum, & propriam voluntatem abnegat ex *Matth. 16. Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum &c.* Porrò religio à Chriſto Domino inſtituta, eo invitante, & hortante, ſtatim ab initio Eccleſiæ ab ipſis Apoſtolis, ac aliis Chriſti diſcipulis fuit ſuſcepta, qui emiſſis priùs enumeratis votis veram vitam religioſam duxerunt, verique religioſi exiſterunt; prout docent S. Chryſoſtomus *lib. 3. contra Monaſt. vitæ vituper.* S. Hieronymus *in lib. contra Jovinian.* Hieronymus Plati *de bono ſtatus relig. lib. 2. cap. 2.* Miranda *tom. 1. quæſt. 3. art. 1.* Joannes Gerſon, D. Thomas Hyacinthus, Donatus Engel, Tamburinus, Suarez apud Reiffenſtuel *in lib. 3. decret. tit. 31. num. 19.* Idque probant ex illo Matth. 19. ubi poſtquam Chriſtus requiſita ad ſtatum religioſum alicui propoſuit, S. Petrus nomine Apoſtolorum indicavit, hunc ſtatum ſe jam aſſumpſiſſe, dicendo: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*, vivendo in obedientia, ſine proprietate, & in caſtitate. Huc facit etiam illud ex *actis Apoſt. cap. 4. Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una; nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.* Quamvis autem Chriſtus religionem quoad ſubſtantiam inſtituerit; nihilominùs plures religiones ſecundùm certas regulas, religionis ſubſtantiæ ſuperadditas, certumque modum vivendi præfatæ ſubſtantiæ adjectum, ab hominibus, viris utique perfectis fuere inſtitutæ, & ab Eccleſia approbatæ, ita ut quævis earum peculiarem Fundatorem, ac Inſtitutorem habeat. Ita omnes apud *Reiffenſtuel cit.*

### §. II. *Religionum diverſitas.*

108 QUamvis omnes, ac ſingulæ Religiones in eſſentialibus conveniant, nihilominùs multùm inter ſe accidentaliter differunt, præcipuè verò in duobus: videlicet. I. In fine proprio, ac particulari, ad quem quævis ſpecialiter à Fundatore eſt inſtituta. II. In mediis particularibus, quibus quælibet utitur ad tria vota ſubſtantialia exactè obſervanda, & ad finem tam principalem, quàm particularem meliùs obtinendum. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt. 188.* cum communi, & patebit ex ſequentibus.

109 I. Nam Religio I. Dividitur in *contemplativam, activam, & mixtam. Contemplativa* eſt, quæ præter obſervationem trium votorum ſubſtantialium, ex ſuo fine particulari ad vitam contemplativam principaliter ordinatur, & potiſſimùm ſe exercet in contemplatione rerum Divinarum. Religio *activa* eſt, quæ ex fine ſuo particulari principaliter ordinatur ad vitam activam, opera nempè miſericordiæ, & charitatis erga proximum exhibenda. Religio mixta eſt, quæ utramque includit, eò quòd ex fine ſuo particulari tam ad vitam contemplativam, quàm activam; ordinetur. Ita cum communi Miranda, Pirrhing, Sannig, & alii.

Religio II. Alia eſt *Clericalis*, alia *Monachalis*, alia *Mendicans*, alia *Militaris*. Religio *Clericalis* eſt, quæ vi ſuæ inſtitutionis principaliter ordinatur ad chorum, Divina myſteria exactè peragenda, cultumque Divinum promovendum, cum aliqua mixtura vitæ contemplativæ, & activæ: in hac religione vivunt Canonici Regulares. Religio *Monachalis* eſt, quæ vi ſuæ inſtitutionis, & in fine ſuo particulari ad vitam contemplativam, & ſolitariam principaliter ordinatur, quia *Monachus* idem ſignificat, ac *Solitarius*. Hinc S. Hieronymus *in Can. ſi cupis 5. cauſa 16. quæſt. 1.* ad Paulinum Monachum ait: *ſi cupis eſſe, quod diceris Monachus, id eſt ſolus, quid facis in urbibus, quæ utique non ſunt ſolorum habitacula, ſed multorum?* Tales ſunt Benedictini, Ciſtercienſes, Carthuſiani &c. *Religiones Mendicantes* ſunt, quarum religioſi ex primæva ſua inſtitutione ad vitam mixtam deſtinati, & juxta paupertatem ſuæ regulæ, nulla poſſident bona immobilia, contenti iis, quæ vel mendicantur humiliter, vel donantur liberaliter, vel honeſto labore, & induſtria acquiruntur; quamvis hodiè ab Eccleſia in *Concil. Tridens. ſeſſ. 25. de regularibus cap. 3.* conceſſum ſit omnibus religionibus tam virorum, quam mulierum, etiam mendicantibus (exceptis Capuccinis, & Franciſcanis, ſeu Fratribus Minoribus de obſervantia, qui nullius omninò rei nec in communi, nec in particulari dominium habent) bona immobilia, dominiumque rerum habere in communi. Itaque religiones mendicantes *cap. unic. de religioſ. domibus in 6.* ſunt religio *Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum*; quibus ſucceſſu temporis ab aliis Summis Pontificibus annumerati ſunt Patres Societatis; Cajetani, Paulani, ac plures alii. *Religiones Militares* ſunt, quæ ex fine ſuo particulari principaliter ordinantur ad militandum pro defenſione Religionis Chriſtianæ, & Eccleſiæ Catholicæ. Tales ſunt Ordo Melitenſis, Ordo Teutonicus, ac plures alii. Vide Rodriquez *tom. 1. quæſt. 5.* Suarez *tom. 4. de relig.* Reiffenſtuel, Pirrhing, Barboſam, Mirandam, & alios. 110

III. Quamvis plurimæ ſint Religiones, tamen omnes ſub quatuor principalibus regulis, videlicet *S. Baſilii, S. Auguſtini, S. Benedicti, & S. P. N. Franciſci* militant exceptis PP. Societatis Jeſu, PP. Minimis, & Carthuſianis, qui in pluribus, quatuor præfatis regulis, ſeſe accomodantes, propria ſtatuta, & particulares conſtitutiones ſuas pro regulis habent. Ita Barboſa *lib. 1. juris Eccleſ. univerſ. cap. 41. num. 20.* Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 2. num. 3.* Pirrhing *tit. de regularibus num. 25.* eoque teſte communis DD. 111

IV. Quod attinet regulam S. P. N. Franciſci, illam S. Franciſcus non tam inſtituit, quàm executioni mandavit, ejuſque executor potiùs, quàm inſtitutor aut fundator fuit; ſiquidem non ipſemet eam adinvenit, ſed immediatè à Deo revelatam ac dictatam accepit: prout non tantùm ipſemet ſanctus Pater noſter ſæpè eſt faſſus, ſed & plures Pontifices conteſtati ſunt, inter quos Nicolaus III. *cap. exiit de V. S. in 6.* quod ipſum etiam S. Birgittæ aliquando revelavit Chriſtus illis verbis: *Iſtius Franciſci regula, quam ipſe incepit, non fuit dictata, & compoſita ab ipſius humano intellectu, & prudentia, ſed à me ſecundùm meam voluntatem, quodlibet ejus verbum, quod in ea ſcriptum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Vvadingus *ad annum 1223. num. 13.* Dominicus de Gubernatis *in Orbe Seraphico tom. 1. lib. 1. cap. 9.* Incepit autem Religio S. Franciſci 1208. ſub Innocentio III. qui eandem, ſolo tamen vivæ vocis Oraculo confirmavit; quàm proinde Honorius III. per ſpecialem Bullam: *ſolet annuere*, Anno 1223. Sicut, & ejuſdem regulam à Chriſto immediatè dictatam in 12. Capitulis conſiſtente approbavit, & confirmavit; quæ adeò crevit, ut teſte Ludovico Granatenſi *Con. I. de S. P. Franciſco*, numero Provinciarum, Monaſteriorum, & Fratrum ſuperet omnes Religiones, & Ordines ſimul ſumptos, quod idem Hieronymus Plati Societatis Jeſu *lib. 2. cap. 22. & 24. de Propagand. relig.* & alii teſtantur, veritate in facto teſtimonium perhibente. Igitur ſub hac S. Franciſci Religione, ejuſque Sanctiſſima divinitùs tradita regula, militant imprimis Fratres Minores Franciſcani, illi, qui dictam regulam ad litteram obſervant, quorum alii vocantur *Obſervantes*, ſcilicet regulam, alii vocantur *Recollecti*, alii *Reformati*, alii *Diſcalceati*, qui omnes ſub uno, eodemque Generali Miniſtro vivunt, qui Miniſter Generalis de Obſervantia legitimè utitur titulo, & Sigillo cum inſcriptione *Miniſtri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum*, id per ſpecialem Bullam definiente Leone X. quod de novo ſervari mandavit Sacra Rituum Congregatio die 22. Martii Anno 1631. id autem jure merito pro ipſo decretum eſt: quia ipſe continua, & non interrupta ſerie à S. Franciſco 112



Digitized by Google

ciſco deſcendit, & ipſi Fratres de Obſervantia, & Reformati, ut in conſtitut. *Licèt aliàs &c.* declarat Leo X.) veri & indubitati Fratres Ordinis B.Franciſci, & ejus regulæ obſervatores ſemper fuerunt, ac Divina favente gratia ſunt futuri, ſine aliqua interruptione ſeu diviſione, à tempore editæ regulæ per B.Franciſcum, uſque ad præſens. Sub eadem S. Franciſci regula etiam militant *PP. Capuccini*, ſed habent Generalem alium à Generali totius Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia, à quibus præciſè ſunt diverſi in ſtatutis particularibus accidentalibus. Sub præfata regula etiam militant *PP. Conventuales*, ita tamen, ut eam non ad litteram, ſed cum certis diſpenſationibus Apoſtolicis obſervent. Rurſus ſub S. Franciſco etiam militant Moniales *Clariſſæ*, à S. Clara ſic dictæ, ſervantes, non quidem eandem cum Fratribus Minoribus, ſed aliam à S. Franciſco tamen inſtitutam Regulam. Tandem ſub eodem Sancto Patriarca Franciſco militant etiam *Tertiarii*, à tertia regula ſic nuncupati; ſiquidem S. Franciſcus tres Ordines inſtituit, ſub tribus diverſis regulis. Primus fuit Ordo *Fratrum Minorum*. Secundus fuit *Clariſſarum*; & Tertius fuit Ordo *Tertiariorum* tam pro viris, quàm pro fœminis, tam ſolutis, quàm ligatis inſtitutus; vocatur etiam Ordo *Pœnitentium*, & viventes in eo, *Fratres*, *& Sorores de Pœnitentia*: eò quòd pœnitentiam agere volentibus ſpecialiter etiam à S. Franciſco fuerit intentus.

### §. III. *Novitius Religionis*

113 NOn poteſt eſſe quilibet, ſed ille tantùm, qui requiſitas à jure qualitates habet, & defectibus à jure impedientibus caret. Ita unanimis, & certa DD. Sententia: Patebitque inductione, qua requiſitas à jure qualitates, & defectus à jure impedientes recenſebimus. Itaque

114 I. Requiritur, ut habeat debitam ætatem, nimirùm pubertatis. Ita Sylveſter *V. religio 5. quæſt.* 1. Hyacinthus Donatus *tom.* 2. *tract.* 1. *quæſt.* 7. *num.* 1. Pirrhing, Pellizzarius; & communis aliorum apud Reiffenſtuel *in lib. 3. decret. tit. 31. num. 68. ex cap. ad noſtram 8. & cap. cùm virum 12. de regularibus*. Ratio eſt: quia hac ætate primùm diſcretio rationis, libertas arbitrii, & vires adveniunt ad auſteritatem Religionis probandam; præſertim verò, an etiam continentiam ſervare quis valeat, quod ante pubertatis annos ſatis experiri nemo poteſt. Nec obſtat Concil. Trident. *ſeſſ. 25. de regul. cap.* 15. requirens ad validam profeſſionem annum decimum ſextum completum; quia per hoc non prohibet, quin annus Novitiatus citiùs inchoari poſſit, ſed tantùm, ne ante illam ætatem emittatur profeſſio. Pariter non obſtat idem Concilium *eadem ſeſſione cap* 16. ſtatuens, ut expleto anno Novitiatus Novitius aut ſtatim ad profeſſionem admittatur, aut ſtatim è Monaſterio ejiciatur; quia intelligenda eſt illa diſpoſitio Tridentini. niſi juſta ſubſit cauſa profeſſionem differendi, prout declaravit S.Congregatio Concilii, & cum aliis benè obſervat Pirrhing *tit. de regular. num.* 27. Ea quo etiam conſequitur, eum, qui cupit eſſe Novitius in aliqua Religione, debere eſſe rationis benè compotem; nam mente captus, aut furioſus nequit recipi ad Religionem, *ex cap. ſicut tenor 15. de Regularibus &c.*

115 II. Requiritur, ut non ſit alteri obligatus; adeòque I. Debet eſſe *liber*, *non ſervus*. Communis ac certa ex *can. fin. cauſa 17. quæſt. 2. & Can. qui veri 12. cauſa 16. quæſt.* 5. ibi: *Neminem ſervorum ſuſcipi in Monaſterium, niſi cum Domini proprii licentia*. II. Non debet eſſe obnoxius ratiociniis ſive publicis, ſive privatis; niſi priùs à ratiocinio dignoſcatur abſolutus. Iterum communis, ac certa *ex Can.* 1. *diſt.* 53. ac conſtitutione Sixti V. *cùm de omnibus*, & Clementis VIII. *Regularis diſciplinæ*, qui univerſaliter prohibuere, ne reddendis ratiociniis obnoxii, & obligati recipiantur. Eſt autem *ratiocinium* redditio rationis conſurgens ea adminiſtratione rei publicæ, vel privatæ. III. Non debet eſſe nimis gravatus ære alieno, talis enim, niſi priùs ſolvat, ſuſcipi non poteſt. Ita citatæ conſtitutiones Sixti V. & Clementis VIII. docentque omnes. Ratio eſt: quia ingreſſus ad Religionem eſt tantùm conſilii, ſolutio debitorum autem eſt de præcepto, quod ob opus conſilii negligi non poteſt. Vide de hac re Patritium Sporer *tract. Prælim. ad præcept. 2. Tab. cap. 4. ſect. 4. §. 6. num. 99. & ſeqq.* IV. Non debet habere tales parentes, qui jam actu ſunt, vel ingrediente Religionem filio, brevi erunt in gravi, vel extrema neceſſitate, ſuppoſito, quòd in ſæculo manens à tali neceſſitate eos liberare, vel præcavere poſſit. Ita cum D. Thoma, Miranda, *tom. 5. quæſt. 17. art.* 8. Rodriquez *tom. 3. quæſt. 13. art.* 5. & communis aliorum *ex Can. 1. diſt.* 3. Ratio eſt: quia propter opus conſilii, quale eſt ingredi Religionem, omitti non poteſt opus præcepti, quale eſt, in neceſſitate præfata parentibus ſuccurrere. Si verò parentes non ſint in gravi neceſſitate, poſſunt liberi invitis parentibus ingredi Religionem. Ratio eſt: Quia ad eligendum ſtatum non eſt neceſſarius conſenſus parentum ex *cap. cùm virum 12. de regular.* ibi: *tunc enim, quia liberum habet arbitrium in electione propoſita, ſequi parentum non cogitur voluntatem*: præſertim ubi Divina urget vocatio. Nec curandæ ſunt lamentationes aut minæ parentum, ſed potiùs fortiter contemnendæ juxta conſilium D. Hieronymi *in Epiſt. 1. ad Heliod. per calcatum perge Patrem, per calcatam perge matrem; ad vexillum Crucis evola. Nam Summum genus pietatis eſt, in hac re fuiſſe crudelem*. Illud tamen cum Rodriquez *tom. 3. quæſt. 13. art.* 5. Miranda, Navarro, Donato, Barboſa, ac aliis apud Reiffenſtuel *cit. num.* 79. notandum; quòd, etſi proles abſente propriæ animæ periculo Religionem ingrediens, relicto parente in gravi neceſſitate peccet graviter, profeſſio tamen ſubſecuta ſit valida. Ratio eſt: quia nullo jure irrita, ſed tantùm illicita declaratur.

III. Requiritur, ut corpore non ſit multùm vitiatus, 116
aut deformis, quales ſunt cæci, muti, ſurdi, deformiter claudi, aut gibboſi, Hermaphroditi, vel alio notabili corporis defectu laborantes. Ita communis ex *toto titulo, de corpore vitiatis*. Cùm enim ibidem corpore vitiati repellantur ab Ordinibus, & ſtatu Clericali ſæculari; multò magis arcendi erunt à ſtatu Religioſo, utpotè illo perfectiore. Huc Doctores communiter reducunt lepra, morbo caduco, aut Gallico affectos; item omnes ita infirmos, aut debiles, ut onera Religionis portare, aut munera ejus obire non valeant. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 189. *art.* 10. & alii. Ratio eſt: quia *turpis eſt pars, quæ non congruit ſuo toti*, quod fieret in ſimili caſu.

IV. Requiritur, ut non ſit criminoſus, aut infamis. 117
Ratio eſt: quia ita ſtatuere Pontifices Sixtus V. & Clemens VIII. apud Reiffenſtuel cit. *num.* 71. & 80. Ex quo infertur, Lictores, carnifices, hiſtriones &c. Item qui homicidium, furtum, latrocinium, vel alia ſimilia, aut graviora crimina commiſerunt, vel de iis ſuſpecti exiſtunt, recipi ad Religionem non poſſint. Denique non poteſt ingredi Religionem, qui caret conditionibus requiſitis juxta cujuſque Religionis regulas, & ſtatuta. Qualiter autem alii, ut conjuges conſummato Matrimonio ligati, item defloratores Virginis ſub promiſſione etiam ficta Matrimonii, impediantur ab ingreſſu Religionis, videri poteſt P. Patritius Sporer de *Matrimonio cap. 1. ſect. 4. num.* 407. & *ſect. 2. num.* 245. Quapropter Superiores Religionum, qui volunt aliquem ad Religionem, & Novitiatum recipere, tenentur per ſe, vel per alios Religioſos à ſe deputatos capere informationem, & indagare circa qualitates de jure communi, & conſtitutionibus Pontificiis requiſitas in recipiendis ad Religionem. Ita ſtatuere Sixtus V. & Clemens VIII. apud Reiffenſtuel *cit. num.* 82. & *ſeqq.* niſi tamen jam aliunde de aliquibus conditionibus ſatis, ac notoriè conſtaret; enim verò de quibus ſufficiens habetur notitia, fruſtranea cenſetur indagatio; cùm hæc ea natura ſua feratur ad rem occultam inveſtigandam. Pelliz. *tract. 2. cap. 3. num.* 4. citans Suarez *tom. 4 de relig. tract. 10. lib. 2. cap. 3. num.* 3. Marchant. *in expoſit. regul. cap. 2. textu 2. quæſt. 3. concl.* 1. Rodriquez *tom. 3. quæſt. 54. art. 4. & alii*.

Petes; *Quænam adhuc ſint obſervanda circa Novitios?* 118
Reſp. I. Novitii intra annum probationis pro libitu Religionem deſerere, & ad ſæculum redire valent. Miranda *tom. 1. quæſt. 22. art.* 8. Fagnanus, Pirrhing cum communi, & certa aliorum ex *cap. Conſulti* 20. & *cap. Statuimus* 23. *De regularibus*, ibi: *Statuimus, Novitios in probatione poſitos, ante profeſſionem emiſſam, ad priorem ſtatum redire poſſe liberè*, id eſt etiam non petita, & habita licentia Superiorum, hoc enim dictio *liberè* ſignificat *arg. cap. licèt Epiſc. de prabendis in 6. & cap. de multa 28. de prabend.* Ratio ibidem habetur: *cùm quilibet poſſit renunciare ei, quod pro ſe noſcitur introductum*. Quid verò dicendum ſit de vovente religionem, videatur Patritius Sporer *tract. 2. in 2. præcept. Decalog. cap. 2. ſect. 4. §. 3. num.* 156.

Reſp. II. Novitius abſque legitima cauſa ab Ordine ex- 119
pelli nequit; quòd, ſi ſine juſta cauſa ejiciatur, ejicientes graviter peccant, & Novitius appellare poteſt ad Superiorem, qui injuſtè ejectum reſtituere debet in integrum. Card. de Luca de *benefic. diſc. 97. num. 16. allegans deciſionem Rotæ 882. apud Merlin. Pellizarius tract. 2 cap. 7 num. 60. Pirrhing tit. de regular. num. 78. Pignatell. tom. 4. conſult.* 201. *num.* 3. allegans repetitas declarationes Cardinalium, & communis apud Reiffenſtuel *cit. num.* 114. Ratio evidens eſt: Tum quia legitimè ſuſceptus acquirit jus ad rem, nempè profeſſionem, quo ſine legitima cauſa privari nequit: Tum quia injuſtè; & ſine cauſa juſta ejectus patitur notabile gravamen, jacturam nempè famæ, & honoris, ab injuſto autem

gra-

gravamiue utique datur appellatio. Hinc communiter etiam docent Doctores apud P. Sporer *tract. 5. in 5. Præcept. Decalog. cap. 1. ſect. 4. num. 538. & ſeqq.* quòd abſque juſta cauſa denegans Novitio votum ad profeſſionem, peccet mortaliter, ſicut è contra votum indigno tribuens; eo quòd in primo caſu gravem injuriam inferat Novitio, in ſecundo verò Religioni. Et quamvis eadem Sacra Congregatio apud Pignatellum *loc. cit.* etiam declaravit Moniales cenſuris ab Epiſcopo cogi non poſſe ad exprimendas cauſas, ob quas Novitiam ejecerint, vel ad profeſſionem non admiſerint, nihilominùs cenſuit, poſſe per loci Ordinarium ſecretò interrogari Moniales de cauſis, illiſque juſtis repertis, monere conſanguineos Novitiæ, ut à cauſa deſiſtant: inventis autem cauſis inſufficientibus, monere Moniales, ut ab injuſto propoſito deſiſtant; quæ, ſi pertinaciter reſiſtant, Sacram Congregationem regularium informare debet.

120 Reſp. III. Novitii gaudent omnibus privilegiis Religionis, quam intrarunt. Pelliz. *in Manual reg. tom. 1. tract. 2. cap. 7. num. 1.* Suarez *tom. 4. de regular. tract. 10. lib. 9. cap. 1.* Pignatellus, Diana, Pirrhiug, Reiffenſtuel *cit. num. 125.* cum communi. Ratio eſt: Tum quia licèt Novitius in effectu nondum Religioſus ſit, tamen in favorabilibus Novitii veniunt nomine Religioſi, *arg. cap. religioſi 21. §. Quamvis, de ſentent. excom. in 6.* tum quia Novitii ſub poteſtate Religionis, & ſuo modo ſuſtinent onera illius: ergo dignum eſt, ut privilegia ejuſdem participent, juxta *regulam 55. juris in 6. Qui ſentit onus, ſentire debet, & commodum.* Hinc gaudent etiam privilegio fori, & Canonis, textu expreſſo *cit. cap. religioſi de ſentent. excomm. in 6.* Gaudent Indulgentiis, quibus gaudent profeſſi. Pelliz. *loc. cit.* Portel. *de dubiis regular. verſ. Novitius num. 54.* ob rationes pro Concluſione allatas, inſuper Novitii ſpecialiter habent Indulgentias plenarias, quando Sacro habitu induuntur ex conceſſione Pauli V. per Bullam: *Romanus Pontifex 23. Maii 1606.* Ex his infert Hyacinthus Donatus *tom. 2. tract. 6. quæſt. 22.* quòd Novitii ſoli de more recitantes in choro horas Canonicas ſatisfaciant præcepto, loco profeſſorum, dummodò tot numero adſint, quot requiruntur ad conſtituendum corpus, ſeu communitatem, ſive Collegium, videlicet tres ſaltem, quia *tres faciunt Collegium.*

121 Reſp. IV. Novitius poteſt retinere Beneficium; & percipere ejus fructus, donec emittat profeſſionem. Ita omnes *ex cap. Beneficium 4. de regularibus in 6.* ibi: *Beneficium illius, qui Religionem ingreditur, non eſt intra probationis annum alicui conferendum*, & cùm textus indiſtinctè ſonet, intelligendus eſt de omnibus beneficiis majoribus, & minoribus, curatis, & ſimplicibus. Ita Barboſa in cit. *cap. Beneficium 4. de regularibus in 6.* Sanchez *lib. 7. Moral. cap. 4. nu. 3.* Pirrhing *tit. de regular. num. 71.* Reiffenſtuel *cit. num. 117.* Ratio eſt; ne impediatur egreſſus libertas, dum Novitius conſiderat, quòd Beneficio, ejuſque redditibus jam privatus ſit, & forſan aliunde ſuſtentationis media difficulter habere poſſit. Attamen quamdiu Novitius in probationes exiſtit, debet eidem Beneficio interim per alium deſerviri, aſſignata ſibi congrua de ipſius proventibus portione, uti expreſsè ſtatuitur *cit. cap. Beneficium 4. de regularibus in 6.* Cujus congrua quantitas ab Epiſcopo determinari debet, gloſſa *ibidem V. Interim.* Barboſa *loc. cit. num. 8.* Pirrhing *cit. num. 76.* Sanchez *lib. 7. cap. 4. num. 14.* Reſidui verò fructus reſervandi ſunt, atque reſtituendi Novitio tanquam vero Beneficiato, ſi exeat: Sanchez *cit. num. 19.* Pirthing *cit. num. 76.* Si verò profiteatur, reſtitui debent Eccleſiæ, vel ad cauſas pias applicari, utpotè fructus merè Eccleſiaſtici ſuperflui juxta dicta à P. Sporer *tract. 6. in Decalog. cap. 5. ſect. 2. num. 99.* Conſequenter non Monaſterio, ut vult Sanchez, & Pirrhing *loc. cit.* contra quos pro nobis etiam ſentit Gloſſa *in cit. cap. Beneficium*, & ibi Joannes Andreas ad finem. Ita Reiffenſtuel *cit. num. 119.* Sed nunquid etiam Monaſterium reputatur inter cauſas pias?

122 Reſp. V. Novitio ſpontè egredienti, vel ex cauſa ejecto debent non tantùm omnia, quæ ſecum tulit, iterùm reſtitui, ſed etiam ea, quæ ipſe, vel parentes, & conſanguinei, vel alii de bonis ejuſdem Monaſterio donarunt, iterum reddi, excepto eo, quod datum eſt pro victu, & veſtitu. Ita Sanchez, Azorius, Pellizarius, Tamburinus, Barboſa cum communi, ac certa aliorum apud Reiffenſtuel *cit. num. 120.* & clarè habetur in Concil. Trident. *ſeſſ. 25. de regularibus cap. 16.* ubi etiam ſub pœna excommunicationis prohibetur, ne quid de bonis Novitii ante profeſſionem detur, vel accipiatur. Excipit tamen Sanchez *lib. 7. cap. 5. num. 22.* Res, quæ attentis facultatibus Novitii ſunt modici momenti, eo quòd in his ceſſet finis, & ratio legis Concilii Tridentini; cùm per carentiam rerum modicarum Novitii libertas ad egrediendum non lædatur: eadem ratione tempore ingreſſus modica eleemoſyna de bonis Novitii licitè, & validè abſque reſtitutionis onere datur Monaſterio. Sanchez *loc. cit.* Azorius *tom. 1. lib. 13. cap. 9. num. 2.* idem eſt de convivio, & aliis conſuetis modicis Honorariis in ingreſſu dari ſolitis. Rurſus licitum eſt parentibus, conſanguineis, tutoribus Novitiorum aliquid etiam majoris momenti de propriis ſuis rebus Monaſterio in ingreſſu, vel tempore Novitiatus ante profeſſionem donare, dummodò id exprimant, & licitum eſt Monaſterio id recipere abſque onere reſtitutionis. Ratio eſt: quia Concilium Trident. cit. tantùm prohibet, ne de bonis Novitii aliquid detur. Utrùm autem etiam habitus probationis Novitio reſtituendus ſit, ſi exeat, diſtinguendum eſt, ſi habitus pretio Novitii comparatus fuit, declaravit S. Congregatio Concil. Trident. non quidem habitum ipſum, ſed tamen pretium illius debere reſtitui Novitio. Barboſa *in cap. ſuper eo, de regular. num. 5.* Pellizarius *tom. 1. tract. 2. cap. 6. num. 28.* qui benè addit, debere reſtitui pretium illud ſolùm, quo æſtimatur habitus tempore diſceſſus. Sin vero habitus ſit comparatus non ſumptibus Novitii, utpotè pauperis; ſed ex eleemoſynis piarum perſonarum eo fine datis, ut habitum comparare, & ſolvere poſſit Novitius, Monaſterium ad reſtitutionem pretii Novitio faciendam non teneri, benè ex Peyrin. *de R. P. quæſt. 3. cap. 1. § 4. num. 108.* docet Pellizarius *loc. cit. num. 29.* Ratio eſt: quia tunc ceſſat finis, ob quem ingredienti Religionem eleemoſynæ datæ ſunt, cenſenturque Donatores potius Monaſterio utpotè cauſæ piæ, quàm Novitio egredienti eas relinquere.

Reſpond. VI. Novitii neque ad tria vota, neque ad 123
Præcepta, neque ad Statuta, neque ad horas Canonicas per ſe, directè, ac ſub culpa tenentur. Ita Suarez *lib. 6. Moral. cap. 10. num. 7.* Rodriquez *QQ. regular. tom. 1. quæſt. 21. art. fin.* Sylveſter, Pirrhing, Pellizarius, Reiffenſtuel, & communis aliorum. Ratio eſt: quia novitii nec ad tria vota, nec ad aliam obſervantiam regularem ſe obligarunt, ſed ſolùm adſunt probaturi, & experturi regularem obſervantiam. Nihilominùs ex honeſtate, & magna decentia ad præfata tenentur. Ratio eſt: tum quia *dignum eſt, ut qui ſimilem cum aliis vitam ſuſcipiunt, ſimilem ſentiant in legibus diſciplinam cap. Recolentes 3. de ſtatu Monach.* tum quia juxta dicta, novitii gaudent privilegiis Profeſſorum, ergo æquum eſt, ut ſentiat, & onera eorundem juxta *reg. 55. juris in 6. qui ſentit onus, ſentire debet, & commodum.* Inſuper tenentur novitii ſub pœna ad omnia præfata; ita ut eam pro exigentia tranſgreſſionis, & arbitrio ſuo eis imponere poſſit Superior, quamdiu in Religione manent, ac in ea perſeverare cogitant. Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 4. num. 3.* Pirrhing *tit. de regular. num. 69.* Reiffenſtuel *cit. num. 126.* & alii. Ratio eſt: quia natura probationis poſtulat, ut qui ſub perpetua obedientia, ac aliis Præceptis, & ſtatutis vivere probat, non tantùm in actibus obedientiæ probetur, ſed etiam tenetur, num poſitas pro tranſgreſſoribus pœnas ſuſtinere, ſuamque voluntatem, & judicium abnegare poſſit, ac velit; aliàs enim ſufficienter probari non poſſet.

Reſp. VII. Novitius ſpontè, vel coactivè egrediens ad 124
nullas tenetur expenſas in ſui victum, veſtitum, & in alia neceſſaria, ac conſueta à Monaſterio factas, niſi de earum ſolutione pactum interceſſerit inter novitium, & Monaſterium, aut legitima extet conſuetudo. Ita Sanchez *lib. 6. Moral. cap. 10. num. 4.* Sylveſter *verſ. religio 5. quæſt. 8.* Pellizarius *tom. 1. tract. 2. cap. 6. quæſt. 11.* Pirrhing *cit. num. 65.* Engel *tit. de regular. num. 5.* Reiffenſtuel *cit. num. 127.* cum communi aliorum. Ratio eſt: tum quia novitii juxta ſupradicta debent poſſe *liberè* redire ad ſæculum, ſi volunt; atqui ſæpè non poſſent liberè, ſi tenerentur ad expenſas, utpotè quas, vel non haberent, vel nonniſi difficulter dare poſſent, ſicque quodammodò coactè manere deberent. Tum quia redditus, vel eleemoſynæ Monaſterii non tantùm ad Profeſſos, ſed etiam ad novitios ordinantur: tum quia Religioni etiam exhibent ſua miniſteria: ergo dignum eſt, ut à religione, quamdiu ſerviunt, ſuſtententur. Nec refert, quòd expenſæ ſubinde excedant miniſterium Novitii; quia hoc prorſus per accidens eſt, nec Novitio daretur aliquid caſu quo labores ipſius excederent expenſas Monaſterii in ſui ſuſtentationem factas; prout facilè contingere poteſt. Dictum eſt: *niſi de earum ſolutione pactum interceſſerit, aut conſuetudo legitima extet* (prout in multis Monaſteriis Monialium contingit) tunc enim expenſas à Novitio ſolvendas eſſe, tam citati, quàm alii DD. communiter obſervant, arg. Concilii Trident. *ſeſſ. 25. de regular. cap. 16.* ubi prohibetur aliquid dare, vel accipere de bonis Novitii, *Excepto victu, & veſtitu*: Si enim pro hoc licet aliquid dare, vel accipere, licebit etiam paciſci, ut detur; quo facto, utique dandi erit obligatio; cùm pacta ſervanda ſint *cap. 1. & 3. de pactis.* Notant tamen Sanchez, Pellizarius, & Pirrhing *loc. cit.* Non poſſe impediri Novitium ab egreſſu, donec ſolvat; ſed ſi tunc non habet, aut ſolvere recuſat,

cuſat, cum poſtea convenire, & ſibi imputare debet Monaſterium, quod talem ſuſceperit.

125 Reſp. VIII. Circa Novitios etiam notandum eſt ſequens Decretum Concil. Trident. *ſeſſ. 25. de regular. cap. 16.* ſic ſonans, *nulla quoque renuntiatio, aut obligatio facta etiam cum juramento, vel in favorem cujuſcunque cauſæ piæ valeat, niſi cum licentia Epiſcopi, ſive ejus Vicarii, fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem, ac non aliàs intelligatur, effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione: aliter vero facta etiamſi cum hujus favoris expreſſa renuntiatione, etiam jurata, ſit irrita, & nullius effectus.* Ubi ſub nomine *renuntiationis, & obligationis* comprehenduntur omnes tam lucrativi, quàm oneroſi inter vivos contractus, quibus Novitii libertas Religionem deſerendi, aliquando lædi poſſe, prudenter præſumitur: adeòque comprehenduntur omnes donationes notabiles, remiſſiones debitorum, & obligationum notabilium, renuntiationes, & donationes jurium, privilegiorum &c. etiamſi fiant cum expreſſa, vel tacita conditione ſecuturæ profeſſionis. Sanchez *lib. 7. Moral. cap. 5. num. 17.* Navarrus, Miranda, Pirrhing, Layman *lib. 3. tract. 5. cap. 7. num. 8.* Reiffenſtuel *cit. num.* 135. & alii. Ratio eſt: quia Concilium Tridentinum univerſaliter quamlibet renuntiationem ſine præſcripta forma factam irritat. Non tamen ſub nomine *renuntiationis, & obligationis* comprehenduntur Teſtamenta, ac aliæ diſpoſitiones mortis cauſa, adeòque valent, ſive ante, ſive poſt ingreſſum Religionis fiant, etſi non condantur juxta formam in præfato Decreto præſcriptam: dummodò habeant cætera juris requiſita. Sanchez *cit. num. 12. & 13.* id aſſerens dubio carere. Miranda *tom. 1. quæſt. 23. art. 4.* Rodriquez *tom. 2. quæſt. 48. art. 9.* Navarrus, Leſſius, Donatus, Reiffenſtuel *cit. num.* 136. cum communiſſima aliorum. Ratio eſt: tum quia teſtamentum, ac aliæ diſpoſitiones mortis cauſa, puta codicilli, donationes mortis cauſa &c. nec renuntiationes, nec obligationes ſunt; nec in minimo lædunt libertatem Novitii, & conſequenter in eis ratio Decreti nullatenùs militat hoc ipſo, quod ex natura ſua ante Profeſſionem, & pro libitu à Novitio revocari valeant, uti citati DD. benè obſervant: tum quia pro hoc adeſt expreſſa Declaratio Cardinalium SS. Concilii interpretum apud Fagnanum. Poſſuntque Novitii condere Teſtamentum ante, vel poſt ingreſſum Religionis, in principio, medio, vel fine anni probationis, vel omninò non condere Teſtamentum, vel aliam ultimam voluntatem. Reiffenſtuel *cit. num.* 137. Nec ſub nomine *renuntiationis, & obligationis* comprehenduntur contractus oneroſi illi, vi quorum Novitius tantùm recipit, quantum dat, quales ſunt emptio, venditio, locatio. Ita Sanchez *lib. 7. Moral. cap. 5. num. 34.* Layman *lib. 3. tract. 5. cap. 7. num. 5.* Pirrhing, Donatus, cum communi apud Reiffenſtuel *cit. num. 140.* Ratio eſt: quia in his contractibus nec in minimo læditur libertas Novitii, hoc ipſo, quod recipiendo tantum, quantum dat, à parte rei nihil perdat. Plura vide apud Auctores cit.

126 Reſp. IX. Circa Novitias Moniales notanda etiam eſt diſpoſitio Concil. Trident. *ſeſſ. 25. de regular. cap. 17* ita ſonans: *libertati Profeſſionis Virginum Deo dicandarum proſpiciens S. Synodus, ſtatuit, atque decrevit, ut puella Profeſſionem non emittat, ante quàm exploraverit Epiſcopus, vel eo abſente, vel impedito, ejus Vicarius, aut aliquis eorum ſumptibus, ab eo deputatus, Virginis voluntatem diligenter, an coacta, an ſeducta ſit? & quid agat, & ſciat? cujus Profeſſionis tempus ne Epiſcopus ignoret, teneatur Præfecta Monaſterii, eum ante menſem certiorem reddere: quod ſi non fieret, quamdiu Epiſcopo videbitur, ab officio ſuſpenſa ſit.* Quæ diſpoſitio Concilii tangit Superiores Monaſteriorum *etiam exemptorum*. Hac de re etiam ſequentia ſtatuit S. Pius V. teſte Barboſa *in Concil. Trident. loc. cit. Volumus etiam quod puellarum Deo dicandarum, an ſcilicet coactæ, vel ſeductæ fuerint? examen faciendum nonniſi infra quindecim dies, poſtquam juxta Concilium Tridentinum Epiſcopi, vel eorum Vicarii requiſiti fuerint, fieri poſſit, quibus elapſis ampliùs in hoc ſe intromittere illis non liceat: cujus occaſione, nec Epiſcopus, nec ejus Vicarius intra ſepta Monaſterii ingrediantur, ſed ſtent ante ferream cratem, & interrogationes alias, quàm eas, quas Concilium præfatum jubet, ab eis fieri omnino prohibemus, ac ſimul volumus, quòd puella, ſeu Novitia ipſa ad aliis interrogationes minime teneantur.* Ita S. Pius V. in ſua 41. Conſtitutione: *etſi Mendicantium*, quæ habetur *tom. 2. Bullarii Romani*. Et quamvis Concil. Tridentinum cit. velle videatur, ut bina vice taliter exploretur voluntas puellæ Monaſterium ingredientis, nempè ante ingreſſum Religionis, & rurſus ante profeſſionem: atque ita declaraſſe S. Cardinalium Congregationem referat Thomas Zerola *part. 1. praxis Epiſcopalis, V. Monialis num. 1.* Nihilominùs conſuetudine in pluribus locis receptum eſſe, ut exploratio voluntatis puellæ ſemel tantùm fiat, nempè ante emiſſam profeſſionem, teſtatur Miranda *in tract. de Monialibus quæſt. 8. art. 4.*

Reſp. X. Novitii, etiam Ordinis noſtri poſſunt validè 127 confiteri, & abſolvi à peccatis, etiam intra Ordinem reſervatis, abſque licentia Prælatorum Ordinis, per Sacerdotes tam regulares, quàm ſæculares, per quos potuiſſent abſolvi, ſi in ſæculo permanſiſſent. Ita Rodriquez *tom. 1. quæſt. 22. art. 11.* Miranda *tom. 2. quæſt. 34. art. 16.* Portel. *V. Novitii abſolutio*, Lezana, Diana, cum aliis apud noſtrum P. Kerckhove *in ſtatuta Gener. cap. 1. §. 7. num. 4.* Ratio eſt: tum quia Novitii ante profeſſionem non ſunt verè, & realiter Religioſi, licèt favoribus Religionis fruantur, ſed quoad hoc ſunt inſtar ſæcularium: ergo ſi confiteantur approbato ab Ordinario, valida erit Confeſſio. Tum quia Novitius non ligatur aliis ſtatutis, vel etiam punctis regulæ, ſic, ut ſi illa tranſgrediatur, graviter non peccet: ergo nec ligatur hoc ſtatuto de confitendo ſoli Novitiorum Magiſtro. Objectiones contra noſtram reſponſionem ſolutas, videre potes apud *Kerckhove cit.*

## §. IV. *Profeſſio Religioſa.*

P*Rofeſſio Religioſa* eſt promiſſio liberè facta, & legitimè 128 acceptata, qua quis in debita ætate conſtitutus, poſt annum probationis expletum ſe adſtringit certæ Religioni ab Eccleſiæ approbatæ. Eſtque duplex, *expreſſa* nempe, & *tacita*, ex *cap. 1. de regular. in 6.* Profeſſio expreſſa eſt, quæ fit verbis, vel ſcripto, vel utroque ſimul, vel etiam nutu, aut ſignis. Tacita eſt, quando quis ſine verbis, vel ſcripto, ſigno, vel facto alio externo, mentem ſuam obligandi ſe ad tria vota, & certam Religionem manifeſtat, de qua infrà. Itaque ad valorem Profeſſionis Religioſæ ut ſic requiruntur quatuor.

I. *Aptitudo voventis*; nimirùm, ut legitimam ætatem 129 habeat, videlicet annorum ſexdecim completorum: aliàs juxta Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25 de regular. cap. 15.* Profeſſio in quacunque Religione tam virorum, quàm mulierum eſt nulla. Item ut profitens nullum impedimentum habeat, quod, vel ſimpliciter, & in omni Religione, vel in tali ordine per conſtitutionem, à Papa confirmatam, ſubſtantiale, & profeſſionem non ſolùm illicitans, ſed etiam invalidans cenſeatur. Nam ſicut Matrimonium carnale nequit invalidari, niſi jure naturali, Divino, vel humano, eoque ſolo Papali: ita etiam ſe res habet in Matrimonio ſpirituali, ſeu Religionis per ſubſtantialia vota aſſumptione. Ita Navarrus *lib. 3. Conſil. 25. de Regularibus, edit. 1.* Rodriquez *tom. 2. Summ. cap. 6. Concluſ. 3.* Maſtrius *Theolog. Moral. diſp. 14 quæſt. 1. art. 1.* Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 6. num. 4.* & alii apud la Croix *lib. 4. num. 12.* Quænam verò impedimenta ſint tantùm illicitantia, ſeu impedientia, ne profeſſio licitè fiat: quænam verò ſint invalidantia, ſeu, ut ita dicam, dirimentia, quæ nimirùm faciant profeſſionem invalidam, difficultas eſt. Quantùm ad impedimenta inducta à particularibus cujuſcunque Religionis conſtitutionibus à Papa confirmatis, ſciet quælibet Religio, quænam ſint impedimenta invalidantia profeſſionem. Quantùm verò ad impedimenta jure communi inducta: imprimis certum eſt, quòd, ſi invalidè baptizatus profiteretur, hujus profeſſio eſſet invalida, poſſetque Religione egredi: quia nulla Religio intendit, imo non poteſt recipere quemquam, niſi verè baptizatum: cùm in non baptizatos nec Eccleſia, nec Religio habeat juriſdictionem. Ita *omnes*. II. Sixtus V. Statuerat, ut invalida eſſet profeſſio quorundam Criminoſorum; Item illius, de cujus vita, moribus, ætate non eſſet capta informatio: ſed Clemens Octavus reſtituit ejuſmodi profeſſioni valorem, relictis tantùm pœnis aliis contra Superiores, qui criminoſos, aut non præmiſſis informationibus aliquos admiſiſſent ad profeſſionem, uti refert Lugo *in reſponſ. Moral. lib. 4. dub. 1.* Kerckhove *in ſtatut. Gener. cap. 1. §. 1. num. 2.* III. Si Hermaphroditus, in quo uterque ſexus erat æqualis, fecerit profeſſionem, Sanchez *de Matrim. libr. 7. diſp. 106.* apud la Croix *citat. num. 23.* docet, hanc eſſe nullam; cùm enim ſit gravis indecentia, & periculum gravium abuſuum, credendum eſt, Eccleſiam non admittere talem profeſſionem, aut antecedenter velle, talem hominem eſſe incapacem. IV. Illegitimè nati, etiam ſpurii, non prohibentur à ſuſceptione habitus Religioſi, ſpectato jure communi ex *cap. 1. de filiis Presbyterorum*. Quorumdam tamen Ordinum, & Monaſteriorum Statuta tales ſuſcipi vetant. Ita Layman *libr. 4. tract. 5. cap. 10. num. 4.* Rodriquez *tom. 5. QQ. regular. quæſt. 13. art. 3.* Suarez, Sanchez, Miranda, Portel. Kerckhove *citat. num. 38.* quem vide. V. Ligatus Matrimonio conſummato nequit validè pro-

profiteri abſque alterius conjugis libera licentia, exceptis caſibus in jure exceptis. Kerckhove *cit. num.* 8. *ſeqq.* VI. Infectus morbo contagioſo, vel caduco, hoc eſt, infectus lepra, Paralyſi, lue venerea, ſeu morbo gallico, epyleplia, vel alia ſimili infirmitate, attento ſolo jure communi validè videtur profiteri. Ita Rodriquez *tom.* 1. *quæſt.* 17. *art.* 9. Miranda, Hieronymus, Rodriquez, & alii communiter apud Kerckhove *cit. num.* 18. contra Peyrinis. Ratio eſt: quia ægritudo etiam mortiſera non videtur annullare profeſſionem. VII. Servus propriè dictus ſeu mancipium de licentia Domini validè profitetur: At ſine licentia Domini, validè profiteri, negant probabiliùs Sanchez *in Decal. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 49. Peyrinis *tom.* 2. *quæſt.* 3. *cap.* 1. §. 2. *num.* 45. & alii apud Kerckhove *cit. num.* 29. contra Suarez. Ratio eſt: quia nemo poteſt alteri tradere, quod ſuum non eſt: aliàs poſſet etiam Uxor intrare Religionem invito marito, quod nemo dixerit. Et quamvis Jus Canonicum talem profeſſionem non irritet, eſt tamen irrita jure naturæ. VIII. Infames validè profitentur, quantùm eſt ex diſpoſitione Juris Communis, quia nullibi horum profeſſio irritatur. Ita Peyrinis *tom.* 2. *quæſt.* 3. *cap.* 1. *num.* 85. & Donatus *tom.* 2. *pars.* 2. *tract.* 3. *quæſt.* 2. IX. Profeſſio eorum, qui ingenti ære alieno ſupra vires ſuarum facultatum ſunt gravati, hodie eſt valida ex Bulla: *In ſuprema* Clementis VIII. Ita communiter omnes apud Kerckhove *cit. num.* 62. X. Filliucius neglecta Parentibus ſubveniendi obligatione validè, licèt graviter illicitè profitetur. Ita Rodriquez, Sanchez, & alii apud Kerckhove *cit. num.* 72. Ratio eſt; quia talis profeſſio nullo jure eſt irrita. XI. Obligati ad ratiocinia illicitè, attamen validè profitentur ob moderationem Clementis VIII. Vide Kerckhove *cit. num.* 8. XII. Advertendum etiam ex Fagnano, quòd licèt graviter peccent Superiores abſque examine Epiſcopi (de quo ſuprà reſpond. 9. *num.* 25. diximus) puellam ad profeſſionem admittentes, tamen profeſſio valida ſit, prout contra plures deciſiones Rotæ apud Pignatellum *tom.* 9. *conſult.* 173. *num.* 129. declaravit Sacra Congregatio apud Fagnanum. Ita Reiffenſtuel *in* 3. *Decret. tit.* 31. *num.* 185. Deinique Leſſius *in Auct. V. Profeſſio Religioſa, Caſ.* 9. apud La Croix *cit. num* 27. ait: quamvis in ſtatutis alicujus Ordinis dicatur, Ordinem non obligari retinere aliquem, qui in examine reticuerit certum aliquem defectum, id tamen videtur intelligendum tantùm pro tempore Novitiatus, vel ante profeſſionem; hinc ſi profiteatur etiam mala fide, non ideo profeſſio eſt invalida. Ita *Leſſius cit.* Sed intelligendus videtur, niſi talis defectus ſit, ex conſtitutionibus illius Ordinis à Papa confirmatis, impedimentum invalidans profeſſionem juxta ſupradicta.

130 II. *Annus Probationis integer*, & completus prærequiritur ad valorem profeſſionis ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *de regul. cap.* 15. ibi: *nec qui minori tempore, quàm per annum poſt ſuſceptum habitum, in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur: Profeſſio autem anteà facta ſit nulla, &c.* Et quidem hic annus debet eſſe continuus juxta communiſſimam apud Reiffenſtuel *cit. num.* 103. Imò juxta Fagnanum, eſt omnium ſcribentium in *cap. ad Apoſtolicam de regular.* Ratio eſt: quia juxta Concil. Trident. cit. Profeſſio illius dicitur irrita, qui non per annum ſteterit in probatione: generaliter enim, quando in jure certum aliquod tempus requiritur, intelligi debet de tempore continuo, niſi ex ſubjecta materia contrarium colligi poſſit, ut benè cum aliis notat Fagnanus *in cap. inſinuante, qui Clerici, vel voventes.* Si tamen Novitius de licentia ſui Prælati, & cum habitu intra annum probationis è Monaſterio exeat, & extra illud per aliquot tempus v. g. per duos, quatuor, aut ſex menſes ex negotii, vel ſanitatis, vel viſendi parentes, vel ſe recreandi cauſa &c. moretur, non interrumpitur annus, ſed poteſt eo expleto Novitius profiteri. Ita cum communi aliorum Miranda *tom.* 1. *quæſt.* 22. *art.* 5. Fagnanus *cit. num.* 38. Tamburinus, Navarrus apud Reiffenſtuel *cit num.* 107. Ratio eſt: tum quia Religioſus ubicunque de licentia, & ſub obedientia Superioris degit, in Monaſterio degere, fictione juris cenſetur. Tum quia nullo jure cavetur, ut Novitius toto probationis anno degat in Monaſterio. Illud etiam cùm Navarro, & Fagnano cit. notandum, quòd etſi Novitius poſt ſuſceptum habitum infirmetur, & per octo, vel decem menſes in lecto decumbat, nihilominùs elapſo anno validè profiteri valeat, ex *cap. ſicut nobis* 17. *de regular.* & docent teſte Navarro *lib.* 1. *Concil.* 32. *de regular.* Omnes DD. vide Reiffenſtuel *cit. num.* 108. Deinde annus probationis ſeu Novitiatus debet eſſe completus de momento in momentum. Ita Fagnanus in *cap. ad noſtram* 16. *de regular.* Miranda *tom* 1. *quæſt.* 22. *art* 3. *concl.* 1. dicens, hoc eſſe certum. Sanchez, Leſſius, Azorius, Barboſa, Navarrus, Sylveſter, Sanmig, Reiffenſtuel *cit. num.* 94. cum communi aliorum. Ratio eſt; quia Concil. Trid. cit. ad valorem profeſſionis requirit, *ne minori tempore, quàm per annum in probatione ſteterit.* Idipſum cenſuit Congregatio Cardinalium S. Concilii Tridentini interpretum, prout videre eſt apud Barboſam in *citat. textu Concil. Trident.* Refert eam etiam Fagnanus cit.

131 Nihilominus in caſu, quo Novitius, vel Novitia verſatur in probabili periculo mortis, dummodò decimum ſextum annum jam impleverit, poteſt validè fieri profeſſio ante annum probationis finitum. Ita Rodriquez *tom.* 3. *quæſt.* 15. *art.* 6. Miranda *tom.* 1. *quæſt.* 22. *art.* 10. Sanchez *lib.* 5 *Moral. cap.* 4. *nu.* 16. Bellizarius, Fagnanus, Reiffenſtuel *cit. num.* 182. Ratio eſt: quia S. Pius V. Bulla: *Summi Sacerdotis Cura*, hoc monialibus S. Dominici conceſſit his verbis: *Monialibus Novitiis nunc, & pro tempore exiſtentibus, & earum ſingulis, ut quando, & quoties aliqua ex iis nondum profeſſa, de alicujus Medici conſilio, ab hoc ſæculo tranſitura conſpicitur, ipſa pro conſolatione animæ ſuæ profeſſionem prædictam ante tempus requiſitum (quatenus tamen in ætate legitima conſtituta ſit) ad illam emittendam in manibus Abbatiſſæ, vel Prioriſſæ, vel alterius Superioris Novitiarum ipſius Monaſterii, ſeu domus, ita tamen, quòd ipſæ Moniales Novitiæ ſic decedentes Indulgentiam, & alias gratias, quas Moniales verè profeſſæ conſequuntur, conſequi poſſint, emittere in articulo mortis liberè, & licitè valeant, authoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus &c. nec non ita profeſſis decedentibus plenariam peccatorum ſuorum Indulgentiam in forma Jubilæi miſericorditer in Domino elargimur.* Quæ gratia licèt ſolis Monialibus S. Dominici ſit conceſſa, nihilominùs ob communicationem privilegiorum etiam ad alias Religiones extenditur, uti benè advertunt DD. citati. Nec eſt revocata, ut oſtendit *Rodriquez cit.* Si tamen Novitius, vel Novitia præter ſpem reconvaleſcat, tenetur ſic profeſſus, vel profeſſa reliquum Novitiatus abſolvere, & iterum profiteri. Ita Rodriquez *tom.* 1. *quæſt.* 55. Hieron. Rodriquez *reſol.* 101. Miranda *tom.* 1. *quæſt.* 22. *art.* 10. Portel. verſ. *Novitia num.* 5. Kerckhove *in ſtatut. Gener. cap.* 1. §. 11. *num.* 8. Reiffenſtuel *cit. num.* 183. & alii, quatenùs docent, quod in tali caſu Monaſterium non ſuccedat in bonis Novitii ſic profeſſi, ſed parentes, qui veniunt ab inteſtato; adeòque juxta hanc ſententiam non deberet Monaſterio ſolvi dos pro Novitia conſtituta, ſi ſic profiteatur. Ratio eſt: quia Pontifex tantùm conceſſit hoc privilegium pro ſpirituali conſolatione ipſius Novitiæ morientis, ut patet ex verbis modò citatis: *Ut pro conſolatione animæ ſuæ &c. Sic decedentes Indulgentiam, & alias gratias conſequi poſſint &c. Nec non ita profeſſis decedentibus plenam peccatorum ſuorum Indulgentiam in forma Jubilæi elargimur.* Adeòque non eſt mens Pontificis, ut vel Monaſterio, vel ipſe ſic profitens ſi ſupervivat, aliquod aliud emolumentum inde percipiat. Deinde ex verbis citatis hujus privilegii ſatis colligitur, quòd iſta profeſſio ſit tantùm conditionalis, nempè ſi ſic profitens tunc moriatur: dicit enim Pontifex: *ſic decedentes: ita profeſſis decedentibus*: ergo ſi non decedant, gratias iſtas non conſequuntur, adeòque non cenſentur abſolutè profeſſi. Denique pro hac ſententia adducit Lezana *tom.* 1. *cap.* 25. *num.* 39. declarationem Cardinalium ex Gavanto *in Manuali Epiſc.* verſ. *Monialium profeſſio num.* 4. & 5. Denique licèt dicat Concil. Tridentinum *ſeſſ.* 25. *de regular. cap.* 16. *Finito tempore Novitiatus, Superiores Novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut è Monaſterio ejiciant*, tamen hoc non obſtante poteſt ex juſta aliqua cauſa profeſſio differri ultra annum, ſi nempè finito anno Novitiatus non inveniantur habiles. Ita Rodriquez *tom.* 3. *quæſt.* 13. *art.* 10. Miranda *tom.* 1. *quæſt.* 25. *art.* 11. Barboſa *in cit. Concil. Trident.* plures alios allegans cum communi. Ratio eſt: quia Concilium Trident. cit. intelligendum eſt de *habilibus*, ibi: *quos habiles invenerint*, ita ut hos finito anno admittere, vel rejicere teneantur Superiores; conſequenter ſi finito Novitiatu, aliquem nondum habilem deprehendant, ejus profeſſionem differre poſſunt, uti teſte Rodriquez cit. declaravit S. Pius V. *dummodò habeant ſpem probabilem, quòd efficientur habiles intra ſex menſes*, prout expreſsè ſubjungitur in citata declaratione S. Pii V. quàm lege apud Rodriquez; qui apud noſtrum P. Kerckhove in *ſtat. Gener. cap.* 1. §. 11. *num.* 19. advertit, quòd Concilium Trident. cit. tantùm loquatur de Novitiis maſculis, non autem de Novititiis Monialium, ut ex littera ſatis patet, ibi: *Novitios, quos habiles invenerint*: nam quando de utriuſque generis Novitiis diſponere voluit, dixit: *Novitii, vel Novitiæ, & cap.* 15. *in quacumque Religione tam virorum, quàm mulierum.* Atque ita ſervat uſus, ait *Sanchez*: ſæpè enim Monialium profeſſio diutiùs differtur, donec dotem competentem habeant.

132 III. Ad valorem profeſſionis Religioſæ requiritur, ut fiat plenè deliberatè, & liberè, ſine errore circa ſubſtantiam, & ſine metu gravi ab extrinſeco injuſtè incuſſo; ad

extor-

Digitized by Google

extorquendum actum. Eſt unanimis DD. de quo videndus eſt P. Patritius Sporer *tract. 3. in 2. praecept. Decal. cap. 2. ſect. 1. num. 21. 26. & 29.* Item *tract. 6. in Decal. cap. 2. ſect. 3. num. 23. 83. & 118. ac ſeqq.* ubi ſufficienter hanc materiam pertractat, quò Lectorem remitto.

133 IV. Ad valorem profeſſionis requiritur conſenſus, & acceptatio illius vel illorum, ad quos ſpectat, aliquem ad profeſſionem recipere. Miranda *tom. 1. quaeſt. 24. art. 3.* Innocentius, & Abbas, ac alii Canoniſtae *in cap. Porrectum 13. de regul.* Pirrhing, Layman *lib. 4. tract. 5. num. 5.* Sanchez, Navarrus, cum communi, & certa aliorum *arg. cit. cap. Porrectum de regular.* ibi: *Et recipitur ab Abbate*, & *c. ad Apoſtolicam 16. de regular.* ibi: *Abbate per ſe, vel per alium profeſſionem recipiente*. Ratio eſt: quia profeſſio eſt onerοſus, & reciprocus contractus, ultrò citroque obligans, profeſſum quidem ad obſervantiam regularem: Religionem verò ad eundem alendum, & juxta Ordinis Statuta, & conſtitutiones tractandum; conſequenter conſenſus utriuſque requiritur, ſicut in aliis contractibus reciprocis. Reſidet autem de jure communi poteſtas recipiendi Novitios ad profeſſionem penes Superiorem Ordinis, praeſertim majorem, Generalem videlicet, aut Provincialem, ita tamen, ut prius neceſſariò requirere debeat Conventus, ſeu Capituli, aut Fratrum non tantùm conſilium, ſed, & conſenſum, prout cum communi, & probabiliori docet Miranda *cit. art. 4.* Rodriquez, Sanchez, Pellizarius, Layman, Pirrhing, apud Reiffenſtuel *cit. num. 168.* contra Abbatem, & paucos alios, volentes ſufficere, ſi Praelatus conſilium, & conſenſum à Conventu; ſeu Capitulo requirat, etſi non obtineat. Non tamen requiritur, ut ſinguli conſentiant, ſed ſufficit, ſi major pars conſenſum praeſtet. Ex conſuetudine nihilominùs, vel ſtatutis particularibus fieri poteſt, quòd poteſtas recipiendi ad profeſſionem, ad ſolum ſpectet Superiorem; qui etiam aliis committere poteſt, ut ſuo nomine Novitium recipiat ad profeſſionem, ex *cap. ad Apoſtolicam 16. de regular.* ibi: *Abbate per ſe, vel per alium profeſſionem recipiente*. Ex his deducit noſter P. Kerckhove *in ſtatuta Generalia cap. 1. §. 1. num. 93.* Quòd ſi apud aliquos Regulares Novitio proteſtatio ante profeſſionem ita fiat, *ſi quid celaveris, nec Provincialis, nec Conventus conſentit in tuam profeſſionem, adeòque quandocunque ſcietur, tanquam invalidè profeſſus ab ordine ejicieris*. Tunc licèt Novitius aliquid negans fortè non poſſit expelli ratione alicujus juris, vel Canonis, poterit tamen expelli ratione contractus invalidi, defectu conſenſus ex parte Praelati, & Conventus, ſi illud, quod ſubticuit, vel negavit, *ſit de re notabili*. Nam ad valorem profeſſionis requiritur conſenſus tam ex parte admittentis, quàm ex parte profitentis, adeòque cùm in hoc caſu admittentes, tantùm conſenſerint ſub conditione, quòd talis defectus in profitente non eſſet, conditione non exiſtente, nihil operatur conſenſus, *cap. ſi pro te, de reſcript. in 6. & cap. praetereà 2. de appellat.* Ita Miranda, Navarrus, Suarez *tom. 3. lib. 6. cap. 6.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. diſp. 37. num. 30.* Diana *part. 4. tract. 4. reſol. 88.* Bordonus *reſol. 8. num. 10.* apud Paſſerinum *de hominum ſtatibus quaeſt. 189. art. 10. num. 120.* Rodriquez *tom. 3. quaeſt. 11. art. 2.* & alii communiter apud Kerckhove cit. qui tamen admonet Superiores, ut in talibus proteſtationibus ſint cauti, & ſequantur ſuorum Ordinum conſtitutiones. Reſtat unum, & alterum non levis momenti dubium regulare.

Dubium Regulare prius.

*An invalidè profeſſus, contra ſuam profeſſionem reclamare, Religionemque deſerere poſſit.*

134 NOta ex Lezana, & aliis, quos citat *tom. 2. verſ. Profeſſio Religioſa num. 20.* Aliqua impedimenta, ob quae profeſſio eſt nulla, & invalida, eſſe *perpetua*, alia ſolùm temporalia. Perpetua dicuntur illa, quae perſonae inſeparabiliter inſunt, eamque ſemper ad profitendum inhabilem reddunt. Temporalia ſunt, quae etſi inhabilitent ad profeſſionem, poſſunt tamen amoveri, ut eſt metus, defectus aetatis, conſenſus &c. Hoc notato

135 I. Concilium Trident. *ſeſſ. 25. de regular. cap. 19.* ſtatuit: *Quicunque Regularis praetendat ſe per vim, vel metum ingreſſum eſſe Religionem, aut etiam dicat, ante aetatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, velitque habitum dimittere quacunque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine licentia Superiorum, non audiatur, niſi intra quinquennium tantùm à die profeſſionis, & tunc non aliter, niſi cauſas, quas praetenderit, deduxerit coram Superiore ſuo, & Ordinario. Quòd ſi antea habitum ſponte dimiſerit, nullatenùs ad allegandum quamcumque cauſam admittatur, ſed ad Monaſterium redire cogatur, & tanquam Apoſtata puniatur: interim verò nullo privilegio ſui Ordinis juvetur.* Hucuſque Concil. Ex quo

136 II. Certum eſt, quòd detur reverà jus reclamandi contra profeſſionem nulliter factam, & hoc competere cuivis Religioſae perſonae, tam viris, quàm Monialibus nulliter profeſſis, ex quacunque demùm cauſa profeſſio ſit nulla; ut autem legitima fiat reclamatio, tres conditiones ſunt neceſſariae, quarum unam, ſi negligit reclamans, non auditur, ſed ad Monaſterium redire cogitur, vel nondum egreſſus ibi manere compellitur. *Prima* eſt, ut ante deductionem, & probationem invalidae profeſſionis coram legitimo Judice faciendam, habitum non deponat, nec etiam abſque licentia Superioris cum habitu, propria auctoritate diſcedat. *Secunda* eſt, ut cauſam nullitatis profeſſionis ante egreſſum coram Superiore ſuo, & loci Ordinario conjunctim, legitimè deducat, & probet. *Tertia* eſt, ut cauſae nullitatis intra quinquennium à die profeſſionis proponantur. Haec omnia patent *ex Concil. Trident. cit.*

137 III. Si invalidè profeſſus laboret impedimento temporali, & intra quinquennium non reclamavit, in foro externo via ordinaria non ampliùs auditur, etiamſi alleget, & probare paratus ſit, quòd intra quinquennium ignoraverit nullitatem profeſſionis ſuae, vel aliàs abſque culpa ſua à reclamando impeditus fuerit. Ita Sanchez *de Matrim. lib. 7. diſp. 37. num. 18.* Donatus, Pignatellus, Pellizarius apud Reiffenſtuel *cit. num. 202.* ac plures alii contra Navarrum *lib. 3. Conſil. Conſil. 23. num. 3. tit. de regular.* Rodriquez, Suarez, Lezanam, & plures alios. Ratio noſtra eſt: tum quia Concil. Trident. cit. ait, quòd Regularis *non audiatur, niſi intra quinquennium tantùm à die profeſſionis*, & non à die notitiae, vel ceſſantis impedimenti. Tum quia aliàs non obviaretur litibus, nec Religiones gauderent tranquillitate, quod tamen fuit praecipua intentio, ac mens Concilii Tridentini. Tum quia hoc confirmant repetitae Cardinalium declarationes apud Fagnanum. Objectiones ſolutas vide apud *Reiffenſtuel cit.* Si verò invalidè profeſſus laboret impedimento perpetuo profeſſionem irritante, poteſt eo cognito omni tempore reclamare, & eſt audiendus. Ita Portel. verſ. *Profeſſionis nulla reclamatio num. 52.* Lezana *tom. 2.* verſ. *Profeſſio regular. num. 21.* Pellizarius *tom. 1. tract. 3. cap. 5. quaeſt. 25. num. 49.* & alii, quos citant apud noſtrum Gaudentium Kerckhove *cit. num. 99.* Ratio eſt: quia non eſt praeſumendum de Concilio Tridentino citato, quòd aliquid decreverit in detrimentum Religionum, cùm per ſupradictum Decretum potiùs intenderit bonum, & emolumentum Religionum, atqui ſi laborans impedimento perpetuo profeſſionem irritante, eo cognito non poſſet omni tempore reclamare, & non eſſet audiendus, certè ſtatuiſſet aliquid in detrimentum Religionum, quia cogerentur perſonas perpetuò inhabiles retinere, eo quòd quinquennium tranſactum foret a profeſſione irrita; atque ita Decretum in favorem Religionis editum redundaret in ipſius detrimentum, contra *61. regulam juris in 6. quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum*: ergo invalidè profeſſus laborans impedimento perpetuo profeſſionem irritante, poteſt eo cognito, reclamare omni tempore, & eſt audiendus, adeòque illa clauſula: *quacunque de cauſa*, quàm ponit Concil. Trident. ſuprà *num. 135.* citatum, reſtringenda eſt ad cauſas ibi ſpecificatas, vel ſimiles, ut ex Gomez, Rebuff. & aliis deducit Bonacina de *clauſ. quaeſt. 11. part. 10. diffic. 4. num. 7.* apud Kerckhove *cit. num. 97. in fine*.

138 IV. Invalidè profeſſus cum impedimento perpetuo, quod tamen in foro externo probare non poteſt, ſicut etiam invalidè profeſſus cum impedimento temporali, quod etiam probare non poteſt, vel qui non auditur poſt quinquennium, ſi hi certò ſciant nullitatem ſuae profeſſionis, poſſunt tuta conſcientia in occulto diſcedere, ac etiam nubere, dummodò ſine gravi ſcandalo, aut alio majori incommodo, ac praejudicio abire poſſint. Sanchez *lib. 7. de Matrim. diſp. 37. num. 11.* Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 5. num. 7.* Navarrus, Pirrhing, Donatus, Reiffenſtuel, & communis aliorum. Ratio eſt: quia profeſſio eſt nulla; ergo nullam inducit obligationem manendi in Religione. Addit Sanchez, & Layman *ll. citatis*, & alii, etiam Superiorem, ſi certò credat, ſubditi profeſſionem invalidè fuiſſe emiſſam, & poſteà non ratificatam, poſſe ceſſante ſcandalo, occultè dimittere talem, non obſtante Decreto Tridentino, utpotè, quòd pro foro externo ex titulo praeſumptionis latum, non ligat in foro interno, quando veritatem praeſumptioni contrariam eſſe, conſtat. Nudè tamen aſſerenti, quòd fictè tantùm profeſſus ſit, nec pro foro interno debet adhiberi fides, niſi attentis circumſtantiis prudentiſſimus quiſquis conjecerit, talem vera loqui: quia non eſt major ratio, cur tali potiùs tunc ſit credendum, quàm anteà, dum profeſſionem ſimulavit. Ita cum *Sanchez citat.*

*num.*

*num.* 14. plures alii ab ipſo citati. Imò tales invalidè profeſſi tenentur è Religione diſcedere, ſi ſine gravi ſcandalo aut majori incommodo in occulto diſcedere poſſint. Pellizarius *tom.* 3. *tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 47. Reiffenſtuel *cit. num.* 211. & alii. Ratio eſt: quia tales, cùm non ſint veri Regioſi, nequeunt frui commodis Religionis. Suadendum tamen eſt invalidè profeſſo cum impedimento temporali, ut ſi cognoſcat Religionem ſibi eſſe convenientem, ſuam profeſſionem tacitè ratificet; ad quam ratificationem, ut ſit valida, requiritur. I. Ut ratificans ſciat, ſe priùs invalidè fuiſſe profeſſum. II. Ut expreſsè, vel tacitè renovet ſuum conſenſum in profeſſionem coram Deo, nec opus eſt, ut quidquam Superiori, vel aliis de hoc dicat, ſi profeſſio ab initio fuit invalida ſolummodò ex defectu profitentis Novitii, cæteroquin ad profeſſionem habilis: verbi gratia quia fictè tantùm, vel ex gravi metu injuſtè ab extrinſeco incuſſo profeſſionem emiſit, nec eſt neceſſarius novus conſenſus, & acceptatio illius, qui poteſt ſuſcipere. Ita Rodriquez *tom.* 3. *QQ. regular. quæſt.* 17. *art.* 3. Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 37. *num.* 60. Pellizarius *tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 1. *num.* 43. Navarrus, Reiffenſtuel *cit. num.* 217. & alii. Ratio eſt: quia conſenſus potentis recipere aliquando legitimè præſtitus, cenſetur adhuc perſeverare, ſi non fuit revocatus, ut argumentatur Navarrus. Imò in conſcientia ſecura eſt ſententia dicens, etiam tunc ad ratificationem profeſſionis non requiri novum conſenſum, vel acceptationem potentis ſuſcipere, ſi profeſſio non ea defectu conſenſus in profitente, ſed ea defectu alterius neceſſariò requiſiti, v. gr. quia profiteor nondum habuit 16. annos, vel non fuit integro, aut non continuo anno in Novitiatu &c. dummodò ille, vel illi, quorum eſt ſuſcipere, priùs reverà conſenſerunt. Ita Reiffenſtuel *cit. tit. de regular. num.* 219. & apud ipſum Navarrus, Barboſa, Sanchez, Pirrhing, Rodriquez, Sorbus, & alii. Ratio eſt: quia Concilium Trident. *ſeſſ.* 25. *de regular. cap.* 19. poſt quinquennium nulli ampliùs concedit contra profeſſionem reclamare, ex quacunque deinde cauſa nulliter ſit profeſſus; eo quòd juxta omnes præſumit, talem intereà, vel expreſsè, vel per actus profeſſis proprios ſaltem tacitè ratificaſſe profeſſionem: ergo hoc ipſo manifeſtè indicat, ad validam ratificationem ſufficere ſolum conſenſum profitentis; cùm uti ſupponitur, & adverſarii concedunt, Superiores, vel ii, quibus competit ad Religionem ſuſcipere, in hujuſmodi caſu, intra, & poſt quinquennium ſæpe penitus ignorent profeſſionem fuiſſe irritam, & conſequenter novum conſenſum, vel, acceptationem non præſtent. Accedit declaratio Cardinalium Sacri Concilii Tridentini interpretum edita 29. *Martii* 1598. videnda apud Reiffenſtuel *citat. num.* 220. Sicut, & aliæ rationes apud eundem. III. Ad ratificationem profeſſionis non requiritur, ut conſuetæ repetantur cæremoniæ: tum quia non ſunt de ſubſtantia: tum quia plerumque abſque nota reiterari nequeunt. Pariter juxta communem non eſt neceſſe, ut fiat repetitio Novitiatus. Ita Pellizarius *tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 5. *quæſt.* 20. Sanchez, Reiffenſtuel. Ratio eſt: quia Novitiatus ea hac ſola ratione requiritur, ut Novitius Religionem, & hæc Novitium probet *cap. ad audientiam* 16. *de regular.* atqui hoc factum jam cenſetur in caſu, quo profeſſio ritè finito probationis anno, ex aliqua cauſa fuit nulla: ergo. Si verò invalidè profeſſus cum impedimento temporali, non velit ſuam profeſſionem ratificare, poteſt, imò debet in occulto à Religione diſcedere, dummodò ſine gravi ſcandalo, aut alio majori incommodo, ac præjudicio abire poſſit; ut jam ſupradictum: aliàs debet manere, & expectare, donec commoda occaſio ſine ſcandalo occultè fugiendi ſe offerat. Pellizarius *tom.* 1. *tractat.* 3. *capit.* 1. & 3. Sanchez cum communi. Interim poteſt à Religione licitè percipere alimenta, & alia ſuſtentationis media, cum propoſito, ut ſi ea non ſatis compenſet ſuis ſervitiis Religioni interim præſtandis, ſuo tempore proportionatam velit facere reſtitutionem. Pariter poteſt intereà temporis ferre ſuffragia, & alia peragere juriſdictionis munera Religioſa, ſi abſque ſcandalo, & gravi ſui infamia ab eis abſtinere nequeat, ſuntque cuncta ab eo acta valida. Sanchez de Matrimonio *libr.* 7. *diſput.* 37. *num.* 38. eò quòd error communis adſit, qui præbet titulum præſcriptum, *argum. Leg. Barbarius*, *ff. de offic. Prætor.* quamvis ceſſante ſcandalo, & infamia, talibus actibus pro poſſibili abſtinere debeat.

Dubium Regulare alterum.

*An Religio poſſit expellere nulliter profeſſum?*

RESpond. I. Cum P. Reiffenſtuel *cit. num.* 238. Religio 139
poteſt nulliter profeſſum cum impedimento temporali, expellere, ſed intra quinquennium à die profeſſionis, & cum interventu Ordinarii. Ita Hyacinthus Donatus *tom.* 2. *tract.* 12. *quæſt.* 35. Bordonus *de profeſſ. regular. cap. fin.* & alii. Ratio eſt: quia Religio, & Religioſus ſunt correlativa, juxta omnes: de correlativis autem idem eſt judicium, & diſpoſitum de uno trahitur etiam ad alterum, juxta communem ex *Leg. fin. ff. de accept.* Confirmatur ex Decreto Urbani VIII. apud Hyacinthum Donatum cit. relato. Affert etiam Pignatellus *tom.* 1. *conſult.* 89. *num.* 17. plures declarationes Cardinalium, quarum una *edita* 16. *Decembr.* 1617. ſic ſonat: *Eminentiſſimi Patres Sacri Concilii Tridentini interpretes ex communi omnium ſententia cenſuerunt, Decretum ejuſdem Sacri Concilii cap.* 19. *ſeſſ.* 25. *de regular. vendicare ſibi locum, non modo, cùm profeſſus nullitatem ſuæ profeſſionis allegat, cauſaſque deducit: verùm etiam, cùm Superiores ipſi ex ſe illum ejicere tanquam invalidè profeſſum.*

Reſpond. II. Cum noſtro P. Kerckhove *in noſtra ſtatuta* 140
*General. cap.* 1. §. 1. *num.* 97. & 98. Invalidè Profeſſus cum impedimento perpetuo, poteſt omni tempore, quo certò conſtat de invaliditate profeſſionis è Religione ejici. Ita Rodriquez *tom.* 3. *quæſt.* 17. *art.* 9. Miranda *tom.* 1. *quæſt.* 52. *art.* 2. Peyrinis, Pellizarius, Barboſa, & alii communiter apud *Kerckhove cit.* Ratio eſt: quia actus à principio nullus, nullum producit effectum ex *cap. præſentiam, de Appellatione*; atqui talis profeſſio à principio fuit nulla, nec ratificari potuit ob impedimentum inhabilitans, & invalidans perpetuum, ut ſupponitur: ergo ea ipſa nequit oriri obligatio illum retinendi in Religione, & oppoſitum cederet in grave detrimentum Religionis, eo quòd cogeretur perpetuò inhabiles retinere, adeòque Religio poteſt invalidè profeſſum cum impedimento perpetuo, è Religione ejicere omni tempore; quo certò conſtat de invaliditate profeſſionis; *ſed cum interventu Ordinarii*. Ita Lezana *tom.* 1. *cap.* 2. *num.* 53. tum propter declarationem Cardinalium reſponſione præcedente adductam, tum propter declarationem Cardinalium die 25. Novembris 1653 editam tenoris ſequentis: *Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, audito Procuratore Religionis Carmelitarum Diſcalceatorum S. Thereſiæ, ore, & ſcriptis, nec non conſtitutionibus dictæ Religionis, ac aliis deductis maturè perpenſis, cenſuit dimiſſiones, & ejectiones profeſſorum à Religione, quæ ab eadem Religione fiunt ex capite illegitimitatis, vel ex alio defectu, fieri debere conjunctim coram Ordinario, & Superiore Regulari loci, ad præſcriptum Sacri Concilii cap.* 19. *ſeſſ.* 25. *de regularibus.*

Quinam ſint effectus, prærogativæ, & privilegia profeſſionis Religioſæ, ac ſtatus Religioſi, diximus capite præcedenti, *ſect.* 4. *quæſt.* 4. *num.* 435. *& ſeqq.*

## QUÆSTIO II.

*De Obligatione Religioſi ex vi ſuæ profeſſionis, & Votorum.*

### SUMMARIUM.

542 *Religioſus vi ſuæ profeſſionis tenetur ſub mortali tendere ad perfectionem.*
143 & ſeqq. *Non tamen peccat ſemper graviter tranſgrediendo regulam, vel ſtatuta.*
148 *Quid ſit Religioſa paupertas?*
149 *An Religioſus habeat Dominium Manuſcriptorum?*
150 *Quid Religioſus ſalva paupertate poſſit facere?*
151 *Qualem licentiam debeat habere à Superiore?*
152 *Ad Quid teneatur Religioſus ex voto caſtitatis?*
153 *De Clauſura Regularium in genere.*
154 *De Clauſura Monialium.*
155 & ſeqq *Quis eam ingredi poſſit?*
158 *De Clauſura Regularium virorum.*
159 & 160 *Quis eam ingredi poſſit?*
161 *Ad quid obligetur Religioſus ex voto obedientiæ?*
162 *An Religioſo poſſint præcipi actus merè interni?*
163 *An Religioſo præcipi poſſit, ut ſerviat infirmis cum periculo vitæ?*

ASSER-

## ASSERTIO II.

141 *R Eligioſus obligatur ſub mortali ex vi profeſſionis Religioſæ, tendere ad perfectionem: Ex voto paupertatis nihil habere proprium; Ex voto caſtitatis abſtinere ab omni venerea delectatione, etiam aliàs in ſtatu conjugali licita: Ex voto obedientiæ obedire in omnibus, quæ Superior præcipit ſecundùm regulam, & conſtitutiones ſui Ordinis.* Eſt certa.

### §. I. *Religioſus obligatur ſub mortali ex vi profeſſionis Religioſæ, tendere ad perfectionem.*

142 I. COnveniunt Doctores, Religioſum vi ſuæ profeſſionis teneri tendere ad perfectionem. Ratio eſt: quia Religioſus vi ſuæ profeſſionis tenetur velle ſervare ſuum ſtatum, qui eſt perfectionis, ſive tendentium ad perfectionem; hoc autem eſt intrinſecè velle ad perfectionem tendere; & talem obligationem eſſe ſub mortali, & præſertim ex ea parte, qua reſpicit trium votorum obſervantiam, quæ eſt medium præcipuum ad talem perfectionem conſequendam, apertè colligitur ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. de *Regularibus, & Monialibus cap.* 1. ubi *præcipit, ut omnes Regulares, tam viri, quàm mulieres, ad regula, quam profeſſi ſunt, præſcriptam vitam inſtituant, & componant, atque imprimis, quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis, caſtitatis, ac ſi quæ alia ſunt alicujus regulæ, & Ordinis peculiaria vota, & præcepta, ad eorum reſpectivè eſſentiam, nec non ad communem vitam, & victum, & veſtitum obſervanda pertinentia, fideliter obſervent; omniſque cura, & diligentia à Superioribus adhibeatur, tam in capitulis Generalibus, & Provincialibus, quàm in eorum viſitationibus, quas ſuis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis non recedatur; cùm compertum ſit, ab eis non poſſe ea, quæ ad ſubſtantiam vitæ regularis pertinent, relaxari: ſi enim illa, quæ baſes ſunt, & fundamenta totius Regularis diſciplinæ, exactè non fuerunt conſervata, totum corruat ædificium, neceſſe eſt.* Ita ad verbum Concil. Trident. cit. An verò obligatio tendendi ad perfectionem in Religioſo, ſit diſtincta ab obligatione ſervandi vota, & obſervantias regulares, vel ſit eadem cum illa, Doctores non ita conveniunt. Probabilius tamen eſt cum Sanchez *lib.* 6. *in Decal. cap.* 6. Lezana, Maſtrio, *Theol. Moral. diſp.* 14. *quæſt.* 1. *num.* 8. & aliis, eſſe eandem, & in illa contentam, ſicut obligatio obediendi Deo, ei placendi, & in ipſo conſtituendi noſtrum ultimum finem non eſt obligatio diſtincta ab obligatione ſervandi mandata Dei, ſed in illa includitur; & hoc etiam ratio ipſa ſuadet: nam aliàs quoties Religioſus votum aliquod tranſgrederetur, duplici peccato peccaret. Uno nimirùm contra votum, altero contra perfectionem, quàm procurare tenetur, quod aſſerendum non eſt.

143 II. Religioſus non ſemper peccat mortaliter, tranſgrediendo quodcumque eorum, quæ in regula continentur. Ita docet Aſteſanus noſter *lib.* 6. *tit.* 47. apud Maſtrium *cit. num.* 12. Ratio eſt: quia in regulis Religionum continentur aliqua per modum præcepti, & inhibitionis, aliqua per modum ſtatuti rationabilis: aliqua per modum monitionis: & hoc patet in regula B. Patris noſtri Franciſci. Itaque Religioſus tranſgrediendo illa, quæ continentur in regula ſuæ profeſſionis, per modum præcepti, & inhibitionis, peccat mortaliter ex genere ſuo: tranſgrediendo verò illa, quæ continentur ibi per alium modum, non peccat, quantum eſt ex vi regulæ mortaliter, niſi fortè ratione exceſſus, ſcandali, vel contemptus. Hoc idem docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 186. *art.* 9. ubi ait, non teneri Religioſos obſervare omnia in regula contenta ſub culpa mortali: ſed aliqua ſub mortali, alia ſub veniali, & quædam alia nec etiam ſub veniali; & rationem adducit: quia eo modo obligantur Religioſi obſervare contenta in ſua regula, ſecundùm quod ipſa regula præſcribit: regula autem quædam præſcribit, ut obligatoria ſub mortali, alia ſolùm ſub veniali, & alia quædam ad nullam culpam.

144 III. Ex quo deducitur, quòd ea, quæ ſunt in regula, & ſpectant ad obſervantiam votorum eſſentialium Religionis, ſine dubio obligant ſub mortali, quantùm eſt ex genere ſuo, niſi fortè ratione parvitatis materiæ ſolùm obligent ad veniale, & ratio eſt: quia hoc modo obligant ipſa vota. Similiter illa, quæ in aliqua regula præceptoriè, vel inhibitoriè, vel ſub verbis æquipollentibus proponuntur, obligant ex genere ſuo ſub mortali, ut patet ex Nicolao III. *cap. exiit de verb. ſignific. in* 6. & Clemente V. *Clement. exivi de verbor. ſignific.* qui declarando regulam Beati Patris noſtri Franciſci, dicunt non obligari Fratres Minores per illam ſub mortali, niſi ad ea, quæ in ipſa præceptoriè, vel inhibitoriè ſunt expreſſa. Ea autem, quæ in regula ſolùm præſcribuntur ſub conſilio, vel per modum monitionis, & exhortationis, non obligant ad culpam, nec mortalem, nec venialem. Ratio eſt: quia ſimilia opera non proponuntur ut præcepta, ſed ſolùm conſuluntur; conſilium autem non obligat; cùm conſilium in hoc diſtinguatur inter cætera à lege, & præcepto, quòd conſilium non obliget: Lex verò, & præceptum obligent. Ita Aſteſanus *loc. cit.* Lezana *tom.* 1. *cap.* 7. Maſtrius *cit. num.* 14. ac communiſſima DD. Quando autem regula præſcribit aliqua, quæ aliàs ſunt de præcepto, verbi gratia recitare horas Canonicas, diligere proximum, jejunare in Quadrageſima, &c. Hæc utique obligant ad mortale, vel veniale ſecundùm quod aliàs obligarent; & ratio eſt: quia hæc non ſolent proponi in regula, tanquam nova præcepta, ſed ſolùm cum intentione reducendi in memoriam ea, quæ aliàs ſunt præcepta à Deo, vel ab Eccleſia, ut Lezana advertit *loc. cit.* cum *Caietano, Valentia,* & aliis. Si tamen hæc, vel alia hujuſmodi in regula ponerentur cum intentione inducendi novam obligationem (quod ex circumſtantiis attendendum eſt) utique tranſgreſſio talium duas includeret malitias, unam ex proprio objecto, alteram ex ſpeciali fine, & motivo inſtitutoris regulæ volentis inducere novam obligationem; ut colligi poteſt ex P. Patritio Spoter *tract.* 1. *Proœm. cap.* 4. *ſect.* 2. *num.* 11. *& ſeqq.* In Ordine tamen noſtro Seraphico, licèt in regula noſtra ſecundùm declarationes Nicolai III. & Clementis V. ſint viginti octo præcepta ſub culpa mortali obligantia; hæc tamen (exceptis tribus votis) non cadunt ſub votum, ſic, ut ſi frater Minor non jejunet verbi gratia in die veneris cadente in quatuor Tempora, non peccet duplici peccato, uno contra præceptum Eccleſiæ, & altero contra votum. Ita Rodriquez *tom.* 1. *quæſt.* 26. *art.* 4. Kerckhove *in ſtatuta noſtra Generalia capit.* 1. §. 14. *num.* 16. cum aliis. Ratio eſt: quia ſi omnia Præcepta in noſtra regula ſunt vota, tunc vel eſſent vota ſolemnia, vel ſimplicia? non ſimplicia; quia nullum tale in profeſſione emiſimus: non etiam erunt ſolemnia; quia apud nos non dantur, niſi tria vota ſolemnia, videlicet paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ. Nec obſtat, quòd Frater Minor ſolemniter profitens dicat: *voveo, & promitto... ſervare regulam Fratrum Minorum:* quia, qui vovet, & promittit ſervare regulam, non promittit ſub obligatione voti ſervare omnia, quæ in ipſa continentur, ſed ſub obligatione Præcepti, nam ut rectè docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 186. *art.* 9. *ad* 1. qui profitetur regulam, non vovet ſervare omnia, quæ ſunt in regula (ſcilicet ſub obligatione voti) ſed vovet regularem vitam, quæ eſſentialiter conſiſtit in tribus votis, & ratione hujus regularis vitæ obligat ſe ad obſervanda omnia Præcepta, quæ in vita, & regula talis Ordinis continentur idque ſub obligatione tali, ſub qua in regula proponuntur. Quando denique regulæ inſtitutor ſuam mentem circa obligationem ad culpam non declaravit, attendenda eſt communis acceptatio, & uſus Religionis, cui regula fuit tradita, ut advertit *Lezana citat.* Si enim communis ſenſus, & exiſtimatio religioſorum fuit, illam regulam obligare ad mortale, vel ad veniale tantùm, ſic obligare cenſenda eſt, & non aliter; communis enim acceptatio, & conſuetudo eſt optima legum interpres, *cap. cùm dilectus de conſuetudine*; nec lex aliter obligat, quam prout communiter ab omnibus accipitur.

IV. Quod dictum eſt de obligationibus Religioſorum 145
ratione regulæ ſui Ordinis, pariter aſſerendum eſt, ſervata proportione, de obligationibus eorundem, ratione Conſtitutionum, ſeu Statutorum ſuæ Religionis, quod videlicet ſubinde obligent ad culpam mortalem; aliquando ad venialem, & aliquando ad nullum peccatum, ſed ad meram pœnam ab ipſis Conſtitutionibus taxatam, quæ tamen ſaltem indirectè obligant etiam ad aliquam culpam: quia tales Conſtitutiones obligant in conſcientia ad patiendam pœnam impoſitam, & dant Jus Superiori ad puniendum tranſgreſſorem illarum tali pœna, aliàs non differrent à mero conſilio, nec eſſent vera præcepta, nec veræ leges. Ita Lezana *tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 10. Suarez *tom.* 4. *de Religione tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 2. Maſtrius *cit. num.* 15. de quo videri debent dicta capite præcedenti, *ſect.* 5. *quæſt.* 3. *num.* 200.

Hoc inſuper adnotare placuit omnibus Superioribus be- 146
nè obſervandum, quod habet noſter P. Gaudentius Kerckhove *in ſtatuta noſtra Generalia capit.* 2. §. 6. *num.* 3. Prælatus (inquit cit. Author) tenetur ex officio Spiritualem profectum procurare ſubditorum, qui per frequentem Regulæ, & Conſtitutionum tranſgreſſionem multùm impeditur: & quamvis fortè ſubditi illas violantes, vel ſolùm venialiter, vel etiam non venialiter delinquant, Prælatos

tamen

Digitized by Google

tamen peccare mortaliter, ſi inde Regularis obſervantia graviter lædatur, ſimiles tranſgreſſiones permittentes, & non corrigentes, dum commodè poſſunt, docet cum pluribus, quos citat Pellizarius *Tom. 1. tract. 5. cap. 2. num.* 60. Nam, ut ait S. Anſelmus *Epiſt. 6. ad Monach. Certiſſimum eſt, in multis Eccleſiis experimento didicimus, quia in Monaſterio, ubi minima diſtrictè cuſtodiuntur, ubi rigor Monachorum inviolabilis permanet, ibi pax inter fratres, & Capituli proclamationes conquieſcunt. Ubi verò minimi exceſſus negliguntur, ibi totus ordo paulatim diſſipatur, & deſtruitur*: Quod confirmans Doctor noſter Seraphicus S. Bonaventura *quæſt. 18. ſuper Regulam* ait: *Ordo, qui negligit modica, paulatim decidet.* Hinc benè dixit Joannes de Mauburgo, *in Roſeto tit. 4. Alphab. 12. memb. 4. Defectus correctionis noxius eſt valdè, & periculoſus: ita quod ſine illa, nulla perſtare poteſt Religio in vigore. Diſciplina ſiquidem eſt Religionis Magiſtra, & ubi rigor, ibi vigor: & ubi deeſt correctio, ibi abundat peccati corruptio.* O utinam hæc, ait *Sanctorum conſtit. cap. 5. ſtat.* 4. Omnium Prælatorum, & ſubditorum cordibus inhærerent; non enim tot Sanctarum Religionum declinationes, & lapſus cerneremus,

### §. II. *Religioſus ex Voto paupertatis tenetur nihil habere proprium.*

147 QUoniam R. P. Patritius Sporer *tract. 6. in Decalog. cap. 5. Sect. 1. §. 3. num. 57. & ſeqq.* Sicut etiam *tr. 5. in 7. & 10. Præcept. Decalogi cap. 5. Sect. 2. §. 3. num. 60. & ſeqq.* Satis fuſè egit de paupertate Religioſorum, quæ locis citatis videri debent; ideo tantum pauca aliqua, quæ P. Patritius Sporer non habet, ſubjiciemus: Itaque

148 I. Paupertas Religioſa eſt voluntaria rerum temporalium, & externarum abdicatio, per quam Religioſus iſtarum rerum proprietate, & omni Jure Civili ad illas privatur. Eſt communiſſima apud Maſtrium *cit. n. 38.* Kerckhove *cit. cap. 7. §. 24 num* 18. & Alios. Hinc Religioſa paupertas privat Dominio cujuſcunque rei temporalis, uſufructo, uſu juris, poſſeſſione, adminiſtratione, & peculio, prout hæc quid juris important. Ratio eſt: quia iſta omnia ſic ſumpta denotant facultatem utendi re aliqua ex propria voluntate, & independenter à voluntate alterius, quod repugnat voto paupertatis, vi cujus Religioſo nihil licet habere proprium. Non tamen Religioſa paupertas privat ſimplici uſu facti, cùm hic non importet proprietatem; dependet enim à voluntate aliena. Nec obſtat voto paupertatis, quòd Religioſi habeant Dominium Bonorum in communi: quia tale votum dicit ſolùm abdicationem Dominii privati Bonorum temporalium, ut patet ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. de Regular. cap.* 3. Nec etiam obſtat, quod Scholaſtici Societatis JESU ſint capaces Dominii, & tamen paupertatem profeſſi ſunt: quia nos loquimur de Voto Paupertatis in ſolemni Profeſſione emiſſo; illi verò non ſunt ſolemniter profeſſi, & habent tantùm votum ſimplex Paupertatis, quod non privat Dominio radicali, ſed jure actuali de Bonis ſuis temporalibus diſponendi pro ſuo arbitrio, ut videre eſt apud la Croix *lib. 4. num. 96.* Dictum etiam eſt; quòd Religioſa Paupertas *ſit abdicatio rerum temporalium, & externarum*: Nam Dominium jurium, & Bonorum ſpiritualium non excludit Religioſa Paupertas. Unde Religioſus ſalva paupertate poteſt habere beneficium Eccleſiaſticum, quod eſt jus ad certas functiones Eccleſiaſticas, adminiſtrationem, juriſdictionem, &c. quæ ſunt Bona altioris Ordinis, quàm fortunæ: fructus tamen Beneficii acquirit non ſibi, ſed Monaſterio, vel Eccleſiæ; nec poteſt diſponere de illis ad libitum proprium, ſed Superioris, cùm ſint bona fortunæ, adeòque abdicata per Votum paupertatis. Eadem ratione Religioſus poteſt habere jus præſentandi, eligendi, conferendi hujuſmodi Beneficia, & Dignitates Eccleſiaſticas: & pro his juribus acquirendis, retinendis, & recuperandis etiam ſuo nomine agere poteſt. Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 7. num.* 2. Leſſius *de J. & J. cap. 4. num.* 25. Krimer *tit. de ſtatu Monachorum num.* 2955. Schmalzgrueber *eodem tit. num.* 2. Similiter Bona interna ſupernaturalia, Jus in vitam, & membra, honorem, & famam, in ſcientias, & artes, &c. ſub votum paupertatis non cadunt, & conſequenter non ſunt materia proprietatis, licèt poſſint eſſe materia obedientiæ, aut Charitatis, aut ex alio capite ſub diſpoſitione Superioris contineri. Ex quo

149 II. Sequitur valdè probabilem eſſe ſententiam, quòd Religioſus ſit ſuorum Manuſcriptorum Dominus, ac de iis ad libitum diſponere poſſit. Scripta enim ſunt quaſi pars ſcientiæ, & doctrinæ acquiſitæ: ſicut ergo Religioſus ſuam ſecum deferre, aut alteri communicare poteſt ſcientiam, & doctrinam, ita & propria ſua ſcripta, quæ nihil aliud ſunt, quàm idea Philoſophantis, ſic ut religioſus habeat directum Dominium in ipſa ſcripta, indirectum verò in Chartam; quia Dominium in ſcripta ſine charta exerceri non poteſt. Et ideo teſte Coroliano *tract. de caſibus Reſerv. p. 2. caſu 16. num. 19.* Clemens VIII. declaravit quod Religioſi poſſint alienare ſua Manuſcripta ſine licentia; non obſtante ſua Bulla *de Largitione Munerum*. Hinc Diana *tract. de Paupert. Relig. Reſol.* 25. cum aliis, quos citat, reſolvit, poſſe Religioſos inter ſe donare ſuas Conciones, Lectiones, & ſimilia Manuſcripta, vel poſſe ſecum deferre, quocunque vadunt; etiamſi ſe transferant in aliam Religionem, idque nulla petita licentia, & nullis relictis copiis. Ex quo juxta *Franciſcum à S. Clara* apud noſtrum Kerckhove *cit. cap. 3. §. 5. num.* 11. probabile etiam videtur, nos Fratres Minores poſſe legare Manuſcripta noſtra propria. Poſſunt quidem ſimiles Manuſcriptorum diſpoſitiones prohiberi à Superioribus: at ſubditus contraveniens tunc non peccabit contra paupertatem, ſed contra obedientiam, ſicut ſi ore communicaret ſuam ſcientiam, alterum inſtruendo contra mandatum Superioris. Vide etiam Pellizarium *tom. 1. tract. 3. cap. 5. num.* 156. Si tamen Religioſus ante mortem ſuam ſcripta ſua non diſtribuerit, manent penes Conventum, in quo moritur, & ab aliis ſine furto diſtrahi non poſſunt.

III. Sequitur etiam, Religioſum ſine vitio proprietatis 150 poſſe aliis exhibere opitulationes, inſtructiones, actus artium liberalium, & etiam Mechanicarum, verbi gratia poteſt Religioſus ſæcularis offerenti telam, ſive tabulam aptatam, colores, & omnia, quæ ad imaginem pingendam ſufficiunt, pingere, ſcribere libros &c. quia ſicut ſcientiam ſuam oretenus communicare poteſt ſine vitio proprietatis, ſic, & ſcripto, & facto. Si tamen tela, ſive tabula, vel alia res permanens, in qua ſuam operam exercuit Religioſus pingendo, ſcribendo &c. pertinet ad Monaſterium, nequit alteri illam donare abſque licentia Superioris: quia opus factum ſtatim erat acquiſitum Monaſterio. Ita *Bonacina, Diana, & Pellizarius*, apud la Croix *lib. 4. num.* 532. Poteſt inſuper Religioſus ſine vitio proprietatis celebrare Miſſas ex Charitate pro aliis, modò ſtipendium non accipiat, & Monaſterium non indigeat, aut obedientia Superioris non impediat. Hæc enim ſpiritualia cùm ſint, manet earum Dominium apud Religioſum, ſalva tamen obedientia, aut alia obligatione. Imò ut notat *Marchan.* poteſt Religioſus celebrare Miſſas pro pauperibus in neceſſitate exiſtentibus, ut à piis Perſonis Eleemoſynam, quæ dari ſolet Sacerdoti pro Miſſæ celebratione, ipſi pauperes recipiant: ſic etiam poteſt pauperes commendare, ut accipiant Eleemoſynam. Denique poteſt Religioſus Eleemoſynam ſibi oblatam recuſare, & rogare donantem, ut det alicui pauperi, vel conſanguineo, etiam abſque licentia Superioris, ſine vitio proprietatis. Ita Sanchez *lib. 6. de Matrim. diſp. 3. num.* 7. Lugo *de Juſtit. d. 3. num.* 166. Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 7. num.* 19. La Croix *lib. 3. p. 2. num.* 1160. Ratio eſt: quia quod needum datum, aut acceptum eſt, non eſt Religioni, aut Monaſterio acquiſitum, adeòque ad illud nondum pertinet, & recuſare rem oblatam manifeſtè contradicit proprietati, eamque excludit: modò non obſtet obedientia, & Monaſterium non indigeat, nec Religioſo ſit impoſitum, de temporalibus providere Monaſterio. Excipit etiam *Sanchez, & Lugo apud Kerckhove cit.* repudiationem Hæreditatis, quæ facta ſine licentia Superioris eſſet invalida: quia Superior non cenſetur eam ratam habere: cùm etiam immediatè, & independenter à voluntate Religioſi hæreditatem poſſit adire.

IV. Cùm igitur Religioſus ex voto paupertatis nihil 151 poſſit habere proprium, ſed rebus temporalibus uti debeat de licentia ſui Superioris, uti videre eſt apud P. Sporer cit. ideò adhuc pauca aliqua de hac licentia ſubnectemus. Itaque I. Ut Religioſus licitè utatur aliqua re temporali, non ſufficit licentia, quam Superior quidem concedere deberet juxta rectam rationem, & morem aliorum Prælatorum ejuſdem Ordinis, illam tamen negat, vel negaturus prævidetur, ſive ex paſſione, ſive ex indiſcreto rigore. Ita cum communi Palaus *tract. 16. diſp. 3. punct. 23. num.* 10. La Croix *lib. 4. num.* 152. Ratio eſt: tum quia ſi alicui injuſtè denegetur diſpenſatio, per hoc non eſt deobligatus à Lege; tum quia aliàs ſequeretur maxima diſſolutio diſciplinæ: facilè enim, & paſſim ſubditi ex inordinato affectu ad temporalia ſibi perſuaderent, Superiorem impudenter, & injuſtè negare licentiam, cùm tamen is eandem negaret occultis rationibus, & laudabili zelo motus. Si tamen res temporalis, ad cujus uſum Superior licentiam negat, eſſet ſubdito neceſſaria ad conſervandam, verbi gratia vitam, vel ad ſublevandam inopiam extremè indigentis in defectu aliorum, tunc ſubditus poteſt illa uti bona conſcientia,

quia tunc Superior non poteſt negare licentiam contra Jus naturale, & talis negatio licentiæ non tantum foret illicita, & injuſta ex parte præcipientis, ſed etiam ex parte rei præceptæ, & conſequenter invalida. II. Si Superior antecedenter dederit mihi licentiam, valet, etiamſi ipſe ab officio deceſſerit. Lugo, Dicaſtillus, Diana *part.* 11. *tom.* 8. *Reſolut.* 54. La Croix *cit. num.* 115. E contra quamvis Superior licitè acceptet pro ſe aliquid tempore, quo eſt Superior, ne etiam licitè retineat tempore, quo non eſt Superior, uti rectè Lugo contra Dicaſtillum; attamen non poterit expendere ſine licentia ſui moderni Superioris: quia tantùm aliis, non autem ſibi ipſi poterat delegare, ſeu committere poteſtatem ad exponendum pro tempore ſequenti, cùm inter delegantem, & delegatum debeat eſſe diſtinctio.

III. Valet licentia priùs negata à Prælato Superiore, ſi nulla hujus facta mentione, eam obtineas à Prælato inferiore, etiamſi per Regulam præſcribatur, ut indicetur inferiori, cur negarit Superior. Ratio eſt: quia inferior habet de ſe poteſtatem ad hoc, uti ſuppono, & ignorantia negatæ ab alio licentiæ habet ſe per accidens. La Croix *cit. numer.* 116. cum Pellizario, & quamvis Prælatus Superior prohibuiſſet inferiori dare talem licentiam, tamen adhuc validè daret, dummodò non ſit addita clauſula irritans factum, quia non ideò erat Prælato inferiori ſublata ſua poteſtas ordinaria; multa autem fiunt illicitè, quæ tamen valent. La Croix *citat.* IV. Si quis ſucceſſivè modica accipiat ſine licentia Superioris, an tandem fiat materia gravis peccatum mortale conſtituens? diſtinguendum eſt; ſi enim peccata levia contra paupertatem, contineant etiam culpam contra Juſtitiam, ut quando Religioſus aliquid accipit ex bonis Religionis ſine licentia, tunc acceptiones minutæ accreſcunt in gravem materiam, ſicut fit in furto, quia tales acceptiones verè ſunt furtum. Quòd ſi verò Religioſus ab extraneis ſucceſſivè modica accipiat ſine licentia Superioris, non tamen cum intentione perveniendi ad ſummam gravem, tales minutæ acceptiones non coaleſcunt in unam materiam gravem, nec conſtituunt grave peccatum, quia ſolùm ſunt peccata Sacrilegii contra votum paupertatis, non autem furti, & propterea ſicut peccata levia Sacrilegii in aliis materiis non concreſcunt, ſic nec hic. Vide etiam La Croix *lib. 4. num.* 134.

### §. III. *Religioſus ex Voto Caſtitatis tenetur abſtinere ab omni venerea delectatione etiam aliàs in ſtatu conjugali licita.*

152 I. CONveniunt Doctores, Religioſum per votum caſtitatis emiſſum omnes venereas delectationes à ſe abdicare, etiam aliàs in ſtatu conjugali licitas: qui enim caſtitatem in Religione vovit, non ſolùm contrahendo Matrimonium mortaliter peccat; quin etiam Matrimonium ipſum eſt irritum, & invalidum, etiamſi ſit conſummatum, ut habetur in Concilio Viennenſi *Clement. unica de conſang.* & Tridentino *ſeſſ.* 24. *Can.* 9. & aliis Conciliis. Unde Caſtitas, quæ ante votum ad ſolam virtutem temperantiæ pertinebat, per votum emiſſum pertinet etiam ad virtutem Religionis; & ſic violatio caſtitatis in Religioſo duplicem habet malitiam ſpecificam in confeſſione neceſſario explicandam nimirùm luxuriæ contra caſtitatem, & Sacrilegii contra Religionem. Per caſtitatem itaque voto promiſſam obligatur Religioſus abſtinere ab omni delectatione venerea interna, & externa, qualiſcunque illa ſit; ut à turpibus cogitationibus, delectationibus moroſis, conſenſu, ac etiam actibus externis, ut ab aſpectu, locutione, tactu, & ſimilibus cum fœminis. Ratio eſt, quia vovens ſe obliget ad caſtitatem ſecundùm receptam ab omnibus in Eccleſia ſignificationem hujus nomine *Caſtitas*: hæc autem comprehendit omnes actus contentos ſub 6. & 9. præcepto Decalogi, citatque Cardenas apud la Croix *cit. num.* 154. Auctores 22. qui, vel in terminis aſſerunt, id eſſe certiſſimum, vel omninò ſupponunt, nec dubitare audent ex quo conſenſu Theologorum fit evidentia moralis: ergo licèt *Caramuel*, & unus Summiſta contrarium teneat, opinio eorum non eſt probabilis. Imò probabile eſt, quòd votum caſtitatis Religioſæ etiam verſetur circa actus, qui terminantur ad impudicitiam alienam, ideòque Religioſum, qui etiam ſine propria delectatione concurrit proximè, & immediatè verbi gratia per tactum, ad pollutionem hominis ſæcularis, violare ſuum votum caſtitatis. Ita Cardenas apud la Croix *cit. num.* 155. dicens, ſententiam oppoſitam eſſe damnatam à S. Fidei tribunali. Ratio eſt: quia qui utitur membris ſuis ad impudicitiam mortalem, etiam ſine delectatione propria, peccat mortaliter contra propriam caſtitatem, ut patet in eo, qui abſque delectatione propria dormientem tactu provocat ad pollutionem, vel fatuos conjungit ad culpam: ergo.

II. Propter caſtitatem à Religioſis obſervandam, & conſervandam, ab Eccleſia ſaluberrimè ordinata eſt *Clauſura* Regularium, tam virorum, quàm Monialium. Per Clauſuram autem Monaſterii intelligitur totum illud ſpatium, quod ambitur, & clauditur muris, ſeu ſeptis Monaſterii. Ita in re communis apud Reiffenſtuel *in 3. Decret. tit.* 35. *de ſtatu Monachorum num.* 26. hinc non tantùm ipſum Monaſterium, ejuſque officinæ, & habitacula interiora, ſed etiam horti Monaſterio contigui inter præfatos muros, ſeu ſepta exiſtentes, quo diſtractionis gratia ſe Regulares conferunt, & quidquid intra eadem ſepta exiſtit, ſub clauſura comprehenduntur, uti benè docet Sanchez *lib. 6. Mor. cap.* 17. *num.* 14. Hyacinthus Donatus *tom.* 1. *tract.* 8. *quæſt.* 15. & communis aliorum. Idem eſt de Sacriſtia, ſi in eo ſitu ſit poſita, ut in eam nonniſi per clauſtra Monaſterii pateat ingreſſus, & conſequenter, teſte Kerekhove *in ſtatuta noſtra Generalia cap.* 4. §. 5. *num.* 10. Omnes admittunt, in Sacriſtiam taliter ſituatam fœminas admitti non poſſe. Si verò Sacriſtiæ oſtium exiſtat in ipſa Eccleſia, adeò ut Regulares eam accedere non poſſint, niſi per Eccleſiam tranſeuntes, admittunt Lezana *tom.* 1. *cap.* 10. Bonacina, Suarez, & Alii apud Kerckhove cit. fœminas in eam admitti poſſe. Ratio eſt, quia Sacriſtia in priori caſu cenſetur pars Monaſterii: in poſteriori verò caſu cenſetur pars Eccleſiæ; ideoque ſicut fœminæ Eccleſiam, non verè Monaſterium ingredi poſſunt, ſic & in Sacriſtiam poſteriori modo, non verò priori modo ſituatam admitti poſſunt. Sed quid, ſi Sacriſtia habeat duas portas, unam poſitam in Eccleſia, & aliam in clauſtro Monaſterii, licitène tum ingredi poſſunt fœminæ? Reſpondet Bonacina *quæſt. 9. de clauſura part.* 1. *num.* 4. Probabilius videri non poſſe: cùm ſic Sacriſtia veniat nomine Monaſterii, quippe quæ eſt pars Monaſterii. Verùm tamen etiam hodie videmus in Monaſteriis benè ordinatis, & reformatis fœminas in hujuſmodi Sacriſtias promiſcuè admitti. Ait Kerckhove *cit. num.* 11. Eodem modo diſcurrendum videtur de Choro. Valdè tamen decens eſt, ut per Superiores in præfato caſu Sacriſtia clauſuræ annumeretur, licèt enim Superiores Ordinum clauſuram neceſſariam, ſeu à Jure jam determinatam, pro libitu aliter determinare, vel variare non poſſint; poſſunt tamen ea, quæ de rigore Juris clauſura non ſunt, vel de quibus dubium eſt, uti ſunt Sacriſtia v. g. Chorus &c. pro eadem determinare, ac declarare, ut apud Reiffenſtuel *c. num.* 27. docet Pellizarius, Donatus, & Alii. Igitur propter caſtitatem ſervandam, 153

III. Omnes, & ſingulæ Moniales graviſſimè obligantur ad clauſuram quoad *Egreſſum*, ita ut mortaliter peccet, & ipſo facto excommunicationem incurrat, quæ ſine juſta cauſa, & legitima licentia clauſuram egreditur. Ita unanimis ob clara jura *c. unic. de ſtatu Regular. in 6.* & Conc. Trident. *ſeſſ. 25. cap. 5. de Regular.* idem patet ex conſtitutione, *circa Paſtoralis* S. Pii V. & ex conſtit. *DEO Sacris*, Gregorii XIII. apud Reiffenſtuel *cit. num.* 28. Plures tamen ſunt cauſæ, ob quas Monialibus dari poteſt licentia exeundi è clauſura. *Prima* eſt morbus alicujus Monialis ita contagioſus, ut aliæ ſine ſcandalo, vel infectionis periculo cum ea commorari nequeant. Hujuſmodi morbus eſt lepra, epidimia, peſtis &c. ut declaravit S. Pius V. cit. *Secunda* eſt caſus urgentis incurſionis hoſtilis, præſertim Hæreticorum, & infidelium, ex quo magnum damnum imminet Monaſterio, vel Communitati in bonis fortunæ, vel corporis niſi fugiant. *Tertia* eſt aquarum inundantia Monialibus periculoſa. *Quarta*, ſi quæ Monialis alibi eligatur Abbatiſſa vel Superioriſſa, aut ad fundandum novum Monaſterium aliò mittatur. *Quinta*, univerſaliter, quando bonum commune urget egreſſum. Ita Rodriquez, *tom. 1. quæſt. 49. art.* 3. Navarrus, Sanchez *lib. 6. Moral. cap.* 15. Pirrhing, Donatus, Layman *lib. 4. tract. 4. cap. 12. num.* 1. Reiffenſtuel *cit. num.* 49. & ſeqq. & plures Alii. Imò apud citatum Reiffenſtuel *num.* 33. docent probabiliùs Navarrus, Suarez, Azorius, Peyrinis, Pirrhing, Barboſa, etiam ob graves cauſas bonum particulare, v. g. vitam alicujus Monialis concernentes concedi poſſe egreſſum è *Clauſura*, ſi nonniſi egrediens curari poteſt. Ratio eſt: tum quia defenſio naturalis nemini eſt auferenda; facultas autem defendendi vitam eſt naturalis. Tum quia juxta communem Theologorum, leges humanæ non obligant cum gravi damno, præſertim periculo vitæ. Accedit declaratio Cardinalium idem cenſens, quam refert Suarez, Donatus, & Reiffenſtuel *cit. num.* 33. An verò cauſa egrediendi ſufficiens ſit, & legitima, ſolus loci Ordinarius, ſeu Epiſcopus cognoſcere, & approbare, eaque cognita concedere, vel negare debet licentiam in Monaſteriis *non exemptis*, uti patet ex Concilio Trid. *ſ.* 25. de Regul. c. 5. ibi: *nemini Sanctimonialium liceat exire è Mona-* 154

Digitized by Google

*Monaſterio, niſi ex aliqua cauſa ab Epiſcopo approbanda:* In Monaſteriis verò *exemptis* idem Epiſcopus cum Superiore Ordinis. Ita cum Sanchez, Donato, Pirrhing, Reiffenſtuel *citat. num.* 37. qui dicit, eſſe communem ſententiam, & hodiè certam ex Concilio Tridentino mox citato, quod univerſaliter, & indiſtinctè loquitur, conſequenter etiam eſt indiſtinctè intelligendum, & ex conſtitutione S. Pii V. quæ incipit: *circa Paſtoralis*, & eſt ordine 8. in Bullario Cherubini, in qua §. 2. poſtquàm allegatæ ſunt cauſæ exeundi, inter alias etiam infirmitas certa poſita, addit: *Quæ tamen infirmitas præter alios Ordinum Superiores, quibus cura Monaſteriorum incumberet, etiam per Epiſcoporum, ſeu alium loci Ordinarium: etiamſi prædicta Monaſteria ab Epiſcoporum, & Ordinariorum Jurisdictione exempta eſſe reperiantur, cognita, & expreſſè in ſcriptis approbata ſit, à præfatis Monaſteriis exire, ſed nec in prædictis extra illa, niſi ad neceſſarium tempus ſtare licere.* Sed Sanchez, & Caſtro-Palaus apud la Croix *l. 4. n. 69.* rectè dicunt attendendam eſſe conſuetudinem, quæ in Hiſpania eſt, ut quoad Moniales exemptas ſufficiat ſolius Superioris licentia.

155 Quantum ad ingreſſum in clauſuram Monialium, ea conſiſtit in hoc; quod nemo, ſive vir ſit, ſive fœmina, abſque peccato mortali, & pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda clauſuram Monialium ingredi poſſit, niſi legitimam cauſam habeat, & licentiam ab iis, qui concedere poſſunt: Ex *capite unico de ſtatu regularium in 6.* & Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. de regular. cap. 5.* ibi: *ingredi autem intra ſepta Monaſterii* (Monialium) *nemini liceat, cujuſcumque Generis, Conditionis, Sexus, vel ætatis fuerit, ſine Epiſcopi, vel Superioris licentia, in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda.* Accedit conſtitutio Gregorii XIII. *Ubi gratia*, quæ eſt ordine 28. in Bullario Cherub. ubi etiam revocat omnia privilegia ingrediendi à quocumque, & cuicumque conceſſa. Ratio hujus inſinuatur *cit. cap. de ſtatu Regular. in 6.* illis verbis: *ut ſic à publicis, & mundanis conſpectibus ſeparatæ* (Moniales) *omninò DEO ſervire valeant liberiùs, & laſciviendi opportunitate ſublata, eidem corda ſua, & corpora in omni Sanctimonia diligentiùs cuſtodire.* Excipiuntur tamen quædam Perſonæ, quibus non eſt prohibitus ingreſſus in clauſuram Monialium, quales ſunt. I. Pueri, & puellæ, defectu ætatis nondum uſum rationis aſſecuti, juxta communem cum Sanchez, Rodriquez, Barboſa, Miranda, Layman, Pirring, Donato apud Reiffenſtuel *in 3. Decret. tit. 35. de ſtatu Monach. n. 39.* Quia in his ceſſat ratio Legis prohibentis, periculum nempe, ne Moniales incitentur ad peccatum; ceſſante autem fine legis ceſſat ipſa Lex. Accedit praxis, & conſuetudo paſſim recepta, quæ eſt optima Legum interpres. Aliud eſt de amentibus, vel uſu debitæ rationis carentibus puberibus, vel adultis; quamvis enim hi intrando non peccent, peccant tamen Moniales, & alii eos admittendo utpotè in quibus ratio Legis, periculum nempe Monialium æquè, imò ſubinde magis, quàm in aliis militat. Imò monent Doctores, non facilè, & paſſim admittendos eſſe infantes, quia etiam hi tentationes, & habendi pericula Monialibus cauſant. II. Excipiuntur puellæ, quæ bonæ educationis, & inſtructionis gratia ingrediuntur, hæ enim de licentia Epiſcopi, vel Superioris cum conſenſu Superiorisſæ admitti poſſunt; dummodò certæ ſerventur conditiones, quarum prima eſt, ne id ab inſtituto Religionis ſpecialiter prohibeatur. Secunda, ut præter conſenſum Superiorisſæ accedat ſcripta licentia Epiſcopi, vel Superioris. Tertia, ut ibidem degant ſine ancillis, quantùmvis nobiles ſint. Quarta, ut clauſuram ſervent, ſicut Moniales. Quinta, ut decenti habitu virginali incedant. Sexta, ut ultra annum 25. ibidem non retineantur. Septima, ut à Parentibus repetitæ, ſtatim eiſdem extrahantur. Octava ut ſint ſeparatæ à loco Monialibus, & Novitiis deſtinato ad dormiendum, ac ad operibus manuum vacandum. Ita Rodriquez *tom. 1. quæſt. 46. art. 10.* Miranda, Sanchez Sorbus, Reiffenſtuel *citat. numer. 41.* Idque deſumitur ex pluribus declarationibus Cardinalium, quas refert Rodriquez citatus. III. Excipiuntur Imperatores, & Reges, eorumque uxores, filii, filiæque. Ita Rodriquez *cit. quæſtion. 48. art. 1.* Sanchez, Pelliſarius, Layman, Bonacina, & Alii. Ratio eſt; quia ſupremæ ſimiles Perſonæ, ſpeciali nota dignæ, non comprehenduntur ſub generalibus verbis Legis, niſi exprimantur, *arg. c. in generali 8. de regulis J. in 6.* idem dicendum de Perſonis ad honeſtum, & decentem comitatum præfatarum Perſonarum clauſuram ingredientium ſpectantibus. Ita Doctores citati. Ratio eſt: quia non eſt veriſimile, quòd Pontifices præfatis Perſonis facultatem intrandi clauſuram indulgentes, velint eas ſolas ingredi ſine comitatu Dignitatem decente. Quæ hactenùs de Imperatoribus, & Regibus, eorumque uxoribus, ac prolibus dicta ſunt, etiam ad Electores S. R. I. eorumque uxores, & proles, probabiliter extendi poſſe, docet Reiffenſtuel *cit. num. 43.* eo quòd de iiſdem eædem, quæ de Regibus, & Imperatoribus videantur militare rationes, conſequenter eadem Legis diſpoſitio. Nec obſtat, quòd S. Pius V. à clauſura ingredienda excipiat etiam Comitiſſas, Marchioniſſas, & Duciſſas. Nam Electores, & Electrices S. R. I. ſunt his Superiores, conſequenter in Lege odioſa non comprehenſæ, niſi exprimantur. *Arg. cap. 81. de Regul. Jur. in 6.* Accedit praxis, & conſuetudo ſaltem in Germania paſſim vigens. Quare etiam *Sanctorus* apud noſtrum Kerckhove *citat. cap. 4. §. 5. n. 4.* docet Archi-Duciſſas, & Magnas Duciſſas, ut Tuſciæ, Parmæ, Sabaudiæ &c. poſſe ingredi clauſuram, quia S. Pius V. à clauſura ingredienda non excepit eaſdem. IV. Excipiuntur probabiliter etiam Fundatrices, quæ cum honeſto comitatu Monaſteria, quæ fundarunt, ingredi poſſunt. Ita Suarez *tom. 4. de Religione tract. 8. lib. 1. cap. 7. num. 6.* Kerckhove *cit. num. 5. & cap. 5. §. 8. num. 63. in fine*. Ratio eſt: quia Fundatrices Monaſteriorum habent peculiarem rationem, ut non debuerint ſub generali prohibitione comprehendi, cùm ſint quaſi Dominæ ſuorum Monaſteriorum. Hinc Layman *lib. 4 tract. 5. cap. 12. num. 5.* dicit, quod in aliquibus Ordinibus conſuetudo ſit admittendi fœminas Fundatrices. Porrò Cardinalis Præneſtenſis Protector Ordinis Minimorum declaravit, *nullas mulieres debere vocari fundatrices, niſi locum ſive fundum ſuis Monaſteriis conceſſerint, aut Monaſterium propriis ſumptibus fabricari fecerint, ſive redditibus ad victum, & veſtitum fratrum dotaverint*. Ita Kerckhove citat. V. Etiam aliæ adhuc Perſonæ clauſuram Monialium ingredi poſſunt, quando adeſt moralis neceſſitas, ſive circa Monaſterium, ſive circa communitatem, ſive circa Monialem in particulari occurrens, cui abſque ingreſſu externorum per Moniales, vel aliter ſuccurri commodè non poteſt. Ita Rodriquez *tom. 1. quæſt. 46. art. 4.* Miranda, Sanchez, Barboſa, Portel. & communis Aliorum apud Reiffenſtuel *citat. numer. 52.* Ratio eſt: quia Concilium Tridentinum *ſeſſ. 5. de Regularibus cap. 5.* dicit; quòd *licentia intrandi dari tantùm poſſit in caſibus neceſſariis*, intellige, moraliter. Hinc ſequentibus cauſis, & caſibus licitè ingredi poſſunt Medici Chirurgi ad medendum infirmitati Monialium neceſſarii. Item fabri, miniſtri, & operarii neceſſarii pro conſtructione, conſervatione, aut reparatione alicujus ædificii, vel ſimilibus operibus perficiendis: item bajuli portantes Monaſterio neceſſaria tam oneroſa, ut à Monialibus plerumque debilioribus commodè portari nequeant. Item Hortulani pro interiori horto. Item Sartores pro veſtibus, non item ſutores pro calceis conficiendis, quia hi oſtenſa eis menſura calcei, vel ipſo calceo, extra ſua commoda peragere poſſunt, non item ſartores. Item famulæ ſæculares ad ſerviendum intus Monaſterio non tantùm ad breve, ſed etiam ad longum tempus, caſu quo Moniales non poſſent habere Profeſſas ad viliora munera, verbi gratia lavandum, purgandum Monaſterium &c. aptas, dummodò numquam è Monaſterio exeant, ſed unam cum Monialibus clauſuram ſervent, donec omnino dimittantur. Rodriquez *cit. quæſt. 44. art. 4.* Pirrhing *citat. de ſtatu Monachorum num. 4.* Miranda, Reiffenſtuel *citat. num 54.* VI. Confeſſarius ingredi poteſt clauſuram in caſu, quo Monialis aliqua ob infirmitatem alia via ad Confeſſarium, vel hic ad illam commodè venire nequit, ad audiendam ejuſdem Confeſſionem, & adminiſtranda eidem Sacramenta. *Ita omnes*. Quod non tantùm pro Articulo mortis, ſed etiam pro quovis tempore, quo aliæ Moniales communicant, vel confitentur, intelligendum venit: uti benè docet Rodriquez *tom. 1. quæſt. 47. art. 4.* id probans ex declarationibus Pontificum, Sanchez, Barboſa, Miranda cum communi. Quinimò docet Rodriquez citatus, Sanchez, Barboſa, Portel. adud Reiffenſtuel *citatum numer. 55.* etiam tunc poſſe ingredi Confeſſarium, quando aliis non communicantibus, aut confitentibus, infirma dicit, ſe pœnitentiæ Sacramento indigere, præſertim ab initio morbi. *Arg. cap. cùm infirmitas, de Pœnitentia, & Remiſſione*. Addit Rodriquez citatus, Miranda, Barboſa, poſſe etiam Prælatum, vel Confeſſarium Monialium in diebus, quibus cæteræ Moniales confitentur, & communicant, intrare clauſuram, ad celebrandum ibidem in infirmaria, & Oratorio, vel Altari ibidem decenter præparato, & communicandam unam vel plures infirmas, idque ex conceſſione Leonis X. quam in formalibus refert loco citato. Rodriquez, Barboſa *de Officio, & Poteſtate Epiſcopi allegat.* 102. *num. 49.* & Miranda, ut qui etiam benè deducit, dictum privilegium nullibi eſſe revocatum, quamvis ibidem concedat illicitum hodie eſſe, quovis tempore celebrare in infirmaria, ad ſolum finem, ut infirmæ audiant Miſſam. Ita *Reiffenſtuel cit. n. 56.* Item

Confeſſarius ingredi poteſt Clauſuram ad adminiſtrandum infirmæ Extremam Unctionem, ad aſſiſtendum agonizanti, ad ſepeliendam defunctam, & tunc cum 6. fratribus ex declaratione Pauli III. aliàs tantùm cum uno ſocio. Kerckhove *in ſtat. Generalia cap.* 5. §. 8. *n.* 41. *& ſeqq.* Similiter Superiores Monialium non poſſunt pro libitu clauſuram Monialium ingredi. Sed ut loquitur Gregorius XIII. Bulla: *Dubiis, quæ emergunt*, data 1581. 23. Decembris, *facultate ſibi ex officio attributa ingrediendi Monaſteria, ita tantummodò uti poſſunt, ſi id faciant in caſibus neceſſariis, & à paucis, iiſque ſenioribus, de Religioſis Perſonis comitati*, Cauſa autem ſufficiens ad hujuſmodi ingreſſum pro Prælatis erit juxta Miranda *de Sacris Monialibus, quæſt.* 2. *art.* 14. *&* 15. Pro Viſitatione Monialium: pro Capitulo culparum, dum aliter fieri non poterit; ut viſitent officinas, Dormitorium, Cellas, Supellectilem, & cætera item ad ædificium conſtruendum. Denique in aliis caſibus urgentibus, & neceſſariis.

156 Ad licitè ingrediendam clauſuram Monialium ordinariè loquendo, præter neceſſitatem Moralem requiritur licentia Epiſcopi reſpectu Monaſteriorum non exemptorum: reſpectu verò exemptorum requiritur, & ſufficit licentia Superioris Ordinis, juxta Ordinis conſtitutiones, vel conſuetudinem. Ita apud Reiffenſtuel *cit. num.* 57. Barboſa, Sanchez, Suarez, Miranda, Rodriquez, Pirrhing, & patet ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 5. *de regular.* ubi diviſivè loquendo dicit: *quod nemo ingredi poſſit Clauſuram Monialium ſine Epiſcopi, vel Superioris licentia in ſcriptis obtenta: dare autem Epiſcopus, vel Superior licentiam tantùm debet in caſibus neceſſariis.* Quæ licentia licet juxta verba Concilii debeat eſſe in ſcriptis obtenta, in caſibus tamen repentinæ neceſſitatis, & ubi eſt periculum in mora, ſi licentia Superioris in ſcriptis expectatur, ſufficit licentia oretenùs data, vel etiam interpretativa, ſi etiam circa hanc obtinendam ſit periculum in mora juxta communem: quia aliàs in hujuſmodi neceſſitatibus non eſſet ſatis conſultum Monialibus. Imo Miranda *de Sacris Monialibus quæſt.* 2. *art.* 57. *Concluſ.* 1. Rodriquez *Tom.* 1. *quæſt.* 46. *art.* 2. *in fine* Liamas, & alii docent, in ordinariis neceſſitatis caſibus, quibus ingredi poſſunt, v. g. Confeſſarii, Medici, Chirurgi, operarii, opifices, fabri &c. omninò non requiri aliquam licentiam ſpecialem in ſcriptis, vel oretenùs obtentam, etſi Superior ad manum ſit, & licentia facilè obtineri poſſit, ſed ſufficere licentiam Abbatiſſæ, idque ex interpretativa licentia Epiſcopi, vel Superioris, vel quia in his caſibus licentia habetur à Jure. Quæ ſententia (ait Reiffenſtuel *cit. num.* 60.) omnino probabilis eſt, & in praxi tuta; præſertim cùm etiam Regulatiſſimorum Monaſteriorum praxi & conſuetudine, quæ eſt optima Legum interpres, confirmetur. Poſtquam autem Epiſcopi, Superiores, vel alii clauſuram licitè ingreſſi ſunt, debent finito negotio, vel ceſſante cauſa, brevi iterùm exire, nec diu ibi ſe detinere poſſunt: tamen ſi poſt finitum negotium modico tantùm tempore ibi ſe detineant, v. gr. conſolandi infirmam, vel etiam viſitandi, aut videndi Monaſterium, aut officinas ejuſdem, vel etiam aliqualis diſcurſus gratia, non peccant. Ita Rodriquez *tom.* 1. *quæſt.* 47. *art.* 11, Pellizarius *tom.* 2. *tractat.* 10. *cap.* 5. *ſect.* 3. *n.* 166. Barboſa, Sanchez, Miranda, Reiffenſtuel *cit num.* 65. & communis aliorum. Ratio eſt: quia in tanto rigore præceptum Clauſuræ non videtur receptum, teſte conſuetudine. Quantum autem tempus requiratur ad hoc, ut quis finito negotio ſe detinens peccet mortaliter, non eſt facilè definire. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 32. putat, quòd per quadrantem ſe detinens nec venialiter peccet; notabiliter verò ultra mediam horam, moram trahens, peccet mortaliter, & ſequitur *Pellizarius cit.*

157 Dices: ſi hæc ita ſe habent quoad Clauſuram Monialium cur ergo videmus, ea non ita obſervari in omnibus Monaſteriis Monialium? Reſpondeo cum noſtro P. Kerckhove *in ſtatuta noſtra Generalia cap.* 5. §. 8. *num.* 12. Quòd cùm Monialium Clauſura ſolius ſit Juris humani, poſſit alicubi conſuetudine eſſe derogatum Decretis clauſuram indicentibus, quia poſſunt non eſſe recepta, aut contraria conſuetudine abolita; nam contra Jus humanum contraria poteſt conſuetudo prævalere. Ita Azorius *tom.* 1. *lib.* 13. *cap.* 8. *quæſt.* 5. Sanchez, & Alii communiter. Et ſic videmus in Belgio nonnulla Monaſteria, etiam Monialium ſolemniter profeſſarum, ubi Clauſura hactenùs, nec introducta, nec obſervata eſt. Nihilominus (*ait Reiffenſtuel cit. num.* 66. *&* 67.) Si Epiſcopi, vel Superiores regulares animadvertant, quòd occaſione hujuſmodi conſuetudinis in Monaſterio aliquo, varia eveniant inconvenientia, vel naſcantur ſcandala, vel notabiliter patiatur diſciplina regularis &c. poſſunt, & graviſſimè tenentur hujuſmodi conſuetudines tollere, vel ſaltem pro exigentia circumſtantiarum moderari, ipſamque Clauſuram denuò reſtituere: ubi verò hujuſmodi conſuetudines nondum vigent, neutiquam permittere, ut introducantur. Ita Communis DD. ob clara verba Concilii Tridentini *ſeſſ.* 25. *de regular. cap.* 5. ubi graviſſimam hanc obligationem tremendis verbis imponit, videlicet *ſub obteſtatione Divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ.* Ratio eſt: quia conſuetudo, quæ ab initio, vel cum tempore incipit præbere occaſionem peccandi, vel eſt utilitati communi pernicioſa, non ampliùs eſt rationabilis, ſed irrationabilis, & mala corruptela, ſicque nec licita, nec valida ex *c. finali de conſuetudine.*

IV. Propter caſtitatem à viris religioſis ſervandam introducta eſt clauſura Monaſterii regularium virorum, quæ quoad *egreſſum* conſiſtit in hoc, & obligat, ut nullus Religioſus abſque licentia Superioris, & ſocio per Superiorem aſſignando e clauſura Monaſterii exeat. Ita communis, & patet ex conſtitutione Clementis VIII. ſuper reformatione Regularium edita, quæ incipit: *Nullus*, ordine 60. in Bullar. Cherub. ubi §. 52. ad propoſitum ita ſtatuitur: *Nullus e Conventu egredi audeat, niſi ex cauſa, & cum ſocio, licentiaque ſingulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore, qui non aliter eam concedat, niſi cauſa probata, ſociumque exituro adjungat, non petentis rogatu, ſed arbitrio ſuo, neque eundem ſæpiùs. Licentiæ verò generales exeundi nulli concedantur. Contravenientes autem pœna gravi, etiam carceris, Superioris arbitrio plectantur. Eamdem etiam janitor habeat, ſi ſciens exeundi facultatem fecerit: cum autem quis in Conventum revertitur, Superiorem iterum adibit benedictionem recepturus; qui à ſocio itineris rationem, & quid rei actum ſit, diligenter perquirat,* Hucuſque Clemens VIII. Sed difficultas eſt, quale ſit peccatum ſine licentia Superioris è Monaſterio exire? Reſpondet noſter Pater Kerckhove citatus *cap.* 4. §. 2. *num.* 50. eſſe ex genere ſuo mortale. Ita Lezana *tom.* 1. *cap.* 56. *num.* 2. Pellizarius, & Alii communiter. Ratio eſt: quia conſuetudo, & uſus omnium Religionum obtinuit, ut hujuſmodi egreſſus ut culpa gravis ſemper puniatur. Ait tamen Pellizarius *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 11. Reiffenſtuel *tit.* 35. *de ſtatu Monachorum, numer.* 69. Non peccare mortaliter, ſed tantùm venialiter, exeuntem de die ſine licentia, niſi ex contemptu, aut cum ſcandalo id faciat, uti contra Suarez bene docet, & ſolidè probat Navarrus *comment.* 4. *de Regul. n.* 35, Barboſa *in Conc. Trident. ſeſſ.* 25. *c.* 4. *n.* 3. Mirand. *t.* 1 *q.* 32. *art.* 2. *Concl.* 2. Lezana *V. Clauſura*, & communis Aliorum. Ratio eſt: quia cùm clauſura Monaſterii virorum quoad egreſſum tam ſtrictè non obliget, uti Monialium; nec uſpiam reperiatur in Jure tam gravis obligatio, non cenſetur materia gravis, ſemel vel iterum abſente ſcandalo, vel contemptu, aliave circumſtantia gravi è Monaſterio ſine licentia Superioris exire. Ita *Reiffenſtuel c.* Porrò ad egrediendum ſufficit etiam licentia interpretativa, ſaltem in caſu, quo Superior commodè adiri nequit, uti *l. c.* benè obſervat Miranda. Nec requiritur cauſa neceſſaria ad dandam egrediendi licentiam, uti ad egreſſum Monialis, ſed ſufficit quævis rationabilis: v. g. utilitas etiam modica Conventus, vel religioſi, charitas proximi, &c. Caret controverſia. Aliud dicendum de nocturno, & furtivo egreſſu, de quo 158

159 Quantum ad Clauſuram Monaſterii Religioſorum *quoad ingreſſum*, hæc principaliter conſiſtit in hoc, ne illam ingrediantur, vel in eam admittantur mulieres. Nam omnes, & ſingulæ mulieres, ſive prætextu alicujus privilegii ante Sanctum Pium Quintum, vel Gregorium Decimum Tertium conceſſi, ſive abſque prætextu privilegii clauſuram Monaſterii virorum ingredientes, & Religioſi eaſdem admittentes, vel introducentes, excommunicationem ipſo facto incurrunt; Regulares verò præter peccatum grave, & excommunicationem, etiam privationem officiorum, quæ habent, & inhabilitatem ad alia, nec non ſuſpenſionem à Divinis incurrunt. Ita noſter Pater Kerckhove *in ſtatuta Generalia cap.* 4. §. 5. *num.* 3. Reiffenſtuel *tit.* 35. *de ſtatu Monachorum numer.* 74. & apud ipſum Hyacinthus Donatus, Navarrus, Pellizarius, Azorius, Sanchez, & Suarez, *tom.* 4. *de religione tract.* 8. *lib.* 5. *cap.* 7 *numer.* 9. Ratio eſt: quia Sanctus Pius Quintus in declaratione, quæ incipit: *decet Romanum*, inter alia expreſſè ſic habet: *Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium dicimus, & declaramus, fuiſſe, & eſſe mentem, & intentionem noſtram, quòd dicta littera* (videlicet ipſius Bullæ, quæ incipit: *Regularium Perſonarum*) *non ſolùm comprehenderent, & comprehendant mulieres habere prætendentes facultatem, & indultum ingrediendi Monaſteria, ſed etiam, & quaſcumque mulieres alias, tam in genere, quàm in ſpecie.* Excipiuntur tamen. I. Puellæ defectu ætatis nondum rationis uſum aſſecutæ, non tamen ſatuæ puberes, ſicut dictum

ſu-

Digitized by Google

*ſuprà n.155.* II. Imperatrices, Reginæ, earumque filiæ, etſi ſint nuptæ viris inferioribus, ſicut etiam Archi-Duciſſæ, ac Electrices S. R. I. ac etiam Monaſteriorum Fundatrices, juxta ſuprà *dicta n.155.* III. Mulieres poſſunt religioſorum Monaſteria ingredi abſque obtenta ſpeciali licentia in aliquibus caſibus in conſtitutione S. Pii V. *Decet Romanum Pontificem*, contentis, ſub his verbis: *ſignificantes nihilominùs, quòd propter hoc, & prædictas noſtras litteras non intelleximus, nec quòd mulieribus præcluderetur, nec præcludatur aditus ad Monaſteria, & loca regularia, & eorum Clauſtra, quando in eis Miſſa, & alia Divina officia celebrantur, ac dum proceſſiones fiunt, & quando Chriſti fidelium cadavera ibi ſepeliuntur, ac etiam pro eis ſuffragia fiunt, ſed liberè perpetuò concedimus eiſdem omnibus mulieribus facultatem, ut ad illa loca, in quibus dicta pia opera exerceantur, cum aliis Catholicis perſonis accedere liberè, & licitè poſſint, & valeant. Similiter, quòd quando Divinum verbum in Clauſtris Monaſteriorum, & regularium locorum proponitur, vel per aliam quamcunque cauſam tantus concurſus populi fuerit, quòd commodè ingredi non poſſint, & egredi per portam Eccleſiæ perpetuò concedimus, ut dictæ mulieres, unà cum aliis ſæcularibus perſonis ingredi poſſint, & egredi per portam Clauſtri Monaſteriorum, & locorum regularium hujuſmodi, dummodo recto tramite accedant ad portam, quâ exitur è Monaſterio, ſicque volumus pariter, & indulgemus.* Ita S. Pontifex cit. Circa quam conſtitutionem notat Lezana apud Kerckhove *cit. n.* 18. Quod licèt ea fuerit facta intuitu Congregationis Montis Virg. Poſteà tamen ob communicationem privilegiorum ab aliis ordinibus accepta ſit. Per *Alia* autem *Divina officia* in hac conſtitutione intelligit Sanctus Pontifex (*juxta Kerckhove cit. nu.* 20.) alia officia pia ſolemnia, ut ſi inter Clauſtra fiat ſermo prædicationis, aut lotio pedum in die Cœnæ celebretur; vel quando datur habitus, vel fit Profeſſio Novitii, vel ſepelitur defunctus, vel pro eo ſuffragia fiunt. Item quando proceſſionaliter defertur ad infirmum in infirmaria, vel interiori Clauſtro manentem SS. Euchariſtia, &c. Notat tamen noſter Portel. apud Kerckhove *cit. n.* 23. *Si* manè fiat proceſſio in Clauſtro, non poſſint mulieres veſperi ingredi ſolùm ad videndum Clauſtrum. Admittit verò Portel. apud, & cum Kerckhove *cit. n.* 19. Coriolano, & aliis, poſſe Prælatum regularem intra clauſtra Monaſterii conſultò inſtituere proceſſionem extraordinariam, adhoc, ut feminæ ingredi poſſint occaſione illius. Ratio eſt: quia hoc nullibi legitur prohibitum, & cum fœminæ occaſione proceſſionis ordinariæ poſſint ingredi Clauſtrum, cur non occaſione proceſſionis extraordinariæ, cùm tam benè in una, quàm in altera præcaveantur pericula, & ſcandala? IV. Feminæ poſſunt ingredi Sacriſtiam regularium virorum, ſi habeat portam in Eccleſia poſitam, licèt etiam habeat alteram in clauſtro Monaſterii juxta dicta ſuprà *n.* 315. Item ſi religioſi in reſidentia tamquam in domo privata ad tempus vivant, non cenſetur ea habere Clauſtrum; ſecùs ſi ſit reſidentia perpetua, habens Eccleſiam cum Euchariſtia. Ita Layman *lib.* 4. *tr.* 5. *cap.* 12. *num.* 5. cum Sanchez. Pariter fœminæ poſſunt admitti intra domos, & Monaſteria cœpta ædificari, ſed nondum finita, in quibus habitant aliqui religioſi ad ſervitium Fabricæ. Ita communis apud Kerckhove *in ſtatuta noſtra Generalia cap.* 4. §. 5. *num.* 13. Sorbus, Pellizarius, &c. tum quia Sorbus *in compend. privileg. V. ingredi Monaſteria, in annotat. nu.* 13. pro hoc refert declarationem Cardinalium: tum quia hujuſmodi domus, & Monaſteria nondum cenſentur eſſe conventus, nec habere adhuc clauſuram. Similiter permitti poteſt conſuetudo quorumdam Monaſteriorum, in quibus mulieres honeſtæ admittuntur ad domum, ſeu aulam Abbatis, vel Præpoſiti regularis, quæ ſejuncta eſt à clauſtro Conventus, & unius Abbatis, ſeu Præpoſiti, ejuſque officialium uſui deputata: dummodò talia ſine ſcandalo, & quavis ſpecie, aut ſuſpicione mali fiant. *Ita Layman cit.*

Petes, An detur parvitas materiæ in violatione Clauſuræ?

160 Reſpondet la Croix *lib.* 1. *num.* 673. Si monialis egrediatur è Clauſura, aut alius ingrediatur Clauſuram monialium ad duos pedes, & ſtatim redeat, eſt materia levis uti rectè *Naldus, Graſſus, & Diana* R. 22. contra *Sanchez*, & alios, qui dicunt eſſe materiam gravem, & mortale, niſi maneret in oſtio, aut pars una corporis maneret intrò, vel extrà. Ratio noſtra eſt: quia finis præcipuus legis eſt cavere pericula Monialium, & occultare velut mortuas mundo, contra quem hic non agitur notabiliter.

### §. IV. *Religioſus ex Voto obedientiæ obligatur obedire in omnibus, quæ Superior præcipit ſecundùm regulam, & Conſtitutiones ſui Ordinis.*

I. Obedientia communiter definiri ſolet ſecundùm Doctores, quòd ſit virtus, quæ promptum facit hominem ad implendum mandatum Superioris. Igitur religioſus ex voto obligatur ad ea omnia, quæ ſuperior præcipit ſecundùm regulam, & Conſtitutiones ſui ordinis, ſive directè, & expreſsè: ſive indirectè, & implicitè, qualia ſunt illa omnia, quæ ad regulæ obſervantiam ſunt neceſſaria. Ratio eſt, quia ad hæc omnia ſe obligavit religioſus eo ipſo, quo profeſſionem emiſit ſecundùm regulam & ad obediendum ſe voto obſtrinxit. Eſtque hæc obligatio gravis ex genere ſuo; quamvis ſuperior (ut notant DD. apud noſtrum Herinex *part.* 3. *tract.* 4. *diſp.* 5. *qu.* 9. *num.* 55.) de facto ordinariè non velit graviter obligando præcipere, niſi mentem ſuam adjunctione termini obedientiæ, gravis cenſuræ, aut alio ſigno manifeſtet. Dictum eſt, *quæ ſuperior præcipit ſecundùm regulam*: Nam præcipienti aliquid contra regulam, (niſi fortè in quibus diſpenſandi habet facultatem, & juſtam cauſam) non tenetur obedire religioſus juxta communem apud Maſtrium *Theol. Moral. diſp.* 14. *qu.* 1. *art.* 3. *nu.* 24. In dubio autem, num materia præcepta ſit licita, tenetur obedire, tum quia ſuperior habet jus certum præcipiendi, à quo non deturbatur per dubium ſui ſubditi, hinc S. Bernardus *lib. de diſpenſ. & præcepto c.* 9. ait; *Quidquid vice Dei præcipit homo quod non ſit tamen certum diſplicere Deo; haud ſecùs omnino accipiendum eſt, quàm ſi præcipiat DEUS.* Tum quia ſequeretur confuſio, & deſtructio communitatis, ſi prætextu dubii ſubditus nollet obedire ſuperiori. Quæ rationes etiam probant ſubditum teneri obedire ſuperiori, etiamſi ſubditus haberet ſententiam probabilem, materiam præceptam eſſe illicitam. Qua de re vide P. Patritium Sporer *tractat.* 1. *Prælim. cit.* 3. *ſect.* 6. *num.* 38. Hoc adhuc addo ex noſtro Maſtrio *cit. num.* 57. Si Capitulum Generale, aut hi, quorum eſt leges condere, vellent regulam collapſam ad priſtinum ſtatum reducere, tenerentur profeſſi eam reformationem acceptare. Ratio eſt: Quia profeſſus ex vi profeſſionis cenſetur ſe obligaſſe ad procurandam illius religionis conſervationem, ac quàm cùm maximè neceſſaria ſit regulæ in priſtinum ſtatum reſtitutio, ad hanc procurandam, vel non impediendam ſe tacitè obligaſſe cenſendus eſt. Et inde à fortiori inferunt Doctores, teneri moniales admittere reformationem Bonifacii VIII. *c. un. de ſtatu regularium, in* 6. innovatam à Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 5. *de regularibus* de ſervanda *Clauſura*, aut ea introducenda: quia *Clauſura* eſt omninò neceſſaria feminis ad plenam voti caſtitatis obſervantiam. Ita communis apud Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 9. *num.* 5. 161

II. Non eſt certum, quod docent Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 13. *quæſt.* 4. Sanchez, Miranda apud Layman *citat. num.* 4. item Maſtrius *cit. num.* 29. Quod regularis ſubditus non teneatur obedire Prælato ſuo præcipienti actus merè internos, verbi gratia orationem mentalem. Nam contra eſt (*ait Layman citatus*) quòd homo vovere poteſt, quidquid ſanctum, Deoque gratum exiſtit: atque obedire Prælato præcipienti actus internos virtutum, verbi gratia orationem mentalem, eſt opus Deo gratum, & magnæ perfectionis, ut indicat D. Thomas *in* 2. *d.* 44. *qu.* 2. *artic.* 5. *ad* 3. Ergo ad talem obedientiam homo ſe voto obſtringere poteſt, uti docet Suarez *lib.* 4. *de legibus, cap.* 12. *in fine.* Neque eſt improbabile, quod religioſi ſaltem aliquarum religionum, in quibus ſtricta obedientia viget, ad talem obediendi ſeveritatem ſe obligent, cùm velint fieri ſicut holocauſtum, quo ſe totos, ac præcipuè voluntatem ſuam Deo in manibus, ac poteſtate Prælati offerunt. Quod confirmatur ex eo, quia in multis religionibus præcipitur ſubditis, ut ad certam particularem intentionem orent, vel ſacrificent: cùm tamen talis intentio operi omninò accidentaria, cenſeri debeat merè interna. Monet tamen Suarez in cit. loc. non eſſe conſultum, & fortaſſe in nulla religione conſuetum, ut actus interni, qui exteriùs nullo modo produntur, præcipiantur ſub obligatione peccati: quamvis abſolutè loquendo præcipi poſſint. 162

III. Difficultas eſt non parva, an religioſus teneatur obedire Prælato ſuo præcipienti, ut exponat ſe periculo mortis ad bonum proximi, v. g. an tempore peſtis teneatur religioſus, obedire Prælato ſuo præcipienti, ut miniſtret infirmis Sacramenta? Ad cujus difficultatis ſolu- 163

tionem procedendum eſt cum diſtinctione. Si enim peſtis eſt inter religioſos, & in Monaſterio, tenetur religioſus obedire Prælato ſuo præcipienti, ut miniſtret infirmis ſuæ religionis, tam temporalia, quàm ſpiritualia, ad ſalutem corporis, & animæ neceſſaria. Ratio eſt: quia religioſos præſtare ſibi invicem mutua hæc miniſteria, & pietatis obſequia, ad conſervationem religionis ſpectantia, concernit regulam, quam profeſſi ſunt, & ideò tenentur ad ea etiam cum vitæ periculo: ſicut tenentur cum eodem periculo milites in bello præliari; quoniam hoc vitæ periculum concomitanter ſe habet ad opus, quod per ſe præcipitur, ſcilicet ſervitium infirmorum: quod ſi hoc verificatur de regularibus in communi, ut docent *Cajetanus*, *Rodriquez*, *Sanchez*, *Lezana*, & Alii communiter apud *Maſtrium cit. num.* 27. tantò magis in Fratribus Minoribus verificari debet: qui circa curam Fratrum infirmorum habent in regula ſingulare præceptum. Si verò peſtis ſævit in ſæculo, & extra ordinem, non tenetur regulariter, & per ſe religioſus obedire Prælato ſuo, ut miniſtret infirmis extraneis cum periculo vitæ. Ratio eſt: quia religioſum ſervire infirmis extraneis cum periculo vitæ, non eſt ſecundùm regulam, ſed ſupra illam. Dixi; *regulariter, & per ſe*: quia per accidens, & in caſu, quo deeſſent Parochi qui infirmis Sacramenta miniſtrarent, vel qui ob multitudinem infirmorum non ſufficerent, tunc teneretur religioſus obedire, & Sacramenta extraneis miniſtrare. Ratio eſt: Quia religioſi, præſertim, Mendicantes, & Alii; quorum inſtitutum eſt ſaluti proximorum incumbere; ſunt Epiſcoporum, & Parochorum coadjutores in ſalute proximorum procuranda, & ob id fidelium eleemoſynis ſubſtentantur. Ita *Maſtrius cit.* cum Doctoribus citatis, qui ob eandem rationes idem aſſerit de tempore hæreſis, quæ eſt peſtis animæ ſpiritualis, ſcilicet religioſos teneri obedire Prælato ſub præcipienti, ut aſſiſtant alicui loco, ad prædicandam, & contra Hæreticos defendendam Catholicam fidem, etiam cum periculo vitæ. Ex his omnibus

174 IV. Colligitur, *religionem S. P. N. Franciſci*, in tanto perfectionis gradu obſervantiam præſcribere trium votorum ſubſtantialium, ut gradus perfectior dari vix poſſit. Enim verò *Obedientia* in ea uſque eò vovetur, ut non tantùm in iis, quæ expreſsè præcipiuntur in regula, ſed etiam in omnibus aliis ſine ulla exceptione obedire teneatur Franciſcanus, niſi aliquid præcipiatur, quod eſt contra Deum aut peccaminoſum, vel poſitivè contra regulam: uti patet ex *cap.* 10. *regulæ*, ibi: *Præcipio firmiter eis, ut obediant ſuis Miniſtris* (id eſt, Superioribus, quos S. Pater appellat Miniſtros) in omnibus, quæ promiſerunt Domino obſervare, & non ſunt contraria animæ ſuæ, & regulæ noſtræ. Ut proin illud *D. Bernardi* locum non habeat in religione Franciſcana: *nihil mihi præcipiat Prælatus, quid non vovi*: uti rectè notat P. Patritius Sporer ſupracit. Votum *Paupertatis* non tantum in particulari, ſed etiam in communi conſequenter in ſummo gradu in ea emittitur, quod nulla alia religio habet teſte ipſo Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *de regularibus cap.* 3. *Votum Caſtitatis* in tanto perfectionis gradu vovetur, ut non tantùm omnem in-& externam impudicitiam, & quodvis ejus periculum, ſed inſuper omnem etſi non malam, ſed indifferentem, vel etiam de ſe bonam converſationem mulierum, ſuſpectam tamen, vi regulæ vitare ſub peccato gravi teneatur quivis hujus S. Religionis profeſſus, Quid verò ex his omnibus ſequatur, relinquo aliis faciendam conſequentiam.

## QUÆSTIO III.

*De Religioſis aſſumptis ad Cardinalatum vel Epiſcopatum. Item de tranſeuntibus ad aliam Religionem: item de ejectis, fugitivis, ac Apoſtatis.*

## SUMMARIUM.

166 *Papa poteſt diſpenſare in votis ſolemnibus.*
167 *Tamen religioſus factus Cardinalis, vel Epiſcopus iiſdem votis adhuc obligatur.*
168 *Imò tenetur portare habitum ſuæ Religionis:*
169 *Licet non obligetur ad alia regulæ præcepta.*
170 *Poteſt Religioſus Profeſſus in una religione tranſire ad aliam.*
171 & ſeq. *Si concurrant certa conditiones.*
174 *An ſit conſultum, ab una religione tranſire ad aliam?*
175 *Poteſt religioſus validè profeſſus ab Ordine expelli ob juſtam cauſam, ſcilicet incorrigibilitatem.*
176 *Quis ſit incorrigibilis?*
177 & 178 *Quis poſſit talem expellere?*
179 *Ad quid teneatur expulſus, ſeu ejectus?*
180 *Quis ſit religioſus fugitivus?*
181 *Quis Apoſtata?*
182 *Ad quid teneantur fugitivi, & Apoſtatæ?*
283 & 184 *Quæ ſint eorum pœna?*
185 *Quæ actiones Religioſi ſint ſpecialiter prohibitæ?*

## ASSERTIO III.

165 *Religioſus ad Cardinalatum, vel Epiſcopatum extra Ordinem aſſumptus manet adhuc verus religioſus, ac proinde votis eſſentialibus ſuæ religionis adſtrictus; religioſus Profeſſus, quantum eſt de Jure communi, poteſt de una Religione ad aliam tranſire, ſi requiſita de Jure concurrant conditiones: religioſus legitimè profeſſus poteſt ex Ordine expelli legitima de cauſa, quæ hodie ſola eſt incorrigibilitas. Religioſi fugitivi, & Apoſtatæ tenentur non tantùm ad tria vota ſubſtantialia, ſed etiam ad omnes alias conſtitutiones regulares ſub peccato obligantes.* Eſt communiſſima Doctrina apud Auctores citandos.

### § I. *Religioſus factus Cardinalis, vel Epiſcopus.*

166 I. Summum Pontificem diſpenſare poſſe in voto ſolemni Religionis, ac profeſſione religioſa, negant Thomiſtæ communiter cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 2. Affirmat tamen Scotus in 4. *d.* 38. *quæſt. unic.* & cum eo Alii omnes extra Scolam Thomiſticam, Summum Pontificem ex juſta cauſa reſpiciente boırum commune alicujus Regni, & Reipublicæ poſſe diſpenſare in voto ſolemni religionis. Ita cum noſtro Doctore Subtili Scotiſtæ omnes, & Cajetanus etiam ex Thomiſtis 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 2. Sanchez Coninch, Leſſius, Reginaldus, Bonacina, Hurtadus, Azorius, & Alii paſſim apud noſtrum Maſtrium *Theol. Mor. diſp.* 20. *quæſt.* 5. *art.* 4. *num.* 116. Ratio eſt: Tum quia defacto Summi Pontifices non ſemel diſpenſarunt in votis ſolemnibus religionis; exempla videri poſſunt apud *Maſtrium cit.* Tum quia Summus Pontifex poteſt diſpenſare in votis ſimplicibus; ergo etiam, ſaltem ipſe, poterit diſpenſare in votis ſolemnibus, cùm voti ſolemnitas ſit Juris ſolùm Eccleſiaſtici, uti benè probat P. Patritius Sporer *Theol. Sacrament. part.* 4. *cap.* 1. *ſect.* 1. *num.* 41. in quo utique Papa diſpenſare poteſt. Licet enim profeſſio Religioſa obliget jure naturali, & Divino, in quibus Pontifex nequit directè, formaliter, & propriè diſpenſare, ut diximus *capite præcedenti ſect.* 2. *num.* 64. poteſt tamen in eis diſpenſare indirectè, materialiter, & impropriè, ut diximus loc. cit. & ſic corruit fundamentum Thomiſtarum, dicentium; ideò Papam non poſſe diſpenſare in profeſſione religioſa, quia obligat Jure Divino, & naturali.

167 II. Quamvis ergo Papa de abſoluta ſua potentia diſpenſari poſſit in votis religionis ſolemnibus, per hoc tamen præcisè, quòd aliquem religioſum aſſumat ad Cardinalatum, vel Epiſcopatum, non diſpenſat cum ipſo in iiſdem, ſed talis religioſus manet verus religioſus, & proinde votis eſſentialibus religionis obſtrictus. Hoc colligitur ex Gloſſa *cap.* 3. 16. *quæſt.* 1. *& c. unico*, 18. *quæſt.* 1. Rationem aſſignat D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 185. *art.* 8. Quia diſpoſitio ad aliquam perfectionem, ipſa adveniente non tollitur, ſed ſtatus religioſus ad hujuſmodi dignitates comparatur, ſicut diſpoſitio ad perfectionem: ergo advenientibus illis non tollitur ſtatus religioſus, & conſequenter cum tali religioſo in prædictis votis non diſpenſatur, licèt quoad aliquos effectus paupertatis, & obedientiæ exemptus cenſeatur. Et quidem de *Voto Caſtitatis* nullum eſt dubium nam in religioſo ad Epiſcopatum promoto magis obligat, eo quòd per dignitatem Epiſcopalem magis fiat Deo dedicatus & conſecratus. Quoad *Votum Obedientiæ*, licèt non maneat in religioſo facto Epiſcopo, ſicut erat anteà, manet tamen reſpectu Summi Pontificis; ita ut ultra obligationem, quam habent generaliter omnes fideles, ac alii Cardinales, & Epiſcopi ad obediendum illi, teneatur religioſus factus Epiſcopus ex vi voti obedientiæ in profeſſione religioſa emiſſi, illi ſpecialiter obedire. Quoad *Votum paupertatis* autem, licèt eo obſtrictus maneat, quia per ſupradictas dignitates non confertur illi Dominium bonorum Eccleſiaſticorum, ſed ſolùm eorum adminiſtratio ex voluntate Papæ quod voto paupertatis non repugnat, poteſt tamen de illis diſponere inter vivos de ſui Epiſcopatus redditibus, eo modo, quo Epiſcopus ſæcularis: unde poteſt de illis diſponere ad moderatam ſui, & familiæ ſuſtentationem ſecundùm decentiam ſtatus, ad pia opera, Eleemoſynas, & cætera. Ratio eſt: Quia licet Religioſus

fa-

Digitized by Google

factus Epiſcopus non habeat Dominium ſuorum reddituum, habet tamen dependenter à voluntate Pontificis liberam illorum adminiſtrationem in honeſtos, & pios uſus. Hæc eſt communior, & probabilior opinio, quam docent cum D. Thoma citato, Suarez, Henriquez, Sanchez, Layman Leſſius, Molina, & Alii paſſim, ut videre eſt apud noſtrum Maſtrium *Theol. Moral. diſput.* 14. *quæſt.* 1. *art.* 2. *numero* 17.

168 III. Ex quibus inſert *Maſtrius cit. nu.* 19. Religioſum factum Epiſcopum teneri ea præcepto portare habitum ſuæ Religionis, qui eſt ſignum obligationis ad vota Regularia. Ratio eſt: Quia obligatio portandi illum non eſt ex ſolo mandato Regulæ, aut Conſtitutionum, ſed ex jure Canonico, *cap. penul. fin. de vita, & honeſt. Clericorum*: etſi quoad figuram habitus Epiſcopis ſæcularibus ſe conformare poſſit, retento ſolùm colore habitus ſuæ religionis, ut Clemens VIII. conceſſit in Rituali Romano reformato: non tamen ſubjacet cenſuris, aut pœnis à ſua religione contra tranſgreſſores votorum, aut Regulæ latis: quia non ampliùs manet ſub Juriſdictione religionis, aut Prælatorum ipſius.

169 IV. Quod attinet alia regulæ præcepta, Religioſus factus Epiſcopus ex obligatione Moralis honeſtatis ea obſervare debet, quæ ipſius munus non impediunt, & Officium Pontificale, cujuſmodi ſunt ſolitudo, ſilentium, aut vigiliæ graves, quibus impotens redderetur ad illud exequendum. Hæc tamen obligatio eſt ſolùm ſecundùm decentiam non obligans ad culpam, vel pœnam: quia Religioſus factus Cardinalis, aut Epiſcopus eatta Ordinem, liberatur, & eximitur à jugo Religionis, *cap. unic.* 18. *quæſt.* 1. Ita DD. citati. Exemplar, & ſpeculum Religioſorum, qui fiunt, Epiſcopi, fuit noſter *S. Ludovicus* filius Caroli II. Regis Siciliæ, qui relicto regno, quod ſibi hæreditaria ſucceſſione debebatur, factus Franciſcanus, à Bonifacio VIII. ad Epiſcopatum Toloſanum promotus eſt, prout legere eſt in ejus vita in noſtris Chronicis Seraphicis.

### *§. II. Religioſus tranſiens ab una Religione ad aliam.*

170 CErtum eſt de Jure communi, poſſe Religioſum profeſſum de una Religione ad aliam tranſire, ſi requiſitæ de jure conditiones concurrant. *Omnes*, ob clara jura *c. licèt*, 18. *de Regularibus, & tranſeuntibus &c.* quod etiam intellige de Monialibus, textu expreſſo *Can.* 1. *cauſa* 20. *quæſt.* 4. ibi; *Virgines Sacræ, ſi lucro animæ ſuæ propter ſtrictiorem vitam ad aliud Monaſterium pergere diſpoſuerint, concedit Synodus*. Ut autem tranſitus licitè fiat, requiruntur ſequentes conditiones.

171 I. Ut non fiat ea inconſtantia, levitate, temeritate, ira, vel paſſione inordinata, ſed ea ſancta intentione, verb. gr. ea zelo majoris perfectionis. Ita Sanchez *lib. 6. Moralium, c.* 17. Fagnanus, eoque teſte omnes apud Reiffenſtuel *in* 3. *decret. tit.* 31. *n.* 262. Item requiritur, ut fiat tranſitus ad ordinem ſtrictiorem. Ita Rodriq. *t.* 3. *q.* 52. *art.* 4. Sanch. Abbas, Pirrhing, Fagnanus, Miranda, & Alii apud *cit. Reiffenſtuel, num.* 263. quem vide. Ex quo colligitur, nulli ex Ordine noſtro Seraphico licere ad aliam quamcunque Religionem tranſire juxta conſtitutionem Julii II. Tum quia ſi non aliis perfectior, ſaltem in perfectione nulli eſt ſecunda juxta *numer.* 264. Tum quia rigidior, & aſperior, eſt quavis alia prout poſt S. Bonaventuram, & Cordubam docet, & probat Miranda *Tom.* 1. *quæſt.* 31. *art.* 11. pateteque *ex cap.* 2. ipſius regulæ à DEO dictatæ, ubi de pſofeſſis dicitur: *nullo modo*, ) conſequenter nec per tranſitum *ad aliam Religionem licebit eis de iſta Religione exire*. Ratio additur: *Quia ſecundùm ſanctum Evangelium, nemo mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retrò, aptus eſt regno DEI.*

172 II. Requiritur, ut non fiat cum gravi jactura temporali, vel infamia primæ Religionis. Ita communis *ex c. licèt, de Regular.*, ibi: *ne in jacturam, vel injuriam ſui Ordinis*. Ratio eſt: Quia communis utilitas ſpeciali utilitati præfertur, nec quiſquam debet eſſe lapis offenſionis, & ſcandali. Item requiritur, ut tranſire volens ſit ſubditus, & non Superior aliquis, vel Prælatus: Quia talis ſine expreſſa licentia Papæ ad aliam Religionem tranſire nequit juxta communem *ex cap. licèt §. ſi verò de Regularibus*: ibi: *illa ſemper regula inviolabiliter obſervata, ut nullus abſque licentia Romani Pontificis præſumat occaſione quacunque deſerere Præſulatum*. Item requiritur, ut Religio, à qua fit tranſitus, non habeat privilegium, vi cujus prohibetur ad aliam Religionem tranſire. Cujuſmodi privilegium hodiè fermè omnes, paucis exceptis habent.

173 III. Requiritur, ut tranſire volens priùs à Superiore petat licentiam tranſeundi ad aliam religionem: quamvis neceſſariò non requiratur, ut ſit obtenta. Communis *apud Reiffenſtuel cit num.* 267. *ex cap. licèt, de regularibus*. Item requiritur, ut antequàm fiat tranſitus, & licentia concedatur ad eundem, Superiori conſtet, an aliqua, & quæ religio ſtrictior parata ſit tranſire volentem ſuſcipere: priùs enim diſcedens tractatur ut Apoſtata. Ita Fagnanus, Abbas, Innocentius apud Reiffenſtuel *citat. numer.* 272. qui dicit ita eſſe declaratum à S. Congregatione, declarationemque in terminis formalibus refert. Denique requiritur, antequàm in ſtrictiori religione recipiatur tranſiens priùs exhibeat litteras dimiſſorias Superioris prioris religionis. Ita Doctores citati, quos vide apud *Reiffenſtuel cit. num.* 273.

IV. Num expediat à religione minùs ſtricta tranſire ad 174
ſtrictiorem, ſub Judice lis eſt. Communis eſt reſponſio, quòd regulariter loquendo, nec tranſire, nec tranſeuntes recipere expediat, neque utile, nec laudabile ſit, niſi gravis urgeat cauſa. Quia juxta concilium Apoſtoli 1. *Corinth.* 7. *quivis in vocatione, qua vocatus eſt, permaneat*. Nihilominùs, quando notabilis ſperatur utilitas ſpiritualis, vel magna urget ratio, aut neceſſitas &c. laudabile, & ſanctum eſt, à minùs ſtricta ad ſtrictiorem tranſire religionem. Ita Doctores citati cum communi, & certa aliorum ex *c. licèt cit.* Et probatur Exemplo *ter mirabilis S. Antonii de Padua*, qui à minùs ſtricta, (cæteroquin tamen ſancta) religione S. Auguſtini Canonicorum regularium, cum ſubſecuta maxima ipſius, & totius Eccleſiæ utilitate tranſiit ad ſtrictiorem Religionem noſtram Seraphicam.

### *§. III. Religioſus ab Ordine Ejectus.*

I. CErtum eſt poſſe religioſum etiam validè profeſ- 175
ſum legitima de cauſa ab Ordine expelli, juxta unanimem DD. pateteque clarè ea jure *can. reſecanda* 16. *cauſa* 24. *quæſt.* 3. *can illud ſanè* 34. *eadem cauſa, & quæſt. cap. fin. de ſtatu Monach.* ibi: *Ovem morbidam ejiciant ab ovili, ne inficiat ſanas oves*. Quamvis autem olim ôb varias cauſas ab Ordine expelli potuerit profeſſus, tamen hodie nullus ejici poteſt, niſi ſit verè incorrigibilis: idque certum eſt ob novum Decretum S. Congregationis Cardinalium S. Concilii Tridentini interpretum, juſſu Urbani Octavi emanatum 21. *Septembris* 1624. quod incipit; *S. Congregatio*, & reperitur *in tom.* 4. *Bullar. Cherub. conſtit.* 28. dicti Pontificis, ubi §. 6. ita ſtatuitur: *Ut impoſterum à Religionibus nullus legitime profeſſus ejici poſſit, niſi ſit verè incorrigibilis. Verè autem incorrigibilis* (ſubjungitur ibidem) *minimè cenſeatur, niſi non ſolùm concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris communis diſpoſitione requiruntur, ſublatis hac in parte ſtatutis, & conſtitutionibus cujuſcunque religionis, & Ordinis, etiam à Sede Apoſtolica approbatis, & confirmatis; verùm etiam unius anni ſpatio in jejunio, & pœnitentia probetur in carceribus: proinde religio habeat privatos carceres in qualibet ſaltem Provincia.*

II. Ut autem de jure communi quis dicatur incorrigibi- 176
lis in Ordine ad ejectionem, ordinariè plura requiruntur, & quidem. I. Ut delictum ſit grave, juxta *omnes*: quia ejectio eſt pœna gravis: ergo debet ſupponere culpam gravem. II. Ut delictum ſit publicum non tantùm inter Fratres, ſed etiam Sæculares, ita ut ſine infamiæ nota retineri in Ordine facilè non poſſit. Ita Doctor noſter Seraphicus S. Bonaventura *in quæſt. ſuper regulam Fratrum Minorum quæſt.* 14. Portel. Miranda, Pirrhing, Rodriquez, Sanchez apud Reiffenſtuel *cit. num.* 229. Rationem aſſignat D. Bonaventura, ut evitetur ſcandalum, & ne, ſi ejiciatur ob occulta delicta, videatur injuſtè ejectus, aut ejus peccatum propaletur injuſtè, quod utrumque illicitum eſt. III. Requiritur, ut priùs ter fuerit correctus, admonitus, & punitus, juxta DD. citatos. IV. Ex noviſſimo Decreto Urbani VIII. relato numero præcedente neceſſe eſt, ut prius *unius anni ſpatio in jejunio, & pœnitentia probetur in carceribus*.

III. Ex quo decreto Urbani VIII. pariter conſtat, in- 178
corrigibiles poſſe è religione ejici *ab ipſomet Generali tantum de conſilio, & aſſenſu ſex Patrum ex gravioribus religionis, eligendis in ſingulis capitulis, ſeu Congregationibus Generalibus, tumque nonniſi inſtructo ſecundùm eorum ſtylum, & conſtitutiones proceſſu, & plenè probatis cauſis expulſionis ad Sacrorum Canonum præſcriptum.*

Idem Decretum §. 8. ſic ait: *Cæterum S. Congregatio re-* 179
*ligionum Superiores ſerio admonet, ac JESU Chriſti viſcera obteſtatur, ut memores paternæ charitatis, & manſuetudinis, quàm profitentur, nihil intentatum relinquant, ut lucrentur animas Fratrum ſuorum delapſas, antequàm graviſſimum, atque extremum expulſionis remedium experiantur.*

I V. Itaque juſtè ob incorrigibilitatem *ejecti, quamdiù non redierint ad Religionem, in habitu Clericali* (ſæculari, non ordinis) *incedere debent, atque Ordinarii loci Juriſdictioni, & obedientia ſubeſſe; proindeque Generalis illico expulſionis ſententiam eidem Ordinario notificare teneatur*. Ita expreſsè verba Decreti Urbani VIII. mox citati. Inſuper ejecti manent adhuc Religioſi ſubditi, & ſuo modo tenentur ad tria vota ſubſtantialia, atque ad præcepta, ſtatuta, & conſtitutiones Regulares, verbi gratia ad Jejunia, horas Canonicas &c. & univerſaliter ad cuncta, quæ ſub peccato obligant, & extra Ordinem ab eis ſervari poſſunt. Ita Miranda, Rodriquez, Portel. Donatus, Pellizarius apud Reiffenſtuel *cit. num.* 242. Ratio eſt: tum quia nemo ex delicto ſuo debet reportare commodum, *arg. c. agnoſcentes de conſtit.* Tum quia Religio, dum ejicit profeſſum, non intendit eum liberare ab obligationibus Regulæ, & votorum, ſed tantùm providere bono communi Religionis, & evitare ſcandalum. Hinc ejecti tenentur ſe emendare, ut iterùm ad Religionem admittantur *c. fin. de Regular.*

### §. IV. *Religioſus fugitivus, aut Apoſtata.*

180 I. F*Ugitivus* propriè loquendo eſt ille, qui ſine licentia Superiorum ad tempus è Monaſterio recedit, cum animo iterùm revertendi. Ita communis DD. imò etiam hodierno Jure fugitivus eſt, qui ſine licentia fugit è Monaſterio ad Superiorem majorem, nam Concil. Trident. *Seſſ. 25. de Regul. cap.* 4. ait: *nec liceat Regularibus à ſuis Conventibus recedere, etiam prætextu Superioribus ſuis accedendi; niſi ab eiſdem miſſi, aut vocati fuerint: Qui verò ſine prædicto mandato in ſcriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinario locorum tanquam deſertor ſui inſtituti puniatur.* Amplia, etiamſi ad Sedem Apoſtolicam pergere ſe dicat, uti patet ex conſtit. Sixti V. *Cùm de omnibus*, quæ eſt 71. conſtitutio dicti Pontificis, & Ad *Romanum ſpectat*, eidem conſtitutioni annexa *apud Cherub. Tom.* 4. in qua ultima §. 20. ſubjungitur quoque: *quòd ſi dicerent* (intelligi Religioſi) *ſe ad Apoſtolicam Sedem confugere ob gravamina à ſuis Superioribus ſibi illata, & ideo ab ipſis Superioribus licentiam, & litteras obtinere non potuiſſe, non propterea ullo modo recipi valeant, niſi fide dignorum teſtimonio, de petita ab eis licentia, & per Superiores negata conſtiterit.* Cæterùm licet ex textu Conc. Trident., & Bullis citatis pro *fugitivo* haberi debeat quivis Religioſus è Conventu ſuo diſcedens, niſi licentiam *in ſcriptis* exhibeat, tamen hoc limitatur in caſu, quo *diſcedens ita cognitus ſit iis, ad quos diverterit, ut de ejus Perſona nullus omnino dubitationi, aut ſuſpicioni locus relinquatur*: prout expreſsè limitat ipſe Sixtus V. in citatis Bullis, *cùm de omnibus, & ad Romanum ſpectat*.

181 II. *Apoſtata* propriè loquendo eſt, qui à Monaſterio, vel Religione diſcedit, animo totaliter deſerendi Ordinem, & non ampliùs ad illum redeundi; nec refert, an cum, vel ſine habitu diſcedat. Ita Sanchez *lib. 6. Moral. cap. 8. nu.* 2. Pellizarius *Tom. 2. tr. 8. c. 8. n.* 43. Rodriquez *Tom. 1. qu. 30. art.* 1. Pirrhing. Reiffenſtuel, & Alii. Patetque ex Decreto Clementis VIII. de Reſervatione Caſuum, ubi Apoſtaſiam vocat, & reſervat, ſive habitu retento, ſive dimiſſo fiat. Dictum eſt: *Apoſtata propriè*, quia impropriè & minùs ſtrictè loquendo etiam *fugitivi* pro Apoſtatis habentur, & ut tales tractantur, & puniuntur, in noſtris ſtatutis Generalibus, *cap. 6. §. 20. de Apoſtatis*.

182 III. Fugitivi, & Apoſtatæ tenentur non tantùm ad tria vota ſubſtantialia, ſed etiam ad omnes alias conſtitutiones Regolares ſub peccato obligantes. Eſt certa. Ratio eſt: quia nullo titulo, & Jure ab aliquo dictarum obligationum ſunt exempti: nec ſeipſos iniquè diſcedendo eximere valent. Tenentur inſuper ſub peccato mortali, ſina mora redire ita ut ſemper, & tamdiù verſentur in ſtatu peccati mortalis, donec redeant.

183 I V. Quantùm ad pœnas fugitivorum, & Apoſtatarum, ſi habitu dimiſſo diſcedant, ſunt ipſo facto excommunicati. Ita communis apud Reiffenſtuel *cit, num.* 253. & patet clarè *ex c. ut periculoſa* 2. *Ne Clerici, vel Monachi*. Si verò habitu retento fugiant, aut apoſtatent, licèt de jure antiquo communi ipſo facto non ſint excommunicati (*niſi poſt diſceſſum, habitum animo vagandi vel apoſtatandi dimittant*, uti docet Hyacinthus Donatus *tom. 1. tr. 6. q.* 6. & Alii) tamen vi Juris ſpecialis, & ſpecialium Privilegiorum fermè cujuſvis Religionis profeſſus *fugitivus, vel Apoſtata*, ſive habitu retento, ſive dimiſſo excommunicationem ipſo facto incurrit. Ita Hyacinthus Donatus *tom. 1. tr. 7. quæſt.* 25. Præter alias pœnas de jure communi etiam ſequentes incurrunt Apoſtatæ. I. Quòd ſuſcipiens in Apoſtaſia Ordinem ſit ſuſpenſus, *c. de Apoſtatis*. II. Apoſtatæ ſunt irregulares, *c. cùm illorum, de ſentent. excomm.* III. Quamdiù manent in Apoſtaſia, non gaudent Privilegiis Religionis ex Concili Tridentino *ſeſſ. 25. de Regular. cap.* 19, *&c.*

Ut igitur fugitivi, & Apoſtatæ iterùm reducantur ad Re- 184
ligionem, quam deſeruerunt, competit Religioni, & Superioribus ejus poteſtas apprehendendi, & puniendi Apoſtatas, vel fugitivos, ubicunque etiam extra territorium eos deprehenderint, invocato quoque, ſi opus ſit, brachio ſæculari. Rodriquez *Tom. 1. quæſt. 30. n.* 6. Miranda *t. 1. qu. 51. art.* 3. Bellizarius, Hyacinthus Donatus, apud Reiffenſtuel *cit. num.* 258. Imò Superiores Religionum tenentur Fugitivos, & Apoſtatas conquirere, & revocare eoſque, vel ſponte, vel coactè venientes recipere, juxta *cap. fin. de Regular.*

Petes. *Quæ officia, & actiones ſpecialiter prohibeantur Religioſis?*

Reſpondeo cum Claudio la Croix *lib. 4. numer.* 170. Reli- 185
gioſus non poteſt eſſe Iudex negotii ſæcularis, aut Eccleſiaſtici, niſi cum licentia Superioris ſaltem localis, & utilitate ſaltem indirecta Monaſterii, *ex c. 35. Monachi, 16. qu.* 1. Similiter non poteſt nomine proprio in Civilibus eſſe actor, vel reus, cùm nec agere, nec conveniri poſſit, ſed ſolùm Monaſterium, cui ſe dedit: uti habent Iura, & DD. cum Caſtro-Palao *tr. 16. d. 4. p. 12. §.* 2. Nec fungi poteſt officio Advocati, Procuratoris, Tabellionis, teſtis, exceptis caſibus, de quibus *Caſtro-Pal. §. 3. & 4.* Nec tutoris, aut curatoris ex cap. pervenit. *diſt.* 86. *vide Caſtro-Pal. §.* 7. Porrò Portel. noſter *in dubiis regularibus. V. Abbas, num.* 10. ait, quòd Prælati locales, abſque licentia Provincialis poſſint dare licentiam ſuis ſubditis, ut poſſint eſſe teſtes, & jurare coram Judice ſæculari, vel Eccleſiaſtico. Rodriquez *tom. 2. q. 10. art. 4. & 5.* Si verò ſubditi jurent abſque licentia, teſtimonium valet: quidquid ſit de ſuo peccato. Rodriquez *addit ſum. 2. part. cap. 151. num.* 2. Prohibentur etiam Religioſis actiones extra judiciales, niſi Superiores diſpenſent: nam eſſe non poſſunt executores teſtamentarii. *Caſtro-Pal. cit. part. 13. §.* 1. Nec Medici, vel Chirurgi, præſertim, ſi facienda ſit inciſio, aut aduſtio. Item Religioſis ſub excommunicatione prohibitum eſt audire in Scholis lectiones juris civilis, *ex c. fin. ne Clerici, vel Monachi*, Sanchez, Lezana Lug. *in reſp. Moral. lib. 4. d.* 34. Poteſt tamen Religioſus audire, & docere Canones. Etiam negotiatio prohibetur Religioſis, ſicut, & venatio, ac luſus alearum; talia enim, quæ Clericos, multò magis dedecent Religioſos; notantque Navarrus, Valentia, Suarez, & Alii cum Caſtro-Pal. *cit. §. 5. num.* 2. nomine Clericorum venire etiam Religioſos, quando prohibitio reſpicit decentiam ſtatus. Ita la Croix *cit. n.* 173. Vide hac de re Sectionis primæ quæſtionem primam.

## QUÆSTIO IV.

### *De Exemptione Regularium Mendicantium.*

#### SUMMARIUM.


187 *Regulares Mendicantes ſunt exempti ab Ordinariorum Juriſdictione.*
188 *Nequeunt Epiſcopi ferre cenſuras in regulares.*
189 *Non poſſunt ab Epiſcopis Regulares Mendicantes impediri, ne mendicent.*
190 *Quid poſſit Epiſcopus circa Regulares exercentes curam animarum.*
191 *Regularas Mendicantes non ligantur Legibus Epiſcopalibus:*
192 *Nec tenentur accedere Synoda, niſi habeant curam animarum.*
193 *Poſſunt celebrare Miſſas in ſuis Eccleſiis pra libitu.*
194 *Quorum poſſint audire Confeſſiones?*
195 *Quid liceat regularibus circa faciendas Proceſſiones?*
196 *Quid circa benedictiones, & purificationem mulierum?*
197 *An liceat in mortis periculo Regularibus adminiſtrare Viaticum, & extremam Unctionem?*
198 *Sæculares poſſunt in Eccleſiis regularium eligere ſepulturam.*
199 *Quis poſſit celebrare exequias ſepulti in Eccleſiis regularium?*
200 *An regulares teneantur ad ſolutionem portionis Canonica Parochialis?*
201 *Tria adducuntur notabilia.*
202 *Caſus, in quibus Regulares ſubjiciuntur Epiſcopis Remiſſivè.*
203 & 204 *An regulares citati ab Epiſcopis teneantur comparere?*
205 *Paterna admonitio Leonis X. ad Regulares,*
206 *Sicut, & ad Epiſcopos.*


AS-

ASSERTIO IV.

186 R*Egulares Mendicantes, eorumve Eccleſia, Monaſteria, Oratoria, Hoſpitia, & Grangia, pro commodiori eorum gubernatione, majorique tranquillitate, & pace, auctoritate Apoſtolica, ab Ordinariorum Juriſdictione, ſicque à lege tum Diœceſana, tum Juriſdictionis ipſorum, per diverſos Romanos Pontifices exempti ſunt, & immediatè Sedi Apoſtolica ſubjecti, exceptis certis dumtaxat caſibus.* Hoc inter alios latè oſtendit Emmanuel Rodriquez *to.2. QQ. Regularium, q.64. art.2. & ſeqq.* Barboſa. *part.3. de offic. & poteſt. Epiſcopi, allegat.* 105. *n.12. & 22.* Reiffenſtuel *in ſuo Jure Canonico in 1. Decret. tit.31. §.4.* Bernardus Sannig *in ſua ſchola Theologica tom.3. tr. de privilegiis diſt. 2. q.5.* Sanchez *in Conſil. lib.6. c. 9. dub.1. & ſeqq.* Cladius la Croix *lib. 4. n.*168. Herincx de *legibus, diſp.3. q.11. nu.*154. Chaſſaing *de privilegiis regularium*, Caſarubios *in compendio privilegiorum*, Lantuſca *in Theatro regularium*, Matthæucci *in Officiali Curia regularis, & Eccleſiaſtica, &c.* & unanimis DD.

§. I. *Regulares Mendicantes, eorumque, &c. exempti ſunt ab Ordinariorum Juriſdictione.*

187 I. E*Xemptionem* deſcribunt Doctores, eſſe privilegium quo perſona, aut locus (*en diſtinctio exemptionis localis, & perſonalis*) à juriſdictione ordinarii liberatur, & ſubtrahitur, ac Summo Pontifici immediatè ſubjicitur. Quo exemptionis localis, & perſonalis privilegio gaudere Regulares Mendicantes, patet *ex c. nimis iniqua 16. c. nimis prava, 17. de exceſſibus Prælatorum*. Item *Clement. unica, de exceſſibus Prælatorum*, ac etiam ſæpiùs ex Concilio Tridentino. Nos Fratres Minores. & Prædicatores ſpecialiter exemit Sixtus IV. in *mari magno Minorum, & Prædicatorum*, & in Bulla aurea: *Regimini univerſalis*, data 1474. (quæ in Bullario Cherubini inter conſtitutiones hujus Papæ eſt, ſexta) aliique Summi Pontifices. Cui privilegio iidem Regulares Mendicantes non poſſunt renuntiare, ut tradit Sperellus *deciſ.104. n. 87. & Pignatell. tom. 10. Conſil. 107. n.2.* Quia in eo nedum favor exempti conſideratur, ſed etiam ipſius Papæ eximentis, qui eos ab Ordinariis eximendo immediatè ſuæ ſubjecit juriſdictioni, qua à nullo invitè privari, nec poteſt, nec debet: à pari de Clerico, qui privilegio fori renuntiare non poteſt, cùm non in ipſius dumtaxat, ſed in totius Cleri favorem tributum fuerit. Nomine autem *Ordinariorum*, a quorum juriſdictione Regulares Mendicantes ſunt exempti, intelliguntur illi, qui juriſdictione propria ſolemni ſunt præditi: quales ſunt Epiſcopi, Archi-Epiſcopi, eorumve Vicarii, Abbates Regulares exempti, & Legati Apoſtolici, ut habet *Henriquez, Tamburinus, Sannig cit. Herincx cit. & alii*. Hinc

188 II. Nequeunt Epiſcopi cenſuras in Regulares ferre, ut notavit Pignatellus *conſ.106. n.12. apud Matthaucci in officiali Curia Regularis, v. Officialis quoad exemptionem ab Ordinaris Juriſdictione n.28.* niſi in caſibus expreſſis à conſtitutionibus Apoſtolicis, & niſi eis per Sacros Canones ſpecificè concedatur, præſertim in eos, qui habent privilegia à Sede Apoſtolica, quòd excommunicari non poſſint, quæ pluribus Sedes Apoſtolica dedit, ut refert Lezana *tom.1. c. 11. n. 14.* & Minoribus impertiti ſunt Clemens IV. Bulla: *virtute conſpicuos*, in Bullar. Cherubini *tom.1. pag.162.* & Sixtus item IV. Bulla cit. *Regimini univerſalis §. 9.* ibi: *Diſtrictiùs inhibemus, ne quiſpiam abſque dicta Sedis ſpeciali commiſſione, & auctoritate in perſonas, domos, & loca dicti Ordinis Fratrum Minorum utpote prorſus exempta, aliquam excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententiam, ſpecialiter, vel generaliter, quomodolibet promulgare, aut in perſonas, domos, & loca hujuſmodi aliquam Præeminentiam, Superioritatem, & Juriſdictionem quomodolibet exercere præſumat --- cum ampliſſimis derogatoriis additis §. 19.* in Bullario Cherubini *to.1. p.408.* quod & Sacro Prædicatorum Ordini Bulla ſequenti *in Bullar. Cherub. to.1. pag.413.* quæ etiam incipit, *Regimini univerſalis*, (& vocatur *mare magnum*) idem Sixtus ſub iiſdem terminis conceſſit.

189 III. Non poſſunt ab Epiſcopis Regulares impediri, ne oſtiatim mendicent, & Eleemoſynas quærant de licentia ſuorum Superiorum, per loca Diœceſis, in qua Conventus exiſtunt, per Decretum S. Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum Anno 1621. videndum apud Lantuſcam *in Theatro Regularium v. Eleemoſyna*, Sperellum *deciſ. 38. n.27.* Matthæucci *in officiali Curia Regularis, v. Officialis quoad exemptionem ab ordinarii Juriſdictione*, & alios. Decretum eſt ſequentis Tenoris: *S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum cenſuit, Fratres Ordinum Mendicantium nequaquam poſſe ab Epiſcopis prohiberi, quo minus per ſeipſos in Diœceſibus, ubi habent Conventus, Eleemoſynam quærant, ſed tamen, ſi extra loca, ubi Monaſteria exiſtunt, quæritare voluerint, teneri ſuorum Superiorum licentiam Ordinario oſtendere.* Hoc jam anteà Sixti IV. Bulla *Sacri Prædicatorum, & Minorum*, data anno 1479. *Bullar. Cherub. to.1. pag.432.* conceſſerat, ſtatutis etiam in contravenientes gravibus pœnis. Similiter S. Congregatio Concilii Trid. apud Matthæucci *cit. n.41.* Lantuſcam *cit. V. Epiſcopus*, cenſuit, *Epiſcopos, aut alios locorum Ordinarios vigore cujuſvis Decreti Concilii ejuſdem, nullam habere facultatem, quovis tempore, in Monaſteriis, domibus, & Eccleſiis Regularium Exemptorum, quibus non imminet cura animarum perſonarum ſæcularium, viſitandi ſacriſtias; Paramenta, Vaſa Sacra, Altaria, & cætera hujuſmodi, aut etiam Tabernaculum, ſeu pixidem, in qua SS. Euchariſtia Sacram. aſſervatur.* Sic etiam Monaſteria Monialium, eorumque perſonæ Regularibus exemptis ſubjectæ, ab Ordinarii viſitatione ſunt exemptæ, ut conſtat ex maribus magnis Sixti V. & ex conceſſione S. Pii V. *etſi Mendicantium*. Ratio eſt: Quia ſunt exemptæ à juriſdictione ordinarii: ergo etiam à viſitatione, cùm hæc ſit actus illius.

IV. In Eccleſiis tamen Regularium, ubi cura animarum 190
exercetur, poteſt Epiſcopus viſitare illud Altare, quod eſt deputatum pro cura animarum, item Baptiſterium, & Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, ex deciſione Romana Anno 1631. 1. Aprilis emanata, quam refert Barboſa *cap. 7. ſeſſ. 7. Trident.* apud P. Bernardum Sannig *citatum diſt. 2. q. 5. n.7.* Poſſunt item Epiſcopi viſitare beneficia curata, unita quibuſcunque beneficiis, & piis locis, ſicut etiam perſonas exercentes curam animarum in Monaſteriis Regularium, uti patet ex Concilio Tridentino *ſeſſ.25. cap.11. de Regularibus*. Poſſunt quoque Ordinarii viſitare Moniales exemptas in puncto Clauſuræ reſtaurandæ, & conſervandæ, uti quoque habet Concilium Tridentinum *cit. cap. 5.* ibi; *Sancta Synodus univerſis Epiſcopis ſub obteſtatione Divini Judicii, & interminatione maledictionis æternæ præcipit, ut in omnibus Monaſteriis ſibi ſubjectis, ordinaria, in aliis verò Sedis Apoſtolicæ auctoritate clauſuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter reſtitui, & ubi inviolata eſt, conſervari maximè procurent*. Ita Concilium Tridentinum *cit.* Denique licèt Epiſcopi, juxta Concilium Tridentinum *ſeſſ. 22. c. 8. de reform.* tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati habeant jus viſitandi Confraternitates Laicorum, dummodò ſub immediata Regum protectione non ſint, & cùm exceptio firmet Regulam in contrarium, viſitare etiam poſſint Confraternitates exiſtentes in Eccleſiis Regularium, ut docet Matthæucci *cit. V. Officialis quoad Confraternitates*. Tamen Altaria ſita in Eccleſiis Regularium, etiamſi ſint Confraternitatum, nequeunt viſitare juxta *Decretum S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, 10. Januarii, 1641.* videndum apud Lantuſcam *cit. V. Altare n.4.* Similiter apud Lantuſcam *cit. V. Caputium*, nec à Nuntiis Apoſtolicis, nec ab Ordinariis, nec à Prælatis ordinis poteſt Caputium Religionis Fratrum Minorum Regularis obſervantiæ concedi Tertiariis, & Eremitis, ex prohibitione Urbani VIII. *cùm ſicut* 1638. ſub pœna carceris illud deferentibus.

§. II. *Regulares Mendicantes ſunt exempti à legibus Epiſcopalibus, & Diœceſanis.*

I. I Ta communiſſima DD. *in cap. 1. de conſtit.* Ratio eſt: 19
quia, ut inquit Papa *cap. à nobis, de ſentent. excom. Extra Territorium Jus dicenti non paretur impunè:* ſed Regulares Mendicantes, & eorum loca ſunt extra Territorium Epiſcoporum, ut habetur ex *cap.1. de privilegiis in 6.* præterquàm in caſibus à jure expreſſis, de quibus infrà: ergo non obligantur parere Epiſcopis jus dicentibus, ſeu leges ferentibus. Deinde Ordinarii non habent juriſdictionem in Regulares Mendicantes, ut dictum §. præced. Ergo Regulares eorum legibus non tenentur. Tertiam rationem vide *cap. præced. ſect. 3. q.4. n.234.* ubi plura hac de re jam diximus.

II. Regulares exempti non tenentur accedere Synodo 192
niſi habeant curam animarum, ut patet ex *cap. nimis prava 17. de exceſſibus Prælatorum*. Neque ſubjiciuntur Decretis factis in Synodis, aut Conciliis provincialibus, ut habet Barboſa, Suarez, Sannig cit. & alii ob rationes ſupradictas, ſi tamen habeant curam animarum, tenentur accedere Synodo, & ſubjiciuntur decretis Synodalibus, ut habetur in Concilio Trident. *ſeſſ.24. cap.2. de reform. & c. ex ore, de privilegiis*. Nec Regulares exempti tenentur ad jejunia, vota à populo facta, etiam Decreto Epiſcopi confirmata, vel alias novas obſervantias, niſi adſit Decretum Papæ. Ita Bordonus, Suarez, Rodriquez *in additionibus ad*

Digitized by Google

*ad ſummam Moralem tu.4.c.* 110. Sannig, &c. Ratio eſt : Quia non conſtat de lege hoc præcipiente exemptis Regularibus. Deinde quia in his ſtatuendis de novo, deberent vocari capita familiæ, aut principales Provinciæ ; quod tamen non fit : ergo. Imò licèt conſtitutiones Synodales à Papa confirmentur, non tamen eo ipſo facit illas legem ſuam, ſed manent leges Epiſcopales, unde Regulares Mendicantes adhuc illis non obligantur : quia illa confirmatio jus novum non tribuit, ſed antiquum roborat tantùm, & confirmat.

193 III. Regulares Mendicantes non poſſunt ab Epiſcopis prohiberi, quin Miſſas in propriis, & alienis Eccleſiis celebrent, ex Bulla S. Pii V. *etſi Mendicantium 17. Kalend. Junii*, 1467. *Bullar. Cherub. to.2. pag.*227. etiam tempore, quo Parochi ipſi in ſuis Eccleſiis celebrant, imò priuſquàm Parochi celebrent, *ex eadem Bulla cit. S. Pii V.* & poſt indultum S. Pii V. adeſt Decretum *S. Congreg. Regul.* 10. *Octobris*, 1586. ſtatuentis : *Ordinarii non impediant Fratres pulſare campanas ad matutinum, horas, & ad Miſſam, antequàm pulſetur campana majoris Eccleſiæ, præterquam in die Sabbati Sancti*. Ita Matthæucci *in Officiali Curiæ Regularis. V. Officialis quoad celebrationem Miſſarum num.*2. Nec ſunt impediendi fideles, quin diebus Dominicis, & Feſtivis ad Regularium Eccleſias Divinorum Officiorum tempore, atque ad audiendas in eis Miſſas accedant : Ita idem S. Pius V. *Bulla cit.* inſuper Leo X. 13. *Novemb.* 1517. *apud Matthæucci cit. n.*4 ſancit, fideles audientes Miſſas diebus Dominicis, & Feſtivis in Eccleſiis Mendicantium ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de audienda Miſſa. Et licèt Concilium Trident. *Seſſ.*25. *c.*12. decreverit : *Dies etiam Feſti, quos in Diœceſi ſua ſervandos Epiſcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam regularibus ſerventur* : nihilominùs Sacra Congregatio Concilii Trid. apud Lantuſcam *cit. V. Feſtum*, & Matthæucci *cit. V. Officialis quoad exemptionem ab ordinarii juriſdictione, n.*42. cenſuit, *prædictum Decretum ita eſſe intelligendum, ut regularium ritus, illis diebus ſemper permaneat, quoad Miſſas celebrandas, & cætera Divina Officia, tam publicè, quam privatim ab ipſis regularibus, in eorum Eccleſiis perſolvenda : Nec circa hæc ab Epiſcopis quoquo modo, quicquam in contrarium ejuſdem regularibus præcipi poſſe : Quod ſi de facto præceperint, regulares nequaquam ipſis Epiſcopis obedire teneri. Verùm quoad conciones, & Lectiones, quas iidem regulares ad populum habuerint, debere ſe conformare Evangeliis, & Epiſtolis, quibus clerus ſecularis utitur illis diebus feſtis*. Quantùm vero ad conciones, hora, qua vel ipſe Epiſcopus prædicare, vel ab alio ſolemniter, & non privatè, concionem audire velit, debent Regulares à concionibus in Eccleſiis propriis ceſſare, ſi ſic ipſe diſpoſuerit, ita habetur *in Clement. Dudum, de ſepulturis in* 6. Imò Epiſcopus prohibere poteſt, ne Regulares in ſuis Eccleſiis prædicent tempore, quo in Eccleſia Parochiali prædicatur. Ut patet ex Concilio Trid. *ſeſſ.*24. *cap.* 4.

194 IV. Regulares ſemel ſimpliciter ab Epiſcopo approbati, poſſunt in Diœceſi Epiſcopi approbantis, quovis anni tempore, etiam Paſchali, & quorumcumque etiam infirmorum, confeſſiones audire abſque ulla Parochi, vel ipſius Epiſcopi licentia. Ita habet in terminis Bulla Clementis X. *ſuperna*, edita 1670. 2. Auguſt. in qua etiam dicitur, poſſe Prælatos Regulares, ac etiam confeſſarios eorundem Regularium in Monaſterio audire confeſſiones illorum ſecularium (intellige, abſque prævia Epiſcopi approbatione) qui inibi ſunt verè de familia, & continui commenſales, non autem illorum, qui ipſis deſerviunt. Pro iſtorum enim confeſſionibus audiendis requiritur approbatio Epiſcopi. Ita Matthæucci *in Officiali Curiæ regularis. V. Officialis quod approbationem*. Imò noſter P. Herincx *de Euchariſtia diſp.*6. *n.* 41. habet ſequentia : *Famulis, ſive familiaribus religioſorum poſſunt iidem liberè adminiſtrare communionem Paſchalem, ſicut etiam Viaticum, & Extremam Unctionem, quando degunt intra ſepta Monaſterii ex Privilegio Societati JESU conceſſo à* Paulo III. & aliis conceſſis Fratribus Minoribus apud Rodriquez *qu.* 56. *art.* 14. hoc idem conceſſit Leo X. *Dum intra*, Bullar. Cherubini *tom.*1. *pag.* 586. Mendicantibus, §. 7. ibi : *eorumdem verò Fratrum obſequio inſiſtentibus, Sacramenta hujuſmodi*, (videlicet Euchariſtiæ, & Unctionis) *nullatenùs miniſtrare valeat, niſi illorum durante obſequio*, & §. 13. additur : *Et abſque Curatorum conſenſu Sponſum, & Sponſam benedicere nequeant*. Quantùm autem ad famulos, alioſque exiſtentes in Religioſorum prædiis, & grangiis attendenda eſt Reſponſio Sacræ Congregationis ab Innocent. X. deputatæ ſuper controverſiis vertentibus inter Epiſcopum Angelorum in Indiis Occidentalibus, & PP. Jeſuitas : Propoſito namque, utrùm Regulares, etiam PP. Jeſuitæ, in ſuis prædiis, Officinis, aliiſque ſuis domibus ſæcularibus, ſitis intra limites Parochiarum ad ſe non ſpectantium, poſſint adminiſtrare Sacramentum Baptiſmi, ſolemnis Matrimonii, Extremæ Unctionis, & Euchariſtiæ in Feſto Paſchatis, famulis, mercenariis, ruſticis, ſive aliis id genus hominibus ſæcularibus abſque Ordinarii, vel Parochi licentia ? Reſpondit non poſſe, quod confirmatum fuit ab eodem Innocentio, Bulla : *cum ſicut*. In Bullario Cherubini *tom.*4. *pag.*284. *dub.*4.

195 Quantùm ad faciendas Proceſſiones. Regularibus, & Confraternitatibus in Eccleſiis Regularium licitum eſt intra eorum clauſtra Proceſſiones facere ; ſi verò Eccleſiæ clauſtris careant, eiſdem Regularibus, & Confraternitatibus licet Proceſſiones facere intra ambitum earumdem Eccleſiarum, hoc eſt, propè muros Eccleſiæ. Ita Pignatell. *tom.* 1. *Conſult.* 121. Matthæucci *cit. V. Officialis quoad Proceſſiones, num.*7. Extra clauſtra verò ad ſolemniter Proceſſionem faciendam in quacumque die infra Octavam Corporis Chriſti, habent Regulares privilegium cum ampliſſimis derogatoriis, in Bullario Cherubini *tom.*2. *pag.*371. *ex* conceſſione Gregorii XIII. Conſtitutione : *cùm interdum*, §. 2. Et ſpecificum ſuper hoc privilegium ab Innocentio XII. Anno 1696. obtinuerunt Fratres Ordinis Minorum, per Bullam : *Sua nobis*, quam ad litteràm refert noſter Matthæucci *cit. num.* 10. ubi etiam *num.* 12. ſubdit : non adeſt apud Ordinarios locorum facultas compellendi Regulares ad intereſſendum Proceſſionibus, ab iiſdem ; ſed non pro bono publico, ſed occaſione ſuæ viſitationis indictis, ut notavit *Peyrinis ad Conſtit.* 2. *Julii II.* §. 25. *num.*66. & decrevit S. Congregatio Concilii *Anagnina Proceſſionis*, 9. *Decemb.* 1662. apud Lantuſcam *Theatro regularium, V. Proceſſio*.

196 Benedictiones quod attinet, poſſunt Regulares in ſuis Eccleſiis benedicere Aquam luſtralem, Cineres, Palmas, Candelas, Herbas, Ova, &c. Hujuſmodi enim benedictiones non ſunt reſervatæ Parochis, ſed eas populus poteſt recipere, à quo voluerit, à Parocho, vel à Regularibus : Lex enim non adeſt, quæ compellat, ut eas recipiat determinatè à Parocho. Ita *Paſqualigus, & Lauretus de Franchis, apud* Matthæucci *in officiali Curia Eccleſiaſtica cap.* 7. *num.*25. Poſſunt etiam Regulares benedicere veſtes ſæcularium perſonarum. Lantuſca *cit. V. benedictionum* 4. Non tamen domos ſæcularium Hebdomada ſancta Matthæucci *cit. num.*24. Et *niſi obſtet contraria conſuetudo*, poſſunt Regulares in ſuis Eccleſiis admittere mulieres ad purificationem poſt partum, ex declarationibus Cardinalium apud Lantuſcam *cit. n.*3. & Matthæucci *citatum cap.*36. *n.* 18. *& ſeqq.* Denique Regulares Mendicantes non tenentur ad Synodaticum, ſeu Cathedraticum ſolvendum Epiſcopo, dum à Clero ipſe exigit, quod in ſignum Subjectionis, & honorem Cathedræ debet iſte præſtare. Nec tenentur ad ſubſidium charitativum ; etenim charitativum ſubſidium legi Diœceſanæ accenſetur, ut tradit Engel *de Privileg. Monaſter. privileg.*3. *n.*5.

§. III. *Regulares Mendicantes ſunt Exempti quoad funeralia, & ſepulturas.*

197 I. Regulares Mendicantes habent privilegium, quòd Viaticum, & Extremam Unctionem poſſint adminiſtrare famulis, mercenariis, operariis, ſervis, Hoſpitibus, & quibuſcumque extraneis, qui intra Conventus, Monaſteria, aut domos ipſorum ſunt infirmi in Articulo mortis. Ita Petrus Maria, Paſſerinus SS. Theol. Magiſter, ac Procurator Generalis Ordinis Prædicatorum, ac in Romana Sapientia Profeſſor, *de Hominum Statibus, qu.* 187. *art.* 1. *num.* 983. Suarez *tom.* 1. *de relig. tract.* 10. *lib.* 9. *cap.* 3. *num.* 17. Peyrinis, Rodriquez, Antonius à Spiritu S. Peregrinus, citati à Paſſerino. Hoc privilegium conceſſit Theatinis S. Pius V. in Conſtitutione : *Ad Immarceſcibilem*, 1567. *Bullar. Cherub. Tom.* 2. *pag.*214. Ubi §. 17. ita loquitur S. Pontifex : *Et tam Præpoſiti, quàm cæteri omnes Clerici Romæ, Venetiis, Neapoli, ac aliàs ubique locorum degentes Congregationis hujuſmodi, nunc, & pro tempore exiſtentes, qui tamen presbyteri fuerint, Euchariſtia etiam pro Viatico, & etiam Conſtitutis in articulo mortis, ac Extremæ Unctionis, cæteris Clericis, & fratribus Congregationis hujuſmodi ; ac etiam mercenariis. famulis, operariis, & ſervis eorumdem Congregationis, ac quibuſvis hoſpitibus, etiam ſæcularibus, & extraneis, quos in locis, vel habitationibus Congregationis hujuſmodi tunc reperiri contigerit, etiam in mortis articulo, & quoties de eo dubitari contigerit, etiam Diœceſanorum locorum, & Sacerdotum Curatorum quorumcumque, etiam in quorum Civitatibus, & Diœceſibus, ac Eccleſiarum Parochiis reſpectivè, Eccleſiæ & loco ipſorum Congregationis nunc, & pro tempore fuerint, aut aliorum quorumcumque licentia minimè petita, nec obtenta ; &* in-

*in caſum, quo non daretur ſpatium petendi talem licentiam propter repentinam neceſſitatem, etiam quibuſcumque aliis perſonis, quæ in hujuſmodi neceſſitate intra Eccleſias, Collegia, domos, & habitationes Congregationis prædictorum reperiri contigerit, ac extra illa aliis quibuſvis infirmis etiam in mortis articulo conſtitutis ubique in cauſa neceſſitatis ſupradicta, etiam nulla ad hoc per eos petita, nec eis conceſſa licentia cujuſvis Sacerdotis Curati, pœnitentiæ Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare poſſint.* Hoc privilegium (ut benè notat Paſſerinus cit.) non eſt cenſendum pro hac parte reductum ad terminos Concilii Trident. ſeu abrogatum per Conſtitut. *In tanta* Gregorii XIII. cùm nedum nihil contineat contrarium Concil. Trid. ſed eſt de Jure communi, ex vi Exemptionis Conventuum, ſeu Domorum Regularium; ex qua etiam ſæculares ibi exiſtentes, quatenùs ibi exiſtunt, ſunt exempti à Juriſdictione Epiſcopi, & ideò Sacramenta in articulo mortis adminiſtrari eis poſſunt à Regularibus. *Ita Paſſerinus cit.* qui ibidem *num.995. cum aliis* hoc etiam extendit ad illos, qui caſu veniunt ad Monaſteria Regularium. Jam autem Regulares Mendicantes habent plenam Communicationem privilegiorum conceſſorum, & concedendorum tam inter ſe, quàm cum aliis Ordinibus non Mendicantibus, ut declaravit Julius II. Sixtus IV. Leo X. Paulus IV. & S. Pius V. apud Sannig *cit. diſt.2. qu.4.* & nos jam diximus *capite præcedenti, ſect.4. q.4. n* 424.

198 II. Sæculares poſſunt ſibi, relicta Parochia, eligere ſepulturam in Eccleſiis quibuſcunque Regularium: quia ita decrevit Alexander III. in Concilio Lateranenſi, & habetur *c. 5. de ſepulturis*, Clemens IV. Bulla: *Virtute conſpicuos*, Sixtus IV. Bulla: *Regimini &c.* nec tenentur Regulares petere licentiam ab Epiſcopo, vel Parocho, vel quocunque alio, ut ſæcularibus ſepulturam concedant; quod non tantum ex antiquis privilegiis habetur, ſed etiam ex novo conceſſo expreſsè PP. Diſcalceatis colligit *Rota in Segunt. Juris ſepeliendi coràm Manzanedo*, qu.86. apud Tamburinum *to.* 3. Lezana *ad Mare Magnum Prædicatorum, n.*160. & quando ſæculares in Eccleſiis Regularium ſepulturam elegerunt, non poteſt Epiſcopus, vel Parochus impedire quin Defuncti tam ipſi, quàm eorum ſucceſſores ibidem ſepeliantur. Imò licèt ipſi defuncti non elegerint ſepulturam apud Regulares, poterunt hoc facere hæredes, vel Curatores funeris. Ita S. Pius V. In Bulla: *Ad hoc Nos DEUS*, in Bullar. Cherub. *t. 2. pag.*233. Leo X. Clemens VII. apud Sannig *c. qu.* 8. *n.*5. Similiter famuli, qui intra ſepta Monaſterii inſerviunt, & ſunt Monaſteriorum continui Commenſales, ſepeliri debent in ſepultura Monaſterii. Nam quod Regulares hos familiares poſſint in ſuis Eccleſiis ſepelire, conceſſerunt Ordini Prædicatorum Nicolaus V. & Gregorius XI. & Sixtus IV. & idem Minoribus conceſſit Clemens IV. & idem Sixtus IV. in Mari Magno Minorum apud Lezanam §. 9. & in *Mari Magno Carmelitarum* §. 51. apud Paſſerinum *cit. art.4. nu.* 228. idem docent Caſtrubios *V. ſepultura*. Dian. *p.5. tr.* 2. *reſol.* 509. At verò de ſæculari, qui non eſt familiaris, & continuus commenſalis Regularium, ſed caſu venit in Monaſterium, & inibi moritur, *Si non fuerit hoſpes*, juxta Paſſer. *c. num.*230. ſepeliendus eſt in ea Eccleſia, ubi ſepeliendus foret, ſi fuiſſet mortuus extra Monaſterium, in quo tamen caſu Parochus non poſſet ingredi Monaſterium cum ſtola ad corpus defuncti benedicendum, ſed à janua Monaſterii ſuum officium incipere deberet: *Si verò fuerit hoſpes*, docent Bordonus, Peyrinis, Hieronymus, Rodriquez, Diana *p.7. tr.7. reſol.*62. apud, ſed contra Paſſerinum *cit. n.*229. eſſe ſepeliendum in Eccleſia Regulari. Hoc adhuc adnotandum, quòd Leo X. conceſſerit Indulgentiam Plenariam morientibus cum noſtro habitu Franciſcano, ad quam lucrandam declaravit ſufficere, habitum petiiſſe, licèt ante mortem eum non induerint, ſed ſuper ſe uſque ad mortem habuerint. Hieron. Rodriquez *reſol.*71. *n.*9. Caſarubios *V. Indulgentia quoad ſæculares Sextò*, §. 6. Vel morientibus cum Habitu Sororum Tertiæ Regulæ S. Franciſci ſub obedientia ejuſdem Ordinis degentium, *ibidem* §.7. Ad lucrandum has Indulgentias, neceſſe eſt recipere habitum à Superiore illius Religionis, cujus eſt habitus. Lantuſca *in Theatro regularium, V. Habitus*. Si igitur ſæcularis ſive mas, ſive fœmina petierit in habitu Fratrum Mendicantium, aut ſororum Tertii Ordinis ſepeliri, (ſicuti per plures Pontifices præſertim *Sixtum IV. in Bulla aurea* conceſſum fuit apud Paſſerinum *cit. num.*198.) & hic fuerit ipſi à Superiore Generali, vel Provinciali, vel locali, vel in hujus abſentia, ab ejus Vicario, vel Superiore conceſſus, non poteſt Parochus impedire, quòd talis ſepeliatur in Eccleſia Regulari, vel in alia ſepultura, & Eccleſia (quam juxta Leonem X. *in Conſtitut. ſua* 22. *Dum intra*, eligere poteſt) nec licebit Parocho cooperto habitu ſepelire Cadaver, cùm ex vi Bullæ *aureæ Sixti V. Sacri Prædicatorum, in Bullario Cherubini, t. 5. p.* 432. habitus debeat patenter deferri. Plura vide apud Paſſerinum *de his fusè tractantem n.* 598. *& ſeqq.*

III. In Eccleſiis Regularium nullus ſepeliri poteſt ipſis 199
invitis, ſicut nec in ipſis fieri Divina Officia, benedictiones, proceſſiones, & exequiæ celebrari ſuper corpore ibi ſepulto, abſque expreſſa licentia Superioris Regularis, ad quos ſpectat Divina officia recitare, non ad Curatos, vel alios. Ita decrevit Clemens IV. in Bulla: *Virtute conſpicuos* §. 23. quæ videri poteſt *in Bullario Cherubini, tom.1. pag.*162. Item Parochis in aſſociatione, ſeu occaſione Aſſociationis Cadaverum, non licet ingredi Eccleſiam Regularium, ſed tenentur dimittere eadem Cadavera ad Januam Eccleſiæ, ibique ſolùm poſſunt benedicere, & dare eis ultimum vale: Officia vero, & munia, quæ in hujuſmodi Miniſteriis adhiberi ſolent, ab ipſis Regularibus peragi debent, non autem à Parochis. Ita decrevit Clemens X. Bulla: *nuper pro parte*, quæ habentur *in Bullar. Cherubini, t. 5. pag.*566. Nec Parochi audeant accipere majorem eleemoſynam pro defunctis, qui ſepeliuntur in Eccleſiis Regularium, quam accipiunt pro iis, qui in ipſorum Parochorum Eccleſiis ſepeliunt. Ita Clemens X. Bulla: *Alias pro parte in Bullar. Cherub. tom.* 5. *pag.*567. Nec Parochi ingredi poſſunt Eccleſias Regularium cum ſtola, & Cruce, ibique Officium, & functiones peragere circa defunctum ibi ſepultum. Ita Sacra Rituum Congregatio ſervari mandavit *die* 2. *Augusti*, 1698. apud Matthæucci, *in Officiali Curiæ regularis, V. Officialis quoad exequias, n.* 5. apud quem *cit. num.* 2. & 3. S. Congregatio Epiſc. & Regul. etiam decrevit, *Curatum unius Diœceſis, (quæcumque ſit) in tranſitu cadaveris, quod proceſſionaliter defertur ad Eccleſiam regularium ab alia Diœceſi; tranſeundo per propriam Parochiam, & Juriſdictionem, non poſſe aliquam partem Ceræ, & pecuniarum ab hæredibus defuncti prætendere: itidem proprium Parochum Defuncti, tranſeundo per Parochiam unius Parochi, alterius cujuſcunque Diœceſis, ad effectum deferendi proceſſionaliter cadaver ad Eccleſiam regularium, poſſe liberè, & licitè per eamdem cum Stola, & Cruce elevata tranſire, etiam irrequiſito Parocho*, quas quidem declarationes fideliter obſervari præcipit eadem S. Congregatio, Romæ. *die* 15. *Nov.* 1675. Porro Regulares non poſſunt prohiberi aſſociare corpora defunctorum: nec Curati poſſunt cogere hæredes defunctorum celebrari facere Miſſas in ſuis Eccleſiis Parochialibus, ita conſtituit Urbanus VIII. Bulla, *nuper pro parte, in Bullar. Cherub. tom.5. pag.66.* Ne tamen etiam cogi poſſunt Regulares ad exeundum à propriis Eccleſiis, ad effectum aſſociandi cadavera in eiſdem ſepelienda, ſed ſufficit, quòd illa expectent ad Januas. Item vocato Parocho, & ipſo renuente intervenire, vel alterum mittere, Regularibus licet abſque Parocho deferre cadavera in eorum Eccleſiis ſepelienda. Utrumque ſimul decrevit Sacra Rituum Congregatio, 13. *Julii*, 1675. apud Lantuſcam, in Supplemento, *V. Aſſociatio cadaverum*, ad inſtantiam Ordinis Minor. obſervantiæ S. Franciſci. Quæ Congregatio 1671. apud Lantuſcam cit. etiam declaravit, defunctorum corpora in Eccleſiis Regularium tumulanda recto tramite deferenda eſſe, & per viam à Parocho declarandam, ad ipſorummet Regularium Eccleſias, etiam contradicentibus defunctorum hæredibus: item numerum Religioſorum, ac electionem Religionum pro aſſociandis cadaveribus, ad hæredes defunctorum, pro libitu voluntatis eorum ſpectare, 1640. Hæc vix non omnia etiam legere potes in Jure Canonico P. Anacleti Reiffenſtuel *lib: 3. Decret. tit.28. n. 34. & ſeqq.* Ulteriùs circa regulares extra clauſtra morientes ſervanda eſt diſpoſitio *cap. finalis, de ſepulturis, in* 6. quæ talis eſt: *Religioſi, niſi à propriis Monaſteriis adeò forſitan ſint remoti, quod ad ea, cùm moriuntur, commodè portari non poſſint, nequeunt (cùm velle, vel nolle non habeant) ſibi eligere ſepulturam: ſed ſunt apud Monaſteria tumulandi.* Quod adeò verum eſt, ut etiam Parochis inconſultis, & nulla eis ſoluta quarta Parochiali poſſint Superiores ſui Ordinis defunctum Religioſum ex quocunque loco ad Conventum deferre, & illum ſepelire, prout determinavit S. Congregatio Concilii, 2. *Julii*, 1620. *Ad decimum ex ſibi propoſitis dubiis pro parte Cleri Bononienſis.* Ita Peyrinis, qui ad Verbum refert iſtam declarationem, *ad Conſtit. 3. Sancti Pii V.* §. 13. *nu.*14. Lezana *V. ſepultura, nu.* 16. *& tom.* 1. *cap.* 12. *num* 41. Diana *par. 5. tract. 3. reſol.* 150. Bordonus *reſol.* 55. *num.* 570. Barboſa *de Parocho, cap.* 26. *num.* 30. & 68. Paſſerinus *citatus art. 4. n.* 214. Et quòd Superioribus Regularibus non poſſit prohiberi, quin ſuorum Religioſorum cadavera deferant ad ſuas Eccleſias ſub prætextu, quòd non ſolverint Jura Parochialia, deciſum fuit à *Sacra Congregatione Epiſcoporum, & regul. ſub die* 22. *Maii*, 1615. teſte Barb. ubi ſuprà, quæ etiam apud Lezanam *V. ſepultura, n.* 16. *die* 24. *Nov.* 1634. *& die* 24. *Sept.* 1636. declaravit, Clerum ſæcularem nihil

poſſe

poſſe prætendere propter exequias, aut ſepulturam Monachorum, aut Fratrum defunctorum extra clauſtra.

200 IV. Fratres Minores, ac complures aliæ religiones; eorumque Eccleſiæ, ac loca pia, per ſpecialia privilegia ſunt exempti ab omni ſolutione portionis Canonicæ Parochialis. Sic enim pro Fratribus Minoribus hujuſmodi privilegium conceſſit Julius II. Leo X. & alii Summi Pontifices, prout videre eſt apud Sorbum, *Verſ. Canonica Portio*, Sannig, Reiffenſtuel *cit. n.* 55. Paulus III. apud Donatum *to.* 3. *tr.* 11. *q. in deciſione Rotæ*, quam per extenſum refert. Pro Carmelitis conceſſit Nicolaus V. *Sorb. loc. cit.* Prædicatoribus Sixtus IV. & Alexander IV. *Sorb. cit.* Fratribus Minimis Julius II. *Sorb. cit. &c.* Circa uſum tamen dictorum privilegiorum notanda eſt conſtitutio Concilii Trid. *ſeſſ.* 25. *de reform. c.* 13. ſic habens: *Decernit Sacra Synodus, quibuſcumque in locis, jam ante annos quadraginta, quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Eccleſiæ ſolita eſſet perſolvi, ac poſteà fuerit, ex quocumque privilegio, aliis Monaſteriis, Hoſpitalibus, aut quibuſcumque locis piis conceſſa, eadem poſthac integro Jure, & eadem portione, quæ antea ſolebat, Cathedrali, ſeu Parochiali Eccleſiæ perſolvatur, non obſtantibus conceſſionibus, gratiis, privilegiis, etiam Mari Magno nuncupatis, aut aliis quibuſcumque.* Ex his Concilii Trid. verbis infertur, illa ſola Monaſteria, quæ 40. annis ante Conc. Trid. (quod promulgari cœpit 1563.) erecta, Canonicam portionem Parochialem tot annis jam dare conſueverunt, eandem eodem, quo priùs, modo, dare teneantur, non obſtantibus privilegiis privatis. Econtrà verò Monaſteria, eorumque Eccleſiæ, & loca pia, quæ quidem ante dictos 40. annos fuere erecta, portionem tamen præfatam dare tot annis ſolita non ſint, nec impoſterùm dare teneantur, ſed privilegiis uti valeant. Idem eſt de illis Monaſteriis, quæ 40. annis citra fundata exiſtunt: ſicut etiam, quæ poſt Concilium fuere erecta, & quotidiè eriguntur, ad penitùs nullam portionem tenentur, ſed memoratis privilegiis gaudent. Barboſa *de offic. & poteſt. Parochi p.* 3. *c.* 25. *à nu.* 12. citans decretum Sacræ Congregationis, & deciſiones Rotæ. Donatus *tom.* 1. *tr.* 11. *q.* 5. Layman. *lib.* 3. *tr.* 5. *c.* 12. *n.* 13. Rodriquez, Sannig, & alii, apud Reiffenſtuel *cit. num.* 56. Quocirca (infert Sannig cit. *diſt.* 2. *de privilegiis regul. q.* 9. *n.* 10.) cùm conſuetudo quoad nos Minores vix probari poſſit de quarta tali ſoluta ante Tridentinum, quia habuimus privilegia ſemper cum expreſſa derogatione Clementinæ, *dudum de ſepulturis*, ac etiam poſt Concilium Tridentinum, currente præſcriptionis tempore confirmata, quæ conſuetudinem impediebant; ideò præſumendum eſt, quòd nulla fuerit Juridica conſuetudo quoad nos Fratres Minores ſolvendi præfatam quartam; adeóque nec modo in ullo loco ſolvere tenemur.

201 Prætereà adhuc tria hic notanda occurrunt. I. Quòd quicumque Clericus ſæcularis, vel religioſus inducens aliquem ad eligendam ſepulturam apud ſuam Eccleſiam, incurrat pœnas à Jure *c.* 1. *de ſepulturis, in* 6. latas, quæ ſunt: nimirùm, quòd electio ſepulturæ ſit nulla: quod non poſſint ſepeliri in loco electo; quòd Clerici inducentes debeant reſtituere Cadaver, & alia accepta: & niſi reſtituant, quòd ſint interdicti. Verba Bonifacii VIII *in citato cap.* ſunt hæc: *Univerſis religioſis, & ſæcularibus Clericis, cujuſcumque ſtatus, vel conditionis exiſtant, in virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub interminatione maledictionis æternæ (conſequenter ſub gravi culpa) diſtrictiſſimè prohibemus, ne aliquos ad vovendum, vel jurandum, vel fide interpoſita, aut aliàs promittendum inducant, ut apud eorum Eccleſias ſepulturam eligant, vel jam electam ulteriùs non immutent, &c.* II. Quòd prohibitum ſit locorum Ordinariis, & aliis, ne regulares directè, vel indirectè moleſtant, vel eorum privilegia violent, nam ſi violatores ſint Ordinarii, ſunt ipſo facto interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſuſpenſi à Regimine, ac adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum: ſi verò ſint tantùm Parochi, vel alii quicumque, incurrunt ipſo facto excommunicationem latæ ſententiæ, & privationem Eccleſiarum Parochialium, ac omnium aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum, quæ obtinent, nec non inhabilitationis ad illa, & alia impoſterùm obtinenda. Ita Papa Sixtus IV. Bulla: *Regimini univerſalis* §. 17. *in Bullario Cherubini to.* 1. *pag.* 408. & Bulla: *Sacri Prædicatorum*, §. 14. *in Bullario Cherubini to.* 1. *pag.* 432. III. Quòd, cùm regulares mendicantes ſint exempti à Juriſdictione Ordinariorum, & Roma diſtantes, ideò Summi Pontifices, ne in ſuis Juribus nimiùm parerentur, conceſſerunt iiſdem, ut eligere poſſint ſuorum Jurium, & privilegiorum *Conſervatores*, qui authoritate Apoſtolica poſſint quoſcumque ſuorum Jurium, & privilegiorum violatores per cenſuras, & alias pœnas compeſcere. Ita Bulla cit. *Regimini univerſalis*, & Bulla Leoni X. *Dum intra mentis, &c.*

### §. IV. *Regulares mendicantes exempti ſunt à Juriſdictione, & lege Ordinariorum, exceptis certis dumtaxat caſibus.*

CAſus potiores, in quibus regulares, etiam mendicantes ſubjiciuntur locorum Ordinariis, recenſuimus *cap. præc. ſect.* 3. *q.* 4. *n.* 235. *& ſeqq.* hinc eoſdem hic repetere ſupervacaneum duximus. Nihilominùs aliqua notabilia adjiciemus. 202

I. Tametſi regulares eximantur à lege Juriſdictionis Epiſcopalis, & ſic non teneantur de Jure comparere, dum à Reverendiſſimis Ordinariis citantur, utpotè Judicibus non competentibus; cùm tamen in citatione exprimitur cauſa, quæ fundet ſuper ipſos Ordinarii Juriſdictionem, ut v. g. ſi citent ad comparendum, eo quod ad proceſſiones non acceſſerint, quamquam ad eas vocatio præceſſerit, ab onere comparendi non liberantur ex Peyrin. *de privileg. ad conſtit.* 2. *Sixti IV.* §. 10. *n.* 15. cùm Epiſcopis aſſiſtat diſpoſitio Concilii Trid. eiſdem tribuens jus compellendi ad publicas proceſſiones etiam exemptos. 203

II. Verùm ſemper ex decentia, & reverentia Epiſcopis debita, comparere debent, vel ad allegandum privilegium, & exemptionis poſſeſſionem, adversùs incompetentiam fori, vel etiam ad illud exhibendum, ſi exemptio non ſit notoria, ut notavit *Piaſec. & Donatus* apud Matthæucci *cit. V. Exemptio ab Ordinarii Juriſdictione, n.* 44. & habetur expreſſe *c. cùm perſona, de privileg. in* 6. ubi Gloſſa Verbo *in Diœceſi* tradit; *quòd pendente lite ſuper exhibitione privilegiorum ſuorum, non poteſt Epiſcopus eos turbare in ſua poſſeſſione exemptionis, neque in eos poterit ſuam exercere Juriſdictionem*, & in dubio an Juriſdictio pertineat ad Epiſcopum, non poteſt Epiſcopus de cauſa cognoſcere per Peyrin. cit. Ne ſit Judex in propria cauſa; ſed Litis Examen, & deciſio ad Sedem Apoſtolicam ex Conſtitut. *Superna*, Clementis X. ſpectat. 204

III. Tandem licèt regulares ſint exempti Juriſdictione Epiſcopali, non tamen ſunt exempti à reverentia Reverendiſſimis Epiſcopis exhibenda; ſiquidem Leo X. in Bulla: *Dum intra*. §. 22. Regulares ſic alloquitur: *Eoſdem inſuper Fratres in virtute Sanctæ Obedientiæ monemus, ut eoſdem Epiſcopos loco Sanctorum Apoſtolorum ſubrogatos, pro debita, ac Apoſtolicæ Sedis Reverentia congruo honore, & convenienti obſervantia venerentur.* 205

IV. Et Epiſcopos cit. §. monet Leo X. *Ipſos quoque Epiſcopos hortamur, ac per viſcera Miſericordiæ DEI noſtri requirimus, ut Fratres ipſos affectu benevolo proſequentes, charitativè tractent, ac benignè foveant, ſeque illis minimè difficiles, vel moroſos, ſed potiùs faciles, mites, propitios, piaque munificentia liberales exhibeant, ac in omnibus prædictis, tamquam in Agro Dominico Cooperatores, eorumque laborum participes, prompta benignitate recipiant, eorumque Jura omni cum charitate cuſtodiant, atque defendant.* 206

## SECTIO IV.

### *De Statu Laicali.*

## QUÆSTIO I.

### *De Judice.*

## SUMMARIUM.

208 *Prima conditio in Judice requiſita eſt legitima Judicandi poteſtas: Secunda eſt ſcientia debita: Tertia eſt, ut judicet ſecundùm leges: Quarta eſt conſtantia in exequenda ſententia à ſe lata.*
209 *Judex poteſt tribus modis procedere adversùs Reum.*
210 *Ad inquiſitionem Generalem inſtituendam non requiritur præcedens infamia.*
211 *Quid prærequiratur ad inſtituendam inquiſitionem Mixtam?*
212 *Quid requiratur circa inquiſitionem ſpecialem.*
213 *Quid prærequiratur ad Torturam Reo inferendam?*
214 *Judex non poteſt condemnare illum, quem certò ſcit Criminis Reum, ſi non per legitimas probationes Reus comprobetur.*
215 *Nec poteſt condemnare illum ad mortem, quem privata ſcientia certa certò novit innocentem, licèt ſecundùm allegata, & probata, Reus mortis probetur.*
216 *Judex nequit remittere pœnam à lege taxatam.*
217 *Quænam à Judice regulari in Judicio regulari ſint obſervanda?*

AS-

Digitized by Google

## ASSERTIO I.

207 *Ut Judex ſuo ritè fungatur officio, requiruntur in eo quatuor conditiones. Prima eſt: Ut legitimam habeat judicandi poteſtatem. Secunda: Ut habeat ſufficientem ſcientiam. Tertia: Ut ſervet Juris ordinem, & in judicando ſe legibus conformet. Quarta: Ut latam à ſe ſententiam conſtanter exequatur. Quare Judex nequit de aliquo inſtituere inquiſitionem Specialem, niſi præcedente infamia; nec aliquem torquere, niſi præcedente ſemiplena probatione. Nec poteſt condemnare illum, quem certò ſcit Criminis reum, ſi non per legitimas probationes reus comprobetur. Nec poteſt ſententiam mortis ferre in eum, quem privata notitia certò ſcit innocentem, licèt ſecundùm allegata, & probata reus mortis probetur: teneturque in ferenda ſententia ſequi ſententiam probabiliorem: nec remittere poteſt pœnam à lege taxatam, ſaltem ſi ſit Judex inferior.* Communiſſima Theologorum, Canoniſtarum, & Civiliſtarum.

### §. I. *In Judice requiruntur quatuor conditiones.*

208 *Prima conditio eſt*, ut habeat legitimam judicandi poteſtatem. *Certum apud omnes*. Eaque fundatur in eo, quòd Judici competere debeat vis obligandi, ſeu cogendi ad executionem ſententiæ proferendæ, quæ eſt inſtar legis particularis, continens proinde vim obligativam, & coactivam, adeoque ſupponens poteſtatem judicandi legitimam, non tantùm in perſonam judicandam, ſed etiam ſuper cauſam, ſeu materiam judicandam; adeò, ut qui ſecùs agit, invalidè procedat, & grave ex genere ſuo peccatum committat, velut iniquus, & injuſtus uſurpator poteſtatis alienæ cum injuria, juxta communem æſtimationem gravi, tum perſonæ judicandæ, tum Superioris ejuſdem. Hinc arrogatione judicii peccant, imò nulliter agunt Judices ſæculares, qui præſumunt judicare Clericos: item Ordinarii, qui attentant judicare Regulares Exemptos, &c. *Secunda conditio eſt*: ut Judex ſufficientem habeat ſcientiam, & judicet ſecundùm veritatem, quæ illi innoteſcit, tam in Generali per leges Divinas, & Humanas, quas idcircò optimè callere debet, quàm in particulari per inſtrumenta, teſtes, aliaque ſimilia documenta, ex quibus juvari poteſt ad probationes inductas accuratiùs diſcutiendas. Ratio hujus conditionis eſt manifeſta: quia non minùs tenetur Judex ad bonam ſui Muneris adminiſtrationem, quàm Medicus, Chirurgus, & alii ſimiles: ſed illi tenentur habere ſufficientem peritiam, quæ ad benè, & utiliter, ſua Miniſteria exercenda requiritur: ergo idem de Judice dicendum. Unde ſi ob Judicis ignorantiam aliquod damnum litigantibus acciderit, ſive in ſubſtantia Litis, ſive in ſuperfluis expenſis, hoc totum illi imputandum eſt, etiam cum obligatione reſtituendi. *Tertia conditio eſt*, ut Judex ſervet Juris ordinem, & in judicando ſe legibus conformet: quæ conditio ſatis patet imprimis quoad leges illas, quæ præſcribunt idem, quod Jus naturæ, à quo utique nullus Judex eſt exemptus. Quoad alias leges poſitivas idem patet de Judice inferiori, quem non conſtat non eſſe ſupra leges, neque eas poſſe immutare. De Judice autem ſupremo idem regulariter cenſendum eſt; cùm & hic legibus ſuis teneatur ſaltem ex æquitate, quoad vim directivam. Unde S. Auguſtinus *lib. de vera Religione, cap. 31. de legibus temporalibus* ait: *quamquam de his homines judicent, cùm eas inſtituunt; tamen cùm fuerint inſtitutæ, atque firmatæ, non licebit judici de ipſis judicare, ſed ſecundùm ipſas*. *Quarta conditio eſt*, ut Judex in exequenda ſententia à ſe lata firmus ſit, & conſtans, nec ullo favore, timore, aut reſpectu humano ſe flecti ſinat juxta illud *Eccleſiaſtici 7. Noli quærere fieri Judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates; ne fortè extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua*.

### §. II. *Quare Judex nequit inſtituere inquiſitionem Specialem de aliquo, niſi præcedente infamia, &c.*

209 Ubi notandum, Doctores communiter tres ſtatuere modos procedendi adversùs reum, ſcilicet *Accuſationis, Denunciationis, & Inquiſitionis. Via Accuſationis eſt*, quando eſt aliquis actor, qui ſpondet ſe objecta probaturum. Via *Denunciationis eſt*, quando aliquis defert crimen, qui non vult ſuſcipere onus probandi. Eſt autem duplex denuntiatio, una *Evangelica*, quæ tendit ad emendationem Fratris, & fit Superiori tamquam Patri: Altera *Judicialis*, quæ ſpectat ad criminum punitionem, vel impeditionem mali, & damni, & fit Superiori tamquam Judici. *Via Inquiſitionis* proceditur, quando Judex, aut Superior ex Officio procedit ad Provinciam, vel locum ſibi ſubjectum reformandum, vel ad inveſtigandum criminis commiſſi Auctorem. Porrò triplex eſt inquiſitio: Prima omninò *Generalis*, qua in genere inquiritur, an ſubditi ſervent leges, an non, committant crimina &c. Hac utuntur Prælati, & Superiores in Viſitatione Provinciarum, & locorum ſibi ſubjectorum. Secunda eſt omninò *Specialis*, qua de certa perſona, & de certo crimine inquiritur, ut an Petrus commiſerit homicidium. Tertia eſt *Mixta*, quando, vel ſolùm delictum eſt ſpeciale, ut an quis fecerit homicidium? vel ſola perſona eſt ſpecialis, v. g. An Petrus benè vivat? His notatis.

I. Conveniunt Doctores unanimiter, ad inquiſitionem 210
Generalem non requiri, ut præceſſerit aliqua infamia. Et patet ex Canonibus, in quibus jubentur Prælati inquirere, & viſitare loca ſibi ſubjecta, *c. Perniciosa, 1. de officio Judicis ordinarii, & c. Romana 1. de Cenſibus in 6.* Ratio eſt: quia talis inquiſitio nemini eſt injurioſa, & aliunde eſt neceſſaria ad purgandam Rempublicam, criminaque compeſcenda. Nihilominùs juxta Doctores communiter apud *Herincx parte 3. tract. 3. diſput. 6. quæſt. 2. num. 20.* Subditi ſic interrogati non debent declarare occulta crimina eorum, qui nulla laborant infamia: hæc enim eſt, eſſeque debet mens ipſorum interrogantium. Excipe, *niſi dum eſt paterna Viſitatio in ordine tantùm ad emendationem neceſſariam*: ubi tamen juxta præceptum Chriſti, *Matth. 18. corripe eum inter te, & ipſum ſolum*, debuit præceſſiſſe fraterna correctio, & nulla fuiſſe ſecuta emendatio. Niſi enim præceſſerit fraterna correctio, vel jam facta ſit emendatio, nequit crimen occultum denuntiari Superiori, etiam ut Patri, & *denuntiatione Evangelica*, ut docet noſter P. Gaudentius Kerckhove, *in noſtra Statuta Generalia, cap. 6. §. 1. num. 15. & ſeqq.* Cum pluribus, quos citat. Ratio eſt: quia in tali caſu proximus infamaretur ſine neceſſitate, & rationabili cauſa; ſi, ut ſupponitur, ejus emendatio per ſecretam correctionem fraternam haberi poſſit, vel crimen jam emendatum ſit. Cùm enim denuntiationis Evangelicæ finis ſit Emendatio proximi; in hoc autem caſu Emendatio, vel jam habeatur, vel per ſecretam correctionem fraternam haberi poſſit, clarum eſt, quòd proximus in tali caſu ſine neceſſitate, & rationabili cauſa, conſequenter injuſtè, infamaretur. Quæ ratio etiam probat illud, quod ſuperiùs fuit dictum, nimirùm in inquiſitione Generali *Judiciali*, non debere à ſubditis manifeſtari crimina occulta, quæ nec præceſſit infamia, vel indicia æquivalentia, vel quæ nec per unum teſtem probari poſſunt: cùm enim denuntiatio *Judicialis* tendat ad punitionem, & vindictam criminis denuntiati, in noſtro autem caſu crimen taliter denuntiatum (etiamſi jam præceſſiſſet fraterna correctio, nec ſecuta fuiſſet emendatio) à Judice puniri non poſſet, ſiquidem Judex in hoc caſu non poſſet circa denuntiatum inſtituere inquiſitionem ſpecialem, ut mox dicetur: nec eum torquere ad exprimendam criminis confeſſionem, ut etiam ſtatim dicetur: nec poſſet ei deferre Juramentum ſuppletorium; quia ad hujus delationem requiritur ſemiplena probatio criminis denuntiati, ut videre eſt apud Reiffenſtuel *in 2. Decret. tit. 25. num. 173.* Cum communi Doctorum; cujus ratio eſt: quia Actore nihil probante, abſolvendus eſt reus, etiamſi is nihil præſtiterit, *l. qui accuſare. C. de edendo, & c. cùm Eccleſia, §. fin. de cauſa poſſeſſ.* Unde nec opus eſt, ut tunc reus juret: ergo in hoc caſu proximus ſine neceſſitate, & rationabili cauſa, conſequenter injuſtè infamaretur.

II. Inquiſitio Mixta, dum de crimine conſtat, & perſo- 211
na ignoratur, indubiè licita eſt, ſi de eo præceſſerit infamia. Idemque eſt, etſi non præceſſerit, ſi in inquiſitione non fiat mentio particularis perſonæ, prout praxis omnium Judicum docet, teſte Herincx *cit. num. 21.* adeò, ut *Innocentius* ſcribens *in cap. Bona 1. de elect. numer. 3.* dicat: *Sic ſervat totus Mundus*. Aliàs quoque Malefici ſpe immunitatis invaleſcerent, populus ob neglectam inquiſitionem offenderetur, ſic ut tota communitas cenſeatur illam expetere, ipſis Maleficis duntaxat exceptis. Canones, qui in oppoſitum allegari poſſent, loquuntur apertè de inquiſitione ſpeciali, quæ fieret citra præviam infamiam. Si autem quæratur, qua via excuſari poſſint Judices ſic procedentes, veluti occaſionem dantes ſimplicioribus, ut etiam occulta crimina pandant, quæ quidem pandi non poſſe, ſicuti neque, ut hoc fiat, intendi à Judice habet communis opinio? Reſpondet Lugo *diſp. 37. S. 6. num. 59.* apud Herincx *cit. num. 22.* quòd Judices ſic procedentes excuſari poſſint; ſi tantùm interrogent, an ſit aliquis rumor, vel murmur contra aliquem in particulari &c. vel quia præſumere poſſunt, teſtes accedere ſatis inſtructos; uti non præmonentur de prodendis ſemetipſis: vel quia delicta frequen-

ter

Digitized by Google

ter ſunt talia, ut expediat omninò maleſactorem revelari ad vitandum Reipublicæ damnum: vel quia non deſunt indicia circa perſonam determinatam: vel denique quia amplectuntur ſententiam *Turriani*, *Reginaldi*, & aliorum Doctorum, qui docent, poſſe revelari Auctorem occultum criminis publici, poſtponendo privatum Maleſactoris bonum quieti, & bono publico: eo quòd ratio, ob quam præexigitur infamia in inquiſitione ſpeciali (quæ eſt, ne quando inquiſitus ſit innocens, qui per hoc infamaretur) hic ceſſet, dum nemo ſpecialiter à Judice exprimitur, & teſtis ſua depoſitione infamaret quidem, ſed nonniſi noxium, & verè reum. Ita fere *Lugo cit.*

212 III. Inquiſitio ſpecialis regulariter prærequirit infamiam, ſeu clamoſam inſinuationem, quæ non ſit paucorum, habeatque ortum à fide dignis, ſic, ut rumor publico velut clamore ad aures Judicis deferatur, *cap. inquiſitionis, § 3. & cap. qualiter, & quando, 24. de accuſat.* Unde cavendum eſt Judici, ne unquam incipiat, ſpecialiter procedere, ſeu inquirere ex ſeipſo, ſed ſemper præcedat aliquid, quod inquiſitioni viam aperiat, ſeu Judicem cogat, ut ex officio procedat, v. g. notitia publica, infamia, ſuſpicio communis, querela partis, denuntiatio officialis, aut quid ſimile. Imò alioquin totus proceſſus eſt Jure nullus, ut docet *Clarus qu. 5. num. 4.* apud Leſſium, *dub. 15. n.* 136. Ratio eſt: quia alias Judices poſſent pro arbitrio impetere, quos vellent, & (quod Jure gentium reprobatur) iidem eſſent ſimul Accuſatores, & Judices, dum ipſi à nemine provocati obligarant alios ad accuſandum, vel denuntiandum judicialiter. Præmiſſa tamen intelligenda ſunt de inquiſitione tendente *ad punitionem*. Nam aliud eſt, ſi agatur *in ordine ad avertenda, & præcavenda mala*; ut quando agitur de Beneficiorum collatione, contrahendo matrimonio, & ſimilibus: tunc enim licet inquirere de delictis, & impedimentis perſonarum particularium, etſi nulla de iis ſit ſama. Imò eſt neceſſarium, ſi ſubſit aliqua ſuſpicio, vel indicia. Non tamen debent Superiores divulgare, quod tamquam occultum intellexerunt: ſed poſſunt hujuſmodi perſonas in collatione, v. g. officiorum, aut Beneficiorum tacite præterire. Ita Henricx *cit. nu. 24.* Excipiuntur præterea à *Navarre*, *Leſſio*, & aliis DD. apud Herincx *mox cit. n. 25.* Aliqui caſus, ſeu crimina, ut hæreſis, & ſimilia, quæ non prærequirunt infamiam, ſed ſolùm ſuſpicionem ex juſtis indiciis.

213 IV. Circa Torturam advertendum eſt, illam, velut durius remedium, non eſſe adhibendam, niſi in ſubſidium, dum ſcilicet aliæ probationes haberi nequeunt. Præcedere tamen debet ſemiplena probatio, quam facit teſtis de viſu, contra quem non eſt exceptio, aut alia quodammodò æquivalens fundata nempè in indiciis valdè urgentibus, ne, ut *S. Auguſtinus 19. de Civit. c. 6.* ait: *Innocens pro incerto ſcelera, certiſſimas pœnas luat*, ſeu cruciatus ſuſtineat.

### *§. III. Judex non poteſt condemnare illum, quem certò ſcit Criminis Reum, ſi non per legitimas probationes Reus comprobetur.*

214 ET quidem de Judice inferiori hoc videtur certum: quia Judex inferior auctoritatem non habet derogandi legibus ſuperioris, ſed juris ordinem ſervare tenetur; Ordo autem juris eſt, ut non condemnetur, qui ſecundùm allegata, & probata conſtat eſſe innocens. Si verò ſit Judex ſupremus, v. g. Rex, Imperator &c. poſſet id facere ad impediendum malum grave, quod poſſet ex vita Rei talis imminere Reipublicæ; quia bonum Reipublicæ debet præferri vitæ Rei, qui ei notabile damnum inferret. Extra talem tamen caſum ordinariè, & per ſe loquendo Judex ſupremus non poteſt illum condemnare, quando crimen omninò ſecretum eſt, & probari non poteſt. Ratio eſt: quia jus defenſionis Rei, & probatio teſtium competit Reo ex jure naturæ; unde videmus DEUM ipſum contra Adam non protuliſſe ſententiam, niſi priùs vocatum, & auditum, & defenſum. Cùm ergo Princeps in Jure Naturæ diſpenſare non poſſit, dicendum eſt, non poſſe nocentem occidere, probatum per teſtes innocentem; ſed illum occidendo mortaliter peccare, & ad reſtitutionem obligari. *Arragonius*, *Navarrus*, *Clavis Regia*, *Leſſius*, *Bonacina*, *Lugo*, *Pontius*, & alii communiter apud noſtrum Maſtrium *Theol. Moral. diſp. 6. qu. 2. num. 27.* Circa cauſas Civiles autem, v. g. ablationem officii &c. majorem fortaſſis poteſtatem Princeps habet ad condemnandum aliquem ex ſcientia privata, ratione altioris Domini ob commune bonum ei competentis: Ita *Herincx cit. qu. 1. num. 9.*

215 E contrà quòd Judex non poſſit ſententiam mortis ferre in eum, quem privata notitia certò ſcit innocentem, licèt ſecundùm allegata, & probata reus mortis probetur, vide apud P. Patritium Sporer *tr. 5. in 5. Præceptum Decalogi. cap. 1. ſect. 1. nu. 30. & ſeqq.* Item quòd Judex in ferenda ſententia teneatur ſequi ſententiam probabiliorem, vide apud eundem Sporer *tr. 1. Proœmiali, cap. 1. ſect. 3. n. 60.* Ex quibus omnibus ſequitur, Judicem, ſi præter juris ordinem aliquem condemnavit, teneri ad compenſanda omnia damna realia exinde conſecuta condemnato, & ejus hæredibus, idque ob injuriam, qua damna hujuſmodi cauſavit. Ita *Henricx cit. q. 2. num. 31.*

### *§. IV. Judex nequit remittere pœnam à lege taxatam.*

IN hoc conveniunt omnes, id numquam licitum eſſe, ſi ſit contra bonum publicum; unde *Deut. 13.* dicitur de illo, qui alios ſeducit, & ad idololatriam inducit: *non parcat ei oculus tuus, ut miſerearis, & occultes eum, ſed ſtatim interficies.* At extra talem cauſam, dicunt Doctores, quòd Judex inferior ſemper teneatur ferre ſententiam ſecundùm jura, illamque exequi. Ratio eſt: quia Judex inferior in lege ſuperioris diſpenſare non poteſt. Ita D. Thomas *2. 2. qu. 65. art. 4.* Bannes, Arragonius, Valentia, Bonacina, Toletus, Molina, Reginaldus, Vulpes noſter, & alii communiter apud Maſtrium *cit. num. 31.* Qui tamen advertunt, hoc intelligendum eſſe de pœna certa, & à lege taxata, non autem de arbitraria; nam quando Lex ob aliquod delictum commiſſum, pœnam delinquenti infligendam non determinat, ſed eam arbitrio judicis remittit, poteſt Judex juxta ſuum prudens judicium eam imponere; quamvis ad miſericordiam magis, quàm ad ſeveritatem inclinare debeat; quia melius eſt propter miſericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem. Si verò de ſupremo Judice ſit ſermo, dicunt præfati Doctores, poſſe pœnam in jure taxatam remittere, modò hoc faciat ex juſta cauſa. Ratio eſt: quia ſupremus judex plenariam habet poteſtatem diſpenſandi in jure communi, præſertim dum adeſt juſta diſpenſandi cauſa, adeóque pœnam lege taxatam remittere poteſt. Addunt tamen, reſarciendum eſſe damnum parti læſæ illatum; nam pars non debet pati damnum ob remiſſionem Principis, quia hic non poteſt in jure naturæ diſpenſare, nec alterum bonis privare. 216

Quænam verò à Judice regulari in Judicio obſervari debeant, recenſet breviter noſter P. Auguſtinus Matthæucci, *in officiali curia Eccleſiaſtica, cap. 54. num. 30.* Videlicet omnia, quæ neceſſaria ſunt de jure Divino, vel naturali: de jure Divino ſunt accuſatio, denuntiatio delicti, Rei citatio, æqualitas Judicis erga partes, teſtium pluralitas, & partis auditio. De jure vero naturali ſunt hæc? Judicis inimici recuſatio, appellatio, defenſiones legitimæ; juramentum de veritate dicenda, quod defertur teſtibus; teſtium ſecreta interrogatio, quod de delicto facti conſtet: quòd inimici repellantur ab accuſando, & teſtificando. Ita *Peyrin. in form. lit. D. cap. 16. num. 2.* Nam jus Divinum, & naturale, etiam religioſos fovet, & protegit, ac providet, ne per ejus inobſervantiam ipſorum fama deperdatur. Nec obſtat *c. qualiter, & quando, 24. de accuſationibus in fine*, ubi Pontifex decidit, quòd circa regulares perſonas non eſt Ordo juris omninò ſervandus. Non obſtat, inquam, quia ibi ſolùm permittitur, ut in regularium judiciis non procedatur exactè, hoc eſt, ſervatis apicibus, ſubtilitatibus, & ſolemnitatibus juris humani, quæ non adjuvant ſubſtantiam judicii, ut declaravit Bonifacius VIII. Bulla: *Ad augmentum Continuum*, in Bullario Cherubini *tom. 1. pag. 200.* Plura de judicio regulari vide apud noſtrum P. Gaudentium Kerkhove *in ſtatuta noſtra Generalia, cap. 6. §. 1.* Item apud P. Anacletum Reiffenſtuel *in 5. Decret. tit. 1. De accuſationibus*, & alios. 217

## QUÆSTIO II.

### *De Accuſatore, & Denuntiatore.*

### SUMMARIUM.

219 *Qui vult alium de aliquo Crimine accuſare, debet illud legitimè, & ſufficienter poſſe probare, aliàs incurrit pœnam Talionis, &c.*

220 *Accuſans, vel judicialiter denuntians non tenetur præmittere Correctionem fraternam.*

221 *Tunc eſt obligatio accuſandi, vel judicialiter denuntiandi Crimen alterius, quando hoc ſit communitati, vel proximo pernitioſum, &c.*

222 *In his caſibus non accuſans, vel denuntians peccat mortaliter.*

223 *Qui*

223 *Quinam Criminaliter, hoc eſt, ad ſumendam de commiſſo Crimine vindictam accuſare poſſint?*

ASSERTIO II.

213 Q*Ui vult accuſare alium de Crimine aliquo, debet illud legitimè, & ſufficienter poſſe probare; aliàs incurrit pœnam Talionis: qui verò judicialiter vult alicujus Crimen denuntiare, non tenetur quidem illud probare, at tenetur aperire Indicia, quibus Judex ex officio ad ulteriorem inquiſitionem faciendam moveri poſſit: nec tamen accuſator, nec judicialiter denuntians tenetur præmittere fraternam Correctionem. Tunc autem eſt obligatio accuſandi, vel judicialiter denuntiandi aliquem de Crimine, ſi vel hoc ſit Reipublicæ, vel proximo pernitioſum, vel quis habeat officium, vi cujus tenetur accuſare, vel denuntiare delinquentes; & in his caſibus non accuſans, vel denuntians peccat mortaliter in primo quidem contra Charitatem, in ſecundo verò contra Juſtitiam.* Ita communis apud Auctores citandos.

### §. I. *Qui vult alium de Crimine accuſare, debet illud legitimè, & ſufficienter poſſe probare, &c.*

219 JAm dictum fuit quæſtione præcedenti §. 2. quòd crimen aliquod ad Judicem competentem, vindictæ publicæ cauſa, deferri poſſit *via accuſationis*, & *via denuntiationis judicialis*; quod etiam expreſſe habetur *in c. ſuper his 16. de accuſationibus*. Inter accuſationem autem, & denuntiationem hoc eſt diſcrimen, quòd accuſator accuſationi ſe ſubſcribere debet, & ſuſcipit in ſe onus probandi criminis; quod ſi non probat, patietur ex jure Talionis pœnam; non ita denuntiator: nam denuntiatio ſolis verbis fieri poteſt, nec tenetur probare crimen, quod denuntiat; ſed ſufficit, ſi indicia aperiat, quibus Judex ex officio ad ulteriorem inquiſitionem faciendam moveri poſſit. Ita cum communi DD. Maſtrius *Theol. Moralis, diſp. 6. qu. 2. art. 2. nu. 34.* Rurſus denuntiatio, juxta ſuprà jam dicta, duplex eſt, una *Charitativa*, *ſeu Evangelica*, cùm ſcilicet quis admonitione privata præmiſſa, nec ſecuta proximi emendatione, peccatum ejus ad Superiorem, tamquam ad Patrem defert, & hæc denuntiatio etiam *Paterna* dici ſolet; quia nimirùm crimen proximi Superiori aperitur, ſolùm propter bonum & emendationem Fratris, & ut efficacius remedium adhibeat, juxta illud Chriſti Domini, *Matth 18. Si te non audierit --dic Eccleſiæ.* Alia denuntiatio eſt *Judicialis*, & tunc fit, quando quis ad vindictam, & punitionem criminis ob Bonum publicum, Superiori illud denuntiat, tamquam Judici, ut pro ſuo munere faciat, quod expediens judicabit Bono publico, & hæc denuntiatio dici etiam ſolet *Canonica*. Ita *Azorius*, *Bonacina*, *Tamburinus*, & alii paſſim, apud Maſtrium citatum. Ex quo ſequitur, quod non liceat denuntiare judicialiter crimen occultum, quod nullo modo à denuntiante probari poteſt; ſed peccaret contra Juſtitiam illud per viam accuſationis, vel denuntiationis judicialis aperiens: cùm enim tale crimen probari non poſſit, non poſſet quoque puniri, proindeque ex ejus manifeſtatione nihil aliud, quàm alterius infamia ſequi poteſt, & occulto exiſtente delicto, infamaretur proximus, qui jus habet, ne famam amittat occulto exiſtente crimine. Ita Leſſius *cap. 29. dub. 13.* Abellius, cum pluribus aliis apud Maſtrium *cit. num. 38.* Duos tamen excipiunt caſus, in quibus licitum eſſe dicunt, Superiori pateſacere crimen occultum alterius, quamvis probari non poſſit. *Primus eſt*, quando ex occulto illo crimine grave aliquod malum ſpirituale, vel temporale imminet, quod non niſi Superioris potentia, quel authoritate averti, & impediri poteſt. *Alter eſt*, quando id conducere exiſtimatur ad emendationem illius, qui crimen hujuſmodi commiſit: tunc enim Superiori, non quidem, ut Judici, ſed ut Patri manifeſtari poteſt, ac debet præmiſſa tamen admonitione fraterna.

### §. II. *Accuſans, vel judicialiter denuntians non tenetur præmittere Correctionem Fraternam.*

220 ITa Layman *lib. 3. tract. p. 2. cap. 4. num. 12. & 13.* Leſſius *lib. 2. cap. 3. dub. 3.* Molina *tract. 4. diſp. 32. nu. 6.* Palaus, Palud. Adrian. Sotus, Ludovic. de Ameno, Reiffenſtuel *in 5. Decret. tit. 1. num. 98. & 105.* Navarrus, Faber, & alii, contra Maſtrium, & plures Recentiores docentes apud ipſum *cit. num. 37* non debere præmitti Correctionem fraternam ex debito Juſtitiæ, ſed ex obligatione Charitatis. Ratio eſt: quia Principalis finis accuſationis, & denuntiationis judicialis non eſt emendatio, & privatum Bonum delinquentis: ſed Publica illius vindicta ob Bonum publicum, quatenùs nempè tali publica vindicta ſeu pœna alii terreantur, & delinquere ceſſent, vel omittant, & delinquendo non noceant Bono publico. Quapropter etiam fieri de delictis jam plenè emendatis, & per delinquentem non ampliùs committendis, ob eandem rationem; conſequenter prævia correctio, & monitio delinquentis ad eam nullatenùs prærequiritur, cùm hæc denuntiatio emendationem delinquentis, & Bonum illius privatum, ob quod fieri deberet prævia correctio fraterna, non attendat, nec reſpiciat. Dictum eſt: *Judicialiter denuntians non tenetur præmittere correctionem fraternam;* nam quòd denuntians denuntiatione fraterna, charitativa, & Evangelica teneatur præmittere correctionem fraternam, docet Chriſtus Dominus *Matth. 18.* illis Verbis: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum, &c.* Idem docet communiſſima cum Doctore Angelico D. Thoma apud noſtrum P. Patritium Sporer *tr. 3. in 4. Decal. Præceptum, cap. 6. Sect. 3. num. 104 & ſeqq.* ubi ſatis fuſè, & eruditè hanc materiam pertractat, quem igitur vide.

### §. III. *Tunc eſt obligatio accuſandi, vel judicialiter aliquem denuntiandi de Crimine, ſi vel hoc ſit Reipublicæ, vel proximo pernicioſum &c.*

ITa D. Thomas 2. 2. *q. 68. art. 1.* docens obligationem 221
accuſandi, vel denuntiandi Crimen Reipublicæ pernitioſum, quod legitimè probari poteſt, ſi alia via damnum publicum evitari non poteſt, quale eſt Crimen hæreſis, proditionis, falſæ monetæ &c. Unde qui certò tale Crimen novit, ac probare poteſt, tenetur ad Criminoſum accuſandum, aut ſaltem judicialiter denuntiandum, dùm talia Crimina ſunt in fieri, vel in procinctu, ut fiant. Et ratio eſt: quia quilibet tenetur damnum publicum impedire, eo meliori modo, quo poteſt; quare ſi aliter impediri non poſſit, quàm per delicti accuſationem, vel denuntiationem, hoc, vel illo modo impedire tenetur. Quod ſi tale Crimen ſit emendatum, iſque, qui illud perpetravit, de eo pœnituit, nec ullum ampliùs Reipublicæ imminet periculum, tunc nullam quoque amplius remanere accuſandi, aut denuntiandi obligationem, docent peritiores apud Maſtrium *cit. num. 35.* Niſi fortè quis de illo juridicè interrogetur, nam in tali caſu verum reſpondere tenebitur. Similiter delicta in damnum; aut præjudicium alicujus Tertii vergentia tenetur quis etiam judicialiter denuntiare, ſi nec correctio fraterna, nec denuntiatio Evangelica, ſeu Paterna, damnum ſufficienter impeditura, aut ſublatura videatur. Ita Sanchez *lib. 6. Conſult. dub. 9. nu. 4.* Sylveſter *V. Denuntiatio qu. 1.* cum communi. Ratio eſt: quia juxta communem Theologorum, quivis, ſi non ex Juſtitia, ſaltem ex charitate tenetur malum proximi avertere, ſi poteſt. Denique qui habet officium, vi cujus tenetur accuſare, vel denuntiare peccantes, & malefactores, uti eſt Fiſcalis, Cuſtos Sylvarum, Gabellarum, &c. non eſt dubium, talem teneri accuſare, vel denuntiare peccantes, & malefactores, aliàs non ſatisfacerent ſuo officio ipſis à communitate collato.

### §. IV. *In prædictis caſibus non accuſans, vel denuntians peccat mortaliter.*

IN primo quidem caſu contra charitatem: ſiquidem 222
communis ſententia apud *Maſtrium cit. num. 41.* docet, non accuſantem, vel denuntiantem Crimen commiſſum contra Bonum publicum, vel privatum peccare mortaliter contra charitatem: quia quilibet ex charitate tenetur à proximo damnum avertere, ſi poteſt; talis tamen non tenetur ad Reſtitutionem; ſiquidem ex obligatione charitatis, & ejus violatione non oritur obligatio reſtituendi. In Secundo autem caſu, cùm quis ex officio tenetur accuſare, vel denuntiare, & non facit, peccat contra Juſtitiam: Unde qui non accuſat, vel denuntiat, quando ex officio ad hoc obligatur, tenetur ad reſtitutionem damnorum inde ſecutorum parti læſæ. Ratio eſt: quia, qui non facit id, ad quod ex officio tenetur, Juſtitiam violat; ex cujus violatione obligatio oritur reſtituendi. Ita *Salonius*, *Bonacina*, & alii paſſim apud *Maſtrium cit.* apud quem tamen Navarrus *in Manuali, cap. 17.* duos excipit caſus, in quibus iſte quoque nec mortaliter peccat, nec ad reſtitutionem tenetur. *Primus eſt*, quando non denuntiat, eos, qui faciunt contra leges humanas, eò quia id faciunt in extrema, vel gravi neceſſitate conſtituti: Lex enim humana charitatem deſtruere non intendit, & ideò in tali caſu denuntiare non obligatur. *Alter caſus eſt*, quando delinquentes, & tranſgreſſores legis humanæ ſunt conſanguinei,

Digitized by Google

guinei, vel affines, aut etiam arctâ amicitia conjuncti cum eis, qui leges, & ſtatuta condiderunt; in tali enim caſu præſumitur legiſlator prædictis legibus, & ſtatutis illos non ſubjicere; in reliquis omnibus caſibus prædicti officiales mortaliter peccant, & ad reſtitutionem tenentur, quia faciunt contra ſuum officium. Ita Maſtrius cit.

Petes: *Quinam criminaliter, hoc eſt, ad ſumendam de commiſſo crimine vindictam, accuſare poſſint?*

223 Reſpon. Omnes poſſe accuſare, qui ob ætatem, ſexum, ſtatum, officium, defectum, delictum, ſuſpicionem calumniæ, ſanguinis conjunctionem, vel reverentiam, à Jure non prohibentur; prout habetur *Can. Prohibentur, 4. cauſa, 2. q. 1. & L. qui accuſare 8. de accuſationibus*: Itaque accuſare non poſſunt *ob defectum ætatis*, impuberes, ſeu pupilli; *ob Sexum* mulieres; *ob Statum* Servi, Clerici, & Religioſi; *ob Officium* Milites; *ob defectum Corporis, vel Animi*, ſurdi, muti, furioſi, & mente capti; *ob delictum* infames, & criminoſi, ſicut, & excommunicati; *ob ſuſpicionem Calumniæ* inimici graves, & Capitales, item qui aliquando falſum teſtimonium ſubornati dixerunt. Item qui ſemel calumniati ſunt; item qui pecuniam recepit, ut Reum accuſaret, aut ne ipſum accuſaret; item Pagani, Judæi, & Hæretici accuſare non poſſunt Chriſtianos; *ob conjunctionem ſanguinis, & Reverentiam* liberi non poſſunt accuſare parentes, nec econtrà Parentes liberos; nec fratres, aut ſorores invicem; exceptis quibuſdam caſibus, quos, ſicut & prædictorum rationes, vide apud Reiffenſtuel *lib. 5. Decret. tit. 1. num. 15. & ſeqq.*

## QUÆSTIO III.

*De Teſtibus, & Advocato.*

### SUMMARIUM.

225 *Ad plenam, & legitimam in judicio criminis probationem requiruntur ad minus duo teſtes omni exceptione majores &c.*

226 *An, & in quibus caſibus teneatur aliquis teſtari?*

227 *Teſtis pro ferendo teſtimonio poteſt aliquid recipere ſine obligatione reſtitutionis.*

228 *Quæ Conditiones requirantur ad ritè exercendum officium Advocati?*

229 *Item Procuratores, Notarii, & Secretarii.*

### ASSERTIO III.

224 *AD legitimam, plenam in Judicio Criminis probationem ad minus, duo teſtes, omni exceptione majores requiruntur, qui externo ſenſu crimen perceperunt, & de eodem crimine cum iiſdem circumſtantiis deponunt Teſtimonium. Tunc autem quis tenetur teſtificari ex charitate, quando proximus in gravi neceſſitate, de vita, fama, vel bonis fortuna periclitatur, & malum teſtando impediri poteſt: Ex Juſtitia verò Legali, ſeu obedientia ſolùm tenetur teſtis à competente Judice, legitime citatus, & interrogatus teſtari, exceptis certis caſibus. Porrò teſtis pro ferendo Teſtimonio poteſt aliquid recipere abſque obligatione reſtitutionis. Advocatus, ut ſuo rite fungatur officio, requiruntur in eo quatuor conditiones, videlicet peritia, & diligentia conveniens: Juſtitia in exhibendo Patrocinio: fidelitas in agitatione cauſæ: Pretium juſtum pro Patrocinio cauſa. Idem dicendum de aliis Officialibus Judicii, nimirùm Procuratore, Notario, & Secretario.* Ita communis Theologorum, Canoniſtarum, & Civiliſtarum.

#### §. I. *Ad plenam in judicio probationem requiruntur duo teſtes &c.*

225 NOtant communiter Doctores, notitiam, & cognitionem criminis ad condemnationem rei requiſitam, ex *triplici capite* deſumi poſſe: *Primò* ex confeſſione ipſius rei crimen ſpontè confitentis: *Secundò* ex deprehenſione ipſius in flagranti crimine furti v. gr. vel adulterii, aut homicidii, & ſimilium, quod contingit, quando Judex ipſe cum duobus, vel tribus teſtibus reum in actu criminis deprehendit. *Tertiò* tandem ex confeſſione teſtium, quibus reus convincitur; unde teſtis dicitur rei geſtæ probator. Et de cognitione criminis, quæ hoc modo acquiritur, docent *Doctores communiter*, ad legitimam, & plenam in Judicio probationem duos juratos teſtes ad minùs requiri, cùm facilè ſit unum pervertere; duos verò difficilè; dicuntque eos debere I. Senſu externo id percepiſſe, de quo teſtantur, & non ex auditu tantùm. II. De eodem facto, & crimine cum iiſdem circumſtantiis deponere; alioquin teſtes erunt *ſingulares*, ut vocant, qui plenam probationem non faciunt: nam ille propriè dicitur teſtis ſingularis, qui ſolus eſt, nec habet in depoſitione per omnia conteſtem, & concordem: *conteſtes* autem dicuntur illi, qui omnino conveniunt, & concordes ſunt de eodem actu nuper commiſſo ab eadem perſona, eodem loco, & tempore. Quare communis ſententia Canoniſtarum, & Juriſtarum eſt, quod ad reum condemnandum ad pœnam ordinariam requirantur teſtes duo conteſtes: quia juxta Evangelium, *in ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum*; quod etiam Ratio naturalis ſuadet: quia dictum multorum magis veritatem continet, quàm dictum unius. Si autem teſtes ſint ſingulares, non ſufficient ad condemnandum reum ad pœnam ordinariam, quia quando unus affirmat, & alter negat, non eſt major ratio, cur credendum ſit dicto unius, quàm alterius. III. Dicunt Doctores, teſtes, ut plenam probationem faciant, debere eſſe teſtes omni exceptione majores: ita nimirùm, ut nulla in eis deſideretur conditio, quominùs teſtari poſſint, quæ quidem conditiones duobus illis verſibus inſinuari ſolent:

*Conditio, ſexus, ætas, diſcretio, fama,*
*Et Fortuna, fides; in teſtibus iſta requires.*

Ideòque inter exceptiones, quæ in Judicio circa teſtes proponuntur, principalis eſt exceptio Perſonæ, quòd ſcilicet teſtificari non poſſit, quia Perſona teſtis, alicui ex prædictis defectibus ſubjecta eſt. Hinc à Teſtimonio rejiciuntur *ſervi, mulieres, minores, & impuberes, inimici, conſanguinei, perjuri, Socii criminis, Perſonæ inopes, & viles, deliri, & ſemifatui*, ut apud omnes Juriſtas teſte Maſtrio *cit. art. 4. n. 49.* videri poteſt.

Quòd autem teneatur quis teſtari ex charitate, quando 226
proximus in gravi neceſſitate, de vita, fama, vel bonis fortunæ periclitatur, & malum teſtando impediri poteſt; ex Juſtitia verò legali, ſeu obedientia teneatur quis teſtari, ſi fuerit à competente Judice legitimè citatus, & interrogatus, exceptis certis caſibus, videri debet apud P. Patritium Sporer *tract. 5. in 8. Præceptum Decal. cap. 4. Sect. 3. num. 55. & ſequentibus.*

#### §. II. *Teſtis pro ferendo Teſtimonio poteſt aliquid recipere ſine obligatione reſtitutionis.*

ET quidem imprimis certum eſt apud omnes, teſtem 227
pro ferendo Teſtimonio, poſſe aliquid recipere pro labore itineris, v. gr. pro expenſis, pro lucro ceſſante, vel damno emergente, & ſimilibus. Ratio eſt: quia nemo tenetur cum ſuo damno, & expenſis Teſtimonium ferre, & ideò teſtis curare poteſt, ut ſibi lucrum ceſſans reficiatur, vel damnum emergens, pro tempore, quo ſe cauſa ferendi Teſtimonii detinuit, compenſetur. Itaque ſolùm eſt difficultas, an *pro vero Teſtimonio ferendo* poſſit aliquid recipi, abſque obligatione reſtitutionis? Affirmant *Valentia, Sotus, Bannes, Navarrus, Bonacina*, & alii apud noſtrum Maſtrium *Theol. Moral. diſp. 6. qu. 2. art. 4. n. 57.* Ratio eſt: Quia teſtis ex ſola charitate teſtari tenetur, & conſequenter nolens abſque pecunia teſtari, peccat ſolùm contra charitatem; peccatum autem contra charitatem, non obligat ad reſtitutionem. Negant vero apud eundem Maſtrium cit. *Molina, Leſſius, Card. de Lugo*, & alii, quod probant ex contrario fundamento, quod teſtis ex Juſtitia teneatur verum dicere. Idem docet Sbogar *Theol. Radic. tract. 105. cap. 2. num. 39.* Dictum eſt ſupra: *prò vero Teſtimonio ferendo*: Siquidem, an pro falſo Teſtimonio ferendo poſſit aliquid recipi ſine obligatione reſtitutionis? Videri poteſt apud Patritium Sporer, *tract. 5. in 7. & 10. Præceptum Decal. cap. 5. Sect. 5. num. 134.*

#### §. III. *Advocatus*

UT ſuo ritè fungatur Officio, requiruntur in eo qua- 228
tuor conditiones: prima eſt, *peritia, & diligentia conveniens*: Unde peccat Advocatus, ſi cùm non ſit idoneus, Officium Advocati exerceat. *L. nemini, ff. de Advocatis*, & eſt peccatum mortale ex genere ſuo. Quarè ſi cliens cauſam amittit ex ejus imperitia, vel negligentia, ipſe peccat contra Juſtitiam, & ad reſtitutionem tenetur, & hoc præſertim de Advocato verificatur, qui ex Officio debet eſſe convenienter inſtructus, & diligens; cùm ſe talem profiteatur, & mercedem propterea accipiat. Secunda eſt *Juſtitia in exhibendo Patrocinio*; qui enim ſcienter cauſam tuetur injuſtam, graviter peccat, & tenetur ad compenſationem damnorum omnium inde conſequentium. Unde parti contrariæ ex peccato commiſſionis reſtituere debet; quia fuit illi cauſa poſitiva damni; Clienti ve-

Digitized by Google

ti verò ſuo tenetur reſtituere ea peccato omiſſionis; quia ex Officio tenebatur eum monere de injuſtitia cauſæ. Quod appoſitè additur: quia ſi Clienti, cauſæ injuſtitia conſtabat, licèt Advocatus ab obligatione reſtituendi parti contrariæ non ſit liber; cùm ejus patrocinium fuerit illi cauſa poſitiva damni, liberatur tamen ab obligatione reſtitutionis faciendæ Clienti ſuo, quia injuriam illi feciſſe non cenſetur, dum ei injuſtitia cauſæ conſtabat, eùm ſcienti, & volenti non fiat injuria. Quando etiam cauſa nihil ferè probabilitatis habet, ita ut moraliter vix ſit ſpes litem obtinendi, nequit eidem patrocinari; quia facit, ut Cliens ſine fructu tempus, & pecuniam perdat. Quòd ſi cauſa ſit dubia, poterit quidem Advocatus talis cauſæ patrocinium aſſumere; dummodò paratus ſit ab illius patrocinio abſtinere, ſi in progreſſu litis cauſæ injuſtitiam deprehendat. Ita Leſſius, Molina, Filliucius, Layman, Bonacina, Lugo, & alii paſſim apud Maſtrium *cit. art.* 5. *n.* 59. Si verò cauſa ſit verè probabilis, poteſt illam ſuſcipere defendendam, etiam contra cauſam contrariæ partis probabiliorem, ut docet Patritius Sporer *tr.* 1. *Progm.* c. 1. *ſect.* 3. *de Conſcientia probabili*, *n.* 63. quem vide. Tertia in Advocato conditio requiritur *Fidelitas in agitatione cauſæ*; unde non debet Advocatus ſecreta cauſæ manifeſtare parti contrariæ; Sic enim adverſarium juvaret contra clientem, atque ita contra proprium officium faceret, & ideò etiam ad reſtitutionem tenetur, ſi eam ob cauſam cliens cauſam amittit aliàs victurus. Cùm hoc tamen ſtat, ut notat *Card. de Lugo diſp.* 41. *ſect.* 1. Quòd ſi accuſator injuſtè procederet, & propter injuſtam accuſationem reus capite damnandus eſſet, Advocatus accuſatoris id ſciens falſitatem accuſatoris prodere teneretur, & id in judicio teſtificari, ſi opus eſſet, ut innocentem defenderet. Si verò noſceret ſe, injuſtè reum à ſententia capitali protegere, non poſſet adhuc ejus injuſtitiam prodere; ſed ſolùm deberet ejus tutelam deſerere. Ratione etiam hujus tertiæ conditionis, ſi Advocatus cauſarum expeditionem cum præjudicio clientum differat, vel poſtponat, aut plures acceptet, quàm expedire poſſit, peccat contra ſuum officium, & tenetur ad reſtitutionem damnorum inde clienti ſecutorum. Quarta conditio eſt, *ut Advocatus pro patrocinio cauſa juſtum accipiat pretium*; quod ſi taxatum eſt, non licet ultrà hoc accipere; Ubi verò non eſt taxatum, ſufficit pretium naturale, vel quod habetur tale judicio prudentum, attenta negotii qualitate, dignitate, & peritia Advocati, & labore, quem impendit, ac demum conſuetudine approbata. Non licèt cum cliente convenire de pretio poſt inchoatam litem, ſed vel ante cœptam, vel poſt finitam, ut colligitur *ex c. Infames cauſa* 3. *q.* 7. & ratio eſt: quia poſtquàm cliens ſua inſtrumenta oſtendit, cogetur in quodlibet pretium conſentire, ne prodatur. Porrò aliquando Advocatus tenetur gratis patrocinari, nimirùm pauperibus, quando hi non poſſunt dare Advocato juſtum pretium, nec tamen ipſis aliter ſubveniri poteſt, juxta communem DD eadem ratione, qua tenentur omnes ſublevare laborantem extrema, vel gravi neceſſitate, ut fusè oſtendit Doctor noſter Subtilis *in* 2. *d.* 30. *q. un.*

### §. IV. *Procurator, Notarius, Secretarius.*

229 QUæ hactenus dicta ſunt de Advocato, ſervata proportione, etiam de aliis Officialibus intelligi debent, nempè de Procuratore, Notario, & Secretario; tenentur enim ii omnes juſtè, & fideliter Officium ſuum exercere, ſive ex debito muneris tantùm, ſive etiam ex Juramento; tenentur etiam omnia ſcire ad Officium ſuum ſpectantia, debitamque adhibere diligentiam, præſtando omnia neceſſaria, terminos juſtos petendo, & appellando, quando opus fuerit. Unde peccant, ſi lites iniquas ſuadeant, ſi ſecretum violent partibus, vel earum ſollicitatoribus tradant proceſſus, vel ſcripturas Originales, quas non debent, hoc eſt; quando adeſt periculum aliquod, quòd amittatur Inſtrumentum illud Originale, vel falſificetur, aut aliqua ex parte mutetur. Si ſtipendium accipiant majus juſto, vel ultra pretium taxatum. Hinc Notarius non peccabit mortaliter, tradendo ſollicitatoribus proceſſus, vel ſcripturas Originales, quando non eſt periculum amittendi, falſificandi, aut immutandi prædictos proceſſus, & ſcripturas Originales, quamvis etiam juret, & promittat ſervare ſecretum: quia talis traditio ſupponi debet non fuiſſe in juramento comprehenſa, ſed ſolùm traditio cum periculo, & damno partis, cui patrocinatur. Ita *Maſtrius cit. nu.* 63.

## QUÆSTIO IV.

### *De Reo.*

CUm R. P. Patritius Sporer plura jam pertractaverit, 230
quæ concernunt Reum, videlicet, quòd ſi juridicè, & legitimè non interrogetur Reus, vel de hoc dubitet, non teneatur fateri veritatem, ſed poſſit uti verbis amphibologicis primæ, vel ſecundæ ſpeciei, etiam cum juramento, uti videre eſt apud ipſum *tract.* 3. *in* 2. *Præcept. Decalog. capit.* 1. *ſect.* 3. *num.* 117. Item quòd reus legitimè, & juridicè interrogatus à Judice teneatur fateri veritatem, exceptis certis caſibus, ut videre eſt apud ipſum *tract.* 3. *in* 2. *Præcept. Decalog. capit.* 1. *ſect.* 3. *numer.* 113. *& ſeqq. ac tract.* 5. *in* 8. *Præcept. Decalog. capit.* 4. *ſect.* 1. *numer.* 14. *& ſeqq.* Item an Reus juridicè interrogatus à Judice, & tamen crimen negans, teneatur reſtituere famam accuſatori, & teſtibus, ut videre eſt *tract.* 5. *in* 8. *Præcept. Decalog. capit.* 4. *ſect.* 4. *numer.* 96. *& ſeqq.* Item quòd reus ad evadenda graviſſima tormenta poſſit fateri crimen falsò ſibi impoſitum morte plectendum ſaltem ſine peccato mortali, ut videre eſt apud ipſum *tract.* 5. *in* 8. *Præcept. Decal. capit.* 4. *ſect.* 1. *num.* 18. *& ſeqq.* Item quòd Reus damnatus ad mortem, vel mutilationem per ſententiam Judicis, poſſit tamen fugere è carcere, diximus nos ipſi in hoc Supplemento ſuprà, *de Legibus*, c. 1. *ſect.* 3. *q.* 5. *num.* 271. ideò, quæ de Reo adhuc dicenda reſtant, breviter in hac quæſtione expediemus.

## SUMMARIUM.

232 *Reus convictus, & damnatus ad ultimum ſupplicium tenetur fateri ſuum crimen.*
233 *Reus tormentis coactus, ſi denuntiavit alium Innocentem tenetur ſub mortali, etiam poſt ſententiam damnationis revocare ſuam denuntiationem falſam.*
234 *Reus non tenetur revelare complices criminis, ſi omninò occulti ſint, nec aliis indiciis, aut Teſtimoniis convinci poſſint.*
235 *Confeſſarius cautè, & circumſpectè debet agere cum Reo, & debet obſervare puncta ſequentia.*
236 *Qualiter Judex non condemnans ad pœnam, teſtis non teſtificans, & falſus accuſator teneantur ad reſtitutionem?* Remiſſivè.
237 *Quæ ſint obligationes Medicorum, Chirurgorum, Conſiliariorum, Mercatorum &c.* Remiſſivè.

## ASSERTIO IV.

R*Eus convictus, & damnatus ad ultimum ſupplicium* 231
*tenetur fateri ſuum crimen; ſicut etiam, ſi tormentis coactus denuntiavit alium Innocentem, tenetur ſub mortali, etiam poſt ſententiam damnationis, revocare denuntiationem: non tamen tenetur revelare complices, ſi omninò ſint occulti, nec crimen ſit exceptum. Confeſſario cautè, & circumſpectè agendum eſt cum Reo.* Communiſſima DD.

### §. I. *Reus Convictus, & Damnatus.*

QUando non obſtante delicti negatione, ducitur ad ul- 232
timum ſupplicium, an tunc in mortis articulo obligandus ſit à Confeſſario, fateri ſuum crimen? negant quamplures, quorum fundamentum eſt: quia finito judicio, & prolata ſententia finitur obligatio rei; jam enim Judex functus eſt ſuo Officio. Deinde quia nihil poſſet eum ad hoc obligare, niſi quòd aliàs poſſet mala opinio concipi, de Judice, & teſtibus, quaſi injuſtè proceſſiſſent damnando innocentem; ſed non obligatur ex hoc capite: quia non deberet illa opinio concipi de Judice, & teſtibus, ſed potiùs exiſtimari deberet, quòd condemnatus eſſet verè reus, & quòd tamen non fateretur crimen, quia putaret, ſe non eſſe ad hoc obligatum. Ita Navarrus, Sanchez, Sayrus, Lugo, Poncius, & alii apud Maſtrium *cit. art.* 3. *numer.* 48. Affirmant alii ex contrario fundamento: Quia dum ſententia Judicis non eſt executioni demandata, adhuc cenſetur reus eſſe ſub Judicis poteſtate, & ejus obligatio perſeverare ad veritatem dicendam. Deinde, quia ejus taciturnitas, & negatio in detrimentum accuſatoris, teſtium, & Judicis redundat, qui apud populum malè audiunt, quando reus etiam ad ultimum ſupplicium ductus in aſſerenda ſua Innocentia perſiſtit. Nec ſatisfacit, quod dicebatur, quòd potiùs exiſtimari deberet, condemna-



Digitized by Google

tum eſſe verè reum, & ſuum crimen non fateri, quia putaret, ſe non eſſe ad hoc obligatum. Hoc, inquam, non ſatisfacit, ſed potiùs oppoſitum convincit: quia in tali caſu teneretur confeſſarius eum docere, & à tali erronea opinione retrahere; cùm enim plenè convictus ſupponatur, & ſpes evadendi mortem non adſit, ceſſat omninò ratio celandæ veritatis; ideòque Confeſſarius in tali caſu eum cogere debet veritatem fateri ſub peccato mortali: Unde hæc ſecunda ſententia mihi probabilior videtur, ait *Maſtrius cit. in fine*, cui, & ego aſſentior.

### §. II. *Reus Tormentis Coactus*,

233 SI denuntiavit alium Innocentem, tenetur ſub mortali, ante ſuam condemnationem, & ſi tunc non facit, etiam poſt ſententiam damnationis, revocare denuntiationem falſam coram Judice, etiamſi timeat, quòd ob variationem, & inconſtantiam nova tormenta ſuſtinere cogerur. Ita docet Petrus Navarrus *lib. 2. cap. 3. nu.* 251. Layman *lib. 3. tract. 6. cap.* 5. *§. unico, nu.* 24. Buſembaum *lib. 4. cap. 3. dub. 7. artic.* 1. *Reſp.* 3. citans Toletum, Leſſium, Tannerum, & communem DD. Ratio eſt: Quia reus falsò denuntiando Innocentem, graviſſimam illi intulit injuriam, damnoſam in fama, & bonis vitæ, ac fortunæ; ergo ex juſtitia graviter obligatur eandem tollere, quòd aliter fieri nequit, niſi coram Judice falſam denuntiationem revocando: nec excuſat Reum, quòd vi Tormentorum coactus fecerit denuntiationem falſam: quia Reus ad evadenda gravia tormenta, non poteſt Innocentem graviter lædere in ſua fama, & eundem conjicere in periculum ſubeundi eadem gravis tormenta, imò mortem ipſam, quòd facilè contingere poſſet, ſi denuntiatus Innocens, fortè à Judice comprehenderetur; & conſequenter Reus tenetur ſuam falſam denuntiationem coram Judice revocare, modò ſpes aliqua ſit, Judicem ejuſmodi revocationi, contra priorem juratam Judicialem denuntiationem, habiturum aliquam fidem. Ordinariè enim Judices ſtare ſolent confeſſione, aut denuntiatione criminis ſemel Judicialiter facta, licèt revocatio ejus poſteà interjecto temporis intervallo fiat; ſicut docent *Abbas*, *Menochius*, *Binsfeldius*, apud *Layman cit.* Sed quid ſi Reus à Confeſſario, nullo modo poſſit perſuaderi, ut coram Judice revocet denuntiationem falſam Innocentis, ex timore, ne iterum revocetur ad torturam, quam plus horret, quàm ipſam mortem, & mavult mori, quàm iterum torqueri? Reſpond. Difficilis quæſtio: Quantum colligo ex P. Layman *citat. numer.* 25. 28. & 29. Poſſet Confeſſarius Reo perſuadere, ut extra confeſſionem coram duobus teſtibus, & Confeſſario revocet denuntiationem falſam Innocentis, poſteà ipſum Sacramentaliter abſolvat, ac poſt mortem Rei, coram prædictis duobus teſtibus, inſinuet Judici factam à Reo revocationem denuntiationis falſæ: vel ſi hoc fieri non poſſet, aut Reus id facere nollet, Confeſſarius perſuadeat Reo, ut in loco ſupplicii coram populo publicè revocet denuntiationem falſam Innocentis: vel ſi hoc non videatur conſultum, aut Reus id facere detrectaret, metuens, ne iterum ad torturam revocetur, Confeſſarius inſtet apud Reum, ut ſibi (Confeſſario) extra confeſſionem Sacramentalem dicat, quod falsò denuntiaverit Innocentem, ac roget, ut Confeſſarius poſt ſuam (Rei) mortem id coram Judice, ac toto populo in loco ſupplicii manifeſtet, ac denuntiationem falſam, loco Rei, revocet, ac retractet. Ut autem Judex, & populus credat Confeſſario, loco Rei, revocaturo, Reus ante ſuam mortem coram omnibus aſſiſtentibus in loco ſupplicii dicat, quòd Confeſſario ſuo aliquid commiſerit poſt ſuam mortem in hoc loco ſupplicii omnibus dicendum, quodque illud pro indubitata veritate credere debeant, ac quod in hujus veritatis Teſtimonium invocet Cœlum, & Terram. Sanctiſſimam Trinitatem, & omnes Sanctos. Quo peracto, & Reo mortuo Confeſſarius coram aſſiſtente populo, ac Judice, ex commiſſione Rei revocet quàm optimè poteſt, denuntiationem falſam Innocentis, & ſufficiet; quia in tali caſu aliter fieri vix eſt poſſibile, & ſalvabitur anima Rei. Et ſic alicubi factum ſcio; nec judex reprobavit, imò potiùs approbavit.

### §. III. *Reus non tenetur revelare Complices*

234 CRiminis, ſi omninò occulti ſint, nec aliis indiciis, aut teſtimoniis convinci poſſint, imò non poteſt: ſi tamen vi tormentorum coactus prodat, ordinariè non peccabit. Ita Buſembaum cit. Leſſius, Layman *lib. 3. tract. 6. capit. 5. numer.* 8. Ratio eſt: Quia Judex Reum confeſſum interrogare non poteſt de ſociis criminis, nulla indiciorum ſuſpicione, aut infamia laborantibus, quod utroque jure receptum eſſe, dicitur *in capit. s. de Confeſſis*, & docent DD. apud Layman cit. ergo nec reus tenetur revelare ſocios, ſeu complices criminis, ſi ſint omnino occulti; imò non poteſt, quia fruſtranea foret revelatio; cùm judex ad ſolam Rei revelationem non poſſit inquirere in ſocios criminis; ſiquidem Confeſſio Rei, utpotè perſonæ vilis, & infamis non faciat probationem ſemiplenam, niſi accedat inſuper aliud indicium: ergo reus injuſtè revelaret complices criminis, ſi ſint omnino occulti. Ita Navarrus *lib. 2. capit. 4. numer.* 173. Excipitur tamen crimen, quòd ſuaptè natura, & neceſſariò ſocium requirit, ut Sodomia; vel ſaltem communiter ſine ſocio non committitur; item excipiuntur crimina in publicam perniciem tendentia, ut hæreſis, proditio, falſatio monetæ, veneficium, Latrocinium, &c. Item excipitur crimen committendum in privatæ perſonæ perniciem, ut ſi aliqui conjurarunt in hominis necem. Ita *Layman citat.* quia iſta crimina impedienda, & conſequenter etiam eorum perpetratores revelandi ſunt, quantum fieri poteſt, ſiquidem ratio naturalis dictat bonum publicum, vel privatum Innocentis debere præferri bono privati nocentis.

### §. IV. *Confeſſarius Rei*

OBſervare debet ſequentia. I. Inſtruat Reum, quòd illa, quæ ſecum in foro conſcientiæ agit, cum Judicibus non communicentur, ideòque ſive ſit nocens, ſive innocens; id ei nec prodeſſe, nec obeſſe poſſit. Ratio eſt: quia aliàs multi conabuntur ſe falsò probare innocentes, ut à Confeſſario juventur; alii verò falsò ſe nocentes dicent; quia timent, ne Confeſſarius conferat cum judicibus, ipſique revocentur ad torturam. II. Confeſſarius non temerè evulget illa, quæ à Reo extra confeſſionem accepit. III. Ad Confeſſionem Sacramentalem reum non admittat, niſi poſtquàm in foro profano res ſunt liquidæ; vix enim adigi poterit, ut omnia fateatur, ob timorem, ne vel deferatur, vel cogatur eadem fateri judici; ante tamen ad contritionem perfectam efficaciter excitandus eſt, ut ſe ponat in ſtatum gratiæ. IV. Confeſſarius non cogat modis importunis Reum, ut ſe talem fateatur; quia poteſt eſſe, quòd à parte rei non ſit reus. V. Caveat, ne coram reo reprehendat modum procedendi judicialem, quia Confeſſarii non eſt ea, quæ fiunt in foro judiciali, judicare, ſed reum ad veram pœnitentiam diſponere. VI. In confeſſione Sacramentali reum examinet, an conſortes criminis prodiderit, an alios falsò denuntiaverit, vel infamaverit, qualia damna intulerit? &c. VII. Si alicujus innocentiam ex confeſſione colligeret, id judici aperire, ac pro reo intercedere, periculoſum eſt: tum quia poſt publicatam Rei confeſſionem non audietur; tum quia ſi plures audiat, hoc ipſo aliorum nocentiam, de illis tacendo videtur confirmare cum fractione ſigilli; tum quia ſi Rei cognoſcant, eum pro innocentibus intercedere, occaſionem accipient, eum callidè ſua facinora celandi. VIII. Etſi Confeſſarius pro reis etiam juſtè damnatis aliquando intercedere poſſit, maximè apud Magiſtratum ſupremum, valde tamen prudenter, & moderatè id facere debet: quia remiſſio, & relaxatio pœnæ poteſt eſſe illicita, & Confeſſarius cum Judice fiet reus omnium malorum exinde ſequentium. Ita Layman *lib. 3. tract. 6. cap.* 5. *§. unico, numer.* 23. Buſembaum *citat. dub.* 8. IX. Si Reus velit appellare, id licitè faciet, ſi putet ſententiam eſſe iniquam, aut ſi ſint diverſæ de ea opiniones, nec à Confeſſario in hoc impediri poteſt: ſecùs foret, ſi Reus ſciat ſententiam eſſe juſtam; tunc enim non licet appellare, (licet tamen ſupplicare pro gratia) quia id eſſet Judici calumniam imponere. Ita *Lugo*, *Sanchez*, & *alii*. X. Si injuſtè accuſatus, & condemnatus provocet accuſatorem, aut Judicem ad tribunal DEI, *Clarus*, & alii Juriſtæ dicunt peccare: tum quia eſt contra charitatem, & patientiam Chriſtianam: tum quia illa provocatio eſt vana gloriatio innocentiæ; imò vix aberit appetitio vindictæ. E contrà per ſe loquendo, nullum eſſe in eo peccatum docent *Delrio*, aliique multi cum *Burghaber cent. 3. caſu* 87. quia cuilibet injuſtè gravato licitum eſt appellare ad Superiorem Judicem, & ſic leguntur feciſſe etiam viri Sancti. Quòd ſi immiſceat ſe impatientia, vel vana gloria, vel appetitus vindictæ, id per accidens ſe habet; fatendum tamen eſt, hoc eſſe periculoſum, & vix unquam probandum. *La Croix lib. 4. num.* 1530. 235

Qua-

Digitized by Google

236 Qualiter judex, non condemnans reos jam convictos, ad pęnam, ſeu mulctam pecuniariam; reus effugiens ſimiles pęnas; teſtis non teſtificans, aut falſo accuſans, vel denuntians teneantur ad reſtitutionem, videri poteſt apud Patritium Sporer *tract. 4. Præliminari ad præcepta 2. Tab. c. 3. ſect. 1. n. 59. & ſeqq. item tract. 5. in 8. Præcepto Decalog. c. 4. ſect. 3. n. 49. & ſect. 4. n. 48. & ſeqq.*

237 Quænam ſint obligationes Medicorum, Chirurgorum, Conſiliariorum, Mercatorum, Opificum, & cæterorum ſæcularium, videri poteſt apud Sporer *tract. 1. Proœm. c. 1. ſect. 3. nu. 58. & 82.* Item *tract. 6. in Decalog. c. 5. per totum; item tract. 5. in 7. & 10. Præcept. Decalog. c. 5. ſect. 2. n. 68.* De medicis ſolùm addo, quòd *cap. 13. de Pœnit. & Remiſſ. ipſis strictè præcipiatur, ut cùm ad infirmos vocantur, ipſos ante omnia moneant, & inducant, ut medicos advocent animarum, ut poſtquàm infirmo de ſpirituali ſalute fuerit proviſum, ad corporalis medicinæ remedium ſalubriùs procedatur.* Item quòd medici teneantur monere infirmos de periculo mortis: aliàs erunt in cauſa, quòd infirmi non ſatisfaciant Præcepto Divino de peragenda Sacramentali confeſſione, & communione in articulo mortis, nec ſe debitè ad mortem beatè obeundam præparent. Item quòd medici de ſe nullam habeant poteſtatem diſpenſandi in jejunio, vel eſu carnium, ſed tantùm poſſint declarare, uti alii viri prudentes, an hic, & nunc obliget præceptum ob grave damnum, vel an adſit ſufficiens cauſa, ut ſuperior diſpenſet. *Fagundez de præc. 4. Eccl. lib. 1. c. 9. n. 2. La Croix lib. 4. n. 1538.*

# CAPUT III.

## DE CENSURIS, IRREGULARITATIBUS, ALIISQUE POENIS ECCLESIASTICIS.

1 TRactavimus hucuſque de *Legibus tum Divinis, tum humanis, tum quibuſcunque hominibus communibus, tum certo hominum ſtatui propriis*, quas utinam ſervarent omnes, qui iiſdem obſtringuntur, ut ſic Legislatores ſuo per Leges intento fine potirentur. Quia verò inveniuntur multi etiam in Eccleſia Chriſti, qui ſuis abducti paſſionibus inordinatis, Præcepta DEI, & Eccleſiæ prævaricari, auſu temerario non verentur; ideo Chriſtus Dominus Eccleſiæ ſuæ tamquam dilectæ Sponſæ providit de poteſtate, improbos, & degeneres filios, Legum tranſgreſſores, & violatores, *Cenſuris, aliiſque pęnis Eccleſiaſticis* ferendi, puniendi, & coercendi. De quibus itaque ſit

## SECTIO I.

*De Cenſuris in Genere.*

## QUÆSTIO I.

*Quid, & quotuplex ſit Cenſura, & quis poſſit ferre, ſeu infligere Cenſuram?*

### SUMMARIUM.

2 *Cenſura eſt pœna ſpiritualis, & medicinalis, per quam homini baptizato, delinquenti, & contumaci, à poteſtate Eccleſiaſtica, aufertur uſus quorumdam bonorum ſpiritualium externorum Eccleſiæ, ad frangendam ejus contumaciam.*

3 *Cenſura eſſentialiter, & adæquatè dividitur in tres ſpecies, videlicet excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum.*

4 *Irregularitas, depoſitio, degradatio, & ceſſatio à Divinis non ſunt ſpecies cenſuræ.*

5 *Cenſura ulteriùs accidentaliter dividitur in eam, quæ eſt à jure, & in eam, quæ eſt ab homine;*

6 *Item in eam, quæ eſt latæ, & in eam, quæ eſt ferendæ ſententiæ.*

7 *Datur in Eccleſia Catholica poteſtas ferendi cenſuras.*

8 *Poteſtas Eccleſiaſtica alia eſt poteſtas Ordinis, alia juriſdictionis, quæ iterùm eſt duplex, in foro nimirùm externo, & interno, Ordinaria, & delegata.*

9 *Poteſtas Ordinaria ferendi cenſuras eſt in Prælatis Eccleſiaſticis habentibus Juriſdictionem in foro externo non impeditam.*

10 *Delegata verò reſidet in iis, quibus cōmiſſa fuerit ab habentibus ordinariam, modò aliunde non ſint incapaces.*

11 *Quæ requirantur ad valorem cenſuræ ex parte eam ferentis?*

*Supplem. Theol. Decal.*

### ASSERTIO I.

*CEnſura eſt pęna ſpiritualis, & medicinalis, per quam homini baptizato, delinquenti, & contumaci, à poteſtate Eccleſiaſtica aufertur uſus quorundam bonorum ſpiritualium externorum Eccleſiæ, ad frangendam nimirùm contumaciam. Dividitur eſſentialiter in tres ſpecies, ſcilicet excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum. Datur in Eccleſia Catholica poteſtas ferendi cenſuras; eaque Ordinaria reſidet in Prælatis Eccleſiaſticis habentibus Juriſdictionem in foro externo non impeditam; delegata verò reſidet in illis omnibus, & ſolis, quibus eſt commiſſa ab habentibus Ordinariam, modò aliunde non ſint incapaces.* Eſt partim de fide, partim communiſſima DD. 1

§. I. *Cenſura eſt pęna ſpiritualis, & medicinalis &c.*

NOmen *Cenſuræ* ſumi ſolet primò generaliter pro omni judicio de aliqua re, quo notantur illa, quæ in ea laudari, vel vituperari poſſunt; ſic librorum Reviſores, & Correctores ſolent appellari *Cenſores*. II. Quia apud Romanos conſtituti erant Cenſores, quorum munus erat de populi moribus indagare, & indignos honoribus ſua ſententia repellere, ſumitur cenſura ſpecialiter ſubinde pro Officio cenſorum juxta illud *Juvenalis Satyra 1. Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas*; ſubinde pro ſententia correctiva, aut pro ipſa pęna per eam impoſita. III. Itaque ſumitur cenſura pro pœna correctiva, ſeu medicinali impoſita à Juriſdictione Eccleſiaſtica ad correctionem populi Chriſtiani, quo ſenſu hic de ea loquimur, & communiter à Doctoribus definiri ſolet, quòd ſit *Pęna ſpiritualis, & medicinalis, per quam homini baptizato, delinquenti, & contumaci, poteſtate Eccleſiaſtica, aufertur uſus quorumdam bonorum ſpiritualium, externorum Eccleſiæ, ad frangendam nimirùm contumaciam.* Dicitur I. *Pęna*, quia cenſura infligitur in punitionem culpæ. Dicitur II. *Spiritualis*, quia primariò privat bonis ſpiritualibus; temporalibus verò nonniſi ſecundariò, & in ordine ad bonum ſpirituale tum cenſura ligati, tum aliorum. Dicitur III. *Medicinalis*, quia ut habetur *cap. 1. de ſentent. excomm. in 6.* inflictione cenſuræ contumax medicinaliter punitur, ejus emendationem, & correctionem intendendo, ita ut hac poſita, cenſura ex ſui inſtitutione exigat auferri. Unde cenſura non debet eſſe perpetua; quia ſublata contumacia, tolli poteſt, & debet, ut dicitur *cap. ex litteris 11. de Conſtitutionibus*. Dicitur IV. *per quam homini baptizato, delinquenti, & contumaci*: quibus verbis præcipuè exprimitur cenſurarum ſubjectum, de quo *quæſt. ſeq.* Dicitur V. *Poteſtate Eccleſiaſtica*, quia poteſtas ferendi cenſuras in ſola Eccleſia reſidet, vel in eis, quibus ab Eccleſia committitur, ut ex dicendis conſtabit. Dicitur IV. *Aufertur uſus quorundam bonorum ſpiritualium externorum Eccleſiæ*, id eſt, ſpiritualium actionum; quia non privat bonis ſpiritualibus habitualibus, ſive permanentibus, v. gr. charactere, poteſtate Ordinis, fide, ſpe, & charitate, &c. ſed tantùm quibuſdam externis, & publicis actionibus, quæ habent ſpiritualem aliquem effectum, uti ſunt Sacrificium, adminiſtratio, & ſuſceptio Sacramentorum, Indulgentiæ, publica Eccleſiæ ſuffragia, &c. cùm enim Eccleſia ſit horum bonorum diſpenſatrix, non autem illorum, benè poteſt iſtis privare non autem illis. Quòd ſi autem aliquando bonis temporalibus, & corporalibus privat per excommunicationem, ut convictu, & conſortio humano, id facit ſecundariò, & indirectè, & in quantum conducunt ad bona ſpiritualia, & ſupernaturalia, ut jam ſuprà inſinuatum. Dicitur ultimò: *Ad frangendam contumaciam*; quia cenſura eſt pęna medicinalis, magis ordinata ad correctionem delinquentis, quàm ſceleris vindictam; proinde ſi cenſuratus reſipiſcat, abſolvi debet à cenſura. 2

§. II. *Cenſura eſſentialiter, & adæquatè dividitur in tres ſpecies:*

I. VIdelicet *excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum*. Ita communis apud noſtrum Maſtrium *Theol. Mor. diſp. 13. qu. 1. art. 1. nu. 6.* Contra aliquos Thomiſtas. Ratio eſt: Quia *capit. quærenti, de verb. ſignif.* Innocentius III. Interrogatus, quid in litteris Apoſtolicis nomine cenſuræ intelligatur, in hæc verba reſpondit: *Quærenti, quid per cenſuram Eccleſiaſticam debeat intelligi, cùm hujuſmodi Clauſulam in litteris noſtris apponimus, reſpondemus, quòd per eam non ſolùm interdicti, ſed ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententia valet* 3



Digitized by Google

Et quidem rationabiliter: quia cuilibet ex his tribus, & ſolis his tribus convenit definitio cenſuræ ſuprà data, & quælibet eſt cenſura diſtincta ab alia; quia quælibet privat diverſis, & diſtinctis bonis, & diverſimodè, ut infrà ſuis locis patebit de ſingulis diſcurrendo. Item colligitur *ex cap. cum medicinalis, & cap. ſtatutum, de ſentent. excommun. in 6.* ubi ſolùm tres prædictæ ſpecies reſaruntur, nec nomine *Cenſuræ* jus unquam aliam pœnam intelligit. Ex his

4 II. Infertur, *irregularitatem, ceſſationem à Divinis, depoſitionem, & degradationem* non eſſe veras ſpecies cenſuræ Eccleſiaſticæ. Ratio eſt: tum quia cenſura eſt pęna medicinalis, quæ recedente delinquentis contumacia debet tolli: Irregularitas verò, depoſitio, degradatio, quantum eſt de ſe ſunt pœnæ perpetuæ, & vindicativæ; nec tolluntur per abſolutionem, ſed per diſpenſationem: tum quia in Bullis Pontificum ſæpè datur facultas abſolvendi ab omnibus cenſuris, verb. grat. tempore Jubilæi: nec tamen conceditur poteſtas diſpenſandi in irregularitate, depoſitione, vel degradatione. Quare etiam, ſi nonnunquam ſuſpenſio ab Ordine, vel Beneficio per modum pęnæ propriè vindicativæ, & ob culpas præteritas, etiam non data ulteriori contumacia, delinquentibus Clericis in perpetuum, vel ad tempus infligatur, ut *cap. unic. de Clerico venatore*, tunc non retinet propriam cenſuræ naturam, ſicut notavit *Panorm. in cap. ſæpè contingit 44. de appellat. nu. 16.* Denique ceſſatio à Divinis non magis reſpicit delinquentem, quàm innocentem; cùm tempore ceſſationis æqualiter omnibus Divina Officia ceſſent; Unde non tam imponitur per modum pęnæ, quàm per modum luctus, & ſimplicis prohibitionis ob injuriam Eccleſiæ illatam. Ex qua doctrina etiam patet, quòd non omnis pęna Eccleſiaſtica ſit cenſura, licèt omnis cenſura ſit pęna Eccleſiaſtica. Ita *Sayrus, Navarrus, Avila, Henriquez, Suarez, Coninch. Caſpenſis, Hurtadus, Faber*, & alii paſſim apud *Maſtrium cit. num. 7.*

5 III. Præter diviſionem eſſentialem cenſuræ jam aſſignatam, dividitur cenſura ulteriùs accidentaliter *ex parte cauſæ efficientis* in eam, quæ eſt *à Jure*, & in eam, quæ eſt *ab homine*. Cenſura à jure eſt, quæ per Legam, val ſtatutum ſtabile contra peccata futura fulminatur, quòd ſtatutum, nec per mortem naturalem, nec civilem condentis illud extinguitur: cenſura ab homine eſt, quæ per præceptum, vel ſententiam Superioris, vel Judicis infligitur contra peccata futura, vel præterita, in eorum ſatisfactionam, ac perit cum morte infligentis, niſi quis illam jamjam incurriſſet; tunc enim perſeverat, donec per abſolutionem tollatur, idque virtute juris communis, ſtatuentis, ut nullus à cenſura actualiter contracta liberetur, niſi per abſolutionem. Hæc poſtrema cenſura aliquando dicitur *Generalis*, ut ſi Epiſcopus excommunicaret omnes illos, qui furtum Sacrilegum commiſerint, &c. Aliquando *ſpecialis*, quæ fertur in perſonam jam determinatam, v. gr. ſi Judex quempiam furti reum excommunicaret, niſi intra certum tempus reſtituat.

6 IV. Denique cenſura *ex parte formæ*, dividitur in eam, quæ eſt *latæ*, & in eam quæ eſt *ferendæ ſententiæ*. Cenſura latæ ſententiæ eſt, quæ ipſo facto, & criminis admiſſione incurritur abſque ulteriori Judicis ſententia. Cenſura ferendæ ſententiæ eſt, quæ non incurritur ipſo facto, ſed primùm per ſententiam Judicis. Verba cenſuram latæ ſententiæ importantia, hæc communiter aſſignantur: *Prohibemus ſub excommunicatione ipſo facto, vel ipſo jure incurrenda, &c.* Ferendæ autem ſententiæ verba talia cenſentur: *Qui hoc fecèrit, excommunicetur, ab officio ſuſpendatur, &c.* Quòd ſi dubia ſint verba, ea in mitiorem partem interpretari convenit, *l. pen. ff. de pęnis c. 49. de Reg. J. in 6.* Ita, ut potiùs ferendæ, quàm latæ ſententiæ cenſuram indicare judicentur; cujuſmodi verba ambigua ſunt: *Prohibemus ſub interminatione excommunicationis, ſub pœna ſuſpenſionis, anathema ſit, &c.* Niſi ex contextu verborum, vel qualitate materiæ, aut aliis Canonibus conſtet de mente legiſlatoris; quòd per talia verba voluerit cenſuram latæ ſententiæ denotare, prout in Concilio Tridentino, in Hæreticos, eorumque errores ſæpiùs anathema dicitur, quod de cenſura latæ ſententiæ intelligendum eſſe, ſatis ex aliis juris locis, *ut toto titulo de Hæreticis, & ex Bulla Cœnæ Domini* appatet. Ita Engel *in Colleg. Jur. Canon. lib. 5. tit. 39. num. 19.*

### §. III. *Datur in Eccleſia Catholica poteſtas ferendi Cenſuras.*

7 ITa de fide ſancitum eſt in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ. 8. & 15.* & conſtat ex uſu, & praxi Eccleſiæ, quæ à temporibus Apoſtolorum cenſuras tulit, & præſertim excommonicationem, ut patet ex Canonibus Apoſtolorum, & ex Conciliis Generalibus, & ex innumeris Pontificum Decretis; quam veritatem D. Thomas *3. part. quæſt. 1. art. 2.* D. Bonaventura *4. d. 18. qu. 3.* Doctor noſter ſubtilis *4. d. 19. §. de quinto*, ex verbis Chriſti deducunt *Matth. 18.* dicentis Petro: *Si Eccleſiam non audieris, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*; & ſtatim concludit: *Amen dico vobis: Quæcunque alligaveritis ſuper terram, &c.* per quæ verba, ut explicant præfati Doctores, intelligenda ſunt non ſolùm de auctoritate ligandi atque ſolvendi in foro interiori, ſive pęnitentiali, ſed etiam de auctoritate ligandi, & ſolvendi in foro externo, & judiciali; ut etiam declarat Innocentius III. *capit. ſolitæ de majoritate, & obedientia*. Quocircà advertit Scotus *in 4. d. 19. qu. unic. n. 17.* Quòd hanc poteſtatem S. Paulus ter exercuerit, videlicet *1. cor. 5. 1. Tim. 1. & ad Galat. 1.* quibus in locis Apoſtolus homines aliquos peſſimos *Sathanæ tradidit*, quod in Scriptura Evangelica idem eſt, quod *excommunicare*. Ubi plures SS. Patres obſervaor, quod, dum ab Apoſtolo aliquis Sathanæ tradebatur, illicò dæmon habuerit poteſtatem, illum vexandi, & hoc quidem conveniens erat in primordio Eccleſiæ, tum propter terrorem Chriſtianorum, tum propter excellentiam Apoſtolorum; nunc autem aliquem tradere Sathanæ, eſt privare ipſum communibus Eccleſiæ bonis, ſeu firmo contra dæmonis inſultus præſidio. Accedit Ratio: quia hæc poteſtas eſt Eccleſiæ admodùm neceſſaria, qua, & ſeipſam in optata tranquillitate conſervet, & immorigeros juſtis pęnis afficiat; ut hi diſcant reſipiſcere, & alii à patrandis criminibus cohibeantur; ſiquidem in omni Republica benè ordinata præter poteſtatem directivam per Leges, & præcepta, etiam poteſtas juriſdictionis coercitiva eſſe debeat; nam juxta *c. Paſtoralis de Officio Delegati, Juriſdictio nullius videretur eſſe momenti, ſi coercitionem aliquam non haberet*. Porrò poteſtas ferendi cenſuras eſt de Jure Divino: quia immediatè à Chriſto Domino Eccleſiæ eſt collata, ut ex allatis conſtat teſtimoniis; cenſurarum tamen inſtitutio, & determinatio eſt de jure humano Eccleſiaſtico juxta Doctores communiter; ſiquidem Chriſtus eorum determinationem reliquit Eccleſiæ. Ita *Suarez, Henriquez, Vaſquez, Valentia, Filliucius, Bonacina*, & alii apud Maſtrium *cit. num. 5.*

### §. IV. *Poteſtas Ordinaria, & Delegata ferendi cenſuras.*

I. SUppono, *Claves Eccleſiæ*, ſeu poteſtatem Eccleſiaſticam eſſe duplicem, videlicet *Ordinis, & Juriſdictionis*. Poteſtas *Ordinis* eſt illa, quam Sacerdos accipit in ordinatione ſua, ad abſolvendum fideles à ſuis peccatis, & reſidet in ipſo charactere Sacerdotali, de qua vide P. Patritium Sporer *Theol. Sacrament. part. 2. cap. 1.* Poteſtas *juriſdictionis* eſt facultas jus dicendi, ſeu ſententiam ferendi in alium tanquam ſubditum in foro Eccleſiæ; eſtque duplex: *Una in foro externo*, quæ eſt facultas publica ſuper alios ad eorum gubernationem ſpiritualem, & Eccleſiaſticam. Altera eſt poteſtas juriſdictionis *in foro interno conſcientiæ*, quæ eſt facultas ligandi, & ſolvendi in foro conſcientiæ: Et ſi hæc facultas ſolummodò poſſit exerceri in actu confeſſionis Sacramentalis, dicitur poteſtas juriſdictionis *in foro interno conſcientiæ Sacramentali, & pęnitentiali*, qualis eſt poteſtas abſolvendi à peccatis; ſi verò poſſit etiam exerceri extra Sacramentalem Confeſſionem, qualiter Regulares Mendicantes etiam extra Sacramentum Pęnitentiæ poſſunt abſolvere à cenſoris virtute ſuorum Privilegiorum, appellatur poteſtas juriſdictionis *in foro interno conſcientiæ non Sacramentali*. Porrò juriſdictio alia eſt *Ordinaria*, quæ nimirùm cuipiam jure proprio, ſeu ratione officii, aut dignitatis ſuæ, ex Lege, vel conſuetudine competit; alia eſt *Delegata*, quam quis non habet jure proprio, hoc eſt, non ratione officii, dignitatis, vel Legis, vel conſuetudinis, ſed ſolùm ex commiſſione alterius, cujus vice fungitur. Differunt potiſſimùm hæ juriſdictiones in hoc, quòd habens ordinariam poſſit eam delegare; habens verò delegatam non poſſit eam ſubdelegare; quia non ſibi juriſdictio, ſed certum miniſterium potiùs committitur in hac parte, ait Papa *cap. ultimo, de officio, & poteſtate Judicis delegati*. Excipitur tamen delegatus Summi Principis, cui jura concedunt, quòd ſuam poteſtatem poſſit ſubdelegare, niſi perſonæ induſtria ad aliquam certam cauſam eligatur, ut habetur *c. cit.* His prænotatis. 8

9 II. Poteſtas Ordinaria ferendi cenſuras reſidet in Prælatis Eccleſiaſticis habentibus juriſdictionem in foro externo non impeditam. Conſtat ex perpetua conſuetudine Eccleſiæ. Ratio eſt: quia hæc poteſtas ad eorum

Offi-

Digitized by Google

Officium ordinarium ſpectat, & requiritur, ut habetur in Concilio Trident. *Seſſ. 6. cap. 3. de Reform.* & *Seſſ. 14. cap. 4. de reform.* & *cap. Ad reprimendam 8. de Officio Judicis Ordinarii*, & *cap. cùm Epiſcopus 7. de Officio Judicis Ordinarii in 6.* Ex quo infertur. I. Quòd *Summus Pontifex* immediatè à Chriſto habeat poteſtatem ordinariam ferendi cenſuras in omnes Chriſtianos; reliqui verò Prælati Eccleſiaſtici jure humano Pontificio gaudent poteſtate ordinaria ferendi cenſuras in ſuos ſubditos, ob eaſdem rationes, ob quas *cap. 1. præcedente, ſect. 3. q. 1. n. 143. & 146.* diximus, Summo Pontifici competere poteſtatem legiſlativam Eccleſiaſticam ordinariam jure Divino in totam Eccleſiam; Reliquis verò Eccleſiæ Prælatis competere poteſtatem legiſlativam ordinariam reſpectu ſibi ſubditorum tantùm, & nonniſi jure Pontificio; quas ibidem vide. II. Poteſtatem ordinariam ferendi cenſuras habent *Epiſcopi, Archi-Epiſcopi, Patriarchæ*. III. *Legati à latere* reſpectu Provinciæ ſuæ legationis, *ex cap. Legates, de Officio Legati in 6.* IV. *Cardinales* reſpectu propriarum Eccleſiarum, *ex cap. his, quæ de majoritate, & obed.* V. *Vicarius Epiſcopi, ſeu proviſor generalis*, quia conſtituit cum Epiſcopo idem tribunal, *ex cap. non putamus, de conſuetud. in 7.* idem dicendum de *Vicario Capituli ſede vacante*, & à fortiori de *ipſomet Capitulo, ex capit. unic. de majoritate, & obed. in 6.* quia Epiſcopo ſuccedit in Juriſdictione Epiſcopali. VI. *Concilia Generalia* reſpectu totius Eccleſiæ, & *Provincialia* reſpectu ſuarum Provinciarum, *ex cap. grave nimis, de præbend. & dignit.* VII. *Abbates, Archi-Diaconi, & Archi-Presbyteri*, quibus ex conſuetudine, aut jure ſpeciali communicata eſt pro certo diſtrictu Juriſdictio Epiſcopalis. VIII. *Superiores Religionum*, non ſolùm *Generales, & Provinciales*, ſed etiam *locales*, puta *Rectores, Priores, Guardiani*, & in horum longa abſentia *Vicarii*, quippe tales à Papa ordinarii Paſtores, & Judices ſuorum Religioſorum etiam in foro externo conſtituuntur. Vide noſtrum *P. Gaudentium KercKhove in noſtra ſtatuta Generalia c. 7. §. 8. n. 7.* *Parochi* tamen non habent poteſtatem ferendi cenſuras: quia Parochis ex vi ſui muneris non convenit Juriſdictio in foro exteriori, vel contentioſo, ſed tantùm in foro interiori, ſeu pœnitentiali, & nullibi conſtat hanc poteſtatem illis competere ex jure Divino, vel humano, nec eorum muneri, ſeu officio per ſe neceſſaria eſt; cùm non ſint Judices in foro externo, & contentioſo, ſed tantùm in interno, vel pœnitentiali. Ita Doctores Seraphicus, & ſubtilis apud Maſtrium *Theol. Moral. diſp. 3. q. 1 art. 2. n. 11.* Quòd ſi ſubinde legatur, Parochum aliquem uſum fuiſſe hac poteſtate, hanc vel habuit ex delegatione, vel uſu, & conſuetudine. Denique hanc poteſtatem non habent *Abbatiſſæ, ex cap. nova 10. de Pænitent. & Remiſſ.* Ubi Pontifex fœminas Clavium Eccleſiaſticarum incapaces eſſe declarat. Quod jam ſuprà *cap. 1. de legibus, ſect. 3. quæſt. 1. num. 157.* diximus. Et licèt *in cap. Dilecta 12. de majoritate, & obedient.* dicatur, quòd Abbatiſſa ſuas Canonicas, & etiam Clericos ſuæ juriſdictioni ſubjectos poſſit ab officio, beneficioque ſuſpendere, explicandum eſt cum P. Engel *tit. 39. de ſentent. Excommun. nu. 16.* & Layman *l. 1. tract. 5. part. 1. cap. 3. num. 3.* illam ſuſpenſionem non fuiſſe cenſuram propriè dictam, cujus tranſgreſſio irregularitatem inducat, ſed tantùm ſubtractionem fructuum, & prohibitionem celebrandi, quam in aliqua cappella ſibi pleno jure ſubjecta Clericis illam capellam pro beneficio obtinentibus, Abbatiſſa fecit.

10 III. Poteſtas delegata ferendi cenſuras competit illis omnibus, & ſolis, quibus commiſſa fuerit ab habentibus poteſtatem ordinariam, modò aliunde non ſint incapaces. Ratio eſt: quia poteſtas ordinaria, eo ipſo, quòd ſit ordinaria, delegari poteſt, ut colligitur *ex toto titulo, de Officio Ordinarii*. Dictum eſt: *modò aliunde non ſint incapaces*, quod notanter additur: quia poteſtas ferendi cenſuras nec validè, nec licitè *Jure ordinario* delegari poteſt *non baptizato, ex cap. 1. & 3. de Presbytero non baptizato miniſtrante*: nec *fœmina, ex cap. Dilecta 12. de Majorit. & obed.* nec *ei, qui non eſt Clericus, ex Canon. in Nona, cauſa 16. qu. 7.* nec *Clerico conjugato, ex cap. Sanè de Clericis conjugatis*. Num verò jure extraordinario, ex commiſſione Summi Pontificis, poteſtas ferendi cenſuras delegari poſſit Clerico conjugato, vel non Clerico, ſeu Laico, vel etiam non baptizato, affirmant plures DD. apud *Maſtrium cit. nu. 12.* Quorum ratio eſt: quia prædicti ex ſolo jure Eccleſiaſtico, præfatæ poteſtatis ſunt incapaces, cùm nullibi compertum habeatur, eos jure Divino eſſe ejuſdem incapaces; atqui in jure Eccleſiaſtico Papa abſolutè diſpenſare poteſt, quamvis ſine rationabili cauſa id non faciat: ergo. Ex quo clarè patet, poteſtatem ferendi cenſuras non eſſe *Poteſtatem Ordinis*, ſed *tantùm juriſdictionis*: cùm poſſit delegari iis, qui nullum habent Ordinem.

IV. Igitur, ut quis validè ferat cenſuram, requiritur *ex parte ferentis*. I. Ut habeat legitimam ferendi cenſuras poteſtatem. II. Ut hæc poteſtas non ſit impedita (ſive per cenſuram, ſive per aliam legitimam prohibitionem) quia hæc ita ſe habet, ac ſi non eſſet. III. Requirunt aliqui ad valorem cenſuræ ex parte ferentis, ut latio cenſuræ non ſit metu injuſtè incuſſo extorta; quod tamen communis opinio apud *Maſtrium citat. num. 14.* negat. Cujus ratio eſt: quia latio cenſuræ metu injuſtè incuſſo extorta non eſt irrita jure naturali; licèt enim eo metu fiat, adhuc tamen eſt ſimpliciter voluntaria; deinde nec eſt irrita jure aliquo poſitivo; quia nullum tale reperitur, ſicut reperitur de abſolutione à cenſura, quam abſolutione extortam per vim, vel metum gravem, Gregorius X. *cap. unic. de his quæ vi, metuſve cauſa fiunt in 6.* invalidam eſſe decrevit. Hinc cùm Papa id ſpecialiter de abſolutione declaraverit, non autem de latione cenſuræ, ſignum eſt, hanc adhuc eſſe validam, ſi aliunde nihil obſtet. Ita Hurtadus, Coninch. & alii DD. communiter apud *Maſtrium citat.* IV. Ad validè ferendam cenſuram requiritur; ut eas ferens in ſuos ſubditos adhuc ſit intra locum ſuæ juriſdictionis: quia juriſdictio contentioſa, qualis eſt ad ferendas cenſuras, exercetur pro Tribunali, in quo quis extra ſuum Territorium ſedere nequit; unde Epiſcopus extra ſuam Diœceſim exiſtens nequit validè etiam in ſuos ſubditos cenſuras ferre, niſi obtineat conſenſum ejus, in cujus juriſdictione reperitur, ut patet ex *Clementina unica, de foro competenti*, excepto eo caſu, quo Epiſcopus à ſua Diœceſi eſſet vi expulſus, tunc enim ſuos excommunicare poteſt perita, quamvis non obtenta licentia ab Epiſcopo loci. Ita *Auctores citati*. 11

## QUÆSTIO II.

*De ſubjecto, cauſa, & forma Cenſuræ.*

### SUMMARIUM.

13 *Quale ſubjectum ſit capax cenſuræ?*
14 *Cenſura lata contra facientes, an etiam afficiat mandantes, vel conſulentes?*
15 *An mandans revocans mandatum, & conſulens revocans Conſilium incurrat cenſuram?*
16 *Idem homo poteſt ligari pluribus cenſuris.*
17 *Cauſa, ob quam cenſura gravis infligitur, debet eſſe* peccatum mortale,
18 Externum,
19 Conſummatum: & non merè præteritum,
20 Habens annexam, contumaciam, & repugnans Legi Eccleſiaſticæ.
21 *Forma cenſuræ eſt duplex, una* eſſentialis, *& altera* accidentalis.
22 *Ad valorem cenſuræ requiritur, ut verba, vel ſigna, in quibus continetur, ſint determinata quoad ſpeciem cenſuræ.*
23 *Cenſura validè, & licitè poteſt ferri ſub conditione.*
24 *Ad valorem cenſuræ ferendæ ab homine, requiritur prævia admonitio.*
25 *Non tamen eſſentialiter* Trina.
26 *Forma accidentalis cenſuræ eſt. I. Denuntiatio;*
27 *II. Ut feratur in ſcripto.*
28 *III. Ut feratur interdiu, ſeu de die. Et*
29 *IV. Ut non feratur tempore feriato.*

### ASSERTIO II.

*Subjectum cenſurarum capax eſt ſolus homo viator Baptizatus, doli ſeu rationis capax, ſubditus cenſuranti, & peccans intra Territorium cenſurantis: cauſa, ob quam cenſura gravis infligi poteſt, eſt peccatum mortale, externum, conſummatum, non merè præteritum, habens annexam contumaciam, & repugnans legi Eccleſiaſticæ. Forma cenſuræ requirit, ut verba, vel ſigna in quibus cenſura continetur, ſint determinata quoad ſpeciem cenſuræ, & ſi hæc ſit ferenda ſententia, requirit, ut præcedat prævia admonitio, & feratur in ſcripto, quo exprimatur ſpecies cenſuræ, quæ infligitur, nomen illius, cui infligitur, & cauſa, ob quam infligitur.* Communiſſima Theologorum, & Canoniſtarum. 12

#### §. I. *Subjectum cenſuræ.*

I. *Subjectum* cenſuræ capax debet eſſe. I. *Homo*; quia hic ſolus eſt ſub Eccleſiæ foro, & Juriſdictione; potens tranſgredi ejus mandata; unde nec Dæmones. 13

nec bruta cenſuris ligari poſſunt. Dum verò ſubinde exorcizantur, vel anathematizantur dæmones, vel bruta nobis nociva, non infertur eis cenſura, ſed quænam maledictio, imprecatio, vel deteſtatio, quibus petimus à DEO, ut virtute Sacri Ordinis, aut exorciſmorum Eccleſiæ, dæmones à corporibus, aliiſve locis abigantur, aut bruta nociva avertantur, vel deſtruantur. II. *Viator*; ratio eſt: quia Eccleſia non habet Juriſdictionem in mortuos, ſed in vivos; non enim Dominus dixit (ut Gratianus obſervat *Cauſa 24. qu. 2.*) *quæcunque ligaveritis ſub terra, ſed ſuper terram*. Deinde mortuus, vel eſt in cœlo, vel in purgatorio, & ſic non meretur cenſuram: vel eſt in Inferno, & ſic correctionis eſt incapax. Nec obſtat, in Eccleſia mortuos etiam interdum excommunicari, & abſolvi, quia ut Doctores communiter docent apud *Bonacinam*, Fabrum, & Maſtrium *citatum numero decimo ſexto*: Eccleſia, quando mortuos excommunicat, hoc non facit per ſententiam condemnatoriam, ſed declaratoriam, qua declarat, mortuos in via, propter ſua delicta incurriſſe excommunicationem, & ideò nec pro iis orandum, nec Eccleſiaſtica ſepultura ſepeliendos eſſe. Idem pariter dicendum de abſolutione, quòd nimirum Eccleſia mortuos, qui ante mortem penitentiæ ſigna dedere, non abſolvat abſolutione vera, & directa, ſed tantùm auferat prohibitionem, vi cujus tales non poterant participare orationes, ſuffragiaque fidelium, nec tradi Eccleſiaſticæ ſepulturæ. III. *Baptizatus*; quia Eccleſia in Homines non baptizatos nullam obtinet juriſdictionem juxta illud Apoſtoli 1. Cor. 5. *Quid mihi de iis, qui foris ſunt, judicare?* quod etiam conſtat *ex cap. Gaudemus. De divortiis*, & docet *Doctor noſter Seraphicus 4. diſt. 18. art. 1. quæſt. 4. & ſubtilis 4. diſput. 19. §. de Quinto*. Ex quo etiam ſequitur, quòd Catechumenus à fide diſcedens, Eccleſiaſtica cenſura ligari non poſſit. IV. *Doli, ſeu rationis capax*. Cenſura enim ex parte ſubjecti ſupponit peccatum, quod à rationis impote committi non poteſt. Ex quo infertur, nec pueros ante uſum rationis, nec perpetuò amentes cenſuris ligari poſſe. Num verò pueri rationis uſum aſſecuti, nondum tamen ſeptennes, vel etiam ſeptennes, ſed adhuc impuberes legibus humanis obligentur, & conſequenter incurrant cenſuras, diximus ſuprà *cap. 1. ſect. 3. quæſt. 4. numer. 24. & ſeqq.* Hoc addo ex *Palao*, quòd ſi quis rationis compos efficacem cauſam contrahendæ cenſuræ dederit, & tempore, quo ligandus erat, uſu rationis deſtituatur, adhuc cenſuram incurreret, quia uſus rationis, liberaque voluntas ſolùm requiritur ad apponendam cauſam cenſuræ, non verò ad ipſam cenſuram contrahendam. Quia tamen non expedit ligatum eſſe cenſura, qui per eam corrigi non poteſt, talis in caſu amentiæ perpetuæ abſolvendus eſt. Layman *lib. 1. tract. 5. parte 1. cap. 4. numer. 3.* Plura de amentibus, & ebriis, qualiter ligentur legibus humanis, vide ſuprà *cap. 1. ſect. 2. quæſt. 4. numer. 242.* V. *Subditus Cenſuranti*; quia ſicut in ferente cenſuram requiritur Juriſdictio; ita in eo in quem fertur, eſt neceſſaria ſubjectio. Ex quo ſequitur neminem in ſeipſum poſſe ferre cenſuram, quia non poteſt aliquis ſibi ipſi eſſe ſubjectus: nec *Papam* eſſe ligabilem cenſura, quia Superiorem in terris non habet, cui ſpiritualiter ſubjectus ſit; ipſo vero excepto, omnis Chriſtianus etiam *Hæreticus*, cenſura feriri poteſt, quia omnis talis habet Superiorem in ſpiritualibus, etiam hæreticus: ſiquidem hæretici per Baptiſmum ingreſſi ſunt Eccleſiam, eique facti ſubjecti, & conſequenter tenentur legibus Eccleſiæ, ut jam dictum ſuprà *cap. 1. ſect. 3. quæſt. 4. numer. 237.* adeòque etiam cenſuris feriri poſſunt, ut clarè patet ex *Bulla Cœnæ Domini*. Quantum ad peregrinos, ſi Epiſcopus, aliuſve Prælatus Papa inferior generalem cenſuram ferat, verb. gr. *Si quis tale crimen admiſerit, ſit excommunicatus*: talis cenſura non ſe extendit ad peregrinos, brevi tempore ibi, non conſtituta habitatione commorantes, patet ex dictis *cap. 1. ſect. 3. quæſt. 4. num. 257.* ubi diximus, peregrinos non ligari legibus ſpecialibus locorum, quæ tranſeunt. Idemque docet Layman *lib. 1. tract. 5. parte 5. cap. 4. numer. 5.* Si tamen peregrinus ibi deliquerit, poteſt ab Epiſcopo cenſura feriri: ut patet *cap. ult. de foro competenti*. Ratio eſt: quia tunc ratione delicti fit tali Epiſcopo ſubditus ad illius peccati correctionem. *Maſtrius citatus numer. 19.* Denique Superiores Ordinum poſſunt Novitios ligare cenſuris, quia ex voluntate Papæ talem habent juriſdictionem in illos, qualem Epiſcopi. Ita Suarez, & Pellizarius apud *la Croix lib. 7. num 36.* VI. *Peccans intra territorium Cenſurantis*. Nam ſubditus extra Diœceſim exiſtens, & peccans, nequit à ſuo proprio Epiſcopo affici cenſura, ſive per ſtatutum, ſive per ſententiam generalem: idemque dicendum, ſi delinqueret in loco exempto: licèt is intra Diœceſim ſitus foret, juxta dicta ſuprà *c. 1. ſect. 3. quæſt. 4. numer. 244. & ſequentibus*. Ubi docuimus, talem ſubditum non teneri Legibus, aut ſtatutis ſpecialibus, & propriis ſui territorii. Ubi notandum, quòd inter ſtatutum, ſeu ſententiam generalem, & inter Præceptum, ſeu ſententiam particularem hæc ſit differentia, quòd ſtatutum, ſeu ſententia generalis, verbi gratia *Qui tale crimen admiſerit, ſit excommunicatus*, ligat tantum ratione Territorii, in quo quis eſt, & eidem adhæret: præceptum vero, ſeu ſententia particularis afficit perſonam determinatam ſubditam ubique exiſtentem juxta *la Croix l. 7. num. 31. & 43.* Quare ſi Epiſcopus per ſententiam particularem, vel ſpeciale præceptum alicui prohibuiſſet furtum ſub cenſura, incurreret illam etiam abſens, *La Croix cit. num. 43.* Si verò ſubditus tantùm phiſicè quoad ſuam perſonam foret extra Diœceſim ſui Epiſcopi; moraliter tamen in ea præſens per delictum in eadem commiſſum, talem à ſuo Epiſcopo, cenſura feriri poſſe, etiam jam diximus *loc. cit.* Similiter regularis ubivis terrarum exiſtentes, & delinquentes à ſuis ſuperioribus cenſuris ligari poſſunt. Vide dicta loco citato; ubi etiam notavimus, illum qui poſt commiſſum in propria Diœceſi delictum, fugit in alienam, à proprio Epiſcopo cenſurari poſſe. Denique delinquens extra Territorium proprium, dum ad hoc revertitur, conveniri poteſt coram ſuo Ordinario, verbi gratia de furto extra territorium commiſſo, & ab Ordinario compelli per excommunicationem ad reſtituendum, ut hac ratione parti læſæ proſpiciatur, & crimen delinquentis emendetur.

II. Cenſura lata contra facientes, ſeu committentes aliquod crimen non afficit mandantes, vel conſulentes, ſi horum non fiat mentio in Lege, vel ſententia continente cenſuram, Ita communis ſententia Doctorum. Bonacina, Cajetanus, Navarrus, Avila, Suarez, Reginaldus, & Alii apud *Maſtrium citatum num. 20.* Ratio eſt; quia Leges imponentes cenſuram, utpotè odioſæ, & pęnales, ſunt ſtrictæ interpretationis; atqui mandans, vel conſulens aliquid fieri, propriè, & *phyſicè* non poteſt dici illud facere, quia mandatum, & conſilium præcedunt factum; ergo: Nec obſtat illud: *Quod quis per alium facit, per ſe ipſum facere cenſetur*; nam hoc verum eſt moraliter loquendo quoad culpam, & fictionem juris; non verò phyſicè, & quoad pęnam ſemper. Nec etiam obſtat illud Juriſtarum, *quòd facientes, & conſentientes pari pęna plectendi ſint*, id namque tantùm verificatur, dum Lex, vel ſententia æquè loquitur de conſentientibus, ac de facientibus, quo caſu illi eadem cum facientibus pęna afficiuntur; aliàs neutiquam, ut præterea conſtat ex praxi Eccleſiæ, quæ dum intendit ſua Lege, vel ſententia etiam comprehendere mandantes, & conſulentes, id ſolet exprimere, ſaltem implicitè. 14

III. Ponamus ergo, quòd lex cenſuræ etiam exprimat mandantes, & conſulentes: hi tamen antequàm delictum committatur, ſeriò, ſinceroque animo retractent mandatum, & conſilium; an adhuc, effectu ſecuto, incurrant cenſuram? Reſp. Doctores convenire apud *Maſtrium citatum n. 26.* Revocationem mandati, vel conſilii pervenientem ad notitiam mandatarii, vel ejus, cui conſilium datum fuit, cenſuræ incurſionem impedire, quia eo ipſo mandatum, vel conſilium deſinit movere, ſeu efficax eſſe nec mandans, vel conſulens cenſetur eſſe ampliùs cauſa moralis operis, ſed faciens delictum cenſetur id facere ex propria malitia. Si verò mandati, vel conſilii revocatio, quantum eſt de ſe, efficax eſt; non tamen impedit effectum quia mandatario, vel ei, cui conſilium datum eſt, non innoteſcit, vel innoteſcere non poteſt ob nimiam diſtantiam, vel ſimilem cauſam, quamvis mandans, aut conſulens omnem ad id diligentiam adhibuerit, adhuc probabiliter mandans, vel conſulens non incurrunt cenſuram. Ita *Avila, Sayrus, Hurtadus, Caſpenſis, Diana, & alii apud Maſtrium citatum* contra *Navarrum, Molinam, Bonacinam, & alios*. Ratio eſt, quia per dictam revocationem, quantum eſt de ſe, efficacem, ceſſat omninò, & deſtruitur inobedientia, & contumacia mandantis, & conſulentis; Eccleſia autem non intendit eum cenſura ligare, qui ante incurſionem jam non eſt inobediens, & contumax; ſed efficaciter penitens; ſicut etiam à cenſura incurſa, eum abſolvere ſolet, & debet, quem novit efficaciter pęnitentem inobedientiæ factæ. Aliud eſt de *irregularitate, & caſu reſervato*, quia irregularitas, & reſervatio caſus non eſt impoſita ad contumaciam frangandam: ſicuti impoſita eſt cenſura. Quare *la Croix l. 7. n. 54.* docet, ſi lethaliter priùs vulneratus poſt triduum moriatur, & qui vulneravit, intereà doleat, confiteatur, & abſolvatur, certum videtur, quòd incurratur irregularitas, aliæq; pęnæ extra cenſuras; ad illas enim incurrendas non requiritur contumacia, cùm ſint pęnæ purè vindicativæ criminis præteriti, ut rectè *Dicaſt. de Juram. d. 2. n.* 15

274. & *Boſco*: Quoad reſervationem caſus, docet noſter Kerckhuve *in noſtra ſtatuta Gener. cap. 6. §. 22. num. 40.* quòd dans venenum alteri ad eum occidendum, ſi antequàm mors ſequatur, eliceret deſuper contritionem perfectam, tamen poſteà morte ſecuta incurret caſum reſervatum, ubi homicidium eſt caſus reſervatus, ſicuti eſt apud regulares, & ita tenet *Azorius tom. 5. lib. 1. c. 7. in fine*, & alii. Si tamen talis ante mortem ſecutam confiteretur, & abſolveretur à ſuo peccato, quòd poſuerit cauſam efficacem mortis alterius, probabiliùs putat *Kerckhove cit.* talem ſecuta morte non incurrere caſum reſervatum, nec teneri in conſcientia iterum confiteri. Ratio eſt: quia nemo tenetur peccata ſemel ritè confeſſa iterum confiteri: ſed qui dedit venenum, ritè confeſſus eſt ſuum peccatum, explicando ſuam occidendi efficacem voluntatem, & cauſam poſitam, & eſt à communi confeſſario rectè abſolutus; quia ante effectum ſecutum peccatum non erat reſervatum: Ergo. Hæc etiam applicari poſſunt ad alios caſus reſervatos.

16 IV. Idem homo poteſt ligari pluribus cenſuris, tam diverſæ, quàm ejuſdem rationis. Ita Maſtrius *cit. nu. 22.* Herman, Bonacina, Palaus, aliique ab his relati. Et quidem de cenſuris *diverſæ rationis* res eſt certa, ut patet ex praxi Eccleſiæ, nec ulla apparet repugnantia. Hoc idem dicendum eſſe de pluribus *Cenſuris ejuſdem rationis*, probatur hac ratione: quia ligatus una cenſura, poteſt denuò legem tranſgredi, cujus violatio ejuſdem rationis cenſuram contineat: ergo ſi illam legem violet, ſimilem rurſus incurret; multiplicatis ſiquidem cauſis multiplicatur effectus, quod etiam colligitur *ex Clement. 2. de ſentent. excommun.* Unde, qui facit plures Clerici percuſſiones, numero morali diſtinctas, in tot incidit excommunicationes, quot fecit percuſſiones, & hac ratione pluribus egebit abſolutionibus, vel unica omnes illas excommunicationes complectente. Imò poteſt ab una excommunicatione quis abſolvi, & non ab alia; quia cenſuræ quoad abſolutionem non ſunt neceſſariò connexæ, ſicuti peccata mortalia, quorum unum nequit remitti ſine alio; ſiquidem hæc remittuntur per gratiæ ſanctificantis infuſionem, quæ cum nullo peccato mortali ſtare poteſt: *Dices*: Duæ privationes ejuſdem formæ nequeunt eſſe in eodem ſubjecto, verb. grat. duæ cæcitates in eodem oculo, quia privationes diſtinguuntur per formas oppoſitas: ergo nec duæ excommunicationes poſſunt eſſe in eodem homine. *Reſp. N. conſeq.* quia in caſu, quo quis pluries foret excommunicatus, una tantùm eſſet formaliter privatio, pluribus tamen titulis inexiſtens ſubjecto, quod exemplificari poteſt in homine per plura peccata mortalia privato gratia ſanctificante.

### §. II. *Cauſa, ob quam Cenſura gravis infligi poſſit, debet eſſe*

17 I. P*eccatum mortale*. Ita communis DD. ratio eſt; quia pœna, ut juſtè infligatur ſupponit culpam: cùm innocens juſtè puniri nequeat, & ideò ubi nullum eſt peccatum, ibi nullus eſt cenſuræ locus; & quia cenſura gravis, videlicet excommunicatio major, ſuſpenſio ab ordine, interdictum generale &c. ſunt pœnæ graves, ſupponunt culpam gravem, ſeu peccatum mortale; cùm inter pœnam, & culpam ſervanda ſit proportio, & ita habetur *in Canon. nemo Epiſcoporum, & Canon. nullus ſacerdotum cauſa 11. qu. 3. & in Concilio Tridentino ſeſſ. 25. cap. 3.* Conſequenter ſi cenſuræ graves ferantur ob peccatum veniale, non tantùm ſunt illicitæ, ſed etiam invalidæ. Quare etiam excommunicatio propter percuſſionem Clerici non incurritur ob levem percuſſionem, etiamſi ea animo mortali lædendi oriatur; quia debet eſſe gravis materia externa. Quod autem ſpectat ad cenſuras minùs graves, ut excommunicationem minorem, ſuſpenſionem levem, &c. pro levioribus interdum, & venialibus peccatis infligi poſſunt. Ita Navarrus, Rodriquez, Suarez, Vaſquez, Bonacina, & alii apud *Maſtrium cit. numer. 23.* An verò ad incurrendam cenſuram gravem requiratur *peccatum proprium, vel ſufficiat alienum? Reſp. cum Maſtrio citat.* & aliis Doctoribus ab ipſo citatis; quod excommunicatio major incurratur, niſi ob peccatum mortale proprium; ſuſpenſio verò, & interdictum incurri poſſint ob peccatum alienum, ſcilicet ob peccatum Principis, vel Superioris, vel Communitatis. Ratio eſt: quia excommunicatio major eſt graviſſima pœna, maximis privans bonis, adeòque ab innocente incurri non poteſt, ut habetur *Canon. ſi habes, cauſa 24. q. 3.* & ideò etiam in totam communitatem, in qua regulariter ſunt aliqui innocentes, ferri non poteſt, *ex cap. Romana, de ſentent. Excommun. in 6.* Suſpenſio verò, & interdictum non privant hominem ſuffragiis, & auxiliis Eccleſiæ, ſicut privat excommunicatio, & ideò etiam innocentes aliquando ſuſpenſione, & interdicto ligari poſſunt; cùm hæ Cenſuræ in totam communitatem ab ſolum delictum Principis, vel Superioris ferri poſſint, *ex cap. ſi ſententia de ſentent. Excommunicationis in 6.* in quo caſu non propriè fertur in pœnam illius, qui non peccavit, ſed in pœnam delinquentis, qui ad majorem ſui confuſionem etiam punitur in alio.

II. Debet eſſe *peccatum externum*: quia ob peccatum 18
merè internum cenſura infligi nequit; cùm Eccleſia de merè internis non judicet, *ex cap. ſicut de Simonia, & cap. Tua nos eod. tit.* Ratio eſt: quia cùm Eccleſia ſit viſibilis, actus, quem punit, ſenſibilis eſſe debet, & externus. Hinc, qui interiùs tantùm lapſus eſt in hæreſim, quam exteriùs non ſignificavit, non incidit in excommunicationem. Ita Doctores communiter apud Bonacinam, & Maſtrium *cit. nu. 23.* Vide plura de hac materia, apud P. Patritium Sporer, *tr. 5. Proœm. c. 3. ſect. 6. num. 35. & ſeqq.* Item dicta à nobis ſuprà *cap. 1. ſect. 3. q. 2. nu. 571.* Nimirùm, legis humanæ materiam de facto non eſſe actus purè internos, benè tamen externos, etſi occultiſſimos. Hinc qui hæreſim, quam in mente tenet, aliquo actu externo ſignificat, etſi nemine præſente, excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrit, ſi cætera requiſita adſint.

III. Debet eſſe *Peccatum conſummatum, & non merè præ-* 19
*teritum*. Ratio *Primi* eſt: quia juxta Doctores communiter, leges pœnales ſunt ſtrictæ interpretationis, conſormiter ad *Regulam 15. Juris, in 6.* ubi dicitur, quòd *odia ſunt reſtringenda*: ergo etiam lex continens cenſuram, utpote pœnalis ſtrictè interpretanda, intelligenda eſt de peccato conſummato. *Excipe*: niſi aliter lex, vel ferens cenſuram exprimat, veluti nonnunquam fit, *ut cap. 5. de homicid. in 6.* Ubi mandans aliquem occidi per Aſſaſſinos, vinculo excommunicationis innodatur, etiam effectu non ſecuto. Ratio *Secundi* eſt: quia cenſura eſt pœna Medicinalis, & non merè in vindictam Criminis inflicta; ſed Medicina adhiberi non debet morbo jam totaliter præterito, ſed dum morbus ſaltem aliqua ratione adhuc inexiſtit: ergo. Hinc, ut jam ſuprà monuimus, ſi ſuſpenſio, vel interdictum generale ferantur per modum pœnæ propriè vindicativæ propter culpas merè præteritas, non ſunt ampliùs Cenſuræ propriè dictæ.

IV. Debet eſſe *peccatum habens annexam contumaciam,* 20
*& repugnans legi Eccleſiaſticæ*. Ratio *primi* patet ex illo *Matth. 18. ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*, id eſt, ſi obediens illi non fuerit poſt monitionem, adeòque in contumacia perſtiterit, *ſit quaſi extra Eccleſiam*; quatenùs communibus Eccleſiæ bonis privatus exiſtit. Sciendum tamen, non requiri contumaciam, ſeu contemptum *Specialem*, alioquin excommunicatus ſemper duplex peccatum committeret; ſed ſufficit contumacia, ſeu contemptus generalis, præſumptus, vel interpretativus, nempè, quòd aliquis ſciat, quidpiam eſſe ab Eccleſia præceptum, vel prohibitum ſub Cenſura, aut ſuperiorem comminari cenſuram, & nihilominùs contravenire non veretur. Ratio *Secundi* eſt: quia in confeſſo eſt, cenſuras inſtitutas eſſe ad frangendam contumaciam adverſùs Eccleſiam; ſed nemo poteſt dici contumax, & inobediens Eccleſiæ, qui non committit peccatum contra Eccleſiam; ergo &c. Quo fit, illum cenſura non ligari, qui committit ſcienter peccatum contra jus Divinum naturale, vel poſitivum, ſed ignorat, illud idem eſſe prohibitum ab Eccleſia ſub Cenſura, ut ampliùs infrà dicemus.

### §. III. *Forma Eſſentialis Cenſuræ.*

F*orma* Cenſuræ hic accipitur tum pro eo, per quod ſuf- 21
ficienter explicatur voluntas ſuperioris cenſuras ferentis, tum pro certo modo illas ferendi, per jus humanum præſcripto; eſtque *duplex*, una *Eſſentialis*, qua non obſervata cenſura eſt invalida, & nulla; Altera *Accidentalis*, qua non obſervata, cenſura eſt quidem valida, attamen illicita. Hoc prænotato:

I. Ad valorem Cenſuræ requiritur, ut per ſignum ex- 22
ternum ſit intimata, & ita expreſſa, ut verba, vel ſigna, in quibus continetur, ſint determinata quoad ſpeciem Cenſuræ. Ita *Bonacina hic diſput. 5. punct. 7. propoſ. 3. & alii.* Ratio *primi* eſt: quia cenſura non incurritur, niſi propter contumaciam contra præceptum ſuperioris; ſed nulla poteſt dici contumax contra ſuperiorem, niſi ei de præcepto ſuperioris conſtet: ergo cùm de eo conſtare nequeat, niſi quatenùs expreſſa eſt per ſigna exteriora, Cenſura effectum non ſortietur, ſeu non ligabit ſubditum, niſi inti-



Digitized by Google

mata per hujuſmodi ſignum externum, puta, verba, Scripturas, vel quodvis aliud, perfectè expreſſivum voluntatis Superioris; quia quodlibet horum ad valorem cenſuræ ſufficit. Ratio *Secundi* eſt: quia verba, vel ſigna cenſuram ſignificantia, ſuo modo id efficiunt, quod ſignificant; ſed non poſſunt efficere effectum in genere, ſed ſolùm in ſpecie: ergo, ut prolatio cenſuræ valeat, oportet intervenire ſignum expreſſivum cenſuræ in ſpecie, verbi gratia: *Excommunicationis*, quæ ſimpliciter prolata ſupponit pro excommunicatione majori, *cap. ſi quem, de Sent. excommunic.* Si verò feratur excommunicatio minor, ſolet apponi particula ſufficienter illam qua talem ſignificans; ſicut, & dum fertur ſuſpenſio ab officio tantùm, id ſolet exprimi, alioquin ſi feratur abſolutè, intelligitur ſuſpenſio adæquatè ſumpta tam à Beneficio, quàm ab officio, & ſic ſemper fertur cenſura ſecundùm ſpeciem infimam. Hinc ſi Superior ita diceret: *qui hoc fecerit, ſit cenſura ligatus*, nihil efficeret; quia non eſſet major ratio, cur potiùs intelligatur de una, quàm de alia cenſura. Eadem ratione ſigna illa debent eſſe determinata ad aliquam perſonam, eam nominando, vel deſcribendo aliquo modo, vel deſignando illam per ordinem ad delictum; cùm effectus non fiat, niſi in ſubjecto determinato: Ex his

23 II. Colliges, cenſuram validè, & licitè ferri poſſe ſub conditione; imo ſemper aliqua ibi involvitur conditio, quia cenſura non fertur, niſi vel ratione delicti præteriti in ordine ad ſatisfactionem exhibendam; & tunc includitur conditio: *Si non ſatisfacias, ſis excommunicatus &c.* vel ratione delicti futuri in ordine ad obſervandum aliquod præceptum: quo caſu includitur ſimilis conditio: *Si homicidium commiſeris, ſis excommunicatus &c.* Neque cenſura ſub conditione lata incurritur, donec conditio advenerit per culpam ejus, ad quem cenſura dirigitur: quia Superior non vult, cenſuram à ſe conditionatè latam, reum ligare, niſi impleta primùm conditione. Si tamen *ante eventum conditionis* legitimè appelletur, cenſura non incurritur, etiam ſecuta conditione: ſicut deciditur *capit. Præterea requiſiſti, de Appellat.* Ratio eſt: quia ea eſt vis appellationis, ut cauſam a Judice, à quo appellatum eſt, eximat, & ad illius Superiorem devolvat, & ſic per appellationem ſuſpenditur juriſdictio Judicis inferioris, & per conſequens ejus præceptum vires non habebit ad obligandum, licèt conditio aliàs in futurum pendens jam evenerit. Dictum eſt: *ſi ante eventum conditionis appelletur, cenſura non incurritur.* Nam ſi conditio jam evenerit, appellatio poſteà interpoſita, Cenſuram non ſuſpendit; quia ſupponitur hæc jam contracta, nec aliter tollitur, quàm abſolutione. Ita Sylveſter, Navarrus, Henricx, Bonacina, & plures alii apud *Maſtrium citat. num.* 28. Similiter cenſura ſuum non ſortietur effectum, ſi creditor, pendente conditione, ſub qua cenſura lata eſt, terminum ſolutionis prorogет, & alium terminum, Judice etiam inconſulto aſſignet. Ita etiam Bonacina, Suarez, Filliucius, Coninch. Hurtadus, & alii communiter apud *Maſtrium citat. num.* 29. Ratio eſt: quia Judex non magis intendit obligare debitorem, quàm ipſe creditor velit, cùm Judex in ejus gratiam ferat cenſuram. Pariter cenſura non ligat, ſi ferens cenſuram, pendente conditione, moriatur, aut per aliam viam juriſdictione penitus privetur, tametſi poſt mortem, vel privationem illam, actus ſub cenſura prohibitus committeretur; talis ſiquidem cenſura incipit habere vim in inſtanti impletæ conditionis: cùm ergo ferens illam, tunc vel non exiſtat, vel ampliùs Superior non ſit, cenſura nequibit conſequi ſuum effectum; qui à poteſtate legitimi Superioris procedere debet. Denique ſi reus, pendente conditione, mutat domicilium, ſeu forum, adveniente conditione nihilominùs cenſuram contrahet, ſi cenſura lata ſit *propter factum præteritum* tempore prioris domicilii commiſſum, & in ordine ad ſatisfaciendum pro illo. Ratio eſt: quia per ſententiam in eum latam eſt à Judice præventus ante fori mutationem, ſicque quoad hanc cauſam manebit Judici ſubjectus, conformiter *ad Legem* 30. *ff. de judiciis*, ibi: ubi acceptum eſt ſemel judicium, ibi, & finem accipere debet. Si verò cenſura lata ſit ſub conditione *peccati in futurum committendi*, foro mutato illud committens, non ligatur cenſura, cùm non ſit ampliùs ſubditus prioris domini cenſuram ferentis, ex *cap. Romana, de ſentent. excomm. in* 6.

24 III. Cenſura ferenda ab homine, ſive ob delictum præteritum ſive præſens, in quo reus pertinaciter perſiſtit, vel juſſus pro eo ſatisfacere, recuſat, ad ſui valorem requirit præviam admonitionem. Communis apud *Maſtrium citat. num.* 15. Ratio eſt: quia ſic eſt conſtitutum *cap. Sacro, de ſentent. excommunic. & cap. Statutum eod. tit. in* 6. Et quia cenſura non fertur, niſi in contumaces, quales ſolùm cenſentur, qui admoniti adhuc renuunt Eccleſiæ obedire. Hinc dicitur *Matth.* 18. *Si Eccleſiam non audierit, &c.* Ex quo *Vaſquez, Avila*, & plures alii DD. deducunt, hanc præviam admonitionem non tantùm eſſe neceſſariam jure Eccleſiaſtico, ſed etiam Divino, & naturali, quod non permittit contra inauditam partem ferri ſententiam; licèt *Suarez, Cajetanus, Filliucius*, & alii paſſim apud Bonacinam, & Maſtrium citat. exiſtiment, Eccleſiam de poteſtate abſoluta poſſe cenſuras ferre ſine prævia monitione. Dictum eſt: *Cenſura ferenda ab homine*; quia ſi cenſura feratur à jure ipſo facto incurrenda, neceſſaria non eſt prævia admonitio ſaltem diſtincta ab ipſo jure; quia jus ipſum ſatis admonet; cùm lex, & præceptum ſemper loquatur, quamdiu durat, ne ſcilicet fiat mandati transgreſſio. Excipe, *niſi ipſum jus expreſsè requirat admonitionem diſtinctam*, qualis requiritur *Clement. Religioſi, de decimis*, ubi Religioſi qui decimas ſolvi Eccleſiis non permiſerint, aut prohibuerint &c. ſuſpenduntur, premiſſa tamen monitione, cùm ibi addatur: *Niſi moniti intra menſem deſtiterint.* Deinde monitio prævia requiſita ad valorem cenſuræ debet fieri *cum comminatione cenſuræ*; ac quippè non expreſſa, delinquens tantùm cenſetur contumax, & inobediens poteſtati Eccleſiaſticæ directivæ non coercitivæ in foro externo, unde manat cenſura. Denique veriſimilius eſt, etiam in cenſuris comminatoriè latis ob culpas futuras requiri monitionem diſtinctam à publicatione legis, vel ſtatuti comminantis cenſuram colligitur ex *cap. Reprehenſibilis* 26. *de Appellat.* ibi: *nec Prælati, niſi Canonica commonitione præmiſſa, ſuſpenſionis, vel excommunicationis ſententiam proferant in ſubditos, niſi fortè talis ſit culpa, quæ ipſo ſuo genere* (hoc eſt per Gloſſ. ibid. ipſo facto) *excommunicationis, vel ſuſpenſionis pœnam inducat*: ergo cùm exceptio firmet regulam in contrarium, ad omnem aliam cenſuram, quæ non ipſo facto incurritur, ſed primùm poſt crimen commiſſum ab homine infligenda eſt, monitio premitti debet.

IV. Hæc tamen monitio prævia non requiritur *Trina* ad validè ferendam cenſuram, quamvis ad eam licitè ferendam Trina requiratur. Communis DD. ratio eſt: quia Trina monitio non eſt introducta, ut quid ſubſtantiale, velut colligitur ex *capit. Sacro, de ſentent. excommun.* ubi ſupponitur, quòd excommunicatio lata ſine trina admonitione poſſit eſſe juſta, quamvis Judex eam ſic ferens ſit dignus pœna; ſed juſta dici non poſſet, ſi foret invalida: ergo. Et ibidem habetur, quòd excommunicatus ſine trina monitione ſit abſolvendus; ſed abſolutio ſupponit valorem cenſuræ: ergo. Excipiuntur duo caſus apud *Engel lib.* 5. *Collegii Juris Can. tit.* 39. *num.* 111. in quibus trina monitio etiam ad valorem cenſuræ requiritur. I. Si Excommunicatio feratur in Participantes cum Excommunicato, *cap. Statuimus* 3. *de Sentent. excommun. in* 6. II. Si cauſa delegato committatur cum clauſula, ut præcedente Canonica monitione cenſuras proferat. *Barboſa in cap. Sacro, de ſentent. excommunic. in* 6. Quare extra hos caſus trina monitio eſt tantùm neceſſaria neceſſitate præcepti, non neceſſitate cenſuræ, ut colligitur *ex cap. Romana, de ſentent. excommunic. in* 6. hinc Judex graviter peccaret, ſi ferret cenſuram ſine prævia trina monitione; quia negligeret Juris Pontificii Decreta in re gravi, nec ſervaret privilegium reo à Jure conceſſum. Sufficit tamen fieri *monitionem trinam, ſive formaliter, ſive virtualiter; formaliter* trina erit, ſi tres monitiones ſeparatim fiant, aſſignando pro quavis ſufficiens (*Biduum*) tempus. *Virtualiter* trina foret, quandu Prælatus una monitione tribus æquivalente diceret: *Moneo te ſemel pro tribus vicibus, concedendo tibi ſex dies, Biduum pro ſingulis monitionibus.* Imo etiam datur Judici amplior licentia tempus reſtringendi ex cap. *Conſtitutionem* 9. *de ſentent. excommun. in* 6. Si neceſſitas requiſiverit. Quare notant Doctores paſſim, quòd urgente neceſſitate trina monitio, vel una pro trina, licitè omittatur. 25

### §. IV. *Forma accidentalis cenſuræ*

SIne qua nimirùm cenſura adhuc eſt valida, numeratur quadruplex:

I. Eſt *Denuntiatio*, conſiſtens in quadam ſolemnitate, & cæremonia, à jure præſcripta, poſt cenſuræ ſententiam adhibenda in promulgatione cenſuræ; Unde patet, illam eſſe cæremoniam merè accidentalem reſpectu cenſuræ; quia hujus eſſentiam ſequitur. Eſt quidem hæc cæremonia communis cuilibet cenſuræ; ut colligitur ex jure Canonico, non tamen cuilibet neceſſariò ſuperaddenda, ſed ſoli excommunicationi, latæ ab homine in certam 26

Per-

Perſonam, & latæ à jure, ipſo facto, poſt declaratoriam criminis; aliàs namque excommunicatio non ſortietur integrum ſuum effectum, nempè, ut excommunicatus etiam vitetur à fidelibus, maximè poſt Concilium Conſtantienſe, poſt quod obligatio vitandi excommunicatum non oritur, niſi excommunicato nominatim, & publicè denunciato, utpotè qui evitari non poteſt, ſi ignoretur. Attamen, ſi is, qui cenſuram v. gr. excommunicationis incurriſſe dicitur à jure latam, ab Epiſcopo, vel Judice Eccleſiaſtico pro excommunicato declarandus, vel denuntiandus ſit, priùs legitimè citandus erit, eique juſta defenſio jure naturæ omnibus conceſſa, indulgenda eſt, ut ſecundùm juris ordinem appareat, an reverà ita peccaverit ut meritò cenſuram incurriſſe judicare debeat; & hoc ita neceſſarium eſt, ut juxta Navarrum apud *P. Engel in Collegio Juris Canon. tit. de ſentent. excommun. num. 9.* declaratio, vel denuntiatio ſine præcedenti citatione facta (niſi in planè notoriis, quæ nulla poſſunt tergiverſatione celari) invalida ſit, & irrita.

27 II. Forma accidentalis cenſuræ eſt, ut lata per ſententiam particularem feratur *in ſcripto*, quo exprimatur ſpecies cenſuræ, quæ infligitur, nomen illius, cui infligitur, & cauſa, ob quam infligitur. Aliàs ferens cenſuram ſolo verbo ſine ſcriptura mortaliter peccat, quia facit contra jus in re gravi, & prohibita ſub pœna non levi; ſiquidem contrafaciens per menſem unum ſuſpenditur ab ingreſſu Eccleſiæ, & Divinis Officiis, *ex cap. 1. de ſentent. excommunic. in 6.* Ratio hujus conſtitutionis inſinuatur *cap. cit.* ab Innocentio IV. Ut nempè Judices non feſtinato, temerariè, & imprudenter cenſuram ferant; nam dum ſententia ſcribitur, quid magis deceat, advertitur, mens componitur, & ira ſedatur. Cæterùm communis ſententia docet, cenſuram aliter latam, puta, oretenùs ſine ſcriptura, quamvis illicita ſit, eſſe tamen validam, ut colligitur *ex cit. cap. 1.*

28 III. Forma accidentalis eſt, ut cenſura feratur *interdiù*, *ex cap. conſuluit, de Offic & poteſt. Judicis delegati;* ne judicium Eccleſiaſticum exerceatur in tenebris: noctu tamen lata, non proinde erit invalida; cùm id nulla authoritate, vel ratione ſatis probetur.

29 IV. Forma accidentalis eſt, ut cenſura non feratur *die feriato*: ſiquidem cenſura eſt illicita lata per ſententiam hominis tempore feriato, quia ad ſententiam ferendam prærequiritur judicialis cognitio cauſæ, *ex cap. nemo, cauſa 2. quæſt. 1.* quæ diebus feriatis inſtitui nequit *ex cap. fin. de feriis*, niſi neceſſitas urgeat, vel pietas ſuadeat, ut ibidem. Quia verò rurſus hæc conditio tantùm eſt de neceſſitate præcepti, non de eſſentia, ſeu neceſſitate cenſuræ, hæc aliter lata tenebit.

## QUÆSTIO III.

*Quænam cauſa ab incurrendis Cenſuris excuſent.*

### SUMMARIUM.

30 *Cauſæ excuſantes ab incurrendis cenſuris ſunt quatuor.*
31 *Prima eſt innocentia cenſurati.*
32 *An Judex licitè, & validè poſſit ferre cenſuram in innocentem? & ſeqq.*
34 *Cenſura in tali caſu lata eſt invalida.*
35 *Secunda cauſa eſt ignorantia invincibilis antecedens,*
36 *Et Concomitans*
37 *Legis Eccleſiaſtica cenſuram ferentis,*
38 *Ignorantia vincibilis craſſa, ſupina, vel affectata non excuſant à cenſura;*
39 *Niſi lex ferens cenſuram, ad hujus incurſionem requirat ſcientiam, temeritatem, vel præſumptionem.*
40 *Tertia cauſa eſt metus gravis injuſtè incuſſus.*
41 *& 42 Excipiuntur aliqui caſus.*
43 *Quid dicendum de metu juſtè incuſſo?*
44 *Quarta cauſa excuſans à cenſura eſt impotentia faciendi id, quod ſub cenſura præcipitur.*

### ASSERTIO III.

30 *Cauſæ à cenſuris incurrendis excuſantes ſunt quatuor, videlicet innocentia cenſurati, ignorantia inculpabilis, metus gravis injuſtè incuſſus, & impotentia faciendi opus ſub cenſura præceptum.* Ita communiſſima DD.

#### §. I. *Innocentia cenſurati.*

31 I. Diximus quæſtione præced. ad valorem cenſuræ requiri *cauſam juſtam*, nimirùm peccatum mortale à cenſurando commiſſum; aliàs cenſuram fore injuſtam, & invalidam; pro quo ſciendum, cenſuram in aliquo caſu poſſe eſſe injuſtam, & tamen adhuc validam, veluti ſi Judex illam ferret non amore juſtitiæ, ſed ex odio erga alterum aliàs verè reum; quia tunc nihil eſſentiale ad valorem cenſuræ requiſitum deficeret. Aliis tamen tribus modis cenſura injuſta, etiam eſt invalida. *Primò*, quando quidem ille, in quem cenſura fertur, eſt reus à parte rei, ſed non in ordine ad judicium; quia nec crimen fatetur, nec de eo eſt juriſdicè convictus: neque ſatis eſſet, ſi Judex privatam criminis notitiam haberet; quia debet procedere juridicè ſecundùm allegata, & probata, ſeque gerere, ut perſona publica, *cap. ſi tantùm 6. quæſt. 2. Secundò modo*, & quidem evidentiùs, Judex invalidè ferret cenſuram in aliquem, qui nec re, nec probatione reus foret; cùm talis Judex intolerabilem committeret errorem, procederetque adversùs ſubditum mera ſua voluntate, nulla juſta, & rationali cauſa motus. *Tertio modo* cenſura eſſet invalida, ſi Judex cenſura afficeret Innocentem, quem etiam privata ſcientia novit eſſe talem, qui tamen ſecundùm allegata, & probata juridicè eſt nocens, & quia de hoc controvertitur; Hinc

II. Suppono, Judicem in tali caſu debere omni modo elaborare, ut veritatem publicè notificet; & præcipuè ſi ſit Judex delegatus, debet delegationem Superiori renuntiare, & ipſe perſonam teſtis agere. Et vix unquam continget, ut nullæ prorſus ſint conjecturæ pro ipſo reo, quæ juncta atteſtatione Judicis non faciant plenam Innocentiæ probationem, vel ſaltem locum juramento ſuppletorio; aut quòd falſitas teſtium, & calumnia actoris, per certam ſcientiam Judicis detegi non poſſint. Si tamen nullum ſuppeteret remedium, Judex in caſu relato licitè ferret cenſuram: hæc tamen à parte rei eſſet invalida. Ita *Varii Doctores apud Fillincium*. Ratio primæ partis eſt: quia Judex ſuſtinet perſonam publicam, non privatam: ergo juxta ſuum Officium, adeòque licitè agit, dum profert ſententiam cenſuræ ſecundùm allegata, & juridicè probata: quod ulteriùs colligitur *ex cap. Paſtoralis, de Officio, & poteſt. Judicis delegati*, ubi habetur, quod Ordinarius, cùm teneatur ſequi mandatum Judicis à Summo Pontifice delegati, *etſi ſciat ſententiam injuſtam, exequi nihilominùs teneatur, niſi apud eum efficere poſſit, ut ab hoc onere ipſum abſolvat.* 32

III. *Dices*: Judex in caſu conſimili non poteſt Innocentem condemnare ad mortem: ergo nec ferire cenſura. Reſpond. *Nego conſeq.* Diſparitas eſt: quia ſi Judex in hujuſmodi caſu innocentem condemnaret ad mortem, hic certò magnum damnum à parte rei incurreret; ſic non contingeret in propoſito; quia ſi talis innocens, v. gr. excommunicetur, diſpendium bonorum ſpiritualium non patietur, ut ſtatim probabitur. Imò etſi pateretur, nondum foret paritas; quia bona, quibus privat cenſura, ſubſunt diſpoſitioni Eccleſiæ, quæ proinde poteſt etiam innocentem illis ſpoliare, ſi ita exigat bonum publicum, cujus potior habenda eſt ratio, quàm cujuslibet privati: at vita noſtra non eſt ſub dominio Reipublicæ, ſive Civilis, ſive Eccleſiaſticæ, quæ idcircò nequit aliquem ſine ſua culpa poſitivè, & directè privare vita. Jam 33

IV. Aſſertur ratio ſecundæ partis, nimirùm quòd cenſura in caſu relato lata à Judice in innocentem ſit invalida: quia in caſu relato, in cenſurato non adeſſet peccatum mortale, cùm ſupponatur innocens; ſed ubi non adeſt peccatum mortale, ibi nulla cenſura validè infligi poteſt juxta ſupradicta: ergo in tali caſu inflicta innocenti cenſura eſt invalida, nec credendum, aut præſumendum eſt de Eccleſia, tam pia, & benigna matre, quòd hominem reverà innocentem, nec contumacem velit privare bonis ſpiritualibus. *Nec refert*, quòd Judex in hoc caſu licitè judicet, & conſequenter etiam validè. Nam ut Judex licitè judicet, ſufficit, quòd *juſtè*, hoc eſt, ſecundùm allegata, & probata, procedat; ut autem etiam validè judicet, debet *juſtum* præcipere. Nihilominùs, quamvis talis innocens reipſa coram Deo, & in foro conſcientiæ cenſuram non incurrat, nec effectibus illius ſubjaceat, debet tamen cenſura in foro externo, & in facie Eccleſiæ, tam à cenſurato, quàm ab aliis ſervari, donec, vel ab ea præſumptus reus fuerit abſolutus, vel innocentia ipſius, atque error cenſuræ publicè innotuerit. Ita Navarrus *Manual. cap. 27. num. 3.* Covarruvias, Pirrhing, Reiffenſtuel *in 5. Decret. tit. 39. num. 41.* cum communi aliorum. Ratio eſt: tum quia in foro externo adeſt cauſa ſaltem præſumpta: tum quia hoc neceſſe eſt ad publicam utilitatem, & diſciplinam, ipſamque Judicis ex Officio, & ſecundùm allegata, probataque judicantis authoritatem, conſequenter ad bonum publicum tuendum, cui bonum privatum meritò poſtponi debet. Ec certè, ſi etiam in foro externo cenſura ſervari in 34

tali

tali caſu non deberet; malevolis laxa aperiretur porta, quaslibet cenſuras contemnendi; cùm dicere poſſent, ſe coram Deo eſſe innocentes, quamvis in foro externo per allegata, & probata nocentes ſint.

§. II. *Ignorantia incupabilis*,

35 I. ET invincibilis antecedens quæcunque, ſive juris, ſive facti, excuſat ab incurrenda cenſura. Eſt communis Doctrina ſumpta ex *cap. 2. de conſtit. in 6. Ut animarum periculis obvietur, ſententiis per ſtatuta quorumcunque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia craſſa non ſit, aut ſupina*. Ratio eſt: quia ignorantia invincibilis excuſat à culpa, utpotè tollens omne voluntarium reſpectu illius, quod ignoratur: ergo etiam à cenſura, quæ neceſſariò ſupponit culpam. Item extendendum eſt ad actualem inconſiderationem, & inadvertentiam: quia hæc æquiparatur ignorantiæ; ut advertit Suarez *diſp. 4. ſect. 8. num. 11.* Layman *lib. 1. tract. 5. part. 1. cap. 5. num. 7.* & pro eadem militat eadem ratio.

36 II. Similiter ignorantia invincibilis concomitans, tam juris, quàm facti excuſat ab incurrenda cenſura. V. gr. Ruſticus Clericum cædens, ſi neſciat eſſe Clericum, excommunicationem non incurrit, quamvis ita animo comparatus ſit, ut, tametſi ſciret, nihilominùs cæderet: vel etiamſi dicat: *utinam hic eſſet Clericus!* vel facta percuſſione, ſibi de ea plurimùm complaceat: vel ignorans (nimirùm per concomitantem ignorantiam juris) excommunicationem dicat: *occiderem hunc Clericum meum inimicum, etſi pro hoc delicto lata eſſet excommunicatio*. Ita apud *Layman cit.* docent Vaſquez, Henriquez, Sanchez, & Suarez contra *Covarruviam, Graffs, & Ugolinum*. Ratio eſt: quia actio, quæ fit cum ignorantia concomitante, eſt involuntaria, cùm per talem ignorantiam æquè, ac per antecedentem, excludatur cognitio objecti, circa quod actio externa verſatur: ergo non eſt peccaminoſa, nec conſequenter cenſura punibilis. *Confirmatur*: Excommunicatio contra percuſſores Clericorum fertur non propter *internam* pravam operantis diſpoſitionem, ſive actualem, ſive habitualem, ſed propter *externam* Eccleſiaſtici mandati contumacem tranſgreſſionem: qui verò actualiter ignorat opus, quod operatur, Eccleſiaſtica lege ſub cenſura prohibitum eſſe, is contra Eccleſiæ legem nihil delinquit, ideoque nec actualiter contumax eſt, quamvis interno actu delinquat, eum tamen Eccleſia non punit. Si tamen quis tali intentione actionem occiſivam exerceret: *volo occidere illum hominem, ſive ſit Clericus, ſive ſit Laicus*, occiſo Clerico foret excommunicatus, etſi ante occiſionem neſciret inculpabiliter, à ſe occidendum eſſe Clericum. Ratio diſparitatis eſt: quia neſciret, à ſe occidendum eſſe Clericum, id eſt, non diſtinctè quidem hoc cognoſceret, attamen confuſè. Qua ratione etiam reus foret adulterii, qui carnaliter commiſceretur cum aliqua, ſive ſit ſoluta, ſive ligata. Ex his infertur ulteriùs.

37 III. Quòdſi etiam aliquis ſciat, opus prohibitum eſſe *jure Divino, & naturali*, ignoraret tamen invincibiliter, eſſe etiam prohibitum jure Eccleſiaſtico, non incurret cenſuram: cùm non ſit inobediens Eccleſiæ. Imo tametſi aliquis ſciat, opus prohibitum eſſe etiam lege Eccleſiaſtica, ſi tamen inculpabiliter ignoret annexam illi cenſuram, eam non incurrit. Ita Sylveſter *verb. excommunic.* 10. *quæſt.* 3. Navarrus, Sanchez, Suarez, Layman *cit. num.* 8. contra Cordubam, Covarruviam, &c. Ratio eſt: quia cenſura eſt pœna medicinalis, inflicta ad frangendam contumaciam delinquentis, & ordinata ad ejus emendationem; ſed invincibiliter ignorans annexam cenſuram, non eſt contumax contra poteſtatem Eccleſiæ coercitivam: ergo. Similis ratio non reperitur in aliis pœnis, quæ non tam ad correctionem delinquentis, quàm vindictam criminis infliguntur, & conſequenter etiam incurruntur à tranſgreſſoribus neſcientibus eas legibus annexas, ut notavit *Layman citat.*

38 IV. Ignorantia vincibilis, excuſans à culpa gravi, etiam excuſat à gravi cenſura; ſiquidem cenſura gravis ſupponit culpam gravem, ut ſuprà dictum. Si autem ignorantia ſit mortaliter culpabilis, à cenſura non excuſat, ſaltem quando Legislator aliquid prohibens, vel præcipiens ſub cenſura loquitur *ſimpliciter*, & *abſolutè*. Ratio eſt: quia *cap. 2. de conſtit. in 6.* Bonifacius VIII. Ita determinat: *Ut animarum periculis obvietur, ſententiis per ſtatuta quorumcunque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes: dummodò tamen eorum ignorantia craſſa non fuerit, aut ſupina*. Ex quibus ſic arguitur: nulla ignorantia craſſa, aut ſupina excuſat à cenſura; ſed omnis ignorantia mortaliter culpabilis eſt ignorantia craſſa, vel ſupina, vel tandem affectata: ergo &c. Si ignorantia ſit affectata, paſſim admittitur, quòd non excuſet à cenſura; cùm æquipolleat ſcientiæ. Probatur Minor: Omnis ignorantia mortaliter culpabilis, quæ indirectè ſolùm eſt voluntaria, naſcitur ex duplici capite, nimirùm, vel ex pura negligentia, & deſidia, vel ex nimia, & ſuperflua occupatione circa alia negotia, quibus homo abſtrahitur ab addiſcendis, & cognoſcendis aliis, quæ deberet ſcire; ſed ſi naſcitur ex primo capite, eſt ignorantia craſſa; ſi ex altero, ſupina: ergo omnis ignorantia mortaliter culpabilis eſt craſſa, vel ſupina, conſequenter non excuſans è cenſura.

Dictum eſt: *Saltem quando Legislator ſimpliciter, & abſolutè loquitur*, puta, hoc, vel ſimili modo: *qui furtum ex loco Sacro commiſerit, ſit ipſo facto excommunicatus*. Si verò cenſura lata ſit contra eos, qui *ſcienter, conſultò, auſu temerario, præſumptione*, quippiam peccaverint, tunc juxta communem ſententiam Doctorum apud Sanchez, & P. Patritium Sporer *tract. 1. Proœm. cap. 2. ſect. 4. n.* 38. à cenſura incurrenda excuſat ignorantia craſſa, vel ſupina, non tamen affectata; eo quod hæc æquiparetur ſcientiæ. Tamen probabile, & tutum eſt, etiam ignorantiam affectatam in tali caſu excuſare à cenſura incurrenda, dummodò non ſit cum ingenti temeritate conjuncta, ut cum Sanchez, Bonacina, Caſtro-Palao, Tamburino docet P. Sporer *tract. 2. in 1. Præceptum Decalogi cap. 3. ſect. 4. num.* 42. quem vide. Dum enim ignorantia affectata ſolet æquiparari ſcientiæ; id ſolùm debet intelligi quoad culpam, & alias pœnas incurrendas; non verò quoad cenſuras, in quibus Legislator ſcientiam formalem, & ſimilem contumaciam requirit. 39

§. III. *Metus gravis injuſtè incuſſus*

I. AD extorquendum actum, per ſe loquendo, ſemper excuſat à cenſura incurrenda. Ita Layman *cit. num.* 9. Suarez, Navarrus, Coninch: Palaus, Reiffenſtuel, aliique communiter contra Durandum, & Cajetanum. Ratio eſt: quia ſi actus, qui tali metu agitur, ſolùm ſit prohibitus jure Eccleſiaſtico ſub cenſura, operans nequit incurrere cenſuram, quia non peccat; cùm præceptum Eccleſiaſticum tanto cùm diſcrimine non obliget. Imò etſi actus, qui metu agitur, foret prohibitus jure Divino, & naturali, eique ab Eccleſia eſſet annexa cenſura, operans ex gravi metu licèt graviter delinqueret, cenſuram tamen non incurreret; quia non peccat contra jus Eccleſiaſticum: ergo nec puniendus eſt pœna jure Eccleſiaſtico ſtatuta, maximè cenſura, quæ contumaciam contra Eccleſiæ poteſtatem requirit. Hinc ſi adactus metu gravi occidas Clericum, non incurris excommunicationem, &c. 40

II. Dices: *Cap. Sacris, de his, quæ vi, metuſve cauſa fiunt*, dicitur: *Licèt metus attenuet culpam, quia tamen non eam prorſus excludit, cùm pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari*. Reſp. Textum intelligendum eſſe, vel de metu levi, vel de gravi, ſed non excuſante à peccato contra præceptum Eccleſiæ, veluti eveniret in caſu, quo metus foret incuſſus in contemptum Religionis, aut poteſtatis Eccleſiaſticæ. Ea propter 41

III. Dictum eſt: *Metus gravis per ſe loquendo ſemper excuſat ab incurrenda cenſura*: quia nemini dubium eſt, præceptum Eccleſiaſticum, quandoque obligare etiam cum mortis, alteriuſve mali de ſe gravis ſubeundi diſcrimine, & per conſequens, ſi annexam habeat cenſuram, tranſgreſſor ab ea immunis non erit. Unde *Coninch. num.* 102. hic ſequentem ſtatuit concluſionem: *Quoties metus non excuſat à peccato contra Præceptum Eccleſiæ, aut quia ille levis eſt, aut quia hoc obligat etiam in gravi periculo, non excuſat à cenſura*. Idem docet *Layman cit. num.* 9. Quando autem præceptum Eccleſiæ obliget, etiam non obſtante periculo mortis, vel alterius gravis damni, diximus ſuprà *cap. 1. de Legibus, ſect. 3. quæſt. 3. num. 214. & ſeqq.* 42

IV. Dictum eſt etiam: *Metus gravis injuſtè incuſſus*, ſi namque metus foret juſtè incuſſus, puta, ratione proprii delicti, excuſatio à cenſura locum non habebit. Hinc ſi quiſpiam malefacto foret ad diuturnos carceres juſtè condemnatus, & Judex eidem mandaret aliquid ſub cenſura, ſi pœnam carceris velit evadere: ubi ſi malefactor conditionem acceptet, & nihilominùs mandatum fraudulenter circumveniat, cenſuram non effugiet, juxta *communem DD.* Vide plura apud P. Sporer *tract. 1. Proœm. cap. 2. ſect. 4. num.* 52. 43

§. IV.

Digitized by Google

### §. IV. *Impotentia faciendi.*

44 ID, quod ſub cenſura præcipitur, ſive phyſica, ſive moralis tantùm, excuſat ab incurrenda cenſura. Ita communis cum Bonacina, Navarro, Suarez, Filliucio, Coninch. Avila, & aliis apud Maſtrium *Theolog. Moral. diſp.13. quæſt.1. art. 4. num.27.* Ratio eſt: Tum quia ad impoſſibile nemo tenetur, *Leg. Impoſſibilium*, *ff. de regulis Jur.* Tum quia Eccleſiæ præcepta benignè ſunt accipienda; Nec credibile eſt, illam cum tanto rigore obligare velle. Tum tandem, quia impotentia faciendi id, quod præcipitur, ſive phyſica, ſive moralis tantùm, excuſat à peccato, & contumacia: ergo excuſat etiam ab incurrenda cenſura, cùm cenſura nonniſi ob peccatum, & contumaciam incurratur. Hinc eſt, quòd ille, qui non reſtituit ob impotentiam, etiam moralem non afficiatur excommunicatione, ſi quæ lata foret contra detentores rei alienæ. Si Judex certum terminum aſſignet debitori, intra quem ſub pœna excommunicationis ſit præſtanda ſolutio; debitor autem initio temporis aſſignati ſolvere poterat, prævidens fore, ut reliquo tempore ſint impotens ad ſolvendum; verius eſt, debitorem non ſolventem ad initium aſſignati termini, contrahere excommunicationem; quippè, qui tenetur ad obſervandum quoddam præceptum intra certum tempus, ſi prævideat ſubſecuturum impedimentum, obligatur anticipatè præſtare opus; alioquin omiſſio ad culpam imputabitur; quod ſolet communiter exemplificari de eo, qui obligatur die feſto audire ſacrum, poteſtque illud audire ſummo manè, at prævidet reliquo diei ſpatio ſuperventurum inevitabile impedimentum: ergo etiam in noſtro caſu, cùm omittens ſolutiones verè peccet, liber non erit ab excommunicatione; niſi fortè ante terminum elapſum retractarit culpam.

## QUÆSTIO IV.

### *De abſolutione à cenſuris.*

### SUMMARIUM.

46 *Abſolutio à cenſura eſt multiplex.*
47 *Cenſura tolli debet per abſolutionem.*
48 *Abſolutio à cenſura poteſt validè dari, etiam ſub conditione de futuro, & quandoque licitè.*
49 *An indigeat abſolutione, qui eſt excommunicatus donec reſtituat, præſtita reſtitutione?*
50 *A cenſura ab homine ſpecialiter lata poteſt abſolvere* Auctor illius:
51 *Exceptis quibuſdam caſibus;*
52 *Item* Succeſſor, Superior, & delegatus *auctoris?*
53 *Quis poſſit abſolvere à cenſura generaliter ab homine lata?*
54 *Et quis à cenſura juris reſervata?*
55 *Et non reſervata?*
56 *Quis in foro interno, & externo?*
57 *Caſus notabilis.*
58 *Forma abſolvendi à cenſuris.*
59 *An à cenſuris poſſit abſolvi abſens?*
60 *Ex parte abſolvendi à cenſura requiruntur tres conditiones.*
61 *Similiter ex parte abſolventis requiruntur tres conditiones.*
62 *Abſolvere à cenſuris in ſtatu diſgratia non eſt peccatum.*

## ASSERTIO IV.

45 *PEr abſolutionem debet tolli cenſura, à qua ab homine ſpecialiter, ſeu per ſententiam ſpecialem lata poteſt abſolvere Auctor illius, Succeſſor, Superior, Delegatus, & nullus alius; ſi verò ſit lata ab homine generaliter, ſeu per ſententiam generalem, ſeu per modum ſtatuti, ab eadem omnes illi abſolvere poſſunt, qui poſſunt abſolvere à cenſura per jus lata; à cenſura autem juris reſervata regulariter abſolvere ſolùm poteſt is, cui eſt reſervata, ejus in Officio Succeſſor, vel in ordinaria juriſdictione Superior, aut ab eis ad hoc delegatus: Si verò non fuerit reſervata, ab ea poteſt abſolvere omnis ille, qui habet juriſdictionem Epiſcopalem, aut quaſi talem, imò etiam Parochus, aliuſve Sacerdos potens abſolvere à peccatis mortalibus. Abſolutio tamen à cenſuris debet exprimi ſigno externo, & ſenſibili internæ voluntatis abſolventis ſufficienter expreſſivo.* Communiſſima Doctorum.

### §. I *Cenſura tolli debet per abſolutionem.*

I. NOtandum, abſolutionem à cenſura aliam eſſe *abſo-* 46
*lutam*, quæ datur nulla addita conditione; aliam *Conditionatam*, quæ confertur ſub aliqua conditione, vel de re præterita, *v.g. ſi ſatisfeciſti*, vel de præſenti, *v.g. ſi paratus es ad ſatisfaciendum*: vel de futura, *v.g. ſi intra menſem reſtitueris*. Sola abſolutio data ſub conditione de re futura ſuſpendit abſolutionis effectum uſque ad adventum conditionis, qua proinde poſita tranſit in abſolutam. Rurſus alia eſt abſolutio ad *Cautelam*, alia ad *Reincidentiam*. Prima datur illi, de quo certò non conſtat, an ſit ligatus cenſura, ut ſi fortè eſſet, à cenſura liber evaderet. Vocatur hæc abſolutio ad *Cautelam*, quia per eam abſolvens intendit cavere damnum, quod ex cenſura ignota, cenſurato præſertim, obvenire poſſet, ideoque ſolet præmitti abſolutioni Sacramentali; & talis eſt abſolutio à cenſuris, quam Confeſſarii quotidiè præmittunt abſolutioni à peccatis. Abſolutio ad *Reincidentiam* datur pro determinato tempore, quatenùs illo elapſo, quis incidit in eandem cenſuram de novo, ſi novam commiſerit culpam, v.g Si parti læſæ non ſatisfecit. Ubi notat Layman *lib.1. tract.5. par.1. cap.7. num.8. cum aliis citatis*, quod ſi propriè loquendum ſit, cenſura illa, in quam quis reincidit, non ſit eadem numero cum illa, quæ per veram abſolutionem priùs ſublata fuit; cùm eadem res ſemel deſtructa, naturaliter eadem numero non redeat, ut ea Philoſophia notum eſt: ſed eſt numero diverſa à præcedenti, & ideò etiam novum contumaciæ peccatum requirit. Quare ſi abſolutus ad reincidentiam à cenſura, parti læſæ v.g. hactenùs non ſatisfecit, ſine ſua culpa, quia non potuit, in cenſuram non reincidit, ut etiam notavit Avila, & Henriquez apud *Layman cit.* Hoc etiam eſt advertendum, abſolutionem ad *Reincidentiam* differre ab abſolutione *ſub conditione*; quia hæc non ſortitur effectum, niſi purificata conditione: illa autem mox habet effectum, tollitque cenſuram, quamprimùm datur, & acceptur. Hoc notato

II. Cenſura tolli debet per abſolutionem. Communis 47
apud *Layman cit. num.1.* Ratio ſumitur ex ipſa ratione cenſuræ, quæ eſt ligamen, & vinculum, quod non tollitur, niſi ſolvatur. Et hoc paſſim in Jure Canonico ſignificatur, dum ibi ſermo eſt de ablatione cenſurarum. Ex quo infertur. I. *Cenſuram non tolli per hoc, quod cenſuratus deſinat eſſe ſub poteſtate cenſurantis*, ut ſi is moriatur, vel deponatur, vel cenſura ligatus domicilium mutet. Nam etſi cenſura in fieri dependeat à juriſdictione infligentis, non tamen in conſervari, ſeu facto eſſe: quia ſe non habet inſtar præcepti, quod morte præcipientis expirat, ſed ut pœna injuncta ob præcepti tranſgreſſionem, quæ per legitimam Judicis ſententiam inflicta, tranſit in rem judicatam, adeòque manebit jure ſic diſponente, quouſque per abſolutionem tollatur. II. *Cenſuram non tolli per emendationem cenſurati*; quia ſicut ad cenſuram infligendam non ſufficit ſolum peccatum, ſed opus eſt auctoritate Judicis, vel juris infligentis, ita eadem opus eſt ad cenſuram tollendam; quod etiam determinavit *Alexander VIII.* Sequentem propoſitionem, ordine 44. damnans: *quoad forum conſcientiæ, reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ*: Idque rationabiliſſimè, quia aliàs facilè perverſi contemnerent cenſuras, prætendentes, ſe jam fuiſſe ad Deum converſos, & media contritione perfecta, in ejus gratia conſtitutos. III. *Reum cenſura ligatum teneri abſolutionem petere, quamprimùm poteſt*; ſecùs enim privaret ſe ex propria culpa perceptione Sacramentorum, aliiſque bonis ſpiritualibus: cenſeretur etiam contemnere Eccleſiæ poteſtatem, velletque lubens ab Eccleſiæ gremio exulare; & ideo ſi talis mora foret notabilis, culpa gravi non vacaret. Imo juxta Concil. Trident. *ſeſſ. 25. cap.3. de reform.* cenſuris ligatus, ſi illis per annum inſorduerit, habetur ſuſpectus de hæreſi, poteſtque citari, ut de fide reſponſurus compareat.

III. Abſolutio à cenſura poteſt etiam dari validè ſub con- 48
ditione de futuro. Ita Palaus *d.1. p.11. §.2. num.2.* Dicaſtillus, Krimer apud La Croix *lib.7. num.* 157. licèt validè non poſſit dari abſolutio Sacramentalis ſub conditione de futuro. Ratio eſt: quia Sacramentum pœnitentiæ ſic inſtituit Chriſtus, ut noluerit ejus effectum ſuſpendi per intentionem miniſtri, ſed voluerit tunc valere, quando profertur forma ſuper debitam materiam: cenſura autem, ejuſque abſolutio pendet à voluntate humana; ergo qualis erit voluntas abſolventis, talis erit abſolutio, & conſequenter ſi abſolvens velit, ut tunc tantùm valeat, quando poſita erit conditio, ſic, & non aliter valebit. Dictum eſt: *Validè*; Regulariter enim abſolutio à cenſuris licitè non confertur ſub conditione de futuro: quia non congruit, ut reus conſtituatur Judex ſuæ abſolutionis; ſed ita fieret, quando abſolutio daretur ſub dicta

condi-

conditione: quia relinqueretur judicio rei, an velit conditionem de futuro implere, nec ne; item an ſufficienter impleverit conditionem, ut poſſit dici abſolutus, nec ne: ergo &c. Si tamen ſubeſſet cauſa rationabilis ſic abſolvendi cenſura ligatum, talis abſolutio erit etiam licita; cum hic abſolvendi modus, nec ſit intrinſecè malus, nec jure prohibitus. Exinde

49 IV. Sequitur, ſi in aliquem ſequens feratur cenſura; *Excommunico te, quouſque reſtituas*, præſtita reſtitutione, deſinere eſſe excommunicatum ſine nova abſolutione; hujuſmodi quippè formula non tantùm continet cenſuram excommunicationis, ſed etiam implicitam abſolutionem, cùm faciat hunc ſenſum: *Excommunico te propter furtum, quia hoc modo reſarcire renuis; ſi autem mentem mutaveris, & reſtituas, ſis denuò abſolutus*. Cujus ratio eſt: quia illa verba: *quouſque reſtituas*, debent habere aliquem effectum, ne ſint inutiliter poſita; ſed pro effectu non habent perſeverantiam in excommunicatione, cùm hæc ſemel inflicta, de ſe jam ſemper perſeveret; neque ceſſationem excommunicationis abſque ulla abſolutione; quia cenſura propriè dicta non tollitur niſi per abſolutionem, ut ſuprà dictum; ergo continet abſolutionem.

### §. II. *Abſolutio cenſuræ ab homine latæ.*

I. A Cenſura ab homine ſpecialiter, per ſententiam ſpecialem lata poteſt abſolvere auctor illius. Ita Doctor noſter Seraphicus *in 4. diſt.* 18. *art.* 4. *quæſt.* 6. Doctor Subtilis noſter 5. *diſt.* 25. *quæſt.* 1. & cæteri Theologi, & Canoniſtæ omnes apud Maſtrium, *Theolog. Moral. diſp.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 5. *num.* 75. & habetur *cap. paſtoralis*, *§. præterea de offic. Ordinarii*. Et Ratio eſt axioma Theologorum, & Canoniſtarum, quòd *ejus eſt ſolvere, cujus eſt ligare, & quod omnis res per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur cap.* 1. *de reg. jur.* Sed cenſura fit, & naſcitur per ejus auctorem, ergo etiam per eundem diſſolvi poteſt. Atque hoc adeò verum eſt, ut tametſi cenſuratus mutet domicilium, adhuc ab auctore cenſuræ ſit abſolvendus, *cap. propoſuiſti de foro compet.* Idem eſt, ſi reus interpoſuiſſet appellationem: quia per hanc Judicis juriſdictio non ſuſpenditur, quoad ea, quæ appellationi non obſtant: ſed abſolutio à cenſura potiùs juvat appellationem, cùm illa per hanc intendatur: ergo, &c. Hoc tamen intelligendum eſt de Judice Ordinario, qui ratione interpoſitæ, & admiſſæ appellationis non deſinit eſſe Judex, adeòque appellantem abſolvere poterit: ſecùs de Judice delegato, qui quidem ante admiſſam appellationem poteſt reum abſolvere, quia adhuc eſt Judex in iis, quæ appellationi non obſtant: non tamen appellatione admiſſa; quia eo ipſo juriſdictione privatur, *cap. cum Appellatione. De Appell. in* 6.

51 II. Cæterùm, dum diximus, Auctorem cenſuræ poſſe ab ea abſolvere, id limitandum eſt, *niſi ei fuerit ſpecialiter interdictum*. Caſus varii recenſentur in Jure Canonico: *Primus* extat *cap. grave, de præbend.* ubi à Concilio Provinciali jubentur ſuſpendi, qui poſt ſecundam monitionem non emendati Eccleſiaſtica beneficia indignis conferunt: à qua ſuſpenſione ſolus Pontifex, vel unus ex quatuor præcipuis Patriarchis abſolvere poteſt. *Secundus* colligitur *ex cap. quærenti, de Offic. Jud. deleg.* ubi delegato Sedis Apoſtolicæ interdicitur abſolvere à ſe excommunicatum, qui ſententiæ definitivæ parere contempſerit, & jam ultra annum in illa excommunicatione perſtitiſſet; ſecùs, ante annum, vel definitivam ſententiam. *Tertius* traditur *cap. tua nos, de ſentent. excommun.* ubi incendiarius ab Ordinario excommunicatus, & ut talis denuntiatus dicitur remittendus ad Sedem Apoſtolicam pro abſolutionis beneficio. *Quartus* indicatur *cap. ſi celebrat. de Clerico excommun. cap. duobus, de ſentent. excommun. cap.* 3. *de ſupplenda negligentia Prælatorum*, & eſt, quòd quoties excommunicans in excommunicationem denuntiatam incidit, vel ob delictum depoſitus, vel aliter juriſdictione privatus eſt, nequeat à ſe excommunicatos abſolvere: quia abſolutio eſt actus juriſdictionis. *Quintus* indicatur *cap. ex frequentibus, de Inſtit.* Si Pontifex ex certa ſcientia cenſuram ab Ordinario latam confirmet: hoc ipſo abſolutionem ſibi reſervat, quia hac confirmatione ſententiam Ordinarii, ſuam eſſe facit, ex *cap.* 2. de Confirmat. utili, vel inutili, & *cap. ſi Apoſtolica, de præbend in* 6. Ita limitant, & obſervant varii DD. apud *Palaum diſt.* 1. *punct.* 11. §. 4.

52 III. Ulteriùs à cenſura, ab homine ſpecialiter, ſeu per ſententiam ſpecialem lata, poteſt abſolvere. I. *Succeſſor ferentis illam*: quia hic in munere, & dignitate cenſetur eadem Perſona cum prædeceſſore; quod verum eſt, tametſi ſit ſolùm ſucceſſor ad tempus, & ideò Capitulum, Sede vacante, medio Vicario à ſe electo, abſolvere poterit excommunicatos ab Epiſcopo *cap. ſi Epiſcopus, de ſupplenda negligentia Prælat. in* 6. *& cap. unic. de majorit. & obed. in* 6. Procedit etiam de ſucceſſione Judicis delegati, veluti deciditur *cap. paſtoralis, de Offic. Jud. Ord.* II. *Superior ferentis cenſuram*, ſi pleno jure ſit Superior, veluti eſt Pontifex reſpectu Ordinariorum, Generalis reſpectu Provincialium, Provincialis reſpectu Superiorum Localium, Epiſcopus reſpectu ſui Vicarii, delegans reſpectu delegati, tales, ſi abſolvant à cenſura ſupradicta, jure proprio utuntur, adeòque nullam inferiori injuriam irrogant; conſequenter validè, & licitè abſolvunt. Si verò alter non pleno jure ſit Superior ferentis cenſuram, ſed tantùm in certis caſibus, veluti eſt Archi-Epiſcopus comparatione Suffraganeorum, &c. talis ſolùm in certis caſibus abſolvere poteſt à cenſuris inferiorum, quos ipſi noverint. III. *Delegatus à ferente cenſuram*. Ratio eſt: quia ſicut juriſdictio ordinaria ligandi eſt delegabilis, ita etiam juriſdictio ordinaria abſolvendi à cenſuris erit delegabilis: adeòque delegatus à ferente cenſuram poterit ex hujus delegatione abſolvere à cenſura ab ipſo lata. IV. *Et nullus alius*. Ratio eſt: quia nulli alteri reperitur conceſſa hujus vinculi abſolutio, & meritò, ne Judicum juriſdictio turbetur, eorumque authoritas vilipendatur.

IV. A Cenſura generaliter ab homine lata, puta, per ſententiam generalem, ſeu per modum ſtatuti &c. ſine prævia citatione ſpeciali, omnes illi abſolvere poſſunt, qui poſſunt à cenſura per jus lata, de quibus §. ſeq. Ita *Palaus cit. ſuprà citans plures alios*. Ratio deducitur *ex cap. ex frequentibus, de Inſtit.* Ubi ſupponitur, excommunicationem contractam per ſententiam generalem ab Archi-Epiſcopo latam, ab Inferioribus Prælatis abſolvi poſſe: & hoc rectè: quia inde non turbatur tribunal Judicis ferentis cenſuram hujuſmodi; cùm reus non fuerit nominatim citatus. Nec refert, quòd *cap. nuper. de ſentent. excomm.* ſolùm concedatur aliis à ferente cenſuram, abſolvere à cenſura juris non reſervata; cenſura autem, de qua hic loquimur, ſit cenſura Judicis, non juris. *Contra enim eſt*, quod cenſuræ per ſententiam generalem ab homine latæ æquiparentur cenſuris juris, veluti obſervat *Herincx, Coninch. Navarrus*, & alii. 53

### §. III. *Abſolutio cenſuræ à jure latæ.*

I. A Cenſura juris reſervata regulariter abſolvere poteſt 54
ſolùm is, cui eſt reſervata, ejus in Officio Succeſſor, vel in ordinaria juriſdictione Superior, aut ab eis ad hoc delegatus. Patet ex vi, & natura reſervationis, nec non ex dictis §. præcedent. huc de facili applicandis, ac demum ex Juris Canonici textibus. Dictum eſt *Regulariter*: quia in articulo mortis omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes, à quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt, ut habet Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. & explicat Pater Patritius Sporer *Theolog. Sacram part.* 3. *cap.* 6. *ſect.* 1. *num.* 723. *& ſeqq.* quem vide.

II. A cenſura juris non reſervata quacunque, poteſt ab- 55
ſolvere omnis ille, qui habet juriſdictionem Epiſcopalem, aut quaſi talem, imo etiam Parochus, aliuſque Sacerdos potens abſolvere à peccatis mortalibus. Ita communis cum Doctore noſtro Seraphico Divo Bonaventura *in* 4. *diſt.* 18. *art.* 4. *quæſt.* 6. *& Scot.* *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 1. Ratio eſt: Quia *in cap. nuper.* 29. *de ſentent. excommun.* Innocentius III. decidit, excommunicatum excommunicatione minori *à ſuo Epiſcopo, vel proprio Sacerdote poſſe abſolvi*, hanc addens rationem; *quia conditor Canonis ejus abſolutionem ſpecialiter ſibi non retinuit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem aliis relaxandi*. Quæ ratio etiam currit de aliis cenſuris non reſervatis: quia enim *in citat. cap.* Quædam cenſuræ excipiuntur, à quibus non conceditur Epiſcopis, & propriis Sacerdotibus abſolvere, idcircò ſaltem implicitè in aliis caſibus id conceſſum eſſe videtur. Accedit, quòd fruſtra Pontifices quaſdam cenſuras ſpecialiter ſibi reſervarent, ſi omnes æquè forent reſervatæ. Per *proprium autem Sacerdotem in cit. cap. nuper*, intelligitur præſertim *Parochus, cap. omnis utriuſque ſexus, de pœnitentia; & remiſſione*: ergo etiam Parochus poteſt à tali cenſura abſolvere: & ſi Parochus poſſit, cur non quivis alius Sacerdos potens abſolvere à mortalibus, quare etiam Regulares ab Ordinario ad confeſſiones audiendas approbati habent hanc poteſtatem abſolvendi ab hujuſmodi excommunicatione à jure non reſervata. Et quòd de cenſura à jure non reſervata diximus hic, idem dicendum de cenſura non reſervata lata per ſtatuta particularia Diœceſum, & Provinciarum, ex *cit. cap. nuper*, ut communis Doctorum ſententia tenet apud *Maſtrium citat. quæſt.* 2. *art.* 5. *numer.* 70. Neque ejuſmodi abſolutio deſervit ſolùm pro foro interno conſcien-

ſcien-

Google

ſcientiæ, ſed etiam pro externo: Quia privilegia Principis ſunt amplianda; & cum Papa *in cit. cap. nuper.* eam facultatem non reſtrinxerit ad forum tantum internum, etiam de externo capienda eſt, quòd Jura præcipue reſpiciunt; ſicque Confeſſarius poterit ab illis abſolvere tam intra quàm extra confeſſionem. Ita *Palaus*, *Avila*, *Coninch.* & *Alii*. Notat tamen P. Reiffenſtuel *lib. 5. Decret. tit. 39. numer.* 247. Quòd abſolutio ab excommunicatione, & aliis cenſuris, facta à ſimplici Confeſſario, qui non eſt Superior cenſurati, pro foro externo non relevet, ſi excommunicatio eſt notoria, vel ad forum externum jam deducta, ut pro in taliter excommunicatus non obſtante abſolutione à ſimplici Confeſſario ſibi data, debeat ſe in foro externo gerere tamquam excommunicatum. Si tamen excommunicatio à Jure, vel ab homine per Decretum, aut ſententiam generalem lata, & non reſervata ſit occulta, poteſt abſolutus ab ea per ſimplicem Confeſſarium, etiam publicè habere omnem communionem in Divinis, & politicis; uti cum aliis benè obſervat Layman *lib. 5. tract. 5. c. 1. capit. 7. num. 7.* Quis verò abſolvere poſſit à cenſuris Bullæ Cœnæ, & aliis Summo Pontifici reſervatis, tam Regulares, quàm ſæculares, dicetur infrà, cùm
56 agemus de cenſuris in ſpecie.

III. Ex his infertur, quòd habens facultatem abſolvendi à cenſura reſervata, non poſſit illam ſemper exercere promiſcuè in utroque foro tam in-quàm externo; quia nonnunquam talis facultas ſolùm conceditur pro foro interno; quod dijudicandum eſt ex forma conceſſionis, vel aliis circumſtantiis. Cæterùm ſi abſolutio fiat pro ſolo foro interno, tunc, ut proſit etiam in foro externo, neceſſe eſt, quòd abſolvens fidem de ea faciat, vel perſonali teſtificatione ante Judicem, vel per ſcripturam authenticam, in qua teſtetur de abſolutione, quam Scripturam conſignet cenſurato coram teſtibus, & Tabellione, qui in altera facie, fidem poſſint facere, illud Inſtrumentum eſſe talis Sacerdotis; &c. Ne autem videatur Sigillum confeſſionis infringere, priùs moneat pœnitentem, eique dicat, ita neceſſarium eſſe, ut poſſit ei credi, cenſuram eſſe ablatam. An autem abſolutio facta pro foro conſcientiæ, ſemper etiam effectum habeat in foro externo, vide P. Sporer *Theol. Sacrament. part. 3. capit. 6. Sect. 2. num.*
57 744.

IV. Si cenſura reſervata ſit in Diœceſi confeſſarii, non verò pœnitentis, pœnitens à tali Confeſſario abſolvi poteſt; nam aliàs ad quem eſſet mittendus pœnitens? non ad proprium Epiſcopum, qui ſibi cenſuram non reſervavit: neque ad Epiſcopum loci, ubi confitetur, quia non eſt ipſius ſubditus. Proinde talis pœnitentis cenſura habenda eſſet tunc pro non reſervata; quia Epiſcopus Confeſſarii talem pœnitentem non poterat ſua reſervatione comprehendere. La Croix *libr. 6. part. 2. numer.* 1631. de Caſibus Reſervatis ita ſcribit: Reſervatio Epiſcopalis habet vim tantùm intra Diœceſim reſervantis; hinc ſi Peregrinus habens Caſum Reſervatum, confiteatur in Diœceſi, ubi non eſt Reſervatus, poteſt ibi à quovis approbato Confeſſario abſolvi, ſine onere ſe ſiſtendi ſuo Epiſcopo, ut declarat Clemens X. Bulla: *ſuperna* 21. *Junii* 1670. §. 7. qui tamen excipit Caſum: *niſi eoſdem pœnitentes noverit in fraudem Reſervationis, ad alienam Diœceſim pro abſolutione obtinenda migraſſe*; tunc enim Epiſcopus ipſius non cenſetur conſentire. Et ibidem declarat, ſi Caſus ſit Reſervatus in Diœceſis, in qua Confeſſarius audit confeſſionem, talem Peregrinum non poſſe abſolvi ſine facultate hujus Epiſcopi, quod certum eſt, ſi Caſus ſit Reſervatus in Diœceſi tam Pœnitentis, quàm Confeſſarii: Si autem Caſus non ſit Reſervatus in Diœceſi Pœnitentis, ſed tantùm in Diœceſi Confeſſarii, de hoc Caſu nihil expreſſè declarat *Clemens X. Bulla cit.* Nam tantùm loquitur de veniente cum Caſu in ſua Diœceſi Reſervato. Plerique tamen cum *Suarez*, *Lugo*, *Coninch. Bordono*, *Marchant.* & *Averſa*, putant, Confeſſarium hic non poſſe abſolvere, & *Diana* dicit eſſe rem claram, quia Epiſcopus hujus Diœceſis directè ſuſtulit illi Juriſdictionem reſpectu talis peccati; quamvis *Fagundez*, & *Stoz. lib. 2. numer.* 64. putent poſſe abſolvere; tum quia Reſervatio fit ab Epiſcopo nonniſi in bonum propriæ Diœceſis: ergo nonniſi circa peccata ſuorum Diœceſanorum: tum etiam, quia Confeſſarius viatorum abſolvit per Juriſdictionem ab Epiſcopo viatoris ex recepta conſuetudine delegatam. Si tamen figeret hic quaſi domicilium, tunc ſubjiceretur etiam huic Epiſcopo, & deberet judicari ſecundùm Leges hujus Diœceſis. Ita La Croix cit. Denique habens poteſtatem abſolvendi à peccatis Reſervatis, hoc ipſo etiam cenſetur habere facultatem abſolvendi à cenſuris annexis. Ita Suarez *de cenſur. diſp. 7. Sect. 4. numer.* 12. Portel, Peyrinis, Lezana, & Alii apud noſtrum P. Kerckhove *in ſtatuta General cap. 6. §. 22. numer.* 98. niſi Prælatus aliter ſe explicet, vel ex circumſtantiis aliud colligatur. Ratio eſt: tum quia favores ſunt ampliandi; cenſuræ autem, etiamſi ſint pœnæ, comprehendi tamen poſſunt in communi modo loquendi, ſub nomine Caſus, ſicut *in Concilio Trident. Seſſ. 24. capit.* 6. Sub Facultate data Epiſcopis abſolvendi à Caſibus occultis, ex omnium ſententia, intelliguntur tam peccata, quam cenſuræ illis annexæ, tum quia conceſſo principali, ideſt, caſu, intelligitur conceſſum acceſſorium, ideſt, cenſura. Tum quia aliàs illa facultas eſſet inutilis; nam ſi cenſura maneret reſervata, v. g. excommunicatio, habens facultatem abſolvendi a Caſu Reſervato, non poſſet uti hac ſua poteſtate; cùm peccatorum abſolutio præſupponat abſolutionem à cenſuris.

## §. IV. *Forma Abſolvendi à Cenſuris.*

I. Abſolutio à cenſuris, cùm dirigatur ad homines, a- 58
deoque fieri debeat humano modo, nequit præſtari ſola interna voluntate abſolvendi; ſed neceſſarium eſt, intervenire aliquod ſignum ſenſibile externum, internæ voluntatis ſufficiente, expreſſivum. Vulgaris quidem uſus obtinuit, ut abſolutio à cenſuris exprimatur verbis, aut ſcriptis; adeò ut alterutrum ſignum de Jure ordinario communiter cenſeatur ſpectare ad ſubſtantiam abſolutionis, eo quòd alia ſigna ſint valdè incerta, veluti colligitur ex *Clement. ſi Summus, de Sentent. excommun.* Forma abſolvendi conſueta eſt hæc: ego te *abſolvo à vinculo ver. gr. excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, quam incurriſti propter talem cauſam* N. N. & (ſi ſit excommunicatus) *reſtituo te Sacramentis Eccleſiæ, & communioni fidelium, aut* (ſi ſit ſuſpenſus *executioni tuorum Ordinum, vel Officiorum, vel Beneficiorum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen.* In publica autem, & ſolemni abſolutione præmittitur Pſalmus *miſerere*, & ad ſingulos verſus pœnitentis humeri denudati leviter flagello percutiuntur (niſi ex juſta cauſa taliter cæremonia videatur omittenda, qualis ſemper adeſt in fœminis) tum adjectis precibus abſolvitur. Ita ſtatuitur *cap. à nobis*. 28. *de ſent. excomm.* Idem modus ferè ſervatur in abſolutione mortuorum, niſi, quòd ſepulchrum virga percutiatur. Vide *Rituale Romanum*. Omittere has cæremonias ſine juſta cauſa, eſt tantùm veniale peccatum: *La Croix lib. 7. num.* 156. Porrò in abſolutione à cenſuris exprimi debet Perſona abſolventis, Perſona, quæ abſolvitur, & cenſura, à qua abſolvitur; nec tamen opus exprimere cenſuram ipſam determinatam, ſi intentio ſit abſolvendi ab omnibus à quibus poteſt abſolvens, & quibus ligatus eſt abſolvendus. Quòd ſi pluribus ſit ligatus, & ab una tantùm abſolvere intendat, nec eam deſignet, à nulla abſolvet: quia non eſt major ratio in tali caſu, cur potiùs ab hac abſolvat, & non ab alia.

II. Ad excommunicandum, vel abſolvendum ab excom- 59
municatione (idem eſt de aliis cenſuris) non requiritur præſentia localis excommunicandi, vel abſolvendi. Communis DD. apud Maſtrium *citatum quæſt. 2. art. 5. numer.* 77. & patet ex praxi, qua videmus, & præſentes, & abſentes excommunicari, & abſolvi ab excommunicatione, & determinatur *can. quarto* 2. *quæſt.* 5. Ratio eſt: quia pœna etiam in abſentem ſtatui poteſt, & ab eo auferri. Non tamen expedit, abſolutionem ſic conferri ſine urgente cauſa: tum ob reverentiam cenſurarum, tum ob majorem cautelam, & humiliationem cenſurati, ſi præſens abſolvatur. Secus, ſi cauſa ſubſit: ea propter benè faciunt Superiores Generales, quando in Capitulis generalibus univerſalem dant abſolutionem à cenſuris, eam etiam extendendo ad abſentes. Idem dic de Confeſſario, quando ex oblivione, aut inconſideratione non abſolvit à cenſuris, eumque præſentem habere non poteſt; aut in caſu, quo aliquem, quem abſolviſſet à cenſura, à qua abſolvendi non habuit poteſtatem; obtenta namque facultate validè abſolvit pœnitentem abſentem. Ubi notandum, quòd abſolutio data abſenti ab habente poteſtatem ordinariam, habet effectum ab inſtanti, quo datur ab abſolvente, non verò modò in inſtanti, quo notitia abſolutionis pervenit ad abſolutum: quia cenſura dependet à ſola voluntate illam ferentis: ergo etiam ab ipſius præcisè voluntate poteſt tolli. Si vero abſolutio à cenſura data ſit ab habente privilegium abſolvendi, non valet tunc quando datur abſenti, ſed quando notitia abſolutionis pervenit ab abſolvendum, & hic illam acceptat, quia uſus privilegii dependet à voluntate illo utentis. *Maſtrius cit. num.* 77.

III. Ex parte abſolvendi à cenſura requiruntur tres con- 60
ditio-

Digitized by Google

ditiones. Prima eſt: quòd abſolvendus debeat abſolutionem humiliter petere, *ex cap. tuas 40. de ſentent. excomm.* ubi dicitur: *niſi gratiam abſolutionis impetret, non debet audiri, ne ſententiam Eccleſiaſticam contemnere videatur.* Pro quo tamen ſciendum, eum, qui non petit abſolutionem à cenſura, ſeu invitum poſſe validè à cenſura abſolvi ab habente ordinariam abſolvendi poteſtatem à voluntate cenſurati independentem; quia cùm excommunicatio non ſit culpa, ſed pœna, eùm poſſit imponi invito, ſic etiam ab invito poterit tolli, & quidem etiam licitè, ſi cenſuratus non perſeveret in delicto, ob quod fuit cenſuratus, ſed ab eo recedat, & ſatisfaciat, etſi abſolutionem petere non velit; quia cùm ablata ſit contumacia, non remanet cauſa, ob quam abſolvi non debeat; quamvis enim abſolutionem petere non velit, hoc parùm refert; quia poteſtas abſolvendi à voluntate cenſurati non dependet. Si verò perſeveret in delicto, ob quod fuit cenſuratus, tunc licitè abſolvi nequit; quia non poteſt abſolvi, niſi ceſſet à contumacia. Nihilominùs Judex Ordinarius poteſt talem etiam licitè abſolvere, attentis quibusdam circumſtantiis, nimirùm, ſi Judex cognoſcat excommunicatum non curare excommunicationem; ſi autem abſolveretur invitus, ceſſaret à contumacia: poteſt illum etiam licitè abſolvere. Ita *Doctor Seraphicus S. Bonaventura apud Maſtrium citat.* quod etiam intelligendum eſſe dicunt, non tantùm de abſolutione ab homine, ſed etiam de abſolutione à jure, ſi tres adſint conditiones. I. Niſi jure caveatur, ut nullo modo abſolvatur, ni ſatisfaciat. II. Quod non ſit præjudicium tertii. III. Quòd non adſit ſcandalum, nec cenſuræ contemptus. Dicta hæc intelligenda ſunt de illo, qui habet poteſtatem Ordinariam abſolvendi à cenſuris; nam habens poteſtatem delegatam, verb. grat. per Bullam Cruciatæ, vel Jubilæum, vel aliud Privilegium in favorem pœnitentis conceſſum; non poteſt abſolvere invitum nec validè, nec licitè. Ratio eſt: Quia uſus Privilegii dependet ex voluntate utentis illo, ac proinde, ſi excommunicatus eo uti recuſet, Confeſſarius non habet facultatem abſolvendi virtute illius. Secunda conditio ex parte abſolvendi à cenſura requiſita, decernitur *capit. ex tenore, & capit. de cætero, de ſentent. excomm.* nimirùm quod abſolvendus debeat præſtare juramentum de non committendo ampliùs delicto, ob quod cenſura inflicta eſt. Aitque Palaus, omnes ferè DD. ſentire, quod juramentum hujuſmodi, ſaltem quando cenſura lata eſt ob delictum enorme, verb. grat. incendium, gravem percuſſionem Clerici, &c. ſub gravi culpa ab abſolvente ſit exigendum, ſive in abſolutione judiciali, ſive pœnitentiali, cùm jura id tam feriò præcipiant. Similiter cavetur in jure; ne excommunicatus in caſu neceſſitatis, vel impedimenti abſolvatur ab inferiori, niſi poſito juramento, quòd ſublato impedimento, velit adire Superiorem, v. grat. Papam, ejuſque mandato parere. Nihilominùs advertit P. Patritius Sporer *Theol. Sacrament. part. 3. capit. 6. Sect. 2 numer. 752.* Ex Tamburino, & Gobat, dubium eſſe, an non Canonibus allegatis ſit deſuetudine derogatum: cùm non ſit auditum, quempiam à Confeſſario Germano fuiſſe obſtrictum ad tale juramentum: certè (pergit *P. Sporer citat.*) à me non, nec, ut credo, ab ullo Privilegiato; vel ſaltem probabiliſſimum eſt, illos canones ſolùm in abſolutione pro foro externo ligare, non pro Sacramentali; quia pœnitenti etiam non jurato, vel cautionato creditur in foro Sacramentali. Tertia conditio ex parte abſolvendi ſtatuitur *cap. 2. de ſentent. excommun. in 6. & cap. ex parte de verb. ſignif.* Ut reus priùs ſatisfaciat Parti læſæ. Ubi nota ſi reus verè probabiliter opinetur, ſe nihil debere, non tenetur aliquid ſolvere; quia ſequi poteſt opinionem probabilem. Idemque dicendum, ſi obligatio appareat dubia; cùm in dubio ſit melior conditio poſſidentis. Si impotens ſit ad ſatisfaciendum, modò præſtet (in foro Sacramentali probabiliſſimè ſufficit verum, firmumque propoſitum) cautionem aut pignoratitiam, aut fidejuſſoriam, vel ſi nihil horum poſſit, ſaltem juret, ſe ſatisfacturum, redeunte potentia; ſi, inquam, unum ex his præſtiterit, poteſt Judex compelli ad conferendum abſolutionem, parte etiam invita; quia Eccleſia non vult, aliquem relinqui in cenſura, poſtquàm omnis ceſſavit contumacia in Reo, *ex cap. qua fronte de Appell.* Si verò cenſuratus priùs culpabiliter non ſatisfecit, & tamen abſolvatur à cenſura, talis abſolutio eſt certè illicita; cùm talis Judex graviter violet ordinem juris, nec non juſtitiam, quæ ipſi dictat, ut conſulat Bono partis læſæ; eſt tamen veriùs valida, ſaltem, ſi impendatur à Judice Ordinario. Ita *Palaus* hic, qui inſuper contendit, hujuſmodi abſolutionem valituram, ſi detur à delegato. Ratio eſt: quia talis abſolutio in jure nullibi irritatur; quod eſt ſignum, præfatam conditionem non requiri veluti ſubſtantialem, ſed dumtaxat ad licitam abſolutionem. Dictum eſt notanter: *Saltem ſi impendatur à Judice Ordinario*: quia dubium eſt, an valeat, ſi conferatur à delegato. Hoc certum eſt non valituram; ſi delegans exprimeret in conceſſione poteſtatis, delegatum validè abſolvere non poſſe, niſi parte læſa priùs ſatisfacta; quia delegatus alia poteſtate non gaudet, niſi ea, quæ, & quantùm ipſi indulgetur à delegante. Vide Buſembaum, & La Croix *lib. 7. nu. 155. & 167. & P. Sporer cit. n. 752.*

IV. Ex parte abſolventis à Cenſuris, etiam tres requiruntur conditiones. *Prima* eſt: ut habeat legitimam poteſtatem juriſdictionis in eum, qui abſolvitur, & conſequenter, ut ſit Clericus ſaltem prima tonſura initiatus: quia poteſtas ſpiritualis non competit Laicis; non tamen abſolutè neceſſarium eſt, ut ſit ſacerdos, ſed ſufficit, ut ſit Clericus; quia hic jam eſt capax juriſdictionis ſpiritualis, & ſicut talis poteſtas ferendi Cenſuras poteſt delegari juxta ſupradicta: cur non eidem poſſet etiam delegari poteſtas abſolvendi à Cenſuris? ex quo inferunt *Antoninus, Covarruvias, Avila, Hurtadus, Faber*, & plures Alii apud *Maſtrium cit. quæſt. 2. num. 76.* Clericum non ſacerdotem habentem juriſdictionem Eccleſiaſticam in foro exteriori, ſeu judiciali, qui in eo foro poteſt excommunicare, & ab Excommunicatione abſolvere, etiam in foro interno conſcientiæ, & quoad DEUM verè poſſe abſolvere à cenſuris. Quorum ratio eſt: quia talis Clericus per poteſtatem ferendi cenſuras, non tantùm in foro externo, & Judiciali, ſed etiam interno conſcientiæ, & quoad DEUM poteſt ligare; ergo etiam per poteſtatem abſolvendi à cenſuris, poteſt ab iiſdem non tantùm in foro externo, & judiciali, ſed etiam interno conſcientiæ, & quoad DEUM verè abſolvere, Imò *Sylveſter, Angelus*, & Alii Summiſtæ apud *Maſtrium citat.* affirmant, Clericum non ſacerdotem nullam habentem juriſdictionem in foro externo, poſſe ab Excommunicatione abſolvere exiſtentem in Articulo mortis in defectu ſacerdotis. Ratio eſt: quia Eccleſia eam facultatem tali Clerico concedere poteſt; cùm abſolutio à Cenſuris non ſit Sacramentalis, & ideò non indigeat ſacerdote pro Miniſtro: ergo cùm ſit pia Mater, in tali neceſſitatis caſu, ne excommunicatus pœnitens, & moriens privetur communibus Eccleſiæ ſuffragiis, eam concedere præſumitur; quod tamen tantùm de Excommunicatione, & interdicto venit intelligendum, quæ ſcilicet obeſſe poſſunt ſuſceptioni Sacramentorum, participationi ſuffragiorum Eccleſiæ, & Eccleſiaſticæ ſepulturæ; non autem de ſuſpenſione; quia in Articulo mortis non eſt neceſſitas abſolvendi à ſuſpenſione. *Secunda conditio* eſt: ut abſolvens à Cenſura non adigatur metu gravi injuſtè incuſſo ad dandam abſolutionem à Cenſura, quia abſolutio ſimili metu extorta, eſt invalida, *capit. Unic. de iis, quæ vi, metuſve cauſa fiunt in 6.* ubi Gregorius X. abſolutionem à Cenſuris per vim, vel metum extortam omninò viribus vacuam pronuntiat; & ita extorquentes hoc ipſo Excommunicationis ſententiæ ſubjacere decernit. Adſtipulatur etiam ratio, ne videlicet alioquin auctoritas, & nervus Eccleſiaſticæ poteſtatis diminuatur. Similiter ſi abſolvens inducetur ad abſolvendum per cauſam motivam falſam, abſolutio eſt nulla: quippe præſumi non poteſt, quòd Judex voluerit fraudem Cenſurati fovere, ipſum verè abſolvendo; niſi conſtaret de contraria Judicis intentione. D. Thomas, Caſtro-Palaus, Krimer apud *La Croix lib. 7. nu. 152.* *Tertia conditio* eſt: ut abſolvens habeat intentionem abſolvendi à Cenſuris; ſine hac enim abſolutio foret nulla, cùm intentio ſit anima abſolutionis. Hæc autem abſolvendi intentio ſemper adeſſe præſumitur. Ex quo fit illum, qui eſt pluribus Cenſuris innodatus, re ipſa abſolvi ab omnibus, ſi confiteatur confeſſario Privilegiato, licèt aliqua peccata, quibus tales cenſuræ anneæ ſunt, *inculpabiliter* non confiteretur. Nam talis Pœnitens ratione formæ Generalis præmitti ſolitæ abſolutioni Sacramentali, quæ eſt: *abſolvo te ab omni vinculo Excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti*, abſolvitur directè ab omnibus Cenſuris, cùm directa abſolutio à Cenſuris non pendeat ex notitia, quam debeat habere Judex de illis; ſicut abſolutio à peccatis, ſed ex abſolventis intentione, qui cùm ſciat, vel ſaltem ſcire debeat, unam Cenſuram poſſe tolli non ablatis aliis; (quia non habent neceſſariam connexionem inter ſe, nec tolluntur per gratiæ ſanctificantis infuſionem, ſicut peccata mortalia, quorum unum ideò non poteſt tolli ſine alio; quia quodlibet tolli debet per infuſionem gratiæ ſanctificantis, quæ cum nullo ſtare poteſt) tamen impedit abſolutionem ab omnibus, etiam directè vult abſolvere ab omnibus: aliud eſt de abſolutione à peccatis, in quorum abſolutione confeſſarius eſt Judex, 61

&

Digitized by Google

& ideò ſolùm profert ſententiam juxta notitiam, quam habet, tantùmque directè intendit abſolvere ab iis, quæ ſibi manifeſtantur, dum autem dicit, ſe abſolvere ab omnibus, hoc facit, quia novit unum mortale non poſſe tolli, quin indirectè tollantur, & alia. Unde peccatum indirectè hìc, & nunc abſolutum, debet in alia confeſſione iterum ſubjici clavibus; abſolvi tamen poteſt à quovis confeſſario, quia Cenſura jam ſupponitur ablata. *Num verò confitens confeſſario, habenti poteſtatem abſolvendi ab omnibus caſibus, & cenſuris reſervatis, à reſervatione, & cenſuris liberetur, non obſtante, quod invalida foret abſolutio Sacramentalis ob indiſpoſitionem Pœnitentis?* Reſpondet noſter P. Henricx *de Pœnitens. diſp.6.q.4.n.26.* Dum quis confitetur caſum reſervatum, probabiliter ceſſat reſervatio, etiamſi Confeſſio ſit invalida defectu contritionis, ſive quia malitiosè in Confeſſione prætermittitur aliquod mortale, ſaltem quando Confeſſio fit apud Superiorem, *juxta DD. ſatis communiter*: imò etiam juxta plurimorum ſententiam, quando confeſſio inſtituitur apud delegatum: quia tali caſu peccatum eſt propoſitum, & inferior comparuit coram eo, coram quo comparere debebat, tum ad inſtructionem, tum ad ſubeundam pœnam, tum ad alios reſervationis fines, qui non requirunt, ut culpa reipſa remittatur. Unde tali caſu poterit pœnitens poſteà confiteri communi Confeſſario. Teneretur tamen adimplere Pœnitentiam ratione caſus reſervati ſibi impoſitam, ſive tamquàm non Sacramentalem (quod ſufficere rectè putat *Suarez.*) ſive tamquam Sacramentalem, imponendam in ſequenti Confeſſione, de quo confeſſarius ſequens eſt monendus à Pœnitente juxta *Vaſquez, & Alios*. Similiter tenetur in ſequenti Confeſſione exprimere Sacrilegium in priori Confeſſione commiſſum, ut patet. Si etiam inter mortalia, quæ malitiosè tacuit, ſit aliquis caſus reſervatus, patet illum tali Confeſſione invalida nullatenùs fieri non reſervatum. *Excipit* ab hac reſponſione *Suarez.* cum Aliis, quando quis abſolvitur à reſervatis ratione Jubilæi: tum quia in Bulla Jubilæi ſignanter conceditur facultas abſolvendi verè Pœnitentes: tum quia Confeſſio ſaltem valida requiritur tamquam conditio, ſub qua conceditur facultas abſolvendi, ac Jubilæum promerendi. Vide etiam P. Sporer *Theol. Sacram.p.3.cap.6.ſect.2.n.670.*

62 Ex Prædictis etiam infertur, abſolvere à Cenſuris in ſtatu diſgratiæ non eſſe peccatum; quia abſolvens à cenſuris conficit Sacramentum, ſicut abſolvens à peccatis. Similiter non eſt peccatum, repetere abſolutionem à cenſuris ſuper eadem peccata, ob eandem rationem.

## SECTIO II.

### *De Excommunicationem.*

### QUÆSTIO I.

*Quid ſit Excommunicatio Major, & Minor, & Excommunicatus Toleratus, & non Toleratus?*

### SUMMARIUM.

64 *Excommunicatio ut ſic eſt cenſura Eccleſiaſtica, qua homo privatur Eccleſiaſtica communione fidelium.*

65 *Excommunicatio eſt duplex: Major, & Minor.* Major *eſt cenſura Eccleſiaſtica, qua quis à Communione fidelium ſimpliciter ſeparatur.*

66 Minor *eſt cenſura Eccleſiaſtica privans hominem participatione Sacramentorum, & Electione ad Beneficium Eccleſiaſticum.*

67 *Qui ſint Excommunicati* Tolerati, & non Tolerati, *ſeu* non vitandi, & vitandi?

68 *Quid requiratur ad hoc, ut aliquis ſit excommunicatus non toleratus, ſeu vitandus?*

### ASSERTIO I.

63 E*Xcommunicatio ut ſic eſt cenſura Eccleſiaſtica, qua homo privatur Eccleſiaſtica Communione fidelium: excommunicatio Major eſt cenſura Eccleſiaſtica, qua quis à communione fidelium ſimpliciter ſeparatur; Minor verò excommunicatio eſt cenſura Eccleſiaſtica privans hominem participatione Sacramentorum, & electione ad Beneficium Eccleſiaſticum. Excommunicatus vitandus, & non toleratus eſt nominatim excommunicatus, & publicè denunciatus, atque etiam notorius Percuſſor Clerici; Reliqui excommunicati ſunt tolerati, & non vitandi.* Communiſſima apud Doctores citandos.

#### §. I. *Excommunicatio in Genere.*

E*St cenſura Eccleſiaſtica, qua homo privatur Eccleſiaſtica communione fidelium.* Ita Doctor noſter Subtilis *in 4.diſt.19.numer.16.* Maſtrius *Theol.Moral.* diſput.13. *quæſt.2. artic.1.numer.33.* Layman, Palaus, & communis. Explicatur: dicitur I. *Cenſura Eccleſiaſtica*, quæ particulæ tenent locum generis, cùm per eas excommunicatio conveniat cum reliquis cenſuris; licèt etiam differat ab aliis pœnis Eccleſiaſticis, non medicinalibus. Dicitur II. *Qua homo privatur Eccleſiaſtica communione fidelium*, pro quo advertendum ex S. Bonaventura *in 3.diſt.18.quæſt.1.* triplicem eſſe fidelium communicationem, *purè internam, purè externam*, & *Mediam*, ſeu *Mixtam*. *Purè interna* fidelium communicatio conſiſtit in fide, & charitate, per quam fideles inter ſe, & cum Chriſto myſticè copulantur. *Purè Externa* communicatio eſt Politica, conſiſtens in fidelium convictu, colloquio, commerciis, &c. *Media*, ſive *Mixta* communicatio eſt, quæ in exterioribus actionibus conſiſtens, interiorem, ac ſpiritualem fructum ex propria inſtitutione continet. Huc ſpectat uſus tàm activus, quàm paſſivus Sacramentorum: deinde ſuffragia Eccleſiæ, quæ in Sacrificio Miſſæ, aliiſve publicis officiis, ad DEUM, pro univerſa funduntur Eccleſia; item ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum, quæ ex communi Eccleſiæ Theſauro per indulgentias fidelibus Juſtis applicantur. Jam certum eſt, quòd Eccleſia nec velit, nec poſſit quempiam privare communione Bonorum merè interna, quæ eſt per fidem, & charitatem; quippe quibus nemo invitus ſpoliatur. Deinde etiam certum eſt, quòd Eccleſia ob juſtam cauſam, hominem inobedientem, & contumacem, non tantùm communione fidelium mixta, ſed etiam purè externa privare poſſit. Ratio Primi eſt: quia diſpenſatio Sacramentorum, ſuffragiorum, & Indulgentiarum eſt Eccleſiæ à Chriſto demandata, ut proinde eam indignis prohibere poſſit, quamvis, illorum vim, & valorem ex inſtitutione Chriſti pendentem impedire nequeat. Ratio Secundi eſt: quia quælibet Reſpublica poteſtatem habet, ſubditum rebellem à reliquorum civium conſortio excludendi: ergo etiam Eccleſia poteſt ſubditos ſibi inobedientes à reliquorum fidelium conſortio ſeparare; tum ne alios morbi contagione inficiant, uti S. Auguſtinus advertit *libro de correptione, & gratia, cap.15.* tum ut ipſi tantò magis pudefacti citiùs reſipiſcant, & curentur, juxta *cap.cùm non ab homine, de ſentent. Excomm.* Itaque Excommunicatio privat communione fidelium, non purè interna, ſed mixta, & externa, quod etiam ipſum nomen *Excommunicationis* innuere videtur, quod idem ſignificat, ac ſeparatio à communione, eò quòd homo excommunicatus ſeparetur à communione fidelium, & à participatione Sacramentorum, Euchariſtiæ præſertim, quæ per Antonomaſiam *Communio* appellatur.

#### §. II. *Excommunicatio Major.*

EXcommunicatio ex parte Boni, quo privat, propriè, & principaliter dividitur in *Majorem*, & *Minorem*, ex *capit. ſi quam 59. de Sentent. Excomm.* Excommunicatio Major deſcribi poteſt ex *Scoto citat.* quòd ſit *Cenſura Eccleſiaſtica, qua quis à communione fidelium ſimpliciter ſeparatur*. In qua deſcriptione, ratio diſtinguendi excommunicationem Majorem à Minore, continetur in Particula *Simpliciter*; per hanc enim denotatur, quòd excommunicatio Major privet omnibus Eccleſiæ Sacramentis activè, & paſſivè, omnibus illius ſuffragiis, aliaque fidelium communicatione, ut patebit ſingillatim ex dicendis de illius effectibus. Ex quo colligitur. I. Excommunicationem Majorem eſſe pœnam, qua *nulla Major in Eccleſia eſt*, ait S. Auguſtinus *lib.de corrept. & gratia, cap.15.* relatus in *cap. Corripiantur 24. quæſt.3.* Quare ad eam deveniendum non eſt, niſi poſtquàm monitionibus, ac aliis levioribus nihil obtineri poſſit juxta *Concil. Trident Sect.25.de Reformat. cap.3.* II. Quòd ſi nomen *Excommunicationis* abſolutè ponatur, accipiendum ſit pro *Majori* Excommunicatione, ſicuti expreſsè dicitur *cap.ſi quam, de Sentent. Excomm.* Quia vox abſolutè, & ſimpliciter prolata ſtat pro ſua ſignificatione ſimpliciter; ſola autem Major excommunicatio eſt talis ſimpliciter; cùm ſit totum includens non tantùm aliquam privationem, puta ſuſceptionis Sacramentorum, ſed & aliorum. Excipe: *niſi ex circumſtantiis aliud colligi debeat*: III. excommunicationem Majorem in ſacris Canonibus ſubinde vocari *Mucronem Epiſcopi, nervum Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, Anathema*, adeò, ut Anathema non eſſentialiter, ſed tantùm accidentaliter, differat ab Excommunicatione Majo-

Majori, videlicet in hoc, quòd Anathema feratur majori cum ſolemnitate, quàm vulgaris excommunicatio Major: ſolemnitas autem Anathematis præſcribitur *Canone, Debent*. 106. *Cauſa* 11. *q*. 3. his Verbis: *Debent duodecim Sacerdotes Epiſcopum circumſtare, & lucernas ardentes in manibus tenere, quas in concluſione Anathematis, vel excommunicationis projicere debent in terram, & conculcare pedibus: Deinde Epiſtola per Parochias mittatur continens excommunicatorum nomina, & cauſam excommunicationis.*

### §. III. *Excommunicatio Minor*

66 E*St cenſura Eccleſiaſtica privans hominem participatione Sacramentorum*. Communis *ex cap. penult. de Sent. excom.* Et quia materia hujus prohibitionis gravis eſt, ideò graviter, ſeu mortaliter peccat, qui tali cenſura ligatus, abſque juſta neceſſitate, Sacramentum Confirmationis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Ordinis, Matrimonii, vel Extremæ Unctionis ſuſcepit; licèt ob id nullam irregularitatis notam contrahat, ſicuti habetur expreſsè *capit. ultim.* de *Clerico excommunicato miniſtrante*. Atque hic unicus eſt Minoris excommunicationis effectus proximus, per ſe, & directus. Alii verò duo ſunt indirecti, remoti, & per conſequentiam. Quorum primus eſt, quòd minori excommunicatione irretitus peccat ſaltem venialiter, ſi ſine neceſſitate Sacramenta miniſtret, ſicut docent *Medina, Covarruvias, Avila, Suarez* apud Layman *libr.* 1. *tract.* 5. *parte* 2. *cap.* 3. *numer.* 4. idque propter quandam irreverentiam; quia indecens eſſe videtur, excommunicatum adminiſtrare Sacramentum aliquod, cùm ipſi ſuſceptio Sacramentorum tamquam indigno prohibita ſit. Accedit, quòd *in cap. ult. cit. de Clerico excommunicato miniſtrante* dicatur de exiſtente in minori excommunicatione; *Peccat autem conferendo Sacramenta; ſed ab eo collata, virtutis non carent effectu; cùm non videtur à collatione* (per ſe, & directè) *ſed participatione Sacramentorum remotus*. Alter effectus Minoris excommunicationis indirectus eſt, quòd ea ligatus ad Beneficium Eccleſiaſticum eligi non debeat, ſed electio infirmanda ſit juxta *citat. cap. ult. de Clerico excomm. miniſtrante*, ubi dicitur: *Si ſcienter talis electus fuerit, ejus electio eſt irritanda*; & ratio adjungitur: *Pro eo, quòd ad ſuſceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione à SS. Patribus eſt privatus*, ideſt, quia Beneficium Eccleſiaſticum ſuapte Inſtitutione ordinatur ad Sacros Ordines ſuſcipiendos, vel Miſſam celebrandam &c. à quibus tamen Minori excommunicatione affectus repellitur. Quare idem eadem ratione, dicendum eſt de præſentatione, & collatione Beneficii, ſicuti docent DD. fermè communiter apud Richardum *in* 4. *diſt.* 18. *art.* 7. *qu.* 4. Covarruviam, Sanchez, Avilam, & Layman *citat. numer.* 5. Et cenſeri debet peccatum mortale, ita excommunicatum, ſcienter ad Beneficium eligere, vel præſentare, quia eſt res gravis; ſicut etiam teſtatur Avila apud *Layman citat.* An verò electio Minori excommunicatione affecti, *ignoranter* facta, etiam ſit irritanda? Diſputant Doctores in utramque partem probabiliter apud *Layman citat.*. *Cauſa*, ob quam incurritur excommunicatio Minor, eſt, ſi quis communicet cum excommunicato non tolerato, ſine juſta cauſa, etiam leviter tantùm, & in rebus civilibus, etiamſi tantùm venialiter peccet, prout deciditur *cap. à nobis de except. cap. Statuimus, de Sentent. excommun. in* 6. Licèt enim excommunicatio Minor privet receptione Sacramentorum, tamen non cenſetur pœna gravis, cùm à quovis Confeſſario auferri poſſit, & conſequenter etiam ob culpam venialem poteſt infligi. *Denique* à Minori Excommunicatione, in foro externo quilibet Ordinarius Eccleſiaſticus Judex abſolvere poteſt. *Layman citat. numer.* 6. In foro autem interno poteſt abſolvere quilibet, qui poteſt abſolvere à mortalibus; nam *capit. nuper. de Sentent. excomm.* dicitur, taliter excommunicatum poſſe abſolvi à proprio ſacerdote, qualis in hac materia intelligitur, qui poteſt abſolvere à mortalibus. Ita *Sotus, Sylveſter, Covarruvias, Avila, Suarez*, apud *Layman citat. numer.* 6. Imò non deſunt DD. inter quos *Navarrus, & Toletus*, exiſtimantes, quemvis ſimplicem ſacerdotem abſolvere poſſe ab excommunicatione Minori, quæ ob venialem culpam contracta fuit. Sed alii rectiùs id negant *Richardus, Medina, Cajetanus*. Quia abſolutio Sacramentalis à peccatis, & abſolutio à cenſuris valdè ſunt diverſæ; & illa quidem ad forum internum pœnitentiæ pertinet; hæc verò ad forum externum, & contentioſum, quæ proinde nemini competere poteſt, niſi vel in foro externo juriſdictionem obtineat, vel ipſi à jure, vel ab homine talis poteſtas ſit commiſſa. Non legimus autem à jure commiſſam cuivis, etiam ſimplici ſacerdoti, ſed ſolùm proprio ſacerdoti: quo nomine in hac materia intelligitur non tantùm, qui ordinariam juriſdictionem habeat ad abſolvendum à mortalibus peccatis, ſed etiam, qui delegatam, ſicut colligitur *ex cap. omnis utriuſque de Pœnit. & Remiſſ.*

### §. IV. *Excommunicatus Toleratus, & non Toleratus.*

67 C*Um* præcipuus excommunicationis effectus ſit, excluſio à communione fidelium, ſeu Baptizatorum; ut & ipſi excommunicato prohibitum ſit, cum reliquis fidelibus in ſpiritualibus ſeu profanis negotiis communicare, & fideles quoque eundem vitare teneantur, ideò neceſſe eſt explicare, quouſque ſe prohibitio iſta extendat. Itaque ſciendum eſt, *antiquo Jure* omnes omninò excommunicatos fuiſſe vitandos, eo tamen diſcrimine, ut ſi excommunicatio publicè nota fuiſſet, publicè etiam vitarentur; ſin verò publicè nota non eſſet, privatim tantùm vitarentur, ſicuti conſtat ex *cap. cùm non ab homine, de Sentent. excommunic. poſtea* tamen in Concilio Conſtantienſi, circa Annum Domini 1414. celebrato, ad Schiſma inter tres Pontifices tollendum, Eccleſiæque pacem reddendam, edita eſt conſtitutio, quæ incipit: *Ad evitanda*, poſteà confirmata à Martino V. legitimo Papa, & à Leone X. in Concilio Lateranenſi, quæ declarat, quòd ſolùm nominatim excommunicati, & publicè denuntiari, atque notorii Clericorum Percuſſores ſint vitandi. Conſtitutio ſic habet: *Ad evitanda animarum pericula ſtatuit S. Synodus, ut nemo deinceps quempiam ratione alicujus ſententia, aut Cenſura Eccleſiaſtica à jure, vel ab homine generaliter promulgata, in Sacramentorum adminiſtratione, receptione, aut aliis quibuſcunque rebus Divinis, vel externis vitare, aut interdictum obſervare teneatur, niſi ſententia, vel Cenſura hujuſmodi contra certam Perſonam, Collegium, Eccleſiam &c. ſpecialiter à Judice publicata, vel denunciata fuerit: excepto eo, qui ob Sacrilegam Manuum injectionem in Clericum, Excommunicationem Canonis notoriè incurrit, ut factum ejus nulla tergiverſatione celari, & nullo juris ſuffragio excuſari poſſit: nam ab hujuſmodi, etiam non denuntiati communione abſtinendum.* Poſteà verò ſubjungitur; *Per hac autem non intendimus, ipſos excommunicatos, ſuſpenſos, interdictos in aliquo ſublevare, vel quomodolibet eis ſuffragari.*

68 Ex hæc conſtitutione ſequitur. I. Ad hoc, ut aliquis ſit excommunicatus vitandus, ſeu non toleratus, requiri, ut vel ſit *nominatim*, hoc eſt, expreſſo proprio nomine, vel æquivalentibus ſignis ipſam perſonam in individuo exprimentibus, *excommunicatus*, & inſuper à Judice, vel Superiore ſuo *publicè talis denuntiatus*, ut patet *ex conſtitutione citata*; vel ſit *notorius percuſſor Clerici*; ita quidem, ut talis percuſſio nulla tergiverſatione celari, & nullo juris ſuffragio excuſari poſſit; ut iterum patet ex *conſtitut. citat.* Hinc, ut percuſſor Clerici dicatur notorius, & ante denuntiationem vitandus, hodie non ſufficit *Notorium juris*, ſed requiritur *Notorium facti*: ſicuti docet *Covarruvias, Avila, Layman citat. capit.* 4. *numer.* 2. quia hoc nulla tergiverſatione celari poteſt. Porrò Notorium facti debet eſſe *publicum*: quare ſi quis Clericum, te aliiſque tribus, aut quatuor teſtibus præſentibus, in domo privata percuſſit, non erit ille tibi, aliiſque tribus, ne privatim quidem evitandus; quia licèt factum ſit notorium; non tamen abſolutè notorium ſive publicum exiſtit, ut nulla tergiverſatione celari poſſit, ſicut docent *Navarrus, Gomez, Avila*, apud *Layman cit.* imò etſi factum ſit publicum, ſi tamen percuſſor aliqua probabili ratione ſe defendere poſſit, quo minùs excommunicationem contraxiſſe videatur, in hoc caſu adhuc non eſt vitandus propter verba Conſtitutionis cit: *Et nullo Juris ſuffragio excuſari poſſit*. II. Sequitur, quòd ſi quis in Germania ſit nominatim excommunicatus, & publicè talis denuntiatus, fugiat ante abſolutionem in Italiam, ibi non ſit vitandus. Ita *Sanchez, Avila, Caſtro-Palaus, Krimer*, & Alii apud *La Croix lib.* 7. *nu.* 275. Ratio eſt: quia ex hoc, quod ſit publicus denuntiatus in uno loco, non ideò eſt publicus denuntiatus in alio, Conſtitutio autem Concilii non dicit, qualemcunque, ſed publicè denunciatum eſſe vitandum. Idem dicendum de percuſſore Clerici alicubi notorio, is enim alibi, ubi ejus crimen incognitum eſt, publicè evitari non poteſt, occultè verò evitari non debet, ſecundùm probabilem ſententiam apud *Avilam*, inquit *Layman citat. nu.* 3. Ratio eſt: quia percuſſor Clerici notorius eſt vitandus, ſed talis ut ſupponitur, in Italia non eſt notorius, ergo nec ibi eſt vitandus. III. Sequitur, ex hac Conſtitutione, Collegium, Eccleſiam &c etiam excommunicatione per ſententiam ſpecialem ab homine feriri poſſe, ibi: *Niſi ſententia, vel cenſura hujuſmodi contra certam perſonam, Collegium, Eccleſiam &c.*

ſpe-

Digitized by Google

*ta, vel denunſiata fuerit*. Quod intellige, ſi præmiſſo examine exploratum fuerit, omnes, & ſingulos è communitate, vel Collegio delicti participes, & in eo contumaciter perſiſtentes eſſe, tunc enim in omnes ſingillatim, ac determinatè, præmiſſa monitione Canonica, excommunicatio ferri poteſt, uti colligitur *ex cap. Romana, de ſentent. excommun. in 6.* Si verò in aliquo Collegio, vel communitate ſint aliqui Innocentes, ſicut ordinarie ſunt, tunc in totam communitatem, vel Collegium ſententia excommunicationis proferri non poteſt, ut clarè patet ex *cap. cit. Romana*. Vide dicta ſuprà *hoc cap. ſect. 1. qu. 2. num. 17.* Sequitur IV. Reliquos excommunicatos, qui non ſunt denuntiati, nec notorii Clericorum Percuſſores, fideles non teneutur vitare, ſed cum eiſdem tam in ſacris, quàm profanis communicare poſſunt; ad id tamen minime obligantur, ſed ſine injuria etiam abſtinent, tum privatim, tum etiam publicè; dummodò eorum excommunicatio, vel publicè nota ſit, vel ſufficienter ab ipſis probari poſſit. Quare licitum eſt Judici, aut parti litiganti exceptione repellere Actorem, Advocatum, teſtem excommunicatum, Regularibus item, & Clericis recuſare imperium, ſeu Juriſdictionem Epiſcopi, Abbatis excommunicati; neque cogi poſſunt ſubditi, ut à Parocho excommunicato Sacramenta ſuſcipiant, ejus Miſſæ interſint, vel excommunicati Judicis ſeu in ſpiritualibus, ſeu in temporalibus Legi, ſententiæ, aut mandato pareant. Ratio eſt: quia Concilium Conſtantienſe, non ipſis excommunicatis, ſed ſolùm reliquis fidelibus favorem, & gratiam conferre voluit: *Quod autem ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum*, *Reg. 61. Juris in 6.* Et *nemo beneficio invitus uti cogitur*. *Argum. Reg. 96. ff.* Excipe: *niſi vel conſuetudo, vel ſpecialia fœdera alicujus Regionis aliud poſtulent*; qua ratione in Imperio, Lutherani a publicis Judiciis, & dignitatibus civilibus repelli non poſſunt. Vel *niſi interdum Lex naturalis Charitatis, Pietatis, aut obſervantia aliud poſtulet* in filiis reſpectu Parentum excommunicatorum neceſſitatem patientium &c. Denique etſi fideles communicando cum excommunicatis toleratis, ſeu non vitandis, numquam peccent contra Legem, ſeu cenſuram Eccleſiaſticam, quare neque Minorem excommunicationem ob id numquam contrahant, ſicut notavit Suarez, & Avila apud *Layman cit. num. 4.* Nihilominùs interdum peccare poſſunt contra Legem naturalem Charitatis; ſi abſque neceſſitatis ratione cum tolerato communicent, v. g. ſine neceſſitate, aut cauſa juſta petant Sacramenta à Miniſtro excommunicato, quem ſciunt ea nonniſi ſacrilegè adminiſtraturum. Vide, quæ habet P. Patritius Sporer *tract. 5. in 5. Præcept. Decal. cap. 1. ſect. 3. num. 76.* Ex quo etiam infertur, quòd licet in Concilio Conſtantienſi, nulla gratia directè facta ſit excommunicatis toleratis, ideòque ipſi peccent, ſi ſe fidelium communioni non requiſiti ingerant; indirectè tamen, & ipſis facta eſt, ne enim gratia, ſeu licentia aliis fidelibus facta communicandi cum excommunicato tolerato, inutilis, aut noxia ſit, neceſſe eſt dicere, etiam ipſi excommunicato tolerato ad communicationem legitimè provocato permiſſum eſſe communicare, imò interdum obligari; ut ſi Parochiani à Parocho excommunicato adminiſtrationem Sacramenti exigant; modo per eum non ſteterit, quominùs, ſi id fieri poſſit, ab excommunicatione, ante præſtitum officium abſolvatur. Ita *Layman cit. num. 6.*

## QUÆSTIO II.

*De primis quatuor effectibus excommunicationis majoris.*

### SUMMARIUM.

70 *Quid ſint communia Eccleſiæ ſuffragia?*
71 *His privatur excommunicatus vitandus, ſeu non toleratus,*
72 *Etiam contritus;*
73 *Non tamen toleratus, ſeu non vitandus.*
74 *Excommunicatio privat receptione Sacramentorum,*
75 *At etiam adminiſtratione eorundem;*
76 *Ideò Excommunicatis ſunt deneganda Sacramenta.*
77 *Quas pœnas incurrant excommunicati ſuſcipientes Sacramenta, & ea adminiſtrantes?*
78 *Excommunicatus nequit aſſiſtere Miſſæ ſacrificio.*
79 *An excommunicatus non procurans abſolutionem, & ideò non audiens Sacrum die Feſto, nec confitens, aut communicans tempore Paſchali peccet?*
80 *An teneatur recitare Horas Canonicas privatim?*
81 *An poſſit intereſſe Proceſſionibus, & facere benedictiones?*
82 *An poſſit ſepeliri in loco Sacro?*
83 *Quid faciendum, ſi fuiſſet ſepultus in loco Sacro?*
84 *Excommunicatus eſt incapax beneficii Eccleſiaſtici durante excommunicatione obtinendi.*
85 *Non autem antea obtinendi.*
86 *Quomodò poſſit acceptare beneficium?*
87 *An teneatur reſtituere fructus beneficii?*

## ASSERTIO II.

*Excommunicatio major privat excommunicatum communibus Eccleſiæ ſuffragiis, uſu activo, & paſſive Sacramentorum, Divinis Officiis, Eccleſiaſtica ſepultura, beneficiis Eccleſiaſticis, horum proventibus, & aliis dignitatibus*. Communis, ut patebit explicatione. 69

### §. I. *Excommunicatio major privat communibus Eccleſiæ ſuffragiis,*

I. Notandum eſt, quòd impoſterùm tantùm erit ſermo de *excommunicatione majori*: quia de minori nihil ampliùs reſtat dicendum. Per *communia* autem *Eccleſiæ ſuffragia* intelliguntur quædam ſubſidia ſpiritualia authoritate Eccleſiæ facta, quibus Eccleſia ſuos fideles, præſertim in ſpirituali neceſſitate conſtitutos juvare intendit, & revocantur ad tria capita; quæ ſunt *Sacrificium Miſſæ*, quod nomine totius Eccleſiæ offertur; *Indulgentiæ*, utpote depromptæ ex communi Theſauro Eccleſiæ; & tandem *Orationes publicæ*, in Proceſſionibus, Choro, vel aliàs nomine ipſius Eccleſiæ peragi ſolitæ. Itaque 70

II. Excommunicatus privatur communibus Eccleſiæ ſuffragiis. Ita decernitur *cap. à nobis eſt ſæpe, cap. Sacris, de ſentent. excomm.* & alibi. Hinc peccat graviter, qui excommunicato hujuſmodi ſuffragia applicat; cùm in re gravi traſgrediatur præceptum Eccleſiæ, quæ cenſetur prohibere ne quis excommunicato illa applicet; quia alio modo nequit excommunicatum illis privare. Ille tamen non peccat ullo modo, qui fundit preces privatas pro excommunicatis quibuſcumque, cùm id nullo Jure interdicatur; & preces ejuſmodi ſint independentes à diſpoſitione Eccleſiæ. Sub his precibus comprehenditur etiam *Memento in Miſſa* (de quo Vide P. Patritium Sporer *Theol. Sacram. part. 2. cap. 4. n. 277.*) item jejunia, aliaque pia opera, quæ propria cujuslibet nomine, & ex privata devotione aſſumuntur. Nec antedictis obſtat, quòd Eccleſia ordinet Miſſas pro reductione Hæreticorum, & Schiſmaticorum, qui ſunt excommunicati, atque directè, ſpecialiterque feria ſexta Paraſceves oret pro Hæreticis, & Schiſmaticis. Nam tales orationes directè, & per ſe fiunt pro ipſa Eccleſia, ſeu pro ejuſdem dilatatione, augmento, & unione; indirectè verò, & ex conſequenti pro Hæreticis, quatenùs redundat etiam in Bonum illorum, ſi convertantur. Porrò Eccleſia à ſua generali prohibitione excepit *feriam ſextam Paraſceves*, & hoc non ſpeciali ratione, videlicet tum ad imitationem Chriſti, qui illo die oravit pro ſuis Crucifixoribus; tum ad oſtendendum valorem mortis Chriſti, qui pro omnibus mortuus eſt: tum ut Eccleſia demonſtraret ſuum zelum animarum, quo omnes vellet ad unum ovile aggregare. 71

III. Imò Sbogar *tract. 77. num. 20.* Coninch. *diſput. 14. num. 49.* Layman *lib. 1. tract. 5. part. 2. num. 4.* Palaus, Sotus, Suarez, & alii, contra Maſtrium, Herman, Fabrum, Sayrum, Navarrum, & alios docent, non eſſe licitum, communia Eccleſiæ ſuffragia, excommunicatis, etiam contritis, nec habentibus occaſionem impetrandi abſolutionem ab hoc vinculo, applicare. Ratio eſt: quia *cap. à nobis, de ſentent. excomm.* Innocentius III. decidit, pro excommunicato defuncto, licèt ante mortem ſigna contritionis dederit, non eſſe oblationes recipiendas, nec orationes publicas fundendas, antequàm ab excommunicatione abſolvatur; quia tametſi ſit ſolutus vinculo culpæ apud DEUM, non tamen vinculo cenſuræ apud Eccleſiam; adeòque cenſura etiamnum ſuas operabitur effectus; quod *Sbogar cit.* infert ex propoſitione damnata ab Alexandro VII. ordine 44. *Quoad forum conſcientiæ, reo correcto ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ*; à qua doctrina parùm, vel nihil diſtant Adverſarii, dum dicunt, quod reo correcto per contritionem, excommunicatio ſaltem pro foro conſcientiæ nihil ampliùs operetur; & per conſequens perinde ſe habebit, ac ſi jam ceſſarit. 72

IV. Probabile tamen eſt, communibus Eccleſiæ ſuffragiis non privari excommunicatos toleratos; ſed tantùm vitandos, ſeu non toleratos. Ita Navarrus, Henriquez, Coninch. Sayrus, Hurtadus, & alii, apud Maſtrium *cit. qu. 2. num. 42.* Item Herincx *hic diſp. 6. qu. 2. num. 24.* Palaus *diſp. 2. punct. 9. numer. 9.* & alii ab his citati. Ratio eſt:

quia ex conceſſione Concilii Conſtantienſis ſuprà allati, fideles poſſunt communicare cum excommunicatis toleratis in rebus Divinis, & humanis: ergo etiam poſſunt pro ipſis offerre communia Eccleſiæ ſuffragia. Ex quo *Sequitur*. I. Sacerdotem Catholicum poſſe celebrare Miſſam pto hæretico, etiam pro ſtipendio, etiam ad ejus intentionem bonam, *v. g. in Honorem S. Antonii de Padua pro inveniendis rebus deperditis, pro recuperanda ſanitate &c.* II. Quod licet excommunicati ſive non tolerati, ſive tolerati, nequeant lucrari indulgentias, cùm ipſis, ut jam dictum, nulla ſit gratia facta per Concilium Conſtantienſe; nihilominùs, ſi aliqua indulgencia ſit applicabilis alteri, vivo, vel defuncto, tunc eam fidelis poſſet applicare excommunicato tolerato vivo, vel defuncto, ſi per contritionem perfectam ſe poſuiſſet io ſtatum gratiæ. La Croix *lib. 6. part. 2. num. 1354. & 1355. & lib. 7. num. 206.* Nec per hoc ſit directè ſavor excommunicatis, ſed potiùs hoc directè cedit in commodum fidelium, tam ſpirituale; quia per tale opus charitatis apud DEUM merentur; quàm temporale, propter ſtipendia, quæ inde percipere poſſunt. *Nec ſequitur*: quòd per hoc excommunicati tolerati ſint æqualis conditionis cum non excommunicatis: quia Eccleſia vult, ut publica ſuffragia aliis fidelibus ex communi intentione applicentur, etſi ea offerentes nullam eorum faciant ſpecialem mentionem: excommunicatis vero toleratis non vult, ut ſuffragia ex communi intentione applicentur, niſi fideles ſpecialiter hoc velint, & faciant. *Nec denique obſtat*, quòd de natura excommunicationis ſit, excludere excommunicatum à communibus Eccleſiæ ſuffragiis; hoc enim verum eſt, *quantum eſt de ſe*, & de natura excommunicationis, & ſi fideles nolint cum ipſo communicare, & pro eo offerre ſpecialiter ſuffragia Eccleſiæ, ſecùs vero, ſi velint, non ob favorem excommunicati, ſed fidelium, ut ſuprà dictum; quod claré patet ex Jure antiquo, & colligitur *ex cap non ab homine, de ſentent. excomm.* ubi non obſtante excommunicatione, poterant à fidelibus offerri, ſuffragia pro excommunicatis occultis, ut fatetur ipſe *Suarez*.

### §. II. *Uſu Activo, & Paſſivo Sacramentorum.*

74 I. CErtum eſt, excommunicatum etiam toleratum graviter peccare, per ſe loquendo (*niſi videlicet excuſet ignorantia invincibilis Juris, vel facti, aut periculum infamiæ, alteriuſvè gravis damni*) percipiendo quodcumque Sacramentum; quia id prohibetur innodato excommunicatione minori *ex cap. ſi quem, de ſentent. excomm.* & alibi; excommunicatio autem major habet effectus minoris, longéque plures juxta DD. communiter. Nihilominùs excommunicatus etiam non toleratus validè recipit Sacramenta Confirmationis, Eucharistiæ, Extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonii, excepto Pœnitentiæ Sacramento. Ratio eſt: quia ſupponuntur adeſſe omnia eſſentialia, ſcilicet debita materia, forma, intentio Miniſtri, ac ſuſcipientis. Dixi: *Excepto Pœnitentiæ Sacramento*; quia hoc ad validam ſui ſuſceptionem requirit diſpoſitionem pœnitentis, videlicet, verum dolorem, & propoſitum non peccandi; quæ in tali excommunicato non adeſt, eo ipſo, quòd in excommunicatione exiſtens, & ſcienter recipere volens Sacramentum, peccet mortaliter. Si tamen excommunicatus *bona fide* procederet, videlicet laborans ignorantia invincibili, vel *facti*, ut ſi invincibiliter non recordetur excommunicationis; aut ignoret ſe commiſiſſe delictum, cui excommunicatio annexa eſt; vel *Juris*, ut ſi invincibiliter ignoret abſolutioni à peccatis præquiri abſolutionem ab excommunicatione, & eliceret verum dolorem, ac propoſitum, abſolvereturque à peccatis, non præmiſſa abſolutione ab excommunicatione, valida eſſet abſolutio, cum onere tamen poſtcà petendi abſolutionem à cenſura, cùm ei innoteſcet. Ita *Coninch. Palaus, Maſtrius, Fillincius, Bonacina*, & pluribus citatis *P. Patritius Sporer Theol. Sacrament. part. 3. cap. 5. num. 633.* apud quem vide Rationem hujus ſententiæ.

75 II. Quantùm ad uſum activum, ſeu adminiſtrationem Sacramentorum, etiam certum eſt, excommunicatum, etiam toleratum, ſi memor excommunicationis adminiſtret Sacramenta, nec alia cauſa rationabilis eidem ſuffragetur, peccare mortaliter ob prævaricationem præcepti Eccleſiaſtici in re gravi, prohibentis excommunicato adminiſtrationem Sacramentorum. Ita communis Theologorum cum Doctore noſtro Subtili *in 4. d. 25. qu. 1.* apud Maſtrium *cit. qu. 2. art. 2. num. 45.* Nec minùs certum eſt, Sacramenta confecta à Miniſtro excommunicato, etiam non tolerato eſſe valida, *excepto pœnitentiæ Sacramento*, quia in aliis Sacramentis ad valorem non requiritur poteſtas Juriſdictionis, qua privatus eſt excommunicatus; ad Sacramentum verò Pœnitentiæ validè conficiendum requiritur poteſtas Juriſdictionis, cùm fiat per modum Judicii. Ex quo ſequitur, Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtratum ab *excommunicato non tolerato*, extra caſum neceſſitatis, eſſe invalidum; quia, ut modò dictum, ad valorem hujus Sacramenti deſideratur in miniſtro non tantùm poteſtas Ordinis, ſed & Juriſdictionis, qua excommunicatus non toleratus, eſt privatus; in mortis tamen articulo conſtitutum excommunicatus non toleratus validè abſolvit, ſaltem ſi deficiat copia alterius Sacerdotis. Ita P. Patritius Sporer *Theol. Sacram. part. 3. cap. 6. ſect. 1. num. 723. quem vide*. Dictum eſt: *Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtratum ab excommunicato non tolerato, extra caſum neceſſitatis eſſe invalidum*: nam Sacerdos excommunicatus toleratus, *poſt Concilium Conſtantienſe*, validè adminiſtrat hoc Sacramentum; quia hoc ipſo, quòd Eccleſia illum toleret, fidelibus indulgendo communicationem cum illo in recipiendis ab eo Sacramentis, debet in illo relinquere Juriſdictionem, qui quidem favor indirectè reſultat in commodum ipſius excommunicati; eo tamen Eccleſia per ſe, directè, & immediatè intendit ſuccurrere fidelibus, ut ſuprà jam dictum. Ex quibus *ſequitur I.* excommunicatum non toleratum, ſi adminiſtret Sacramentum Pœnitentiæ in caſu neceſſitatis, v. g. articulo mortis, non peccare contra præceptum Eccleſiæ; cùm pro tunc Eccleſia eidem non interdicat miniſterium iſtud, ſed magis præcipiat, ne infirmus æternæ damnationis periculo exponatur. Similiter, ſi infirmus non potuit ſuſcipere Sacramentum Pœnitentiæ, poteſt talis illi adminiſtrare Euchariſtiam, vel Extremam Unctionem; imò etſi infirmus fuiſſet Sacramentaliter abſolutus, adhuc licitè ei præbetur à tali Euchariſtia ſaltem. Ratio horum deſumitur ex infirmi neceſſitate, & indigentia, Eccleſiæque tamquam Piæ Matris præſumpta benigna voluntate. *Sequitur II.* excommunicatum toleratum licitè adminiſtrare Sacramenta, modò ſe non ultroneè immiſceat, ſed ab ipſo petantur. Patet ex conſtitutione Concilii Conſtantienſis ſuprà adducta. *Si dicas*; talem excommunicatum poſſe alios inducere, ut à ſe petant Sacramenta, vel ut pro ſe offerant Eccleſiæ ſuffragia; nam ad id licitè alterum induco, quod is à me poteſt licitè petere. Reſpondeo, quòd aſſumptum cum probatione univerſaliter non ſit verum; nam ob cauſam utilitatis propriæ, vel alienæ poſſum petere licitè mutuum ab uſurario parato dare ſub uſuris; nec tamen uſurarius poteſt me licitè invitare, ut taliter ab eo petam, &c. Cæterum ſufficit in propoſito, ſi fideles ſaltem tacitè, & interpretative petant Sacramenta, vel celebrationem Miſſæ à Sacerdote excommunicato tolerato. Imò non deeſt caſus, in quo Sacerdos excommunicatus in defectu alterius, poſſet imò teneretur infirmum ſalutis propriæ incurium inducere ad ſuſcipienda à ſe Sacramenta; ad hoc enim ipſum obligaret charitas proximi. Ex ſuprà dictis.

III. Infertur, miniſtros Eccleſiæ eſſe obligatos ad denegandum Sacramenta excommunicatis vitandis, ſeu non toleratis, ex *cap. cùm deſideres, cap. ſignificavit, de ſentent. excommun.* Secùs facientes ultra peccatum mortale, excommunicationem incurrunt, & ab ingreſſu Eccleſiæ interdicti ſunt *cap. Epiſcoporum, de privil. in 6.* Si quis excommunicato, & denuntiato à Papa, aliquod miniſtret, majorem contrahit excommunicationem Papæ reſervatam *cap. ſignificavit, de ſentent. excommun.* Denique ſi excommunicato propter hæreſim, vel illius fautoriam aliquod miniſtret, officio privandus, nec reſtituendus ſine indulto Sedis Apoſtolicæ decernitur *cap. excommunicamus, de Hæret.* Loquendo vero de aliis excommunicatis toleratis, *ex vi cenſura* quis non obligatur ad deneganda illis Sacramenta, ut ex dictis patet; ſi tamen quis ſciat illos nondum eſſe abſolutos à cenſura, tenetur ea denegare illis ex *vi Sacramenti*; ne eidem fiat irreverentia per indignam ſuſceptionem, adeoque debet denegare, ſi poſſit abſque alterius infamatione, ut docet P. Patritius Sporer *Theol. Sacrament. p. 1. cap. 3. ſect. 5. num. 186.* 76

IV. Hic etiam advertendum, excommunicatum ob indignam ſuſceptionem Sacramenti non fieri reum alicujus pœnæ; cùm nulla in jure ſit decreta, & expreſſa. Excipitur tamen *Sacramentum Ordinis*; hoc enim ſi recipiat excommunicatus, ſuſpenditur ab exercitio Ordinis, quem ſuſcepit, per *cap. cùm illorum, de ſentent. excommun.* & notat præterea *Bonacina* ex *Suarez* & aliis, talem ſi ſuſcipiat Ordines Sacros, incurrere irregularitatem. Qui verò illicitè, ratione ipſius excommunicationis, miniſtrant Sacramenta, quæ ad ſui collationem requirunt, exerci- 77

tium

Digitized by Google

tium Ordinis, incurrunt irregularitatem, ſive ſint excommunicati vitandi, ſive non. Colligitur *ex cap. fin. de Cler. excomm miniſtr.* quod etiam dicendum eſſe de excommunicato vitando, dum invalidè abſolvit, communis tenet modò ſententia; eò quod ſecundùm modum loquendi communem, Sacramentum dicatur adminiſtrare, quamvis illud invalide miniſtret.

Denique quantum ad Sacramentalia dicendum, ea etiam ab excommunicato vitando confecta, veluti ſunt conſecrationes, & benedictiones ab Eccleſia Ordinatæ, valere, quia eorum valor de facto non à Juriſdictione, ſed à poteſtate Ordinis dependet.

### §. III. *Divinis Officiis, & Eccleſiaſtica ſepultura.*

78 I. Certum eſt, excommunicatum à Divinorum Officiorum celebratione, illorumque aſſiſtentia excluſum eſſe, uti inſinuatur *cap. ſignificavit, de ſentent. excomm. & c. Alma mater cod. tit. in 6.* Inter Officia Divina primum locum obtinet *Miſſa Sacrificium*: cui proinde, ſi interſit excommunicatus, peccabit mortaliter: cum hac tamen differentia, quòd ſolus excommunicatus non toleratus, ſi ſit in Eccleſia, tempore Miſſæ debeat expelli, & Sacerdos debeat ſiſtere in Miſſa, donec expellatur. Si autem nequeat expelli debet Sacerdos (ſicut, & populus) recedere ab Altari, etſi ſit in Canone, modò ſit ante verba conſecrationis, juxta *Avilam, & Suarez* apud *Layman cit. cap. 2. num. 6.* Quòd ſi conſecratio eſſet incepta, vel peracta, Sacerdos uſque ad calicis ſumptionem incluſivè, debet peragere Miſſam, quia integritas Sacrificii eſt de jure Divino, quod præponderat Eccleſiaſtico; & peracta ſumptione debet recedere ab Altari, ac reliqua ſupplere in Sacriſtia. Alii tamen omnes, præter Altaris miniſtrum, recedere coguntur, quia cum excommunicato non tolerato in ſacris Officiis communicare non licet. Debent tamen hæc intelligi de Sacrificio Miſſæ comparatione ejus duntaxat Altaris, cui excommunicatus aſſiſtere præſumit; nam interim nihil obſtat, quominùs in aliis Altaribus Miſſa peragatur, præſentibus etiam fidelibus, ſicut notavit *Suarez,* apud *Layman citatum*. Excommunicatum autem toleratum non tenentur fideles è templo expellere, nec cum vitare in audienda Miſſa, quia fidelibus per Concilium Conſtantienſe conceſſum eſt communicari cum excommunicatis toleratis: Imò *Gobat* apud *La Croix lib. 3. p. 1. num. 613.* cenſet Hæreticos in Germania non peccare, adeundo Eccleſiam Catholicam tempore Miſſæ, tum quia non putant eſſe excommunicatos: tum quia per talem aditum diſponuntur ad converſionem.

79 II. Utrùm excommunicatus, ſi in procuranda abſolutione negligens ſit, peccet etiam contra Eccleſiaſticum præceptum de audienda Miſſa, annua confeſſione, & communione Paſchali, ad quod probabiliter reſpondetur. I. Cum Navarro *cap. 21. num. 3.* Suarez *tom. 3. diſp. 88. ſect. 6.* Layman *cit. num. 2.* Non peccare contra præceptum audiendæ Miſſæ. Ratio eſt, quia quamdiù in excommunicatione eſt; Miſſam audire non debet: ſed neque ratione præcepti obligatus videtur, ut ſe diſponat, & impedimentum tollat: cùm ea diſpoſitio valdè remota ſit: quemadmodùm nec is, qui ſua culpa in vinculis detinetur, contra præceptum de Miſſa audienda die feſto, delinquit. Reſpondeo II. Excommunicatum voluntariè in excommunicatione perſiſtentem, peccare contra præcepta, etiam quatenùs Eccleſiaſtica ſunt, ſuſcipiendi Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ. Ita *Navarrus cap. 21. n. 34. Suarez cit. & Laym. cit. num. 3.* contra Avilam. Ratio eſt, quia hæc præcepta per ſe obligant ad mundandam conſcientiam & conſequenter ad tollenda vincula, tum peccatorum mortalium, tum etiam excommunicationis.

80 III. Poſt Miſſæ Sacrificium alia ſunt, quæ computantur inter Officia Divina, præcipuè *publica recitatio horarum Canonicarum*. Excommunicatum hac privari, conſtat ex multis textibus Juris Canonici, in quibus excomunicato generaliter interdicitur aſſiſtentia Divinorum Officiorum. Nihilominùs privatim poteſt recitare horas Canonicas, imò etiam tenetur, ſi aliunde ſit adſtrictus titulo Profeſſionis, Ordinis, vel Beneficii, quia nulla eſt cauſa excommunicatum in hoc relevandi: ſiquidem privata recitatione non cenſetur cum aliis fidelibus communicare, neque oppoſitum Eccleſia ullibi conſtituit. Nec obſtat, quod excommunicatus Beneficiatus, ſtante excommunicatione, non percipiat fructus beneficii: Nam ſua culpa privatus eſt fructibus beneficii, conſequenter à recitatione horarum Canonicarum non eximitur, cùm titulus beneficii adhuc perſeveret, & *damnum, quod quis ſentit ſua culpa, ſibi imputare debet. Reg. 86. de Reg. Jur. in 6.* Ne vero tunc convincatur cum aliis communicare: plures putant, loco *Dominus vobiſcum*, teneri ſaltem ſub veniali dicere: *Domine exaudi orationem meam*: ſunt tamen, qui in hoc nullam agnoſcunt culpam: eò quòd illorum verborum prolatio abſentibus aliis fidelibus, non ſit cum illis communicatio, ſed privata pro illis oratio: uti neque initium matutini ſub his verbis: *Venite, exultemus Domino, &c.* cenſetur communicatio cum aliis. Poſſitne autem talis ſocium ad recitationem horarum Canonicarum adhibere? deciſum eſt negativè *can. excommun. 11. qu. 3.* quia aliàs in Divinis communicaret cum illo, quod etiam poſt Concilium Conſtantienſe manet prohibitum. Si tamen adhibeat, peccabit tantùm venialiter; cùm ea communicatio levis, quia fit privatim.

*Ulteriùs* excommunicatus ſub mortali prohibetur aſſiſtere proceſſionibus, facere benedictiones, conſecrationes, vel ſimiles cæremonias, quæ ex Eccleſiæ, vel Chriſti inſtitutione à Miniſtris ad id ordinatis ſolemniter fiunt, uti eruitur ex variis juribus, & quia excommunicatus in ſacris illicitè communicat cum aliis. Non tamen privatur excommunicatus omni uſu rerum ſacrarum, quia poteſt privatim recitare Divinum Officium, ut jam ſuprà dictum, poteſt etiam ingredi templum, privatim, & ſeparatim ab aliis orare, poteſt uti ſacris imaginibus, & Sacramentalibus, quatenùs deſerviunt privatæ devotioni, quia excommunicatus nullibi arcetur ab ingreſſu materiali templi: unde ejectio excommunicati, cujus executio præcipitur Oſtiariis in jure, non eſt ejectio ab Eccleſia materiali, ſed formali, id eſt, à cœtu, & participatione fidelium. Ita *Palaus, Bonacina*, & Alii. Imò excommunicatus, ſive toleratus, ſive vitandus licitè intereſt concioni, ex *cap. Reſponſo, de ſentent.* Denique licitum eſt excommunicato tolerato concionari, aliis fidelibus id requirentibus, ut ſuprà. 81

IV. Excommunicatus nec in vita, nec poſt mortem abſolutus, privatur Eccleſiaſtica ſepultura: *ex cap. ſacris, de ſepul.* ibi: *ſacris eſt Canonibus inſtitutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis.* Quo fit, ut excommunicatis toleratis concedi poſſit ſepultura Eccleſiaſtica, ſi ante mortem ſigna contritionis exhibuerint, quia cum talibus poſſumus communicare in vita ex Concilio Conſtantienſi citato: ergo etiam poſt mortem. Ita *Andreas à Matre DEI, n. 73. Cominch. n. 45. Palaus, nu. 12. Layman citat. cap. 4. n. 9.* & alii, licèt non pauci deſiderent eo caſu abſolutionem, quando excommunicatio eſt publica, ut Engel, Herincx, Reiffenſtuel, &c. quòd ſi talis excommunicatus impœnitens deceſſerit, v. gr. Hæreticus in hæreſi formali, ſacra ſepultura prohiberi debet, non ob cenſuram præcisè, ſed ob peccatum mortale, in quo notoriè deceſſit, & ob id orationum, & ſuffragiorum Eccleſiæ incapax eſt: *Subdit tamen Layman citat.* Verum tamen eſt, quod in quibuſdam Germaniæ locis, quibus cum Catholicis Lutherani permixti vivunt, diuturna conſuetudine permittitur, ut hi in locis ſacris ſepeliantur à miniſtris ſuis; ſi tamen poſſibile eſſet, talis conſuetudo tolli deberet, atque curandum ut Catholici ſeparatim ab Hæreticis ſepulturæ locum ſacrum retinerent. Id verò minus dubitationis continet, quòd ejuſmodi hominum funera cognati, & amici Catholici comitari ſolent: tum quia talis cooperatio ad ſepulturam valdè remota, & materialis eſt, ideòque ejuſmodi comitantes nomine ſepelientium non comprehenduntur, ſicuti docet *Gloſſa in Clement. 1. verbo: ſepelire, de ſepultur.* Navarrus *c. 27. n. 137.* Tum quia talis comitatus cognationis, aut neceſſitudinis cauſa præſtitus, potiùs ad politicam communicationem ſpectat. Hucuſque *Layman citat.* 82

*Quæres*: Quid faciendum, ſi excommunicatus vitandus ſepultus fuerit in loco ſacro? *Reſ. in c. Sacris, de ſepulturis* 83
præcipi, ut oſſa illius, ſi ab aliorum oſſibus diſcerni poſſint exhumentur, & foras projiciantur. Eccleſia verò, vel cæmeterium, utpotè polluta reconcilianda ſunt. Nec poterunt in tali loco ante reconciliationem Officia Divina celebrari, vel fidelium corpora ſepeliri. Si verò excommunicatus hujuſmodi, ante mortem dederit ſigna Pœnitentiæ, abſolvendus eſt, priuſquàm ſepeliatur: ſi autem jam ſit tumulatus, non eſt exhumandus, ſed abſolvendus, petita priùs abſolutione ab Hæredibus, ut docent *Andreas à Matre DEI nu. 74. & Herincx hic num. 31.*



Digitized by Google

### §. IV. *Beneficiis Eccleſiaſticis, horum proventibus, & aliis dignitatibus.*

84 I. **E**Xcommunicatus eſt incapax beneficii Eccleſiaſtici, etiam toleratus, neque eidem ſuffragatur in hoc ignorantia invincibilis de excommunicatione contracta, vel nondum ſublata. Ita communior apud Palaum, Andream à Matre DEI, Filliucium, Coninch. Layman cit. *cap. 2. nu.* 7. qui citat etiam *Covarruviam*, *Henriquez*, *Garziam*, *Suarez*, *Avilam*, *Leſſium*, *&c.* Ratio eſt: quia *cap. poſtulaſtis, de Clerico excomm. miniſtr.* dicitur: *cum excommunicatis communicari non debeat, Clericis excommunicationis vinculo innodatis, Eccleſiaſtica beneficia conferri non poſſunt, nec illi valent ea retinere licitè, niſi forſitan cum eis fuerit miſericorditer diſpenſatum, cùm ea non fuerint Canonicè conſecuti.* Patet proinde, præſentationem, & collationem, inſtitutionem, & confirmationem excommunicato factam eſſe ipſo Jure nullam, & irritam; & meritò, ſiquidem excommunicato prohibitum eſt Officium Eccleſiaſticum exercere, & cum fidelibus communicare: ergo Jure excluditur à Beneficio Eccleſiaſtico, quòd exigit Officii Eccleſiaſtici uſum, & communicationem. Quod etiam de *Excommunicato tolerato* intelligendum eſſe, indè liquet; quia conſecutio beneficii Eccleſiaſtici directè concernit favorem Beneficiarii, qualem tamen non intendit excommunicato etiam tolerato conſerre Concilium Conſtantienſe ſuprà cit. Ergo ſicut talis vi juris communis eſt incapax, eadem quoque incapacitas perſeverat in illo poſt Concilium cit. & conferens, eo caſu, peccat contra Jus Divinum, dum confert Beneficium indigno; neque inhabilitatem excommunicati Jure introductam tollere poteſt. Denique quòd *ignorantia invincibilis* in hoc caſu non ſuffragetur excommunicato, indè deſumitur, quòd, licèt ignorantia invincibilis obligationis, aut præcepti excuſet à culpa, & pœna inde reſultante; ignorantia tamen contracti impedimenti, ſeu inhabilitatis aliquem non poteſt reddere habilem; adeóque ſicut ignorantia cenſuræ contractæ, hanc non tollit, ita neque inhabilitatem à cenſura provenientem. Ceterùm, qui bona fide Beneficium accepit, eique deſervivit, licèt poſteà impedimento cognito teneatur illud derelinquere, fructus tamen ſuæ congruæ ſuſtentationi debitos, vel quos bona fide abſumpſit, neque inde ditior factus eſt, reſtituere non cogitur. *Layman cit.* Apud quem *Suarez*, & *Henriquez*, monent, dictam inhabilitatem etiam extendendam eſſe ad quodvis munus, vel dignitatem Eccleſiaſticam, præter Papalem, v. gr. munus Legati Apoſtolici, Inquiſitoris, Epiſcopalis adminiſtratoris, Prælati Ordinis; item ad munus eligendi, Beneficia conferendi &c. Quia prohibito exercitio actus cenſetur prohibitum illud omne, per quod pervenitur ad illum actum. Exinde

85 II. Infertur I. excommunicatum eſſe incapacem beneficii Eccleſiaſtici durante excommunicatione obtinendi, non autem anteà obtenti; cùm nullo Jure conſtat, excommunicatum eſſe inhabilem ad beneficia recepta; quia potiùs *cap. Paſtoralis, de Appell.* ſupponitur, quòd talis, manente dominio beneficii, privetur proventibus. II. Collationem quoque Officii Eccleſiaſtici, & ſæcularis, habentis annexam Juriſdictionem, excommunicato factam non ſubſiſtere. Ratio eſt: quia prohibito uno cenſetur prohibitum id, per quod ad illud pervenitur. *L. Oratio ff. de Sponſal.* Sed excommunicato utriuſque dignitatis actus prohibetur: ergo & prohibitum eſt ei, pervenire ad huiuſmodi dignitatem. Ita *Hugolinus*, *Sayrus*, & *Bonacina*. Multi tamen tenent oppoſitum de promotione ad Officia ſæcularia. III. Infertur, te non acquirere beneficium tibi tempore excommunicationis collatum, licèt illud jam abſolutus acceptes; quia invalidè acceptas, ob nullitatem collationis; quæ ſicut ab initio fuit nulla, ita neque tractu temporis convaleſcit, argum. *cap. Non firmatur, de Reg. Juris in 6.* proindè opus eſt nova collatione. Nihilominùs *Layman citat. num. 7.* ait: Probabile tamen eſt, ſi facta collatione excommunicato, ſuſpenſo, &c. antequàm is acceptet, à cenſura abſolvatur, acceptionem validam fore, dummodò intereà collator conferendi voluntatem non mutavit, ſicut docet *Leſſius lib. 2. cap. 34. num. 119.* IV. Si eligaris ad beneficium tempore, quo habilis es, acceptes verò, dum excommunicatione ligatus es, valida eſt tua acceptatio. Ita *Palaus*, *Andreas à Matre DEI*, *Sayrus*, *Bonacina*, *Diana*, & Alii. Ratio eſt: quia acceptatio beneficii non eſt actus Juriſdictionis, ſed quædam actio particularis facta à Perſona privata, quæ non poteſt ſe eligere, aut ſibi beneficium conferre; ſolùmque eſt ſignificatio ſuæ voluntatis circa beneficium ſibi collatum: At, poſt factam collationem poteſt ſuam voluntatem explicare circa illud, quod excommunicato non prohibetur: ergo &c. Idque conſuetudinem, ac praxim Rotæ ita obſervare, teſtatur *Covarruvias* apud *Andream à Matre DEI*.

86 III. Itaque excommunicatus, dum ipſi confertur beneficium debet ſe alio honeſto titulo excuſare; ſi id non poſſit, & ex manifeſtatione excommunicationis immineret periculum ſcandali, vel infamiæ, interim acceptet beneficium, & quamprimùm diſpenſationem, quæ æquivalet legitimæ collationi, ſecretò petat à S. Pœnitentiaria, quando collatio beneficii ſpectat ad Sedem Apoſtolicam: aliàs ab Ordinario, ſi collatio ad iſtum ſpectet, ut colligitur ex *cit. cap. Poſtulaſtis, de Clerico excomm. miniſtr.*

87 IV. Conveniunt DD. quòd ſi excommunicatus poſſideat beneficium aliquod, illum teneri ex naturali Juſtitiæ æquitate ad fructuum reſtitutionem, quando Officium Beneficio eſt annexum, neq; per ſe neque per alium præſtat: quia dantur tamquam merces operis. Si verò excommunicatus Officium, per ſe, vel per alium, licitè, ſive illicitè exequatur, non tenetur eos reſtituere ante Judicis ſententiam, ſed eos retinere poteſt ſecundùm probabilem ſententiam Navarr. *lib. 2. cap. 2. nu. 229.* Avilæ, Sanchez, Layman *cit. cap. 2. num. 9.* Vaſquez, Hurtadi, Coninch. Bonacinæ, & aliorum. Ratio eſt: Quia excommunicatus, vel ab Officio ſuſpenſus, ratione cenſuræ formaliter, ac præciſè, fructibus privatus non eſt; cùm id nullo Jure expreſſum reperiatur: Igitur Pœna tam gravis, quòd beneficiatus ante Judicis condemnationem, fructibus beneficii ſeipſum ſpoliare debeat, facilè aſtruenda non eſt. Manet igitur tutum, quòd excommunicatus non omittit fructus beneficii ipſo Jure, ſeu ante ſententiam Judicis, modo validè præſtet ſuum Officium: quamvis enim coram DEO non rectè illud præſtet, præſtat tamen, quantum ab Eccleſia exigitur, ut quis fructus percipere valeat.

Quæ in hoc §. de beneficio Eccleſiaſtico diximus, etiam intelligenda ſunt de *penſione Spirituali*, non verò de temporali, ſeu Laica, nec probabiliter de mixta, ſeu partim temporali, partim Spirituali. Ratio eſt: quia in penſione Spirituali militat eadem ratio ſuprà allata, quæ militat de beneficio Eccleſiaſtico; non ſic in aliis penſionibus. Ita *Layman cit. n. 8.*

## QUÆSTIO III.

### *De reliquis effectibus excommunicationis majoris.*

### SUMMARIUM.

89 *Excommunicatio major privat Juriſdictione Eccleſiaſtica excommunicatum non toleratum;*
90 *Secùs dicendum eſt de tolerato;*
91 *Et ideò hic poteſt eſſe Judex, & Parochus validè,*
92 *Item conferre, præſentare, & eligere ad beneficia Eccleſiaſtica.*
93 *Excommunicatio privat etiam communicatione forenſi, ſeu Judiciali excommunicatum vitandum.*
94 *Hinc nequit eſſe Judex, Advocatus, teſtis, &c.*
95 *Contractus tamen ab eo initi, tamquàm à Perſona privata ſunt validi.*
96 *Sicut, & Teſtamentum ab eo factum valet.*
97 *Excommunicatio etiam privat communione fidelium Politica, ſeu Civili,*
98 *Exceptis quibuſdam caſibus.*
99 *Quale ſit peccatum communicare cum excommunicatis?*
100 *Quales Pœnas incurrant communicantes cum excommunicatis?*
101 *Reliqui effectus excommunicationis majoris adducuntur.*

## ASSERTIO III.

88 **E**X*communicatio major privat excommunicatum Juriſdictione Eccleſiaſtica; Communicatione forenſi, ſeu Judiciali: Ac etiam communicatione fidelium politica, & civili, exceptis quibuſdam caſibus.* Communis DD. apud Maſtrium *Theol. Moral. diſp. 13. qu. 2. art. 3. n. 54.* & ſeqq. Layman cit. & Alios.

§. I.

Digitized by Google

### §. I. *Excommunicatio major privat Juriſdictione Eccleſiaſtica propriè dicta*

89 I. EXcommunicatum non toleratum. Ita habetur *Can. Audivimus: Cauſa 24. qu.1. & cap. ad probandum, de ſentent. & re judicata*. Actus autem, ſeu uſus Eccleſiaſticæ Juriſdictionis, quibus excommunicatio privat, ſunt præcipere, legem ferre, vel judicium tam in foro contentioſo, quàm in foro pœnitentiæ, diſpenſare, vel licentiam præbere aliquod munus Eccleſiaſticum, Juriſdictionem delegare, Indulgentias concedere, & ſimilia. Ex quo infertur, nedum illicitos eſſe quoſcumque actus Juriſdictionis Eccleſiaſticæ propriè dictæ exercitos ab excommunicato non tolerato, ſed etiam invalidos. Ita Maſtrius cit. Dictum eſt: *Juriſdictioni Eccleſiaſtica propriè dicta*: quia nullo Jure probatur, talem excommunicatum eſſe privatum uſu Juriſdictionis non propriè dictæ; hinc teſte P. Patritio Sporer *Theol. Sacram. part.4. c.1. ſect.4. n. 362.* Doctores communiter docent, quod Parochus excommunicatus etiam non toleratus validè aſſiſtat Matrimonio, quia illa aſſiſtentia non eſt propriè actus Juriſdictionis.

90 II. Dictum etiam eſt, *excommunicatum non toleratum* eſſe privatum Juriſdictione Eccleſiaſtica: quia geſta per excommunicatum toleratum, etiamſi pertineant ad Juriſdictionem propriè dictam, valida ſunt, & ſubſiſtunt, niſi contra ipſum excipiatur. Communis apud Maſtrium citat. Layman *lib.1. tract.5. part 2. cap.2. num.13.* Qui citat Navarrum, Avilam, Leſſium, Suarez, &c. Ratio eſt: Quia Eccleſia talem excommunicatum tolerat, fidelibuſque permittit communicare cum ipſo in humanis, & Divinis: ergo reliquit Juriſdictionem in illo; ſiquidem aliàs non foret expeditus ad hanc cum fidelibus communicationem, & conſequenter acta per ipſum, etſi requirant uſum Juriſdictionis, ſubſiſtent: quamvis ipſe, ſe ultro ingerens in actibus Juriſdictionis graviter peccet, niſi aliunde excuſetur, puta ob parvitatem materiæ, ignorantiam &c. Dixi: *niſi contra ipſum excipiatur*, ad eligendum videlicet Juriſdictionis actum, qua exceptione propoſita excommunicatus toleratus ceſſare debet: at excipiens tenetur excommunicationis ſpeciem, & illius Authorem manifeſtè probare intra octo dies; ſi minùs, nulla eſt exceptio, *cap. 1. de except. in 6.* Ex his.

91 III. Patet, excommunicatum toleratum validè exercere munus tam Judicis, quàm Parochi, nulla contra ipſum facta exceptione; atque adeò poteſt lites decidere, cauſas judicare, abſolvere, diſpenſare, &c. Secùs, ſi contra ipſum excipiatur; cùm non teneantur fideles communicare cum illo, ſed liberè ejus conſortium vitare poſſint. Hinc etiam Palaus, & Bonacina docent cum *Layman. cit.* præceptum, & excommunicationem latam ab excommunicato tolerato valere, nulla exceptione oppoſita. Ratio eſt, quia Jure antiquo Judex excommunicatus occultus retinuit Juriſdictionem, quouſque per exceptionem elideretur *cap. Exceptionem, de Except. & cap. 1. eod. tit. in 6.* At Jure novo quibet excommunicatos toleratus reputatur talis, qualis Jure antiquo reputabatur occultus: ergo: ex quibus

92 IV. Colligitur inſuper, collationem, & præſentationem factam ab Epiſcopo excommunicato tolerato eſſe validam; at eſſe invalidam, ſi fiat ab Epiſcopo excommunicato non tolerato ob rationem ſuprà datam; idemque procedit de electione, utpote quæ jus in Beneficium confert; excipitur tamen electio Romani Pontificis, quæ ob nullam Cardinalium eligentium excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum invalida eſt, *ex Clement. ne Romani, de Elect.* Quare, ſi ad aliquam electionem excommunicatus non toleratus cum aliis Electoribus concurrat, & ſuffragium excommunicati ita foret neceſſarium ad Canonicam electionem, ut alia ſuffragia ſine illo eſſent inſufficientia, electio non ſubſiſteret, *ex cap. ad probandum, de ſentent. & re Judicata*. Ubi actus duorum Judicum, quorum unus erat excommunicatus, pronuntiatur nullus. Similiter electio tenet, dum excommunicatus ſe ingerit electioni, invitis aliis Electoribus, vel illius vitium ignorantibus, ſi illius ſuffragium ſuperſit, & non ſit neceſſarium: quia ob participationem cum excommunicato vitando, quem declinare nequeunt, non debent ſuo Jure privari. Imò etiam in caſu, quo ſcientibus, & conſentientibus aliis Electoribus talis excommunicatus: ſimul cum aliis ſuffragium fert, ſi illius ſuffragium ſuperſit, & non ſit neceſſarium, electio valida eſt. Ita *Maſtrius cit. Henriquez, Coninch. Hurtadus, Palaus, Layman, Bonacina &c.* Ratio eſt: quia per conſortium inhabilis, non inhabilitantur alii Electores, ſiquidem *utile per inutile non vitiatur, cap.37. de R. J. in 6.* Ergo, ſi dempto excommunicati voto, nihilominùs vota ſufficientia in electum cadunt, electio ſubſiſtet. Plura de hac materia relinquo Canoniſtis diſcutienda.



### §. II. *Communicatione Forenſi, ſeu Judiciali*

I. PRivatur excommunicatus non toleratus, ſeu vitandus, unde talis excommunicatus nec licitè, nec validè exercere poteſt actus judicii forenſis, ſeu ad judicium forenſe, etiam ſæculare ſpectantes, ut ſunt judicare, agere, procurare, advocare, ſcribere, & teſtificari; ita habetur *cap. Decernimus, 8. de Sentent. Excomm. in 6. cap.1. de Except. in 6. & cap. venient, 38. de teſtibus*, & ex aliis juribus apud *Maſtrium cit. n.55.* Niſi ſit excommunicatus toleratus, & inviteтur ad id ab eis, cum quibus communicat eos exercendo, ut docet noſter Doctor Seraphicus *D. Bonaventura in 4. d.18. art.4. q.5.* Unde 93

II. Excommunicatus nequit eſſe Judex, nec Eccleſiaſticus, nec ſæcularis, ut communis tenet ſententia, & Praxis Eccleſiæ, & colligitur *ex c. Præſidentes, de Hæreticis*. Ratio eſt: quia ad hoc, ut Leges, vel ſententiæ latæ vim habeant, debent ab eo ferri, qui Juriſdictione non eſt privatus: Excommunicatus autem eſt Juriſdictione privatus: ergo. Item nequit eſſe Advocatus, nec procurator in judicio, neque teſtis, *ex c. Decernimus, de Sentent. Excomm. in 6. & ex cap. Intelleximus, de judiciis*; quia Excommunicatus privatur Civili fidelium conſortio, ex *c. penul de Sent. Excomm.* Ergo etiam privatur eorum conſortio in judiciis, & ſi compareat, poteſt ei opponi exceptio excommunicationis, & ſi non opponit reus, debet eam opponere Judex ex *c. Decernimus, de Sentent. Excomm. in 6.* Si eſt excommunicatus vitandus, ſeu non toleratus. Si verò ſit toleratus, poterit Judex, & reus ipſum in judicio admittere. Item excommunicatus non toleratus nequit eſſe Tabellio publicus, ſcilicet ſcriba, vel Notarius ex cap. cit. & ob eamdem rationem. Unde eſt Regula Generalis DD. *in cap. ad probandum, de Sentent. & re Judic.* Acta ab excommunicato non tolerato, virtute publici officii, ipſo facto eſſe nulla; acta tamen ab excommunicato tolerato eſſe valida, licèt ipſe peccet, ſi ultroneè contra præceptum Eccleſiæ communicet cum fidelibus, niſi ad petitionem fidelium, & eorum neceſſitatem ea agat. Nec tandem poteſt eſſe Tutor, aut Curator, neque teſtamenti executor, ut docet *Sayrus, Suarez, Sylvius*, Layman, *Diana*, & plures alii, apud *Maſtrium cit.* 94

III. De contractibus Emptionis, Venditionis, Locationis &c. qui fiunt ab excommunicato non tolerato, Doctores reſpondent cum diſtinctione: ſi enim contractus hujuſmodi celebrentur à tali excommunicato ratione publici officii, ver. grat. à Prælato, Curatore, Tutore, &c. ſunt invalidi, ut colligitur *ex cap. veritatis, de Dolo, & contumacia*. Et ratio eſt: quia hujuſmodi excommunicatus ſuſpenſus eſt ab officio, Beneficio: ergo caret Juriſdictione, & conſequenter contractus ab eo celebrati invalidi ſunt, tamquam à non habente Juriſdictionem, ſi verò hujuſmodi contractus ſint celebrati ab excommunicato etiam non tolerato, non ratione, & titulo publici muneris, vel officii, ſed privati, ſunt validi, ut communiter docent Canoniſtæ in *cap. Si vero 34. de Sent. Excomm.* Nam ſi eſſent invalidi, hoc ideò eſſet, quia aliqua Lege Civili, vel Eccleſiaſtica, in odium excommunicati, irritantur; ſed nulla in Jure reperitur Lex talis illos irritans; imò contractus matrimonii validus eſt ab excommunicato initus: quia excommunicatio non eſt impedimentum dirimens matrimonium. Item profeſſio in Religione facta ab excommunicato eſt valida, ex *cap. cum illorum, de Sentent. Excomm.* ut ibi notat *Abbas*: ſic etiam Donatio ab excommunicato facta eſt valida *ex cap. inter Dilectos, de Donationibus*: ergo idem dicendum eſt de aliis contractibus. *Maſtrius cit. num. 56.* 95

IV. Denique etiam Teſtamentum ab excommunicato non tolerato factum eſt validum, & ratum, etiam cùm excommunicatum inſtituit hæredem, ſi in omnibus aliis juxta formam Juris conditum ſit, ut colligitur ex *cap. cit. veritatis, de Dolo, & contumacia, & cap. Decernimus, de Sentent. Excomm. in 6. & ex cap. ad probandum, de Sentent. & re Judicata*. Ratio eſt: quia teſtamentum valorem habet ex voluntate teſtatoris, quæ ad hoc efficax eſt, niſi per Legem irritetur; at nullum eſt Jus irritans teſtamentum ab excommunicato factum, nec incapacem reddens Hæreditatis excommunicatum, ne poſſit hæres inſtitui; ſicut etiam nulla eſt Lex reddens excommunicatum incapacem eorum, quæ ab inteſtato, vel per donationem 96

ſibi relinquuntur ; ergo validum eſt Teſtamentum excommunicati, etiam cùm alium excommunicatum inſtituit hæredem, licèt ille peccet teſtando: quia ſic faciendo contra præceptum de non communicando cum aliis fidelibus in actibus Civilibus communicavit cum eis. Excipiuntur tamen illi ab hac aſſertione, qui hoſtiliter inſecuti ſunt Cardinales, & propterea excommunicationem incurrerunt *ex cap. felicis, de Pan. in 6.* ac etiam Hæretici, eorum fautores, & receptatores, ſi per annum permanſerint in excommunicatione, ut habetur *cap. Excommunicamus.*

### §. III. *Ac etiam Communione fidelium Politica, & Civili, exceptis quibuſdam caſibus.*

97 I. EXcommunicatum, etiam toleratum, eſſe privatum omni communicatione cum aliis, ſive politica, ſive civili, ſive per modum commercii, ſive ſocietatis, ſive converſationis, ſæpè traditur in Jure Canonico *c. nuper, c. ſi aliquando de ſent. Excomm. Can. ſicut, c. Excommunicatos, c. Ad Menſam, cauſa 11. q. 3.* Actiones hujus Politicæ, & Civilis communicationis ſolent deſignari hoc verſu:

*Os, Orare, Vale, Communio, Menſa negatur.*

Per *Os* intelligitur oſculum pacis; id eſt, quodvis benevolentiæ ſignum; ſpecialiter verò prohibetur locutio cum excommunicato, ſive fiat verbis, ſive ſcriptis, ſive nutibus, quia quælibet harum eſt vera locutio, utpotè expreſſiva conceptuum internorum. Per *Orare* denotatur quilibet cultus Divinus, ſimul, ſeu communi opera præſtitus, puta, auditio ejuſdem Sacri ſimultanea, recitatio horarum &c. Per *Vale* prohibetur quælibet honorifica ſalutatio; multi tamen ſatis probabiliter excipiunt illam, quæ aſſumitur ad evitandam inhonorationem, aut inurbanitatem, ut reſalutatio, apertio capitis &c. non quidem, ut excommunicationem honores, ſed ne illum inhonores, aut contemnas. Per Verbum *Communio*, prohibetur quævis communicatio negotiorum, ſtabilis cohabitatio; de hoc jam dictum *§. præced.* Denique per vocem *Menſa* vetatur menſa communis in ſumendo cibo, & potu per modum ſocietatis; non verò, ſi caſu in eadem domo, vel menſa, cum excommunicato convenias. Atque exinde colligitur, dictam obligationem non communicandi eſſe reciprocam, ut non tantùm excommunicatum afficiat, ne in aliorum ſocietatem ſe ingerat, ſed etiam alios fideles, ne excommunicati ſocietatem admittant, ſeu cum illo communicent tum in ſacris, tum in Politicis, & Civilibus. Nihilominùs

98 II. Conveniunt Doctores apud *Maſtrium cit. num. 59.* fideles communicantes cum excommunicatis non toleratis, quandoque excuſari à culpa, ſicut & ipſos excommunicatos communicantes cum fidelibus; ſiquidem illa prohibitio communicationis provenit à Lege Eccleſiæ, quæ, cùm benigna ſit, cum magno incommodo obligare non præſumitur. Cauſæ verò excuſationem in hoc afferentes ſequenti verſiculo comprehenduntur:

*Utile, Lex, Humilis, Res ignorata, Neceſſe.*

Per *Utile* intelligitur utilitas propria tum ſpiritualis, tum temporalis, notabilis tamen, propter quam licitè quis communicat cum excommunicato; ne videlicet excommunicatio nocentis vergat in damnum aliorum; cùm æquum non videatur, innocentes plecti pœna nocentis. Similiter licitum eſt communicare cum excommunicato, intuitu ſolius utilitatis præſertim ſpiritualis ipſius excommunicati, eadem ratione, qua poteſt coram excommunicato haberi concio. Per vocem *Lex* intelligitur obligatio reddendi alteri, ſive creditori debitum pecuniarum, ſive conjugi debitum conjugale; ſiquidem conjuges ſibi invicem licitè communicant, quamvis alteruter, imò uterque ſit excommunicatus, prout colligitur ex *cap. quoniam multos, cauſa 11. quæſt. 3.* & hoc propter periculum animarum, videlicet incontinentiæ advertendum. Et hinc conjuges poſſunt ſecum invicem communicare tam in petitione debiti conjugalis, quàm in menſa, gubernatione domus, colloquiis, aliiſque domeſticis obſequiis. Ita *Palaus, Sanchez, Suarez, Bonacina, Coninch.* & alii. Per *Humilis* intelligitur humilitas ſubjectionis, & obſequii, quod filius parenti, ſervus Domino. Religioſus ſubditus ſuo Superiori deferre tenetur; ob talem enim ſubjectionem poſſunt filii cum parentibus, imo etiam nepotes, pronepotes, & in eodem genere affines, ac etiam famuli cum ſuis Dominis, Religioſi cum ſuis Superioribus communicare tam in actionibus humanis, quàm Divinis, quæ ab inferiore erga Superiorem præſtari ſolent, ſive deinde ipſi, ſive parentes, vel Domini, vel Superiores excommunicati ſint, ut patet ex *cap. quoniam multos, Cauſa 11. qu. 3.* & *inter alia, de Sentent. Excomm.* & docet Doctor noſter Seraphicus D. Bonaventura, & alii Theologi communiter apud Maſtrium cit. Si tamen ante excommunicationem fuerint in ſervitio famuli, nec non auxilium dederint Dominis, ſine quo illud crimen non commiſiſſent, propter quod excommunicati fuerunt; tunc enim non poterunt famuli cum ſuis Dominis communicare; quia ſicut ei fuerunt participes criminis, ita debent eſſe participes pœnæ, ut colligitur ex *cap. quoniam multos cit.* Ob dictam tamen ſubjectionem per vocem *Humilis* ſignificatam non excipiuntur vaſſalli, vel ſubditi alicui in juriſdictione temporali à prohibitione communicationis cum Domino excommunicato non tolerato, nec econtra *ex cap. nos Sanctorum, cauſa 15. qu. 6.* quia vaſſalli, nec ſervientes, nec aliter de familia Domini temporalis. Et ob eamdem rationem Clerici non excipiuntur à prohibitione excommunicationis cum ſuo Epiſcopo excommunicato, niſi fuerint de familia; nec econtrà, ut habetur in *cap. ultim. de exceſſibus Prælatorum.* Nihilominùs propter vexationes, & alia, quæ tales ſubditi prudenter timere poſſunt, interdum poterunt excuſari, ut plures DD. docent apud Maſtrium cit. Per ly *Res ignorata*, ſignificatur, ignorantiam quamlibet, ſive juris ſive facti invincibilem reddere illam communicationem etiam inculpabilem, Ratio eſt: quia ignorantia invincibilis in quavis materia à culpa, & pœna excuſat. *In dubio* verò non peccat quis communicando, quia non poteſt qui tractari, ut excommunicatus in dubio, cùm in dubio melior ſit conditio poſſidentis ſuam innocentiam, & libertatem; adeóque, ut quis alterum vitare teneatur, tenetur alicui moraliter certò conſtare, alterum eſſe excommunicatum non toleratum. *Ita communiter DD.* qui verò ſcit, aliquem fuiſſe excommunicatum non toleratum, illum vitare tenetur, donec ſibi conſtat fuiſſe abſolutum. Denique per ly *Neceſſe* denotatur quæcumque notabilis neceſſitas, ſive ſe teneat ex parte excommunicati vitandi, ſive ex parte communicantis cum eo, ſive tertii; ſitque neceſſitas, vel animæ, vel corporis, vel famæ, vel fortunæ. Hinc excommunicatus poteſt recipi in Hoſpitio, poteſt eidem dari Eleemoſyna, & ab eodem peti, & accipi in caſu indigentiæ: poteſt etiam communicari cum eo in alio loco, ubi adhuc eſt bonæ famæ, ſi alioquin eſſet infamandus, & hujuſmodi; dummodò prædicta non fiant in contemptum excommunicationis, vel Eccleſiæ, & alius idoneus haberi non poſſit ad talem neceſſitatem ſublevandam. Ita colligitur ex *cap. quoniam multos, 11. quæſt. 3. & cap. inter alia, 31. de Sentent. Excomm.* & docet *S. Bonaventura in 4. d. 18. Scotus 4. d. 6. qu. 2.* & alii DD. communiter. Tandem per ly. *Neceſſe* intelligitur etiam violentia, & metus gravis, ut habetur *in cap. ſi verò, de Sentent. Excomm.* quando nimirùm per vim, & metum cadentem in conſtantem virum cogimur cum tali excommunicato communicare etiam in Divinis; quia Lex Eccleſiaſtica non obligat ad ſui obſervantiam, quando notabile periculum, & gravis urget jactura. Ita *DD. communiter apud Maſtrium cit. num. 6.* Et hi ſunt caſus, in quibus fideles cum excommunicato non tolerato communicare poſſunt ſine peccato, & ſine incurſu excommunicationis minoris.

III. Communicatio excommunicati cum fidelibus, & fidelium cum excommunicato non tolerato, ſi fiat in Divinis, puta, Sacramentis, officiis Eccleſiæ ſolemnibus, ſacrificio Miſſæ &c. eſt ex genere ſuo mortaliter peccaminoſa, quamvis per accidens poſſit eſſe venialiter peccaminoſa ob materiæ parvitatem. Ita cum communi *Maſtrius cit. art. 3. num. 58.* Ratio eſt: quia eſt tranſgreſſio præcepti Eccleſiaſtici in re gravi. Si vero fiat in rebus Politicis, & Civilibus, ſecluſo ſcandalo, & contemptu, regulariter non excedit culpam venialem. Ita *Suarez, Bonacina, Diana, Cajetanus, Henriquez, Caſpenſis, Faber*, & alii apud *Maſtrium citat.* Ratio eſt: quia communicatio in Politicis, & merè humanis videtur eſſe levis momenti: dictum eſt: *regulariter*; quia, ſi talis communicatio in politicis cum excommunicato vitando (idem eſt de communicatione excommunicati cum fidelibus) pluries frequentetur, evadit tandem mortaliter peccaminoſa. Ratio eſt: quia, quando peccatum ſolùm eſt veniale ob parvitatem materiæ, actibus multiplicatis, & moraliter inter ſe conjunctis, materia redditur gravis; at communicare cum excommunicato, ex genere ſuo eſt mortale, velut expreſsè habetur *cap. Sacris, de his, quæ vi:* ergo talibus communicationibus pluries frequentatis, ac moraliter inter ſe conjunctis, culpa gravis committetur; & ita foret, ſiquis ſtatuat, longo tempore ſæpiùs cum illo communicare, aut recipiat eum in ſuam familiam, aut de ipſius familia fiat. Ita *Coninch. num. 149. Andreas à Matre DEI, n. 127. & Alii*

IV. Communicans cum excommunicato vitando ſeu 100

non

Digitized by Google

non tolerato, regulariter, ſi non adſit cauſa excuſans, incurrit Excommunicationem Minorem, prout in Superioribus jam dictum fuit, & deciditur *c. à nobis, de Except. cap. ſtatuimus, de Sentent. Excomm. in 6.* Dictum eſt: *regulariter;* quia ſunt caſus, in quibus ejuſmodi communicans peccat mortaliter, & incurrit Excommunicationem Majorem. Primus eſt, dum Clericus communicat cum Excommunicato à Papa per ſententiam particularem, & nominatim denuntiato, ipſum ſpontè, liberè, & voluntariè admittendo in Divinis, *c. ſignificavit, de Sentent. Excomm.* Secundus eſt, quando aliquis communicat cum Excommunicato in crimine *Criminoſo*, id eſt, cooperatur crimini, vel contumaciæ, ob quam lata fuit Excommunicatio, eidem favorem, conſilium, auxilium impendendo, *cap. ſi concubina, c. nuper. de Sentent. Excomm.* ubi additur ratio: *cùm facientem, & conſentientem pari pęna conſtringas.* Tertius eſt, quando excommunicatio lata eſt contra participantes.

### §. IV. *Reliqui effectus Excommunicationis.*

101 SUnt adhuc duo, videlicèt. I. quòd Reſcriptum Sedis Apoſtolicæ ab Excommunicato impetratum, ipſo Jure ſit irritum, *c. 5. de reſcriptis in 6.* Quapropter ejuſmodi reſcriptis inſeri ſolet abſolutio ad cautelam, dumtaxat ad reſcripti effectum conſequendum. Aliorum verò inferiorum Prælatorum gratiæ, & conceſſiones non videntur ipſo Jure infirmari, ſi Excommunicato fiant: quia nomen reſcripti, præſertim in materia pęnali, ſtrictè accipi ſolet, pro Principis Reſponſo, uti notavit Navarrus apud Layman *lib. 1. tr. 5. p. 2. cap. 2. n. 12.* II. Quòd ſi excommunicatus toto anno contumaciter in excommunicatione perſiſtat, &, ut Jura loquuntur inſordeſcat, contra ipſum, tamquam de Hæreſi ſuſpectum, procedi poſſit, ſicuti patet ex *Concilio Trident. Seſſ. 25. cap. 3. de reform.*

## QUÆSTIO IV.

*De excommunicationibus in ſpecie, & de earum abſolutione.*

### SUMMARIUM.

103 *Excommunicationes Bulla Cœna.*
104 *Abſolutio ab iſtis eſt reſervata Papa,*
105 *Extra articulum mortis, & ſecluſo impedimento adeundi Summum Pontificem.*
106 & 107 *An Epiſcopi poſſint abſolvere à caſibus Bulla Cęna?*
108 *Excommunicationes Papa reſervata extra Bullã Cœna.*
109 *Ab his poſſunt abſolvere Epiſcopi.*
150 *Sicut, & confeſſarii regularium mendicantium poſſunt abſolvere ſaculares. Ex quo*
115 *Deducuntur aliqua ſequela.*
112 *Excommunicatio Canonis ob percuſſionem Clerici.*
113 & 114 *Quinam incurrant hanc excommunicationem?*
155 *Quinam excuſentur ab incurſu hujus excommunicationis?*
116 *Quinam comprehendantur ſub nomine Clerici, vel Monachi?* Remiſſivè.
117 *Regulares Pralati Generales, Provinciales, imò, & Locales poſſunt abſolvere ſuos ſubditos ab omnibus caſibus, à quibus Epiſcopi poſſunt de Jure ſuos;*
118 *Hanc poteſtatem aliis derogare poſſunt.*
119 *An Pralati regulares poſſint ſuos ſubditos abſolvere à caſibus Bulla Cœna.*
120 *Quid Confeſſarii regulares, praſertim deputati pro conventibus poſſint circa Religioſos?*

## ASSERTIO IV.

102 *EXcommunicationes Juris alia ſunt in Bulla Cœna Domini contenta, à quibus extra mortis articulum nullus, niſi Romanus Pontifex, & qui ab eo ſpecialem accepit facultatem, abſolvere poteſt: alia ſunt excommunicationes extra Bullam Cęna quidem, ſed tamen Summo Pontifici reſervata, à quibus Epiſcopi ſuos ſubditos, & Confeſſarii regulares Mendicantes abſolvere poſſunt ſaculares, niſi eſſent ſpecialiter inflicta, aut ad forum contentioſum deducta. Idem dicendum de excommunicatione Canonis: ſi quis ſuadente diabolo. Alia ſunt excommunicationes nulli reſervata, à quibus quilibet Confeſſarius potens abſolvere à mortalibus, abſolvit. Quod diximus, de Epiſcoporum facultate abſolvendi, reſpectu ſuorum ſubditorum, idem dicendum de Pralatorum regularium poteſtate abſolvendi ſuos ſubditos ab incurſis excommunicationibus.* Eſt communiſſima DD.

### §. I. *Excommunicationes Bulla Cœna Domini.*

BUlla Cęna eſt illa Bulla, quæ in die Cęnæ Domini quotannis renovatur, & promulgatur. Habet autem originem à Clemente V. 1355. *Excommunicationes in ea contenta ſunt ſequentes.* 105

1. Excommunicantur Hæretici, Apoſtatæ à fide, receptores, fautores, & defenſores Hæreticorum, legentes eorum libros de Religione tractantes, imprimentes, defendentes, & Schiſmatici ſeu illi, qui ſe à Romani Pontificis obedientia pertinaciter ſubtrahunt.

2. Appellantes à ſententiis, & mandatis Summi Pontificis ad futurum Concilium Generale.

3. Pyratæ, ſeu latrunculi diſcurrentes per mare Pontificium, præcipuè à monte Argentario, uſque ad Taracinas, eorum Fautores, Receptatores, Defenſores.

4. Surripientes naufragorum Chriſtianorum Bona, etiam in littore inventa.

5. Imponentes nova Pedagia, & Gabellas, vel augentes, niſi ad hoc Authoritatem habeant, veluti ſunt Imperator, Reges, & Principes abſoluti in terris ſuis, dummodò in illis imponendis Juſtitiæ menſuram ſervent,

6. Falſificantes litteras Apoſtolicas, aut ſupplicationes à quocumque Authoritatem habente ſignatas, aut falsò fabricantes litteras Apoſtolicas.

7. Deferentes arma, aut alia uſui Bellico idonea, ad turcas, & alios Chriſtiani nominis hoſtes, vel Hæreticos expreſsè, & nominatim à Sede Apoſtolica declaratos: nec non ad Chriſtianæ Reipublicæ ſtatum pertinentia iiſdem in damnum Chriſtianorum annuntiantes, vel ad id favorem, auxilium &c. præſtantes.

8. Impedientes eos, qui victualia, & alia neceſſaria ad Romanam Curiam vehunt.

9. Illi, qui ad Sedem Apoſtolicam accedentes, vel ab ea recedentes ſua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, ſpoliant, capiunt, detinent: item ii, qui juriſdictionem ordinariam, vel delegatam à Pontifice, ejuſve judicibus non habentes, illam ſibi temerè vendicantes, ſimilia contra morantes in Curia perpetrant.

10. Vexantes Romipetas, ac Peregrinos in Urbe morantes, vel abeuntes, modò ſuprà expreſſo.

11. Conſimili injuria afficientes S. R. E. Cardinales, alioſque Prælatos.

12. Offendentes eos, qui ad Romanam Curiam accedunt pro negotiis, negotiorumque Geſtores.

13. Appellantes à gravamine, vel futura executione litterarum Apoſtolicarum, ad poteſtatem Laicam.

14. Impedientes, vel prohibentes litterarum Apoſtolicarum expeditiones, & cauſas à judicibus Eccleſiaſticis avocantes.

15. Judices ſæculares, qui Perſonas Eccleſiaſticas ad ſua tribunalia trahunt, vel Eccleſiaſticam libertatem in aliquo perturbant.

16. Impedientes Prælatos, ne ſua juriſdictione Eccleſiaſtica utantur, item recurrentes ad ſæculare tribunal pro illius juriſdictionis uſus revocatione.

17 Uſurpantes Sedis Apoſtolicæ, & quarumcumque Eccleſiarum juriſdictionem, ſeu fructus, redditus, & proventus earum illis ſequeſtrantes.

18. Imponentes decimas, aut alia onera Perſonis Eccleſiaſticis, Eccleſiis. Monaſteriis, eorundem fructibus.

19. Judices ſæculares, qui ſe interponunt in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus contra Perſonas Eccleſiaſticas.

20. Occupantes bona, & terras Eccleſiæ Romanæ, & ſupremam illius juriſdictionem uſurpantes. *Ha ſunt excommunicationes in Bulla Cœna contenta, hic ſtrictim enumerata,* quas *Bonacina to. 2. per extenſum explicat.*

II. Abſolutio ab his excommunicationibus eſt ſoli Summo Pontifici reſervata extra articulum mortis; nec ullus Prælatus inferior, per ſe loquendo, ab illis abſolvere poteſt, niſi obtenta deſuper ſpeciali licentia à Sede Apoſtolica, veluti exprimitur *in Bulla Pœna §. 22.* his Verbis: *caterum à pradictis ſententiis, nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo conſtitutus, nec etiam tunc, niſi de ſtando Eccleſia Mandatis, & ſatisfaciendo cautione praſtita, abſolvi poſſit, etiam pratextu quarumvis facultatum, & indultorum, quibuſcumque Eccleſiaſticis, ſacularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militarium regularibus, etiam Epiſcopali, vel alia Majori dignitate praditis: ipſiſque Ordinibus, & eorum Monaſteriis, Conventibus, Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hoſpitalibus, & Locis piis, nec non Laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana Excellentia fungentibus, per nos, & dictam Sedem, ac cujuſvis Concilii Decreta, verbo, litteris aut alia* 104

*quacunque ſcriptura in genere, & in ſpecie conceſſorum, & innovatorum, ac concedendorum, & innovandorum.* Et §. 23. *Quòd ſi forte aliqui contra tenorem præſentium ſub his excommunicatione, & Anathemate laqueatis, vel eorum alicui abſolutionis Beneficium impendere de facto præſumpſerunt, eos excommunicationis ſententia innodamus, graviùs contra eos, ſpiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus, proceſſuri.* Et §. 25. *Non obſtantibus privilegiis, Indulgentiis, indultis, & Litteris Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus ſupradictis, vel eorum alicui, ſeu aliquibus aliis, cujuſcunque Ordinis, ſtatus, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamſi, ut præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, ſeu quavis Eccleſiaſtica, & mundana præfulgeant dignitate; vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, ſeu Locis à prædicta Sede, ex quavis cauſa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & ſub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibuſvis clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis conceſſis, &c.* Hucuſque Bulla Cœnæ Domini.

105 III. In mortis tamen articulo (quem ipſa Bulla excipit) poſſunt omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes à quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere cum certo onere, ex *Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 7.* & explicat Pater Patritius Sporer *Theol. Sacram. p. 3. c. 6. ſect. 1. num. 723. & ſeqq.* quem vide. Quid verò intelligatur per articulum mortis, quem cit. c. 3. *ſect. 4. num. 519.* inſinuat. Item quis per accidens, in impedimento perpetuo, vel temporali, ab iis poſſit abſolvere; docet citatus P. Patritius Sporer *cap. 6. ſect. 2. num. 749. & ſeqq.* quem revide. *Extra hos neceſſitatis caſus.*

106 IV. Hic acriter diſputatur, an ſaltem Epiſcopi, etiam ſecluſa ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ, poſſint abſolvere, non obſtante Bulla Cœnæ ab hæreſi ſaltem occulta, virtute conceſſionis Concilii Tridentini *ſect. 24. c. 6.* quæ ſic ſonat, *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum diſpenſare, & in quibuſcunque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, delinquentes quoſcunque ſibi ſubditos, in Diœceſi ſua per ſeipſos, aut Vicarium, ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ gratis abſolvere, impoſita Pœnitentia ſalutari. Idem, & in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ, eis tantùm, non eorum Vicariis, ſit permiſſum.* Quod Epiſcopi non poſſint virtute hujus conceſſionis abſolvere à caſibus Bullæ Cœnæ etiam occultis, docent communiter Doctores, Toletus, Suarez, & plures alii, apud *Laym. lib. 1. tr. 5. p. 3. c. 5. n. 2.* Barboſa, Sanchez, Garzias, Durandus, Pignatell. apud *Reiffenſtuel lib. 5. Decret. tit. 7. n. 351.* ubi Pignatell. dicit, id hodie eſſe certum ob plures declarationes Cardinalium. Averſa, & Viva *apud La Croix lib. 6. p. 2. n. 1617.* Piaſecus, Sperellus, Fagnanus apud *Matthæucci in officiali Curiæ Eccleſiaſticæ c. 38. n. 26.* Ratio eſt: quia Bulla Cœnæ omnibus, etiam Epiſcopali dignitate præditis expreſsè ademit facultatem abſolvendi à caſibus in Bulla reſervatis, non obſtantibus Indultis, & privilegiis etiam *per decreta cujuſvis Concilii* conceſſis, ut videre eſt ex dictis modò ſupra *num.* 104. Nec ſufficit reſpondere, Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt; & ideo non derogare facultati Concilii Tridentini, in quo de occultis criminibus ſermo eſt; nam obſtat Decretum Alexandri VII. prohibentis ſequentem propoſitionem ordine 3. *ſententiam aſſerens, Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in quo de occultis criminibus, ſermo eſt, Anno 1629. 8. Julii, in Conſiſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt.*

107 Nihilominùs recentiſſimè docet *Sbogar tr. 340. n. 34.* omnes caſus Papales occultos, ad forum contentioſum non deductos, ſimul cum crimine hæreſis, aliiſque contentis in Bulla Cœnæ, jure novo Tridentini citati, Epiſcopis eſſe reſervatos, & quidem facultatem ab iis abſolvendi, ipſo jure, annexam Dignitati Epiſcopali, & officio, non perſonæ; proinde hujuſmodi poteſtas non eſt eis delegata, ſed ordinaria. Hinc idem *Sbogar n. 36.* innuit, damnationem propoſitionis ſuprà ab Alexandro VII. factam, tantùm perſtringere Regulares, qui vi ſuorum privilegiorum præſumebant abſolvere quoſque ſæculares ab omni cenſura, & caſibus occultis. Hæc an vera ſint, relinquo Epiſcopis dijudicanda. Si tamen Epiſcopi (quod verum eſſe de Epiſcopis Germaniæ, in ordine ad abſolvendos Hæreticos, oſtendit praxis, & teſtatur *Gobat, tr. 7. n. 371.*) habeant ſpeciale privilegium, ſaltem ad tempus durans, abſolvendi abſolutè, & ſine addito à caſibus Bullæ Cœnæ, in cenſurato nulla relinquitur obligatio aliquando comparendi coram Authore cenſuræ: quia ipſius nomine, & ex ejus ſpeciali delegatione, & non ſolùm per accidens, abſolutio impenſa fuit. *Hoc idem* poſſunt noſtri Confeſſarii, gaudentes quinquennali licentia, quæ Romæ peti, & obtineri pro aliquibus ſolet; in qua tamen ordinariè excipiuntur *in Hæreſes, aut Schiſmata relapſi, aut de eis in judicio delati, vel condemnati*; quid vero ſint Hæretici relapſi, videant Canoniſtæ, titulo de Hæreticis. *Azorius to. 1. lib. 8. cap. 14.* apud *La Croix lib. 6. p. 2. nu. 1646.* ait: *per relapſum in hæreſim intelligitur relapſus poſt Hæreſim publicè ejuratam.* Hoc adhuc notat *P. La Croix lib. 6. p. 2. n. 1620.* quod ex hoc, quòd aliquis habens caſum Bullæ Cœnæ non poſſit adire Summum Pontificem, non ſtatim poſſit propterea, titulo neceſſitatis, aut impedimenti, abſolvi à quolibet Confeſſario: quia plures dantur in noſtris Partibus, qui habent ſpecialem facultatem abſolvendi à caſibus Bullæ Cœnæ, ad quos utique ſimilis pœnitens habens caſum Bullæ Cœnæ remittendus erit, niſi urgeat ſpecialis neceſſitas, qua præſente, & deficiente Confeſſario habente facultatem abſolvendi à caſibus Bullæ Cœnæ, poterit abſolvi ab alio, cum certis conditionibus, quas vide apud P. Sporer *Theol. Sacram. p. 3. c. 6. ſect. 2. n. 752. & ſeqq.* Patri *La Croix*, conſentit *Reiffenſtuel in 5. Decret. tit. 7. num. 396.*

### §. II. *Excommunicationes Papæ reſervatæ extra Bullam Cœnæ.*

I. REferuntur à Buſembaum, apud la Croix *lib. 7. n. 298.* ſequentes, *contra omnes*. I. In incendiarios. II. In habentes Litteras Apoſtolicas falſas, & non deſtruentes, item in falſarios Litterarum Apoſtolicarum. III. In effringentes, & ſpoliantes Eccleſias. IV. In communicantes eodem crimine cum excommunicatis à Papa. V. In vexantes eos, qui cenſuram in aliquos tulerunt. VI. In abſolutos ab excommunicatione ſub conditione, & non implentes. VII. In violantes interdictum Papale. VIII. In dantes, & recipientes aliquid ex pacto ob admiſſionem ad Religionem. IX. In ſimoniacos reales circa Ordinem, vel Beneficium. X. In committentes Simoniam confidentialem. XI. In impedientes executionem Litterarum Sacræ Pœnitentiariæ. XII. In dantes, & recipientes aliquid pro gratia, aut Juſtitia apud Sedem Apoſtolicam. XIII. In committentes Duellum, atque ad id cooperantes: ſuadendo &c. XIV. In mulieres ingredientes Monaſteria Regularium. XV. In impugnantes inſtitutum Societatis JESU. XVI. In facientes jurare illicita, & contraria libertati Eccleſiaſticæ. XVII. In rapientes bona Eccleſiaſtica. XVIII. Violantes libertatem Eccleſiaſticam quoad fugientes ad Eccleſiam. XIX. Docentes poſſe fieri confeſſionem in abſentia. XX. In eos, qui alterutram opinionem de conceptione B. Virginis damnant peccati mortalis, vel hæreſeos: item in eos, qui in concionibus, aliiſque publicis actibus, ut Lectionibus, concluſionibus aſſerunt Beatam Virginem conceptam in Originali. XXI. In percuſſores Clericorum: quæ, cum celebris ſit, de ea §. ſeq. peculiariter agetur. *Contra Cleric. & Relig.* referuntur ſequentes. I. Participantes in Sacris cum Excommunicatis à Papa. II. Procurantes alienationem Eccleſiarum. III. In concionatores, qui ſcripturæ ſenſum à Doctorum interpretatione alienum, circa tempus Anti-Chriſti, & extremi judicii, aliaque ſimilia revelata prædicant. IV. In Parochos non implentes juramentum de Reſidentia factum. V. In Mendicantes tranſeuntes ad alium Ordinem, præter Carthuſiam. VI. In Moniales exeuntes clauſtra ſine licentia. VII. In Religioſos, qui ſine Privilegio, vel ſpeciali licentia Parochi, Clericis, aut Laicis, Sacramentum Euchariſtiæ, vel Unctionis Miniſtrare, vel Matrimonia ſolemnizare præſumunt.

P. Sannig *Diſt. 2. de Excommunicatione, q. 4.* Addit ſequentes. I. In Excommunicatos à Delegato Papæ poſt unum annum in Excommunicatione juris, præterquàm in caſibus à jure, per privilegium conceſſis. II. Item abſolventes quoad culpam, & pœnam ſimul à ſententiis per ſynodalia ſtatuta promulgatis, ex *Clem. Religioſ. de privileg.* III. Religioſi, aut Clerici temerè inducentes aliquem ad jurandum de eligenda ſepultura, vel electa non mutanda. Ita *Clement. cupientes, de Pœnis*. IV. Abſolventes à voto Peregrinationis in Jeruſalem, Romam, & Compoſtellam: Item Religionis, & caſtitatis. Ita *extravag. Sixti IV. etſi Dominici*. V. Præſumentes abſolvere à caſibus Papalibus, vel Bullæ Cœnæ, prætextu privilegiorum, vel indultorum (intellige malè fundatorum) ita *extravag. Sixti. IV. etſi Dominici*. Imò, & abſolventes malitioſè à caſibus Ordinarii. Ita Clemens. VI. Superiores Regularium, qui Religioſos ſuos de Hæreſi ſuſpectos non denuntiaverunt Inquiſitoribus, vel Ordinariis Locorum. Ita S. Pius V. Bulla: *Romanum Pontificem*. VII. Fratres Minores ſubornantes in electionibus, vel procurantes

tes

eis favorem extra Ordinem; pro officiu in Religione obtinendo. Ita S. Pius V. Bulla: *Paſtoralis*. VIII. Exenterantes mortuos, aut in fruſta concidentes, aut in aquis coquentes; eo fine præciſè, ut oſſa deferant, & ſepeliant in alio loco. Ita *extravag. 1. Bonifacii VIII. de ſepulturis*. Si autem alii fines, quàm tumulationis in alio loco, adſint, non incurritur hæc Excommunicatio. Nota: plures alias eſſe excommunicationes, quæ videri poſſunt apud Sylveſtrum, Filliucium, Cajetanum, & in Bullario novo.

109 II. Ab his cenſuris, & caſibus ea delicto occulto provenientibus, ſicut etiam ab omnibus ſuſpenſionibus ex delicto occulto conſurgentibus, ſine dubio poſſunt abſolvere Epiſcopi, vi conceſſionis Concilii Tridentini ſuprà *numer.* 106. adductæ. Idem poſſunt eorum Vicarii, item Capitulum Sede vacante. Ita communis cum *Hugolino, Henriquez. Reginaldo, Sannig, Diſt. 11. de Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ, q. 6. n. 2.* & Aliis.

110 III. A prædictis cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſervatis extra Bullam Cœnæ, imò ab omnibus Papalibus, ſeu ab omnibus peccatis: & quibuſcunque (particulatim non inflictis) ſententiis, Cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, etiam Papæ reſervatis, exceptis *caſibus Bullæ Cœnæ, & quos Epiſcopi ſibi ſpecialiter reſervant*, poſſunt ex privilegiis diverſorum Pontificum, confeſſarii Regulares Ordinum Mendicantium, à ſuis Superioribus præſentati, & ab Epiſropis approbati, abſolvere, extra Italiam, ſeculares undequaque advenientes. Certum apud P. Patritium Sporer *Theol. Sacrament. part. 3. c. 6. ſect. 2. n. 740. & ſeqq.* quem vide. Adduco in terminis Decretum Sacræ Congregationis ſub Urbano VIII. Sicuti extat apud Petrum Paſſerinum *De Hominum Statibus, & Officiis, q. 187. art. 1. n. 376.* ſequentis tenoris: *Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium, negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita cenſuit per confirmationes privilegiorum, quas Regulares à Sede Apoſtolica, poſt Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixiſſe privilegia priùs ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipſius Congregationis Decretis ſublata, atque extincta, ſi qua habeant, à caſibus Ordinario loci reſervatis. Quemadmodum nec Indulta abſolvendi à caſibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi conſuevit, utpote ſublata per annuam ipſius Bullæ publicationem, vires, aut robur acquiſiviſſe ex ſubſequentibus privilegiorum confirmationibus. Ac proinde regulares cujuſvis Ordinis Congregationis, Societatis, & Inſtituti etiam neceſſariò exprimendi, nec intra, nec extra Italiam, in vim privilegiorum, aut confirmationum ejuſmodi, quas, vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps forte obtinebunt, poſſe quemquam abſolvere ab eiſdem caſibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reſervatis: Ac ſi ſecùs egerint, abſolutiones nullas, atque irritas fuiſſe, ac fore. Ab aliis verò caſibus, & Cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ſiquidem Regulares habent à Sede Apoſtolica abſolvendi facultatem, illam extra Italiam minimè ſublatam fuiſſe iiſdem Sacræ Congregationis Decretis, hac de re editis juſſu Sanct. Memor. Clementis VIII. quàm Sacræ Congregationis ſententiam, Sanctitas ſua ad ſe relatam approbavit, mandavitque ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter obſervari. Romæ 17. Novembris 1628. F. A. Cardinalis S. Honuphr. loco ✠ Sigilli. P. Fagnanus Secretarius.* Ex quo

111 IV. *Sequitur*. I. Prædictos confeſſarios Regulares Mendicantes extra Italiam abſolvere poſſe, etiam à violatione Immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis conſtitutionis felic. record. Gregorii XIV. quæ incipit; *cùm aliàs nonnulli*, à violatione clauſuræ Monialium ad malum finem; à provocatione, & pugna in duello juxta Decretum Sacri Concilii Tridentini, & conſtitutionem fel. record. Gregorii Papæ XIII. incipientem: *Ad tollendam*: ab injectione violentarum manuum in Clericos juxta Canonem: *ſi quis ſuadente &c. cauſa 17. quæſt. 4.* ac Juris diſpoſitionem: à ſimonia reali ſcienter contracta, atque etiam confidentia Beneficiali, à quibus tamen Regulares intra Italiam, extra urbem Romam exiſtentes abſolvere non poſſunt, ex Decreto Sacræ Congregationis juſſu Clementis VIII. edito 26. *Novembris*, 1602. videndo apud *Paſſerinum cit. num. 374. Ita Clemens VIII. 17. Nov. 1628. Lezana, Antonius à Spiritu Sancto, Diana, Naldus, Bordonus, Sanchez, Merola, Delbene, Barboſa, Tamburinus apud Paſſerinum c. n.* 443. Item *Reiffenſtuel in 5. Decret. tit. 39. n. 256. Stoz, Illſung*, & Alii. Excipit tamen Paſſerinus modò citatus excommunicationem latam in conſtitutione: *Æterni Patris*, Gregdrii XV. Pro eligendo Pontifice juxta formam ibi ſtatutam, à qua nullus Regularis etiam vi ſuorum privilegiorum abſolvere poteſt, quia eiſdem ſpecialiter in hoc caſu Summus Pontifex derogavit. *Sequitur*. II. Confeſſarios Regulares Mendicantes extra Italiam etiam poſſe abſolvere à caſibus dubiè in Bulla Cœnæ contentis, quia hoc à Clemente VIII. fuit prohibitum ſolis Regularibus intra Italiam, extra Urbem, degentibus, ut videre eſt apud *Paſſerinum cit. num* 373. & 374. & *Dominicum Viva in Trutina Theologica, in expoſitione Propoſitionis 3. ab Alexandro VII. damnata, num. 9.* qui etiam *in Expoſitione Propoſitionis 12. ab Alexandro VII. damnata, num. 1.* docet, Regulares intra Italiam etiam poſſe abſolvere à caſibus dubiè in Bulla Cœnæ contentis, quia Clemens VIII. 1602. hoc iterum eiſdem permiſit, quod anno præcedente prohibuerat. Additque citatus Auctor, quòd ad abſolvendum à reſervatis, ſufficiat licentia vivæ vocis oraculo obtenta, quin ſit opus, quòd in ſcriptis conferatur. *Sequitur* III. quod Confeſſarii Regulares Mendicantes abſolvere poſſint ab excommunicatione procurati abortus fœtus animati, etſi non ſint ab Epiſcopo, vel Provinciali ad hoc deputati. Ita *Paſſerinus cit. num. 459.* contra Portel. & Baſſæum. Vide P. Sporer *de Matrimonio c. 4. num. 721. Sequitur* IV. Quod Regulares habentes facultatem à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis abſolvendi, nequeant ab iiſdem abſolvere, ſi Epiſcopi illos ſibi ſpecialiter reſervent. Siquidem Clemens X. Bulla: *ſuperna* 2. Auguſti 1670. ita decrevit *§. 7. Et habentes facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non ideò à caſibus Epiſcopo reſervatis poſſe abſolvere.* Ita La Croix *lib. 6. part. 2. n. 1628. & 1629.* Rationem addens, quia Summus Pontifex relinquit caſum Epiſcopi in ſtatu quo, nec vult ejus poteſtati præjudicare, niſi expreſsè hoc addat. *Sequitur* V. Quòd Confeſſarii Regulares Mendicantes poſſint ſæculares abſolvere à cenſuris ſupradictis *in foro conſcientiæ tantùm*, uti habet P. Sporer *c. ſuprà n. 110.* Ubi notandum cum Lodovico Miranda, & Sanchez apud Reiffenſtuel *in 5. Decret. tit. 7 n. 147.* quòd triplex ſit *forus*, alius *contentioſus*, alius *pœnitentialis*, alius verò *forus conſcientiæ*, qui eſt medius inter utrumque, forus contentioſus idem eſt, ac *forus externus, & cap. forus de Verb. ſignif.* deſcribitur dicendo: forus eſt exercendarum litium locus. Forus *Pœnitentialis* eſt forus *Sacramentalis*, quando ſcilicet aliquis in Sacramento Pœnitentiæ ab aliquo peccato, vel cenſura abſolvitur. Forus tandem *Conſcientiæ* mediat inter utrumque; licèt enim forus Sacramentalis videatur nonnullis idem eſſe, ac forus conſcientiæ, reverà tamen differunt: nam abſolutio, quæ datur in foro Pœnitentiæ, poteſt fieri à ſolis Sacerdotibus Confeſſariis, & quidem in Sacramento Pœnitentiæ, abſolutio verò in foro conſcientiæ ab Excommunicatione, & aliis cenſuris poteſt fieri tam intra, quàm extra Sacramentum Pœnitentiæ, & extra hoc etiam à prima tantùm Tonſura initiatis, ſi habeant legitimam ad hoc poteſtatem, ut ſuprà *hoc capite ſect. 1. q. 4. n. 61.* dictum fuit: quamvis commodius ſit, & magis receptum, ut talis abſolutio committatur Præsbytero. Porro abſolutio pro foro conſcientiæ valet quidem quoad omnia, præterquàm, quando lis movetur in foro externo. Tum enim Judex ſecundùm rigorem juris poteſt non habere rationem hujus abſolutionis, niſi eam ultro acceptare velit: quia abſolutio pro foro conſcientiæ data, nihil præjudicat foro externo. Ratio eſt, quia utrumque judicium tendit ad diverſos fines; nam in foro conſcientiæ præcipuè conſideratur ſalus animarum, & compenſatio offenſæ Divinæ: in foro autem externo debet attendi ad publicam vindictam, & ſatisfactionem Reipublicæ, quam Reus pravo ſuo exemplo offendit. Layman *l. 1. tract. 5. part. 1. c. 7.* cum Aliis. Quare abſolutus in foro interno à cenſura ſi non fuerit nominatim excommunicatus; non tenetur ſe gerere tanquam Cenſuratum: præſertim ſi conſtat, ita eſſe abſolutum: quia illa abſolutio valet ad omnia, præterquàm in Judicio, ubi lis movetur, ut mox ſupradictum, & docet Leſſius, & Krimer apud la Croix *l. 7. n. 154.* Denique Sbogar *tract. 140 num. 50.* docet Confeſſarios Regulares Mendicantes, poſſe ab omnibus caſibus Papalibus etiam publicis (excipe caſus Bullæ Cœnæ, & quos Epiſcopi ſibi ſpecialiter reſervant) toties, quoties abſolvere. Ita habetur ex Bulla Pauli III. data Anno 1545 Confeſſariis Societatis JESU, quæ incipit: *cùm inter cunctas*, ubi ſic aſſeritur; *nec non illis ex vobis, qui Presbyteri fuerint, quorumcunque utriuſque ſexus Chriſti fidelium, ad vos undecunque accedentium, confeſſiones audiendi, & ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis, quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & à quibuſvis ex ipſis caſibus reſultantibus ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis (exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini ſolita eſt legi) abſolvendi, ac eis pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem injungendi, plenam, & liberam facultatem concedimus.* Ergo cùm in hac Bulla nulli caſus reſerventur Papæ, quàm illi, qui in hac Bulla Cœnæ continentur; igitur ab omnibus aliis tam occultis, quàm publicis Regulares Mendicantes abſolvere poſſunt quoſcunque fideles. Sic quoque Matth. de Moija *tract. 3. de Sacra-*

mento

*mento Pœnitentiæ diſp.8. qu.6. n.*18. Et quidem hæc facultas privilegiata, ut rectè notat Rodriquez, Suarez, & Herincx cum aliis apud Sannig *Diſt.*11. *de Miniſtro Sacram. Pœnitent. q.*9. *n.*5. non ſolùm ſe extendit ad caſus reſervatos ante conceſſionem prædictam Pauli III. Sed etiam ad reſervandos quovis tempore poſt illam conceſſionem, niſi ſatis ſpecialiter ei derogetur: unde Regulares extra Italiam poſſunt abſolvere duellantem, etſi reſervatio Duelli ſit poſterior privilegio Pauli III. Quia Papa conceſſit hoc privilegium, ut perpetuum, & generale ad omnes caſus reſervatos. Ultimò hic ſubnecto, quod Gobat *tr.*3. *de Jubilæo, c.*33. *nu.*252. habet ſequentia; *Et ſubjicit (quod ego propter nonnullos aliter ſentientes noto) idem Diana, Ordines Mendicantes poſſe eodem modo abſolvere prædictum Clerici percuſſorem, & quidem in caſu, quo res deducta eſt ad forum contentioſum, & lis nondum finita, quod & haud dubiò cenſet Sayrus loco citato; quamquam Avila loquens in ſpecie de percuſſione Clerici p.* 2. *c.*7. *diſp.*3. *dub.*10. *cum aliis meliùs dicat, ejuſmodi abſolutionem eſſe validam quidem, non tamen communiter licitam, propter offenſiones, quæ communiter ſequuntur, quas offenſiones eſſe cavendas, monet prudenter Collector noſtrorum privilegiorum V. Abſolutio.* §. 1. Ita Gobat cit.

## §. III. *Excommunicatio Canonis ob percuſſionem Clerici, & Reliquæ Excommunicationes.*

112 INnocentius Papa II. edidit Canones, *cauſa* 17. *qu.* 4. in Concilio Lateranenſi, *cap.*15. continentes excommunicationem Papæ reſervatam ſequentis tenoris: *Si quis ſuadente Diabolo, in Clericum, vel Monachum manus violentas injecerit, Anathematis vinculo ſubjaceat, & nullus Epiſcoporum præſumat illum abſolvere, niſi mortis urgente periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & ejus mandatum ſuſcipiat.* Quam breviter explicabimus. Itaque

113 I. Hinc excommunicationem incurrunt omnes utriuſque ſexus Perſonæ, & cujuſvis Dignitatis, & Ordinis, etiamſi Eccleſiaſticæ ſint, *quæ ſuadente Diabolo percutiunt* Clericum, vel Monachum. Item conſulentes, mandantes, conſentientes, ſuo nomine factam ratihabentes; non impedientes, ſaltem, ſi ex officio, aut Juſtitia teneantur ut Reges, Judices, & cæteri Superiores; item Patres, Tutores, Heri, Pædagogi, Parochi, &c. quibus aliorum cura demandata eſt. Ita Layman *lib.*1. *tr.*5. *p.*2. *c.*5. *n.*6. Bonacina, Molina, La Croix, Buſembaum, Suarez, Sannig cum communi. An etiam impuberes incurrant hanc excommunicationem. diximus ſuprà *cap.*1. *ſect.*3. *q.*4. *n.*241. Dictum eſt: *qui ſuadente Diabolo percutiunt*; nam ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur peccatum mortale, & externa actiò graviter injurioſa. Ita La Croix *lib.*7. *n.*301. citans Cajetanum, Molinam, Pignatelli, Delbene, alioſque. Ratio eſt, quia Eccleſia non punit graviter, niſi delicta internè, & externè gravia. Hine

114 II. Excommunicationem hanc incurrunt, qui quamvis contumelioſam, & injurioſam actionem externam circa Clericum, vel Monachum committunt, ſive immediata ſit, ſive mediata. Quare ſunt ipſo facto excommunicati ſequentes. I. Detinentes Clericum in publica cuſtodia, vel alio loco, unde exire nequeat. II. Qui occidit Clericum cibo, vel potu intoxicato. Ita Molina, Barboſa, Bonacina, apud Sannig *Diſt.*2. *q.*5. *de excommunicatione, n.*7. III. Verberans Clericum, etiam conſentientem, in ſatisfactionem commiſſi delicti. *Ex cap. contingit,* 1. *de ſenteut. excomm.* IV. Clericus ſibi ipſi verba graviter infligendo animo irato, ex malitia, vel paſſione. Ita Navarrus cum aliis multis. Contrarium tamen probabiliter tenent Toletus, Barboſa, Paſqualigus, Turrianus, Delbene apud La Croix *lib.*8. *nu.* 310. V. Violenter extorquens rem aliquam poſitam in manibus, vel corpore Clerici, vel eumdem conſpergens aqua, pulvere, lapillis, vel ita perſequens, ut in flumen, vel foſſam labatur; injiciens manus in equum, cui Clericus inſidet, occidens, vulnerans, mutilans, aut retento freno ſiſtens equum ejuſdem, & ſimilia faciens, quæ in contumeliam manifeſtam Clerici, & læſionem injurioſam honoris Clerico debiti vergunt. VI. Qui percutit Clericum etiam meritum, ſi fiat, vel per quem non debet, ut ſi morte dignus puniatur à Judice ſæculari, vel modo illicito, ut ſi à Prælato puniatur per Laicum, Bonacina, Navarrus, Sayrus, Suarez, Filliucius, Layman apud *La Croix lib.*7. *num.* 300. *Non tamen incurrunt* hanc excommunicationem Canonis. I. Fur *clam* abſcindens crumenam, vel veſtem tollens Clerico; quia non eſt actio violenta, ſed fraudulenta. Ita Bonacina, La Croix cit. II. *Si* percuſſio ſit jocoſa, vel caſualis; item ſi pueri habentes primam tonſuram ſe pugnis percutiant, Bonacina, Molina, Filliucius apud *La Croix cit.* III. Qui verbis contumelioſis, vel injurioſis Clericum afficeret. IV. Si in die Paraſceves Clericum Perſonam Chriſti agentem Judæi inſigniter percutiant: quia hæc actio externa non eſt injurioſa Ordini Clericali. Imò ſi quis odio talem Chriſtum percuteret, non incurreret hanc excommunicationem; quamvis graviter peccaret: quia hæc excommunicatio incurritur ob injuriam internè, & externè gravem.

III. Ab incurſu hujus excommunicationis excuſantur ſequentes. I. Qui tantùm leviter, aut ex motu primò primo, vel ſecundò primo percutit Clericum, ita ut non peccet mortaliter. Patet ex dictis ſuprà de cauſa, ob quam cenſura gravis infligitur. II. Si quis percutiat Clericum, arbitratus eſſe Laicum, per ignorantiam inculpabilem. III. Volens percutere Petrum Laicum, ſed propter ictum aberrantem, percutit Joannem Clericum. IV. Volens percutere unum Clericum, & ab eo aberrans, præter intentionem percutit Clericum proximè adſtantem. V. Qui in defenſionem ſui, vel alieni corporis, famæ, Bonorum, Pudicitiæ, Clericum aggreſſorem detinet, vel percutit, cum moderamine inculpatæ tutelæ, *ex cap. ſi vero* 1. *cap. ex tenore de ſentent. excomm.* Si tamen Clericus ſolis verbis turpibus mulierem aggrediatur ad ipſam pertrahendam in peccatum carnale, tunc non ſtatim poteſt Clericum percutere, ſed debet eum verbis repellere; ſi tamen Clericus mulieri valdè moleſtus ſit: ut ſe aliter ab eo liberari non poſſit, poteſt eum fuſte, vel verbere abigere. Sicut ex communi docent Avila, Suarez, Ægidius apud Layman *lib.*1. *tract.*5. *p.*3. *nu.*8. Item ſi Clericus injuriam inferens, vel in flagranti gravi crimine deprehenſus de fuga ſuſpectus ſit, poterit interim à Laico capi, vel detineri, ut ſuo Judici Eccleſiaſtico tempeſtivè præſentetur. *Layman cit.* cum communi. VI. Qui in Clericum cum Uxore, Matre, Sorore, vel propria filia turpiter inventum, manus violentas in continenti injecerit, licèt peccet, Canonis tamen excommunicationem non incurrit, ex *c. ſi vero,* 1. *de ſentent. excomm. quia juſtum talem dolorem compeſcere difficillimum eſt,* ait Gloſſa *ibi verb. turpiter. Turpiter* autem *inventus* dicitur, quemcumque impudicum cum ejuſmodi Perſona exercet. VII. Prælatus, Præceptor, Pater, ſi diſciplinæ ſive correctionis cauſa, Clericum percutiat, à cenſura canonis eſt immunis, *ex cap.* 1. *&* 10. *de ſentent. excomm. item ex cap. Univerſitatis* 24. *eod. tit.* in quo ultimo capitulo jubet Pontifex, ut Abbas per ſeipſum, non per alium, Regularis Diſciplinæ cauſa Monachum percutiat, vel ſi neceſſitas poſtulet, per Clericum, vel Monachum (non per Laicum) id fieri jubeat: alioquin, tam qui tales verberari præcipit quàm illi, qui verberant, quamvis ob delictum, excommunicationis ſententiam incurrunt. 115

IV. Quinam comprehendantur ſub nomine Clerici, vel 116 Monachi in hoc canone: *Si quis ſuadente Diabolo,* & conſequenter quinam gaudeant privilegio hujus canonis, diximus jam ſuprà *cap.*1. *ſect.*4. *nu.*433. quæ revidenda ſunt. Quinam vero ab hac excommunicatione abſolvere poſſint, ſciendum, quòd etſi hæc excommunicatio ſit Papæ reſervata, poſſit tamen Epiſcopus ab ea abſolvere in his caſibus. I. Quando percuſſio, etſi ſit mortalis, ſeu peccatum mortale, eſt tamen prudentum judicio levis, comparata cum enormi, v.gr. ſi fiat palma, pugno, aut lapide, non relinquente veſtigium, & ſecundùm *Diana p.*9. *tom.*4. *reſol.* 19. niſi notabilem injuriam, & magnum ſcandalum pariat: qualem negat eſſe, ſi quis Sacerdotem pugno percutiat in faciem, licet guttæ ſanguinis effluant. Enormis vero erit, ſi membrum præſcindatur, copioſus ſanguis effundatur, vel etiam ratione Dignitatis Perſonæ, ut ſi percutiatur Epiſcopus, vel Abbas, etiam alapa. II. Si percuſſor ſit impubes, pauper, æger, ſenex, mulier, cœcus, claudus, ſervus, filiusfamilias, vel non ſui Juris, uti, & Regulares, & Moniales invicem verberantes, & quotquot legitimum habent impedimentum, ut non poſſint ad Papam, aut ejus Legatum, vel ſi dubium ſit de excommunicatione. Denique ſi ſit occulta. Vide La Croix *lib.*7. *n.*300. Quidnam poſſint Confeſſarii Regulares Mendicantes reſpectu ſæcularium, circa abſolutionem hujus excommunicationis, dictum eſt §. præced.

Quantum ad Reliquas excommunicationes Juris non reſervatas, diximus jam ſuprà *hoc cap. ſect.*1. *qu.* 4. *num.* 55. quòd poſſit abſolvere Epiſcopus, Parochus, aliuſque Sacerdos potens abſolvere à peccatis mortalibus: quæ ibidem revideri poſſunt.

### §. IV. *Poteſtas Prælatorum Regularium reſpectivè ad ſuos ſubditos, quoad Abſolutionem ab excommunicationibus.*

117 I. Regulares Prælati, Generales, & Provinciales poſſunt abſolvere, ſuos ſubditos ab omnibus caſibus, à quibus poſſunt Epiſcopi de Jure ſuo. Ratio eſt: quia ipſi habent poteſtatem quaſi Epiſcopalem, ut loquuntur omnes Auctores (*teſte Suarez tom. 4. de Religione tract. 8. lib. 2. cap. 2. num. 9.*) *in Clement. 1. de Rebus Eccleſiarum alienandis*, & ſumitur *ex cap. Abbates, de Privileg. in 6.* ibi: *in quos Eccleſiaſticam, & quaſi Epiſcopalem Jurisdictionem obtinent*. Juriſdictio namque in Regulares, quæ erat penes Epiſcopos, dum eſſent etiam eorum Prælati, ſeu Superiores, translata eſt in Prælatos Regulares per exemptionem à Juriſdictione Epiſcoporum. Hinc juxta Sanchez, Henriquez, Rodriquez, & alios, ut refert, & ſequitur Baſſæus. *V. Abbas*, §. 1. poſſunt abſolvere ſuos ſubditos vi Juris communis ab omnibus caſibus Papalibus occultis, utpote comprehenſis ſub Juriſdictione Epiſcopali amplè accepta, ex conceſſione facta Epiſcopis in *Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 6. de Reformatione*. Quod clare patet ex Bulla S. Pii V. *quæ incipit: Romani Pontificis 13. in Bullario Rodriquez*, edita pro Ordine Prædicatorum, in qua dicitur: *Ne Prior Conventualis, & Superiores Prælati dicti Ordinis, in hac parte deterioris conditionis, quàm Clerici, aut ſæculares exiſtant, eiſdem Priori Conventuali, & Superioribus Prælatis: ut ipſi per ſe ipſos idem omnino poſſint in Fratres, & Moniales dicti Ordinis ſibi ſubditos, quod poſſunt Epiſcopi in Clericos, & Laicos ſibi ſubditos, tam quoad abſolvendi, & diſpenſandi hujuſmodi* (loquitur de facultate conceſſa Epiſcopis in Tridentino ſupra) *quàm alias quaſcunque facultates, eiſdem Auctoritate, & tenore, etiam perpetuò concedimus, & indulgemus, ac etiam declaramus*. Inſuper *Clemens IV.* conceſſit Generali, & Provincialibus Miniſtris & eorum Vicariis Fratrum Minorum ut poſſint abſolvere ſuos ſubditos, etiam hoſpites ab omnibus peccatis commiſſis, ante, vel poſt ingreſſum Religionis, & à quibuſcunque cenſuris, à jure, vel à judice generaliter promulgatis, niſi adeò graves, & enormes ſint, quòd ſint ad Sedem Apoſtolicam merito deſtinandi: ac ipſi ſimile beneficium poſſint obtinere a ſuis propriis Confeſſoribus, nempe juxta formam conceſſionis ſuper abſolutione, & diſpenſatione fratrum, ut addit Sixtus IV. in Mari Magno Minorum, & Mari Magno Prædicatorum, ubi prædictum privilegium confirmat, declarans, quinam ſint merito ad Sedem Apoſtolicam deſtinandi, videlicet Hæretici relapſi, Schiſmatici, falſificantes litteras Apoſtolicas, aut deferentes prohibita ad infideles. Suarez tamen *de Religione tom. 4. tr. 8. lib. 2. cap. 21. num. 2.* docet. Exceptiones illas eſſe ſublatas, & ſignanter Gregorium XIII. dediſſe facultatem abſolvendi etiam relapſos in Hæreſim, & colligitur ex conceſſione Martini V. & Eugenii IV. Ita P. Herinex *de Sacramento Pænitentiæ diſp. 7. quæſt. 3. & P. Sannig diſt. 11. de Sacramento Pænit. quæſt. 9. num. 7.*

118 II. Prædicta poteſtas videtur etiam extenſa ad Prælatos Locales, ut habet Hieronymus *Rodriquez, Reſol. 3. num. 1.* & patet ex conceſſione Gregorii XI. quæ refertur in *Mari Magno Prædicatorum num. 41.* Reſtrictio autem facta à Sixto IV. in Bulla Aurea (quæ eſt 20. apud *Rodriquez*) eſt ſublata per eumdem, partim Bulla ſequenti, in qua eadem poteſtas conceditur Prioribus Conventualibus Fratrum Prædicatorum Lombardiæ, & Hiſpaniæ, quam antè habuerant (quæ conceſſio per alia privilegia extenditur ad totum Ordinem, & conſequenter communicatur Prælatis localibus aliorum Ordinum) partim Bulla 22. in qua Prioribus Conventualibus relinquit poteſtatem eis conceſſam per prædeceſſores, ſcilicet Gregorium XI. Deinde reſtrictio eadem eſt ſublata per ampliſſimas privilegiorum confirmationes ex certa ſcientia factas. Ulteriùs prædicti Superiores poſſunt ejuſmodi abſolutiones, & diſpenſationes exercere, etiam per ſuos delegatos juxta Rodriquez: Nam poteſtas illa cenſetur quaſi Ordinaria, utpotè perpetuò annexa officio, ſeu Dignitati, quam eſſe Ordinariam docent plurimi, quos citat, & ſequitur Sanchez *lib. 2. de Matrim. d. 40. n. 14 & 15.* Portel. *V. Prælatus, in Addit. num. 2.* atque idem habet praxis, ait Herinex cit. *num. 17.* Imò, ut rectè notat *Rodriquez, Suarez*, & Alii, apud Herinex modo cit. *num. 19.* Hæc privilegia ſe extendunt etiam ad caſus à Pontifice reſervandos poſt ipſorum privilegiorum conceſſionem, niſi ſatis ſpecialiter illis derogetur. Tum, quia Papa concedit iſta privilegia, ut perpetua, & Generalia ad omnes caſus reſervatos: tum quia ſunt favorabilia in ſolius concedentis præjudicium cedentia, adeoque latè interpretanda. Tum quia ſi Papa præſentationem Beneficiorum alicujus Provinciæ det Regi, extenditur Jus etiam ad illa, quæ poſteà eriguntur, *cap. quia circa, de Privilegiis*. Denique addit *Sannig cit. num. 13.* Prælatos Regulares poſſe prædictam facultatem abſolvendi tam intra, quàm extra Sacramentum Pœnitentiæ exercere; item poſſunt illam delegare cuicunque Confeſſario Regulari: item poſſunt ſibi de jure communi eligere Confeſſarium, ad hujuſmodi abſolutionem obtinendam, *& num.* 10. ab iiſdem caſibus omnibus, & cenſuris poſſunt Regulares Prælati abſolvere Novitios, qui jam ſuſceperunt habitum, vel qui de proximo ſunt ſuſcepturi, *& num.* 11. Novitii, qui propoſitum habent perſeverandi in Religione, quam ſuſceperunt, vel vota emittere ſunt parati, abſoluti à cenſuris reſervatis, quamvis poſteà à Religione recedant, in illas cenſuras non reincidunt, ex privilegio Clementis IV. in Bulla. *Noverint univerſi*, ex Bulla Pauli III. *Licet debitum*, & ex Bulla Eugenii IV. *Injunctum*. Idem docet Kerckhove *in ſtatuta noſtra Generalia c. 1. §. 5. n. 1. & 9.*

III. Sed dubium eſt, an hujuſmodi privilegia conceſſa 119 Regularibus Prælatis, abſolvendi ſuos ſubditos ab omnibus caſibus, & cenſuris etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ſint revocata quoad caſus Bullæ Cœnæ per annuam ejuſdem publicationem? Affirmant plurimi. Ratio eſt: quia Bulla Cœnæ ſuprà *numer.* 104. adducta derogat omnibus privilegiis etiam Ordinibus Mendicantibus conceſſis Nihilominùs Pater Herinex *diſputat. 7. de Sacramento Pœnitentiæ, quæſtion. 3 num. 18. ait*. Veriſimilis paſſim habetur ſententia negativa, quam docet Rodriquez. Suarez, Diana *p. 1. tract. 5. Reſol. 6* plures citans. Tum quia non videtur præſumenda in Pontificibus ea inconſtantia, ut quod hodie conceſſerunt mox ipſi, vel Alii per ſolitam Bullam revocent. Tum quia conſonant variorum Pontificum conceſſiones, ſive declarationes apud *Baſſæum, V. Abbas, num. 8. §. 5.* ſignanter Gregorii XIII. ut refertur in *compendio Societatis, V. Bulla Cœnæ*. Verùm attendenda ſunt verba Bullæ utentis clauſulis multùm derogatoriis: optandaque foret apertior S. Sedis deciſio: & recolatur memoria, quòd Alexander VII. reprobaverit doctrinam hujus Articuli, qui eſt Ordine quartus: *Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcunque Sæculares ab Hæreſi occulta & ab excommunicatione propter eam incurſa*. Quod à fortiori ad cæteros Regularium Confeſſarios extenditur. Huc uſque P. Herinex. *P. Sannig Diſt. 11. de Sacramento Pænitentiæ, quæſt. 9. num. 8.* docet, Prælatos Regulares poſſe ſuos ſubditos à caſibus Bullæ Cœnæ occultis abſolvere, non obſtante Bulla Cœnæ, eſſe veroſimilius. *Joannes Maria Sbogar, tract. 140. n. 42.* ait: Dico II. Prælatos Regulares poſſe ſuos ſubditos ab omnibus caſibus occultis in Bulla Cœnæ contentis, & ab Hæreſi occulta abſolvere. *P. Anacletus Reiffenſtuel lib. 5. Decret. tit. 39. n. 255.* inquit. Et inter alia ex privilegio conceſſo per conſtitutiones Pauli III. Gregorii XIII. & aliorum, Regulares Mendicantes præſertim Ordinis noſtri poſſunt abſolvere ab omnibus peccatis, & cenſuris, putà excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto perſonali, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ſolis exceptis caſibus in Bulla Cœnæ contentis, à quibus tamen ſuos ſubditos Regulares abſolvere valent Superiores. Noſter Emanuel Rodriquez, *tom. 1. quæſtionum Regularium, quæſt. 20. art. 9.* docet, noſtros Prælatos Regulares, videlicet Generales, Provinciales, ac Guardianos poſſe ſuos ſubditos Religioſos, ex Conceſſione Clementis IV. & Sixti IV. abſolvere ab omnibus peccatis, & cenſuris, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, *exceptis relapſis Hæreticis, Schiſmaticis, & illis, qui Litteras Apoſtolicas falſificarunt, vel ad infideles prohibita detulerunt*: quia hos prædicti Pontifices exceperunt. Ratio ipſius eſt: quia Bulla Cœnæ non revocat privilegia *expreſsè concedentia facultatem abſolvendi à caſibus Bullæ Cœnæ* data à Summis Pontificibus, quod tamen fieri deberet. Noſter Fel. Poteſtas *in Examine Confeſſariorum, tom. 1. part. 4. c. 5. n. 3375.* docet, Prælatos Regulares abſolvere poſſe ſuos ſubditos ab omnibus caſibus reſervatis in Bulla Cœnæ Domini, exceptis quinque, videlicet *Schiſmate, relapſu in Hæreſim, falſificatione Litterarum Apoſtolicarum, delatione prohibitorum ad infideles, & conſpiratione in Romanum Pontificem*. Ratio ipſius eſt; quia Julius II. per Bullam (quam refert *Rodriquez in Bullario pag. 273.* ac etiam ipſe *Fel. Poteſtas cit. n. 3399* quæ incipit. *Exponi nobis*) datam 2 *Februar.* 1510. hoc in terminis formalibus ſic declaravit, & conceſſit, *non obſtante Bulla Cœna Domini*, uti ipſemet legi. Antonius à Spiritu S. Carmelita Diſcalceatus in ſuo Directorio Regularium *part. 1. tract. 2. diſp. 1. ſect. 1. §. 2. num. 31.* ait: ſed quia hæc privilegia adhuc aliquos caſus excipiunt, accipe aliud ampliſſimum privilegium Pii V. *Bulla* 129 apud *Cherubinum tom. 2.* inter Bullas hujus Pontificis, in qua conceditur Prælatis Caſſinenſium facul-

Digitized by Google

cultas abſolvendi toties, quoties ſuos ſubditos, etiam Novitios (*in Religione tamen perſeverantes*, addit *Hyacinthus Donatus tom.* 1. *parte* 1. *tract.* 13. *quæſtion.* 17. *numer.* 5. idem privilegium adducens) ab omnibus, & quibuſcunque peccatis, ſententiis, & pœnis (Hyacinthus Donatus citatus addit: *cenſuris* pro *Sententiis*) licet fuerint de caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, vel de comprehenſis in Bulla Cœnæ, ſive crimina ſint occulta, ſive publica, quam Bullam etiam refert Peyrinus *ad Conſtit.* 4. *Sixti IV.* Unde cùm in hac Bulla nullus caſus etiam Bullæ Cœnæ excipiatur, omnes cenſentur conceſſi, ſive occulti, ſive publici ſint, *dummodò tamen ſemper Hæreſis excipiatur.* Ita Antonius à Spiritu Sancto loco citato. Hyacinthus Donatus Dominicanus *in praxi Rerum Reg. tom.* 2. *part.* 1. *tract.* 11. *quæſtion.* 18. docet, Prælatos Regulares poſſe in foro animæ ſuos ſubditos abſolvere ab hæreſi occulta, etiamſi forent relapſi in Hæreſim, ex privilegio Jeſuitis conceſſo à Gregorio Papa Decimo Tertio: quo, Anno 1588. 18. Martii, indultum fuit Generali eorumdem, ut poſſet abſolvere ſuos ſubditos ab Hæreſi, & à relapſu in Hæreſim, habeturque in compendio privilegiorum dictæ Societatis, *Verbo: Abſolutio* 1. §. 7. & refert *Suarez tom.* 4 *de Religione tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 2. Idem Hyacinthus Donatus *cit. quæſt.* 19. docet, Prælatos Regulares cum ſuis ſubditis poſſe diſpenſare in Irregularitate occulta Hæreſis, & hoc ex duabus ſatis ſundatis rationibus. Prima eſt: quia ex nullo capite, apparet, hanc poteſtatem eſſe revocatam. Secunda eſt: quia Epiſcopi hoc poſſunt reſpectu ſuorum ſubditorum. Eligius Baſſæus Capucinus *in ſuis floribus*, *Verbo: Abbas*, §. 2. docet, Prælatos Regulares etiam locales, poſſe abſolvere ſuos ſubditos Regulares ab Hæreſi occulta id eſt, non publica, quamvis juridicè probari poſſit, & à reliquis caſibus Bullæ Cœnæ, item à ſimonia quomodolibet contracta, & excommunicatione Canonis, atque à quibuslibet caſibus, & excommunicationibus Epiſcopo reſervatis, in quos fortè lapſi eſſent ante Profeſſionem. Item Prælatos Fratrum Minorum, & Confeſſarios per eos deputatos abſolvere poſſe Moniales ſibi ſubditas ab omnibus peccatis, & cenſuris, à quibus poſſunt abſolvere ſuos Fratres. Ita Rodriquez. Idem apud la Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1622. affirmat Bonagratiu, & apud Mathæucci *in officiali curia Eccleſiaſtica cap.* 38. *num.* 24. Sanctorus *Comment.* c. 2. *Stat.* 14. *ſub* §. 1. *verſ.* 4.

120 IV. Ex his *Sequitur*. I. Quod licèt Prælati Regulares poſſint ſuos ſubditos Regulares abſolvere à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis juxta ſupradicta; ac etiam Confeſſarii Regulares Mendicantes poſſint ſæculares abſolvere à cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſervatis extra Bullam Cœnæ, utì etiam ſuprà dictum fuit: nequeant tamen Confeſſarii Regulares Mendicantes ab ullo ex caſibus, & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſervatis, abſolvere Regulares, ſi non ſint eorum Prælati: Ratio eſt, quia prædictum privilegium abſolvendi à caſibus, & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſervatis conceſſum eſt Confeſſariis Regularibus reſpectu Sæcularium, non Regularium. Vide P. Sporer *Theol. Sacrament. parte* 3. *cap.* 6. *ſect.* 2. *num.* 743. Unde Confeſſarii Regulares ſubditi neque Religioſos ejuſdem Ordinis ſui abſolvere poſſunt ab ejuſmodi caſibus Papalibus, niſi ad id à Superioribus ſpecialiter deputati ſint. *Sequitur*. II. Quando Provincialis in Conventibus deputat Confeſſarios pro caſibus reſervatis, an eiſdem tantum conferat poteſtatem in caſus in Ordine reſervatos Superioribus, an etiam in caſus Papales iſtos? Reſpondet *Pater Sporer citatus* debere intelligi mentem Provincialis ex forma verborum; ſi enim dicat, *Do tibi totam meam poteſtatem, & facultatem abſolvendi ab omnibus, à quibus ego poſſum*, cenſetur etiam dare facultatem in iſtos caſus Papales. Secùs, & ſaltem dubium eſſet, ſi dicat: *Do tibi facultatem ab omnibus caſibus mihi reſervatis*. Vide, quàm meritò nuper declaratum ſit, Confeſſarios etſi deputatos ad caſus reſervatos, non tamen poſſe abſolvere percuſſores Fratrum. Vide *Patrem Sporer cit.*

## SECTIO III.

### *De Suſpenſione, & Interdicto.*

## QUÆSTIO I.

### *Quid ſit Suſpenſio, & Quotuplex.*

## SUMMARIUM.

122 *Suſpenſio eſt cenſura Eccleſiaſtica, qua Clericus privatur uſu poteſtatis Eccleſiaſticæ &c.*

123 *Eſt triplex: Una ab Officio tantùm, alia à Beneficio tantùm: Tertia ab utroque.*

124 *Subjectum ſuſpenſionis ſunt Clerici, quicumque tandem, etiam Epiſcopi.*

125 *Suſpenſiones in ſpecie contra Clericos, & Religioſos, ac etiam Epiſcopos, à Jure latæ enumerantur.*

## ASSERTIO I.

*SUſpenſio eſt cenſura Eccleſiaſtica, qua Clericus privatur* 121 *uſu poteſtatis Eccleſiaſticæ ſibi competentis, aut ratione Ordinis ſui Clericalis, aut ratione Beneficii, eſtque præſertim triplex, una ab Officio tantùm, alia à Beneficio tantùm, & Tertia ab utroque.* Communis.

### §. I. *Suſpenſio eſt cenſura Eccleſiaſtica.*

PEr has particulas Suſpenſio genericè convenit cum 122 reliquis cenſuris: ex parte tamen etiam indicatur illius differentia ab aliis pœnis Eccleſiaſticis, quæ propriè cenſuræ non ſunt, veluti irregularitas, degradatio, depoſitio. Additur: *qua Clericus privatur uſu poteſtatis Eccleſiaſticæ, &c.* per quas particulas Suſpenſio differt præcipuè ab excommunicatione, & interdicto; ab excommunicatione quidem, quæ licet etiam privet Miniſtrum Eccleſiæ, ne functiones Eccleſiaſticas exerceat, id tamen ſolùm præſtat, quatenùs hujuſmodi functiones ſunt quædam cum fidelibus communicatio, à qua excluditur excommunicatus: at ſuſpenſio talibus privat non ſub dicto reſpectu, ſed prout ſunt uſus alicujus Eccleſiaſticæ Poteſtatis, provenientis ab Officio, vel Beneficio. Item excommunicatio pluribus privat, quàm ſuſpenſio. Differt ab interdicto: hoc quippe, & pluribus privat, ut infra dicetur: & licèt etiam privet adminiſtratione Sacramentorum, non tamen eatenùs, quatenùs illa eſt uſus cujuſdam poteſtatis ſpiritualis Eccleſiaſticæ provenientis ab Ordine, vel Beneficio: ſed quatenùs eſt communicatio quædam, & quaſi cooperatio illius: quia interdictus nec miniſtrare poteſt, nec aliquo modo cooperari actioni Sacræ, quod non verificatur de ſuſpenſo. Tandem excommunicatio, & interdictum æquè Perſonas Laicas, ac Eccleſiaſticas afficiunt: Suſpenſio verò ſolas Eccleſiaſticas afficit. Hinc Confeſſarii, dum abſolvunt Laicos, omittunt abſolutionem à ſuſpenſione *ex Rituali Pauli V.* Ea propter nec Abbatiſſæ, vel Prioriſſæ, etſi ſuſpendi poſſint ab Officio, non tamen ſuſpenduntur ſuſpenſione propriè dicta, quæ ſit cenſura Eccleſiaſtica; alioquin violantes fierent irregulares, juxta *cap. Is, cui, de Sentent. Excomm. in* 6. *&c. de ſentent. & Re Judic. in* 6. quod nemo dicet.

### §. II. *Suſpenſio eſt triplex.*

UNa ab Officio tantùm, alia à Beneficio tantùm, tertia 123 ab utroque. *Suſpenſio ab Officio* eſt, qua Clerico executio ſuorum Ordinum, & juriſdictionis Eccleſiaſticæ interdicitur. *Suſpenſio à Beneficio* eſt, qua Clericus fructus Beneficii percipere prohibetur. *Suſpenſio ab utroque* eſt, qua Clericus impeditur tam ab executione Officii, quàm perceptione fructuum Beneficii: & hæc poſterior appellatur *Suſpenſio totalis*: duæ verò priores *partiales*. Si in jure proferatur ſententia ſuſpenſionis ſimpliciter, & abſolutè, nec exprimatur, an ſit ab Officio, venit de ſuſpenſione ab utroque ſimul, ut communiter Doctores affirmant. Rurſus ſuſpenſio ab Officio alia eſt *ab Officio in totum*, privans omni uſu Officii, veluti, ſi quis ſuſpendatur ab Ordine, & Juriſdictione: alia eſt *ab Officio in partem*, non omni, ſed ſolùm aliquo Officii uſu privans, verb. gr. ſi quis ſolùm ſuſpendatur ab excipiendis Confeſſionibus. Similiter ſuſpenſio à Beneficio aliquando privat omni adminiſtratione Beneficii, & fructuum perceptione: aliquando ſolummodò adminiſtratione certi Beneficii, & perceptione horum, vel illorum fructuum. Dividitur etiam ſubinde ſuſpenſio in *merè pœnalem, & medicinalem*; prior non eſt propriè cenſura, cùm infligatur ob peccatum merè præteritum, bene verò poſterior: quia per eam intenditur emendatio delinquentis, petitque auferri, ſepoſita contumacia. Doctor noſter Subtilis 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 1. *nu.* 13. aliam ſuſpenſionis ſpeciem aſſignat, quæ eſt *ab ingreſſu Eccleſiæ*, quam Recentiores arbitrantur eſſe ſpecies interdicti: nihilominùs videtur eſſe ſpecies ſuſpenſionis. Nam *cap. Is, cui, de ſentent. Excommunic. in* 6. *& cap. fin. de offic. Ordin. in* 6. dicitur: *Alioquin Epiſcopi, & eorum Superiores ab ingreſſu Eccleſiæ, cæteri verò ab Officio, & Beneficio tandiù eo ipſo noverint ſe ſuſpenſos, quouſque reſtitutionem fecerint de prædictis.* Ex quibus patet, prohibitionem ab ingreſſu Eccleſiæ aliquan-

quando ſumi pro parte ſubjectiva ſuſpenſionis: aliàs quippe debitus ibi non ſeevaretur nexus, & connexio. Accedit, quòd prohibitio illa, in quantum ponitur ſpecies ſuſpenſionis, propriè ſit Cleeicorum: & ideò *cit cap. Is, cui*: violantes illam pronuntiantue irregulares: conſiſtit autem in eo, quòd Clericus illa affectus, in Eccleſia celebrare non poſſit, nec Divinis intereſſe Officiis: poteſt tamen in ea orare, Sacramenta recipere, & juriſdictionem exceeere, ibique ſepeliri, ſi pœnitens decedat, veluti *ex cit.cap.* colligunt *Sayrus*, *Emanuel Sà*, & Alii DD. apud Maſtrium *Theol. Moral. diſp. 13. quæſt. 3. num.* 88. At quatenùs continetur ſub interdicto, eſt quædam Pœna Clericis, & Laicis communis, pluresque effectus operatue, ut infrà de interdicto.

### §. III. *Subjectum Suſpenſionis*

124 SUnt Clerici, quicunque tamen, & quaecunque Dignitate fulgentes, etiam Epiſcopi, ſi de his in Decreto ſuſpenſionem continente fiat expreſſa mentio; ſi verò non fiat Epiſcoporum expreſſa mentio, hi non comprehenduntur ſub Decreto ſuſpenſionem continenre, etiamſi nondum eſſent conſecrati, ſed tantùm electi, & confirmati forent. Ita *Suarez*, *Layman*, *Sayrus*, *Palaus*, *&c.* Ratio eſt: quia alia privilegia Epiſcopis conceſſa extenduntue ad Epiſcopum confirmatum, & non conſecratum: veluti eſt privilegium de eligendo confeſſario, *capite ultimo de Pœnitentia, & Remiſſione*, & privilegium Altaris Viatici, *cap. fin. de Privilegiis in* 6. Ergo ſimiliter Epiſcopus confirmatus, licèt nondum conſecratus, gaudebit privilegio indulto per *cap. quia Periculoſum*, *de Sententia Excommunicationis in* 6. Virtute cujus Epiſcopi non comprehenduntur ſub Decreto Generali ſuſpenſionis, & interdicti, nulla illorum facta expreſſa mentione: præſertim, cùm privilegia à Principe conceſſa: & maximè inſerta Juri communi ſint latè interpretanda.

### §. IV. *Suſpenſiones in ſpecie*

125 A Jure latæ, à *Buſembaum* apud *La Croix lib.* 8. *nu.* 203. communiores recenſentur ſequentes. I. *Clerici ipſo Jure ſuſpenſi ſunt* 1. Recipientes Ordines Sacros ab alieno, vel a proprio in aliena Diœceſi, vel ſine ætate legitima, aut Dimiſſoriis, aut titulo, vel extra tempus, aut non ſervatis interſtitiis, vel per ſaltum, vel in cenſura, vel denique poſt Matrimonium ratum, qui omnes ſuſpenſi ſunt ab executione Ordinum, niſi fecerint abſque dolo, & ſi Ordine utantue, fiunt irregulares 2. Excommunicans, ſuſpendens, aue interdicens ſine ſcriptum, & cauſæ expreſſione, eſt ſuſpenſus per menſem ab ingreſſu Eccleſię, niſi ſit Prælatus Regularis 3. Clerici ſcienter eligentes Epiſcopum, vel Parochum indignum, ſuſpenduntur à Beneficus biennio 4. Ordinans, & Ordinatus ſimoniacè eſt ſuſpenſus ab Ordinibus 5. Parochi jungentes ſponſos alterius Parochiæ ſine licentia 6. Gravantes alienis debitis Eccleſias ſibi commiſſas. 7. Occupantes bona, vel cenſus Eccleſiæ, Beneficii, vel alterius pii loci. 8. Sodomiam exercentes, ſimoniaci, provocantes ad Duellom, vel acceptautes, raptores, vel præbentes auxilium. 9. Diſputantes in alterutram partem in cętu virorum, ac mulierum, de Immaculata Conceptione B. Virginis. 10. Viſitantes, ſi accipiant pecuniam, vel munera; qui ſi ſine Epiſcopi, ſuſpenſi ſunt ab ingreſſu Eccleſiæ: ſi inferiores Epiſcopo, ab Officio, & Beneficio, uſque dum reſtituant duplum. 11. Judex Eccleſiaſticus (non Epiſcopus) qui facit injuriam contra Juſtitiam, & conſcientiam parti litiganti. II. *Religioſi ſunt ſuſpenſi*. 1. Apoſtatæ recipientes Ordines in Apoſtaſia. 2. Admittentes ad Profeſſionem ante annom probationis peractum. 3. Non utentes habitu, & veſtitu, modo ſibi præſcripto. 4. Introducentes mulieres in Monaſteria. III. *Epiſcopus eſt ſuſpenſus*. 1. A Pontificalibus per annum, ordinans non ſubditum; ordinans verò invitum ſuſpenſus eſt per annum à Celebratione. 2. Admittens reſignationes contra formam præſcriptam. 3. Intrans Monaſteria Monialium ſine neceſſitate.

## QUÆSTIO II.

*De Effectibus ſuſpenſionis, & ejuſdem Abſolutione.*

### SUMMARIUM.

127 *Quinam poſſint ferre cenſuram ſuſpenſionis, & ob quam cauſam?* Remiſſivè.
128 *Quibus privet Suſpenſio ab Officio, abſolutè, & ſimpliciter lata.*
129 *Suſpenſus ab Ordine ſimpliciter, eſt ſuſpenſus ob omni.*
130 *Quibus privet ſuſpenſio à Beneficio?*
131 *An privet etiam fructibus Beneficii?*
132 *Qualiter peccent violantes ſuſpenſionem, & quales pœnas incurrant?*
133 *Quibus modis tollatur ſuſpenſio? Ubi etiam de forma abſolutionis à ſuſpenſione.*

### ASSERTIO II.

126 *SUſpenſio ab officio abſolutè, & ſimpliciter lata privat omni uſu Ordinis, & Juriſdictionis, non tamen Beneficio habito, neque fructibus; benè verò novo Beneficio obtinendo. Sic etiam ſimpliciter, & abſolutè ſuſpenſus ab Ordine, cenſetur eſſe ſuſpenſus ab omni Ordine, & ſuſpenſus ab inferiori Ordine cenſetur etiam ſuſpenſus à Superiori Ordine, non è contra. Similiter ſuſpenſio à Beneficio abſolute lata privat omnibus fructibus Beneficiorum, quæ ſuſpenſus poſſidet, non tamen ipſis Beneficiis poſſeſſis, nec reddit inhabilem ad Beneficium recipiendum. Violans ſuſpenſionem peccat mortaliter, & incurrit pœnas à Jure ſtatutas. Tollitur verò ſuſpenſio tribus modis.* Communis apud Auctores citandos.

### §. I. *Suſpenſio ab Officio.*

127 QUinam poſſint ferre cenſoram ſuſpenſionis, & ob quam cauſam, ſufficienter colligitue ex dictis ſuprà de cenſuris in genere: de effectibus ſuſpenſionis hic aliqua dicenda reſtant, quæ breviter expediemus. Itaque

128 Suſpenſio ab Officio abſolutè, & ſimpliciter lata privat omni uſu Ordinis, & Juriſdictionis, ac muneris Eccleſiaſtici aliàs ſibi convenientis, & Communis DD. apud Maſtrium *Theol. Moral. diſp.* 13. *quæſt.* 3. *art.* 2. *num.* 93. Ratio eſt: quia ſuſpenſio ab Officio abſolutè lata ad aliquam Officii Eccleſiaſtici partem non coarctatur: ergo comprehendit totum, & proinde hæc ſuſpenſio ab Officio dicitur totalis; quia ſuſpendit ab omni actu Ordinis, & Juriſdictionis. Si verò ſuſpenſio ab officio non abſolutè feratue, ſed determinatè ad aliquam materiam, non extenditoe ultra illam. Ratio eſt: quia pœnæ ultra proprietatem verborum non ſunt extendendæ. Unde ſuſpenſus ab Ordine, non eſt ſuſpenſus à Juriſdictione, & è contra ſuſpenſus à Juriſdictione poteſt exercere ea, quæ præcisè requirunt poteſtatem Ordinis. Præterea ſuſpenſus à certo Juriſdictionis actu, verbi gratia collatione Beneficiorum, reliquos exercere poteſt: quia prohibitio unius eſt tacita conceſſio alterius, *Herinex diſp. 6. num.* 66. & Alii communitee. Nihilominùs tamen, ſi quis ſic ſimplicitee, & abſolutè ſuſpenſus ab officio, per hoc ipſo jure non privatur Beneficio habito, neque fructibus illius, juxta *Navarrum*, *Sanchez*, *Sayrum*, *Coninch.*, & Alios apud *Layman lib.* 1. *tract.* 5. *parte* 3. *cap.* 5. *num.* 3. etiamſi illi fructus eſſent quotidianæ diſtributiones Cathedralium, juxta *Andream à Matre Dei*, *Sanchez*, *Palaum*, & Avilam. Ratio eſt, quia pœnæ abſque manifeſto textu non ſont extendendæ, ſed nullibi legitue, quòd ita ſuſpenſus privetur ipſo jure Beneficiis, aut fructibus Beneficii prædictis; ergo. Accedit, quia ſuſpenſio ab officio, & ſuſpenſio à Beneficio ſunt pœnæ diverſæ, & poteſt una executioni mandari ſine altera: ſi videlicet ſuſpenſus ab Officio, interim temporalem adminiſtrationem gerat, & fructus percipiat. Officio verò, quatenùs ei conceſſum eſt, ſatisfacere paratus ſit videlicet Horas Canonicas recitando, & ad alia munia Eccleſiaſtica Vicarium conſtituendo. An verò abſolutè, & ſimpliciter ſuſpenſus ab Officio poſſit licitè, & validè conſequi novum Beneficium? Controvertitur inter Doctores quòd *illicitè* conſequatue, communitee conceditur; quantùm *ad validè*, docent probabiliùs *Maſtrius cit. num.* 95. & apud ipſum *Avila*, *Suarez*, *Vaſquez*, *Faber*, & plures Alii Doctores, ſuſpenſionem ab officio, reddere ſuſpenſom inhabilem ad novi Beneficii conſecutionem, & conſequenter non poſſe validè conſequi Beneficium. Ratio eſt: quia, cùm Beneficium detur propter Officium, repugnat, ut

illi

illi detur Beneficium, qui privatus eſt Officio. Nec eſt par ratio, aut ait *Faber*, de perceptione fructuum Beneficii jam obtenti, & Beneficii de novo poſt ſuſpenſionem collati; nam in primo, qui jam habet beneficium, habet jus acquiſitum in fructibus ejus, quo per ſuſpenſionem non privatur; at in ſecundo nullum jus habetur, & novus titulus confertur, quod ſuſpenſo repugnat, ut jam dictum. Quòd verò *in cap. cùm Bona Memoriæ*, 8. de *ætate*, *& qualitate*, *& Ordine Præficiendorum* dicatur talem collationem eſſe irritandam, explicari debet, irritam eſſe declarandam, ſeu ab initio irritam jam fuiſſe, ut alii ſimiles textus in jure explicari ſolent.

129 Similiter ſuſpenſus ab Ordine, abſolutè, & ſimpliciter eſt ſuſpenſus ab omni Ordine. Ratio eſt: quia verba Generalia comprehendunt omnia, quæ ſub tali ſpecie continentur: ſed ſub *Ordine* generaliter prolato continetur omnis Ordo, ergo. Item ſuſpenſus ab Ordine inferiori, v. g. Subdiaconatu, etiam cenſetur eſſe ſuſpenſus ab Ordine ſuperiori Diaconatus, & Sacerdotii. Ratio eſt, quia cui non licet minus, nec licebit, quod eſt majus, cùm minus contineatur ſub majori, quod etiam colligitur *ex cap. cùm illorum 32. de Sentent. Excommun.* ibi; *cùm majora intelligantur illis prohibita, quibus vetita ſunt minora*. Non tamen, qui ſuſpenſus eſt ab Ordine Superiori, cenſetur etiam ſuſpenſus ab inferiori. Ratio eſt: quia Ordo inferior, cùm conferatur ſine ſuperiori, poteſt etiam exerceri ſine ſuperiori, eo quòd Ordo inferior non includat ſuperiorem, & alicui poſſit licere minus, cui non licet majus.

### §. II. *Suſpenſio à Beneficio*

130 NOn privat ſuſpenſum ipſo beneficio, juxta omnes, recte *Andrea à Matre Dei cap. 5. num. 34. ex cap. cupientes, §. Cæterùm, de Elect. in 6.* Sed privat tantùm perceptione fructuum beneficii, juxta communem apud *Maſtrium citat. num. 97.* quia cùm non tollat titulum, & poſſeſſionem beneficii, nec jus radicale percipiendi fructus, debet ad minus tollere uſum talis juris: & ſi ſuſpenſio à beneficio ſit abſolutè, & ſimpliciter lata, privat omnibus fructibus beneficiorum, quæ ſuſpenſus poſſidet, quia non eſt, cur tunc ſuſpenſio potiùs de uno, quàm de altero lata intelligatur, niſi tamen aliud rationabiliter ex intentione ferentis, aut quadam alia circumſtantia conjecturare liceret. Suſpenſio tamen à beneficio non reddit ſuſpenſum inhabilem ad beneficium recipiendum, juxta probabiliorem ſententiam *Layman*, *Andrea à Matre DEI*, *Palao*, & Aliorum. Ratio eſt, quia talis collatio nullo expreſſo jure irritatur, & cùm ſuſpenſus à beneficio, adhuc poſſit liberè actus officii exercere, quorum intuitu confertur beneficium, non eſt cur collatio illa ſit ipſo jure nulla, tametſi infirmanda ſit per ſententiam Judicis. Quam ſententiam ſaltem in foro conſcientiæ habere locum, inquit Layman *lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 1. num. 3.* Quid autem nomine fructuum, quorùm perceptione ſuſpenſio privat, veniat? conveniunt Doctores venire Decimas, Primitias, Oblationes, Penſiones ædium locatarum & reliqua emolumenta, quæ percipiuntur ratione beneficii. De Diſtributionibus quotidianis, quæ intereſſentibus Divinis Officiis aſſignantur, etiam dicendum eſt, eas venire nomine fructuum, ſi ſint extractæ ex fructibus beneficii, eò quòd fructus beneficii in diſtributiones quotidianas fuerint diviſi: ſecùs dicendum, quando ex peculiari fidelium fundatione ſunt extractæ, eſto tales Beneficiatis applicentur. Ita *Palaus numer. 4.* citans alios. Ratio eſt: quia illæ diſtributiones juxta primum ſenſum magis ſunt fructus beneficii, quàm diſtributiones, cùm etiam ab infirmis, & legitimè abſentibus obtineantur; at in altero ſenſu non tam intuitu beneficii, quàm Officii conceduntur: & licèt beneficium ſit conditio, non tamen eſt cauſa conceſſionis.

131 Hic etiam advertit *Andreas à Matre Dei, num. 34.* citans *Navarrum, Avilam, Dianam*, & quoſdam alios, quod ſicut excommunicatus, ſi officium per ſe, vel per alium, licitè, ſive illicitè exequatur (*de quo ſect. præced. quæſt. 2. n. 87.*) non tenetur fructus beneficii ante ſententiam Judicis reſtituere, ita neque ſuſpenſus teneatur illos perceptos ante judicis ſententiam reſtituere: ubi tamen ſimiliter ſuſpenſus ſupponitur officium per ſe, vel per alium exequi, alioquin jure naturæ ad fructuum reſtitutionem teneretur. Denique ſuſpenſus à beneficio non privatur jure eligendi, aut conferendi beneficium, quod ipſi ratione beneficii competit. Ratio eſt, quia poteſtas eligendi, aut conferendi beneficia provenit quidem à beneficio, electio tamen, aut collatio non eſt actus, nec fructus beneficii, ſed actus officii, ex beneficio competentis. *Layman cit. num. 4.*

### §. III. *Violatio Suſpenſionis*

EX genere ſuo eſt peccatum mortale, ob ſeriam prohibitionem Eccleſiæ in re gravi, niſi excuſet parvitas materiæ, uti foret, ſi ſuſpenſus ab Ordine miniſtraret in Minoribus, quia frequenter Laici ſic miniſtrant. Excipiendum tamen, ſi ſuſpenſus ab Officio non ſit denuntiatus & ad petitionem aliorum fidelium officia, à quibus eſt ſuſpenſus, miniſtret, quia tunc, ſi priùs à ſuſpenſione abſolvi nequeat, licitè illa miniſtrat, quantum eſt ex parte cenſuræ, ex Concilio Conſtantienſi, *Ad evitanda ſcandala*, ſuprà adducto; ſiquidem petitio fidelium ſuſpendit prohibitionem cenſuræ, redditque actum licitum, qui aliàs illicitè fieret. Secùs eſſe cenſent *Suarez*, *Sayrus*, *Fagundez*, *Toletus &c.* quando ſuſpenſus eſt denuntiatus, nimirùm, non licere illi extra urgentiſſimam neceſſitatem ejuſmodi officia exercere, quia tunc petitio fidelium eſſet iniqua, utpote inductiva ad peccatum: Et quamvis non extet præceptum Eccleſiæ talem vitandi, quia tamen Eccleſia vult, ut ſuſpenſus denuntiatus nullo modo Sacramenta adminiſtret, juriſdictionem exerceat, &c. etiam alii fideles nequeunt ſimile quidpiam ab ipſo petere: non quia ipſis prohibetur communicatio cum illo, ſed quia cooperarentur ei ad peccatum; quod non currit de ſuſpenſo non denunciato, ut patet ex Concilio Conſtantienſi citato. Ulteriùs ſuſpenſus ab Ordine Sacro, ſi nihilominùs ejus Officium ſolemniter peragat, fit irregularis, *ex cap. 1. de Sentent. Excomm. in 6.* Si verò violetur alia Suſpenſio, non incurritur irregularitas, qui nullibi in jure exprimitur contrahi irregularitatem ob aliam ſuſpenſionis violationem, quàm ob prædictam. 132

### §. IV. *Abſolutio à Suſpenſione.*

LAyman *lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 4. num. 1.* docet, ſuſpenſionem tribus modis tolli. *Primo*, ſi ob delictum præteritum impoſita eſt ad certum tempus, vel ſub conditione: *Donec reſtituas*: elapſo tempore, vel conditione impleta, ceſſat ſuſpenſio ſine alia Superioris declaratione, aut nova abſolutione, quia ultra intentionem ferentis non progreditur. *Secundò*, ſi ſuſpenſio lata fuit ob delictum præteritum per modum puræ pœnæ, tollitur per relaxationem, ſeu diſpenſationem, de qua in fine hujus capitis. *Tertiò*, per abſolutionem tollitur ſuſpenſio, prout eſt cenſura propriè dicta, de qua abſolutione idem dicendum, quod de abſolutione cenſurarum in genere, excommunicationis in ſpecie, ſuprà diximus, niſi quòd abſolutio à ſuſpenſione juris non reſervata dari non poſſit ab eo, qui poteſt ſolùm abſolvere à mortalibus. Idem dicendum de ſuſpenſione lata per ſententiam Generalem. Ita apud *Herincx diſp. 6. de Cenſuris, quæſt. 3. num. 78.* Doctores ferè communiter, & pro certo tradit Caſtro-Pal. *diſp. 4. punct. 9. n. 8.* quia abſolutio à ſuſpenſione non eſt neceſſariò præmittenda abſolutioni Sacramentali, ſicut eſt præmittenda abſolutio ab excommunicatione. Contrarium tamen docet *Præpoſitus q. 1. dub. 14. n. 91.* & Alii nonnulli apud *Herincx cit.* quibus accedit Reiffenſtuel *lib. 5. Decret. tit. 39. nu. 251.* idem cenſens de interdicto. Ex privilegio autem Sedis Apoſtolicæ poſſunt Confeſſarii Ordinum Mendicantium abſolvere à quibuſcunque cenſuris, etiam Suſpenſionis, ſententiis, & pœnis ex delicto provenientibus (adeòque etiam à ſuſpenſionibus latis per modum puræ pœnæ) etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ Domini, ut patet ex Bulla: *cùm inter cauſas* Pauli III. quæ eſt 7. in Bullario Rodriquez. *Ita Herincx cit. num. 79.* Forma abſolvendi à ſuſpenſione eſt: *Ego te abſolvo à ſuſpenſione, & reſtituo te ad executionem tui muneris, vel Ordinis, vel ad tuum beneficium, in Nomine Patris &c.* Quando autem res eſt dubia, apponi debet particula, *ſi quam incurriſti*. Non tamen omnia illa verba ſunt neceſſaria, ſed illa ſolùm; *Abſolvo te à vinculo ſuſpenſionis, vel à ſuſpenſione*, quia ſufficit, ut exprimatur actus ſententiæ abſolventis. Ita Maſtrius *Theol. Moral. diſp. 13. quæſt. 3. num. 104.* ſubjungens: quod autem ſpectat ad ſolemnitatem Abſolutionis hujus cenſuræ, nihil dicendum remanet, quia ab Eccleſia, ut notat Faber, nulla ſolemnitas eſt inſtituta, quæ in abſolvendo ab hac cenſura ſit ex præcepto ſervanda, quia de hac ſolemnitate nihil in jure reperitur, neque ex praxi communi aliqua eſt in uſu. 133

QUÆ-

## QUÆSTIO III.

*Quid, & Quotuplex ſit Interdictum, quæ ejus Cauſa, & ſubjectum?*

## SUMMARIUM.

135 *Interdictum eſt cenſura Eccleſiaſtica, prohibens uſum tam activum, quàm paſſivum Divinorum officiorum &c.*
136 *Interdictum eſt triplex, Locale, Perſonale, Mixtum.*
137 *Quænam comprehendantur ſub Interdicto Generali?*
138 *Quæ ſit cauſa efficiens Interdicti?*
139 *Quodnam ſit ſubjectum Interdicti?*

## ASSERTIO III.

134 I*Nterdictum eſt cenſura Eccleſiaſtica, prohibens uſum tam activum, quàm paſſivum Divinorum Officiorum, certorum Sacramentorum, & ſepultura Eccleſiaſtica: eſt triplex, Locale, Perſonale, & Mixtum. Qui poteſt excommunicare, poteſt etiam interdicere. Subjectum interdicti, & cauſa, ob quam fertur, eſt idem, quod excommunicationis.* Communiſſima.

### §. I. *Interdictum eſt cenſura Eccleſiaſtica*

135 PRohibens uſum tam activum, quàm paſſivum Divinorum Officiorum, certorum Sacramentorum, & ſepulturæ Eccleſiaſticæ. Maſtrius *Theol. Moral. diſp.* 13. *q.* 4. *n.* 106. cum communi, & colligitur *ex cap. Non eſt Vobis. De ſponſalibus, & ex cap. quod in te, de Penitentia, & Remiſſ.* Quòd interdictum ſit *cenſura Eccleſiaſtica*, quæ ſunt primæ particulæ definitionis, patet ex dictis ſuprà de cenſuris in genere, & per has particulas differt ab aliis pœnis Canonicis, quæ non ſunt cenſuræ, ut ſunt Irregularitas, Depoſitio, &c. Per Reliquas particulas differt Interdictum imprimis à *Suſpenſione*, quæ licèt privet uſu activo Divinorum, non tamen paſſivo, nec privat ſemper omnibus, uti interdictum: ſed nunc uno, nunc duobus, & interdum omnibus, & dicitur interdictum *activè, & paſſivè privare*, quia, quæ per interdictum prohibentur, ita prohibentur, ut nec quis dare, nec percipere poſſit: qua ratione interdictus Eccleſiaſticam ſepulturam nec dare, nec recipere poteſt, ſicut etiam nec Divina Officia celebrare, nec eis aſſiſtere. Differt etiam à ſuſpenſione, quia hæc Clericorum tantùm cenſura eſt, ut diximus: Interdictum verò eſt cenſura communis Clericis, & Laicis. Deinde Interdictum differt *ab Excommunicatione*: tum quia hæc longè pluribus privat, quàm interdictum: Tum quia excommunicatio privat Divinis, quatenùs ſunt quædam cum aliis communicatio: at interdictum privat illis ſecundùm ſe: & quatenùs ſunt quædam Bona à fidelibus poſſidenda.

### §. II. *Interdictum eſt triplex.*

136 NImirùm *Locale*, *Perſonale*, & *Mixtum* ex utroque. Ita Doctores communiter apud *Maſtrium cit. n.* 107. *Locale* eſt, quod directè fertur in locum, quia ſcilicet interdicit Divina Officia in eo loco celebrari ſecundùm modum à Canonibus expreſſum: in Perſonas verò tantùm indirectè, & per redundantiam quamdam, ſcilicet dum ſunt in illo loco, & in tali Eccleſia, unde illæ Perſonæ poſſunt alibi Divinis Officiis aſſiſtere, Sacramenta recipere, &c. Interdictum autem *Perſonale* eſt, quod immediatè, & directè fertur in Perſonam, per quod Perſona arcetur ab uſu tam activo, quàm paſſivo quorumdam Divinorum Officiorum, & in quocunque loco. Interdictum denique *Mixtum* eſt illud, quod coaleſcit ex Locali, & Perſonali, vi cujus locus, & Perſonæ ſimul interdicuntur. Subdividitur ulteriùs apud *Maſtrium cit. num.* 108. Interdictum tam locale, quàm perſonale, in *Generale*, & *Speciale*, ſeu *Particulare*. *Generale locale eſt*, quo aliquis locus Generalis, ſeu Univerſalis, plura in ſe continens loca partialia, interdicitur, ut ſi interdicatur Regnum, Provincia, Diœceſis, Civitas, Villa, Caſtrum, vel tota Parochia alicujus Civitatis. Interdictum *Locale Speciale*, ſeu Particulare, eſt quo locus aliquis Particularis interdicitur, verbi gratia Eccleſia aliqua particularis ob crimen in ea perpetratum. Interdictum *Perſonale Generale* eſt, quod fertur in aliquam communitatem Perſonarum, ut eſt corpus politicum plurium Perſonarum collectivum, & in Perſonas ſingulas, ut ſunt partes illius communitatis. Interdictum autem *Perſonale*, *Speciale*, *ſeu Particulare* eſt, quod fertur in unam determinatam Perſonam, vel in plures, non tamen, quatenùs ſunt partes unius congregationis hominum. Denique ſicut ſuſpenſio, ita & Interdictum dividitur in *Totale*, & *Partiale*. Totale eſt, quod fertur ſine limitatione, & comprehendit omnes interdicti effectus. Partiale eſt, quod comprehendit non omnes, ſed unum, vel alterum tantùm Interdicti effectum, v. g. ſi alicui interdicatur ingreſſus Eccleſiæ tantùm, vel ſi privetur tantùm Eccleſiaſtica ſepultura.

Porrò juxta communem Doctorum interdicta Diœceſi 137
cenſetur interdicta Civitas in ea ſita: interdicta Civitate cenſentur interdicta etiam illius ſuburbia, & ædificia continentia, *ex cap. ſi Civitas, de Sentent. Excommunic. in* 6. ac etiam ejus Eccleſia Cathedralis. Interdicta aliqua Eccleſia, cenſetur etiam interdicta illius Cappella, & Cœmeterium contiguum, quia Eccleſiæ partes cenſentur *ex cap. Civitas citat.* at interdicta Cappella, vel Cœmeterio, non cenſetur interdicta Eccleſia, quia hæc comparatione ad illa eſt Principale, quod non ſequitur acceſſorium, ſed viciſſim. Inſuper ab interdicto locali generali non ſunt immunes Eccleſiæ exemptæ Regularium *ex Concilio Tridentino ſeſſ.* 25. *cap.* 12. Siquidem Regulares non ſolùm cenſuras, & interdicta, à Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo, in ſuis Eccleſiis publicare, & ſervare tenentur. Hinc Regulares etiam exempti nequeunt celebrare ſcienter in loco interdicto, (niſi quatenùs ſuper hoc ſunt privilegiati, aut à jure conceditur, *cap. Is, qui* 18. *§. fin. de Sentent. Excommunic. in* 6.) nec poſſunt facere, quòd ab aliis celebretur in locis ita interdictis: nec poſſunt excommunicatos ad Divina, vel Eccleſiaſticam ſepulturam admittere, *cap. cum & plantare*, *§. excommunicatos, de Privileg. & cap. Epiſcoporum* 8. *eodem in* 6. Ita Reiffenſtuel *lib.* 1. *Decret. tit.* 31. *numer.* 126. Quantùm ad Interdictum Perſonale Generale, communis eſt doctrina apud *Maſtrium citatum numer.* 110. Si feratur in Populum, Collegium, Univerſitatem, extendi ad omnes, quotquot inibi reperiuntur, etiam innocentes, non qua tales, ſed quatenùs ſunt membra communitatis nocentis, abſentes, & præſentes, habitantes in urbe, & ſuburbiis, vel in continentibus ædificiis, *Excipiuntur*. I. *Qui non ſunt partes, ſeu membra communitatis nocentis*, quales ſunt hoſpites, ſtudioſi, extranei, &c. II. *Epiſcopi*; niſi ipſorum expreſſa fiat mentio, *ex cap. quia periculoſum, de Sentent. Excommunic. in* 6. III. *Infantes* doli nondum capaces, quia non ſunt capaces prohibitionis Eccleſiaſticæ; eſto prohibeantur tradi ſepulturæ Eccleſiaſticæ; quæ tamen prohibitio non tam ipſos, quàm Clericos ſepulturos afficit, ut ex communi notat *Palaus*. IV. *Recedentes a populo interdicto*, & alibi figentes domicilium cùm deſinant eſſe pars populi interdicti. Quo fit, habentem duplex domicilium, unum in communitate interdicta, aliud in alia non interdicta non manere interdictum, dum cohabitat Civibus non interdictis. Ita *Caſpenſis apud Maſtrium citatum*. E contrà qui poſt latam ſententiam interdicti aggregantur populo interdicto, contrahunt notam interdicti, quia jam pertinent ad communitatem interdictam. V. *Interdicto populo non cenſetur interdictus Clerus*, ſicut nec interdicto Clero populus, quia nomine populi veniunt ſoli ſæculares, & nomine Cleri veniunt tantùm Eccleſiaſtici, non Laici. VI. *Interdicto Clero, non cenſentur interdicti Religioſi*. Ita magis communior apud *Maſtrium cit. num.* 111. Ratio eſt: quia licèt in favorabilibus nomine Clerici, veniant etiam Regulares, non tamen in odioſis. Deinde, ſi interdicantur Religioſi, non cenſentur interdicti Clerici, quamvis Clerici lato modo dicantur Religioſi: ergo à pari, quando interdicuntur Clerici, non cenſentur interdicti Religioſi: non enim ſtatus Religioſorum pejoris eſt conditionis ſtatu Clericorum, cùm tamen fertur interdictum in omnes Perſonas Eccleſiaſticas alicujus Civitatis, Provinciæ, vel Regni: intelliguntur etiam interdicti Religioſi. Ita *Ugolinus*, *Avila*, *Coninch*. *Layman*, *Bonacina*, *Caſpenſis*, *Diana*, *Faber*, & Alii Doctores paſſim apud *Maſtrium cit.*

### §. III. *Cauſa efficiens Interdicti.*

QUæ cauſas interdicti concernunt, pleraque jam diximus 138
ſuprà *ſectione* 1. *de Cenſuris in genere*. Nihilominùs de cauſa efficiente Interdicti dicimus, quòd qui poteſt jure ordinario excommunicare, poteſt eodem jure interdicere. Textus, in quibus mandatur Epiſcopis, ne ferant interdictum ſine judicio Capituli, conſuetudine legitimè introducta dicuntur abrogati: cùm de facto Epiſcopus in nullo habeat Juriſdictionem communem cum Capitulo. *De Prælatis Religionum* paſſim tenetur, eos poſſe ferre interdictum Perſonale in ſibi ſubjectos, at non locale, ſaltem de conſuetudine, niſi in populum habeant Juriſdictio-

ctionem quaſi Epiſcopalem: quia hujuſmodi Prælati pollent potiùs Juriſdictione in Perſonas, quàm in loca.

§. IV. *Subjectum Interdicti*

139 Eſt quilibet fidelis, præter Papam, ita tamen ut ei, qui fert interdictum, ſit ſobjectus: cùm nonniſi in ſubditos Juriſdictio exereeri poſſit. Cauſa, ſeu culpa, ob quam fertur interdictom, eſſe debet mortalis, quia interdictum eſt cenſura gravis, maximè Generale, tam Locale quàm Perſonale. De his vide dicta ſuperiùs *ſect. 1. de Cenſuris in genere.*

QUÆSTIO IV.

*De effectibus Interdicti, & ejuſdem Abſolutione.*

SUMMARIUM.

141 *Tres ſunt effectus interdicti.*
142 *Primus eſt privatio aliquorum Sacramentorum.*
143 *In interdicto poteſt dari Viaticum morituris.*
144 *Non tamen Extrema Unctio, nec Ordo.*
145 *Poteſt tamen contrahi Matrimonium.*
146 *Secundus interdicti Effectus eſt privatio Divinorum Officiorum.*
147 *Exceptis certis diebus.*
148 & 149 *Tertius eſt privatio ſepulturæ Eccleſiaſtica.*
150 *Violans interdictum peccat mortaliter, & incurrit certas pœnas.*
151 *Quis poſſit abſolvere ab interdicto.*

ASSERTIO IV.

140 *Tres ſunt effectus interdicti, nimirùm privatio aliquorum Sacramentorum, Divinorum Officiorum, ac ſepultura Eccleſiaſtica. Violans incerdictum peccat mortaliter, & incurrit pœnas à Jure ſtatutas. Denique interdictum tollitur tribus modis.* Communis apud Layman, Maſtrium, Herincx, Sannig, Portel. Reiffenſtoel, & Alios.

§. I. *Primus interdicti effectus eſt privatio aliquorum Sacramentorum.*

141 Conveniont Doctores apud Maſtrium *Theolog. Moral. diſp. 13. quæſt. 4. art. 2. num.* 112. Tres eſſe effectus interdicti ſimpliciter, & abſolutè lati, ſive localis, ſive Perſonalis, & loquuntur de effectibus interdicti, qoi modò incurruntur poſt Bonifarium VIII. & Martinom V. nam jure antiquo, multò plures erant, & expreſsè habentur *cap. Alma Mater, de Sentent. Excomm. in 6. Primus* eſt privatio aliquorum Sacramentorum: *Secundus* eſt privatio Divinorom Offiriorum: *Tertius* eſt privatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ. Dicitur autem tres hujuſmodi effectus eſſe *interdicti ſimpliciter, & abſolutè lati*, quia effectus iſti noo ſunt ita inter ſe connexi, quin poſſint ab ipſo latore limitari, & ſeparari ad differentiam effectuum exrommonicationia, qui ſeparari non poſſunt, ſed ſunt ipſo jure connexi.

142 I. Itaque ut à primo exordiamur effectu interdicti, qui eſt privatio aliqoorom Sacramentorum, ſciendum, tempore interdicti licitè adminiſtrari Baptiſmum, Confirmationem, & Sacramentum Pœnitentiæ, *ex cap. quoniam cap. Alma Mater, de Sentent. Excommunic. in 6.* de Baptiſmo ita diſpoſitum eſt, quia eſt Sacramentum neceſſitatis, & de Pęnitentia ob eamdem rationem: veluti dicitur *cit. cap. Alma Mater*, ubi quoad hoc corrigitur jus antiquum, quod *cap. quod in te, de Pęnitentia, & Remiſſione*, ſolis moribundis Sacramentum Pęnitentiæ tunc miniſtrari permittebat, at jure novo eitato quibuſcunque miniſtrari poteſt, modò non ſint ſpecialiter interdicti, aut cauſa culpabilis interdicti lati extiterint: tali qoippe caſu tenentur priùs ſatisfactionem ab Eccleſia dictatam præſtare, vel ſi realem præſtare nequeant, rautionem idoneam, *ex cap. cit.* Neque tales ſecluſa neceſſitate licitè hoc Sacramentum conſerunt: quia ſpecialiter interdicto nullus favor eſt conreſſus: ſed prohibetur eidem quælibet Sacramentorom adminiſtratio. Vidrtur tamen hoc Sacramentum, collatum ab interdicto denuntiato, valere, cùm interdictum non privet juriſdictione. Limitatio circa miniſterium, & receptionem Sacramenti Pęnitentiæ modò adhibita, etiam locum habet in Miniſtro Baptiſmi, ſicut & in Miniſtro, ac ſuſceptore Confirmationis *juxta communem DD.* Quod verò præciſo interdicto ſpeciali, lirita ſit miniſtratio, & rereptio confirmationis, ratio ſpecialis dator, quia Confirmatio eſt complementum Baptiſmi, cùm detur ad roborandam fidem in Baptiſmo receptam: adeòque conceſſo Baptiſmo cenſetur pariter conceſſum hoc Sacramentum, ſeu quid acceſſorium tempore interdicti. Cæterùm tam Baptiſmus, quàm Confirmatio tunc conferri debent cum conſueta ſolemnitate, & cum propriis Cæremoniis, cùm aliud non caveatur in jure.

II. Sacramentum Euchariſtiæ tempore interdicti poteſt 143
miniſtrari moribundis, vel probabile periculum mortis ſubituris, undecunque illud periculum proveniat. Communis apud *Maſtrium cit. num.* 113. Ratio eſt: quia ſumptio Euchariſtiæ pro illo Articulo, eſt neceſſaria jure Divino, neque id vetat Jus Eccleſiaſticum, uti patet ex *cap. permittimus, de Sentent. Excommunic.* ar Aliis. Imò in tali caſu poteſt etiam ſolemniter, & à quovis, qui non eſt ligatus interdicto ſperiali, miniſtrari, omni, qui non eſt ligatus interdicto ſpeciali. Ratio eſt, quia ea ſolemnitas, quòd Euchariſtia ad ægrotos deportetur cum lumine, campanula, comitatu fidelium, &c. nullibi prohibetur, eaque peragitur non per modum Divini Officii, ſed ad modum Laudis Divinæ, qua populus excitetur ad devotionem erga hoc Auguſtiſſimum Sacramentum. Similiter ſicut exiſtenti in mortis Articulo licet recipere hoc Sacramentum per modum Viatiri, ita & licebit Sacerdoti, non habenti aliud impedimentum, illud miniſtrare. Quod autem omni periculosè infirmo miniſtrari poſſit, modò non ſit ligatus interdicto ſpeciali, inde eruitur, quia ſi talis infirmus ſolùm ſit ligatus interdicto Perſonali Generali, inde tantùm ſit eſſe ligatum quadam ratione Generali, de ſe tamen eſſe innocentem, cui proinde tunc negari Euchariſtiam non convenit. Secùs ſi foret ſpecialiter interdictus: talis quippe, ſi non priùs exhibuerit ſatisfactionem, vel deſuper cautionem præſtiterit, nec abſolutus fuerit, reputatur indignos. Idem Sacramentum præterea probabiliter permittitor in quatuor feſtivitatibus anni, Natalis ſcilicet Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis Deiparæ. Etenim, quamvis *in cap. Alma Mater* expreſsè tantùm concedatur partiripatio Sacrificii Miſſæ, per hanc tamen rationabiliter etiam iotelligitur ſuſceptio SS. Euchariſtiæ: cùm antiquo more fideles ſacrifirio aſſiſtentes, de eodem participare conſueverint, videlicet communicando. Tandem teſtatur *Palaus*, quòd omnes fermè Religioſi gaudeant privilegio ſumendi SS. Eochariſtiam tempore ioterdicti.

III. De Extremæ Unctionis Sacramento dicendum eſt, 144
quòd eam tempore interdicti (exceptis Religioſis Mendicantibus, habentibus pro ſe, & pro ſuis familiaribus ſpeciale privilegium, veluti atteſtantur *Palaus, Illſung*, & Alii) ſuſcipere, vel adminiſtrare nemini liceat, etiam in mortis Articulo, eo quod hujus nec tanta detur obligatio, nec tanta neceſſitas, ſicut Euchariſtiæ, cùm magis neceſſarius ſit cibus, quàm Unctio membrorum ad pugnam. Si tamen moriturus aliud Sacramentum ſuſcipere nequiret, rectè eidem conſertur, ob neceſſitatem ſpecialem, quæ ab omois cenſuræ obſervatione excuſat. Similiter *Sacramentum Ordinis* illicitè confertur in loco interdicto, vel Perſonis ſpecialiter interdictis: *c. non eſt vobis, deſponſ. & c. Reſponſo, de Sent. excomm.* Excipitur caſus de tanta Sacerdotum penuria, ut Sacramenta *in c. Alma Mater* conceſſa, ſine novis Sacerdotibus conſerri commode non poſſint: nec alius ſuperſit locus non interdictus pro conferendis, & recipiendis Ordinibus: *Layman, Herincx, & Alii.*

IV. Quantùm ad Sacramentum Matrimonii, illud in 145
loco interdicto, & à perſonis generaliter interdictis licitè miniſtrari, & recipi poſſe, docent Sayrus, Palaus, Andreas à Matre DEI, Coninch. Layman, Illſung, Sanch. Sannig *diſt. 2. de Excommunicatione &c. q. 8. n.* 14. citans Henriquez, Sylvium, Navarrum, & Alios. Ratio eſt: tum quia interdictum non prohibet fieri contractus humanos, & politicos: ſed Matrimonium eſt talis contractus, cui tamen acceſſit ratio Sacramenti à Chriſto: ergo. Dum quia interdictum prohibet adminiſtrationes Sacramentorum à Miniſtro Eccleſiæ ſolitas fieri: Matrimonium autem adminiſtratur ab ipſis contrahentibus: ergo. Nihilominùs, ſi tales contrahentes forent ſpecialiter interdicti, & needum depoſuiſſent contumaciam ſaltem media contritione, illicitè contraherent, quia ponunt obicem gratiæ recipiendæ, quod Jure divino eſt vetitum. Inſuper Benedictiones nuptiales tempore interdicti, tam extra, quàm intra Sacrificium Miſſæ licitè non impertiuntur, quia cenſentur Officium Divinum, & ad actum Ordinis pertinent, utpote faciendæ à ſolo Sacerdote. *Marchant. t. 3. tr. 4. tit. 3. q. 3. §. 2.*

§. II.

### §. II. *Secundus interdicti Effectus eſt privatio Divinorum Officiorum*

146 TAm activa, quàm paſſiva, adeò ut in loco interdicto, & à Perſonis interdictis, ſive ſpecialiter, ſive Generaliter, Divina Officia licitè non celebrentur, cujuſmodi ſunt ſacrificium Miſſæ, publica horarum Canonicarum recitatio, Benedictiones ſolemnes, aliaque id generis, quæ à Miniſtris Eccleſiæ publicè ad cultum Divinum peraguntur, *cap. Permittimus de ſentent. Excommun. & cap. ſi Sententia eodem titulo in* 6. Prohibitio recitationis Horarum, prout fit à Monialibus, etiam ad iſtas tranſit, eò quod illa recitatio ex ſe ſit inſtituta, ut à Miniſtris Eccleſiæ fiat; adeòque ſi permittitur fœminis, cum tali onere tranſit ad illas, ut prohibita Clericis, ex conſequenti etiam ipſis prohibeatur. Ita *Palaus, Andreas à Matre DEI, & Alii*. Ex privilegio tamen tempore interdicti localis Generalis conceditur Clericis, & Religioſis Perſonaliter non interdictis in *capit. Alma Mater*, quotidiè Divina Officia peragendi, & eiſdem aſſiſtendi facultas in Eccleſiis, & Monaſteriis, ſervatis tamen quatuor conditionibus, ut hæc peragantur januis clauſis, ſubmiſſa voce, non pulſatis campanis, & excommunicatis, ac interdictis excluſis. Præterea ſunt certæ feſtivitates ſuperiùs recenſitæ, in quibus licet Divina Officia ſolemuiter, ideſt pulſatis campanis, januis apertis &c. celebrare. Quam licentiam poſteà *Martinus V.* & *Eugenius IV.* extenderunt ad feſtum Corporis Chriſti, & totam ejus Octavam.

147 Teſtantur inſuper *Rodriquez noſter, & Antonius à Spiritu* S. Religioſis Mendicantibus conceſſum eſſe privilegium ſuſpendendi interdictum in feſtivitatibus ſuorum Sanctorum, in feſtivitate Circumciſionis, Epiphaniæ, in quatuor principalibus Deiparæ, Apoſtolorum, in dedicatione propriarum Eccleſiarum, in feſto SS. Trinitatis, Natalis S. Ioannis Baptiſtæ, S. Marci, S. Lucæ, omnium Sanctorum, in commemoratione omnium fidelium defunctorum. Neque privilegium iſtud poſt Concilium Tridentinum, ſuum amiſit vigorem; ſiquidem, ut obſervat noſter Miranda cum pluribus, Tridentinum ſupracit. *num.* 137. *In ſeſſione* 25. *cap.* 12. Solùm annullat privilegia conceſſa aliquibus Religionibus, quæ penitùs eximebantur ab obſervatione Interdicti, in Eccleſia Matrice, poſiti; at vi præfati privilegii non eximuntur penitùs Mendicantes ab obſervatione talis interdicti, ſed pro aliquibus tantùm diebus, & in Ordine ad aliquem effectum, videlicet quòd poſſint quidem tunc officia Divina publicè celebrare, excluſis tamen excommunicatis, & interdictis, ob quorum exceſſum interdictum eſt poſitum. Imò apud *Noſtrum Auguſtinum Marthaucci, in officiali curia Regularis, capit.* 20. *num.* 15. Clemens VIII. poſt Concilium Trid. Anno 1595. 17. Octobris, per Bullam: *Sacra Seraphici*, conceſſit ſpecialiter Ordini Noſtro Seraphico, ut *temporibus interdicti, quacunque, etiam Apoſtolica Authoritate appoſiti, feſta Sanctorum ſuorum, Franciſci nimirùm, Bonaventuræ, Antonii de Padua, Ludovici, Bernardini, Claræ, Eliſabeth, Portiunculæ, Didaci, ac Martyrum, ſolenni ritu celebrare, proinde, ac ſi interdictum hujuſmodi minimè appoſitum eſſet, liberè poſſit. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, Univerſalibus, Provincialibus, Synodalibus, Conciliis editis, Generalibus, vel Specialibus, &c.*

### §. II. *Tertius Interdicti Effectus eſt Privatio*

148 SEpulturæ Eccleſiaſticæ in loco Sacro, *ex cap. Quod in te, De Pœnit. & Remiſſ.* Itaquidem, ut etiam infantes, & perpetuò amentes durante interdicto, in loco interdicto ſepeliri prohibeantur ob loci incapacitatem: excipiuntur tamen Clerici, quorum nomine intelliguntur omnes perſonæ Eccleſiaſticæ, gaudentes privilegio Canonis, & fori, veluti ſunt etiam Religioſi utriuſque ſexus, qui omnes licitè ſepeliuntur in loco interdicto, ſine pulſu campanarum, & Eccleſiaſtica ſolemnitate, niſi ipſimet perſonaliter interdicti, vel cauſam interdicti dederint, (dantes enim cauſam culpabilem habentur pro perſonaliter interdictis) vel niſi interdictum violaverint, prout limitatur *in cit. cap.* Nec tamen refertret, ſitne interdictum locale generale, vel ſpeciale; quia Clericus nullibi invenitur excluſus à ſepultura loci ſpecialiter interdicti. Similiter interdicti perſonaliter ſpecialiter nequeunt donari ſepultura ſacra, *ex Clement.* 1. *de ſepult. cap. Epiſcoporum de privileg in* 6. id tamen *Andreas à Matre DEI, Illſung, Sbogar &c.* reſtringunt ad interdictum denuntiatum; quia poſt *Concilium Conſtantienſe* nulli denegatur ſepultura Eccleſiaſtica, ob quamlibet cenſuram, niſi denuntiatus ſit. Imò nec denuntiato, ſi pœnitens deceſſerit, & poſt mortem abſolutus ſit. Ex quo Andreas à Matre DEI nu. 71. infert contra *Palaum, Coninch. &c.* interdictum perſonaliter generaliter poſſe ſepeliri in loco ſacro; quia propriè non eſt denuntiatus nominatim, ſed ſolùm remotè in generali denuntiatione ſuæ communitatis; ut autem aliquis ſit vitandus in vita, & poſt mortem, debet eſſe nominatim denuntiatus. Denique in ſolemnibus feſtivitatibus ſuperiùs recenſitis, nempe in natali Domini, in Paſchate, & Pentecoſte (per quæ feſta probabiliter non intelligitur ſolus primus dies, ſed etiam dies feſti ſequentes, quia cenſetur continuari eadem ſolemnitas, juxta Avilam, Bonacinam, Hurtadum, Caſtro-Palaus, & Dicaſtillus apud *La Croix lib.* 7. *numer.* 4. 9.) in Aſſumptione DEIPARÆ, & in Feſto Corporis Chriſti, ac per ejus Octavam, quibus ſuſpenditur Interdictum locale Generale: licet corpora non tantùm Clericorum, ſed etiam Laicorum ſolemniter ſepeliri. Ita Sanct. Antoninus, Navarrus, & alii cum Dicaſtillo apud *La Croix citat. numer.* 421. contra Suarez, Goninch. Caſtro-Palaum, &c. Ratio eſt, quia in illis feſtis poſſumus communicare in ſacris cum illis vivis: ergo etiam cum illis mortuis, modò non ſint perſonaliter ſpecialiter interdicti, maximè cum in pœnis benignior interpretatio adhibenda ſit.

Notat etiam *Herincx diſp.* 6. *quaſt.* 4. *de Interdicto numer.* 98. Poſt Concilium Conſtantienſe, Interdictum locale non eſſe neceſſariò obſervandum, niſi fuerit nominatim denuntiatum. Similiter nullus tenetur vitare perſonaliter interdictum, niſi ſit nominatim denuntiatus; cenſentur autem *denuntiati*, ſeu *nominatim interdicti*, qui exprimuntur nomine proprio, vel Officii, aut alio ſigno perſonam ſatis denotante. Dum autem interdicitur perſonaliter generaliter aliquod Collegium, vel communitas, denuntiata communitate cenſentur denuntiati nominatim ſinguli, juxta Doctores communiùs contra *Navarrum*, & *Sa:* quia communitas nihil eſt aliud, quàm ſingulæ partes, quas etiam ſingulatim nominare frequenter eſt impoſſibile. 149

### §. IV. *Violatio, & Abſolutio Interdicti.*

PEccatum violantium Interdictum eſt mortale ex genere ſuo, quando ſcilicet non excuſat levitas materiæ; nam Eccleſia rigorosè præcipit Interdictum ſervari; & hoc de Clericis violantibus certum eſt; de Laicis Interdictum violantibus eſt verior DD. Sententia apud *Herincx cit. n.* 99. ob prædictam rationem. Hoc tamen intercedit diſcrimen, quòd violantes Interdictum, ſi ſint Laici, nullam incurrant pœnam juris, niſi rarò in Caſibus Clementinæ II. *de ſentent. excommun.* Clericus autem violans Interdictum locale, aut perſonale per actum, ſeu exercitium Ordinis fit irregularis, ut patet *ex capit. Is, qui, & capit. Is, cui, de ſentent. excommun. in* 6. Præterea celebrans ſcienter in loco interdicto, fit ineligibilis activè, & paſſivè ex *capit. Is, qui cit.* imò ſimpliciter violans poſtulari non poteſt ad Prælaturam, *capit.* 1. *de poſtulatione Prælatorum*. Deinde Clericus, ſive ſæcularis, ſive Regularis præſumens illicitè celebrare, aut facere celebrari Divina in locis interdictis, aut coram excommunicatis, & interdictis non toleratis, ſuſpenditur ab ingreſſu Eccleſiæ, quouſque ſatisfecerit ei, cujus ſententiam violavit, *cap. Epiſcoporum, de priv. in* 6. Denique Religioſi etiam exempti, qui non ſervant interdictum, quod vident ſervari ab Eccleſia Cathedrali, Matrice, aut Parochiali loci in quo ſunt, incurrunt excommunicationem *Clem.* 1. *de ſent. excomm.* Item præſumentes ſepelire interdictum denuntiatum in loco ſacro, aut alios contra juris permiſſionem tempore localis Interdicti, excommunicantur *Clem.* 1. *ſepulturis*. 150

Quantùm ad ceſſationem, & relaxationem interdicti, ſupponendum imprimis eſt, interdictum latum in communitatem tolli reſpectu innocentium, eo ipſo quòd diſſolvatur communitas; ipſi enim non ligantur, niſi ut pars communitatis. Qui tamen interdicto dederunt cauſam, adhuc ligati manent, eò quòd ipſi cenſeantur in propria perſona ſpecialiter interdicti. Deinde Interdictum latum ad certum tempus, per ſe deſinit eo finito. Item latum ſub conditione, verb. grat. donec, vel quouſque ſatisfeceris parti, ceſſat impleta conditione. Si interdictum latum ſit per ſententiam particularem, poteſt abſolvere ab eo, qui poteſt abſolvere ab excommunicatione taliter; de quo ſuprà de cenſuris in genere, & excommunicatione in ſpecie dictum fuit; interdictum autem locale, & Perſonale Generale non reſervatum poteſt tolli per Epiſcopum, vel alium habentem poteſtatem Epiſcopalem in locum, aut communitatem, quæ ſubjacet interdicto. Col-



Digitized by Google

ligitur ex *capit. nuper de ſentent. Excom.* Quia verò ad ejuſmodi Interdictum tollendum neceſſaria eſt Juriſdictio in foro externo, tolli non poteſt ab eo, qui talem Juriſdictionem non habet. Cùm igitur Jurisdictio Mendicantium verſetur circa objecta fori Pœnitentiæ, cujus objectum non eſt locus, vel integra communitas, ſed ſingulares Perſonæ, ideo Mendicantes ab interdicto Locali, & Perſonali, Generali abſolvere non poſſunt. Particulare Interdictum Perſonale, ſi non ſit reſervatum, uti excommunicatio non reſervata, poteſt tolli per Confeſſarium, qui poteſt abſolvere à mortalibus juxta *Suarez disp. 28. ſect. 2. num. 9.* & alios. Quid autem Regulares Mendicantes poſſint circa abſolutionem hujus Interdicti, colligi poteſt ex dictis de abſolutione ab excommunicatione, & ſuſpenſionibus: circa iſta enim æqualis eſt eorum poteſtas, ut ex tenore privilegiorum conſtat. *Herincx citat. nu.* 103. Forma abſolutionis ab Interdicto conſueta hæc eſt: *Ego te abſolvo à vinculo Interdicti, quod incurriſti, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

## S E C T I O IV.

*De Irregularitate, & cæteris Pœnis Eccleſiaſticis.*

Hactenus de Cenſuris Eccleſiaſticis tractavimus, tam in Generali, quàm in ſpeciali; nunc de Irregularitate, & cæteris pœnis Canonicis agendum eſt. Sit itaque In Nomine Domini.

## Q U Æ S T I O I.

*De Irregularitatis Eſſentia, Diviſione, Cauſa, & Subjecto.*

### S U M M A R I U M.

153 *Quid ſit Irregularitas quoad nomen, & quoad rem?*
154 *Quales effectus habeat Irregularitas?*
155 *Irregularitas eſt duplex: ex defectu, & ex delicto, item Totalis, & Partialis.*
156 *Cauſæ, ob quas fertur, & incurritur Irregularitas, enumerantur.*
157 *Subjectum Irregularitatis eſt omnis Homo capax Ordinis, & ſubditus Juri communi.*
158 *An ignorantia invincibilis excuſet ab incurrenda Irregularitate? Item an dubitans, num commiſerit aliquod ex criminibus, quibus annexa eſt Irregularitas, debeat ſe habere pro Irregulari? Remiſſivè.*

### A S S E R T I O I.

152 *Irregularitas eſt inhabilitas Jure Canonico introducta, directè impediens Ordinum ſuſceptionem, & uſum ſuſceptorum: Eſt duplex; Alia ex defectu, alia ex delicto. Ad incurrendam Irregularitatem ex delicto requiritur peccatum mortale, externum, & conſummatum. Subjectum Irregularitatis eſt omnis Homo capax Ordinis, & ſubditus Juri communi.* Ita Doctor Noſter Subtilis *4. diſt. 25. q. 2.* Maſtrius *Theol. Moral. diſp. 13. q. 6. art. 1.* Layman *lib. 1. tr. 5. par. 5. c. 1.* & communis.

### §. I. *Irregularitatis Eſſentia, & Effectus.*

153 *Irregularitas* eſt nomen abſtractum ab hoc nomine concreto: *irregulare*, quod ſignificat *extra Regulam*, ſicut Regulare ſignificat ſecundùm Regulam. Quoad rem irregularitas eſt I. *Inhabilitas*, ſeu impedimentum Canonicum impediens aliquem à ſuſceptione Ordinum, & uſu ſuſceptorum. Hinc Irregularitas non neceſſariò præſupponit delictum, nec infligitur per modum medicinæ, ut Cenſuræ, ſed ob reverentiam Divini Miniſterii, & ad evitandam in eo indecentiam; ſicut enim in Lege veteri, ut habetur Levitici 21. & refert *Sotus 3. d. 13. quæſt. 2. §. primò videndum* apud Maſtrium citat. aliqui ob quoſdam defectus ad evitandam indecentiam, ad miniſteria Altaris, & Templi non admittebantur; ſic in Lege nova aliqui fideles ob aliquos defectus inhabiles cenſentur ad ſuſceptionem Ordinum, vel ad executionem actuum Ordinum. Quare licèt Irregularitas quandoque contrahatur ex delicto, propriè tamen pœna non eſt, quia non fertur in punitionem delicti, ſed ad evitandam indecentiam, quæ eſſet in eo quòd Perſona, quæ tale commiſit crimen, ſuſcipiat Ordines, aut jam ſuſceptos exerceat, ut communiter advertunt DD. dicitur II. *Jure Canonico introducta*; quia nulla Irregularitas eſt de Jure naturali, aut Divino, ut nullibi apparet: unde Irregularitas numquam incurritur ob aliquod crimen, vel defectum naturalem, niſi ſic in Jure expreſſa, juxta *capit. Is, qui de ſent. excomm. in 6.* & quidem Irregularitas eſt introducta Jure Canonico *Pontificio, & ſcripto*; nam juxta receptam DD. ſententiam Irregularitas non infligitur ab homine, ſed ſolùm à Jure Canonico, & conſequenter ſolus Summus Pontifex, qui eſt conditor Canonum, poteſt imponere Irregularitatem ex *cap. Is, qui cit.* undè nullus Epiſcopus Papa inferior umquam legitur tuliſſe Irregularitatem. Ex quo etiam ſequitur, nec fœminas, neque non baptizatos eſſe propriè Irregulares; quia eorum incapacitas ſuſcipiendi Ordines non eſt à Jure Canonico introducta, ſed oritur immediatè ex ipſa natura, & Inſtitutione Sacramenti Ordinis, cui eſſentiale eſt, quòd invalidè conferatur fœminis, aut non baptizatis. Dicitur III. *directè impediens* (non invalidans, ſecundùm omnes) *ſuſceptionem Ordinum, & uſum ſuſceptorum*: ubi per *Ordines* juxta receptam, & à Rota deciſam (*apud Herincx diſp. 6. q. 7. de Irregularitate, n. 114.*) Sententiam, comprehenditur hic etiam prima tonſura, quæ licèt juxta Theologos non ſit ſtrictè Ordo, tamen in Jure Canonico intelligitur nomine Ordinis, *capit. cùm contingat de ætate, qualitate, & Ordine &c.* per has particulas ulteriùs differt ab excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto; quia excommunicatio impedit promoveri ad Ordinès, & jam promotum in illis miniſtrare, in quantum hæc eſt communicatio cum fidelibus: ſuſpenſio verò facit, in quantum Ordo eſt Officium Eccleſiaſticum: Interdictum hoc facit, in quantum Ordo eſt bonum à fidelibus poſſidendum; Irregularitas autem hoc præſtat directè, in quantum eſt Ordo Eccleſiaſticus. Taceo alias differentias jam ſuprà tactas, quia Irregularitas non eſt Cenſura, cùm non ſit Pœna Medicinalis, ſed purè vindicativa &c. Qualiter Irregularitas differat à Depoſitione, degradatione, &c. videbitur infrà in quæſtione quarta hujus ſectionis. Ex hac Irregularitatis definitione.

*Sequitur* I. Irregularitatis primum, & præcipuum effe- 154
ctum eſſe, impedire Ordinum ſuſceptionem, & ſuſceptorum uſum, ex *cap. curandum diſt. 34. cap. ſi cujus uxorem diſt. 34. & ex cap. ſignificaſti 16. de Homicidio*; non tamen Irregularitas ita impedit, ut ſi Ordo ab Irregulari ſuſcipiatur, ſit nullus, & invalidus, ſed eſt validus, ut DD. communiter docent; quia Eccleſia, à qua Irregularitas eſt inſtituta, Sacramentorum valorem impedire nequit, ſi omnia à Chriſto inſtituta, & requiſita adhibeantur. Hinc Irregularis, licèt validè ſuſcipiat Ordines, & eoſdem exerceat, non tamen licitè, ſed mortaliter peccat, ut Scotus docet *in 4. d. 13. qu. 1. ex cap. ſi celebrat. de Clerico excomm. Miniſtr.* & ratio eſt: quia tranſgreditur prohibitionem Eccleſiæ in re gravi: non tamen Irregularis ſuſcipiens Ordines, vel in ſuſceptis miniſtrans, novam incurrit Irregularitatem, ut DD. communiter tenent apud *Maſtrium cit. num. 129. Sequitur* II. Irregularitatem probabiliter non reddere ipſo facto, Beneficii, vel penſionis collationem factam Irregulari invalidam. Ita *Herincx cit. nu. 116. citans varios*; quia nullo Jure ſufficienter probatur talem collationem eſſe invalidam, etſi ſit illicita. Nec Irregularitas ſuperveniens, ipſo facto, privat Beneficio jam obtento; quod colligitur ex variis capitulis Juris, requirentibus Officium Judicis, ad beneficiorum privationem, *c. Clericis, ne Clerici, vel Monachi cap. fraternitati, de Clerico Excommunicato*, & alii. Nec aliquid circa hoc innovavit *Concilium Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. de Reform.* decernens, ut homicida voluntarius *omni Ordine, Beneficio, & officio Eccleſiaſtico perpetuò careat*; intellige, accommodando verba juxta ipſarum rerum naturam, ut ſcilicet carentia Ordinis ſeu Irregularitas incurratur ipſo Jure; privatio verò beneficii acquiſiti incurratur per ſententiam. *Herincx cit. ſequitur* III. Irregularem non eſſe incapacem Juriſdictionis Eccleſiaſticæ retinendæ, imò etiam obtinendæ, ſive ſit ſermo de ordinaria, ſive de delegata; cùm ipſo Jure non excidat beneficiis obtentis, nec fiat incapax ad ea recipienda. *Herincx cit. nu. 117.* Quare Irregularis poteſt etiam licitè exercere actus Juriſdictionis, qui non requirunt exercitium Ordinis, v. g. delegare alteri facultatem abſolvendi. Imò ſatis certum eſt (*ait Herincx cit. num. 118.*) irregularem poſſe validè Sacramentaliter abſolvere, ſi ſaltem non ſit nominatim denuntiatus; ſi verò ſit denuntiatus, adhuc probabiliter validè abſolvit, juxta *Suarez diſp. 40. ſect. 2. nu. 45.* & alios; eo quòd Irregularitas nullo Jure irritet actus Juriſdictionis, uti nec aufert ipſam Juriſdictionem. Aliunde tamen confeſſio poſſet eſſe invalida, defectu ſcilicet diſpoſitionis Pœnitentis, ſi ſcienter ab Irregulari denuntiato (cui communicare nequit in actibus, ſeu functionibus ei vetitis) petat abſolutionem, quæ eſt functio Irregulari prohibita. Ita Herincx *cit. n. 18.*

§. II.

### §. II. *Irregularitas ex Defectu, & ex Delicto.*

155 IRregularitas non aliter dividitur, & multiplicatur, quam ea cauſa, ob quam fertur; unde altera eſt, quæ contrahitur ex *Delicto*, altera non ea Delicto, ſed *ex aliquo defectu*. Ratio hujus diviſionis eſt; quia, ut *Caſpenſis apud Maſtrium cit. num.* 130. advertit, cùm omnis Irregularitas præcisè propter indecentiam contrahatur in Jure ſignatam; hæc autem indecentia poſſit oriri ex Defectu tantùm ſine peccato, & etiam ex peccato; ideò irregularitas dividitur in eam, quæ eſt ea Defectu tantùm, & in eam, quæ eſt ea peccato, ſive delicto. Propterea dividitur Irregularitas in *Totalem*, & *Partialem*. Totalis eſt, quæ omne Ordine ſuſcipiendo, & ſuſcepti eaercitio privat, ut irregularitas ex homicidio, v.g. Partialis eſt, quæ non impedit omnem exercitium ordinum, ſed tantùm aliquo Ordinis miniſterio privat, vel ſolo aſcenſu ad Superiorem, ut fit in ſacerdote, qui ſine ſua culpa pollicem perdidit, qui excepta eelebratione, poteſt alia ſacerdotalia munera obire, ut Confeſſiones audire &c. & in Diacono, qui ſiniſtro oculo carens inhabilis eſt ad ſacerdotem, in ſuo tamen Ordine miniſtrare poteſt. Communiter irregularitas abſolutè, & ſimpliciter poſita ſupponit pro totali, niſi aliud ex circumſtantiis, & ſubjecta materia colligitur.

Hic foret proprius locus explicandi irregularitates ex delicto, & ea defectu, in ſpecie infima; ſed quia id jam præſtitit P. Patritius Sporer *Theol. Sacr. part. 1. cap. 5. ſect. 4. n. 77. & ſeqq.* ideò ad eundem remittimus Lectorem.

### §. III. *Cauſa, ob quem fertur Irregularitas*

156 SUbinde eſt *defectus naturalis*, v. g. defectus ætatis, corporis, animæ &c. *ſubinde moralis*, verb. gr. defectus perfectæ lenitatis, famæ &c. Subinde eſt *actus proprius licitus*, v. g. ſententia mortis in aliquem lata à Judice; ſubinde eſt *actus illicitus* v. g. Homicidium injuſtum &c. Itaque conveniunt Doctores ad incurrendam irregularitatem ea actu proprio licito, vel illicito, requiri actum *Externum*: quia propter actum merè internum irregularitas numquam contrahitur; non enim quis ea ſolo propoſito occidendi incurrit irregularitatem; cùm actus merè interni non ſint materia poteſtatis Legiſlativæ humanæ ex alibi dictis; quinimò nec eam contrahit, ſi actus externus non ſit *Conſummatus*; unde ſi quis ſagittam in hoſtem projiciat, ut eum occidat; ſi eum non interficiat, aut mutiler, non erit irregularis. Ratio eſt: quia *odia ſunt reſtringenda*, *Reg.* 15. *Juris in* 6. Ergo Lex continens irregularitatem reſtringenda eſt ad actum conſummatum, niſi aliter Lex exprimat. Denique quando irregularitas incurritur propter actum illicitum, ſeu ex delicto, requiritur neceſſario peccatum mortale ſecundùm communiorem, & probabiliorem apud *Maſtrium citat. num.* 130. Ratio eſt: quia irregularitas ea delicto præſertim contracta eſt maaima pœna: ergo non imponitur, vel incurritur, niſi ea delicto gravi; quod etiam *Scotus 4. diſt. 13. queſt. 2.* notavit. Quare ſi actus illicitus eacuſetur à peccato mortali, vel propter defectum advertentiæ, vel propter levitatem materiæ, numquam incurritur irregularitas de facto ex delicto. Notantur autem diximus, *ad irregularitatem ex delicto incurrendam requiri culpam mortalem*; nam ad incurrendam irregularitatem ex defectu nulla culpa eſt neceſſaria, ut patet ea multis irregularitatibus, quæ ea ſolo defectu contrahuntur. Ita *Navarrus*, *Suarez*, *Sanchez*, *Henriquez*, *Hurtadus*, *Coninch. Filtincius*, *Reginaldus*, *Faber*, & alii paſſim, apud *Maſtrium citat.*

### §. IV. *Subjectum irregularitatis*

157 ESt omnis Homo capax Ordinis, & ſubditus Juri communi. *Maſtrius cit. num.* 132. Ratio eſt: quia irregularitas eſt quędam privatio, ſeu impedimentum ad recipiendos Ordines, & eos jam ſuſceptos exercendos; privatio autem ſupponit ſubjectum capax formæ, cujus eſt privatio: quæ capacitas ſolùm reperitur in homine maſculo baptizato, & ſubdito Juri communi, quæ ultima particula additur ad eacipiendum Summum Pontificem, qui irregularitatem contrahere nequit; quia quamvis ſit ſubjectus Juri ſuo quoad vim directivam, non tamen quoad vim coactivam, ut ſuo loco dictum eſt. Ex quo ſequitur omnes homines maſculos, baptizatos, ſive Laicos, ſive Clericos, etiam Epiſcopos, & Cardinales ligari poſſe irregularitatibus in Jure eapreſſis; non baptizati autem, & fæminæ propriè loquendo irregulares dici non poſſunt; quia non habent capacitatem ad Ordines quorum ſuſceptione, & uſu privat irregularitas.

Ita DD. communiter. Quando autem *Scotus 4. d. 33. qu. 2.* videtur docere, Bigamum etiam ante baptiſmum eſſe irregularem; eaplicat ipſum *noſter Faber apud Maſtrium cit.* quòd Bigamus ante baptiſmum ſit irregularis fundamentaliter, hoc eſt, habeat defectum, propter quem poſt acceptum Baptiſmum fiet formaliter irregularis. Idem dicendum de mutilato ante Baptiſmum &c. Porro Impuberem completo ſeptennio capacem peccati mortalis poſſe incurrere irregularitatem, docet apud *La Croix libr. 7. numer.* 446. Dicaſtillus, & Alii; non tamen ante ſeptennium completum, etſi malitia ſuppleat ætatem, juxta Henriquez, Avilam, Dicaſtillum, Delbene, & Alios. Vide dicta *capit. 1. ſect. 3. quaſt. 4. numer.* 241. imò multi cum Caſtro-Palao *tract. 3. d. 1. part. 24. §. 2.* probabiliter excuſant omnes ante pubertatem ab omnibus pœnis, eacepta pœna percuſſionis Clerici. Ita inquit La Croix cit. Vide etiam *P. Patritium Sporer tr. 5. in 5. Precept. Decalogi, cap. 3. n. 67.*

*Petes?* An ignorantia invincibilis excuſet ab incurrenda irregularitate? 158

Reſp. I. Quia juata dicta *§. præcedenti* ad incurrendam irregularitatem ex delicto, requiritur peccatum mortale, ideò omnia, quæ eacuſant opus delicti à culpa mortali, excuſant etiam delinquentem ab irregularitate ob illud delictum lata. Ita Hurtadus, Avila, Coninch. Bonacina, & Alii apud *Maſtrium cit. nu.* 142. Qui idem aſſerendum dicunt de metu mortis, aut infamiæ, vel alterius gravis nocumenti, quod nimirùm eacuſet ab irregularitate annexa operi prohibito Jure tantùm humano; quia tunc metus cujuſcunque nocumenti gravis, opus excuſat à culpa ſaltem mortali. Reſp. II. Ab irregularitate ea defectu incurrenda nulla excuſat ignorantia, ut apud omnes in confeſſo eſt. An verò Irregularitas ex delicto incurratur ab illo, qui committit delictum, ſed invincibiliter ignorat, irregularitatem eſſe annexam tali delicto? Affirmant probabiliùs Felinus, Suarez, Azorius, Vvex, & certum eſſe dicit Cardenas apud *La Croix lib. 7. n.* 482. Ratio eſt I. quia irregularitas non eſt propriè pœna, aut ſaltem non eſt medicinalis, requirens ſcientiam, vel contumaciam, uti cenſuræ, ſed eſt quædam inhabilitas annexa à Jure propter indecentiam, ut committens tale delictum inſerviat altaris Miniſterio; ſed inhabilitas contrahitur etiam ab ignorantibus Legem Eccleſiaſticam, quæ ſtatuit talem inhabilitatem, ut patet in irregularitatibus ex defectu: ergo. II. Impedimenta Matrimonii à Jure ſtatuta v. g. affinitatis ex copula illicita: Impedimentum criminis &c. incurruntur etiam ab eo, qui ignorat eſſe annexa tali crimini, quia ſunt inhabilitates, licet habeant aliquam rationem pœnæ: ergo idem dicendum de irregularitate. Negant verò *Abbas*, *Navarrus*, *Reginaldus*, *Portel. Sanchez* apud *La Croix cit.* quorum ſententiam *Caſtro-Palaus*, *Diana*, & *Dicaſtillus* agnoſcunt eſſe probabilem; quia qui neſcit Cenſuram eſſe delicto ſuo annexam, non incurrit illam juxta ſupradicta hoc *cap. ſect. 1. nu.* 37. ergo ſimiliter hic. Vide P. Patritium Sporer *Theol. Sacr. p. 1. cap. 5. ſect. 4. n. 79.* ubi etiam reſolvit illam quæſtionem, an aliquis dubitans, num admiſerit aliquod ex iis criminibus, quibus annexa eſt irregularitas, ſe debeat habere pro irregulari? quem lege. Plura de his habet etiam *tract. 2. Proœm. cap. 1. ſect. 4. n. 96. & ſeqq. Item c. 2. ſect. 4. n. 38. & ſeqq.*

## QUÆSTIO II.

*Quot, & quibus modis tollatur Irregularitas?*

### SUMMARIUM.

159 *Irregularitas tollitur quatuor modis, & quidem primò per Baptiſmum;*
160 *Secundò Irregularitas ex Defectu natalium tollitur per Profeſſionem Religioſam;*
161 *Tertiò tollitur Irregularitas ex defectu proveniens ablatione ſeu Remotione Cauſa.*
162 *Quartò tollitur Irregularitas per Diſpenſationem legitimam.*

### ASSERTIO II.

IRregularitas quatuor modis tolli poteſt, nimirùm *ſuſceptione Baptiſmi*, *Profeſſione Religioſa*, *ablatione ſeu remotione cauſa*, & *Diſpenſatione legitima*. Communiſſima apud *Maſtrium cit. nu.* 281. 159

### §. I. *Irregularitas tollitur Suſceptione Baptiſmi.*

PEr Baptiſmum itaque tollitur quævis irregularitas ex 160
delicto proveniens, vel propriè loquendo per baptiſmum



Digitized by Google

ſit, ut Baptizatus nullam incurrat irregularitatem, ratione delictorum, quæ ante baptiſmum commiſit; ſiquidem propriè loquendo per baptiſmum nulla tollitur irregularitas; quia ante baptiſmum nulla incurritur, ut dictum præc. quæſt. Per nulla igitur peccata ante baptiſmum commiſſa fit quis irregularis, baptiſmum recipiens; quare nec homicidium ante baptiſmum commiſſum, neque ſententia ſanguinis, ſecuta morte, lata ante baptiſmum, facit hominem irregularem, ſi baptiſmum recipiat; quia talis irregularitas in Jure non habetur. Econtrà verò per baptiſmum non tollitur irregularitas, quæ oritur ex defectu, ſi poſt baptiſmum idem defectus remaneat. Hinc Bigamia ante baptiſmum contracta etiam poſt baptiſmum irregularitatem inducit; quia remanet defectus Sacramenti, ſeu ſignificationis, hoc eſt, quia Bigamus nequit repræſentare Chriſtum, tamquam unicum Sponſum unius Eccleſiæ, etiamſi baptizetur: ergo etiam poſt baptiſmum erit irregularis. Aliud eſt de homicida; quia talis eſt irregularis ob horrorem ſanguinis effuſi; iſte autem horror tollitur per baptiſmum; cùm per hunc ex lupo fiat agnus; ſicut & Paulus ante baptiſmum perſecutor, poſt baptiſmum factus eſt Ovis, & Paſtor, & conſequenter homicida ante baptiſmum, non erit irregularis poſt hunc ſuſceptum. Ita Doctor noſter Subtilis *in 4. diſt. 25. q. 5. & d. 33. qu. 2.* apud Maſtrium *cit. q. 5. n. 1. 79. & 181.*

### §. II. *Profeſſione Religioſa*

161 TOllitur Irregularitas ex defectu natalium proveniens, ſed quoad Ordines tantùm, non quoad Prælaturas, ex *cap. 1. de filiis Presbyterorum*. Ita Bonacina, Layman, Suarez, Sanchez, Leſſius, Herincx *diſp. 5. qu. 7. §. 12. n. 176.* Quamvis etiam in Ordine ad Prælaturas diſpenſare poſſit Generalis, aut Provincialis, in Capitulo Generali, aut Provinciali reſpectivè, aut in Capitulo Intermedio, & non aliàs juxta tenorem Bullæ Gregorii XIV. quæ incipit: *Circumſpecta*, ad quam ſe referunt *Noſtra ſtatuta Generalia c. 2. §. 3.* quæ conformiter loquuntur. Ita Herincx cit. Kerckhove *in ſtatuta noſtra Generalia c. 7 §. 2. n. 1. & ſeqq.*

### §. III. *Ablatione, ſeu Remotione Cauſæ*

162 TOllitur Irregularitas ex defectu proveniens. Sic irregularitas ex defectu libertatis, ceſſat obtenta libertate; Irregularitas ob rationes non redditas, ceſſat ſolutis debitis, vel redditis rationibus; Irregularitas ex defectu ætatis tollitur per adventum legitimæ ætatis; Irregularitas ex infamia facti per emendationem Vitæ; Irregularitas ex ignorantia per acquiſitam ſcientiam; Irregularitas ex lepra, vel cæcitate, per ſanationem lepræ, vel reſtitutionem viſus etiam per Miraculum; Irregularitas obſeſſi à Dæmone, ſi Dæmon expellatur. Suarez, Filliucius, & communis apud *La Croix lib. 7. num. 462.* Talis eſt etiam Irregularitas ex conjugio, ceſſante Matrimonio; item ex Militia ſecluſo homicidio, vel mutilatione, ſi militia ceſſat; Irregularitas, quam habent Curiales Juſtitiæ, imò & Judices in criminalibus, ſi numquam cooperati ſint in cauſa ſanguinis, quæ habuerit effectum deformationis hominis, quando Officium illud deponunt, ceſſat, uti rectè cum communi Suarez *diſp. 47. ſect. 4. num. 2.* Quòd ſi quis in Bello etiam Juſto feciſſet homicidium, vel mutilationem, aut ſi Judex, vel alius in effectu cooperatus fuiſſet cauſæ effuſi ſanguinis, contraxiſſet irregularitatem ex defectu lenitatis, quę indigeret aliquam diſpenſatione, uti cum Aliis *Dicaſtillo numer.* 1071. *& La Croix cit.*

### §. IV. *Diſpenſatione Legitima*

163 TOllitur denique irregularitas, & non per abſolutionem; cùm non ſit Cenſura. Forma diſpenſationis eſt Hæc: *Ego diſpenſo tecum in Irregularitate, quam, vel quas ob hanc, vel illam cauſam incurriſti, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Et quidem ſi diſpenſans intendat tollere omnes, idque poſſit, omnes tollit; ſin minùs, eam tantùm tollit, quam poteſt, & vult. Hinc ſi ſubditus habeat plures irregularitates, debet de omnibus informare diſpenſantem. Requiritur etiam omninò, ut diſpenſaturus in irregularitate particulari, ſciat in particulari de illa, & circumſtantiis delicti ac Perſonæ: hæc enim multum faciunt. Deinde diſpenſans poteſtate delegata in irregularitate, ut licitè, ac etiam validè diſpenſet, debet ex legitima cauſa diſpenſare. Ratio eſt: quia inferior in Lege Superioris, nec validè diſpenſare poteſt abſque juſta cauſa, ut ſuprà diximus de Legibus. Aliud eſt de diſpenſante poteſtate ordinaria quoad valorem: Denique diſpenſans in irregularitate debet ſemper imponere condignam Pœnitentiam, ut patet ex praxi Eccleſiæ, & Bullis Pontificum, ac Decretis Rotæ, in quibus ſemper jubetur imponi debita pœnitentia illis, cum quibus diſpenſatur. Ita *Portel. in dubiis Regularibus V. irregularitas n. 57. & tom. 1. Reſponſionem Moralium parte 1. caſu 2. n. 4.* probans id ex *Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. de Reform.* concedente Epiſcopis, ut diſpenſent irregularitatibus, *impoſita pœnitentia ſalutari.* Ex quo etiam ibidem propè finem colligit, quòd confeſſarius Regularis, qui per conceſſionem S. Pii V. de licentia ſui Provincialis diſpenſat cum conjugibus, qui habuerunt copulam carnalem perfectam cum conſanguineis alterius conjugis intra ſecundum gradum, ad petendum debitum conjugale, debeat illis imponere Pœnitentiam particularem; quia diſpenſat in pœna, vel impedimento orto ex delicto. *Si dicas*: Prælati Regulares in Capitulis diſpenſant cum ſubditis in Generali in Irregularitatibus, & quidem validè, & tamen ibi non imponitur Pœnitentia. *Reſp. Cum Portel., in dubiis Regularibus citat. n. 38.* Primò, ibi non eſſe poſſibile imponi Pœnitentiam, quia ignoratur reus. Secundò, aliquam ibi imponi, cùm Religioſi genuflectunt, culpas agnoſcunt &c. quæ pro tunc acceptat Eccleſia, utens quaſi particulari libertate, & magnificentia, & concedunt Pontifices, ut Prælati Regulares faciant ſic pro Bono communi, & quiete Religioſorum: quod commune Bonum, & Religioſorum quietem tunc judicant ſufficientem cauſam illius Generalis diſpenſationis.

## QUÆSTIO III.

*Quis poſſit in Irregularitate Diſpenſare?*

## SUMMARIUM.

165 *Papa poteſt in omni Irregularitate diſpenſare, ac etiam Epiſcopi in aliquibus;*
166 *Excepto ſpecialiter homicidio voluntario.*
167 *In quibus irregularitatibus Prælati Regulares poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis?*
168 *Quid operetur diſpenſatio in irregularitatibus facta in Capitulo Viſitationis, vel Provinciali?*
169 *An Confeſſarii Conventus poſſint diſpenſare in irregularitatibus?*
170 *An Regulares Mendicantes poſſint cum Sæcularibus diſpenſare in irregularitatibus?*

## ASSERTIO III.

*SUmmus Pontifex poteſt in omnibus irregularitatibus* 164
*Jure Ordinario diſpenſare: Epiſcopi etiam poſſunt in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare cum ſuis ſubditis. Idem poſſunt Prælati Regulares Mendicantes reſpectu ſuorum ſubditorum, ac etiam Confeſſarii Regulares Mendicantes reſpectu Sæcularium.* Ita Doctores Regulares citandi.

### §. I. *Papa, Epiſcopi.*

IN omni irregularitate Jure Ordinario poſſe diſpenſare 165
ſolum Summum Pontificem, certum eſt apud P. Patritium Sporer *tractatu 5. in 5. Præcept. Decalogi capit. 3. numer. 237. & ſeqq.* quem vide. Similiter Epiſcopi in irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum cum ſuis ſubditis diſpenſare poſſe, certum eſt ex *Concilio Tridentino ſeſſion. 24. capit. 6.* ita dicente; *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare, & in quibuſcunque caſibus occultis etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, delinquentes quoſcunque ſibi ſubditos, in Diœceſi ſua, per ſeipſos, aut Vicarium, ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ gratis abſolvere, impoſita pœnitentia ſalutari. Idem & in Hæreſis crimine, in eodem foro conſcientiæ, eis tantùm, non eorum Vicariis, ſit permiſſum.* Ita Trid. cit. de quo vide etiam *P. Patritium Sporer cit. num. 239. & ſeqq.* Ex quo *Sequitur* I. Epiſcopum poſſe in prædictis irregularitatibus diſpenſare, etiam pro foro externo, etiamſi exiſtat extra ſuam Diœceſim, & etiamſi diſpenſandus ejus ſubditus ſit extra ſuam Diœceſim. Ratio eſt: quia huic poteſtati diſpenſandi non apponuntur hę limitationes: *in Diœceſi ſua: in foro conſcientiæ;* ſiquidem hæ limi-

Digitized by Google

mitationes tantùm opponuntur, & limitant Epiſcopi poteſtatem quoad abſolutionem à reſervatis. Ita Pignatel. Suarez, Sanchez, Caſtro-Palaus apud *La Croix l. 7. n. 470. Sequitur* II. Vi hujus conceſſionis Epiſcopos non poſſe diſpenſare in irregularitatibus ex defectu provenientibus, niſi jam aliàs in Jure communi hoc ipſis ſit conceſſum, prout *ex capit. 1. qui Clerici, vel voventes* poſſunt in Bigamia ſimilitudinaria diſpenſare, ad Ordines Sacros, & cum illegitimis ad Ordines Minores *capit. 1. de filiis Presbyterorum*. Ita *Maſtrius citat. numer.* 188. *&* 190. *Sequitur* III. Epiſcopos vi hujus conceſſionis non poſſe diſpenſare in irregularitate ex Hæreſi orta: cùm poteſtas abſolvendi ab Hæreſi, conceſſa hic à Concilio, Epiſcopis cenſeatur revocata per Bullam Cœnæ, & conſequenter etiam poteſtas diſpenſandi in irregularitate ex Hæreſi orta. Ita *Maſtrius citat. numer.* 187. citans Suarez, Toletum, Filliucium, Bonacinam, & Alios. Oppoſitum tamen plurimi Doctores ſuſtinent, ut probabile, ait Sannig *Diſt. 3. de irregularitate q. 4. num.* 13. *Sequitur* IV. Quando Concilium Tridentinum loco cit. concedit Epiſcopis, diſpenſare poſſe cum ſuis ſubditis in irregularitatibus, provenientibus ex delictis occultis: nomine *occulti delicti* in dicta conceſſione, juxta *Hurtadum, Avilam, Henriquez, Maſtrium cit. numer.* 183. & Alios, intelligitur id, quod diſtinguitur à publico, ac proinde occultum dicitur quòd quamvis per teſtes probari poſſit, non tamen eſt publicum, quia nec eſt notorium, nec manifeſtum, nec famoſum, & ratio eſt: quia, quando non eſt publicum, ceſſat ſcandalum, quod Tridentinum dicta limitatione evitare iotendit. *Notorium* autem dicitur, quod eſt notum, aut Coofeſſinne rei in Judicio, aut ſententia Judicis lata, aut evidentia facti, quia nimirùm evidens eſt majori parti viciniæ, vel communitatis, in qua decem ad minus habitant. *Manifeſtum* verò dicitur, de quo eſt fama in majori parte viciniæ, vel communitatis à ſcientibus orta, & deducta: *Famoſum* tandem dicitur, quando eſt fama in majori parte communitatis, non tamen ex certa ſcientia, ſed ex indiciis, & præſumptionibus. Quare in præſenti, in hujuſmodi diſpenſationibus, non ſumitur occultum, ut aliàs ſumi ſolet, pro eo ſcilicet, quod non eſt probabile in judicio, ſed ſumitur pro eo, quod non eſt publicum; quod valdè advertendum eſt, ut notat *Caſpenſis diſp. 5. ſect.* 17. *Sequitur* V. Epiſcopos vi dictæ conceſſionis Tridentini, non poſſe diſpenſare in irregularitatibus deductis ad forum contentioſum ut patet ex textu Tridentini. Nomine autem *irregularitatis ad forum contentioſum deducta*, intelligitur illa, ſuper qua, aut ſuper cujus delicto trahitur quis ad tribunal, quouſque ab inſtantia abſolvatur; unde in delicto ad forum contentioſum deducto Epiſcopi diſpenſare non poſſunt, quando delinquens de aliquo delicto accuſatus fuit, & nondum in Judicio ſe purgavit, nec definitivè liberatus fuit; ſed tantùm, quando delinquens poſt accuſationem ſe purgavit, aut quando defectu probationis abſolutus fuit; tunc enim Epiſcopi cum eo diſpenſare poſſunt. Ita apud *Maſtrium citat. numer.* 184. docent Bonacina, Herinquez, Rodriquez, Molina, Sayrus, Suarez, Filliucius, Avila, Sanchez, & plures Alii, quorum ratio eſt: quia in tali caſu ceſſat ratio deductionis ac forum contentioſum: perinde enim eſt, ac ſi delictum non fuiſſet ad illud deductum, cùm accuſatus ad ſuum priſtinum ſtatum reducatur ante accuſationem.

166 Denique in dicto Decreto Tridentini excipitur irregularitas ex *homicidio voluntario* proveniens, in qua Epiſcopi diſpenſare non poſſunt; quod ſufficienter explicat *P. Patritius Sporer tr. 5. Præceptum Decalogi, c. 3. n. 256. & ſeqq.* Unum omittere non poſſum, quod recentiſſimè docet *Joannes Maria Sbogar in ſua Theologia Radicali, tractatu* 62. *Diſpenſatione, capit. 1. numer.* 25. Ubi habet ſequentia: *Quæritur an Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate proveniente ex homicidio voluntario omninò occulto? Reſpondeo Affirmativè, ſi homicidium eſt ſoli homicido notum, & nullis aliis teſtibus probari poſſit, ac ſoli ſuo Confeſſario cognitum. Ratio eſt: quia Concilium Trident. non aufert ab Epiſcopis facultatem diſpenſandi in irregularitate contracta ex homicidio omninò occulto: ergo ſicut Epiſcopi poterant antè diſpenſare in prædicta irregularitate, id etiam poſſunt poſt Concilium Jure communi. Ita Donatus parte 3. tract. 11. quæſt. 9. numer. 8. Texeda tom. 2. lib. 3. tractatu 3. Miranda tom. 2. quæſt. 8. art. 1. Concluſ. 1. Covarruvias in Clem. ſi furioſi de homicidio 2. parte §. 5. n. 4. Abbas in c. ex tenore, Caſſaing in privileg. Regular. tract. 5. prop. cum Aliis 13. DD. citat. à Matthæo de Moya tract. 5. de cenſur. q. 2. §. 2. num. 5. uſque ad n. 9 incluſivè. Objicies ex Trident. Seſſ. 14. capit. de Reformat. & Seſſ. 24. capit. 6. ubi definitum cenſetur ex homicidio omninò occulto irregularitatem incurri Papæ reſervatam; ergo Epiſcopus non poteſt in illa diſpenſare. Reſpondet Texeda cum Magiſt. Bannez 2. 2. quæſt. 40. art. 1. dub. 4. Textum Concilii non loqui de homicidio omninò occulto, ſed de illo, quod in Judicio probari poteſt; & Abbas, Alphonſus de Caſtro, Angelus, Covarruvias, &c. aſſerunt, quod in irregularitate proveniente ex homicidio omninò occulto, & quod nullis poteſt teſtibus probari, neque aliter, quàm per proprium Confeſſarium ſciri, poſſe Epiſcopum diſpenſare; proinde textus Concilii intelligendus eſt de illo homicidio occulto, quod, quamvis actu non ſit deductum in Judicium, neque ad forum contentioſum, eſt tamen ex ſe probabile, quamvis actu in Judicio Ordinario non ſit probatum; non autem de homicidio omninò occulto, de quo in præſenti loquimur, quod probari nullo modo poteſt. Ita de Moya ſuprà citatus cum Rodriquez tom. 1. q. Regul. quæſt. unic. art. 24.* Hucuſque Sbogar citatus.



## §. II. *Prælati Regulares.*

*Sanct. Pius V. Bulla 13. in Bullario Rodriquez* hanc à 167
Concilio Tridentino Epiſcopis conceſſam diſpenſandi in irregularitatibus facultatem, de qua §. præced. expreſſè conceſſit Generali, & Provincialibus Ordinis Prædicatorum (& per communicationem ſimilibus Prælatis aliorum Ordinum Mendicantium) imò & Prælatis Conventualibus, ſed cum addita generaliter particula: *per ſeipſos*. Ita noſter Herincx *diſp. 6. de cenſuris, q. 7. n.* 194. Sed intellige, reſpectu ſuorum ſubditorum Regularium, non reſpectu ſæcularium. Imò Noſter *Portel. in dubiis Regularibus*. Verbo: *Diſpenſare nu.* 8. ait: Poſſunt Prælati etiam Conventuales diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate orta ex homicidio voluntario, ſi ſit occultum, non verò ſi ſit publicum. *Compendium Mendicantium, Verbo: Diſpenſatio §. 24. & ibidem Corduba Annotatione ad eundem §. & Rodriquez*. Hoc autem intelligitur de diſpenſatione ad Ordines non verò ad Prælationes, ut Rodriquez ait. Idem circa diſpenſationem homicidii tenet *Miranda Tom. 2. quæſt. 8. art. 10. concluſ.* 2. Idem Portel. *Verbo: Abortus numer. 12. in dubiis Regularibus* docet, Prælatos Conventuales, vel Provinciales, poſſe hanc poteſtatem diſpenſandi delegare, & committere uni confeſſario ſubdito, ut hic diſpenſet in foro conſcientiæ cum delinquente: *Sbogar tract. 62. numer.* 28. docet, poſſe non tantùm Prælatos Regulares Generales, & Provinciales, ſed etiam alios Religionis Prælatos cum ſuis ſubditis diſpenſare, ut ſunt Præpoſiti, Guardiani, Rectores locales &c. in omni irregularitate, ex homicidio voluntario incurſa, dummodò non ſit notorium, ſed aliqualiter occultum, & hoc quidem ſolùm virtute privilegii à Martino V. Priori Monaſterii S. Benedicti Valliſoletani conceſſi, & poſteà omnibus Prioribus, & Abbatibus aliorum Monaſteriorum participati, ita Miranda referens de verbo ad verbum hanc conceſſionem vivæ vocis Oraculo factam dicto Priori, quæ ſic ſonat: *Super omni irregularitate, & in illis caſibus, in quibus Papa ſibi reſervat (morte videlicet, & in membrorum truncatione, & enormi ſanguinis effuſione) valeat diſpenſare, dum tamen aliquod horum trium non ſit notorium, & hoc propter ſcandalum. Candidus Diſquiſ. 24. art. 61. dub. 8. Joannes de La Cruz, Portel, Leander* cum multis aliis *penes Dianam p. 3. tract. 2. Reſol.* 45. Et quando ipſi *Sbogar numer.* 30. objicitur, hoc privilegium tanquam vivæ vocis Oraculo conceſſum eſſe revocatum per Gregorium XV. & Urbani VIII. Reſpondet hoc privilegium poſteà per Bullas ſpeciales fuiſſe confirmatum à Summis Pontificibus, & conſequenter non fuiſſe revocatum; nam non ampliùs vivæ vocis Oraculi vim habet, ſed privilegii per Bullam Papæ conceſſi. Ita *Matthæus de Moya tract. 5. de Cenſur. quæſt. 3. numer. 1. 2. & 3.* citans Dianam *part. 9. tract. 7. Reſol.* 61. Thomam Hurtadum *tom. 2. Moral. tract. 12. capit.* 2. Rodriquez, Vegam, Baſſæum, & Alios. Poſſet addi, hoc privilegium eſſe vivæ vocis Oraculum Authenticum, ut patet ex compendio privilegiorum *Caſarubios, verbo: Diſpenſatio §. 24.* quæ juxta dicta ſuprà *cap. 1. ſect. 4. numer.* 441. non ſunt revocata. Denique die Lunæ poſt primam Dominicam quadrageſimæ ſingulis annis poteſt quivis Generalis, vel Provincialis Regularis diſpenſare in foro conſcientiæ cum ſuis ſubditis in omnibus omninò irregularitatibus publicis, & occultis, etiam homicidii voluntarii, Bigamiæ, & mutilationis, ex indefinita conceſſione Pauli III. Bulla: *exponi nobis*, data Benedictinis Valiſoleti, in quo privilegio participant omnes Mendicantes. Hæc habetur in Bullario Roderici: Ita *Sannig. Diſt. 3. de Irregularitate, quæſt. ult. n. 5. Herincx cit. n. 195. Portel. in dubiis Regularibus V. Diſpenſare, in additione, ubi nu. 2.* addit: hoc privilegium conceditur Reformationi Generali, Abbatibus, Prioribus, & Præſidentibus prædicti Ordinis, & proinde conceditur aliis Præ-



Digitized by Google

Prælatis aliorum Ordinum cum illis communicantibus, qui reſpondent prædictis officiis, & Dignitatibus Benedictinorum. Quòd ſi quæras, an Prælati iſti poſſint hoc ſibi conceſſum privilegium alicui delegare Confeſſario? Credo, quòd poſſunt; quia habens Juriſdictinem per privilegium Papæ, habet illam ut ordinariam, & proinde poteſt illam delegare. Hucuſque *Portellus, addens numer.* 6. quòd Prælati prædicti in illa die per hoc privilegium diſpenſare in irregularitatibus, etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ poſſiut, injuncta tamen condigna Pœnitentia, *numer.* 7.

168 Pro conſolatione Religioſorum (*ait Portel. citat V. Abortus, num.* 11.) Addo, quòd ſi Religioſus habens aliquam irregularitatem, vel inhabilitatem, à quibus illius Prælatus poteſt diſpenſare, ſi, inquam, talis Religioſus præſens fuerit in Capitulo Viſitationis, vel Provinciali, in quibus Prælatus dicit in Generali: *Abſolvo vos ab omni Cenſura, & diſpenſo Vobiſcum in omni irregularitate, & habilito vos ad omnia*; ſi, inquam hæc dicat, ille qui præſens fuerit, ſi ſit irretitus aliquo ex illis tribus, manet abſolutus à Cenſura, irregularitate, & inhabilitate. Nam talis abſolutio datur ab habente poteſtatem, & ſortitur effectum. Ita in terminis *Navarrus in Sum. Latina capit.* 26. *numer.* 13. Hæc omnia ſupradicta intelligenda ſunt de irregularitatibus ea delicto provenientibus; nam in irregularitatibus ea defectu conſurgentibus nequeunt diſpenſare Prælati Regulares niſi ſint Generales, vel Provinciales, & in certis tantùm caſibus, verbi gratia in defectu natalium ad Prælaturas juxta dicta ſuprà *numer.* 161. & in quibus Epiſcopi de Jure cum ſuis ſubditis poſſunt diſpenſare. *Herincx citat. quaſt.* 7. *num.* 195.

### §. III. *Confeſſarii deputati pro Conventu*

169 AD abſolvendum à caſibus reſervatis, imprimis non poſſunt cum Religioſis diſpenſare *in votis* ab eiſdem emiſſis; quia aliud eſt abſolvere a caſu reſervato, & aliud eſt diſpenſare in votis; ultimum competit Prælatis Regularibus exemptis, & iis quibus hanc diſpenſandi poteſtatem ſpecialiter delegarunt; quod non cenſentur feciſſe, quòd aliquem confeſſarium deputaverint pro Conventu ad abſolvendum à caſibus reſervatis, cùm quis poſſit abſolvi à reſervatis, abſque eo quòd cum ipſo diſpenſetur in votis. *Sed difficultas eſt*, an habens facultatem abſolvendi à caſu reſervato, ſimul habeat facultatem abſolvendi à Cenſura, & irregularitate tali peccato annexa? Ad quam cum noſtro P. Gaudentio Kerckhove *in ſtatuta noſtra Generalia capit.* 6. §. 22. *numer.* 98. Reſpondeo probabiliùs affirmativè: Ita tenet quoad Cenſuras annexas, Portel. *V. caſus reſervati, numer.* 3. & 4. Suarez *de Cenſuris diſp.* 7. *Sect.* 4. *numer.* 13. Peyrinis, *de Prælato quaſt.* 3. *capit.* 2. *num.* 29. Lezana *V. Caſus reſervatus num.* 26. & Alii. Niſi Prælatus aliter ſe explicet, vel ex circumſtantiis antecedentibus, vel conſequentibus aliud colligatur. Ratio eſt: tum quia cùm favores ſint ampliandi, Cenſuræ autem, etiamſi ſint pęnæ, comprehendi tamen poſſunt ſub nomine caſus, & in communi modo loquendi, ſicut homo dicitur cadere in peccatum, ſic etiam dicitur cadere, ſeu incidere in Excommunicationem: adeòque ſicut in *Concilio Trident. Seſſ.* 24. *capit.* 6. ſub facultate data Epiſcopis abſolvendi à caſibus occultis, ex omnium ſententia intelliguntur tam peccata, quàm Cenſuræ illis annexæ, ſic & facultas abſolvendi à reſervatis data à Superioribus Regularium intelliguntur tam peccata, quàm Cenſuræ annexæ: tum quia conceſſo Principali, id eſt, caſu, intelligitur conceſſum acceſſorium, id eſt, Cenſura: tum quia aliàs illa facultas eſſet inutilis, nam ſi Cenſura maneret reſervata v. g. Excommunicatio, vel non poſſet abſolvi pęnitens à peccato, remanente tali Excommunicatione, vel non poſſet communicare, aut celebrare, donec Superiori ſe ſiſteret, & ab excommunicatione ab eo abſolveretur; cùm tamen ideo facultas abſolvendi petatur, & à Superioribus detur, ne pęnitens ſe perſonaliter Superiori repræſentare cogatur: Denique quia talis eſt communis praxis Religionum. Imò juxta *Lezana ſuprà numer.* 27. dum Superior alicui dat facultatem abſolvendi à caſu reſervato, etiam cenſetur dare facultatem diſpenſandi in irregularitate propter illud contracta, niſi ex circumſtantiis, & modo, quo hæc facultas concedi ſolet, contrarium conſtet. Unde cùm juxta *Bordonum Reſol.* 13. *quaſt.* 5. *numer.* 19. poſſint Prælati Regulares diſpenſare cum ſuis Religioſis in irregularitate contracta ex abortu fœtus animati: & juxta *Portel. V. Abortus, numer.* 12. poſſint hanc poteſtatem delegare uni confeſſario ſubdito, ut diſpenſet in foro conſcientiæ cum delinquente, puto, quòd dùm Superior dat facultatem alicui confeſſario, ut abſolvat à caſu reſervato, & it verbi gratia ſit abortus fętus animati, ſimul det facultatem abſolvendi ab excommunicatione, & diſpenſandi in irregularitate tali peccato annexis; idque etſi Superior neſciat facultatem peti pro tali peccato, niſi expreſsè limitet; quia cenſetur tunc tali confeſſario auctoritatem petenti, omnem auctoritatem pro iſta vice conferre, quam ipſemet habet, ne pęnitens Superiorem accedere teneatur, adeòque extendit ſe ad Cenſuras, & irregularitatem iſti peccato annexas, à quibus ipſe Superior abſolvere, aut diſpenſare poteſt. Vide *Bordonum Reſol.* 31. *num.* 59. Hæc autem intelligenda ſunt pro foro conſcientiæ tantùm: nam ſi crimen legitimè probatum fuerit, Judicialem correctionem reus non evadet. Hucuſque *Kerckhove cit.*

### §. IV. *Confeſſarii Regulares Mendicantes reſpectu Sacularium.*

COnfeſſarii Regulares Mendicantes poſſunt cum ſæcu- 170
laribus diſpenſare ſuper omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, ſuper quibus poſſunt Epiſcopi. Ita Bernardus Sannig *tom.* 3. *Schola Theologica Scotiſtarum, Diſt.* 3. *de Irregularitate, quaſt. ult. num.* 7. citans Martinum à S. Joſepho *in Comp. facult. Confeſſ. Verbo: Diſpenſare*, Sorbum *Verbo: Abſolutio.* Rodriquez *in explicatione Bulla Cruciata* §. 9. Suarez *tom.* 4. *de Regul.* Sanchez, & alios graves DD. Regulares. Item Chaſſaing *de privileg. Regular. tract.* 5. *capit.* 4. *prop.* 1. Baſſæus, Crouſers, Sayrus, & Henriquez apud Herincx *Diſp.* 6. *de Cenſuris quaſt.* 7. §. 14. *num.* 196. contra Paſſerinum *de Hominum Statibus, & Officiis, quaſt.* 187. *art.* 1. *numer.* 810. Portel. *in dubiis Regularibus V. confeſſor circa Irregularitates Sacularium, numer.* 34. & Alios. Ratio eſt; quia Sixtus IV. Fratribus Ordinis Minorum, Bulla 9. (: quàm poſteà Confirmavit Julius II. Conſtitutione ſua, quà incipit: *Dum ad Sacrum Ordinem Minimorum*, §. 32. quam refert *Peyrinis* ad Conſtit. 1. Julii II.:) *conceſſit facultatem ad Confeſſiones audiendas, & ab omnibus excommunicationibus, ſuſpenſionibus, & interdictis, & ſuper quacunque Irregularitate Ordinaria, tam à iure, quàm ab homine reſervatis, toties quoties opus fuerit, abſolvendi, diſpenſandi, ac vota quacunque permutandi, ſicut poteſt Diœceſanus.* Hanc verò conceſſionem Minimis factam fuiſſe reſpectu ſæcularium, fatentur *Corduba, Crouſers, Sayrus, Henriquez, & Joannes de La Crux, apud Baſſæum, V. Irregularitas XI. numer.* 10. Idem tenent *Antonius à Spiritu S. in Directorio Regularium, part.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 3. *Sect.* 2. *numer.* 65. *Vega, Pellizarius, & Baunii. Idem* ſupponunt Authores ſuprà citati. Ratio eſt 2. Quia Paulus III. Bulla: *Cùm inter cunctas*, conceſſit confeſſariis ſocietatis Jeſu, quòd poſſint *abſolvere quoſcunque utriuſque ſexus fideles ab omnibus peccatis, Criminibus, Exceſſibus, & delictis, etiam Sedi Apoſtolica reſervatis, & à quibuſvis ex ipſis caſibus reſultantibus ſententiis, Cenſuris, & Pęnis Eccleſiaſticis, exceptis contentis in Bulla Cœna Domini*; Sed inter has pœnas ponuntur Irregularitates, ut tenet *Sanchez lib.* 6. *Operum moralium*, & Alii Theologi: Ergo Confeſſarii Regulares Mendicantes poſſunt cum ſæcularibus diſpenſare &c. Vide etiam circa hoc *P. Sporer Theol. Sacrament. parte* 3. *capit.* 6. *Sect.* 2. *numer.* 742. Nec refert, quod Papa citatus non utatur Verbo: *Diſpenſare*, ſed *Abſolvere*, quia, ut habet *Suarez tract.* 8. *diſp. de Relig. lib.* 2. *capit.* 21. *Abſolvere* ſępè capitur pro *Diſpenſare*, quaſi *Abſolvere* idem ſit, quod *Abolere*. Deinde illa Verba: *Pœnis Eccleſiaſticis, debent* aliquid operari, alioquin eſſent ſuperflua, quod abſque ratione diceretur, ſed non aliud, quàm ſignificando Irregularitates: Ergo &c. Tandem hæc Materia eſt favorabilis; eſt enim ſupremi Principis privilegium: Ergo amplè interpretandum; & aliunde non conſtat de aliqua Pontificia prohibitione terminata ad Regulares Presbyteros circa hoc punctum: Ergo, ita *Sannig c sat.*

## QUÆSTIO Ultima.

### *De Reliquis Pœnis Eccleſiaſticis, & earum Relaxatione.*

### SUMMARIUM.

172 *Quid ſit Pœna Eccleſiaſtica, & quotuplex? Quid ſit inhabilitas, & privatio Beneficiorum, Dignitatum, & Officiorum Eccleſiaſticorum?*
173 *Quid ſit Degradatio, & Depoſitio?*

174

Digitized by Google

174 *Quid ſit ceſſatio à Divinis?*
175 *Quinam poſſint diſpenſare in prædictis pœnis Eccleſiaſticis?*
176 *Quid poſſint Confeſſarii Regulares Mendicantes circa illas reſpectu ſæcularium?*

A S S E R T I O Ultima.

171 POEna *Eccleſiaſtica, ſeu Canonica eſt, quæ ab Eccleſia, ſeu poteſtate Eccleſiaſtica, per Canones, vel ſecundùm Canones infligitur, eſtque ſeptuplex, nimirùm Cenſura, Irregularitas (de quibus jam egimus) Degradatio, Depoſitio, Ceſſatio à Divinis, Inhabilitas ad beneficia, Dignitates, & Officia Eccleſiaſtica, & privatio illorum priùs ritè obtentorum. Degradatio poteſt relaxari à ſolo Summo Pontifice: Depoſitio verò, & Ceſſatio à Divinis etiam ab Epiſcopis, & Epiſcopalem poteſtatem habentibus, Prælatis Regularibus reſpectu ſuorum reſpectivè ſubditorum tolli poteſt, ſicut etiam Inhabilitas ad Beneficia Dignitates, & Officia Eccleſiaſtica, & privatio illorum priùs ritè obtentorum; modò prædicta inhabilitas, & privatio non ſit ſpecialiter ab homine inflicta, nec ad forum contentioſum deducta; & tunc etiam Confeſſarii Regulares Mendicantes in eiſdem cum Sæcularibus diſpenſare poſſunt.* Eſt communis DD.

§. I. *Pœna Eccleſiaſtica. Inhabilitas, & Privatio Beneficiorum, Dignitatum, & Officiorum Eccleſiaſticorum.*

172 P*OEna Eccleſiaſtica, ſeu Canonica*, eſt, quæ ab Eccleſia, ſeu poteſtate Eccleſiaſtica per Canones, vel ſecundùm Canones infligitur. Communis, & colligitur ex *Doctore noſtro Subtili in 4. diſt. 25. q. 1.* Definitio patet ex terminis; ſola notanda ſunt verba *per Canones*, quibus verbis indicatur pœna ipſo Jure, ſeu ipſo Canone jam impoſita, conſequenter jam latæ ſententiæ exiſtens; & *vel ſecundùm Canones*, quibus verbis innuitur pœna per ſententiam primùm, juxta præſcriptum tamen SS. Canonum ferenda; ſi enim his conformiter non infligeretur à Judice, foret injuſta. Hæc itaque pœna Eccleſiaſtica eſt *Septuplex*: Prima eſt *Cenſura*: Secunda eſt *Irregularitas*; de quibus jam egimus in præcedentibus. Tertia eſt *Inhabilitas* ad Beneficia, Dignitates, & Officia Eccleſiaſtica, quæ eſt Pœna Eccleſiaſtica, qua quis inhabilis redditur ad validè recipiendum Beneficium, Dignitatem, & Officium Eccleſiaſticum, adeò, ut collatio ipſo facto, & ante omnem ſententiam ſit nulla. Quarta eſt *Privatio* Beneficii, Dignitatis, & Officii Eccleſiaſtici, quæ eſt pœna Eccleſiaſtica, qua quis privatur Beneficio, Dignitate, vel Officio Eccleſiaſtico priùs ritè obtento. Qualiter autem, & quomodo obligent inhabilitas ad Beneficia, Dignitates, & Officia Eccleſiaſtica, & privatio eorundem, vide, quæ diximus ſuprà *c. 1. Sect. 3. n. 168.*

§. II. *Depoſitio, & Degradatio.*

173 QUinta pœna Eccleſiaſtica eſt *Depoſitio*, quæ deſcribi ſolet, quòd ſit pœna Eccleſiaſtica removens Perſonam Eccleſiaſticam, ob enorme crimen, ab ordine, omni Juriſdictione, & Beneficio Clericali in perpetuum, retento ſolo Canonis, & fori privilegio. Sexta eſt *Degradatio*, quæ deſcribitur, quòd ſit pœna Eccleſiaſtica, amovens Clericum ab omni gradu Clericali, & privilegio etiam Canonis, ac fori in perpetuum, ob atrociſſimum, & graviſſimum Crimen. Qualiter autem degradatio fieri debet, docet *Bonifacius VIII. cap. Degradatio 2. de Pœnis in 6.* dicens: *Clericus igitur Degradandus veſtibus Sacris indutus, in manibus habens librum, vas, vel aliud Inſtrumentum, ſeu Ornamentum ad Ordinem ſuum ſpectans, ac ſi deberet in Officio ſuo ſolemniter miniſtrare, ad Epiſcopi præſentiam adducatur: cui Epiſcopus publicè ſingula, ſive ſint Veſtis, Calix, Liber, ſeu quævis alia, quæ illi juxta morem Ordinandorum Clericorum, in ſua Ordinatione ab Epiſcopo fuerint tradita, ſeu collata, ſingulariter auferat, ab illo veſtimentum, ſeu ornamentum, quod datum, vel traditum fuerat ultimò, inchoando, & deſcendendo gradatim, degradationem continuet uſque ad primam veſtem, quæ datur in collatione tonſuræ: tuncque radatur caput illius, ſeu tondeatur, ne tonſura, ſeu Clericatus veſtigium remaneat in eodem;* &c. Denique ſeptima Pœna eſt.

§. III. *Ceſſatio à Divinis.*

174 QUæ eſt quædam Deſiſtentia à Divinis Officiis, & adminiſtratione Sacramentorum ex ſimplici prohibitione Eccleſiæ, non eſt Cenſura; nec propriè Pœna; ſed ſimplex prohibitio in deteſtationem ſceleris, & ſignum graviſſimi doloris conſtituta; quam deſiſtentiam à Divinis Officiis aſſumit Eccleſia, inſtar planctus cujuſdam ratione injuriæ ſibi, vel DEO illatæ, vel per modum defenſionis contra illam. Unde violans ceſſationem à Divinis, etiam per actum Ordinis, non incurrit Irregularitatem, utpotè nullo Jure ſtatutam. Per ceſſationem à Divinis prohibentur publica Officia Divina, & adminiſtratio Sacramentorum in loca, in quo ceſſatio eſt indicta. Excipiuntur juxta communem DD. apud *Herinx diſp. 6. de Cenſuris q. 5. nu. 108.* Sacramenta Baptiſmi Pœnitentiæ, Confirmationis, Viatici, & Matrimonii. Denique inter effectus ceſſationis à multis enumeratur privatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, ſed cùm deſuper non adſit textus Juris, alii meliùs docent, tempore ceſſationis à Divinis, Laicos æquè, ac Clericos tumulari poſſe in loco Sacro, abſque ſolemnitate tamen Eccleſiaſtica; quia ſepultura ſumpta pro nuda depoſitione cadaveris in locum ſacrum, non continetur ſub Divinis Officiis, ſed eſt quoddam opus Pietatis, & Miſericordiæ. Ita *Suarez, Coninch. Maſtrius, Herinx cit. nu. 109.* apud quem vide plura de hac re, ſi placet.



§. IV. *Relaxatio Pœnarum Eccleſiaſticarum.*

QUantum ad Relaxationem, & Diſpenſationem prædictarum pœnarum Eccleſiaſticarum, docet communis DD. Degradationem ſubjacere Diſpenſationi ſolius Pontificis, Depoſitionem verò tolli poſſe ab Epiſcopo, ſicut etiam Ceſſationem à Divinis. Quoad pœnas *Inhabilitatis* ad Beneficia, Dignitates, & Officia Eccleſiaſtica, & *Privationis* eorundem, docet noſter Bruno Caſſaing, *in privilegiis Regularium, tract. 4. cap. 2. Propoſitione 2.* ſequentia: Poſſunt Generales, & Provinciales diſpenſare toties, quoties ſe offert occaſio, ſuper inhabilitatibus ex nota ſeu infamia provenientibus, & quibuslibet aliis impedimentis, & pœnis, ante vel poſt ingreſſum in Religionem incurſis, quibus prohibetur ſacrorum Ordinum receptio, Officiorum; & Dignitatum Eccleſiaſticarum adeptio, & poſſeſſio. Hæc propoſitio probatur ex conceſſione Gregorii XIV. facta Generali Miniſtrorum infirmorum, quam affert Portel. in dubiis Regularibus, verbo: *Prælatus ad abſolvendum, n. 23.* citatus Sorbum *in addit. ad compendium*, & ex conceſſione Eugenii IV. facta Ciſtercienſibus, ut tenet *Liamas in 4. p. Methodi*, cum illa reſtrictione, dummodò bis non ſit aliquis nominatim comprehenſus. Et hujus ſententiæ ſunt præcitati Doctores, inter quos eſt Martinus à S. Joſepho, *de Poteſtate General. n. 10. & de Poteſt. Provinc. n. 11.* Poſſuntque iidem juxta illos, aliis hanc facultatem committere: requiritur tamen ante diſpenſationem prædictam Pœnitentia, & ſatisfactio, juxta *Rodriq. to. 1. q. 20. art. 5. & Portel. cit. loco.* Ita *Caſſaing cit.* qui propoſitione Tertia ſubjungit: Poſſunt prædicti Prælati diſpenſare in occultis prædictis omnibus pœnis à Jure, aut univerſaliter ab homine latis, Summo Pontifici quomodolibet per ſacros Canones, vel extravagantes reſervatis, cum ſuis videlicet ſubditis Religioſis, quod ſemper etiam in ſupradictis ſubintelligendum venit. Ratio eſt: quia prædicti Prælati Regulares habent eandem facultatem diſpenſandi in his pœnis cum ſuis ſubditis, quam habent Epiſcopi diſpenſandi cum ſuis; atqui Epiſcopi poſſunt in his diſpenſare, ergo. Unde *Sorbus* in Compendio noſtrorum privilegiorum, verbo: *Abſolutio quoad ſæculares Secundo*, in reſolutionibus abſolutionum, circa finem ibi, *Reſolutio materiæ præfatæ*, reſolvit poſt longam hujus materiæ diſcuſſionem ſequentia: *Miniſtri Generales, Provinciales, & illi, quibus ipſi commiſerint, poſſunt abſolvere Fratres, & Moniales ſuæ obedientiæ, ab omni vinculo excommunicationis, & quibuſcunque aliis Cenſuris, & peccatis, & diſpenſare in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto, exceptis illis deductis ad forum contentioſum; omnemque ab illis inhabilitatis, & infamiæ maculam abolere, & in quibuſcunque occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & in quibus Epiſcopi poſſunt cum ſuis, vigore Concilii Tridentini, exceptis duntaxat contentis in Bulla Cœnæ Domini, antequàm ſcilicet obtineatur facultas pro illis, ex privilegiorum Confirmatione.*

Denique Confeſſarii Regulares Mendicantes à ſuis Superioribus præſentati, & ab Epiſcopis approbati, poſſunt in foro conſcientiæ cum ſæcularibus diſpenſare, ſuper pœnis Eccleſiaſticis Epiſcopo, & Papæ reſervatis *extra Bullam Cœnæ*; non autem ſuper pœnis per ſententiam Judicis inflictis, aut ad forum contentioſum deductis. Ita noſter *Bruno Caſſaing in privilegiis Regularium tract. 5. capit. 4. propoſitione 2.* P. Sporer *Theol. Sacrament. parte 3. capit. 6. ſect. 2. num. 742.* & Alii. Ratio eſt: quia Paulus III. Bulla: *cùm inter cunctas. 3. Julii. 1545.* conceſſit Confeſſariis Societatis JESU ſequentia; *Necnon illis ex vobis, qui presbyteri* 176



Digitized by Google

*fuerint, quorumcunque utriuſque Sexus fidelium, ad vos undique accedentium Confeſſionibus diligenter auditis, ipſos, & eorum ſingulos, ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis quantumcunque gravibus, & enormibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & à quibuſvis ex ipſis caſibus reſultantibus ſententiis, Cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis (exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini ſolita eſt legi) abſolvendi, atque eis pro commiſſis Pœnitentiam ſalutarem injungendi, nec non vota quæcunque per eos pro tempore emiſſa (Ultramarinis, viſitationis liminum Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum de Urbe, ac Sancti Jacobi in Compoſtella, nec non Religionis, & Caſtitatis votis dumtaxat exceptis) in alia Pietatis opera commutandi, concedimus plenam, & liberam facultatem.* Hucuſque Bulla Pauli III. quam participant omnes Mendicantes, ut videre eſt *in noſtro Compendio privilegiorum, in fine*, ubi hæc Bulla in terminis formalibus refertur. Hic tamen notabis cum noſtro *Brunone Chaſſaing cit.* poſſe dictos Confeſſarios Regulares Mendicantes, diſpenſare dumtaxat in pœnis Papæ reſervatis, quæ oriuntur ex caſibus, & Cenſuris, à quibus per dictam Bullam Pauli III. abſolvere poſſunt, quod expreſsè verba Pauli III. citata ionuunt, & docet *Martinus à S. Joſepho: & Vega.* Forma in pœnis prædictis diſpenſandi hæc eſſe poterit: *Ego diſpenſo tecum in Pœna Eccleſiaſtica v. g. Inhabilitatis &c. quam incurriſti propter hanc cauſam v. g. in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Hic obſervandum eſt Confeſſario ex Regularibus Mendicantibus, quòd *Antonius à Spiritu Sancto in Directorio Regularium, p. 1. tract. 2. Diſp. 3. Sect. 2. §. 1. n. 76. & ſeqq.* docet, videlicet, Regulares Mendicantes poſſe cum ſæcularibus diſpenſare in foro conſcientiæ in omnibus pœnis Eccleſiaſticis, dummodo ſint extra Bullam Cœnæ, ex privilegio Pauli III. per quas pœnas intelliguntur Inhabilitates ad Officia, & privationes Dignitatum, vocis, & loci &c. An autem inde colligatur, quòd Regulares Mendicantes ratione ſuorum privilegiorum poſſint diſpenſare in Inhabilitate, quam contrahunt recipientes ſimoniacè Beneficia, tam ad idemmet Beneficium, quàm ad alia, exiſtimat contrariam ſententiam eſſe ſuſtinendam; nam, cum Diſpenſatio in hac Inhabilitate ſit virtualis collatio Beneficii, ut expreſsè tenet *Suarez* cum *Abbate*, quos refert, & ſequitur *Palaus to. 3. diſp. 3. de Simonia, puncto ultimo, nu. 5. Portel. in reſponſionibus ad caſus conſcientiæ p. 3. to. 1. caſu 12. Trullenchus in Bullam Cruciatæ lib. 2. dub. 2. §. 2. numer. 3.* impoſſibile eſt, poſſe talem diſpenſationem concedi à Regularibus; quia Regulares nec directè, nec indirectè poſſunt conferre Beneficia: ergo nullo modo poſſunt in tali Inhabilitate diſpenſare. Inſuper *Reiffenſtuel lib. 5. Decret. tit. 3. num. 262.* docet: Simoniacè ordinatum incurrere ſuſpenſionem ab executione omnium ſuorum Ordinum, & ſi in tali ſuſpenſione aliquem actum Ordinis exerceat, incurrere irregularitatem, ac privationem Officiorum, & Beneficiorum omnium, atque Inhabilitatem ad ea, ſi fuerit ſæcularis; ſi verò Regularis, privationem vocis activæ, & paſſivæ, atque Inhabilitatem ad eam, ex Bulla Sixti V. *Sanctum, & Salutare* (quæ habetur *to. 2. Bullarii Romani, Conſtitut. 91. ejuſdem*) quæ etiam dictarum pœnarum abſolutionem ſoli Sedi Apoſtolicæ reſervat, cum derogatione Concilii Trid. *Seſſ. 24. cap. 6.* ut proin etiam circa crimen in hoc paſſu occultum, nil valeat Epiſcopus, & *num. 338. titulo citato* docet, quòd ſi Beneficium aliquod qualecunque tandem per alium ſimoniacè fuerit obtentum, Beneficiario ſciente, & tacitè, vel expreſsè conſentiente, aut ipſomet ſimoniacè procurante, Epiſcopus nec pro foro interno, nec pro externo poſſit diſpenſare, ut Beneficium hujuſmodi retinere, aut idem hac, vel alia vice de novo iterum acquirere valeat Simoniacus, etiamſi Simonia ſit occulta; pro qua ſententia cit. *Palaum, Suarez, Leſſium, Pirrhing*, & communiſſimam aliorum, nec non declarationem Cardinalium, & *num. 304 eod. tit.* ait: Ignorantiam invincibilem excuſare à peccato Simoniæ, juxta communem, & certam ſententiam, addens *num. 320.* Ignorantiam in caſu, quo excuſat à culpa, excuſare etiam à pœnis Simoniæ. Denique Confeſſarius Regularis quando à S. Pœnitentiaria Romana ſubinde impetrat diſpenſationem exequendam in Irregularitate, cum hac, vel ſimili Clauſulâ: *ut tamen diſpenſandus inhabilis remaneat ad Officia, Dignitates &c.* nequit in ſimili inhabilitate diſpenſare virtute ſuorum privilegiorum; quia cenſetur eſſe ſpecialiter ab homine reſervata.

# APPENDIX

*De Virtutibus Cardinalibus, & Vitiis oppoſitis.*

## SUMMARIUM.

177 *Quid ſit virtus moralis, & quomodo conſiſtat in Medio?*
178 *Virtus dividitur in Intellectualem, & Moralem, hæc in ſtrictè talem, & Theologicam &c.*
179 *An dentur virtutes morales per ſe infuſæ; & per quid virtutes ſupernaturales à naturalibus diſtinguantur?*
180 *Præter tres virtutes Theologicas, & quatuor Cardinales, non dantur aliæ virtutes ab iis eſſentialiter diverſæ.*
181 *Quid ſit vitium, & quotuplex?*
182 *Quid ſit prudentia,*
183 *Et quotuplex?*
184 *Quæ ſint partes Prudentiæ?*
185 *Quid imprudentia?*
186 *Quid ſit Temperantia, & vitia ei oppoſita?*
187 *Partes Temperantiæ ſubjectivæ explicantur.*
188 *Partes integrales Temperantiæ, Verecundia, & honeſtas.*
189 *Partes Temperantiæ potentiales enumerantur.*
190 *Quid ſit Studioſitas, & Modeſtia?*
191 *Quid ſit Fortitudo?*
192 *Quæ vitia fortitudini opponantur?*
193 *Quæ partes ſubjectivæ fortitudinis?*
194 *Quæ Potentiales?*
195 *Quid ſit Juſtitia?* Remiſſivè.

### §. I. *Virtus. Vitium.*

I. V*irtus Moralis* definitur ab Ariſtotele *2. Ethic. 6.* 177
quod ſit *Habitus Electivus in Mediocritate conſiſtens; quæ quidem Mediocritas à recta ratione præfinita ſit.* Ubi per *Habitum Electivum* intelligitur Habitus voluntatis, uti ipſa voluntas ſolet vocari Potentia Electiva. *Mediocritas* ad rationem virtutis requiritur ab omnibus Theologis. Unde eſt vulgatum iſtud: *Virtus conſiſtit in Medio.* Debet porro Mediocritas hæc præfiniri, ſeu proponi per rectam, ſeu prudentem rationem; ſine qua virtutes eſſe non poſſunt; ut proinde noſter Seraphicus Pater (teſte Doctore noſtro Seraphico S. Bonaventura *capit. 5. Legenda*) dixerit prudentiam, ſeu diſcretionem eſſe Aurigam virtutum, ſine qua nimirùm virtutes ſunt vitia: Mediocritas autem ſeu medium virtutis aliud vocatur *Medium rei*, aliud *Medium rationis*. Illud eſt, quod ex Natura rei ita taxatum eſt, ut in omnibus ſit omninò idem: hoc verò, quod non ita determinatum eſt, ſed variatur ex diverſis conditionibus, & circumſtantiis Perſonarum operantium. Medium rei habet Juſtitia commutativa, nempe reddere præcisè cuique, quod ſuum eſt, ſive ſtatuere, vel conſervare æqualitatem rei ad rem. Medium rationis habet temperantia, & fortitudo. Nam quantitas cibi, & potus, quæ hoc tempore, aut in hac perſona eſt Medium proportionatum, poteſt alio tempore, vel in alia perſona eſſe excedens, vel deficiens. Similiter contingit in fortitudine, quæ poſtulat aggreſſionem, vel fugam periculorum, juxta quod recta ratio declaraverit, attenta gravitate rationum, & perpenſis viribus operantis: ideòque periculum idem aggredi, in uno exigit, in altero vetat fortitudo. Unde in definiendo hoc medio velut magis occulto, quantùm ad cognitionem, facilè erratur; etſi ſuppoſita bona fide, & ignorantia veri medii, actio operantis ſit formaliter bona. Advertendum quoque medium rationis non ſemper conſiſtere in indiviſibili: qui enim v. g. temperans eſt comedendo tot uncias panis, non ſtatim ſit intemperans, ſi paulò ampliùs comedat. Deinde extrema, inter quæ conſiſtit virtus moralis, ordinariè quidem ſunt vitioſa, ut patet in materia temperantiæ, fortitudinis &c. non tamen ſemper, quin ſaltem exceſſus poſſit eſſe non malus, aut etiam laudabilis, v. g. in Juſtitia: qui enim ex juſtitia debet, v. g. centum, ſi excedat, ſeu plus det, eatenus quidem non exercet actum Juſtitiæ, tamen non neceſſariò peccat, quinimò poteſt benè agere exercendo v. g. actum liberalitatis, aut miſericordiæ. Denique quod attinet ad virtutes Theologicas, etiam hæ aliqualiter conſiſtunt in medio, ut docent paſſim Theologi cum D. Thoma, & Scoto *in 3. diſt. 26. nu. 24.* Non quidem ex parte objecti ſecundùm ſe, cùm illud ſit DEUS, cui, quantùm eſt ex ſe, non poteſt nimiùm credi, ob infinitam ejus veracitatem:

quem

quem ſimiliter non poſſumus nimiùm concupiſcere, ob infinitam ejus deſiderabilitatem: quem denique non poſſumus nimium diligere, ob infinitam ejus bonitatem; ita ut rectè S. Bernardus *in princip. libri de diligendo DEO* dixerit: *Modus diligendi DEUM eſt ſine modo diligere*. Habent tamen aliquo modo medium ea parte actus; ſive ut loquitur *D. Thomas*, per accidens: nam poteſt in illis excedi, vel defici. Excedi quidem, credendo aliquid DEO convenire, quod non convenit, aut credendo nimis leviter: Sperando, ſeu potiùs præſumendo beatitudinem conſequi ſine meritis, aut ex propriis viribus: Diligendo perfectionem falsò exiſtimatam DEO competere, aut ſic ſolum DEUM diligendo, ut odio habeatur Creatura. Poteſt autem defici, dum non creditur, ſperatur, vel diligitur, quando eſt præceptum: Item diſcredendo pertinaciter, deſperando, DEUM odio habendo. Ita P. Herinca *part. 3. Summa Theologica diſp. 5. de Virtutibus, & vitiis in communi quæſt. 1. num. 7.*

178 II. Virtus in genere dividitur. I. *In intellectualem, & Moralem*, ſive in eam, quæ ſpectat ad intellectum, & eam, quæ ad voluntatem. Intellectualis autem ſubdividitur à Philoſopho *6. Ethic. 3.* in *Sapientiam*, quæ inclinat ad aſſenſum concluſionum neceſſariarum per primas, & altiſſimas cauſas: *Intellectum*, id eſt, habitum principiorum, ſive quo aſſentimur principiis, ſcilicet mediatis, ſeu non omninò primis, & per ſe notis: *Scientiam*, qua aſſentimur concluſionibus deductis ex hujuſmodi principiis evidentibus, & neceſſariis: *Artem*, quæ eſt recta ratio factibilium: & *Prudentiam*, quæ eſt recta ratio agibilium. Ubi *Agere* Actionem internam; *facere* verò externam, ex mente Ariſtotelis ſignificat. II. Dividitur virtus moralis in *Moralem ſtrictè*, & *Theologicam*. Prima eſt, quæ principaliter verſatur circa aliquod objectum creatum tamquam objectum formale, & terminativum, & ſubdividitur *in IV. virtutes Cardinales*, ſic dictas, quia in earum exercitio, poſt virtutes Theologicas, omnis morum honeſtas firmatur, ac quaſi in cardine vertitur, eædemque ſunt prima quædam, ac principalia honeſtæ vitæ fundamenta; & ſunt *Prudentia, Juſtitia, Fortitudo, & Temperantia*; ita tamen, ut ſub his quatuor virtutibus Cardinalibus, reliquæ omnes virtutes morales, vel tamquam *partes ſubjectivæ*, vel *potentiales* comprehendantur. Virtus Theologica eſt, quæ immediatè, & principaliter verſatur circa DEUM, tamquam objectum quod, & formale; eſtque triplex, videlicet *Fides, Spes, & Charitas*; hæ enim ſolæ habent DEUM pro objecto primario, quod creditur, quod ſperatur, quod diligitur; ſimiliter habent ipſum DEUM, ejuſve attributum pro objecto motivo, ſeu formali *quo*. III. Dividitur virtus in *Naturalem, & Supernaturalem*; ſive *in per ſe acquiſitam, & per ſe infuſam*. Virtus naturalis, & per ſe acquiſita eſt, quæ ex natura ſua poteſt phyſicè acquiri ab ipſa potentia per frequentationem actuum, ad quos viciſſim eliciendos potentiam facilitat. Virtus ſupernaturalis, & per ſe infuſa eſt, & quæ nequit per ipſam potentiam comparari, ſed ex natura ſua intrinſeca poſtulat infundi. Alioquin ipſis virtutibus naturalibus non repugnat, quominùs à DEO infundi poſſint: poteſt enim DEUS per ſeipſum infundere, quod potentia naturaliter poterat comparare. Si autem hoc fieret, virtutes illæ eſſent quoad ſubſtantiam naturales, ſed quoad modum ſupernaturales, & per accidens infuſæ.

179 Diſceptant hic Scholaſtici, an præter virtutes Theologicas (quas certum eſt eſſe per ſe infuſas; ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 7.* dicente: *In ipſa Juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Jeſum Chriſtum, qui inſeritur, Fidem, Spem, & Charitatem*) dentur virtutes morales per ſe infuſæ; Affirmant *Doctores Seraphicus, & Angelicus, Richardus, & Recentiores* communiter, Negant verò *Doctor ſubtilis 3. diſt. 36. nu. 28. Durandus, Marſilius, Nominales, & Scotiſtæ*. Rationem affert *P. Herincx citat. quæſt. 3. num. 32.* Quia nulla ratione, experientia, vel auctoritate conſtat, ejuſmodi virtutes infuſas dari: ergo non ſunt admittendæ. Quod enim ad rationem, vel experientiam attinet, inde nequidem probari poteſt, quòd virtutes Theologicæ ſint per ſe infuſæ: Quòd verò concernit authoritates, hæ commodè de ſolis virtutibus Theologicis explicari, & intelligi poſſunt. *Ulteriùs ſcholaſtici controvertunt*, per quid virtutes ſupernaturales, & per ſe infuſæ diſcernantur à virtutibus naturalibus? Equidem putant aliqui (inter quos Suarez, Curiel, & alii apud *Arriaga diſp. 14. de fide, ſect. 1.*) virtutes naturales in hoc differre à ſupernaturalibus, quòd virtutes naturales, & actus earum nequeant tendere in objectum ſupernaturale; quod Scotiſtæ, & alii Doctores paſſim apud *Herincx citat. qu. 2. numer. 18.* negant; quia non afferrur quidquam alicujus gravis momenti ab adverſariis, cur illud, quod ſupernaturaliter creditur, ſperatur, & diligitur, proponi nequeat per cognitionem naturalem cum eadem ratione formali, & conſequenter potentia in illud ſic propoſitum tendere; ſupernaturalia enim poſſunt eſſe objectum actus naturalis, imò etiam mali; adeoque poſſunt naturaliter cognoſci, & diligi. Experientia quoque docet, reflectentem ſe ſuper actus ſuos, eorumque objecta non deprehendere præfatam differentiam, ex qua ſanè alioquin poſſet ſcire, num habeat fidem, ſpem, aut Charitatem ſupernaturalem. Idem eſt de lapſo in hæreſim, qui actu naturali propter revelantem DEUM aſſentitur adhuc articulis fidei, circa quos non erat, ſine ulla, quæ notari poſſit, differentia ex parte objecti. Hinc Scotiſtæ differentiam inter virtutes naturales, & ſupernaturales, ſeu per ſe acquiſitas, & per ſe infuſas deſumunt *tum ex eo*, quòd virtutes ſupernaturales nequeant phyſice produci per actus, ſicut virtutes acquiſitæ, ſed exigant à ſolo DEO produci; adeò ut actus ſupernaturales ad illas diſpoſitivi, ſint tantùm moralis, vel meritoria diſpoſitio ex beneplacito DEI, qui illas etiam ſine ulla diſpoſitione infundit parvulis in baptiſmo: *tum ex eo*, quòd efficiant actus ſupernaturales: *tum ex eo*, quòd virtutes ſupernaturales non dent aliquam facilitatem potentiæ ad producendos actus, ſicut virtutes naturales. Et hinc communiter dicitur, quòd illæ dent ſimpliciter poſſe; hæ autem facilè poſſe.

III. Ex prædictis infertur, præter tres virtutes Theologicas, & quatuor virtutes Cardinales cum annexis, non dari alias virtutes eſſentialiter ab illis diſtinctas, ſed omnes ad eas reduci: Nam I. *Virtutes Evangelicæ*, ita dictæ, quia earum actus in Evangelio à Chriſto conſuluntur, ſuntque *Paupertas voluntaria, obedientia Religioſa, & caſtitas perpetua*, ad eas reducuntur, caſtitas quidem, & paupertas ad genus temperantiæ, obedientia verò ad genus Juſtitiæ, & ſolùm important ſpecialem gradum perfectionis earundem virtutum ex regulis fidei in Evangelio revelatis deſumptum, II. *Octo Beatitudines*, quas enumerat Chriſtus *Matth. 5.* ſunt habitus, vel actus virtutum moralium, ac Theologicarum, ut Doctores communiter tradunt cum Scoto *in 3. diſt. 34. qu. 1.* Siquidem paupertas Spiritus, & munditiès cordis reducuntur ad temperantiam; mititas, pacificatio, & miſericordia ad Juſtitiam; luctus ad Spem; eſuries, & ſitis ad Charitatem, & tolerantia perſecutionum ad fortitudinem. III. *Dona Spiritus Sancti*, quæ ſunt ſpeciales quædam ſeptem perfectiones, à Spiritu Sancto, Chriſto, & quibuſdam aliis viatoribus communicatæ, & exprimuntur *Iſaia 11. c.* ſcilicet *Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus Conſilii & Fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, Spiritus timoris Domini*, ſimiliter reducuntur ad virtutes Theologicas, & Cardinales; nam donum ſapientiæ eſt ipſa Charitas infuſa, quæ paſſim in ſacris litteris vocatur ſapientia. Donum intellectus, & ſcientiæ ad fidem reducuntur. Donum Conſilii eſt ipſa prudentia, quæ conſulit de mediis, & fine. Donum fortitudinis ſuo conſueto nomine exprimitur. Donum pietatis eſt ſpecies Juſtitiæ, quia eſt concernens alterum. Donum tandem timoris Domini eſt ſpecies temperantiæ pertinens ad humilitatem. IV. *Fructus Spiritus Sancti* numero duodecim ab Apoſtolo adducuntur *ad Galatas 5. cap.* hoc Ordine: *fructus autem Spiritus eſt, Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Longanimitas, Bonitas, Benignitas, Manſuetudo, Fides, Modeſtia, Continentia, Caſtitas*. Ubi Fides, & Charitas ſunt ipſæ virtutes Theologicæ in ſe: Longanimitas reducitur ad ſpem. Pax, Benignitas, Bonitas, & Manſuetudo reducuntur ad diverſas ſpecies Juſtitiæ, puta, Pax, & Benignitas ad Amicitiam, Bonitas ad Miſericordiam, & Manſuetudo ad obedientiam in ſubdito, & juſtam Dominationem in Superiore; Patientia reducitur ad Fortitudinem; Continentia, & Caſtitas ad Temperantiam; denique Modeſtia ad prudentiam revocatur, cùm Modeſtia debitum in operando modum ſervet, quod eſt munus prudentiæ: ergo fructus Spiritus Sancti pariter non diſtinguuntur à virtutibus Theologicis, & moralibus. V. *Gratiæ gratis datæ* ſunt quædam dona particularia homini viatori, principaliter ad proximorum utilitatem conceſſa, in quo proinde diſtinguuntur à gratiis gratum facientibus, quæ conceduntur ad perſonalem, & propriam viatoris utilitatem, & enumerantur novem à D. Paulo *1. Corinth. 12.* his verbis: *Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu; alii gratia ſanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii Prophetia, alii Diſcretio Spirituum, alii gratia linguarum, alii interpretatio ſermonum*. Quovis autem modo explicentur hæ gratiæ, non ſunt habitus virtutum eſſentialiter, ab ordinariis di- 180

ſtincti,

Digitized by Google

ſtincti, ſed conſiſtūnt, vel in ſpeciali excitatione ſpecierum, aut illuſtratione, vel etiam revelatione Divina, vel in habitu per accidens infuſo, vel in fide infuſa, juncta ſpeciali illuſtratione DEI, vel in extrinſeca aſſiſtentia Divinæ omnipotentiæ; adeò, ut proinde ſeptenario virtutum numero, trium ſcilicèt Theologicarum, & quatuor Cardinalium cum anneais, nullus habitus per ſe infuſus ſuperaddendus videatur; cujus rationem aſſignat Doctor noſter Subtilis *in 3. diſt. 34. qu. 1.* dicens: illi habitus tantùm ponendi ſunt in viatore, quibus perficitur circa omne objectum, quantùm perfici poteſt in via; ſed tales habitus ſunt prædictæ ſeptem virtutes; ergo. Probatur minor. Objectùm circa quod perfici poteſt viator, eſt DEUS, vel creatura; ſed circa DEUM ſufficienter perficitur tribus virtutibus Theologicis; quia circa ipſum ut ſupernaturaliter cognoſcendum perficitur *per fidem;* circa ipſum ut diligibilem in ſe perficitur *per Charitatem;* circa ipſum ut appetibilem, tamquam bonum viatori, perficitur *per Spem;* circa creaturam verò viator quantùm ad intellectum ſufficien er perficitur *per Prudentiam;* quantùm verò ad voluntatem ſeu appetitum, circa appetibile alteri perficitur *per Juſtitiam;* circa appetibile ſibi primò, & directè, ſeu circa bona perficitur *per Temperantiam;* circa mala vero ferenda, vel propulſanda quantùm ad vim Iraſcibilem perficitur *per Fortitudinem* ergo viator quantùm ad operabilia (*aliud eſt de Speculabilibus*) ſufficienter quoad DEUM, & Creaturam perficitur tribus virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus.

181 IV. *Vitium* eſt habitus electivus à Mediocritate declinans, ſive eſt habitus inclinans in actus contra præſcriptum rectæ rationis; cujus cauſa eſt ipſa voluntas humana mediantibus actibus pravis. Quare è converſo *Vitioſos habitus malè vivendi comparatos, contrariis virtutum actionibus* pœnitentes *tollunt* juxta Concilium Trident. *ſeſſ. 14. c. 8.* Vitium cum proportione dividi poteſt in tot genera, & ſpecies vitiorum, quot ſunt genera, & ſpecies virtutum; imò in longè plura, cùm enim eidem virtuti plura regulariter vitia adverſentur, hinc vitia ſine comparatione ſunt plura, quàm virtutes. Itaque ſicuti virtus in ratione virtutis eſt genus ſupremum, continens ſub ſe virtutes Theologicas, & Cardinales, & hæ, videlicet Cardinales, continent ſub ſe plures ſpecies. v. gr. prudentia plures prudentias ſpecie diſtinctas, Juſtitia plures Juſtitias ſpecie diverſas &c. Alia eſt quidem ſpecie juſtitia in bona fortunæ, alia in bona honoris, alia in bona famæ, vel pudicitiæ, vel corporis, vel vitæ, vel animæ &c. Sic etiam vitium eſt genus ſupremum ſub ſe continens plura vitiorum genera, & ſpecies ſubalternas, uti in ſequentibus magis parebit. Effectus vitii eſt *peccatum*, de quo ſatis fusè tractat P. Patritius Sporer *tract. 1. Prœmiali cap. 4.*

### §. II. *Prudentia, & Vitia Oppoſita.*

182 I. PRudentia communiter definitur *Recta ratio agendorum*, ſeu clariùs, quòd ſit virtus intellectus, qua in quovis negotio occurrente novimus, quid honeſtum ſit quid turpe, ſeu quid agendum ut honeſtum, & quid fugiendum ut inhoneſtum. Unde patet, prudentiam ſpectare ad intellectum, eſſeque virtutem intellectualem; quamvis quoque dici poſſit, & dicatur virtus moralis hac ratione; quia eſt proxima directrix actionum moralium voluntatis. Verſatur autem prudentia non nudè circa concluſiones univerſales morum, ſed circa actiones ſingulares in particulari, dictans, quomodo, & cum quibus circumſtantiis ſint hic, & nunc exercendæ. Quæ actiones eatenùs ſpectatæ idcircò ſunt prudentiæ tum objectum, tum effectus, tum finis; debetque in iis, & earum fuga conſiderari honeſtas, aut turpitudo moralis: ut proinde hac conſideratione ſecluſa, ſolùm impropriè dicatur quis prudenter agere in iis, quæ tantùm ſunt Artis. Itaque

183 II. Cùm prudentia verſetur circa omnia agibilia in particulari, quæ quidem innumera ſunt, & diſparatiſſima, & quoad honeſtatem diverſiſſimis motivis nituntur, dicendum cum Scoto *in 3. diſt. 36.* Occam, Gabriele, Baſſolio, Almaino, Leſſio *lib. 1. de Virtut. Card. cap. 2. dub. 1. num. 6.* & plurimis Recentioribus contra Thomiſtas, & alios, prudentiam non eſſe unum ſimplicem habitum, ſed ſpecie multiplicem, adeoque quadam duntaxat collectione unum inſtar totalis ſcientiæ, quæmadmodùm etiam ars non eſt una ſpecie reſpectu omnium factibilium, ſed multiplex. Porrò officia, ſeu functiones prudentiæ numerantur à D. Thoma *qu. 47. art. 8.* Tres; *benè conſultare, benè judicare, benè præcipere executionem;* quamvis *Scotus* quoad ultimum contradicat; quia præcipere non eſt propriè actus prudentiæ, utpotè virtutis intellectualis, ſed potiùs eſt actus voluntatis, utpotè potentiæ liberæ, & potentiarum Reginæ. Neque prudentia ſolùm præſcribit conſultationem de mediis, ſed frequenter præſcribit ipſos fines, ut rectè docet *Doctor ſubtilis in 3. diſt. 36. Suarez, Vaſquez, Arriaga, & alii* paſſim, & patet experientia; quia non raro propoſitis variis finibus, intellectus deliberat, & conſultat, quis illorum ſit amplectendus; tunc autem rebus perpenſis prudentiæ eſt dictare, quis finis ſit amplectendus. Inſuper ut prudentia ſit Chriſtiana, & meritorii operis Regula, præſcribere debet finem ultimum, ad quem exercitium virtutum moralium tamquam medium dirigatur.

III. Ad partes prudentiæ quod attinet *D. Thomas q. 48.* 184
potiſſimùm octo enumerat partes *integrales* prudentiæ, videlicet *Memoriam* aliquando perceptorum, unde naſcitur experientia Magiſtra prudentiæ: *Intellectum*, ſeu intelligentiam primorum ſcilicet Principiorum practicorum: *Docilitatem*, ſeu promptam facilitatem ad diſcendum ab aliis prudentibus, & expertis: *Solertiam*, quæ eſt prompta, & facilis conjectatio medii: *Rationem*, quæ eſt promptitudo ratiocinandi, & unum ex alio colligendi: *Providentiam*, quæ reſpicit futura hìc, & nunc maximè à prudentibus conſideranda: *Circumſpectionem*, quæ reſpicit circumſtantias præſentes undequaque occurrentes, & conſiderandas: *Cautionem*, qua quis invigilat, ne ſub ſpecie boni voluntas in eligendo decipiatur. Partes prudentiæ *Subjectivæ* (quo nomine ſpecies, ſeu inferiora vocantur; uti nomine *Partium Potentialium* intelliguntur virtutes prudentiæ affines, ad quam proinde ratione cognationis magnæ reducuntur, eique annecti ſolent, quod pariter locum habet in Temperantia, Fortitudine, & Juſtitia) à *D. Thoma quæſt. 48. artic. unico* aſſignantur. I. Prudentia *Perſonalis*, quæ etiam *Solitaria*, & ſui moderatria dicitur, quæ dictat, quo pacto quis prudenter ſe gerere debeat circa ſeipſum. II. Prudentia *Oeconomica*, quæ dictat modum rectè gubernandi familiam. III. Prudentia *Militaris*, quæ præſcribit normam rectè militandi. IV. *Prudentia Regalis*, quæ inſtruit ſuprema capita Regnorum, & provinciarum circa Regimen Publicum. V. *Prudentia Politica*, quæ docet ſubditos, qualiter rectè ſe ordinare debeant ad recipienda mandata ſupremi Principis, in ordine ad ſtabiliendum commune regni, & reipublicæ bonum. Tres denique aſſignantur à D. Thoma *quæſt. 51.* Partes potentiales prudentiæ, *Eubulia, Syneſis, & Gnome. Eubulia* eſt habitus facilitans ad rectè excogitanda media apta pro conſecutione finis. *Syneſis* eſt habitus diſponens ad ferendum rectum judicium de particularibus operabilibus conſultatis Lege communi definitis. *Gnome* eſt habitus diſponens ad probe determinandum aliqua, quæ practicanda occurrunt contra tenorem Legis poſitæ, quod fit per *EpiKiam*.

IV. Vitium prudentiæ actuali oppoſitum eſt *Imprudentia* 185
*actualis* conſiſtens in judicio non recto de opere hic, & nunc exercendo; prudentiæ verò habituali opponitur *imprudentia habitualis* inclinans ad hujuſmodi judicium. Specialiter autem inter vitia per defectum oppoſita prudentiæ recenſeri ſolent ex *D. Thoma q. 53. & 54. Præcipitatio, inconſideratio, inconſtantia, & negligentia;* utpotè oppoſita ipſis prudentiæ Regulis, quarum *Prima eſt*, ut opus non aggrediaris cum impetu, & accelerata determinatione, non prævia deliberatione, ſeu conſultatione congrua, cui opponitur *præcipitatio, ſeu temeritas. Secunda*, ut excluſo accelerato impetu non feras Judicium neglecta attenta conſideratione qualitatum, & circumſtantiarum operis; cui opponitur *inconſideratio. Tertia*, ut poſt maturam deliberationem, & conſideratum judicium, non facilè ab eo divellaris, & ad ſententias mutandas omni vento facilè movearis; cui opponitur *inconſtantia. Quarta*, ut quod deliberatum, ac reſolutum eſt, opportunè exequaris, cui opponitur *Negligentia* conſiſtens in defectu ſollicitudinis, & tarditate præcipiendi quod conſultatum, & judicatum eſt fieri. Præter hæc enumerant Doctores cum *D. Thoma qu. 55.* Nonnulla vitia habentia quandam fucatam ſpeciem, ſeu ſimilitudinem prudentiæ, tamquam eidem oppoſita per exceſſum, ſcilicet. I. *Prudentiam Carnis*, qua quis ſua facta dirigit ſecundùm inſtinctus naturæ corruptæ, excogitatque idonea media ad opera mala, ſeu carnis complenda: & quidem, ſi opera, quæ dirigit, ſint mortalia, eſt mortalis, de qua Apoſtolus *ad Rom. 8. prudentia carnis, mors eſt*, & iterum: *Sapientia carnis inimica eſt DEO.* Si venialia, eſt ipſa venialis. II. *Aſtutiam*, quæ eſt notitia pravorum mediorum ad fallendum idoneorum cum affectu exequendi conjuncta. Sic ſumitur ab Apoſtolo 2. *Cor. 4. Non ambulantes in Aſtutia.* III. *Dolum*, qui eſt Aſtutiæ executio, tum per verba, tum per facta. IV. *Fraudem*, quæ eſt executio

Aſtu-

Digitized by Google

Aſtutiæ per facta; adeòque eſt quid minùs commune ad dolum. V. *Nimiam ſolicitudinem temporalium, & futurorum*, quæ reprobatur *Matth. 6. Luc. 12. & 1. Timoth. 6.* eſtque ipſa radix malorum. Involvit autem nimiam temporalium cupiditatem, anxiam curam illa conſervandi, aut conſequendi inde oriundam, & ſimiliter nimiam circa illa mentis occupationem. Quare radicaliter, & præcipuè, quatenùs eſt vitioſa, in voluntate conſiſtit. Unde eſt ſummè cavenda, etſi tantùm ſit venialis, niſi dum quis idcircò violat, aut violare paratus eſt præceptum graviter obligans. Vide P. Herincx *tract. 2. de virtutibus Cardinalibus diſput. 5. qu. 1. num. 12.* Sannig *tract. de virtutibus Cardinalibus diſt. 2. q. 1. n. 15. & alios.*

### §. III. *Temperantia, & vitia oppoſita.*

586 I. T*Emperantia* eſt virtus moralis moderans appetitum circa concupiſcibilia, ſcilicet honores, & voluptates, maximè guſtus, & tactus. Ita Scotus *in 3. d. 34.* ubi ait: *prima concupiſcibilia videntur eſſe duo, ſcilicet honor, & voluptas*; quia *utile* non poteſt eſſe *primo motivum ad concupiſcendum*, cùm non concupiſcatur, niſi in ordine ad aliud. Igitur primæ ſpecies temperantiæ; quæ moderantur appetitum circa concupiſcibilia, erunt duæ: quia quæ moderatur circa honores, dicitur *Humilitas*: quæ circa voluptates, retinet nomen generis, & quot poſſunt eſſe voluptates diſtinctę, circa quas appetitum moderatur, tot ſunt ſpecie illius *temperantia*, quæ moderatur voluptates; puta, *Altera circa guſtābilia*; *Altera circa tangibilia*; nec ſolùm moderatur voluptates fruſitivas, ſed etiam ſpirituales. Ita *Doctor Subtilis*. Vitia temperantiæ oppoſita duo ſunt, videlicet *Stupor*, & *Intemperantia*. Stupor ſeu inſenſibilitas opponitur ei per defectum, eſtque vitium, quo quis ſugit honores, & voluptates, ut nolit eis uti, quando, vel ubi, vel quantum ſecundùm rectam rationem oportet; quod vitium eſt ſatis rarum, ut experientia docet. Eſt peccatum mortale, aut veniale pro qualitate obligationis rei concupiſcibilis repudiatæ. Intemperantia opponitur temperantiæ per exceſſum, eſtque vitium, quo quis in appetendis, & fruendis honoribus, & voluptatibus excedit dictamen rectæ rationis.

587 II. Partes temperantiæ ſubjectivæ, ut mox dictum, ſunt *Humilitas, Caſtitas, Pudicitia, Abſtinentia in cibo, Sobrietas in potu*. Humilitas juxta S. Bernardum *lib. de grad. Humilitatis in princip.* eſt virtus, *qua quis veriſſima ſui agnitione ſibi viloſcit*; ſive eſt virtus inclinans ad profitendam ſignis, & factis ſuam vilitatem, moderanſque appetitum circa honores ambiendos; humiles namque ſentiunt, ſe nihil eſſe, vel poſſe à ſeipſis, omne bonum eſſe à DEO, ac idcircò in eum omnia eſſe referenda, ipſique omnem laudem deberi, nobis autem ſolùm contemptum. Humilitati per defectum opponitur *nimia ſui abjectio*, quæ licèt non poſſit eſſe nimia reſpectu DEI; bene tamen reſpectu proximi, quando nimirùm vergit in injuriam ſui ſtatus, Prælaturæ &c. dum enim nimiùm ſervatur humilitas, regentis frangitur Auctoritas. Per exceſſum opponitur *ſuperbia*, de qua vide P. Sporer *tract. 1. proœm. cap. 7. ſect. 4. nu. 65.* *caſtitas* eſt virtus, quæ moderatur affectum, & uſum venereorum; diciturque *pudicitia*, prout moderatur appetitum circa oſcula, tactus, & ſimilia prævia ad actum Principalem; vocatur etiam *continentia*, quatenùs continet hominem à rebus venereis. De caſtitate, & vitiis oppoſitis vide P. Sporer *tract. 5. in præcept. Decalogi, cap. 3. in Appendice ad 6. & 9. præceptum*. Item *tract. 1. proœm. cap. 7. ſect. 4. num. 66.* *Abſtinentia in cibo* eſt, quæ moderatur cupiditates, & delectationes eſculentorum. Moderatio verò debita tunc ſervatur, quando eſculenta ſumuntur, prout valetudini, & præcipuè officiis mentis congruit: *ſobrietas in potu* eſt, quæ moderatur cupiditates, & delectationes poculentorum, ſeu potus inebriare valentis; in qua quidem materia laudabile eſt ſervare menſuram: quia habet ſpecialem difficultatem ob paſſionem in hac materia vehementiorem. Quare exceſſus in potu non valente inebriare verb. grat. Aqua Saccarata opponitur abſtinentiæ, non ſobrietati, juxta DD. apud *Herincx citat. diſp. 2. qu. 4. nu. 42.* eò quòd hujuſmodi potus afficiat appetitum, ſicut eſculenta ſtrictè dicta. Abſtinentiæ vitium oppoſitum eſt *Gula*; ſobrietati opponitur *Ebrietas*, de quibus vide P. Sporer *tract. 1. proœmiali, cap. 7. nu. 68. & 69.* Huc etiam reducitur *paupertas voluntaria*, quæ moderatur appetitum bonorum temporalium fortunæ; cùm enim bona temporalia fortunæ ſint utilia, vel ad honores, vel ad delectationes aſſequendas; hinc quia temperantia per humilitatem moderatur appetitum honorum, & per caſtitatem appetitum delectationum &c. ita per voluntariam paupertatem moderatur appetitum bonorum temporalium fortunæ, utilium ad utrumque.

III. Partes temperantiæ integrales ſunt *verecundia*, & 588
*honeſtas*: *verecundia* quandoque capitur pro paſſione, quandoque pro actu. Accepta pro paſſione importat dolorem, vel timorem conſurgentem ex conſideratione alicujus facti inferentis dedecus, qualia potiſſimùm ſunt peccata intemperantiæ. Accepta pro actu importat fugam actualem, & evitationem probri ex conſideratione turpitudinis in eo relucentis. *Honeſtas* eſt perfectio quædam moralis, avertens operantem ab inhoneſtis voluptatibus in eſcis, potibus, & Veneri inſervientibus, & inclinans ad decorem in abſtinentia earum reſplendentem.

IV. Partes temperantiæ potentiales ſunt *Manſuetudo*, 589
*Clementia*, & *Modeſtia*. Manſuetudo eſt virtus, quæ moderatur iram juxta rationis præſcriptum. Unde facit, ut homo oblatis occaſionibus irritantibus non iraſcatur, aut ut iram comprimat, ne prorumpat ultrà, quam deceat. Facit etiam, ut ira excitetur, dum ratio exigit, ut audacia proximorum coerceatur, delicta corrigantur, ne accreſcant: manſuetudini per defectum opponitur *nimia iracunditas*, quæ catenùs ſolùm eſt peccatum, quatenùs defectu iræ non opponimus nos malo, quando, & quantùm oportet. Per exceſſum opponitur *Ira*, de qua P. Sporer *tr. 1. proœmiali cap. 7. ſect. 4. nu. 70.* Clementia exteriorem vindictam, & punitionem mitigat, quantùm ratio Juſtitiæ patitur, adeòque moderatur affectum oſtentandæ poteſtatis in punitione delinquentium. Defectus Clementiæ oppoſitus eſt *nimia Lenitas*, quà ex nimia facilitate animi, & compaſſione remittitur, aut minuitur pęna contra præſcriptum rationis. Exceſſus eidem contrarius eſt *Crudelitas*, ſive Auſteritas animi ad infligendas pœnas ſupra meritum, eſtque peccatum grave, vel leve, prout malum fuerit grave, vel leve, quod per crudelitatem infertur, vel ex nimia lenitate ſequitur. Crudelitati affinis eſt *Feritas*, ſeu *Sævitia*, inferens mala aut tormenta proximo citra omnem culpam, ſolius voluptatis gratia, adeòque non per modum pęnarum, uti crudelitas, quæ ipſa tamen etiam ſolet interdum ſævitia appellari. Ita Herincx *citat. diſp. 2. num. 505.* Modeſtia eſt virtus, qua quis ſe continet intra limites ſui ſtatus, ingenii, & fortunæ. Cujus tres ſunt ſpecies, nimirùm *Studioſitas*, *Modeſtia morum*, & *Modeſtia cultus, ſeu apparatus externi*.

*Studioſitas*: eſt virtus quæ moderatur deſiderium ſcien- 590
di, affinis eſt temperantiæ, quatenùs reſtenat appetitum, ne nimiùm feratur in delectationem ſtudiorum; etiam eſt affinis Fortitudini, quatenùs excitat animum ad ferendos ſtudiorum labores, ne contra rectam rationem ſtudia refugiat, vel inquiſitionem notitiæ neceſſariæ, aut valdè utilis. Studioſitati per exceſſum opponitur *Curioſitas*, quæ per ſe tantùm eſt venialis; per accidens tamen verb. grat. ratione prohibitionis, periculi, vel mali finis &c. poteſt eſſe mortalis. Per defectum opponitur Studioſitati *Negligentia*, quæ etiam per ſe non eſt mortalis, ſed tantùm, quando ex præcepto, vel aliunde tenetur aliquis quædam diſcere, & ſcire, verb. gr. ſi Medicus, Confeſſarius, Parochus, Advocatus, Religioſus, Epiſcopus &c. negligant ea diſcere, quæ ſuum cujuſque Officium attingunt. Addit *Leſſius l. 4. c. 4. dub. 11. num. 85.* Si Studioſus negligat ſua Studia: ſupple, ad quæ aliunde tenetur. Prout juxta *Bannez qu. 33. art 3. dub. 3.* & alios, poſſunt Religioſi graviter peccare, qui negligunt ſtudia neceſſaria ad ſcientiam requiſitam pro adminiſtratione muniorum, ad quæ deſtinantur, ſeu quæ eis imponuntur. *Modeſtia morum* eſt virtus moderans motus, & geſtus corporis; non conſiſtit in indiviſibili, nec eſt eadem reſpectu omnium perſonarum, aut occaſionem: aliam enim tenentur obſervare Religioſi, aliam ſæculares, aliam ſenes, aliam Juvenes, aliam pueri: aliam item, quando nulla urgente ſpeciali neceſſitate homo incedit per plateas; aliam, ſi neceſſitas aliqua petat hominem vehementer accelerare gradum; aliam, quando ſeriò inceditur, aliam, quando luditur, quæ ultima vocari ſolet *Eutrapelia*. Vitia oppoſita non ſunt per ſe gravia: prout ſunt hinc *Morum Ruditas*; illinc *Nimia Gravitas*, mores Aulici reſpectu Religioſi, mores ficti, ſeu nimis compoſiti, qui hypocriſin ſapiunt &c. Modeſtia cultus moderatur externum apparatum in veſtibus, ſuppellectili, conviviis, &c. Circa exceſſum ornatus mulierum per pigmenta, novas veſtium formas, Comam appoſitiam, per ornamenta aurea, & gemmea, præſertim ſi iis utantur ſupra ſtatum, & conſuetudinem receptam, docet D. Thomas, & alii Doctores communiter apud Herincx *citat. diſp. 2. qu. 6. nu. 2.* per ſe eſſe ſolùm peccatum veniale. Ratio eſt: quia exceſſus in rebus indifferentibus (cujuſmodi eſt cultus corporis) ſecluſa malitia extrinſeca, ſolùm eſt venialis, ut patet in uſu divitiarum, honorum, &c. Neque verum eſt, quod per ſucos adulteretur, vel emendetur opus Dei, ſed per artem ſuppletur defectus naturæ,

vel

vel juvatur opus naturæ, quatenùs naturæ eſt. Dictum eſt: *per ſe ſolum eſſe peccatum veniale*: nam per accidens ratione laſciviæ, ſcandali, pravi finis, contemptus proximi, impotentię ſolvendi debita, &c. poſſe eſſe peccatum mortale, nemo dubitat. Et quidem, qualiter ratione ſcandali peccent mulieres in ornatu corporis, vide P. Patritium Sporer *tr.* 5. *in* 5. *Præceptum Decal. cap.* 1. *ſect.* 2. *num.* 39.

## §. IV. *Fortitudo, & Vitia oppoſita.*

191 I. Fortitudo dupliciter accipi poteſt, primò quidem pro omni animi firmitate, quæ in cujuslibet virtutis actione reperitur, & hoc modo non eſt virtus à cæteris diſtincta, ſed potiùs conditio ad omnem virtutem requiſita. Secundò accipitur fortitudo prout ſignificat ſpecialem quamdam animi firmitatem in ſubeundis periculis, laboribuſque perferendis, quo modo eſt virtus ſpecialis, & definitur, quòd ſit virtus moralis ſervans mediocritatem inter metum, & audaciam, circa ferenda, & propulſanda mala, præſertim gravia, ob honeſtatem, quæ in eis ferendis, & propulſandis elucet. Ita communis apud Maſtrium *in* 3. *diſp.* 7. *qu.* 9. *art.* 1. Herincx *cit. diſp.* 3. *q.* 1. Sannig, & alios. Fortitudo namque reſpicit mala, quæ adveniunt, vel ea ferendo, vel ea propulſando, cùm ſecundùm rectam rationem decens eſt illa ferre, vel propulſare, & hoc quidem ob honeſtatem, quæ in iis ferendis, aut propulſandis relucet ex natura ſua, & non quatenùs perpeſſio, aut propulſatio eorum eſt medium ad aliquod aliud bonum. Unde qui vellet ferre mala hujuſmodi ob amorem Dei, vel pietatem erga Patriam, aut obedientiam præcisè, ille non exerceret actum formalem fortitudinis, ſed tantùm materialem. Extendit autem ſe fortitudo ad ea perferenda mala, vel propulſanda, quæ excludunt bona, quibus rectè quis uti poſſet, v. gr. quia quis poteſt rectè uti Divitiis, Honoribus, Dignitatibus, Vita, Sanitate, & corporis integritate, item libertate: propterea ad fortitudinem ſpectat, ferre æquanimiter, cùm his bonis privatur, quibus alioqui poſſet rectè uti. At quia non poteſt quis rectè uti illa voluptate, quam caperet v. g. ex fornicatione, ad fortitudinem non ſpectat, moleſtiam ex carentia illius voluptatis ortam tolerare, ſed ad caſtitatem, cujus eſt impedire, ne quis fornicationem committat. Portò inter actus fortitudinis elucet *Martyrium, ſeu Baptiſmus ſanguinis*. (de quo *in Supplemento Sacramentali c.* 1. *de Baptiſmo* egimus) quia majus robur requiritur, ut quis ultrò ſe ingerat morti certæ ſine ulla reſiſtentia, aut vindicta, quàm ut ſe exponat periculo mortis cum aliqua ſpe evaſionis, aut conatu juſtæ vindictæ. Martyrium tamen, etſi ex genere, ſeu ſubjecto actus fortitudinis, ſolet ex aliis motivis ſubiri præſertim Charitatis. Ipſum etiam cenſetur ſimul externa confeſſio; ſeu Teſtimonium fidei, quatenùs ſolet acceptari ad teſtandam ſidei veritatem in ſe, vel in opere virtutis relucentem.

192 II. Vitia Fortitudini oppoſita per defectum ſunt *Timiditas, & ignavia*. Timiditas eſt vitium, quo exceditur in timendo, videlicet tempore, modo, vel quantitate; qua non oportet. Ignavia eſt vitium, quo deficitur in audendo, videlicet non aggrediendo pericula, quando, vel quomodò ratio dictat. Hæc vitia per ſe ſunt tantùm venialia ſicut exceſſus aliarum paſſionum, quæ non inferunt aliud detrimentum, quàm quòd mentem perturbent inutilibus curis, & cogitationibus. Vitia per exceſſum oppoſita fortitudini ſunt *Intimiditas*, ſeu vacuitas juſti timoris, & *Temeritas*. Intimiditas eſt vitium, quo deficitur in timendo quia videlicet modo, & tempore non timetur id, quod timeri oportet. Temeritas eſt vitium, quo exceditur in audendo, vel aggrediendo pericula mortis, quando, vel quomodò non expedit, v. gr. nimis citò, vel ob minus bonum. Hæc vitia ſunt ſolùm peccaminoſa, quatenùs continent tacitum conſenſum periculi, & ſunt cauſa illius: adeòque prout periculum, quod incurritur, eſt magnum, vel parvum, & graviter, vel leviter vitandum, erunt mortalia, vel venialia. Quando autem ſunt grave peccatum, concurrit obligatio alterius virtutis, puta Charitatis propriæ, vi cujus tenemur conſervare vitam.

193 III. Cum fortitudinis duo ſint actus præcipui, unus, æquanimiter, & cum decentia in motibus externis, & geſtibus corporis *ſuſtinere mala*, cùm honeſtum eſt id facere: alter ea *propulſare*, cùm id conveniens videtur ex recta ratione, hinc fortitudo in duas ſecatur partes ſubjectivas, videlicet, *patientia*, & *magnanimitas*. Patientia eſt virtus, quæ moderatur timorem, & mœrorem in ſuſtinendis malis, ne homo propterea à præſcripto rectæ rationis recedat, ſive in mentis æquanimitate ſervanda, ſive in motibus externis corporis rectæ rationi conformibus. Vitium patientiæ oppoſitum per exceſſum eſt *impatientia*, qua quis juſtum dolendi modum, quem patientia præſcribit, excedit. Per defectum eidem opponitur *inſenſibilitas*, qua quis nec ſuis, nec proximorum malis tangitur: hoc enim eſt, inhumanæ duritiei ſignum, nec congruit amicitiæ, aut vitæ ſociali. Hæc peccata per ſe, & ſecluſo malo, quod ex impatientia provenit, ſunt tantùm venialia. *Magnanimitas* eſt virtus, qua inclinamur ad omne arduum aggrediendum ex motivo propriæ honeſtatis, cujus actiones ſunt excellenter virtuoſæ, & valde laudabiles, ut contemptus bonorum, & dignitatum propter Chriſtum. Huic opponitur per exceſſum *præſumptio*, qua homo ex nimia virium confidentia aggreditur, quod eſt ſupra vires, & *ambitio*, quæ conſiſtit in nimia honoris appetentia, ac *Vana Gloria*, quæ conſiſtit in nimia appetentia gloriæ, ſeu opinionis, & famæ: Hæc, niſi ſit de re graviter illicita, non eſt per ſe mortalis. Idemque eſt de jactantia. Ambitio ſimiliter non eſt mortalis, niſi pravis mediis, aut cum injuria tertii quis aſpiret an honores, vel dignitates, aut ſit ad eas inidoneus. Magnanimitati per defectum opponitur *puſillanimitas*, quæ conſiſtit in quadam fuga magnorum operum, ex eo quòd quis nimis facilè exiſtimet ſe eſſe imparem talibus operibus.

IV. Partes potentiales fortitudinis, ſeu ei affines ſunt 194
*magnificentia*, *longanimitas*, & *perſeverantia*, *ſeu conſtantia* quibus aliqui jungunt *fiduciam*, ſine qua bonum arduum aggredi, nec malum contingens vir fortis ſuperare poterit: & *ſecuritatem*, quæ pars fiduciæ eſt, & animum in virtute excluſis inutilibus curis, tranquillum reddit. *Magnificentia* eſt virtus, qua quis magnis ſumptibus in materia externa aliquid magni efficit. Involvit, vel ſupponit hæc virtus inſignem moderationem affectus erga pecunias, illa enim ſolet viros potentes (quorum hæc virtus eſt propria) à magnificis operibus, ac expenſis, quas ratio dictat, impedire. Magnificentiæ per exceſſum opponitur vitium, quo quis ex induſtria auget ſumptus ſupra quàm recta ratio dictat: ut faciebat ille mercator, qui in hyeme ignem nutribat cinnamomo. Per defectum opponitur *parvificentia*, qua quis ex anguſtia animi parvos ſumptus magno operi impendit, v. gr. magno Palatio tectum ſtramineum imponit. *Longanimitas* eſt virtus, qua æquanimiter perfertur moleſtia, quæ ex rei deſideratæ (quæ eſt amotio præſentis mali, vel conſecutio ſperati boni) dilatione percipitur. Huic opponuntur eadem vitia, quæ patientiam frangunt. *Perſeverantia, ſeu conſtantia* eſt virtus inclinans hominem ad continuationem bonorum operum uſque in finem. Per hanc ſuperamus tædium, & moleſtiam, quę in exercitio virtutum occurrere ſolet, idque ob ſpecialem, & propriam honeſtatem: quia hominem fortem decet, opus bonum inceptum continuare, non quidem ita, quaſi opus numquam deberet intermitti, ſed ita, ut vel opus non intermittatur vel ſuis temporibus juxta rei exigentiam aſſumatur. Conſtantiæ per exceſſum opponitur *pertinacia*, qua aliquis continuare vult, quod non debet. Per defectum verò ei opponitur *Mollities Animi*, & *Inconſtantia*, qua aliquis faciliter, & ſine rationabili cauſa à bono incępto deflectit.

Diſcuſſis tribus virtutibus Cardinalibus, Prudentia, 195
Temperantia, & Fortitudine reſtat quarta in ordine examinanda, videlicet *Juſtitia*: quam quia P. Sporer *tr.* 4. *Prælim. ad Præcepta ſecundæ Tabulæ cap.* 1. Satis pertractavit, eò Lectorem remittimus. Pro coronide hujus Supplementi ſolùm ſubnectimus

## COROLLARIUM.

*De reliquis virtutibus Juſtitiæ annexis.*

## SUMMARIUM.

196 *Quid ſit Pietas?* 197. *Ejus objectum.*
198 *Quid ſit obſervantia?* 299. *Impietas, & inobſervantia.*
200 *Quid obſervantia?* 201. *Et quotuplex?*
202 *An obedientia formalis ſit ſub præcepto?*
203 *Quid ſit inobedientia? & quotuplex?*
204 *Gratitudo quid?* 205. *& ingratitudo?*
206 *Quid ſit veritas?* 207. *quid mendacium, & quotuplex?*
208 *Quid ſit affabilitas, & vitia ei oppoſita?*
209 *Quid ſit liberalitas?* 210. *quid Avaritia?*
211 *Quid Prodigalitas?*
212 *Quid reliquæ virtutes Juſtitiæ affines.*
213 *Quid requiratur, ut actus virtutum moralium fiant Chriſtiani, ſupranaturales, & meritorii?*



Digitized by Google

### §. I. *De Pietate, & Obſervantia.*

196 I. P*ietas* ſumpta pro virtute ſpeciali, Juſtitiæ affini, definitur, quòd ſit virtus, qua debitus honor, & obſequium defertur iis, qui poſt DEUM ſunt præcipui noſtri ortus Auctores. Quales ſunt I. *Parentes*. II. *patria*. III. *conſanguinei*, quatenùs in ipſis eſt aliquid parentum. Hinc patet, pietatem eſſe virtutem ſpecialem ab aliis diſtinctam, quia habet ſpeciale objectum, in quod ſub ratione aliqua particulari tendit. *Communis DD.*

197 II. Porrò objectum pietatis eſt cultus, & obſequium Parentibus, & Patriæ debitum ratione noſtræ principiationis, & conſervationis; ita quidem, ut cultus ſit *objectum quod*, ratio verò formalis, *ſub quà* à pietate reſpicitur, eſt ratio debiti orti ex principiatione, quòd debitum adeò magnum eſt, ut juxta *philoſophum* à nobis exhauriri non poſſit per redditionem æquivalentis, *intellige*, in eodem rerum ordine, alioquin poteſt filius parentibus non ſolùm æquale, ſed etiam majus beneficium exhibere, ut ſi eos ab infidelitate convertat, & ſpiritualiter in Chriſto regeneret. Per hoc tamen non extinguitur in filio obligatio Pietatis, ſed hæc ſemper manet etiam poſt mortem parentum, quos defunctos ſi filius in honore, vel ſama lædat, contra pietatem peccat. Objectum *cui* principale hujus virtutis ſunt *parentes*, deinde *patria*, quæ parentes fovet, & neceſſaria, ac opportuna ad ortum, & educationem filiorum ſuppeditat. Tertiò *conſanguinei*, in quantum aliquid de parentibus communicant. Ita Herincx *parte 3. tract. 5. diſp. 10. quæſt. 5. num. 5.*

198 III. *Obſervantia* definitur eſſe virtus, qua debitus cultus exhibetur Superioribus, & Aliis, qui nos gubernant actu, vel potentia. Unde ſicut pietas defert cultum parentibus tamquam ortus, & educationis noſtræ præcipuis poſt DEUM principiis, ita quoque obſervantia defert cultum Superioribus tamquam principiis Gubernationis, & Directionis. Ex quo etiam liquet diſcrimen inter pietatem, & obſervantiam, Patet quoque objectum obſervantiæ eſſe cultum propter gubernationem noſtram deferendum iis, qui nos actu gubernant, & dirigunt, vel ſaltem adeò ſunt excellentes, ut de ſe ſint capaces regiminis noſtri. Ratio verò formalis eſt ratio debiti orti ex Gubernatione actuali, vel poſſibili jam dicta. Objectum denique *cui* ſunt Superiores, & aliæ Perſonæ in dignitate conſtitutæ, idoneæ ad nos gubernandum. Ex quo ulteriùs conſtat, obligationem pietatis eſſe majorem, quàm obſervantiæ, majus enim eſt principium ortus, quàm gubernationis. *Herincx cit. n. 10.*

199 IV. Vitium pietati oppoſitum eſt *Impietas*, qua debitus honor, & obſequium non præſtatur iis, qui poſt DEUM ſunt præcipui ortus noſtri auctores. Similiter vitium obſervantiæ oppoſitum eſt *inobſervantia*, qua debitus cultus non defertur Superioribus, & aliis, qui nos gubernant actu, vel potentia. Hinc, qui verbo, geſtu, aliove ſigno gravem parentibus irreverentiam infert, mortaliter peccat; uti paſſim indicat S. Scriptura, *Exodi 21. verb. 20. Deuteron. 27.* & alibi; & quidem injuriam, quæ aliis hominibus illata foret mediocris, notat *Marchant. tom. 2. tract. 5. tit. 1. quæſt. 2. dub. 5.* eſſe gravem, ſi parentibus inferatur. Idem eſt dicendum de talibus prolium actionibus, quæ ſunt graviter exacerbativæ, contriſtativæ, & afflictivæ parentum, ut indicatur *proverb. 19.* & alibi. Similiter, qui gravi odio, malevolentia, indignatione, contemptu in parentes ſuos fertur, mortaliter peccat, eſtque hæc circumſtantia neceſſariò in confeſſione explicanda, ut obſervat poſt alios *Baſſæus V. filius, num. 2. Herincx cit. num. 4.* eo quòd illi actus habeant ſpecialem malitiam oppoſitam pietati parentibus debitæ. Idem proportionaliter dicendum de ſubditis Superiores offendentibus, & peccantibus contra virtutem obſervantiæ.

### §. II. *De Obedientia, & Inobedientia.*

200 I. O*Bedientia* ſic dicta, quaſi *obaudientia*, quia per eam præceptum Superioris quaſi auditur, & admittitur. Duplex eſt *materialis* ſcilicet, & *formalis*. Materialis eſt, per quam exequimur quemlibet actum præceptum, etſi non fiat expreſsè ea intentione, ut præceptum impleamus. Hæc obedientia non eſt virtus ſpecialis, ſed ad omnes virtutum actus, qui ſunt ſub præcepto, ſe extendit. Obedientia formalis eſt, qua præſtatur opus præceptum ſub hac ratione, quia præceptum eſt, & hæc eſt virtus ſpecialis: quia etiamſi ad omnes virtutum actus ſe extendat, tamen eos ſub formali quadam ratione conſiderat, ſub qua ab aliis virtutibus non attinguntur, videlicet, quatenùs debiti ſunt ratione præcepti. Objectum *materiale quod* obedientiæ eſt omne opus præceptum; *objectum formale quod* eſt debitum ratione præcepti, ſeu honeſtas ſpecialis in actu reſultans ex eo, quòd ſit a Superiore præceptum, objectum denique *cui* eſt Superior.

II. Obedientiæ variæ ſunt ſpecies pro varietate Poteſtatum imperandi; ſicut enim alia eſt poteſtas præceptiva Divina, alia humana, & hæc rursùs alia eſt Eccleſiaſtica, alia politica, cui annectitur Oeconomica, ſeu domeſtica, ita quoque obedientia alia eſt *Divina*, alia *humana*, alia *Eccleſiaſtica*, alia *politica*, ſeu *civilis*, quæ membra ulteriùs ſubdividi poſſunt. Hæ porrò obedientiæ ſpecies nonniſi accidentaliter inter ſe differunt, ut poſt D. Thomam *qu. 104. art. 2. ad 4.* docet *Leſſius cap. 46. num. 27. Sylvius*, *Herincx*, & Alii. Ratio eſt: quia licet poteſtas præceptiva ſit diverſæ rationis, obedientia tamen ſecundùm ſe conſiderata tantùm reſpicit opus, ut debitum ex præcepto, lato ab eo, qui legitimam habet poteſtatem præcipiendi, qualiſcumque illa poteſtas ſit ſive Divina, ſive Humana; Hæc enim poteſtatum diſtinctio per accidens, & materialiter ſe habet ad obedientiam formalem. Unde rectè ait S. Bernardus *tract. de præcepto, & diſpenſatione capit. 12. ſive DEUS, ſive homo Vicarius DEI mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obſequendum eſt cura, pari reverentia deferendum, ubi tamen DEO contraria non præcipit homo.* Accedit, quòd poteſtas Superior v. gr. Divina implicitè includatur in humana, & ea ratione utraque eadem ſpecie obligationem ſuo præcepto inducat. 201

III. *Petes*; An obedientia formalis ſit ſub præcepto, hoc eſt, an ſubditus teneatur opus præceptum ſub hac ratione, quia præceptum eſt, implere? Reſp. *Negativè*. Ratio eſt: quia nullum extat hujuſmodi præceptum, quo DEUS, vel Eccleſia mandet, opus impleri ea intentione, ut præcepto ſatisfiat: ſed ad cujuſcumque præcepti impletionem ſufficit, ut opus præceptum faciamus propter intrinſecam ejus bonitatem, aut ut DEO placeamus. Ita communis cum Herincx *cit. q. 2. nu. 18.* Vide quæ habet P. Sporer *tract. 1. proœm. cap 3. ſect. 4. nu 47.* 202

IV. Obedientiæ opponitur *Inobedientia*, quæ ſicuti obedientia, alia eſt *materialis*, alia *formalis*. Illa eſt cujuſvis præcepti tranſgreſſio; unde eſt circumſtantia generalis cum quovis peccato concurrens; eſtque gravis, vel levis, prout præceptum violatum graviter, vel leviter obligat. Inobedientia formalis eſt violatio præcepti, ut præcepti, ut quando illud violatur ex intentione expreſſa, ipſum violandi, & ſuo facto ei adverſandi. Continet autem hæc inobedientia duplex peccatum, unum conſiſtens in prævaricatione præcepti obligantis ad faciendum, vel omittendum opus, alterum conſiſtens in tranſgreſſione præcepti vetantis contemni mandatum Superioris. Inobedientia formalis ex genere ſuo eſt peccatum mortale; graviter enim adverſatur rectæ rationi, nolle præcepto obedire, ex intentione expreſſa illud violandi, & conſequenter illud contemnere, juxta illud *1. Regum 15. quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.* Poteſt tamen eſſe veniale ex imperfectione actus non ſatis deliberati. An ſimiliter ex parvitate materiæ, non ita conſtat: & quidem ſi procedat ex perfecto, & abſoluto contemptu præcepti, vel Superioris qua talis, omninò dicendum eſt, levitatem materiæ numquam à mortali excuſare, ſive Legislator ſit DEUS, ſive homo: quia hoc ſemper adverſatur graviter rectæ rationi, & infertur gravis irreverentia DEO, à quo eſt omnis poteſtas. Si verò non procedat ex abſoluto contemptu, veluti ſi quiſpiam non obediat Superiori, ut contraveniat ejus præcepto in minimo, paratus tamen abſolutè obedire ipſi in majoribus, docet Sylvius apud *Herincx cit. diſp. 10. quæſt. 2. nu. 22.* talem inobedientiam eſſe ſolùm venialem, eò quod non involvat contemptum niſi imperfectum. 203

### §. III. *De Gratitudine, & Veritate.*

I. G*Ratitudo* eſt virtus, quæ reſpicit debitum ex beneficio natum; unde inclinat ad Beneficium beneficio compenſandum, extenditque ſe ad omnes, à quibus aliquod beneficium accepimus, ut ad DEUM, Parentes, Superiores, & homines privatos. Eſt autem virtus hæc ſpecialis ab aliis diſtincta; nam ex eo, quòd Beneficium beneficio compenſetur, ſpecialis reſultat honeſtas, gratitudini, & non alteri virtuti propria; quod quidem ſatis patet in gratitudine erga aliquem particularem benefactorem, qui privatim aliquod beneficium nobis contulit. Si verò attenditur debitum ortum ex beneficiis collatis à DEO, & Parentibus, cenſet D. Thomas *quæſt. 106. artic. 1.* & alii apud Herincx *cit. quæſt. 3. num. 24.* gratitudinem non diſtin- 204

Digitized by Google

diſtingui à Religione, & pietate. Idem eſt de obſervantia, ſi ſpectetur debitum natum ea beneficio gubernationis à Superioribus accepto. Porrò *quinque ſunt Officia gratitudinis*. I. Beneficii æſtimatio, ſi non ex rei magnitudine, ſaltem ex affectu donantis: II. Benigna acceptatio beneficii. III. Gratiarum actio. IV. Grata commemoratio. V. Reciproca beneficii præſtatio, & compenſatio.

205 II. Virtuti gratitudinis opponitur vitium *ingratitudinis*, quæ duplex eſt, ſcilicet *materialis*, quando omittitur aliquod debitum gratitudinis officium, vel quidpiam contra benefactorem poſitivè committitur, non tamen ex ejus contemptu. Non eſt hæc ingratitudo grave peccatum, niſi ſit graviter contra aliam alterius virtutis obligationem. Ingratitudo *formalis* eſt; quando in re, vel in mente beneficium contemnitur, veluti benefactorem, ejuſve animum deſpiciendo, aut minoris, quàm par eſt, æſtimando, obligationis erga illum elidendi gratia. *Herincx cit. num.* 27.

206 III. *Veritas* eſt virtus inclinans ad rectum uſum ſignorum externorum, ad mentem noſtram pateſaciendam inſtitutorum, ut videlicet menti, & conſcientiæ ſint conformia, ſic eam foris ſignificando, qualis intus latet, oriturque hujus conſormitatis obligatio ex ipſa natura rationali, quatenùs inſtituta eſt, ut ſit *ſocialis*, qualis eſſe non poteſt, niſi per voces, aliaque ſigna externa, homines mutuas ſuas cogitationes, menteſque transfundant, & externæ manifeſtationi credant; cujus credulitatis fundamentum eſt debitum illud veracitatis, quod quiſque in verbis, & aliis ſignis externis ſervare æſtimatur. Unde malitia mendacii veritati oppoſiti conſiſtit in eo, quod quis aliud ſignificet verbis, vel factis, & aliud habeat in mente, quod in violationem, & diſſolutionem humanæ Societatis, & commercii tendit.

207 IV. Definitur autem *Mendacium*, quòd ſit locutio contra mentem, ſub locutione comprehendendo quamlibet externam ſignificationem, ſive verbis fiat, ſive ſcripto, ſive geſtu, ſive alia ratione: aliud enim mendacium committitur verbis, aliud factis: illud propriè, & ſimpliciter vocatur *mendacium*, hoc *ſimulatio*; atque hoc modo mentiuntur, qui in geſtibus, & aliis externis actionibus præſeferunt gaudium, dolorem, compaſſionem, amicitiam &c. cùm nihil horum ſubſit. Hujus ſpecies eſt *Hypocriſis*, qua videlicet quis ſe ſimulat juſtum, pium, aut virtuoſum, cùm non ſit. Mendacium eſt *Triplex*, ſcilicet *jocoſum*, quod recreationis cauſa dicitur; *officioſum* quod utilitatis cauſa; & *pernicioſum*, quod in injuſtam alterius læſionem cedit. Omne mendacium ſive verbis, ſive factis committatur, eſt ita intrinſecè malum, ut nullo caſu ſit licitum, ut patet ex *cap. ſuper eo, de uſuris*, ubi Innocentius III. ait, *Divini verbi præcepto prohiberi, ne quis, etiam pro alterius vita ſervanda, mentiatur*. Conſtat etiam ea ſcripturis paſſim obviis, *Levit.* 19. *Non mentiemini, nec decipiet unuſquiſque proximum ſuum. Proverb.* 13. *verbum mendax Juſtus deteſtabitur. Ad Coloſſ.* 3. *Nolite mentiri invicem*, & alibi. Conſonant quoque ſancti Patres, (& poſt eos Theologi) inter quos *Sanctus Auguſtinus* duobus libris id fusè tradit, quorum unus eſt *de mendacio*, & alter *contra mendacium*. Quando verò liceat uti Amphibologia, & quali, tradit P. Sporer *tract.* 3. *in* 2. *Præcept. Decalogi, c.* 1. *ſect.* 3. *n.* 99. *& ſeqq.*

## §. IV. *De Affabilitate, & Liberalitate.*

208 I. Affabilitas eſt virtus, quæ ad talem in verbis, & factis ſeriis inclinat mediocritatem, ſecundùm quam alicujus converſatio eſt proximo grata, & accepta in quo ſpectanda eſt conditio tum perſonæ loquentis, vel agentis, tum eorum, coram quibus loquitur, vel agit, & reliquæ circumſtantiæ. Dictum eſt: *in verbis, & factis ſeriis*; quia pro mediocritate ſervanda in Jocis, aſſignari ſolet ex Philoſopho *lib.* 4. *Ethicorum cap.* 9. *Eutrapelia*; quæ tamen ab affabilitate eſſentialiter non differt, ſed tantùm materialiter, penes materiam ſcilicet, in qua verſatur; nam dum verſatur in ſeriis, vocatur ſimpliciter *Affabilitas*, dum in Jocis, *Eutrapelia*. Ex his patet, Affabilitatem tendere in actiones noſtras, quibus cum proximo converſamur, eaſque habere pro objecto materiali; objectum verò formale eſſe debitum fundatum in noſtra natura ſic inſtituta, ut ſit ſocialis; objectum *cui* eſt proximus, cùm quo eſt converſandum. Contra Affabilitatem peccatur per exceſſum *Adulatione*, per defectum verò *Moroſitate*, quæ tamen vitia ex ratione ſua non ſunt niſi venialia; per accidens tamen poſſunt eſſe mortalia: v. g. ſi quis aduletur alteri in peccatis ab eo commiſſis, aut committendis, illa approbando &c. vel ſi per adulationem intendatur ſibis graviter malus &c.

II. *Liberalitas* eſt virtus, quæ moderatur amorem divi- 209
tiarum, & conſequenter inclinat ad eas elargiendum ſecundùm rectam rationem. Unde divitiæ ſunt materia remota hujus virtutis, proxima eſt affectus illarum, quem liberalitas moderatur, ne poſſeſſorem à legitimo earum uſu retrahat, vel eas prodigat. Non eſt tamen virtus liberalitatis ita propria divitibus, ut nequeat quoad meritum, & honeſtatem ſuam etiam in pauperibus reperiri; quippè, qui etiam poſſunt habere affectum erga hujus virtutis exercitium, à quo per accidens defectu materiæ impediuntur. Ex his patet, liberalitatem convenire cum Juſtitia in eo, quòd utraque ſit ad alterum, & verſetur circa res externas: differt autem in perfecta ratione debiti; nam debitum Juſtitiæ eſt rigoroſum; liberalitatis ſolùm morale, fundatum in quadam decentia, & honeſtate, ut habet D. Thomas *qu.* 117. *art.* 5. *ad* 1.

III. Liberalitati per defectum opponitur *Avaritia*, quia 210
deficit in erogando, prohibet enim ab elargitione divitiarum, ubi recta ratio eam poſtulat. Eſtque de ſe ſolùm veniale peccatum, cùm ſit tantùm inordinatus affectus erga divitias acquirendas, vel retinendas; per accidens verò poteſt fieri mortale, ſi interveniat violatio alterius virtutis graviter obligantis. Avaritia numeratur inter peccata Capitalia, quia ex illa multa alia peccata profluunt; de qua vide plura apud P. Sporer *tract.* 1. *proœmiali, cap.* 7. *ſect.* 4. *num.* 65.

IV. Liberalitati per exceſſum opponitur *Prodigalitas*, 211
quæ eſt vitium, quo excedunter limites rectæ rationis in erogatione divitiarum: *Prodigus* enim dicitur, qui pecunias ubi, quando, & quibus non debet, vel plus, quàm ſecundùm rectam rationem debet, elargitur. Hoc peccatum ex genere ſuo ſolùm eſt veniale; quia prodigus eſt Dominus ſuarum divitiarum, quas dum prodige expendit, ſine gravi alterius virtutis violatione, non eſt, unde graviter peccet: ſimpliciter tamen peccat; quia licèt verum habeat ſuarum divitiarum dominium, DEUS tamen vetat, eas aliter expendi, quàm recta ratio dictat. *Herincx citat. qu.* 5.

Ulterius ad Juſtitiæ virtutem reducitur *Religio, peni-* 212
*tentia, Juſtitia vindicativa &c.* de quibus agit P. Sporer *tr. de fide, ſpe, charitate*; de *Sacramento Pœnitentiæ*; *de reſtitutione in communi &c.* quem vide.

Hactenùs locuti ſumus de virtutibus moralibus *ſecun-* 213
*dùm ſe ſpectatis, & magis Philoſophicè conſideratis*. Ut autem virtutum Moralium actus ſint *Chriſtiani, ſupernaturales, ut oportet, & meritorii de condigno gratiæ, & gloriæ*, ulteriùs requiritur, 1. Ut fiant ab homine exiſtente in charitate DEI, & gratia ſanctificante. 2. Ut mediante fidei Divinæ lumine dirigantur in finem ſupernaturalem. 3. Ut influente principio ſupernaturali, videlicet gratia Divina actuali eliciantur. 4. Ut à charitate omnium virtutum forma ſint eliciti, vel imperati, ſeu in DEUM ultimum finem relati actu, vel virtute, hoc eſt, *ut actuali vel virtuali intentione fiant propter DEUM ſuper omnia dilectum, ad ejus placitum, honorem, & gloriam*. Ita communis Theologorum apud P. Sporer *tract.* 2. *in* 1. *præcept. Decalog. cap.* 5. *ſect.* 1. *num.* 15.

## C O R O N I S

Hujus Supplementi Decalogalis

*S I T*

## CORONA STELLARUM DUODECIM,

S E U

*Duodecim Prærogativæ Ordinis noſtri Seraphici.*

Prima eſt, quòd Regula Ordinis noſtri Seraphici Re- 214
gularis obſervantiæ, in monte Raineriο Columbo, ab ipſo Chriſto Domino fuerit dictata S. P. N. Franciſco, ut teſtatur Gregorius Papa IX. *in Reg. FF. Min. cap.* 1. Nicolaus III. *in cap. exiit, de verb. ſignif. in* 6. & S. Birgitta *lib.* 7. *Revel. cap.* 29. apud P. Engelbertum Pauck, *in Tertia Seraphica Vinea, cap.* 3.

II. Quod Chriſtus Dominus in monte Alverniæ ſua quinque ſacra Vulnera, ſeu Stigmata S. P. N. Franciſco impreſſerit, de qua mirabili impreſſione, Officium Divinum, & miſſæ Sacrificium in toto Seraphico Ordine, nec non in Eccleſia Univerſali, die 17. Septembris celebratur.

III.

III. Quòd S. P. N. Franciſcus notiſſimam orbi Univerſo Portiunculæ Indulgentiam, ſingulis Annis, die 2. Auguſt. obtinendam, à Chriſto Domino, jam ante quingentos annos impetraverit, uti teſtatur Breviarium noſtrum Franciſcanum, die 2. Aug. per quam Indulgentiam tria fidei, & Eccleſiæ Catholicæ Dogmata confirmantur, utpotè primum de Indulgentiarum exiſtentia, ſecundum de Romani Pontificis Authoritate, ac tertium de Confeſſionis Auricularis neceſſitate, ſicuti atteſtatur S. R. E. Cardinalis Bellarminus *l. 2. de Indulgentiis. cap.* 20.

IV. Quòd in Baſilica Aſſiſienſi (*Cujus primum lapidem poſuit Gregorius Papa IX.*) Corpus S. P. N. Franciſci in Pedes diametraliter erectum, integrum, illæſum, oculis patentibus, & vulneribus recenti ſubinde ſanguine manantibus, in hodiernum uſque diem conſpiciatur. Quorum teſtis oculatus fuit Nicolaus Papa V. Sixtus IV. Pontifex Maximus, Franciſcus de Bautio Dux Andriæ, Thomas Bozius Albornatius Card. Hiſp. vide *Sedulium ad vitam S. Franciſci, cap.* 5.

V. Quòd Gregorius Papa IX. Noſtro S. P. Franciſco poſuerit *ſequens in delubro Baſilicæ Aſſiſienſis Epitaphium*: Viri Seraphici, Catholici, Apoſtolici Franciſci, Romani, celſa humilitate conſpicui, Chriſtiani orbis Fulcimenti, Eccleſiæ Reparatoris Corpori nec viventi, nec mortuo Chriſti Crucifixi plagarum clavorumque inſignibus admirando, Papa collacrymans, lætificans, & exultans, juſſu, manu, munificentia poſuit, Anno Domini M. CCXXVIII. Vide *P. Engelbertum PancK in Tertia Seraphica Vinea cap. 15. in fine.*

VI. Quòd Ordo noſter Seraphicus Regularis Obſervantiæ ſit *Cuſtos Paleſtinæ*, & inhabitet Terram Sanctam, Sepulchrum D. N. JESU Chriſti, montem Calvariæ, montem Sion, præſepe Domini in Bethlehem, locum incarnationis Dominicæ in Nazareth &c. & hoc jam ad quadringentos uſque annos; quodque etiam hodie adhuc noſter P. Guardianus montis Sion, ſeu ſanctiſſimi Sepulchri creet *auratos Equites Sanctiſſimi Sepulchri*; ſitque totius Rei Chriſtianæ per Orientem Commiſſarius Apoſtolicus, Terræ ſanctæ Cuſtos, & in majoribus anni feſtivitatibus, SS. Miſſæ Sacrificium in Pontificalibus cum Mitra, Pedo, aliiſque Pontificalibus inſignibus celebrare poſſit, & hodiè ſic celebret.

VII. Quòd Chriſtus Dominus in monte Alverniæ in ſpecie Seraphim S. P. N. Franciſco apparens, idem pro ſuo Ordine *quatuor* promiſerit. *I. Ordinem ſuum Seraphicum*, uſque ad finem mundi perſeveraturum. *II. Ordinem ſuum Seraphicum diligentes*, quantumcumque peccatores, ſpiritum compunctionis in hac vita, & miſericordiam in morte conſecuturos. *III. Nullum ejus Alumnum* in eo malè viventem; aut ſuæ profeſſionis oblitum, & diu in peccato mortali languentem in eo remanſurum, omneſque notabili lepra inficiendos, qui verbo, & exemplo ſe oppoſituri eſſent puritati Regulæ. *IV. Hoſtes & perſecutores ſui Ordinis*, niſi pœnitentiam egerint, hac luce diu minimè fruituros. Ita *Lucas. Vvadingus Opuſc. S. P. Franciſci Tom. 2. Orbis Seraphicus lib. 1. cap.* 8. & plures alii.

VIII. Quod *Sanctiſſimum Nomen JESU* à noſtro *S. Bernardino Senenſi* (figuræ Nominis JESU primo inventore) manifeſtatum, & exaltatum, & à noſtro *S. Joanne Capiſtrano* ejus propugnatore prædicatum adeò fuerit, ut non tantùm Ordo noſter Seraphicus, ſed etiam Eccleſia univerſa nunc de eodem SS. Nomine JESU, Feſtum cum Officio Divino, & Miſſa celebret. Item quòd *Immaculata Conceptio DEIPARÆ Virginis MARIÆ* à toto Ordine Seraphico, & ejus *Doctore Joanne Duns Scoto, & Scotiſtis* præcipuè, adeò defenſa ſit, ut Ordo noſter Seraphicus per orbem univerſum Feſtum Immaculatæ Conceptionis DEIPARÆ Virginis MARIÆ cum Officio Divino proprio, Miſſa, & Indulgentiis Plenariis celebret.

IX. Quòd Ordo noſter Seraphicus Regularis Obſervantiæ nihil omninò in communi, & particulari poſſideat, *uti in Oecumenicis Conciliis declaratum fuit*, & tamen ex ſola menſa DEI ubique ſine redditibus, & bonis propriis, etiam Belli, & famis temporibus alatur, nec ullus adhuc fame perierit; imò *Gregorius Papa IX. in Orbe Seraphico l. 1. c.* 8. inter alia refert, ſe audiviſſe à S. P. N. Franciſco, dum viveret, quòd ſibi eſſet ravelarum à DEO, quantò plures fratres futuri eſſent in Ordine ſuo Franciſcano, tantò abundantiùs iis providendum.

X. Quod Sancta Romana Eccleſia in Coronatione Romani Pontificis intonet tres Collectas, ſeu Orationes; primam de Spiritu S. ut illuminet; ſecundam de B. V. MARIA, ut protegat; tertiam de S. P. N. Franciſco, ut ſicut reparavit Eccleſiam, eandem ſuſtentet. Item quòd ſecundus à S. P. N. Franciſco fundatus Ordo Clariſſarum, omnium primus rigorem omnimodæ Clauſuræ ab Eccleſia Catholica ſummoperè laudatum, & approbatum invenerit. Item quod Tertium à S. P. N. Franciſco fundatum Ordinem de Pœnitentia ſeu Tertiariorum, etiam Summi Romani Pontifices (poſtquàm jam ad Papatum elevati fuerant) ſuſceperint. Vide *P. Engelbertum PancK cap.* 9.

XI. Quòd ex Ordine noſtro Seraphico Regularis Obſervantiæ jam à Romanis Pontificibus Canonizati ſint ſequentes *Viginti duo Sancti*, videlicet S. P. N. Franciſcus, S. Antonius Paduanus, S. Bonaventura Doctor Seraphicus, Cardinalis, & Epiſcopus, S. Ludovicus Epiſcopus Toloſanus, S. Bernardinus Senenſis, S. Joannes Capiſtranus, S. Petrus de Alcantara, S. Didacus, S. Paſchalis, S. Benevenutus Epiſcopus Auximanus, Sancti quinque Martyres Marochiani in Africa, S. Bernardus, S. Petrus, S. Accurſius, S. Adjutus, S. Otho, Sancti ſeptem Martyres Ceptæ in Mauritania, S. Daniel, S. Angelus, S. Samuel, S. Donulus, S. Leo, S. Nicolaus, & S. Hugolinus.

Similiter ex Ordine noſtro Seraphico à Romana Sede Beatificati ſunt ſequentes *Viginti quatuor Beati*, B. Jacobus de Marchia, B. Franciſcus Solanus, B. Petrus Regalatus, B. Antonius de Stronconio, B. Benevenutus, B. Guido, B. Andreas de Comitibus, Beati ſex Martyres Japonenſes, B. Petrus Baptiſta, B. Petrus Martinus ab Aſcenſione, B. Franciſcus Blanco, B. Philipus à JESU, B. Gundiſalvus Garzia, B. Franciſcus à S. Michaele. Beati Undecim Martyres Gorcomienſes in Hollandia, B. Nicolaus Pichius, B. Hieronymus, B. Guilaldus, B. Nicaſius, B. Theodericus, B. Antonius, B. Godefridus, B. Franciſcus, B. Antonius, B. Petrus, B. Cornelius.

Ex ſecundo Ordine S. P. N. Franciſci, videlicet Clariſſarum Canonizatæ ſunt *Sequentes Duæ Sanctæ*, S. Clara prima Plantula S. P. N. Franciſci; & Inſtitutrix Virginei Ordinis Clariſſarum, & S. Catharina Virgo Bononienſis. Beatificatæ ſunt *Quatuor ſequentes Beatæ*, B. Coleta, B. Salomea, B. Iſabella, B. Cunegunda.

Ex Tertio Ordine S. P. N. Franciſci, videlicet de Pœnitentia, ſeu Tertiariorum Canonizati ſunt *Decem ſequentes*: S. Ludovicus Rex Franciæ, S. Ivo Presbyter, & Patronus Juriſtarum, S. Elzearius Comes Arriani, S. Conradus Nobilis Placentinus, S. Rocchus Patronus contra peſtem, S. Eliſabeth filia Regis Hungariæ, & Landgravia Thuringiæ, S. Eliſabeth Regina Portugalliæ, S. Roſa Virgo Viterbienſis, S. Franciſca Romana, S. Birgitta Principiſſa Svecica.

Beatificati ſunt ſequentes *Viginti ſex*, videlicet B. Lucheſius Primus Tertiarius, ſeptendecim Martyres Japonenſes, nimirùm B. Paulus, B. Gabriel, B. Joannes, B. Thomas, B. Franciſcus, B. Jonchim, B. Thomas, B. Antonius, B. Ludovicus, B. Bonaventura, B. Leo, B. Matthias, B. Paulus, B. Michael, B. Petrus, B. Coſmas, B. Franciſcus, B. Delphina Comitiſſa uxor S. Elzearii Comitis, B. Lucia, B. Viridiana, B. Clara de Monte Falco, B. Ludovica Albertonia, B. Humiliana, B. Angela de Fulginio, B. Margarita de Cortona.

Præter Prædictos Canonizatos, & Beatificatos à Sede Apoſtolica, numerantur adhuc in Ordine noſtro Seraphico *ultra* 1500. *Martyres, & ultra* 6000. *Beati Confeſſores*, uti refert *R. P. Fortunatus Huber, in Menologio Magno Seraphici Patris noſtri Franciſci, in Proloquiis Hiſtoricis*, qui ibidem ex Ordine primo Fratrum Minorum numerat *Summos Pontifices quinque, Cardinales Quinquaginta ſex, & ultra, Archi-Epiſcopos Nonaginta*, & ultra; Epiſcoporum numerus ob multitudinem difficillimè eſt ſpecificandus; Imperatores, & Reges ex primo Ordine S. Franciſci adducit decem; *ſubjungens in fine*: quòd ſi filios Regum, Ducum, & Principum numerare deberem, infinitus forem; ait *Bartholomeus Piſanus*. Idem dicendum, de Summis Pontificibus, Cardinalibus, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, Imperatoribus, Regibus, Ducibus, Principibus, Comitibus, Imperatricibus, Reginis, Duciſſis, Principiſſis, Comitiſſis &c. qui, & quæ Secundum, & Tertium reſpectivè Ordinem S. P. N. Franciſci ſuſceperunt, quos, & quas ſi noſſe deſideras, Lege *R. P. Fortunatum Huber cit. & R. P. Engelbertum PancK in Tertia Seraphica Vinea*.

XII. Quod Ordo noſter Seraphicus (ut refert *Gubernatis in Orbe Seraphico lib. 3. cap. 5. citans Vvadingum ad Annum* 1213.) Ex revelatione S. P. N. Franciſco facta à Chriſto Domino in monte Alverniæ, per totum mundum ſit dilatandus, & uſque in finem ſæculorum in ſua perfectione, & puritate duraturus, & à DEO conſervandus. Unde dixit Gregorius Papa IX. *in Bulla, quæ extat in Archivio S. Franciſci*

*Lyra*:

*Leyra: paſſim Catholicam conſolatur Eccleſiam auctus Minorum Ordo Multitudine, Sacerdotio, Sanctitate, & Doctrina Excellens*. Et candidus ex Societate JESU ſcriptor Hieronymus Platus ingenuè fatetur: Quod Ordo noſter Seraphicus magis ſit diffuſus per totum orbem, quàm cæteri alii Ordines: Quare etiam Ordini noſtro Seraphico (*uti oſtenditur in Menologio Magno S. Franciſci in Prologniis Hiſtoricis, Authore R. P. Fortunato Huber*) commiſſa eſt *Clavis ad aperiendam ſalutem Indiarum, totiuſque novi orbis*. Inſuper Ordo noſter Seraphicus jam habuit Capirula Generalia 142. In quibus *Summi Pontifices, ultra decies perſonaliter præſidere dignati ſunt*, & quidem ultima vice, Anno 1723. in Capitulo noſtro Generali Romæ celebrato præſidere dignatus eſt *Innocentius XIII. P. M.* in quo à ducentis, & nonaginta ſex Electoribus, ſeu Vocalibus Franciſcanis, in Miniſtrum Generalem totius Ordinis Fratrum Minorum Octuageſimum Primum electus eſt *Revendiſſimus P. P. Laurentius à S. Laurentio Romana Obſervantis Provincia Lector Jubilatus, & Excommiſſarius Generalis*; cujus Capituli Generalis tempore (*uti mihi Romæ, Anno 1724. 1. Aprilis, ex manuſcriptis R. A. P. Diffinitoris Generalis Capituli Secretarii*; *communicavit A. R. P. Joannes Thonii, SS. Theologiæ Lector emeritus, noſtræ nationis Germano-Belgicæ Agens Generalis actualis Romæ*) in noſtro Ordine Seraphico ſub obedientia præfati Reverendiſſimi P. Generalis militabant *Provinciæ* 151. *Cuſtodiæ* 5. *Conventus* 3571. *Monaſteria Monialium* 848. *Fratres* 70385. *Sorores Moniales* 29687. non numeratis utriuſque ſexus Tertiariis copioſiſſimis, quibus omnibus pro jugi recordatione ſubjicio legendam, meditandam, ac ponderandam benedictionem S. P. N. Franciſci datam Regulæ Zelatoribus, quæ ſic ſonat: *Benedicti vos à Domino, qui errantes peccatores ad Dominum reducitis, viam veritatis illis oſtenditis, & vos in Sancta Evangelii obſervatione puros, ſinceroſque cuſtoditis; qui vobis benedicit, à Domino benedicatur; qui vos fovet, aut ſuſcipit, mercedem recipiat æternam. Nullam in vobis poteſtatem Satan exerceat, ſupra id, quod poteſtis, non tentet, vobis ſuper illum, illiuſque Aſſeclas ſit imperandi facultas, portas illius poſſidere, & ſpolia diripere. Patris vos adjuvet potentia, Filii vos dirigat Sapientia, & Spiritus Sancti vos foveat Clementia. Amen.*

Hæc omnia ad majorem DEI Gloriam, Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, & omnium Sanctorum Honorem, atque Proximi ſalutem, à me conſcripta, humillimè ſubjicio Cenſuræ Sanctæ Matris Eccleſiæ Romano-Catholicæ, cujus Filius eſſe deſidero in perpetuum. AMEN.

*Finis Supplementi Theologiæ Moralis Decalogalis.*



Digitized by Google

# INDEX
## RERUM NOTABILIUM
### In hoc Supplemento Theologiæ Moralis Decalogalis Contentarum.

*Numerus Paginam demonſtrat.*

## A


*Abbas.*

ABbates habent poteſtatem Legislativam. Pag. 22. Poſſunt ferre cenſuras. 117.

*Abbatiſſa.*

Abbatiſſæ non habent poteſtatem Legislativam Eccleſiaſticam. 22. Nec poſſunt ferre Cenſuras. 117.

*Abſolutio à peccatis, & à Cenſuris.*

Abſolvere confluentes ex alia Diœceſi, à peccatis in ipſa reſervatis; an poſſint Confeſſarii Regulares. 36.

Abſolutio à Cenſuris qualiter fieri debeat. 125. Quinam à cenſuris abſolvere poſſint. 124. Forma abſolvendi à Cenſuria. 125. Ex parte abſolvendi à cenſura requiruntur tres conditiones. 126. Ex parte abſolventis à cenſura requiruntur etiam tres conditiones. ibidem. Abſolvere à cenſuris in ſtatu diſgratiæ non eſt peccatum, ſicut nec repetere abſolutionem à cenſuria. 127.

Abſolvere quis poſſit ab excommunicationibus Bullæ Cœnę. 135. Abſolvere quis poſſit ab excommunicationibus Papæ reſervatis extra Bullam Cęnæ. 136. Abſolvere quis poſſit ab excommunicatione Canonis ob percuſſionem Clerici. 138.

Abſolvere ſuos ſubditos Religioſos ab excommunicationibus Bullæ Cęnæ, an poſſint Prælati Regulares. 139.

Abſolvere à ſuſpenſione quis poſſit, & qualis forma abſolvendi. 142.

Abſolvere ab Interdicto quis poſſit, & qualis forma abſolvendi. 145.

Abſolutio à cenſura extorta per vim, vel metum gravem, eſt invalida. 127.

*Accuſare.*

Accuſare qui vult aliquem de crimine, debet illud legitimè poſſe probare. 111. Differentia aſſignatur inter accuſatorem, & denuntiatorem, & inter accuſationem & denuntiationem. ibid. Accuſans non tenetur præmittere correctionem fraternam. ibid. Quando ſit obligatio accuſandi. ibid. Non accuſans, quando tenebatur, qualiter peccet, & an teneatur ad reſtitutionem. ibid. Quinam criminaliter accuſare poſſint. 112.

*Actus Externi.*

Actus externi occulti an poſſint præcipi Lege humana. 24.

*Advocatus.*

In Advocato requiruntur quatuor conditiones. I. Conveniens peritia, & diligentia. II. Juſtitia in exhibendo Patrocinio. III. Fidelitas in agitatione cauſæ. IV. Juſtum Salarium. 112.

*Affabilitas.*

Affabilitas qualis ſit virtus; & quænam ſint eidem oppoſita vitia. 148.

*Amens.*

Amentes an obligentur Legibus Humanis. 35.

*Anathema.*

Anathema quid ſit, & quomodo differat ab excommunicatione. 127.

*Apoſtata.*

Apoſtata à Religione quis dicatur. 204. Ad quid teneatur. ibid. Ejus pœnæ. ibid.

*Aſylum.*

Aſyli Jus quid ſit. 83. Quo jure ſit introductum. 126. Quibus locis competat. 89. Quibus perſonis competat. 84. Et quibus non. 84.

Ad Aſylum confugiens Reus debet in eo recipi. 40. Nec poteſt ab eo extrahi, aut ad mortem, vel pęnam Corporalem condemnari. 85. Si tamen Reus confugiens ad Aſylum commiſit crimen non gaudens Immunitate, & Aſylo, debet cuſtodiri, ſi petat Curia ſæcularis. 55. Ac etiam ei tradi Curiæ ſæculari, ſed certo modo. 86.

Extrahens ex Aſylo Reum vi, vel fraude, peccat mortali ſacrilegio, & tenetur Reum ſic extractum reſtituere loco ſacro. 86. Et incurrit ipſo facto excommunicationem Papæ reſervatam, à qua tamen Regulares mendicantes poſſunt abſolvere. 87.


## B


*Benedictiones.*

QUales Benedictiones poſſint Regulares facere in ſuis Eccleſiis. 206.

*Beneficium Eccleſiaſticum.*

Beneficium Eccleſiaſticum quid ſit. 75. Variè dividitur, videlicet in *Regulare*, & *Sæculare*. In *Curatum*, & *non Curatum*; In *duplex*, & *ſimplex*. 75. In *Electivum*, *Patronatum*, & *Collativum*. 75. In *Canonicatum*, *Vicariam*, *Commendam*, *&c.* ibidem.

Beneficia quis conferre poſſit. 76. Et quot modis conferantur, ibidem

Ad legitimam Beneficii collationem quot conditiones requirantur. 76. Non licet ſimul retinere plura Beneficia Eccleſiaſtica. 76. Exceptis aliquibus caſibus. 76.

In Eligendis ad Beneficia Eccleſiaſtica, & Prælaturas requiritur *ætatis maturitas*. 76. *Morum gravitas* conſiſtens in pluribus. 76. Et *Litterarum ſcientia*. Atque ut ſint *digniores*. ibidem.

Beneficii Eccleſiaſtici acquirendi incapax eſt excommunicatus etiam toleratus. 132.

An Beneficii ante excommunicationem obtenti fructus poſſit percipere excommunicatus. 132.

Beneficiati v. g. Epiſcopi, Parochi, Canonici tenentur ad reſidentiam. 73.

*Bulla Cœnæ Domini.*

Excommunicationes Bullæ Cęnæ Domini recenſentur. 134. Quis poſſit ab illis abſolvere ſæculares. 135. & Regulares. 139.


## C


*Caſtitas Religioſorum.*

EX caſtitatis voto tenetur Religioſus abſtinere ab omni delectatione venerea, etiam aliàs in ſtatu conjugali licita. 98. Ac etiam ab actibus, qui terminantur ad impudicitiam alienam, aliàs peccat duplicis ſpeciei peccato ibidem.

Caſtitas virtus quid ſit. 155.

*Caſus Reſervati.*

Caſus reſervatus an incurratur, ſi ante effectum malum ſecutum quis doleat, vel confiteatur. 119.

Habens poteſtatem abſolvendi à peccatis reſervatis, habet hoc ipſo etiam facultatem abſolvendi à cenſuris annexis. 125. An etiam hoc ipſo habeat facultatem diſpenſandi in Irregularitatibus annexis. 130.

Si confitens Caſum Reſervatum, vel Cenſuram, Confeſſionem invalidam faciat, an tollatur Reſervatio Caſus, & Cenſuræ. 127.

Caſum Reſervatum confitens Peregrinus in Diœceſi, ubi non eſt Reſervatus, an poſſit ibi à quolibet Confeſſario abſolvi. 36.

Confitens caſum, qui in Diçceſi Confeſſarii, non verò in Diçceſi Pęnitentis, ubi factus eſt, eſt Reſervatus, an à quolibet Confeſſario poſſit abſolvi. 125.

*Cenſura Eſſentia, & Diviſio.*

Cenſura Eccleſiaſtica quid ſit. 115. Dividitur in *Excommunicationem*, *Suſpenſionem*, *& Interdictum*. 115. Irregularitas, Ceſſatio à Divinis, Depoſitio & Degradatio non ſunt Cenſuræ. 116. Cenſura alia eſt *à Jure*, alia *ab homine*. 116. Alia eſt *latæ*, alia *ferendæ ſententiæ*. 116.

*Cenſuræ cauſa efficiens.*

Datur in Eccleſia Catholica poteſtas ferendi cenſuras. 116. Poteſtas ordinaria ferendi Cenſuras reſidet in Summo Pontifice, Epiſcopis, Archi-Epiſcopis, Patriarchis, Cardinalibus, Vicario Epiſcopi, Abbatibus, Superioribus Religionum Generalibus, Provincialibus, & Localibus, non tamen in Parochis, neque in Abbatiſſis. 116. & 117. Poteſtas delegata ferendi cenſuras in quibus reſideat. 117. Ad validè ferendam cenſuram requiruntur ex parte ferentis quatuor Conditiones. 117.

*Cenſuræ Subjectum.*

Cenſuræ ſubjectum debet eſſe Homo, Viator, baptizatus, Ra-

tionis compos, ſubditus cenſurantis, & peccans intra territorium cenſurantis. 117. & 118.

Cenſura lata contra facientes an comprehendat mandantes, & conſulentes. 118. An Cenſuram incurrant mandantes, & conſulentes, ſi ante effectum ſecutum revocent ſuum mandatum, & conſilium. 118. An tales incurrant Caſum Reſervatum, vel irregularitatem. ibidem. Idem homo poteſt ligari pluribus Cenſuris tàm diverſæ, quam ejuſdem rationis. 119. & poteſt ab una abſolvi, remanente altera. ibid.

*Cauſa, ob quas Cenſura infligi poteſt.*

Debet eſſe peccatum *mortale*. 119. *externum*. 119. *conſummatum, & non mere præteritum*. 119. Habens *annexam Contumaciam, & repugnans Legi Eccleſiaſticæ*. 119.

*Forma Cenſuræ.*

Duplex eſt, *Eſſentialis*, & *accidentalis*. 119. Ad valorem Cenſuræ requiritur, ut ſit expreſſa per ſignum externum determinatum quoad ſpeciem Cenſuræ. 119. Cenſura poteſt ferri ſub conditione. 120. Cenſura ferenda ab homine ad ſui valorem prærequirit prævism monitionem. 120. Hæc tamen monitio non requiritur *Trina* ad validè ferendam cenſuram; quamvis ad eam licitè ferendam requiratur Trina. 120. Forma accidentalis cenſuræ profertur quadruplex. 120.

*Cauſa excuſantes à Cenſuris.*

Sunt quatuor, videlicet, Innocentia cenſurati. 121. Ignorantia inculpabilis. 122. Metus gravis injuſtè incuſſus ad extorquendum actum. 122. Impotentia faciendi id, quod ſub cenſura præcipitur, ſive phyſica, ſive moralis tantùm. 123.

*Abſolutio à Cenſuris.*

Cenſura tolli debet per abſolutionem. 123. Abſolutio à Cenſuris eſt multiplex. 123. Abſolutio à cenſura poteſt dari validè ſub conditione de futuro. 123.

A Cenſura ab homine lata per ſententiam ſpecialem quis poſſit abſolvere. 124. A cenſura ab homine lata per ſententiam generalem quis poſſit abſolvere. 124. A Cenſura Juris reſervata quis poſſit abſolvere. 124. A Cenſura Juris non reſervata quis poſſit abſolvere. ibidem.

Si Cenſura ſit reſervata in Diœceſi Confeſſarii, non verò pœnitentis, an pœnitens à tali Confeſſario abſolvi poſſit. 125.

Habens poteſtatem abſolvendi à peccatis reſervatis, habet hoc ipſo etiam poteſtatem abſolvendi à cenſuris annexis. 125.

Forma abſolvendi à Cenſuris. ibidem.

Ad Cenſuras ferendas, vel abſolvendum ab iiſdem non requiritur præſentia localis cenſurandi, vel abſolvendi. 125. Ex parte *abſolvendi* à cenſura requiruntur tres conditiones. 126. Ex parte *abſolventis* à cenſura etiam requiruntur tres conditiones. 126.

An confitens Confeſſario habenti poteſtatem abſolvendi ab omnibus Caſibus, & Cenſuris reſervatis, à reſervatione, & Cenſuris liberetur; non obſtante, quod invalida foret abſolutio Sacramentalis ob indiſpoſitionem Pœnitentis. 127. Abſolvere à Cenſuris in ſtatu diſgratiæ non eſt peccatum, ſicut nec repetere abſolutionem à Cenſuris eſt peccatum. 127.

*Ceſſatio à Divinis.*

Quid ſit, & quis ejus Effectus. 136.

*Ceſſatio Legis.*

Quot modis contingat. 45.

*Clauſura Monialium.*

Clauſura Regularium virorum, & mulierum inducta eſt ab Eccleſia ad Votum Caſtitatis meliùs obſervandum. 98. Clauſura Monaſteriorum quouſque ſe extendat. Ibid. An etiam comprehendat Sacriſtias. ibidem.

Clauſuram tenentur ſervare Moniales quoad egreſſum, ita ut nulla ſine juſta cauſa, & legitima licentia Clauſuram egredi poſſit ſub excommunicatione. 98. Recenſentur cauſæ, ob quas Monialibus poteſt dari licentia exeundi è Clauſura. ibid. Quis hanc licentiam concedere poſſit, aut debeat. 99.

Clauſuram *Monialium* nemo, nec vir, nec fœmina ingredi poteſt. 99. Excipiuntur infantes, item puellæ, quæ bonæ educationis, & inſtructionis gratia ingrediuntur cum certis conditionibus. 99. Excipiuntur etiam Imperatores, Reges; eorum uxores, & proles, Electores S. R. I. eorum uxores, & Proles; Item Fundatrices. 99

Clauſuram Monialium poteſt ingredi malefactor, ut judicem inſequentem effugiat. 85.

Clauſuram Monialium poſſunt in Caſibus neceſſariis cum debita licentia ingredi Medici, Chirurgi, Operarii, Hortulani, &c. Item Confeſſarius earundem, & Superiores earum. 99.

Ad licitè ingrediendam Clauſuram Monialium præter neceſſitatem moralem requiritur licentia Superioris, & cujus. 100. Quamdiu aliquis finito negotio in Clauſura ſe poſſit detinere. 100.

Clauſuram Monialium etiam exemptarum poteſt viſitare Epiſcopus. 105.

Clauſuram Monaſterii Regularium virorum nullus ſine licentia Superioris, & ſocio egredi poteſt. 100. Quale ſit peccatum ſine licentia Superioris è Monaſterio egredi. 100.

In Clauſuram Monaſterii Religioſorum mulieres non poſſunt ingredi, vel admitti. 100. Excipiuntur aliqui caſus, & aliquæ mulieres. ibidem.

An detur parvitas in violatione Clauſuræ. 101.

*Clementia.*

Virtus quid ſit. 155.

*Clericus.*

Clericus quid ſit. 70. Quinam Clericorum nomine veniant in materia favorabili. ibidem. Et in materia odioſa. 70.

Clerici an obligentur Legibus Civilibus. 32.

Clericorum Privilegia *Canonis & fori* explicantur. 75.

In Clericis requiritur duplex Vitæ honeſtas, interior, & exterior. 70. Clerici tenentur caſtè vivere. 70. Abſtinere ab ebrietate. 70. Et fugere avaritiam. 71.

In Clericis requiritur bona converſatio. 71. Et fuga mulierum ſuſpectarum. 72.

Clericis prohibetur arma geſtare. 72. Item Officia, vel Commercia ſæcularia tractare. 72. Ludis Scurrilibus, aut profanis intereſſe. 72. Aut Miniſtros Laicorum agere. 72.

Clericorum reſidentia quid ſit. 73. Qualiter teneantur ad Reſidentiam Epiſcopi, Canonici, Parochi &c. 73.

Clericorum bona etiam Patrimonialia gaudent immunitate Eccleſiaſtica reali. 82. Clerici gaudent etiam Immunitate Eccleſiaſtica perſonali. 82.

A Clericis Domini Territoriales nequeunt exigere Tributa, Vectigalia, acciſas &c. niſi concurrentibus ſex conditionibus. 83.

Notorius Clerici percuſſor eſt excommunicatus non toleratus, ſeu vitandus. 128.

Ob Clerici percuſſionem incurſa excommunicatio Canonis explicatur. ſol. 138. Quis ab ea poſſit abſolvere. 138.

*Concilia.*

Concilia Generalia habent poteſtatem Legiſlativam Eccleſiaſticam. 21. Item Concilia Nationalia, Provincialia, & Diœceſana. 21.

*Conciones.*

An Epiſcopus poſſit prohibere Regularibus, ne concionentur in ſuis Eccleſiis. 106.

*Confeſſarius.*

Confeſſarius Monialium, quando poſſit Clauſuram ingredi. 99.

Confeſſarii Regulares ab Epiſcopo ſimpliciter approbati poſſunt in Diœceſi Epiſcopi approbantis, quovis anni tempore, etiam Paſchali, & quorumcunque etiam infirmorum Confeſſiones audire abſque ulla Parochi, vel ipſius Epiſcopi licentia. 106.

Confeſſarii Regulares mendicantes poſſunt abſolvere ſæculares extra Italiam ab omnibus cenſuris, & peccatis Papæ reſervatis, exceptis Caſibus Bullæ Cœnæ, & quos Epiſcopi ſibi ſpecialiter reſervant, & exceptis particulatim inflictis Cenſuris. 137.

Confeſſarii Regulares an poſſint cum Regularibus diſpenſare in Irregularitatibus. 150. Item an cum ſæcularibus poſſint diſpenſare in Irregularitatibus. 150. Item an cum ſæcularibus poſſint diſpenſare in aliis pœnis Eccleſiaſticis, v. g. Inhabilitate vel privatione Officiorum, dignitatum, &c. 151.

*Conſuetudo.*

Conſuetudo quid ſit, & quotuplex. 43. Qualiter differat à Præſcriptione. 43. An poſſit abrogare Legem veterem, & inſtituere novam. 43. Quales conditiones requirantur ad legitimam conſuetudinem. 43. An per actus formaliter malos poſſit introduci conſuetudo. 45. An conſuetudo poſſit abrogare Legem naturalem, vel Divinam. 45.

*Contractus.*

Initi ab Excommunicato an ſint validi. 133.

*Correctio Fraterna.*

Correctio Fraterna debet præcedere ante criminis denunciationem Evangelicam. 109. & 111. Correctio Fraterna non debet præcedere accuſationem, vel denunciationem Judicialem. 119.

# D

*Decima.*

Decimæ quid ſint. 80. Sunt duplices. ibidem. Quo jure debeantur. 80. Defraudans decimas quotupliciter peccet. 80. Debet excommunicari. 80.

*Deciſiones, & Decreta.*

Deciſiones Rotæ Romanæ, & Decreta Conciliorum qualiter obligent. 20.

*Declarationes.*

Declarationes Cardinalium an, & quando obligent. 20.

Declarationes Legum an indigeant promulgatione. 24.

Declarationes Clauſularum in Diſpenſationibus S. Pœnitentiariæ contentarum. 105.

*Degradatio, & Depoſitio.*

Quid ſint, & qualiter fiant. 151.

*Denunciatio.*

Denunciatio eſt duplex, *Judicialis*, & *Paterna*, ſeu *Evangelica*. 119. Denunciari non debent *Judicialiter* crimina omninò occulta, de quibus non præceſſit infamia. Aliud eſt de *Denunciatione Evangelica*. 111. & 119. Qui vult judicialiter crimen alicujus denunciare, non tenetur

netur quidem illud probare, attamen tenetur aperire indicia, quibus Judex ex Officio ad ulteriorem inquiſitionem faciendam moveri poſſit. 115. Denuntians judicialiter non tenetur præmittere correctionem fraternam. 112. benè verò denuncians paternè, ſeu Evangelicè. 109. & 112. Quando ſit obligatio denunciandi crimen alterius. 111 Non denuncians quando tenebatur, qualiter peccet, & an teneatur ad reſtitutionem. 121.

*Diſpenſatio.*

Diſpenſatio an fieri poſſit in lege naturali. 10. An in lege Divina à Summo Pontifice. 18. Diſpenſatio Legis quid ſit. 50. Diſpenſare in Lege Humana quis poſſit. 50. Diſpenſandi poteſtatem habens, an, & quomodo ſecum ipſo diſpenſare poſſit. 52.
Ad valorem diſpenſationis requiritur legitima poteſtas. 50. & ut fiat circà ſubditum. 51. & ut adſit juſta cauſa, 52. & ut non ſit obreptitia, vel ſubreptitia. 55.
An Princeps poſſit ſecum in ſua Lege diſpenſare. 52.
Si juſta cauſa diſpenſandi adſit tempore diſpenſationis & poſtea ceſſavit, an valida ſit diſpenſatio. 50.
Diſpenſatio quando ſit obreptitia, vel ſubreptitia, exemplificatur caſibus. 53. Diſpenſatio an poſſit impetrari pro ignorante vel invito. 54.
Diſpenſandi commiſſio an expiret morte committentis. 54.
Diſpenſare in Irregularitate circà ſæculares, & regulares, quinam poſſint. 148.
Diſpenſare quis poſſit in aliis Pœnis Eccleſiaſticis, v.g. Inhabilitate, Privatione Officiorum, Beneficiorum &c. 150.
Diſpenſans Confeſſarius Regularis Mendicans in petendo debito conjugali cum conjuge, qui habuit copulam perfectam cum conſanguineis conjugis intra ſecundum gradum debet diſpenſando injungere condignam Pœnitentiam. 148.

*Diſpenſationes S. Pœnitentiariæ Romanæ.*

Diſpenſationes à S. Pœnitentiaria Romana, vel à Curia Epiſcopali impetrandi modus affertur. 55. Quænam ſint exprimenda in petitione diſpenſationis. 55. Quæ Taciturnitas veri, vel expreſſio falſi reddat diſpenſationem invalidam in impedimentis Matrimonii. 55. Supplica pro diſpenſatione petenda ab Epiſcopo affertur. 56. Supplica pro diſpenſatione petenda à S. Pœnitentiaria Romana, ſeu à Majori Pœnitentiario affertur. 57. Supplica pro diſpenſatione petenda ab ipſo Summo Pontifice affertur. 57.
Diſpenſare in quibuſdam Impedimentis Matrimonii poſſunt Regulares Mendicantes. 57.
Modus exequendi diſpenſationes S. Pœnitentiariæ Romanæ. 58.
Formula Litterarum diſpenſationis ſuper impedimento affinitatis. 59. Formula litterarum Diſpenſationis ſuper voto caſtitatis. 59.
Declaratio Clauſularum in Diſpenſationibus S. Pœnitentiariæ contentarum. 59.
Quinam poſſint exequi Diſpenſationes S. Pœnitentiariæ. ibid. An Lectores Jubilati noſtri Ordinis. 59. An Licentiati Theologiæ, vel Juris Canonici. 59.
Formula diſpenſandi in Impedimentis Matrimonii. 62.

*Domicilium.*

Et quaſi Domicilium quomodo acquiratur. 37.

## E

*Eccleſia.*

Eccleſiæ, earumque bona gaudent Immunitate Reali, ſicut & omnia Loca pia. 81. Eccleſiis competit Jus Aſyli, ſicut & Cœmeteriis. 83 Etiamſi Eccleſiæ ſint pollutæ, interdictæ, vel nondum conſecratæ. ibid. Plura vide ſuprà V. *Aſylum*, & infra V. *Immunitas Eccleſiaſtica*.

*Electiones;*

In Electionibus ad Prælaturas, & Beneficia Eccleſiaſtica quid ſit obſervandum. 76. In Electionibus Regularium quid ſit obſervandum. 77.
In Electione ad Officia Sæcularia an debeat eligi dignior. 78.

*EpiKia.*

EpiKia quid ſit, an, & in quibus Legibus detur. f. 47. & 49.
Epikia an detur in Lege naturali. 10. Lege Evangelica. 18.

*Epiſcopi.*

Epiſcopi habent Poteſtatem Legiſlativam Jure Pontificio. 21.
Epiſcopis in quibus caſibus ſubjiciantur Regulares. 32. & 55.
Epiſcopi in quibus Legibus diſpenſare poſſint. 50. An eum Peregrinis, & vagis diſpenſare poſſint. 51.
Epiſcopi Germaniæ in quibus impedimentis Matrimonii diſpenſare, à quibus Cenſuris abſolvere, & in quibus irregularitatibus diſpenſare valeant. 56.
Epiſcopi tenentur ad Reſidentiam in Eccleſiis ſuis Cathedralibus. 73. Epiſcoporum Munera, quæ ab ipſis vi Reſidentiæ præſtari debent.
Epiſcopi nequeunt Cenſuras ferre in Regulares, niſi in caſibus à Sede Apoſtolica conceſſis. 75. Epiſcopi non poſſunt Regulares impedire, ne oſtiatim mendicent. 75. Epiſcopi nequeunt viſitare Eccleſias, & Monaſteria Regularium Exemptorum, quibus non incumbit cura animarum Perſonarum Sæcularium. 105. Epiſcopi poſſunt viſitare Moniales exemptas in puncto Clauſuræ. 105. Epiſcopi non poſſunt prohibere Regularibus Mendicantibus, quin Miſſas in propriis, & alienis Eccleſiis celebrent. 105. & 106. Regulares tenentur exhibere Epiſcopis Reverentiam. 108. & 34.
Epiſcopi an poſſint abſolvere à Caſibus Bullæ Cœnæ. 136. Epiſcopi poſſunt abſolvere à Caſibus Papæ reſervatis extra Bullam Cœnæ. ibid.
Epiſcopi in quibus Irregularitatibus diſpenſare poſſint. 248.

*Excommunicatio.*

Excommunicatio quid ſit. 127 Excommunicatio *Major*, 127. Et Excommunicatio *Minor* definiuntur. 127. & 128. Excommunicatus *Toleratus*, & *non Toleratus* qui ſint. 128.

*Excommunicationis Effectus.*

Excommunicatio Major privat communibus Eccleſiæ Suffragiis. 119. Uſu activo, & paſſivo Sacramentorum. 150. Divinis Officiis, & Eccleſiaſtica Sepultura. 152. Beneficiis Eccleſiaſticis, horum Proventibus, & aliis Dignitatibus. 135. Item Juriſdictione Eccleſiaſtica propriè dicta. 153. Communicatione forenſi, ſeu judiciali. 133. Ac etiam communione Fidelium Politica, & Civili, exceptis quibuſdam caſibus. 134. Reliqui Effectus Excommunicationis enumerantur. 135.

*Excommunicationes in Specie.*

Excommunicationes Bullæ Cœnæ Domini recenſentur. 155. Nullus niſi Papa, extra periculum mortis, ab his abſolvere poteſt. 155. An Epiſcopi ab illis abſolvere poſſint. 136.
Excommunicationes Papæ Reſervatæ extra Bullam Cœnæ recenſentur. 236 Ab his abſolvere poſſunt Epiſcopi. 257. Ac etiam Confeſſarii Regulares Mendicantes poſſunt ab his abſolvere ſæculares. 237. Qui etiam poſſunt abſolvere à caſibus dubiè in Bulla Cœnæ contentis. 137.
Excommunicatio Canonis ob Percuſſionem Clerici explicatur. 198. Quinam hanc Excommunicationem incurrant. ibidem. Quinam ab ea excuſentur. 138. Quinam ab ea abſolvere poſſint. 138.
Ab omnibus Excommunicationibus poſſunt Superiores Regulares abſolvere ſuos ſubditos Regulares, à quibus poſſunt Epiſcopi ſuos abſolvere. 139. An Prælati Regulares poſſint ſuos ſubditos abſolvere ab Excommunicationibus Bullæ Cœnæ. 139.
Excommunicatus an peccet, ſi non confiteatur, aut Communicet tempore Paſchali, aut ſi non audiat Miſſam die Dominico, vel Feſtivo. 30.

## F

*Fortitudo.*

Qualis ſit Virtus, & quænam vitia ſint eidem oppoſita. 256.

*Forum.*

Eſt triplex, alius *Contentioſus*, alius *Pœnitentialis*, alius forus *Conſcientiæ*. 137.

*S. Franciſcus. Franciſcani.*

S. P. N. Franciſci Regula fuit immediatè dictata à Chriſto Domino. 89.
S. P. N. Franciſci Religio incepit Anno 1208. Sub eadem militant Fratres Minores Obſervantes, Reformati, Recollecti, Capucini, Conventuales, Clariſſæ, & Tertiarii. ibidem
Religio S. Franciſci vovet perfectiſſimam obedientiam, Paupertatem, & Caſtitatem. 102.
Ex Religione S. P. N. Franciſci Regularis Obſervantiæ non licet ulli ad aliam Religionem tranſire. 103.
Duodecim Prærogativæ Ordinis noſtri Seraphici adducuntur. 158.
Franciſcanorum Caputium nequeunt portare Tertiarii, & Eremitæ. 105.
Franciſcanorum Privilegium tempore Interdicti circa Celebrationem ſuorum Feſtorum. 145.

## G

*Gratitudo.*

Qualis ſit virtus, & quale ſit ei oppoſitum Vitium. 157.

# H

*Hæretici.*

HÆretici an obligentur Legibus Eccleſiaſticis. 34.
Hæretici incurrunt Cenſuras. 128.
Hæretici an poſſint ſepeliri in Loco ſacro. 131.
An Catholici poſſint comitari funus Hæretici. ibidem.
An Sacerdos Catholicus poſſit legere Miſſam prò ſtipendio ad Intentionem Hæretici. 130.
An Hæretici peccent adeundo templa Catholicorum tempore Celebrationis Miſſæ. 132.
In Hæreſim lapſus quis dicatur. 136.

*Humilitas.*

Qualis ſit Virtus, & quæ Vitia ſint eidem oppoſita. 155.

# I

*Ignorantia.*

IGnorantia Legis naturalis an detur. 10. An excuſet à peccato. 11.
Ignorantia inculpabilis excuſat ab incurrenda Cenſura. 121.

*Immunitas Eccleſiaſtica.*

Immunitas Eccleſiaſtica quid ſit, & quotuplex. 81.
Immunitate Eccleſiaſtica *Reali* gaudeat Bona Eccleſiarum, & Perſonarum Eccleſiaſticarum. 82.
Immunitate Eccleſiaſtica *Perſonali* gaudeat omnes Clerici, & Regulares. 82. Item caſæ Eccleſiaſticæ. 82 Itaut à Clericis, & Regularibus nequeant Domini Temporales exigere Tributa, Vectigalia, Acciſas, nec extraordinarias Contributiones, niſi concurrentibus ſex conditionibus ſpecificatis. 83.
Immunitas Eccleſiaſtica Localis, ſeu Jus Aſyli, quo Jure introducta ſit. 83. Quibus locis competat. 84. Et quibus Perſonis. 84. Et quibus non competit, ſeu quænam crimina non gaudeant Aſylo. 84.
Immunitatis Localis, ſeu Aſyli Effectus enumerantur. 85. Reus ad Aſylum, ſeu Immunitatem confugiens debet recipi. ibid. Nec poteſt inde extrahi. 85. Si verò commiſit crimen non gaudens Aſylo, debet Reus cuſtodiri, & tradi Curiæ ſæculari, ſi petat, ſed ſub certo modo. 85. & 86.
Extrahens ex Immunitate Aſyli Reum vi, vel fraude &c. peccat mortali Sacrilegio, & tenetur Reum ſic extractum reſtituere Loco Sacro. 86. Et incurrit Excommunicationem Papæ reſervatam, à qua tamen Regulares Mendicantes abſolvere poſſunt. 86.
Violans Immunitatem Realem, vel Perſonalem peccat mortaliter, tenetur que omnia reſtituere, quæ ab Eccleſiis, & Eccleſiaſticis Perſonis aut Earum Bonis exegit. 87. Et incurrit ipſo facto Excommunicationem Papæ reſervatam in Bulla Cœnæ Domini. 87.

*Imperator.*

Poteſt ferre Leges Civiles pro toto Imperio, ſed non pro toto Mundo. 28.

*Impotentia.*

Phyſica & moralis faciendi id, quod ſub Cenſura præcipitur, excuſat ab incurrenda Cenſura. 123.

*Impuberes.*

An poſſint incurrere Cenſuram, vel Irregularitatem. 34.

*Infantes.*

An teneantur Legibus Humanis. 34.

*Infideles.*

An teneantur Legibus Eccleſiaſticis. 34.

*Incorrigibilis.*

Quiſnam dicatur in Ordine ad ejectionem è Religione. 103.

*Inhabilitas.*

Ad Beneficia, Dignitates, & Officia Eccleſiaſtica qualis ſit pœna. 151. Quis in ea poſſit diſpenſare. ibid.

*Innocentia.*

Cenſuratı excuſat ab incurrenda Cenſura. 121.

*Inquiſitio.*

Ad Inquiſitionem *Generalem* non requiritur, ut præceſſerit Infamia. 109.
Inquiſitio *Mixta* prærequirit Infamiam. 109. Sicut etiam Inquiſitio *Specialis*. 109.
In Inquiſitione Generali ſubditi non debent deferri occulta crimina, *Excipe*: Niſi dum eſt Paterna Viſitatio, ubi tamen debet eſſe præmiſſa fraterna Correctio. 109.

*Interdictum.*

Quid ſit. 143. Eſt triplex, *Locale*, *Perſonale*, & *Mixtum*. 143. An interdicta civitate ſint etiam interdicta ejus ſuburbia, ac ejus Eccleſia Cathedralis. Interdicta Eccleſia an ejus Cæmeterium ſit interdictum. Interdicto Populo an etiam ſint interdicti Innocentes, & Clerici. Interdicto Clerico an etiam ſint interdicti Religioſi, & econtra. 143.
Quiſnam poſſit interdicere. 143.
Quodnam ſit ſubjectum Interdicti. 144.

*Interdicti Effectus.*

Sunt Tres. Primus eſt privatio aliquorum Sacramentorum. 144. Secundus eſt Privatio Divinorum Officiorum. Tertius eſt Privatio Sepulturæ Eccleſiaſticæ. 145.
Violantes Interdictum qualiter peccent, & quales pœnas incurrant. 145.
Quinam poſſint tollere interdictum. 145.
Forma abſolvendi ab interdicto. 146.

*Interpretatio.*

Legis quid ſit. 47. Eſt Triplex, *Authentica*, *Uſualis*, & *Doctrinalis*. ibidem. Regulæ obſervandæ in interpretatione Doctrinali. 48. Interpretatio Doctrinalis extenſiva ubi Locum habeat. 48. An per Interpretationem Legis reſtrictivam, ſeu *EpiKiam* poſſit Lex deſinere obligare in caſu particulari. 49.

*Irregularitas.*

Quid ſit. 146. Irregularitatis Effectus explicantur. 149.
Irregularitas eſt Duplex, nimirum *ex Defectu*, & *ex Delicto*. 127.
Cauſa, ob quam fertur Irregularitas, explicatur. 147.
Subjectum Irregularitatis eſt omnis homo capax Ordinis, & ſubditus Juri communi. 147. An Ignorantia invincibilis excuſet ab incurrenda Irregularitate. 147.
Irregularitas quatuor modis tolli poteſt, nimirum *Suſceptione Baptiſmi*. 147.
*Profeſſione Religioſa*. 148. *Ablatione Cauſa*. 148. *Et diſpenſatione Legitima*. 148.
In omnibus Irregularitatibus poteſt diſpenſare Papa. 148. In quibus poſſint diſpenſare Epiſcopi. 148 In quibus poſſint diſpenſare Prælati Regulares. 148.
In quibus Confeſſarii Regulares deputati pro Conventu diſpenſare valeant. 150. In quibus Confeſſarii Regulares cum ſæcularibus diſpenſare poſſint. 150.
Irregularitas an incurratur, ſi quis ante effectum malum ſecutum doleat, aut confiteatur. 129.

*Irritans Lex.*

Quid ſit. 40. Lex irritans eſt triplex, nimirum *merè pœnalis*, *purè irritativa*, & *Mixta*. 40. Undè cognoſci poſſit, an Lex ſit irritans. 41. Qualiter obligent Leges irritantes merè pœnales. 40. Qualiter obligent Leges ipſo Jure irritantes. 41.

*Judex.*

Judex obligatur ad ſententiam ex præſcripto Legis ferendam. 23.
In Judice requiruntur quatuor conditiones, nimirum legitima Poteſtas, ſufficiens ſcientia, ut ſervet Juris Ordinem, & ſe Legibus conformet, & ut in exequenda ſententia à ſe lata ſit conſtans. 109.
Judex nequit inſtituere Inquiſitionem ſpecialem de aliquo, niſi præcedente Infamia. 109. Nec poteſt aliquem torquere niſi præcedente ſemiplena probatione. 110.
Judex non poteſt condemnare illum, quem certò novit criminis reum, ſi per legitimas probationes non comprobetur reus. 110.
Nec poteſt ad mortem condemnare illum, quem privata ſcientia novit eſſe Innocentem, etſi probetur reus. 110.
Judex nequit remittere Pœnam à Lege taxatam. 110.
Quænam in Judicio Regulari à Judice Regulari ſint obſervanda. 110.
Judex tribus modis poteſt procedere contra Reum, nimirum via Accuſationis, Denunciationis, & Inquiſitionis. 109.
An Excommunicatus poſſit eſſe Judex. 133.
Ad plenam in Judicio probationem requiruntur duo teſtes Conteſtes Jurati. 117.

*Juriſdictio.*

Juriſdictio quid ſit, & quotuplex, & qualiter Contentioſa differat à Voluntaria. 20. & 116. Duplex eſt, una in foro externo, altera in foro conſcientiæ, vel Sacramentali, vel non Sacramentali. Item alia eſt ordinaria, alia delegata, & quænam ſit inter has differentia. 25.

*Jus.*

Jus gentium quid ſit, & quomodo differat à Lege naturali. 9.
Juris Canonici partes referuntur. 18 Juris Civilis partes ſpecificantur. Juris Canonici partes quænam obligent. 20.
Juris Civilis partes quænam obligent. 22.

# L

*Legitimatio.*

QUaliter Proles legitimetur à Papa per diſpenſationem in Impedimentis Matrimonii 61.

*Lex in Genere.*

Lex quid Nominis. 2. Lex quid rei. ibid. Eſſentia Legis in quo conſiſtat. 2. Promulgatio non eſt de Eſſentia Legis. ibid.

An

Digitized by Google

Ad valorem Legis requiritur, ut ſit ſtabilis, & perpetua. 2. & 3. Ut ſit Juſta, & obſervatu poſſibilis. 3. Ut ſit bono communi utilis, & ad aliud procurandum feratur. 3. Ut à Publica Poteſtate pro perfecta communitate feratur. 4.

*Legis Diviſio.*

Lex ut ſic dividitur in naturalem, & Poſitivam. 5. In affirmativam, & Negativam 5. In favorabilem & odioſam, 5. Lex DEI æterna quid ſit. 5.
Cauſæ Legis quatuor enumerantur. 5. Effectus Legis tres recenſentur. 5. Actus Legis ſunt quatuor, nimirum *Præcipere, prohibere, permittere, & punire.* 5.

*Obligatio Legis ut ſic.*

Lex (*idem eſt de Præcepto*) obligat ex ea virtute, quam Legislator, vel præcipiens intendit. 6.
Obligationi Legis, vel Præcepti poteſt etiam ſatisfieri per actionem ex fine, vel Circumſtantia extrinſecè vitiatam. 6.
Pluribus Legibus uno, & eodem actu ſatisfieri poteſt extra Materiam Juſtitiæ, & niſi aliud colligatur ex mente Legislatoris. 6.
Pluribus Legibus, & Præceptis poteſt eodem tempore ſatisfieri per plures actus, quando unus non impedit alterum debite exercendum. 7. Afferuntur caſus.

*Lex Naturalis.*

Formaliter eſt actus Divinæ voluntatis, neceſſariò præcipiens, aut prohibens actiones habentes intrinſecam Convenientiam vel Diſconvenientiam ad naturam rationalem quà talem. 8.
Non ſolùm prima morum Principia, ſed etiam concluſiones ex eis neceſſariò deductæ ſunt Materia Legis Naturalis. 8 Lex Naturalis obligat omnes homines in conſcientia. 9. Differentia Legis Naturalis à Jure Gentium. 9.
Lex Naturalis non eſt propriè mutabilis, aut diſpenſabilis. 9. & 10. Eſt tamen interpretabilis. 10. Non tamen per ullam conſuetudinem abrogabilis. 10. Nec invincibiliter ignorabilis ab Homine rationis compote. 10.

*Lex Vetus, ſeu Moſaica.*

Immediatus Legislator Legis veteris fuit DEUS. 11. Lex vetus continebat triplicis generis Præcepta, nempe *Moralia, Cæremonialia, & Judicialia.* 11. Lex vetus per ſe loquendo ſolos obligavit Judæos. 12. Et quidem in conſcientia. 12. Ac etiam ſub mortali. 13. Non tamen cum periculo mortis, niſi quoad Præcepta moralia negativa, quæ in Decalogo continentur. 13.
Lex vetus ceſſavit introducto Evangelio. 13. Non tamen ſtatim deſiit obligare in Nativitate Chriſti, vel ante mortem illius. 14. Nec præcisè in Morte Chriſti, ſed à Promulgatione Legis novæ factæ in Pentecoſte. 14. Ubi licèt fuerit mortua, non tamen ſtatim fuit Mortifera, ſed aliquo tempore poſt illius abrogationem licitum fuit ſervare Præcepta Cæremonialia, quamvis non fuerit neceſſarium 15. Quo præcisè tempore Lex Moſaica cœperit eſſe mortifera. 15.

*Lex Nova, ſeu Evangelica.*

Chriſtus Dominus inſtituit Legem Novam, ſeu Evangelicam. 16 Quæ Legem veterem multis modis excellit. 16. Lex Evangelica triplicia continet Præcepta, nimirum *Moralia, Sacramentalia, & Theologica.* 16. Lex nova obligat omnes homines, & quidem in conſcientia. 17.
Lex Evangelica incœpit obligare in die Pentecoſtes. 17. Et durabit uſque ad finem Mundi. 17
Lex Evangelica eſt abrogabilis, & diſpenſabilis per Poteſtatem Divinam. 17. Non tamen per poteſtatem Humanam. 17. Patitur tamen Interpretationem Humanam. 18.

*Lex Humana.*

Continetur maximè in Jure Canonico, & Civili. 18. Jus Canonicum ſex complectitur partes, quæ ſpecificantur. 18. Jus Civile dividitur in quinque partes, quæ enumerantur. 18.

*Legis Humanæ Cauſa Effectiva.*

Poteſtas ferendi Leges Eccleſiaſticas, eaque Ordinaria reſidet in Summo Pontifice, primariò, & illimitatè reſpectu omnium Chriſtianorum. 20. Et quidem Jure Divino. ibid. In aliis verò Eccleſiæ Prælatis reſidet Poteſtas ferendi Leges Eccleſiaſticas, ſed limitatè, ac reſpectu ſibi ſubditorum tantùm, & quidem nonniſi Jure Pontificio. 20. Hinc habent Poteſtatem ferendi Leges Eccleſiaſticas *Concilia Œcumenica.* 21. Dummodò acceſſerit Confirmatio Summi Pontificis, ibid. Item Concilia *Nationalia, Metropolitica, & Diœceſana.* 128. Item Archi-Epiſcopi, Epiſcopi. 21. Item Capitulum Cathedrale Sede vacante. 21. Item Prælati Majores Religionum. 2. Non tamen Abbatiſſæ, aut Superiorissæ Monialium. 22.
Poteſtas ferendi Leges Civiles jure naturæ reſidet in ipſa communitate. 22. Imperator poteſt ferre Leges pro toto Imperio. 22. Reges & Principes ſupremi poſſunt in, & pro ſuis Regnis, & Provinciis ſibi ſubditis Leges ferre. 23. Etiam Regina Hæres regni habet Poteſtatem Legislativam Civilem. 23. Principes Inferiores non poſſunt Leges condere, niſi hoc eis à Principe Supremo condatur. 23. Quid dicendum de Principibus S. R. Imperii. 23. Papa extra Statum Eccleſiaſticum nequit condere Leges Civiles. 23.

*Materia, & Forma Legis Humanæ.*

De Materia Legis humanæ *Remiſſive*, niſi quòd actus externus etiam occultus ſit materia Legis humanæ. 24.
Forma Legis alia eſt *Intrinſeca*, alia eſt *Extrinſeca*. 24
Promulgatio Publica, & ſolemnis requiritur ad hoc, ut Lex Humana actu obliget. 24.
Leges Imperiales non obligant, niſi poſtquam fuerint promulgatæ in ſingularum Imperii Provinciarum Metropoli. 24. Leges Imperii debent eſſe duobus Menſibus promulgatæ, computando à die publicationis in Provincia, antequam in illa vim ſuam exerceant. 25. Extra Terras Imperii Romani, aut in quibus Jus Cæſareum non ſervatur, pro ſingulis regnis, & Principatibus ſufficit una promulgatio, facta in Metropoli. 25.
Lex Eccleſiaſtica ad hoc, ut obliget, non exigit per ſe loquendo lapſum duorum Menſium: ſed præcisè, ut promulgetur in Eccleſia Matrice, ſi Epiſcopalis ſit. 25. Et ut promulgetur Romæ, ſi ſit Pontificia, ac totam Eccleſiam obligans. 25.
Nec Lex Eccleſiaſtica, nec Civilis quoad ſuum valorem dependet ab acceptatione ſubditorum. 26.

*Effectus, ſeu Obligatio Legis Humanæ.*

Omnis Lex Humana tam Eccleſiaſtica, quàm Civilis obligat in conſcientia. 27. Si non ſemper ad actum præſcriptum, tamen ad pœnam. ibid.
In Materia gravi Lex humana poteſt obligare graviter, ſeu ſub mortali. 28. Ac etiam leviter, ſeu ſub veniali. 28. Nequit tamen in materia omninò levi obligare ſub mortali. 29. Lex Humana tunc obligat graviter, ſeu ſub peccato mortali, quando Legislator id expreſsè, vel æquivalenter declarat. 29.
Lex Humana non obligat cum periculo mortis, aut alterius gravis damni, vel mali, niſi quando Legis obſervatio eſt moraliter neceſſaria ad Bonum publicum conſervandum. 29. Vel quando Violatio Legis humanæ cederet in contemptum fidei, aut Eccleſiaſticæ Poteſtatis. 30
Quando & quomodo peccet, qui ſe reddit impotentem, vel ponit impedimentum, vel quærit Exemptionem à Lege. 30.

*Subjectum Legis Humanæ.*

*Legislator* tenetur ſuis Legibus quoad vim directivam indirectè tantùm. 31. Hinc Papa eſt exemptus ab omnibus pœnis canonicis Jure Humano introductis. 31. Si Legislator non obſervet ſuas Leges, an graviter peccet. 32.
*Clerici, & Regulares* non obligantur Legibus Civilibus, quæ de perſonis, Locis, & rebus Eccleſiaſticis *Specificè* diſponunt. 32. Secùs eſt de Legibus Civilibus generaliter aliquid in publicam utilitatem ſtatuentibus, nec continentibus aliquid Statui Clericali, vel Regulari contrarium; his enim ligantur, ſed tantùm quoad vim directivam indirectè. 32
Regulares non Exempti à Juriſdictione Epiſcopi ſtringuntur ejus Legibus. 32. Regulares verò Exempti non obligantur Legibus Epiſcopalibus nec directè, nec indirectè. 32. Niſi in quibusdam caſibus qui ſpecificantur. 32. 33
*Infideles* baptizati obligantur Legibus Eccleſiaſticis, non verò infideles non baptizati. 34
*Infantes* nondum Septennes, etſi doli capaces non obligantur Legibus Humanis, nti nec perpetuò Amentes. 34. Si verò fuerint Septennes, & doli capaces, obligantur omnibus Eccleſiæ præceptis, quorum Materia ipſorum ætati eſt conveniens, 32.
*Pueri, & Puellæ* Septennio majores, ſed adhuc impuberes, an poſſint incurrere Cenſuras, & Irregularitatem. 35.
*Amentes deliberantes tantùm per Intervalla*, ac *Ebrii* an ligentur legibus humanis. 35.
*Peregrini exigentes extrà ſuum Territorium*, an ligentur legibus ſui Territorii. 35. & ſequentibus. Quid dicendum de ſubdito exiſtente intra ſuum Territorium, ſed in loco Exempto, an teneatur Legibus Specialibus ſui Territorii. 36. Varii caſus circa hanc materiam reſolvuntur. 36.
Peregrini an, & quibus Legibus Specialibus Territorii, quod tranſeunt, obligentur. 47.
*Vagi ſeu Vagabundi* an obligentur Legibus locorum quæ tranſeunt. 37.

*Lex Humana in Specie.*

*Lex Perſonalis* quid ſit. 38. Dividitur in Legem pœnalem *ferendæ ſententiæ*, & *latæ Sententiæ*. 38. Qualiter obliget Lex pœnalis ferendæ Sententiæ. 38 Judex tenetur pœnam imponere, ſi Lex ita præcipiat. 38. Pœnæ aliquæ ſunt *Poſitivæ*, aliquæ *Privativæ*, aliquæ *Conditionales*. 39.

Leges pœnales, quæ inferunt pœnas privativas Spirituales, vel Conditionales, an obligent ante ſententiam Judicis. 39. Varii caſus circa hanc Materiam reſolvuntur 39. An damnatus ad mortem, vel Mutilationem poſſit fugere, ſi via effugiendi pateat. 40. An poſſit effringere Carcerem, & an alii ad hoc poſſint cooperari. 40.

*Lex Irritans* quid ſit. 40. An Legiſlator Humanus poſſit aliquos actus irritare. 40 Lex irritans eſt triplex, videlicet *merè pœnalis*, *purè irritativa*, & *Mixta*. Item Lex ſubinde irritat *Civiliter tantum*, aliquando etiam *Naturaliter*. 40. Unde cognoſci poſſit, an Lex ſit tantùm prohibens, an etiam irritans. 40.

Lex Irritans merè pœnalis an obliget ante Sententiam Judicis. 40. Qualiter obliget Lex ſimul prohibens, & irritans. 41. Si Lex ipſo Jure irritet, qualiter obliget. 41. An Teſtamentum ad cauſas profanas conditum ſine ſolemnitatibus Juris Civilis ſit irritum, & invalidum, non tantùm pro foro externo, ſed etiam interno conſcientiæ. 41.

Lex in Præſumptione fundata quid ſit. 43. Lex fundata in Præſumptione Juris an obliget in conſcientia etiamſi in caſu particulari præſumptio fallat. 43. Lex fundata in Præſumptione facti an obliget in conſcientia, quando fallit præſumptio. 43.

*Conſuetudo* an habeat vim abrogandi Legem veterem, & novam inſtituendi. 43. Quot requirantur Conditiones, ut conſuetudo abroget Legem veterem, & inſtituat novam. 43. Conſuetudo poteſt introduci per actus formaliter malos. 45. Conſuetudo poteſt abrogare Legem Humanam, non tamen Divinam, aut Naturalem. 45.

*Ceſſatio Legis Humanæ.*

Lex Humana ceſſat, vel per *Ceſſationem cauſæ finalis*, vel per *Legis abrogationem*, vel per *interpretationem*, *ſeu EpiKiam*, vel per *diſpenſationem*, vel per *Privilegium*, 45. Quando finis Legis adæquatus univerſaliter ceſſat, ceſſat etiam Legis obligatio. 45. Si finis Legis in Præſumptione periculi fundatæ in caſu particulari ceſſet ſolùm negativè, non ceſſat obligatio Legis. 46.

Legem abrogare poteſt Legiſlator, ejuſque in Officio ſucceſſor, vel in Juriſdictione Superior. 46. Si Legis Humanæ abrogatio fiat ſine juſta cauſa à Superiore ordinario, eſt quidem valida, ſed illicita. 47. Si verò fiat ab Inferiore, nec eſt valida, nec licita. 47. Ceſſatio Legis per Interpretationem ſeu EpiKiam. 47. Quid ſit Interpretatio Legis. 47. In Interpretatione Doctrinali quales ſint obſervandæ Regulæ. 47. Per Interpretationem Legis reſtrictivam ſeu EpiKiam poteſt Lex deſinere obligare in caſu Particulari. 49. Ceſſatio Legis per diſpenſationem. 49. Quid ſit diſpenſatio, quæ ad ejus valorem requirantur, quinam diſpenſare poſſint, qualiter diſpenſationes S. Pœnitentiariæ Romanæ petendæ, & exequendæ ſint, &c. Vide ſuprà V. *Diſpenſatio*.

Ceſſatio Legis per Privilegium. 62. Item quid ſit Privilegium, quiſnam Privilegium concedere poſſit, quænam ſint Privilegia Clericorum, & Regularium, & quomodo amittantur Privilegia. Vide infra V. *Privilegium*.

*Liberalitas.*

Virtus quid ſit, & quænam vitia ſint eidem oppoſita. 158.

# M

*Magnanimitas.*

QUalis ſit virtus, & quænam vitia ſint eidem oppoſita. 156.

*Mandans.*

Si revocet ſuum Mandatum, an incurrat Cenſuram, Irregularitatem, & caſum reſervatum. 118.

*Manſuetudo.*

Qualis ſit virtus, & quænam vitia ſint eidem oppoſita, 155.

*Matrimonium.*

Matrimonium ſtudio Contractum in Loco, ubi non eſt promulgatum Concilium Tridentinum, an valeat. 36.

In Impedimentis Matrimonii, qualiter ſit petenda diſpenſatio & exequenda. 55.

An etiam Regulares Mendicantes poſſint diſpenſare in aliquibus Matrimonii Impedimentis. 57.

Formula diſpenſandi in Impedimentis Matrimonii. 62.

*Medicus.*

Medici tenentur Infirmos inducere, ut confiteantur, & accipiant Viaticum; item tenentur eos monere de periculo mortis. 114. Medici nequeunt diſpenſare in jejunio, ſed tantùm declarare, an hìc, & nunc obliget præceptum jejunii ob infirmitatem, vel an adſit ſufficiens cauſa, ut Superior Eccleſiaſticus diſpenſet, 114.

*Mendacium.*

Quid ſit. 158. Eſt Triplex, nimirum *Jocoſum*, *Officioſum*, & *pernicioſum*. ibid. Omne Mendacium eſt ita intrinſecè malum, ut nullo caſu ſit licitum. 158.

*Metus.*

Gravis injuſtè incuſſus ad extorquendum actum excuſat ab incurrenda cenſura. 122. Reddit Profeſſionem Religioſam invalidam. 91.

*Miſſa.*

Miſſam an audiat, qui ſub ea conſcientiam examinat, ſe præparat ad Confeſſionem, & confitetur, vel Confeſſiones audit. 7.

Qui vovit plures Miſſas audire, an ſatisfaciat, ſi plures ſimul audiat. 7.

Miſſam an teneatur audire Peregrinus in feſto ſpeciali ſui Territorii, antequam exeat ſuo Territorio. 37.

Regulares Mendicantes non poſſunt ab Epiſcopis prohiberi, quin Miſſas in propriis, & alienis Eccleſiis celebrent. 106. Miſſas diebus Dominicis, & Feſtivis in Eccleſiis Mendicantium Religioſorum audientes ſatisfaciunt præcepto Eccleſiæ, 106.

*Modeſtia.*

Qualis ſit virtus, & quænam vitia ſint eidem oppoſita. 155.

*Monaſterium.*

Monaſteriis, eorum Clauſtris, Cellis, Hortis, Areis, Habitaculis, Domui, Familiæ, ſtabulis animalium, Officinis, & aliis Locis intra Monaſteriorum ſepta contentis competit Jus Aſyli. 84.

Monaſteriorum Clauſura quouſque ſe extendat. 98. An etiam ſacriſtias comprehendat. 98. Et quas Perſonas comprehendat. 99.

Monaſteria Regularium Virorum quando poſſint ingredi Mulieres. 100.

*Moniales.*

Moniales obligantur ad Clauſuram quoad Egreſſum. 98. Cauſæ ſpecificantur, ob quas Monialibus dari poteſt licentia exeundi è Clauſura. 98. Quis poſſit dare licentiam. 99.

Monialium Clauſuram nemo nec vir, nec fœmina ingredi poteſt. 96 Exceptis Infantibus & Puellis, quæ bonæ Educationis, & Inſtructionis gratia ingrediuntur cum certis conditionibus. Item exceptis Imperatoribus, Regibus, S. R. I. Electoribus, & eorum Uxoribus ac Prolibus. Item Exceptis Fundatricibus. 99.

Monialium Clauſuram in caſibus Neceſſariis poſſunt ingredi Medici, Chirurgi, Operarii, Hortulani &c. Item Confeſſarius earundem. Item Superiores earum. 99. Ad licitè ingrediendam Clauſuram Monialium requiritur præter neceſſitatem moralem etiam licentia Superioris, & cujus Superioris. 100. Quamdiu aliquis finito negotio ſe poſſit detinere in Clauſura Monialium. 100.

# N

*Notarius.*

QUales debeat habere conditiones, & quando peccet, contra ſuum Officium. 113.

*Novitius Religioſus.*

Novitius Religionis quis eſſe poſſit. 90.

Novitius Religionis debet habere debitam ætatem. 90.

Non debet eſſe alteri obligatus. 90. Corpore non vitiatus. 90. Non criminoſus, aut infamis. 90. Obſervanda adhuc multa circà Novitios. 90. Novitii liberè Religionem deſerere poſſunt. 90. A Religione ſine Juſta cauſa expelli nequeunt. 90. Gaudent Privilegiis, & Indulgentiis Religionis, quam ingreſſi ſunt. 91.

Novitius poteſt retinere Beneficium, & percipere ejus fructus, donec emittat Profeſſionem. 91. Novitio egredienti debent omnia reſtitui, quæ ſecum tulit ad Religionem. 91. Novitii nondum tenentur ad Tria vota, neque ad præcepta, neque ad Statuta Religionis ſub culpa, ſed ſub pœna. 91.

Novitius egrediens ad nullas tenetur expenſas in ſui victum, & veſtitum &c. factas. 91. Circa Novitios notandum eſt Decretum Concilii Tridentini *Seſſ. 25. de Regularibus. cap. 16* De Renuntiationibus, obligationibus, Teſtamentis Novitiorum. 92. Circa Novitias Moniales notanda eſt diſpoſitio Concilii Tridentini *Seſſ. 25. de Regularibus, cap. 17.* De examine earum ab Epiſcopo ante Profeſſionem, 92.

Novitii poſſunt validè confiteri, & abſolvi à peccatis, etiam intra Ordinem reſervatis abſque licentia Prælatorum Religionis. 92.

# O

*Obedientia.*

Virtus quid ſit. 157. Quotuplex ſit, ibid. Obedientiæ variæ ſunt ſpecies. 157. An obedientia formalis ſit ſub præcepto, hoc eſt, an ſubditus teneatur opus præceptum ſub hac ratione, qua præceptum eſt, implere? 157. Obedientiæ opponitur inobedientia, eſtque duplex materialis, & formalis, & quale ſit peccatum. 157.

*Obedientiæ Votum.*

Ex obedientiæ Voto ad quid teneatur Religioſus. ant. An Religioſus teneatur obedire ſuo Prælato præcipienti actus merè internos. 101. An Religioſus teneatur obedire ſuo Prælato præcipienti, ut ſe exponat periculo mortis, v. g. ut ſerviat Peſtiferis. 101. & 102.

*Oblationes.*

Quid ſint. 80. Quo Jure debeantur. 81. Ad quem ſpectent oblationes in Eccleſiis Regularium, ad quem pertineant. 81.

*Obſervantia.*

Qualis ſit virtus, & quale habeat objectum. 157. Obſervantiæ opponitur vitium inobſervantiæ, quale ſit peccatum. 157.

*Officia.*

Quænam requirantur in eligendis ad Officia Eccleſiaſtica. 76.

An ad Officia ſæcularia debeat eligi dignior. 78. Item an poſſint licitè vendi. 79.

# P

*Papa.*

Papa nequit diſpenſare in Lege Divina. 17. & 18. Papa poteſt ferre Leges Eccleſiaſticas pro omnibus Chriſtianis. 20. Papa non poteſt condere Leges Civiles extra ſtatum Eccleſiaſticum. 23.

Papa eſt exemptus ab omnibus pœnis Canonicis Jure humano introductis. 32.

Papa poteſt diſpenſare in toto Jure Canonico, quatenus eſt Eccleſiaſticæ Poteſtatis, & concernit mores. 50. Papa poteſt diſpenſare cum omnibus fidelibus totius Mundi in iis, quæ ſunt Juris humani Eccleſiaſtici. 51.

Papa poteſt diſpenſare in omni Irregularitate, & quidem Jure ordinario. 148.

Papa noſtro Capitulo Generali ſæpius perſonaliter præſedit. 159.

In Coronatione Papæ *Tertia Collecta* canitur de *S. P. N. Franciſco*, 159.

*Parochia, Parochus, Parochiani.*

Parochia quid ſit. 79. Jura Parochialia Eccleſiæ, & Parocho competentia recenſentur, 79. Quinam dicantur Parochiani. 79. Quæ ſit obligatio Parochorum erga Parochianos. 79. & 80. Parochus tenetur ſuis Parochianis adminiſtrare Sacramenta etiam cum periculo vitæ, tenetur pro iisdem Sacrificium offerre, concionari, docere Catecheſin, habere curam pauperum, viſitare infirmos, &c. 80.

Parochi tenentur ad Reſidentiam in ſuis Eccleſiis Parochialibus. 74. Quamdiu Parochus poſſit abeſſe à ſua Parochia. 74.

Parochus in quibus Præceptis Eccleſiæ diſpenſare poſſit, 50. Parochus nequit ferre Cenſuras. 117.

*Patientia.*

Qualis ſit virtus, & qualia vitia habeat ſibi oppoſita. 156.

*Patronus, Juspatronatus.*

Juspatronatus quid ſit. 78. Patrono Eccleſiæ competunt quatuor Jura. 78. Patronus pro Beneficio curato tenetur præſentare digniorem. 78. Patronus habet duo onera, ſeu obligationes. 78.

*Paupertas Religioſa.*

Ex voto Paupertatis Religioſus tenetur nihil habere proprium. 97.

Paupertas Religioſa quid ſit. 97. Quibus Bonis privet Paupertas Religioſa. 97. An privet Beneficio Eccleſiaſtico. 97. An privet Dominio Manuſcriptorum. 97. An privet actibus miſericordiæ ſpiritualibus. 97.

Ex voto paupertatis obligatur Religioſus habere licentiam à ſuo Superiore ad licitè utendum rebus temporalibus. 97. Et qualem licentiam. 97.

An peccata levia contra Paupertatem Religioſam facta coaleſcant in peccatum mortale. 98.

*Peregrini.*

An teneantur Legibus Specialibus ſui Territorii, quando extra ſuum Territorium exiſtunt. 35.

Peregrini an teneantur Legibus Specialibus loci, quem tranſeunt. 37.

An Ordinarius Loci poſſit diſpenſare cum Peregrinis. 36.

*Pietas.*

Qualis ſit virtus. 157. Quale habeat objectum. Ibidem Quale habeat vitium oppoſitum. 157.

*Pœna.*

Eccleſiaſtica quid ſit, & quotuplex. 157. Quis in Pœnis Eccleſiaſticis cum Regularibus, & Sæcularibus diſpenſare poſſit. 151.

*Pœnalis Lex.*

Quid ſit, & quotuplex. 38. An & quando obliget ante ſententiam Judicis, & poſt ſententiam Judicis. 38.

*S. Pœnitentiaria Romana.*

Pœnitentiaria Romana in quibus impedimentis Matrimonii poſſit diſpenſare. 57.

Formula petendi à S. Pœnitentiaria Romana aliquam diſpenſationem, præſertim in impedimentis Matrimonii. 57.

Modus exequendi diſpenſationes S. Pœnitentiariæ Romanæ. 58. & 59.

Declaratio Clauſularum in diſpenſationibus S. Pœnitentiariæ contentarum. 59.

Quinam poſſint exequi Litteras diſpenſatorias S. Pœnitentiariæ Romanæ. 59. An Lectores Jubilati noſtri Ordinis. 59. An Licentiati Theologiæ, vel Juris Canonici. 59.

*Portio Canonica Parochialis.*

Fratres Minores, ac complures aliæ Religiones, earumque Eccleſiæ, ac Loca pia exempti ſunt à ſolutione portionis Canonicæ Parochialis. 108.

*Præceptum.*

Præceptum quomodo differat à Lege. 4. Præceptum qualiter obliget. 6. Pluribus præceptis an poſſit ſatisfieri per plures actus eodem tempore. 7.

*Prælati Regulares.*

Prælati Regulares poſſunt ferre Leges. 21.

Qualiter in Ordine noſtro Seraphico. 22.

Prælati Regulares poſſunt ferre cenſuras. 217.

Prælati Regulares Mendicantes poſſunt abſolvere ſuos ſubditos ab omnibus Caſibus, à quibus poſſunt Epiſcopi de jure ſuos. 39. Hæc poteſtas videtur etiam extenſa ad Prælatos locales. 239.

Prælati Regulares an poſſint ſuos ſubditos abſolvere à caſibus Bullæ Cœnæ. 139.

Prælati Regulares an cum ſuis Religioſis ſubditis poſſint diſpenſare in Irregularitatibus. 149. Item an cum ſuis ſubditis poſſint diſpenſare in aliis Pœnis Eccleſiaſticis. 152.

In Prælatos eligendi quales debeant habere qualitates & conditiones. 76.

*Primitiæ.*

Quid ſint, & an ſit obligatio eas offerendi. 80.

*Principes S. R. Imperii.*

Habent à Cæſare *Regalia*, & Legiſlativam poteſtatem. 23.

*Privatio Officiorum.*

Dignitatum, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum qualis ſit pœna Eccleſiaſtica 151.

Pœna privationis Officiorum, Beneficiorum, actuum legitimorum, confiſcationis bonorum temporalium &c. an obligent ante ſententiam criminis declaratoriam, etſi ipſo jure imponantur. 39.

*Privilegium.*

Quid ſit. 62. Ejus Diviſio. 63. Privilegium quis concedere poſſit. 63. & quibus. 63.

An quis poſſit uti Privilegio extra Territorium concedentis: 63.

*Privilegiorum Communicatio.*

Privilegiorum communicatio an ſit inter Regulares, & qualis. 64.

An Regulares Mendicantes communicent etiam in Privilegiis Societatis JESU. 64.

An Clariſſæ, Tertiariæ, & aliæ Moniales ſubditæ Franciſcanis gaudeant eorumdem Privilegiis. 64.

Qualiter ſit intelligenda communicatio Privilegiorum. 64.

*Privilegiorum Ceſſatio.*

Privilegia ceſſant multis modis. 65. Privilegium *Perſonale* perit pereunte perſona: *Reale* pereunte re. 65. Item per abuſum. Item ſi ceſſet cauſa. 65.

Privilegium etiam ceſſat per renunciationem, & per non uſum. 65. Non tamen ſemper. ib.

Privilegium an pereat per mortem concedentis naturalem, & Civilem. 66.

Privilegium quando pereat, ſi ſit conceſſum *ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ, uſque ad Revocationem noſtram, donec vixero &c.* 66.

An Privilegium audiendi confeſſiones, abſolvendi à cenſuris &c. pereat mortuo concedente, ibid.

Quid de facultate diſpenſandi in impedimentis matrimonii data à S. Pœnitentiaria Romana. 66.

Privilegia ceſſant per revocationem. 66.

Qualiter fieri debeat revocatio, & an revocatio debeat promulgari. 66.

*Privilegia Clericorum.*

*Canonis*, & *fori* fusè explicantur. ibid.

*Privilegia Regularium.*

Recenſentur. 67. Quænam adhuc valeant. 68. An adhuc valeant vivæ vocis oraculo conceſſa? 68.

An valeat Privilegium adhuc, & de facto celebrandi miſſam in domibus ſæcularium. 69. An valeat Privilegium Regularium Itinerantium, ut ab uno Epiſcopo approbati poſſint iter agentes fidelium Confeſſiones audire &c. 69.

An Regulares vi ſuorum Privilegiorum poſſint in ſuis oratoriis privatis, imò in ſuis cellis Miſſam celebrare, & audire. 69.

An Superiores Regulares poſſint benedicere ſuarum & aliarum Eccleſiarum Paramenta Eccleſiaſtica. 69.

An Regulares mendicantes poſſint ordinari extra tempora, à quocumque Epiſcopo, tribus diebus Dominicis, vel feſtivis continuis, vel interpolatis; etiam non ſervatis interſtitiis. 69.

Plura de Privilegiis Regularium vide infra V. *Regulares.*

*Proceſſio.*

Proceſſiones an poſſint inſtituere Regulares, & quales. 106. Specialiter infra octavam Corporis Chriſti. 106.

Qualibus Proceſſionibus Regulares teneantur intereſſe 106. & 33.

An Prælatus Regularis poſſit intra Clauſtra Monaſterii inſtituere proceſſionem extraordinariam, ad hoc, ut fœminæ ingredi poſſint occaſione illius. 101.

Proceſſionibus non poteſt intereſſe excommunicatus. 131.

*Procurator.*

Quales debeat habere qualitates, & quando peccet contra ſuum Officium. 113.

*Profeſſio Religioſa.*

Profeſſio Religioſa quid ſit. 92. Quatuor Conditiones requiruntur ad ejus valorem. 92

An validè profeſſus contra ſuam profeſſionem reclamare, Religionemque deſerere poſſit. 94.

An nulliter profeſſum religio expellere poſſit ſine, vel cum interventu Ordinarii. 95.

Ad valorem profeſſionis Religioſæ requiritur ætas ſexdecim annorum completorum. 92. Item ut profitens nullum habeat impedimentum invalidans profeſſionem. 92.

Ad valorem profeſſionis requiritur annus probationis integer, & completus. 93. Si tamen Novitius, vel novitia verſetur in probabili periculo mortis, & annum decimumſextum jam compleverit, poteſt facere validam profeſſionem ante annum probationis finitum. 93.

Ad valorem profeſſionis requiritur conſenſus, & acceptatio illius, vel illorum, ad quos ſpectat aliquem ad profeſſionem recipere. 93. & 94.

Ex vi profeſſionis Religioſus ſub mortali tenetur tendere ad perfectionem. 96

Profeſſio Religioſa confert remiſſionem omnis culpæ, & pœnæ. 67.

Per Profeſſionem Religioſam vota, & Juramenta pia expirant, quænam. 67

Profeſſio Religioſa tollit Irregularitatem ex defectu natalium. 67. & 68. Item maculam quoad actus temporales. 68. Item ſolvit patriam poteſtatem, & delet ingratitudinis notam. 68. Item dirimit Matrimonium contrahendum, ac diſſolvit contractum, ſed ratum tantùm. 68.

*Proles.*

Ex Matrimonio invalido qualiter legitimentur per diſpenſationes S. Pœnitentiariæ Romanæ. 61.

*Promulgatio.*

Non eſt de eſſentia Legis. 2. Sed conditio adhoc, ut Lex actu obliget. 2.

Promulgatio Legum qualiter fieri debeat. 24.

Promulgari an debeat Legis abrogatio. 46. & 47.

*Prudentia.*

Quid ſit. 154. Quotuplex ſit. 154. Partes prudentiæ enumerantur. 154. Vitia Prudentiæ oppoſita recenſentur. 154.

*Pueri, & Puellæ.*

An teneantur jejunare, communicare, audire miſſam, &c. 34. & 35. An poſſint incurrere cenſuras, & Irregularitatem. 35.

# R

*Reges, Regina.*

Reges poſſunt ferre Leges Civiles pro ſuis Regnis, & Ditionibus. 23.

Regina Hæres Regni ſive nupta ſit, ſive innupta poteſt Leges Civiles condere pro ſuo regno. 23.

*Regimen.*

Eſt triplex; Monarchicum, Ariſtocraticum, & Democraticum. 22.

*Regulares, Religioſi.*

Regulares an teneantur Legibus Civilibus. 32.

Regulares exempti non tenentur Legibus Epiſcopalibus. 32. Exceptis quibuſdam caſibus ſpecificatis. 33.

Regulares exempti quando poſſint puniri ab Epiſcopo. 33. An teneantur ſervare dies feſtos Diœceſanos. 33. An teneantur accedere ad proceſſiones publicas. 33. An poſſint abſolvere ſæcu-


lares

lares ſine approbatione Epiſcopi. 33. An poſſint matrimoniis aſſiſtere. 103. An poſſint in ſuis Eccleſiis publicè exponere SS. Euchariſtiæ Sacramentum. 33. An poſſint inſtituere proceſſiones. 33.
An Regolares poſsint edere libros ſine licentia Ordinarii. 33.
An poſsint promulgare Indulgentias ſine licentia Ordinarii. 33.
An poſſint prædicare ſine licentia Epiſcopi. 34.
An poſſint aliquem è Religione tamquàm nulliter profeſſum expellere ſine licentia Ordinarii. 32.
Regulares Mendicantes poſſunt diſpenſare in quibuſdam impedimentis matrimonii, ſpecialiter in affinitate. 57. Item urgente neceſſitate in votis Papæ reſervatis. ibidem.
Regolarium exemptorum Prælati in quibus Legibus diſpenſare poſſint. 51.
Regularium Prælatorum Electio qualiter fieri debeat. 77.
Regulares non poſſunt egredi Monaſterio ſine licentia Superioris, & ejus benedictione; 100. Qualiter peccent egredientes ſine licentia Superioris. ibid.
Regulares admittentes mulieres intra Conventum quales pœnas incurrant. 100.
Quæ Officia, & actiones ſpecialiter ſint prohibita Regularibus, ſeu Religioſis. 104.
An Regulares poſſint eſſe teſtes coram Judice ſæculari, vel Eccleſiaſtico. 104.

*Regularium Privilegia.*

Regularium Privilegia enumerantur. 67.
Regulares in ſua profeſſione obtinent remiſſionem omnium peccatorum, & pœnarum. ibid.
Regularium Privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa quænam adhuc valeant. 68.
Regularium Privilegium celebrandi in domibus ſæcularium an adhuc valeat. 69.
Regularium itinerantium Privilegium, quòd poſſint ab uno Epiſcopo approbati, dum iter agunt, audire Confeſſiones in locis, in quibus Epiſcopus non exiſtit, an adhuc valeat. ibidem.
Regulares an poſſint celebrare Miſſas in ſuorum Monaſteriorum Capellis domeſticis, Oratoriis privatis, Cameris, Cellis, & an ibidem Miſſam audientes ſatisfaciant. 69.
Regularium Superiores an poſſint benedicere ſuarum, & alienarum Eccleſiarum Paramenta. 69.
Regulares Mendicantes an poſſint ordinari extra tempora à quocunque Epiſcopo, tribus diebus Dominicis, vel Feſtivis continuis, vel interpolatis, etiam non ſervatis Interſtitiis. ibid.
Regularium Privilegium tempore interdicti recenſetur. 145.
Regolares gaudent Immunitate perſonali. 82. Eorum bona gaudent Immunitate reali. 82. Ita ut ab eiſdem Domini territoriales nequeant exigere Tributa, Vectigalia, Acciſas, &c. niſi concurrentibus ſex conditionibus. 83.
Regulares Mendicantes extra Italiam poſſunt abſolvere à violatione Immunitatis Localis, ſeu Aſyli. 87.
Regulares Mendicantes, eorumque Eccleſiæ, Monaſteria, Hoſpitia, &c. ſunt Exempti à Juriſdictione Ordinariorum. 105. Hinc nequeunt Epiſcopi ferre cenſuras in Regulares, niſi in caſibus à Papa conceſſis. 105. Nec Epiſcopi poſſunt Regulares prohibere, ne oſtiatim mendicent. 105.
Nec viſitare Regularium Exemptorum Eccleſias, Monaſteria, Sacriſtias &c. niſi eis immineat cura perſonarum ſæcularium. 105.
Regulares exempti non tenentur accedere ſynodum, niſi habeant curam animarum. 105.
Regolares Mendicantes non poſſunt ab Epiſcopis prohiberi, quin Miſſas in propriis, & alienis Eccleſiis celebrent. 106.
Regulares ſemel ſimpliciter approbati ab Epiſcopo poſſunt in Diœceſi Epiſcopi approbantis quovis anni tempore etiam Paſchali, & quorumcunque etiam infirmorum confeſſiones audire, abſque ulla Parochi, vel ipſius Epiſcopi licentia. 106.
Regulares an ſuis famulis, hoſpitibus, & familiaribus adminiſtrare poſſint communionem Paſchalem, Viaticum, & Extremam Unctionem. 106.
Regulares quales poſſint inſtituere proceſſiones. 106. Quales poſſint facere Benedictiones. 106.
In Eccleſiis Regularium poſſunt ſæculares ſibi eligere ſepulturam relicta Parochia. 107. Et ſi defuncti ſæculares non elegerint ſepulturam in Eccleſiis Regularium, poſſunt hoc facere Hæredes, vel curatores ſuorum. ibidem.
In Eccleſiis Regularium nullus ſepeliri poteſt ipſis invitis, nec in ipſis fieri Divina ſuper corpore ibi ſepulto ſine licentia Superioris Regularis. 107.
Regulares extra clauſtra morientes ſunt ſepellendi in ſuis Monaſteriis, & Parochis inconſultis, & nulla eis ſoluta quarta Parochiali poſſunt ad Monaſterium deferri. 107.
Regulares an teneantur ſolvere portionem Canonicam Parochialem. 108.
Regulares inducentes aliquem ad eligendam ſepulturam apud ſuam Eccleſiam, quales incurrant pœnas. 108.
Regulares citati ab Ordinariis an teneantur comparere. 108.
Regulares tenentur ad exhibendam reverentiam Ordinariis locorum. 108. & 34.
Regulares Mendicantes poſſunt abſolvere ſæculares ab omnibus cenſuris etiam Papæ reſervatis, exceptis caſibus Bullæ Cœnæ, & quos Epiſcopi ſibi ſpecialiter reſervant, & exceptis particulatim inflictis, aut ad forum contentioſum deductis cenſuris. 137. Conſequenter poſſunt etiam abſolvere à violatione Immunitatis Eccleſiaſticæ, ſeu Aſyli, à violatione Clauſuræ Monialium, à provocatione, & pugna in duello, ab injectione violentarum manuum in Clericos, à Simonia reali, & confidentiali, ſed extra Italiam. 137.
Regolares Mendicantes poſſunt etiam abſolvere à Caſibus dubiè in Bulla Cœnæ contentis, item à procuratione abortus fœtus animati. 137.
Regulares habentes facultatem à Caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis abſolvendi, nequeunt ab iiſdem abſolvere, ſi Epiſcopi illos ſibi ſpecialiter reſervent. 137.
Regolares Mendicantes an poſſint cum ſæcularibus diſpenſare in Irregularitatibus. 150. in aliis pœnis Eccleſiaſticis. 151.
Regulares Prælati à quibus cenſuris poſſint abſolvere ſuos ſubditos. 139. In quibus Irregularitatibus, & pœnis Eccleſiaſticis poſſint cum eiſdem diſpenſare. 151.

*Religio, ſeu Status Religioſus.*

Quid ſit. 88. Ad verè, & propriè Religioſum quatuor conditiones requiruntur. 88. Religiones conveniunt in eſſentialibus, & differunt in accidentalibus. 88.
Religioſus Status eſt à Chriſto Domino inſtitutus. 89.
Religio dividitur *in contemplativam*, *activam*, *& mixtam*. 89. In *Clericalem*, *Monacalem*, *Mendicantem*, *& militarem*. 89.
Sunt quatuor principales Regulæ Religionum, videlicet *S. Baſilii*, *S. Auguſtini*, *S. Benedicti*, *& S. P. N. Franciſci*. 89.
Regula S. P. N. Franciſci fuit à Chriſto Domino dictata; & quæ Religiones ſub eadem militent, 89.
Ad Novitium Religionis quænam requirantur. 90. Quænam ſint obſervanda circa Novitios. 90. Vide plura ſuprà V. *Novitius Religionis, ſeu Religioſus.*
Religioſa profeſſio quid ſit. 92. Ad valorem profeſſionis Religioſæ requiruntur quatuor conditiones. 92.
Plura de Profeſſione Religioſa vide ſuprà V. *Profeſſio Religioſa.*
Religioſus invalidè profeſſus an poſſit contra ſuam Profeſſionem reclamare, & Religionem deſerere. 94.
Religio an poſſit expellere nulliter Profeſſum, & an ſine interventu Ordinarii. 95.
Religioſus ad quid obligetur vi ſuæ Profeſſionis. 96. Ad quid obligetur vi voti paupertatis. 97. Ad quid obligetur vi voti caſtitatis. 98. Ad quid obligetur vi voti obedientiæ. 98.
Religioſus factus Cardinalis, vel Epiſcopus ad quid obligetur. 101.
Religioſus tranſiens ab una Religione ad aliam ad quid obligetur. 103.
Religioſus ab ordine ejectus ad quid obligetur. 103.
Religioſus fugitivus, aut apoſtata ad quid obligetur. 104.

*Reſidentia.*

Clericorum quid ſit. 73. Ad Reſidentiam in ſuis Eccleſiis Cathedralibus tenentur Epiſcopi. 73. Et Parochi in ſuis Eccleſiis Parochialibus. 72. Et Canonici in ſuis Eccleſiis. 74
Epiſcopi quamdiu poſſint abeſſe à ſuis Eccleſiis. 73. Cauſæ excuſantes Parochum à Reſidentia. 74. An cauſa ſtudiorum excuſet à Reſidentia. 75.

*Reus.*

Damnatus à Judice ad mortem, vel mutilationem an poſſit fugere, vel effringere carcerem, vel an licitum ſit, eidem conſulere fugam, vel cooperari ad effractionem carceris. 40.
Reus legitimè non interrogatus non tenetur fateri veritatem. 113. Reus convictus, & damnatus ad mortem tenetur fateri ſuum crimen. 113.
Reus tormentis coactus, ſi denunciavit alium Innocentem, tenetur ſub mortali, etiam poſt ſententiam damnationis revocare denuntiationem falſam. 114. Si Reus non velit revocare, quid faciendum Confeſſario. 114.
Reus non tenetur revelare complices criminis, ſi omninò ſint occulti. 114.
Confeſſarius Rei, quid circa illum obſervare debeat. 114. Non debet facilè intercedere pro Reo. 114.
Si Reus provocet accuſatorem, aut Judicem ad Tribunal DEI, an peccet. 114.

## S

*Sacramenta, Sacramentalia.*

An & quæ ab Excommunicatis poſſint adminiſtrari, & ſuſcipi Sacramenta. 130. & ſeqq. An Sacramentalia poſſint validè confici ab excommunicatis. 131. An poſſint ab eis licitè recipi. ibidem.

*Secretarius.*

Quales debeat habere conditiones, & quando peccet contra ſuum Officium. 113.

*Sepultura.*

Sæculares poſſunt ſibi, relicta Parochia eligere ſepulturam in Eccleſiis Regularium. 107. Imò, licèt ipſi defuncti non elegerint ſepulturam apud Regulares, poterunt hoc facere Hæredes, vel curatores funeris. ibidem.
Famuli, & continui commenſales Regularium ſepeliri debent in ſepultura Monaſterii. 107.
Hoſpes ſæcularis moriens apud Regulares, ubi ſepeliendus ſit. 107.
Sæcularis ſive mas, ſive fœmina petens ſepeliri in habitu noſtro, vel noſtrarum ſororum Tertii Ordinis, debet cum habitu patenter ad ſepulchrum deferri. 107. Quales Indulgentiæ conceſſæ ſint morientibus, & ſepultis in habitu noſtro Franciſcano, vel noſtrarum ſororum Tertii Ordinis. 107.
In Eccleſiis Regularium nullus ſepeliri poteſt ipſis invitis. 107.
Regulares extra Monaſterium defuncti ubi ſepeliri debeant. 107.
Fratres Minores, ac complures aliæ Religiones, earumque Eccleſiæ, propter ſepulturam non tenentur ſolvere portionem Canonicam Parochialem. 108.
Clerici, vel Regulares inducentes aliquem ad eligendam ſepulturam apud ſuam Eccleſiam quales incurrant pœnas. 108.
Sepultura Eccleſiaſtica privatur excommunicatus. 131. An etiam Hæreticus. 131.
An Catholici poſſint comitari funera, & ſepulturas Hæreticorum. ibid.

*Studioſitas.*

Virtus quid ſit, & quæ eidem oppoſita vitia. 155.

*Suſpenſio.*

Qualis ſit Cenſura. 141. Eſt triplex, una ab Officio tantùm, alia à Beneficio tantùm, tertia ab utroque. 140.
Suſpenſionis ſubjectum quale ſit. 141.
Suſpenſiones in ſpecie enumerantur. 141.
Effectus ſuſpenſionis. 141. Suſpenſio ab Officio quibus privet. 141. Suſpenſio à Beneficio quibus privet. 142.
Violatio ſuſpenſionis quale ſit peccatum, & quales ſecum trahat pœnas. 142.
Suſpenſio quibus modis tollatur. 142. Quis ab ea poſſit abſolvere, & qualis forma abſolvendi. 142.

# T

*Temperantia.*

QUalis ſit virtus, & quæ vitia ſint eidem oppoſita. 155.

*Tertiarii.*

Tertiarii, & Eremitæ non poſſunt portare caputium Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ. 108.

*Teſtamentum.*

Sine ſolemnitatibus Juris factum qualiter, & in quo foro obliget. 141.
Teſtamenti executor an poſſit eſſe Religioſus. 104.

*Teſtis.*

An Religioſus poſſit eſſe Teſtis coram Judice ſæculari, vel Eccleſiaſtico. 104.
Duo teſtes *contestes* jurati requiruntur ad plenam in Judicio criminis probationem. 112. Quid ſit teſtis *ſingularis*. 112. Quinam ſint Teſtes omni exceptione majores. 112.
Quando teneatur aliquis teſtari. ibid.
Teſtis pro ferendo Teſtimonio an poſſit aliquid recipere. 112.

# V

*Vagi, Vagabundi.*

VAgi an teneantur Legibus ſpecialibus locorum, quæ tranſeunt. 37.
An Ordinarius loci poſſit cum vagis in ſuo Territorio exiſtentibus diſpenſare in Legibus, votis, & Juramentis. 51.

*Veritas.*

Qualis ſit virtus, & quale vitium ſit eidem oppoſitum. 158.

*Virtus, Vitium.*

Virtus quid ſit. 19. *Virtus conſiſtit in medio*, & quale medium habeant virtutes Morales, & Theologicæ: 152.
Virtus dividitur in *Intellectualem, & Moralem, in ſtrictè Moralem, & Theologicam, in Naturalem, & ſupernaturalem*. 153. An dentur virtutes Morales per ſe infuſæ præter Theologicas. 152.
Præter tres Virtutes Theologicas, & quatuor Cardinales cum annexis, non dantur aliæ Virtutes eſſentialiter diſtinctæ, ſed omnes ad eas reducuntur. 152.
Vitium quid ſit, & qualiter dividatur. 153.

*Votum.*

In quibus votis Regulares mendicantes diſpenſare poſſint, & an urgente neceſſitate etiam in votis Papæ Reſervatis diſpenſare valeant.
Votum Religioſæ paupertatis ad quid obliget. 97.
Votum Religioſæ caſtitatis ad quid obliget. 98.
Votum Religioſæ obedientiæ ad quid obliget. 101.
In Voto ſolemni Religionis Papa diſpenſare poteſt. 100.

F I N I S.

*Laus ſit Joſepho, Laus ſit ſine fine MARIÆ,*
*Sit tibi Laus JESU, Laus tibi Trine DEUS.*
*Gloria ſit Patri, Genito ſit Gloria Verbo;*
*Sit Sacroſancto Gloria Spiritui.*
*Sit Peccatorum, precor, Indulgentia Nobis;*
*Sit quoque Pœnarum, poſtea Vita Poli.*

*A M E N.*

SUPPLEMENTUM

# THEOLOGIÆ MORALIS SACRAMENTALIS

R. P. F.

# PATRITII SPORER

De Sacramentis Baptiſmi, Confirmationis, & Extremæ Unctionis; De Indulgentiis, & Jubilæo; Cum duplici Appendice, Centifolia Theologica, & Alphabetica Bullarum Pontificiarum.

*AUCTORE R. P. F.*

## KILIANO KAZENBERGER

Ordin. FF. Minor. Recollect. Prov. Argent. SS. Theolog. Lectore Jubilato, ac Diffinitore

Poſt Propoſitiones damnatas ab ALEXANDRO VII. INNOCENTIO XI. ALEXANDRO VIII. & CLEMENTE XI.

Digitized by Google

# F A C U L T A S

*Admodum Reverendi P. Miniſtri Provincialis.*

EGo F. MARINUS PANGER, Ord. Fratrum Minor. S. Franciſci Recollectorum, SS. Theolog. Lector Jubilatus, Provinciæ Orgentinæ, ſeu Germaniæ Superioris Miniſter Provincialis hiſce Facultatem concedo, quantùm in me eſt, ut Supplementum *Theologiæ Moralis ſuper Decalogum* P. Patritii Sporer, Lectoris Jubilati de Sacramentis Baptiſmi, Confirmationis, & Extremæ Unctionis, de Indulgentiis, & Jubilæo cum duplici Appendice, Centifolia Theologica, & Alphabetica Bullarum Pontificiarum, Auctore P. Kiliano Kazenberger, SS. Theologiæ Lectore Jubilato compoſitum, atque à Theologis, ad id deputatis, lectum, & cenſum, prælo dari poſſit. In cujus fidem has officii mei Sigillo munitas dedi in Conventu noſtro Auguſt. ad S Sepulchrum die 5. Julii 1723.

Loco ✠ Sigilli.

F. MARINUS, qui ſuprà.

---

# LECTOR BENEVOLE.

SI Legiſti Theologiam Moralem Decalogalem noſtri R. P. Patritii Sporer, utique advertiſti, in ea deſiderari adhuc aliquos Tractatus Morales, valdè tamen Confeſſario neceſſarios, nimirum Tractatum de Sacramentis Baptiſmi, Confirmationis, & Extremæ Unctionis; Item Tractatum de Indulgentiis, & Jubilæo. Quare, ut huic deſiderio ſatisfacerem, Supplementum hoc conſcribere, & tibi, mediante Typo, communicare volui. Tu æqui, bonique conſule, vale, & DEUM pro me ora.

S E

# S E R I E S

## Capitum, Sectionum, & Quæſtionum, ſeu Materiarum.

### C A P U T I.


De Sacramento Baptiſmi. Pag. 181.


### S E C T I O I.


De Sacramenti Baptiſmi Inſtitutione, Materia ; & Forma. ibid.
Quæſt. I. *Qaid ſit Baptiſmus, & quando inſtitutus?* ibid.
Quæſt. II. *De Remota Baptiſmi Materia.* 183
Quæſt. III. *De Materia proxima Baptiſmi.* 184
Quæſt. IV. *De Forma Baptiſmi.* 186


### S E C T I O II.


De Miniſtro, & Subjecto Baptiſmi. 188
Quæſt. I. *De Miniſtro Baptiſmi.* ibid.
Quæſt. II. *De Subjecto Baptiſmi.* 190
Quæſt. III. *De diſpoſitione Requiſita in Subjecto Baptiſmi.* 192
Quæſt. IV. *An, & quando Baptiſmus poſſit iteratò ſuſcipi?* 195


### S E C T I O III.


De Neceſſitate, Effectu, Cæremoniis, & Patrino Baptiſmi. 197
Quæſt. I. *De neceſſitate Baptiſmi.* ibid.
Quæſt. II. *De Effectu Baptiſmi.* 198
Quæſt. III. *De Cæremoniis Baptiſmi.* 199
Quæſt. IV. *De Patrino Baptiſmi.* 201


### S E C T I O IV.


De Baptiſmo Flaminis, & Sanguinis. 203
Quæſt. I. *An Baptiſmus fluminis ſuppleri poſſit per Baptiſmum Flaminis?* ibid.
Quæſt. II. *An Baptiſmus fluminis in adultis poſſit ſuppleri per Baptiſmum Sanguinis?* 204
Quæſt. III. *Quæ Conditiones, & diſpoſitiones requirantur ad Baptiſmum Sanguinis, ſeu Martyrium in Adultis.* 206
Quæſt. IV. *Utrùm per Baptiſmum Sanguinis, ſeu Martyrium poſſint etiã infantes ſalvari abſq; Baptiſmo fluminis, ſeu aqua?* 207


### A P P E N D I X


De Benedictionibus, & Exorciſmis. 208


### C A P U T II.


De Sacramentis Confirmationis, & Extremę Unctionis. 210


### S E C T I O I.


De Sacramenti Confirmationis Inſtitutione, Materia, Forma, & Miniſtro. ibid.
Quæſt. I. *Quid ſit Confirmatio, & quando inſtituta?* ibid.
Quæſt. II. *De materia remota, & proxima Sacramenti Confirmationis.* 211
Quæſt. III. *De forma Sacramenti Confirmationis.* 213
Quæſt. IV. *De Miniſtro Sacramenti Confirmationis.* ibid.


### S E C T I O II.


De Subjecto, Neceſſitate, Effectu, & Cæremoniis Sacramenti Confirmationis. 215
Quæſt. I. *De Subjecto Confirmationis.* ibid.
Quęſt. II. *De Neceſſitate Confirmationis.* 216
Quæſt. III. *De effectu Confirmationis.* ibid.
Quæſt. IV. *De Cæremoniis Confirmationis.* 217


### S E C T I O III.


De Inſtitutione, Materia, Forma, & Miniſtro Sacramenti Extremæ Unctionis. 218
Quæſt. I. *Quid ſit Extrema Unctio, & quando inſtituta?* ibid.
Quæſt. II. *De Materia Extremæ Unctionis.* 219
Quæſt. III. *De Forma Extremæ Unctionis.* 221
Quæſt. IV. *De Miniſtro Extremæ Unctionis.* 222


### S E C T I O IV.


De Subjecto, Neceſſitate, Effectu, & Cæremoniis Sacramenti extremæ Unctionis. 224
Quæſt. I. *De Subjecto Extremæ Unctionis.* ibid.
Quæſt. II. *De neceſſitate, & iterabilitate extremæ Unctionis.* 227
Quæſt. III. *De effectu extremæ unctionis.* 228
Quæſt. IV. *De cæremoniis extremæ Unctionis.* ibid.


### A P P E N D I X


De diſpoſitione Moribundi ad Beatam Mortem. 229


### C A P U T III.


De indulgentiis, & Jubilæo. 232


### S E C T I O I.


De indulgentiis in Genere. 233
Quæſt. I. *Quid, & quotuplex ſit indulgentia?* ibid.
Quæſt. II. *Quis poſſit indulgentias concedere, & lucrari, & quid ad eas lucrandas requiratur?* 236
Quæſt. III. *Quem effectum cauſet indulgentia tam in Vivis, quàm in defunctis?* 239
Quæſt. IV. *De Duratione, Translatione, Revocatione, & interpretatione indulgentiarum, & modo eas impetrandi.* 242


### S E C T I O II.


De indulgentiis in Specie. 246
Quæſt. I. *De indulgentiis Regularibus in communi Conceſſis.* ibid.
Quæſt. II. *De indulgentiis conceſſis tribus SS. Ordinibus S. P. N. Franciſci, eorum Eccleſiis, Benefactoribus, Confraternitati Chordigerorum, &c.* 250
Quæſt. III. *De indulgentiis conceſſis omnibus Chriſti fidelibus.* 257
Quæſt. IV. *De indulgentiis Revocatis, & Apocryphis.* 260


### S E C T I O III.


De Jubilęo Eccleſiaſtico, & conditionibus ad illud lucrandum Requiſitis. 261
Quæſt. I. *De Jubilęo, & ejus accidentibus.* ibid.
Quæſt. II. *Qualia opera requirantur ad lucrandum Jubilæum, in ſpecie qualis Oratio, Proceſſio, Viſitatio Eccleſiæ, Jejunium, & Eleemoſyna?* 263
Quæſt. III. *De Confeſſione, & Communione ad lucrandum Jubilæum requiſita.* 264
Quæſt. IV. *Qualiter opera pro lucrando Jubilæo præſcripta, obſtante impedimento, in alia, à Confeſſario commutari, vel prorogari poſſint?* 265


### S E C T I O IV. & Ultima.


De Gratiis, & Favoribus Conceſſis lucrantibus Jubilęum. 266
Quæſt. I. *Qualis Confeſſarius, & à quibus poſſit eligi in Jubilæo.* ibid.
Quæſt. II. *Qualem poteſtatem habeat Confeſſarius pro Jubilæo electus, circa Abſolutionem à peccatis, & cenſuris Reſervatis, injunctionem Pœnitentiæ, compoſitionem ſuper malè ablatis, & irregularitates?* 268
Quæſt. III. *Qualem poteſtatem habeat Confeſſarius pro Jubilæo electus circa commutationem votorum?* 270
Quæſt. IV. & Ultima. *Quas gratias etiam diu poſt lucratum Jubilæum quis obtinere valeat vi lucrati Jubilæi?* 272


### A P P E N D I X.


De Suffragiis. 277


Acceſſit Appendix Duplex.


I. *Centifolia, continens centum Aſſertiones ex Theologia Scholaſtica, & Polemica.* 277
II. *Alphabetica, continens Bullas Pontificias per extenſum poſitas, & in noſtris ſupplementis hinc inde citatas.* 299


ELEN-

Digitized by Google

# ELENCHUS,

ET

# SUMMARIUM

## Omnium hujus Supplementi Theologiæ Moralis Sacramentalis, de Sacramentis Baptiſmi, Confirmationis, & Extremæ Unctionis, item de Indulgentiis, & Jubilæo

*Capitum, Sectionum, Quæſtionum, Aſſertionum, & Paragraphorum.*

### CAPUT I.

De Sacramento Baptiſmi.

#### SECTIO I.

*De Sacramenti Baptiſmi Inſtitutione, Materia, & Forma.*

QUÆSTIO I.

*Quid ſit Baptiſmus, & quando Inſtitutus?*

ASSERTIO I.

§. I. Baptiſmus eſt Sacramentum, *n.* 2.

§. II. Ablutionis animæ à peccato, conſiſtens in ablutione hominis aliqualiter conſentientis, facta in aqua ab alio abluente, & in verbis certis ſimul ab eodem abluente cum debita intentione prolatis. *n.* 3.

§. III. Baptiſmum Chriſtus inſtituit ante ſuam mortem. *n.* 4.

§. IV. Quamvis certum Inſtitutionis tempus aſſignari non poſſit ex S. Scriptura. *n.* 5.

*Petes.* Quid dicendum de Baptiſmo Joannis? *n.* 6.

QUÆSTIO II.

*De Remota Baptiſmi Materia.*

ASSERTIO II.

§. I. Materia Remota valida Sacramenti Baptiſmi eſt ſola Aqua Naturalis, & Elementaris. *n.* 8.

§. II. Conſequenter omnis alius liquor, qui non eſt talis Aqua, non eſt materia valida Baptiſmi. *n.* 10.

§. III. Materia verò etiam licita eſt Aqua benedicta è fonte Baptiſmali. *n.* 11.

§. IV. In neceſſitate tamen adhibenda eſt Aqua dubia. *n.* 12.

Regulæ Practicæ obſervandæ in collatione Sacramenti Baptiſmi, *n.* 13.

QUÆSTIO III.

*De Materia proxima Baptiſmi.*

ASSERTIO III.

§. I. Baptiſmi Materia proxima eſt ablutio, *n.* 15.

§. II. Hominis *n.* 16.

§. III. Facta per Aquam, quæ aliquam ex præcipuis partibus corporis immediatè, & phyſicè tangere, ſeu abluere debet; *n.* 17.

§. IV. Non tamen baptizandum occidere. *n.* 19.

QUÆSTIO IV.

*De Forma Baptiſmi.*

ASSERTIO IV.

§. I Legitima Forma Baptiſmi in Eccleſia latina eſt hæc: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; *n.* 21.

§. II. In una neceſſitate Sacramenti debet exprimi perſona, quæ baptizatur, & actio baptizantis, *n.* 22.

§ III. Item Tres in SS. Trinitate Perſonæ, ut inter ſe diſtinctæ ſub Nominibus Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & ſub unitate Deitatis, *n.* 23.

§. IV. Recenſentur Formæ Baptiſmi validæ, & dubiæ. *n.* 27. & *ſeqq.*

#### SECTIO II.

*De Miniſtro, & Subjecto Baptiſmi.*

QUÆSTIO I.

*De Miniſtro Baptiſmi.*

ASSERTIO I.

§. I Omnis homo potens abluere, & proferre verba Formæ Baptiſmi cum debita intentione, cujuſcunque ſexus, ſtatus, conditionis, & Religionis fit validè ſemper, & urgente neceſſitate, etiam licitè poteſt privatim, & ſine ſolemnitate baptizare; *n.* 32. & 33. ſoli tamen Epiſcopi, & Sacerdotes ſunt Miniſtri Ordinarii Baptiſmi ſolemniter adminiſtrandi; *n.* 34. Diaconi verò ſunt Miniſtri delegati ab Ordinario. *n.* 35.

§. II. Unus miniſter poteſt ſimul plures baptizare, *n.* 36.

§. III. Ac etiam plures unum, ſi ſimul, & ſemel quilibet eorum affundat aquam, & pronuntiet formam, *n.* 37. & *ſeqq.*

§. IV. Baptizati ab obſtetricibus ordinariè ſunt rebaptizandi. *n.* 41. & *ſeqq.*

QUÆSTIO II.

*De Subjecto Baptiſmi.*

ASSERTIO II.

§. I. Subjectum capax Baptiſmi eſt ſolus homo Viator, *n.* 46.

§. II. Etiam parvulus, mox ubi natus eſt, *n.* 47.

§. III. Ac etiam perpetuò Amens, *n.* 48.

§. IV. Parvuli infidelium validè ſemper baptizantur invitis Parentibus, & quandoque etiam licitè. *n.* 50. & *ſeqq.*

QUÆSTIO III.

*De Diſpoſitione requiſita in Subjecto Baptiſmi.*

ASSERTIO III.

§. I. Ad Baptiſmum validè recipiendum, in adultis ratione utentibus requiritur intentio illum ſuſcipiendi, non tamen fides aut alia diſpoſitio. *n.* 56. & 57.

§. II. Ad licitè verò, & fructuosè recipiendum Baptiſmum requiritur fides actualis, *n.* 58. Propoſitum profitendi & ſervandi Legem Chriſti, *n.* 59. Et ſi adultus ſit obſtrictus peccato mortali perſonali, requiritur ſaltem Attritio. *n.* 60. & 61.

§. III. Ut Baptiſmus fictè ſuſceptus cum obice negativo reviviſcat, requiritur ſola Attritio; *n.* 64. Si verò fuerit ſuceptus fictè cum obice poſitivo, ut reviviſcat, requiritur contritio perfecta, vel cum Sacramento Pœnitentiæ Attritio. *n.* 65.

§. IV. Fictio poſitiva, ficut & alia peccata actualia in ipſa ſuſceptione Baptiſmi commiſſa non tolluntur per Baptiſmum, ſed per Sacramentum Pœnitentiæ, vel contritionem perfectam. *n.* 66.

QUÆSTIO IV.

*An, & quando Baptiſmus poſſit iteratò ſuſcipi?*

ASSERTIO IV.

§. I. Baptiſmus ſemel validè collatus iterari non poteſt; *n.* 69.

§. II. Quando tamen ſubeſt verum dubium, an aliquis ſit verè baptizatus, eſt rebaptizandus ſub conditione. *n.* 70.

§. III. Quare baptizati ab obſtetricibus, vel ab Hæreticis; *n.* 71.

§. IV. Vel expoſiti, & inventi ſunt rebaptizandi ſub conditione. *n.* 72.

Regulæ quatuor circa Baptiſmum conditionatè conferendum obſervandæ. *n.* 73 & *ſeqq.*

*Quæres:* Quid faciendum Sacerdoti, Religioſo, conjugi, ſi dubitent de valore ſui Baptiſmi? *n.* 77.

#### SECTIO III.

*De Neceſſitate, Effectu, Caremoniis, & Patrino Baptiſmi.*

QUÆSTIO I.

*De Neceſſitate Baptiſmi.*

ASSERTIO I.

§. I. Baptiſmus eſt ad ſalutem neceſſarius, *n.* 81.

§. II. Et parvulis quidem, extra caſum Martyrii eſt in re neceſſarius neceſſitate medii ad ſalutem. *n.* 82.

§. III. Adultis verò in re, vel in voto; *n.* 83.

§. IV. Quibus etiam neceſſarius eſt neceſſitate præcepti. *n.* 84.

QUÆSTIO II.

*De Effectu Baptiſmi.*

ASSERTIO II.

§. I. Primus Baptiſmi Effectus eſt gratia ſanctificans prima cum Jure ad gratias actuales ſuo tempore dandas, & character. *n.* 87.

§. II. Secundus eſt remiſſio omnis culpæ originalis, & perſonalis, ante Baptiſmum commiſſæ, *n.* 88.

§. III. Tertius eſt remiſſio omnis pœnæ propriè dictæ, pro culpa debitæ, *n.* 89. & 90.

§. IV. Non tamen pœnalitatum hujus vitæ. *n.* 91.

QUÆSTIO III.

*De Caremoniis Baptiſmi.*

ASSERTIO III.

§. I. Caremoniæ Baptiſmi aliæ ipſum præcedunt, aliæ concomitantur, aliæ ſubſequuntur, *n.* 93.

§. II. Quas omittere extra caſum neceſſitatis, eſt peccatum mortale ex genere ſuo; *n.* 97.

§. III. Baptizare extra Eccleſiam non urgente neceſſitate,

ac

Digitized by Google

ac ſecluſo Privilegio eſt peccatum mortale. *num.* 98.

§. IV. Cæremoo æ omiſſæ in Baptiſmo privato, per ſe loquendo, poſteà ſuppleti debent. *n.* 99.

QUÆSTIO IV.

*De Patrino Baptiſmi.*

ASSERTIO IV.

§. I. In Baptiſmn ſolemni ſub peccato mortali requiritur Patrious. *n.* 101. Unus ſive vir, ſive mulier, vel ad ſummum unus, & una. *n.* 104.

§. II. Ut quis validè fiat Patrinus debet pollere uſu rationis, habere intentionem ſuſcipiendi ut Patrinus ex Baptiſmo baptizarum, eſſe deſignatus à parentibus &c. *n.* 105.

§. III. Ut quis licitè obeat munus Patrioi debet non eſſe hæreticus, *n.* 106. Non eſſe excommunicatus non toleratus, *n.* 107. Non debet eſſe proprius Parens baptizandi, *n.* 108. non debet eſſe Abbas, vel Monachus. *n.* 109. An impuberes poſſint eſſe Patrini. *n.* 110. Idem non poteſt ſimul baptizare infantem, & ejus eſſe Patrinus. *n.* 111.

§. IV. Officium, & cognatio Patrinorum. *n.* 112. Item munus Parochi circà librum Baptizatorum. *n.* 115.

SECTIO IV.

*De Baptiſmo Flaminis, & Sanguinis, Baptiſmus Flaminis, & Sanguinis non ſunt Sacramenta, num.* 116.

QUÆSTIO I.

*An Baptiſmus Fluminis ſuppleri poſſit per Baptiſmum Flaminis?*

ASSERTIO I.

§. I. Baptiſmus Flaminis eſt Amor DEI ſuper omnia, vel contritio perfecta. *n.* 118.

§. II. In defectu Baptiſmi Fluminis ſufficit ad obtinendam Juſtificationem, & ſalutem Baptiſmus Flaminis. *n.* 119.

§. III. Cum voto Baptiſmi Fluminis explicito, & aliquando etiam implicito. *n.* 120.

§. IV. Attamen Baptiſmus Flaminis non ſupplet Baptiſmum Fluminis in omnibus. *n.* 121

QUÆSTIO II.

*An Baptiſmus Fluminis in Adultis poſſit ſuppleri per Baptiſmum Sanguinis.*

ASSERTIO II.

§. I. Baptiſmus Fluminis adultorum, quando ſuſcipi non poteſt, ſuppleri poteſt per Baptiſmum Sanguinis, ſeu Martyrium, *n.* 124.

§. II. Quod per ſe, & quaſi ex opere operato confert gratiam Juſtificantem, & remiſſionem totius culpæ, & pœnæ. *n.* 125.

§. III. Martyrium confert ſuum effectum in aliquo inſtanti determinato ante mortem. *n.* 126.

§. IV. Martyrium contulit prædictum ſuum effectum etiam Martyribus ante adventum Chriſti, *n.* 127. Corollaria. *n.* 128.

QUÆSTIO III.

*Quæ Conditiones, & Diſpoſitiones requirantur ad Baptiſmum Sanguinis, ſeu Martyrium in Adultis?*

ASSERTIO III.

§. I. Prima conditio ad verum Martyrium, & ejus effectum requiſita in Adultis ex parte intellectus eſt vera Catholica fides. *n.* 130.

§. II. Secunda conditio ex parte voluntatis requiſita, eſt pia intentio, ſeu voluntas tolerandi mortem pro DEO. *n.* 131.

§. III. Tertia conditio Martyrii eſt mors illata, *n.* 132. in odium Religionis, vel virtutis, *n.* 133. violenter, *n.* 134. non repugnanti. *n.* 135.

§. IV. Quarta Conditio eſt Attritio ſupernaturalis requiſita in peccatore. *n.* 136.

QUÆSTIO IV.

*Utrùm per Baptiſmum Sanguinis, ſeu Martyrium poſſint etiam infantes ſalvari abſque Baptiſmo Fluminis, ſeu Aquæ?*

ASSERTIO IV.

§. I. Infantes ſunt capaces Martyrii, *n.* 139.

§ II. Quod in eis præcipuè requirit, ut eiſdem mors violenter in odium DEI, vel Chriſti inferatur; *n.* 140.

§. III. Eiſdemque prodeſt ad ſalutem ſine Baptiſmo Aquæ. *n.* 141.

§ IV Etiam, quando in utero matris in odium DEI, vel Chriſti occiduntur. *n.* 142. Baptiſmus infantium alio adhuc modo præter Martyrium ſuppleri non poteſt. *n.* 143.

APPENDIX.

*De Benedictionibus, & Exorciſmis,*

§. I. Benedictiones.

I. Benedictio quid ſit, & quotuplex. *n.* 144.

II. Benedictiones Publicæ, aliæ ſunt Perſonarum, aliæ ſunt rerum. *n.* 145.

III. Aliæ ſunt conſtitutivæ, aliæ ſunt invocativæ. *n.* 146.

IV. Aliquæ fiunt cum Sacra Unctione, aliæ ſine ea. *n.* 147.

§ II.

*Benedicens, Res Benedicta.*

I. Quid poſſint benedicere Epiſcopi, & Superiores Regularium Mendicantium? *n.* 148.

II. Quid Presbyteri? *n.* 149.

III. Si Aquæ Benedictæ affundatur aqua non benedicta, utrùm totum Benedictum cenſeatur? *n.* 150.

IV. An res benedicta poſſit ad uſus profanos adhiberi? *n.* 151.

§. III.

*Exorciſmus.*

Quid ſit Exorciſmus, & quotuplex? *n.* 152.

§. IV.

*Exorcizans, Exorcizatus.*

Quid obſervandum ſit in praxi Exorcizanti circa Exorcizandum? *n.* 153.

Quid requiritur, ut reliquiæ ſanctorum publico cultui exponi queant? *n.* 154.

CAPUT II.

*De Sacramentis Confirmationis, & Extremæ Unctionis.*

SECTIO I.

*De Sacramenti Confirmationis Inſtitutione, Materia, Forma, & Miniſtro.*

QUÆSTIO I.

*Quid ſit Confirmatio, & quando inſtituta.*

ASSERTIO I.

§. I. Confirmatio variè intitulatur, *n.* 2.

§. II. Eſt Sacramentum, *n.* 3.

§. III. Quo homo viator baptizatus inungitur in fronte ab Epiſcopo cum Chriſmate, & præſcripta verborum forma ad fidei robur conſequendum. *n.* 4.

§. IV. Confirmationis Sacramentum fuit inſtitutum in nocte Cœnæ Domini. *n.* 5.

QUÆSTIO II.

*De Materia Remota, & proxima Sacramenti Confirmationis.*

ASSERTIO II.

§. I. Materia remota Confirmationis eſt Chriſma. *n.* 7. *& ſeqq.*

§. II. Conſecratum ab Epiſcopo. *n.* 11.

§. III. Materia proxima eſt Unctio cum Chriſmate facta in modum Crucis pollice dextro Epiſcopi in fronte confirmandi. *n.* 13.

§. IV. Objectio proponitur, & ſolvitur. *n.* 14.

QUÆSTIO III.

*De Forma Sacramenti Confirmationis.*

ASSERTIO III.

§. I. Forma conſueta Sacramenti Confirmationis in Eccleſia Latina eſt hæc; *ſigno te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, *n.* 16.

§. II. Congruentia hujus formæ, *n.* 17.

§ III Omnia verba formæ prædictæ ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti in Eccleſia Latina. *n.* 18.

§ IV. Non tamen omnia ſunt neceſſaria neceſſitate Sacramenti, ſeu ad valorem, *n.* 19.

QUÆSTIO IV.

*De Miniſtro Sacramenti Confirmationis.*

ASSERTIO IV.

§. I. Miniſter Ordinarius Sacramenti Confirmationis eſt ſolus Epiſcopus. *n.* 22.

§. II. Quilibet Epiſcopus, etiam Hæreticus, vel degradatus validè poteſt conferre Sacramentum Confirmationis. *n.* 23.

§. III. Miniſter extraordinarius Confirmationis poteſt etiam eſſe Sacerdos per ſpecialem commiſſionem Romani Pontificis, *n.* 24.

§. IV. Quam hic ſolus, & nullus alius dare poteſt. *n.* 25.

SECTIO II.

*De Subjecto, Neceſſitate, Effectu, & Cæremoniis Sacramenti Confirmationis.*

QUÆSTIO I.

*De Subjecto Confirmationis.*

ASSERTIO I.

§. I. Subjectum capax Confirmationis validè recipiendæ eſt homo viator, baptizatus, nondum Confirmatus, *n.* 27.

§. II. Etiam infans. *n.* 28.

§. III. Etiam perpetuò amens. *n.* 29.

§. IV. Ad licitè recipiendum Confirmationis Sacramentum requiritur præterea ſtatus gratiæ, & ut Confirmandus ſit ſubditus Confirmantis. *n.* 30.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO II.

*De Neceſſitate Confirmationis.*

ASSERTIO II.

§. I. Non datur præceptum Divinum, nec Eccleſiaſticum obligans ad recipiendam Confirmationem, *n.* 33.

§. II. Per ſe loquendo, *n.* 34.

§. III. Hodie; *n.* 35.

§. IV. Tenentur tamen Epiſcopi ſub peccato hoc Sacramentum ſuis ſubditis miniſtrare, *n.* 36.

QUÆSTIO III.

*De Effectu Confirmationis.*

ASSERTIO III.

§. I. Effectus Confirmationis eſt augmentum gratiæ Sanctificantis. *n.* 38.

§. II. Jus ad gratias actuales roborativas ad fidem fortiter profitendam, *n.* 39.

§. III. Eſt Character, *n.* 40.

§. IV. Diſtinctus à Charactere Baptiſmi. *n.* 41.

QUÆSTIO IV.

*De Cæremoniis Confirmationis.*

ASSERTIO IV.

§. I. Prima Confirmationis Cæremonia eſt habitus Pontificalis Epiſcopi. *n.* 43.

§. II. Secunda eſt vitta confirmato circumligata, *n.* 44.

§. III. Tertia eſt alapa inflicta confirmato ab Epiſcopo. *n.* 45.

§. IV. Quarta eſt Patrinus. *n.* 46. *& ſeqq.*

SECTIO III.

*De Inſtitutione, Materia, Forma, & Miniſtro Sacramenti Extremæ Unctionis.*

QUÆSTIO I.

*Quid ſit Extrema Unctio, & quando inſtituta?*

ASSERTIO I.

§. I. Extrema Unctio eſt Sacramentum, *n.* 51.

§. II. à Chriſto Domino immediatè inſtitutum, *n.* 52.

§. III. Poſt ſuam Reſurrectionem, *n.* 53.

§. IV. Extrema Unctio definitur, quòd ſit Unctio hominis infirmi Pœnitentis, facta in determinatis Corporis partibus cum oleo conſecrato ab Epiſcopo, miniſtrata à Sacerdote ſimul verba certa cum intentione debita proferente, ex Inſtitutione Divina efficaciter ſignificans curationem finalem venialium. *n.* 55.

QUÆSTIO II.

*De Materia Extremæ Unctionis.*

ASSERTIO II.

§. I. Materia Remota Extremæ Unctionis eſt oleum Olivæ, *n.* 57. *& ſeqq.*

§. II. Ab Epiſcopo Benedictum, *n.* 61.

§. III. Materia proxima Extremæ Unctionis neceſſaria neceſſitate Sacramenti eſt una Unctio cum forma exprimente omnes Corporis ſenſus. *n.* 62.

§. IV. Materia proxima Extremæ Unctionis neceſſaria neceſſitate præcepti eſt quintuplex Unctio quinque ſenſuum, *n.* 66. Quinque ſenſuum Unctiones unà cum ſuis diverſis formis faciunt unum Sacramentum unitate Integritatis, non unitate Indiviſibilitatis. *n.* 68 In adminiſtranda Extrema Unctione ſervanda eſt conſuetudo Diœceſis. *n.* 69.

QUÆSTIO III.

*De Forma Extremæ Unctionis.*

ASSERTIO III.

§. I. Forma conſueta Extremæ Unctionis eſt: *per iſtam Sanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam Miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per viſum, ſive per auditum &c. deliquiſti*, *num.* 71.

§. II. Forma præcisè eſſentialis Extremæ Unctionis eſt hæc: *Per hanc Unctionem Indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquiſti*. *n.* 72.

§. III. Forma Extremæ Unctionis eſſentialiter debet eſſe deprecatoria. *n.* 74.

§. IV. Solvitur objectio. *n.* 75.

QUÆSTIO IV.

*De Miniſtro Extremæ Unctionis.*

ASSERTIO IV.

§. I. Miniſter Extremæ Unctionis validè conferendæ eſt ſolus, & quilibet Sacerdos. *n.* 77.

§. II. Miniſter Extremæ Unctionis licitè conferendæ eſt Sacerdos habens Juriſdictionem ordinariam, vel delegatam ſuper inungendum. *n.* 78. Quid circa Extremam Unctionem poſſint Regulares? *n.* 81.

§. III. Obligatio Miniſtri ad conferendum Extremæ Unctionis Sacramentum. *n.* 83. *& ſeqq.*

§. IV. Regulæ obſervandæ in adminiſtrando Sacramento Extremæ Unctionis. *n.* 87. *& ſeqq.*

SECTIO IV.

*De Subjecto, Neceſſitate, Effectu, & Cæremoniis Sacramenti Extremæ Unctionis.*

QUÆSTIO I.

*De Subjecto Extremæ Unctionis.*

ASSERTIO I.

§. I. Subjectum Extremæ Unctionis validè recipiendæ eſt Homo Adultus. *n.* 91. *& ſeqq.*

§. II. Periculosè Infirmus. *n.* 97. *& ſeqq.*

§. III. Qui aliquando peccavit perſonaliter. *n.* 103.

§. IV. Ut Extrema Unctio etiam licitè, & fructuosè recipiatur, requiritur per ſe loquendo ſtatus gratiæ. *n.* 104.

QUÆSTIO II.

*De Neceſſitate, & Iterabilitate Extremæ Unctionis.*

ASSERTIO II.

§. I. Non peccat mortaliter, qui non ſuſcipit Sacramentum Extremæ Unctionis. *n.* 106.

§. II. Per ſe loquendo. *n.* 107.

§. III. Sacramentum Extremæ Unctionis eſt iterabile. *n.* 108.

§. IV. Quoties ſublato priori periculo mortis reinciditur in novum. *n.* 109.

QUÆSTIO III.

*De Effectu Extremæ Unctionis.*

ASSERTIO III.

§. I. Primus effectus Extremæ Unctionis eſt gratia ſanctificans. *n.* 114.

§. II. Secundus effectus Extremæ Unctionis eſt remiſſio peccatorum. *n.* 115.

§. III. Tertius, Quartus, & Quintus effectus Extremæ Unctionis recenſentur. *n.* 116.

§. IV. Sextus effectus Extremæ Unctionis eſt recuperatio ſanitatis corporalis. *n.* 117.

QUÆSTIO IV.

*De Cæremoniis Extremæ Unctionis.*

ASSERTIO IV.

§. I. Miniſter Extremæ Unctionis debet Oleum infirmorum aſſervare in loco debito. *n.* 119.

§. II. Miniſter extremè inungens debet eſſe indutus ſuperpelliceo, & Stola ſub mortali, *n.* 120.

§. III. Et recitare Orationes in Rituali præſcriptas. *n.* 121.

§. IV. Et facere Unctiones juxtà præſcriptum, & Conſuetudinem Diœceſis. *n.* 122.

APPENDIX.

*De Diſpoſitione Moribundi ad Beatam Mortem.*

§. I. Quid agere debeat Confeſſarius vocatus ad moribundum? *n.* 123.

§. II. Quid agere debeat moribundus? *n.* 127. *& ſeqq.*

§. III. Quid confeſſarius agere debeat apud Agonizantem? *n.* 135. *& ſeqq.*

§. IV. Quid obſervare debeat Confeſſarius, cùm ab infirmo diſcedit, vel quando hic eſt ſenſibus deſtitutus, vel laborat morbo contagioſo, vel jam eſt mortuus? *n.* 140. *& ſeqq.*

CAPUT II.

De Indulgentiis, & Jubilæo.

SECTIO I.

*De Indulgentiis in Genere.*

QUÆSTIO I.

*Quid, & Quotuplex ſit Indulgentia?*

ASSERTIO I.

§. I. Indulgentia eſt Relaxatio pœnæ temporalis debitæ peccato perſonali quoad culpam dimiſſo, per applicationem ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum, extra Sacramentum facta virtute Clavium. *n.* 1. *& ſeqq.*

§. II. Dividitur in Plenariam, & Partialem. *n.* 6.

§. III. In Perpetuam, & Temporalem. *n.* 11.

§. IV. In Perſonalem, Realem, & Localem. *n.* 12.

QUÆSTIO II.

*Quis poſſit Indulgentias concedere, & lucrari, & quid ad eas lucrandas requiratur?*

ASSERTIO II.

§. I. Indulgentias concedere poteſt Summus Pontifex, & Epiſcopi Jure ordinario. *n.* 18.

§. II. Indulgentias lucrari poteſt ſolus Homo baptizatus. *n.* 23. Non excommunicatus, *n.* 24 Subditus concedentis Indulgentias, *num.* 25, Debitor Pœnarum ex peccatis quoad culpam jam remiſſis reſtantium. *n.* 26.

§. III. Ad lucrandas Indulgentias requiritur ſtatus gratiæ, & intentio. *n.* 28. *& ſeqq.*

§. IV. Et impletio operum pro iis lucrandis præſcriptorum. *n.* 32.

QUÆSTIO III.

*Quem effectum cauſet Indulgentia tam in vivis, quàm in Defunctis.*

ASSERTIO III.

§. I. Effectus Indulgentiæ eſt remiſſio pœnæ temporalis ex peccatis quoad culpam dimiſſis reſiduæ. *n.* 38.

§. II. Indulgentiæ conceduntur vivis per modum abſolutionis, defunctis verò per modum ſuffragii. *n.* 42.

§. III. Indulgentia æqualiter participatur etiam ab Inæqualiter diſpoſitis. *n.* 47.

§. IV. Diverſæ Indulgentiæ nequeunt uno, & eodem opere obtineri, *n.* 49.


QUÆ-

QUÆSTIO IV.

*De Duratione, Translatione, Revocatione, Interpretatione Indulgentiarum, & Modo eas impetrandi.*

ASSERTIO IV.

§. I. Indulgentiæ durant pro eo tempore pro quo ſunt conceſſæ, nec expirant per mortem concedentis. *n.* 55.
Non transferuntur tranſlato feſto, niſi adſit ſpeciale Privilegium. *n.* 61.

§. II. Indulgentiæ revocari poſſunt, earum tamen revocatio ſuffiſienter promulgari debet, ut deſinat valor Indulgentiarum. *n.* 62. *& ſeqq.*

§. III. Indulgentiarum interpretatio latè fieri debet ex ea parte, qua continent favorem, ſtrictè verò ex ea parte, qua continent odium. *n.* 66 *& ſeqq.*

§. IV. Modus impetrandi Indulgentias. *n.* 70. *Quæſtio incidentalis.* An ſequens opinionem probabilem in acquiſitione Indulgentiæ, vel Jubilæi, lucretur à parte rei Indulgentiam, vel Jubilæum, hujuſque favores & gratias. *n.* 71 *& ſeqq.*

*Notabile* pro Rectoribus, & Superioribus Eccleſiarum. *n.* 75.

SECTIO II.

*De Indulgentiis in ſpecie.*

QUÆSTIO I.

*De Indulgentiis Regularibus in Communi conceſſis.*

ASSERTIO I.

§. I. Paulus V. revocavit Indulgentias Regularibus conceſſas. *n.* 77.

§. II. Et loco earum alias ex integro eiſdem elargitus eſt. *n.* 78.

§. III. Stationum Indulgentiæ, quas Regulares lucrari poſſunt enumerantur. *n.* 79.

§. IV. Circa Indulgentias tria adhuc ſunt notanda Regularibus. *n.* 83.

*Petes.* Quid ſentiendum de communicatione Indulgentiarum inter Regulares? *n.* 82.

QUÆSTIO II.

*De Indulgentiis Conceſſis Tribus SS. Ordinibus S. P. N. Franciſci, eorum Eccleſiis, Benefactoribus, Confraternitati Chordigerorum &c.?*

ASSERTIO II.

Summi Pontifices multas, & magnas conceſſere Indulgentias Tribus SS. Ordinibus S. Franciſci, quæ enumerantur per ſequentes §. §. *n.* 87.

§. I. Indulgentia Stationis SS. Sacramenti. *n.* 88.

§. II. Indulgentia Coronæ de ſeptem gaudiis Beatiſſimæ Virginis Mariæ. *n.* 90.

§. III. Indulgentia Orationis Mentalis, & Doctrinæ Chriſtianæ. *n.* 92.

§. IV. Indulgentiæ noſtris Eccleſiis conceſſæ. *n.* 93.

§. V. Indulgentia Portiunculæ. *n.* 97.

§. VI. Indulgentiæ Clariſſarum. *n.* 102.

§. VII. Indulgentiæ noſtrorum Tertiariorum. *n.* 104.

§. VIII. Indulgentiæ conceſſæ Benefactoribus Ordinis noſtri Seraphici. *n.* 107.

§ IX. Indulgentiæ Archi-Confraternitatis S. P. N. Franciſci. *n.* 111.

§. X. Indulgentiæ Viæ Crucis. *n.* 116.

§. XI. Indulgentiæ Crucum, Roſariorum Jeroſolymitanorum. *n.* 119.

§. XII. Indulgentiæ conceſſæ occaſione Canonizationis S. Catharinæ de Bononia Virginis ex ordine S. Claræ. *n.* 123.

QUÆSTIO III.

*De Indulgentiis Conceſſis omnibus Chriſti Fidelibus.*

ASSERTIO III.

§. I. Indulgentiæ omnibus Chriſti fidelibus indifferenter conceſſæ. *n.* 127.

§. II. Indulgentiæ Altarium Privilegiatorum. *n.* 131.

§. III. Indulgentiæ Roſariis Birgittanis conceſſæ. *n.* 138.

§. IV. Indulgentiæ conceſſæ pro Articulo mortis. 139.

QUÆSTIO IV.

*De Indulgentiis Revocatis, & Apocryphis.*

ASSERTIO IV.

Summi Pontifices plures Indulgentias revocarunt, & multas declararunt eſſe falſas, confictas, & Apocryphas. *n.* 143.

§. I. Indulgentiæ revocatæ à Sancto Pio V. *n.* 144.

§. II. Indulgentiæ revocatæ à Paulo V. *n.* 145.

§. III. Indulgentiæ revocatæ ab Innocentio XI. *n.* 146.

§. IV. Indulgentiæ Vivæ vocis Oraculo conceſſæ. *n.* 151.

SECTIO III.

*De Jubilæo Eccleſiaſtico, & Conditionibus ad illud lucrandum Requiſitis.*

QUÆSTIO I.

*De Jubilæo, & ejus accidentibus.*

ASSERTIO I.

Jubilæum Eccleſiaſticum eſt Indulgentia Plenaria à Papa conceſſa, cum quadam univerſalitate favorum Spiritualium. *n.* 152.

§. I. Jubilæi natura, & definitio. *n.* 153.

§. II. Jubilæum eſt Triplex. *n.* 155.

§. III. Quoties, & pro quibus Jubilæum obtineri queat. *n.* 157.

§ IV. Suſpenſio Indulgentiarum in Anno Sancto. *n.* 162. item facultatum abſolvendi. n. eodem.

QUÆSTIO II.

*Qualia opera requirantur ad lucrandum Jubilæum?*

ASSERTIO II.

Jubilæum lucrari poteſt, qui lucrari poteſt Indulgentiam Plenariam, modò præſtet opera à Papa præſcripta. *n.* 166.

§. I. Jubilæum lucrari poteſt, qui lucrari poteſt Indulgentiam Plenariam. *n.* 167.

§. II. Modò præſtet opera à Summo Pontifice præſcripta. *n.* 169.

§. III. Orationem, Viſitationem Eccleſiæ, Proceſſionem. *n.* 174.

§. IV. Jejunium, Eleemoſynam. *n.* 178

QUÆSTIO III.

*De Confeſſione, & Communione ad lucrandum Jubilæum requiſita.*

ASSERTIO III.

§. I. Ad lucrandum Jubilæum requiritur confeſſio. *n.* 183.

§. II. Et quidem valida, nec ſufficit Sacrilega. *n.* 184.

§. III. Quando Confeſſio ſit peragenda pro lucrando Jubilæo? *n.* 188.

§. IV. Qualis communio requiratur pro Jubilæo. *n.* 189.

QUÆSTIO IV

*Qualiter opera pro lucrando Jubilæo præſcripta, obſtante impedimento, in alia à Confeſſario commutari, vel prorogari poſſint?*

ASSERTIO IV.

§. I. Nullus poteſt propria Auctoritate ex præſcriptis pro lucrando jubilæo operibus aliquod commutare in melius. *n.* 192.

§ II. Sed Confeſſarius poteſt prędicta opera commutare, & prorogare. *n.* 193.

§. III. Et quidem omnia. *n.* 192.

§. IV. Qualiter, & quando facienda ſit commutatio, ac Prorogatio? *n.* 195.

SECTIO IV. & Ultima.

*De Gratiis, & Favoribus conceſſis lucrantibus Jubilæum.*

QUÆSTIO I.

*Qualis Confeſſarius, & à quibus poſſit eligi in Jubilæo?*

ASSERTIO I.

In Jubilæo quilibet ſibi poteſt eligere Confeſſarium, modò ſit ab Ordinario loci approbatus, qui gratias, & favores Jubilares impertiatur. *n.* 196.

§. I. Quinam in Jubilæo ſibi poſſint eligere Confeſſarium? *n.* 197.

§. II. Qualis Confeſſarius eligi poſſit pro Jubilæo? *n.* 201.

§. III. Confeſſarius eligendus in Jubilæo à Sæcularibus. *n.* 202.

§. IV. Confeſſarius eligendus in Jubilæo à Regularibus. *n.* 206.

QUÆSTIO II.

*De Poteſtate Confeſſarii in Jubilæo Electi circa abſolutionem Peccatorum.*

ASSERTIO II.

§. I. Confeſſarius pro Jubilæo electus poteſt abſolvere à Peccatis reſervatis. *n.* 208.

§. II. Et à Cenſuris reſervatis. *n.* 212.

§. III. Et ſubinde facere compoſitionem ſuper malè ablatis ſimpliciter incertis. *n.* 216.

§. IV. Non tamen diſpenſare in ulla irregularitate. *n.* 217.

QUÆSTIO III.

*De Poteſtate Confeſſarii in Jubilæo Electi circà commutationem votorum.*

ASSERTIO III.

§. I. Confeſſarius pro Jubilæo electus non poteſt diſpenſare. *n.* 220.

§. II. Benè verò commutare. *n.* 221.

§. III. Omnia vota. *n.* 225.

§. IV. Exceptis votis Caſtitatis integræ, & Perpetuæ, & Religionis ab Eccleſia approbatæ, & iis exceptis, quę cedunt in Præjudicium Tertii. *n.* 229.

QUÆSTIO IV. & Ultima.

*Quas gratias etiam diu poſt lucratum Jubilæum quis obtinere valeat vi lucrati Jubilæi?*

ASSERTIO IV.

§. I. Jubilæum ſemel obtentum dat Jus omni tempore etiam poſt Jubilæum, eligendi Confeſſarium pro iis gratiis acquirendis, quæ tempore jubilæi obtineri poterant, & tamen obtentæ non fuerunt. *n.* 235.

§. II. Hinc poteſt aliquis poſt obtentum, & tranſactum Jubilæum abſolvi à Caſibus reſervatis. *n.* 236.

§. III. Et ejus vota commutari. *n.* 237.

§. IV. Modò iſti caſus reſervati tempore Jubilæi jam fuerint incurſi, & vota jam emiſſa. *n.* 239.

*Quæres.* An peccet, qui conceſſum Jubilæum non lucratur? *n.* 220.

APPENDIX.

*De Suffragiis.*

§. I. Fideles poſſunt ſe invicem vivos juvare ſuffragiis. *n.* 241.

§. II. Fideles poſſunt ſuffragari, & juvare ſuis bonis operibus etiam defunctos. *n.* 225 An defunctis proſit campanarum pulſus, uſus cereorum ardentium, ſepulchra in loco Sacro? *n.* 249.

§. III. Conditiones requiſitæ ad Applicationes ſuffragiorum. *n.* 251.

§. IV. Communicatio Bonorum operum, & ſuffragiorum facta Aliis per Filiantias, ſeu litteras filiationis. *n.* 255.

# E L E N C H U S, APPENDICIS CENTIFOLIÆ.

*Ubi Numerus Paginam demonſtrat.*

## CENTUM ASSERTIONES SELECTÆ


Ex Univerſa Theologia. pag. 277

*Ex I. Libro Sententiarum de DEO Uno, & Trino, ac Beatitudine.*

Aſſertio I. Exiſtentia DEI à poſteriori demonſtrari poteſt. ib.

Aſſertio II. Ratio ultimò conſtitutiva, & diſtinctiva eſſentiæ Divinæ eſt ipſius exiſtentia eſſentialis. ibid.

Aſſertio III. Inter Eſſentiam divinam, & Attributa Divina datur Diſtinctio Scotiſtica. ibid.

Aſſertio IV. Immutabilitas Divina excludit à DEO receptionem relationis realiter diſtinctæ. 278

Aſſertio V. Res temporales non coextiterunt Phyſicè Æternitati DEI. ibid.

Aſſertio VI. Ideæ Divinæ ſunt ipſæmet Creaturæ à DEO præconceptæ ut factibiles. ibid.

Aſſertio VII. DEUS novit futura libera abſoluta in ſua Eſſentia, ſuppoſito ſuo libero decreto de eorum futuritione. ibid.

Aſſertio VIII. Dictum Decretum non eſt Phyſicè prædeterminans. ibid.

Aſſertio IX. Dictum Decretum eſt concomitans voluntatem creatam determinando. ibid.

Aſſertio X. Non datur in DEO ſcientia Media. ibid.

Aſſertio XI. Omnipotentia Divina eſt ipſa voluntas Divina volitioni Divinæ efficaci ſubordinata. 279

Aſſertio XII. DEUS habet veram, & ſinceram voluntatem ſalvandi omnes homines. ibid.

Aſſertio XIII. Prædeſtinatio efficax Electorum ad gloriam facta eſt ex præviſis eorum meritis. ibid.

Aſſertio XIV. Prædeſtinatio ad gloriam ordine Intentionis facta eſt ante prævisa merita, ordine tamen Executionis præſupponit merita. ibid.

Aſſertio XV. Reprobatio poſitiva facta eſt propter prævisa demerita. 280

Aſſertio XVI. Proceſſiones Divinæ non ſunt Intellectio, & volitio eſſentialis, ſed actus notionales, ſcilicèt Dictio Verbi, & Spiratio activa Spiritus Sancti. ibid.

Aſſertio XVII. Perſonæ Divinæ formaliter conſtituuntur, & diſtinguuntur per proprietates Perſonales Relativas. ibid.

Aſſertio XVIII. Præter Paternitatem, Filiationem, & Spirationem Paſſivam in SS. Trinitate datur etiam Spiratio activa. ibid.

Aſſertio XIX. Relationes Originis formaliter non dicunt Perfectionem ſimpliciter ſimplicem. ibid.

Aſſertio XX. Datur in Divinis etiam ſubſiſtentia abſoluta, Naturæ Divinæ conveniens, ut præſcindit à Perſonalitatibus. ibid.

Aſſertio XXI. Proceſſiones Divinæ non præſupponunt cognitionem Creaturarum. 281

Aſſertio XXII. Proceſſio Filii eſt generatio, & non Proceſſio Spiritus Sancti, quia Filius procedit per intellectum naturaliter, & Spiritus Sanctus per voluntatem liberè, libertate eſſentiali, non contingentiæ. ibid.

Aſſertio XXIII. Filiatio, & non Spiratio activa eſt ratio formalis prima, & eſſentialis diſtinctiva Filii à Spiritu Sancto. ibid.

Aſſertio XXIV. Oculus corporeus nequit elevari ad videndum DEUM. ibid.

Aſſertio XXV. Poſſibilis eſt ſpecies impreſſa Divinæ Eſſentiæ. ibid.

Aſſertio XXVI. Lumen gloriæ de facto neceſſariò requiritur in Beatis ad eliciendam Viſionem Beatam; de potentia tamen Dei abſoluta poteſt intellectus creatus ſine lumine gloriæ ſibi intrinſeco elevari ad Viſionem Beatam per ſolum concurſum DEI extrinſecum. 282

Aſſertio XXVII. Per potentiam DEI abſolutam poteſt videri Eſſentia Divina ſine Perſonalitatibus, & Attributis. ibidem.

Aſſertio XXVIII. Beatitudo formalis conſiſtit eſſentialiter in viſione, & Fruitione Beatifica principaliùs tamen in fruitione. ibid.

*Ex II. Libro Sententiarum, de Angelis, Statu Innocentiæ, Peccatis, Gratia, Juſtificatione, Merito, & Legibus.*

Aſſertio XXIX. Non repugnat dari plures Angelos ſolo numero differentes. ibid.

Aſſertio XXX. Angeli non ſunt in Loco per ſuam operationem. ibid.

Aſſertio XXXI. Angeli juxta ſuam puram naturam conſiderari potuiſſent peccare in primo inſtanti ſuæ Creationis. 283.

Aſſertio XXXII. Angeli naturaliter poſſunt cognoſcere ſecreta cordium. ibid.

Aſſertio XXXIII. Potuit DEUS Adamum creare in ſtatu naturæ puræ. ibid.

Aſſertio XXXIV. Adam in ſtatu Innocentiæ priùs potuit peccare venialiter, quàm mortaliter. ibid.

Aſſertio XXXV. Cum ſolo originali peccato defuncti non patiuntur pœnam ſenſus. ibid.

Aſſertio XXXVI. Beatiſſima Virgo Maria eſt concepta ſine peccato originali. ibid.

Aſſertio XXXVII. B. V. Maria non habuit debitum proximum contrahendi peccatum originale. ibid.

Aſſertio XXXVIII. De ratione peccati eſt eſſe contra Legem. 284

Aſſertio XXXIX. Formalis malitia peccati actualis eſt privatio debitæ rectitudinis. ibid.

Aſſertio XL. Peccatum habituale eſt reatus ſeu dignitas ad pœnam ut orta immediatè ex peccato actuali. ibid.

Aſſertio XLI. Poſſibilis eſt omiſſio pura libera. ibid.

Aſſertio XLII. Omiſſio pura libera poteſt eſſe peccaminoſa ibid.

Aſſertio XLIII. Si tempore omiſſionis actus præcepti ſit impotentia illum faciendi, peccatum omiſſionis contrahitur tunc, quando liberè ponitur ejus cauſa cum prævisione ſecuturæ omiſſionis. ibid.

Aſſertio XLIV. Peccatum mortale in ratione offenſæ DEI non eſt intrinſecè, & ſimpliciter infinitum, ſed tantùm extrinſecè, & ſecundùm quid. 285

Aſſertio XLV. Peccatum veniale conjunctum mortali non punitur in Inferno pœna æterna. ibid.

Aſſertio XLVI. Sine fide, gratia habituali, & actuali poteſt homo lapſus facere aliqua opera moraliter bona ordinis naturalis. ibid.

Aſſertio XLVII. Homo poteſt cum gratia Divina, quæ nulli deeſt, omnia DEI præcepta obſervare. ibid.

Aſſertio XLVIII. DEUS dat omnibus hominibus gratiam ſufficientem ad ſalutem. ibid.

Aſſertio XLIX Gratia Divina non neceſſitat voluntatem humanam ad bonum; nam voluntas gratiæ reſiſtere poteſt. ibid.

Aſſertio L. Gratia, & Charitas habitualis ſunt idem realiter habitus. 286

Aſſertio LI. Juſtificatio eſt effectus formalis gratiæ Sanctificantis, non ex natura rei, ſed ſolùm moralis, & ex ordinatione Divina. ibid.

Aſſertio LII. Gratia Sanctificans materialiter ſpectata, & peccatum mortale poſſunt ſtare ſimul de potentia DEI abſoluta. ibid.

Aſſertio LIII. Peccatum mortale poteſt DEUS de ſua potentia abſoluta remittere ſine infuſione alicujus qualitatis. ibid.

Aſſertio LIV. Sola fides non juſtificat. ibid.

Aſſertio LV. Contritio, & Amor DEI ſuper omnia non juſtificant formaliter, ſed tantùm diſpoſitivè. 287

Aſſertio LVI. Ultima diſpoſitio ad gratiam Sanctificantem non procedit effectivè ab eadem. ibid.

Aſſertio LVII. Opera bona ſunt vitæ æternæ meritoria, & ad eam conſequendam Adultis neceſſaria. ibid.

Aſſertio LVIII. Eccleſia habet poteſtatem Legislativam ad condendas Leges in conſcientia obligantes, poteſque judicare, ac punire tranſgreſſores. ibid.


Ex III.

Digitized by Google

*Ex III. Libro Sententiarum, de Incarnatione Verbi Divini virtutibus Theologicis, & Moralibus.*

Aſſertio LIX. Uno Hypoſtatica eſt realiter diſtincta à Verbo Divino, & humanitate. ibid.
Aſſertio LX. Verbum Divinum fuit immediatè unitum Sanguini exiſtenti in Corpore Chriſti, & effuſo in Triduo mortis ejus. ibid.
Aſſertio LXI. Humanitas Chriſti exiſtit exiſtentia propria creata. 288
Aſſertio LXII. Chriſtus ut Homo eſt verus filius B. V. Mariæ, per filiationem creatam. ibid.
Aſſertio LXIII. Anima Chriſti per ſcientiam Beatam cognovit ſaltem habitualiter omnia in Verbo Divino, quæ novit verbum Divinum. ibid.
Aſſertio LXIV. Anima Chriſti fuit Sancta formaliter per gratiam habitualem ſanctificantem creatam. ibid.
Aſſertio LXV. Gratia ſanctificans animam Chriſti fuit ſumma de potentia DEI ordinaria; potuiſſet tamen de potentia DEI abſoluta adhuc intendi. ibid.
Aſſertio LXVI. Cauſa phyſica proxima impeccabilitatis Chriſti fuit ejuſdem beatitudo. ibid.
Aſſertio LXVII. Meritum Chriſti non fuit ſimpliciter, & intrinſecè infinitum, ſed tantùm extrinſecè, & ſecundùm quid. ibid.
Aſſertio LXVIII. Chriſti ſatisfactio pro noſtris peccatis erat actua Juſtitiæ, non tamen rigoroſæ. 289
Aſſertio LXIX. Chriſtus adhuc veniſſet vi præſentis Decreti, etiamſi Adam non peccaſſet. ibid.
Aſſertio LXX. Unica tantùm fides eſt Salvifica. ibid.
Aſſertio LXXI. DEUS ſub ratione primæ veritatis in revelando eſt objectum formale fidei Divinæ. ibid.
Aſſertio LXXII. Cum evidentia revelantis poteſt conſiſtere fides infuſa circa rem revelatam. ibid.
Aſſertio LXXIII. Sacra Scriptura continens libros à Concilio Tridentino Seſſ. 4. ſpecificatos in veteri vulgata latina editione eſt verum Verbum DEI. 290
Aſſertio LXXIV. Præter Verbum DEI ſcriptum datur etiam Verbum DEI non ſcriptum, ſeu traditum. ibid.
Aſſertio LXXV. Sola Romana Eccleſia eſt vera DEI, & Chriſti Eccleſia. ibid.
Aſſertio LXXVI. Vera Chriſti Eccleſia debet eſſe viſibilis. ibidem.
Aſſertio LXXVII. Vera Chriſti Eccleſia durabit uſque ad finem mundi. ibid.
Aſſertio LXXVIII. Vera Eccleſia Chriſti eſt infallibilis in decidendis fidei Articulis. ibid.
Aſſertio LXXIX. Pontifex Romanus eſt verus Chriſti Vicarius, ſucceſſor Petri, & caput viſibile veræ Eccleſiæ DEI, & Chriſti. 291
Aſſertio LXXX. Summus Pontifex eſt ſupra Concilium. ibid.
Aſſertio LXXXI. Summus Pontifex ex Cathedra loquens eſt infallibilis in ſuis definitionibus circa materiam fidei, & morum etiam extra Concilium. ibid.
Aſſertio LXXXII. Eſt de fide, Innocentium XIII. eſſe verum Summum Pontificem. ibid.
Aſſertio LXXXIII. Amor Viæ, & Amor Patriæ differunt ſpecie. ibid.
Aſſertio LXXXIV. Non dantur virtutes Morales per ſe infuſæ. 292
Aſſertio LXXXV. Duorum in ſolidum Dominium eſſe non poteſt. ibid.
Aſſertio LXXXVI. Simplex uſus facti nullum eſt Dominium. ibid.

*Ex IV. Libro Sententiarum de Sacramentis in Genere, & Specie.*

Aſſertio LXXXVII. In ſtatu Innocentiæ, ſi perſeveraſſet, non fuiſſent inſtituta Sacramenta. ibid.
Aſſertio LXXXVIII. Remedium Legis naturæ contra peccatum Originale erat Sacramentum propriè dictum. ibid.
Aſſertio LXXXIX. Circumciſio erat propriè dictum Sacramentum. ibid.
Aſſertio XC. Sacramenta novæ Legis cauſant gratiam ſanctificantem non phyſicè, ſed moraliter. 293
Aſſertio XCI. Sacramentum Euchariſtiæ formaliter, & in recto ſolas ſpecies importat, connotat tamen corpus, & ſanguinem Chriſti ſub ipſis contenta. ibid.
Aſſertio XCII. Aqua vino mixta in Calice, mediatè tantùm convertitur in ſanguinem Chriſti. ibid.
Aſſertio XCIII. Actio Tranſubſtantiativa eſt ſolùm adductiva, non productiva. ibid.
Aſſertio XCIV. Chriſtus abſolutè potuiſſet prius exiſtere in Sacramento Euchariſtiæ definitivè quàm in utero B. V. MARIÆ circumſcriptivè. ibid.
Aſſertio XCV. Laicis non debetur ex præcepto Chriſti Communio ſub utraque ſpecie. ibid.
Aſſertio XCVI. Peccatum mortale de abſoluta DEI potentia poteſt remitti ſine pœnitentia. 294
Aſſertio XCVII. Jure Divino ad remiſſionem peccatorum mortalium poſt Baptiſmum commiſſorum neceſſaria eſt eorum ſpecifica, & numerica confeſſio Sacerdoti facienda. ibid.
Aſſertio XCVIII. Datur purgatorium. ibid.
Aſſertio XCIX. Miniſtri veræ Chriſti Eccleſiæ debent vocari, & ordinari à Summo Pontifice, vel ab Epiſcopis non à Laicis. ibid.
Aſſertio C. Vinculum Matrimoniale quà tale poteſt independenter à conſenſu viri, & fœminæ induci auctoritate Divina inter ipſos. ibid.
*Coronis Appendicis Centifolia*, ſeu Rationes, & Motivæ Quinquaginta, cur quis ſecuriſſime Conſcientia debeat in fide Catholica vivere, & mori, & omnes alias Sectas deſerere 297.


# E L E N C H U S, APPENDICIS ALPHABETICÆ.

*Ubi Numerus Paginam deſignat.*

## APPENDIX ALPHABETICA,


In qua Bullæ, & Conſtitutiones Pontificum in Supplementis noſtris citatæ per extenſum referuntur. pag. 299
*Altare Privilegiatum.* Declaratio Alexandri VII. & Clementis IX. circa Altaria Privilegiata. ibid.
Item Innocentii XI. 300
*Beati.* Decretum ſuper cultu Beatis adhuc non Canonizatis præſtando. ibid.
*Bulla Cœnæ Domini* ex integro adducitur. 301
*Caſus Reſervati Regularium.* Decretum Clementis VIII. ſupra caſuum reſervatione ab omnibus Regularium Superioribus obſervandum. 304
*Clauſura Monaſteriorum.* Decretum Gregorii XIII. de Clauſura Monialium. ibid.
*Communio Quotidiana.* Decretum Innocentii XI. circa Communionem quotidianam. ibid.
*Confraternitas;* Bulla Clementis VIII. Circa Inſtitutionem Confraternitatum. 305
*Decreta* Sacræ Congregationis Rituum. 307
*Eccleſiarum Ornamenta.* Decretum Innocentii XI. Circà Ornamenta Eccleſiarum Fratrum Minorum. 312
*Exercitia Spiritualia.* Decretum Alexandri VII. Circa Indulgentias ea per octo dies peragentibus conceſſas. ibid.
*Feſtum* Immaculatæ Conceptionis B. V. MARIÆ præcipitur celebrandum à Clemente XI. 3?? & 312
*Immunitas Eccleſiaſtica Localis, ſeu Jus Aſyli.* Conſtitutio Gregorii XIV. de Immunitate Eccleſiaſtica Locali, ſeu de Jure Aſyli. 312
*Indulgentia.* Bulla Pauli V. Regularibus conceſſas indulgentias revocantis, & novas concedentis. 313
*Indulgentia conceſſa Archi-Confraternitati* Chordigerorum S. Franciſci Seraphici à Paulo V. per Bullam, *Nuper Archi-Confraternitati.* 314
*Indulgentia conceſſa* pro feſtis Ordinis S. P. N. Franciſci Seraphici à Sixto V. per Bullam: *Cùm à primævo.* 315
*Indulgentia conceſſa pro feſto Portiunculæ* extra Aſſiſium à Gregorio XV. per Bullam: *Splendor Paternæ Gloriæ.* ibid.
*Indulgentia Portiunculæ Aſſiſiatenſis* non ſuſpenditur in Anno Jubilæi. Ex Bulla Innocentii XII. quæ incipit: *Cùm ob Sacri.* ibid.
*Indulgentia Portiunculæ* poteſt applicari pro Defunctis ex Bulla Innocentii XI. quæ incipit: *Aliàs felic. Recor.* 315 & 316
*Indulgentia Portiunculæ* poteſt obtineri toties, quoties ſecunda die Auguſti viſitatur Eccleſia Franciſcanorum, ex

Decreto S. Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretnm. ibid.
*Indulgentia conceſſa pro Feſtis* SS. Joannis à Capiſtrano, & Paſchalis Baylon ea Ordioe noſtro Seraphico, ab Alexandro VIII. Bulla *Redemptor*. ibid.
*Indulgentia conceſſa obeuntibus viam Crucis*, ſeu montem Calvariæ à Franciſcanis erectum, ab Innocentio XII. Bulla: *Sua nobis*. 316. 317
*Indulgentia Terræ Sanctæ*. Confirmatio earundem à Clemente X. Bulla: *Pris Chriſti*. 317
*Indulgentia Roſariorum, & Crucum Jeroſolymitanarum* conceſſę ab Innocentio XI. per Breve, quod incipit: *Unigeniti DEI Filii*. 318
*Indulgentia Coronarum, & Crucum Jeroſolymitanarum*, & Caravaccenſium declarantur ab Innocentio XIII. per Decretum: *Nuper Sacra*. ibid.
*Libri ex Bibliotheca*. Bulla S. Pii V. quæ incipit: *Cùm ſicut accepimus*, prohibentis libros extrahi ex Bibliothecia Franciſcanorum. 319
*Litteræ Pœnitentiariæ* poſſunt aperiri à Lectoribus Jubilatis Ordinis Seraphici ex Bulla Innocentii XI. *Exponi nobis*. ibid.
*Matrimonium Clandeſtinum*. Breve Urbani VIII. ad Archi-Epiſcopnm Colonienſem ſupra quibuſdam dubiis de Matrimonio Clandeſtino. 320
*Miſſæ Defunctorum*. Decretum de non celebrandis Miſſis privatis pro Defunctis in feſtis duplicibus, editum ab Alexandro VII. 320
*Miſſa in Eccleſiis Regularium*. Conſtitutio Leonis X. declarantis, Miſſam audientes in Eccleſiis Fratrum Mendicantium diebus Dominicis, & feſtis ſatisfacere præcepto Eccleſiæ. ibid.
*Miſſa in Oratoriis Privatis*. Decretum Clementis XI. De Miſſæ Celebratione in Oratoriis privatis. 321
*Parochus*. Decretum Sacræ Congregationis Concilii ſuper applicatione Sacrificii à Parochis. ibid.
*Privilegiorum communicatio*, facta tribus Ordinibus S. P. N. Franciſci à Clemente VII. Bulla. *Dum fructus uberes*. 322
*Privilegiorum confirmatio* facta tribus Ordinibus S. P. N. Franciſci à Clemente VIII. Bulla. *Ratio Paſtoralis*. ibid.
*Privilegiorum conceſſio* Societati JESU à Paulo III. Bulla: *Cùm inter cunctas*. 324
*Privilegiorum Declaratio*, facta à Clemente X. Bulla: *Superna magni*. ibid.
*Privilegiorum vivæ vocis oraculo conceſſorum revocatio* facta ab Urbano VIII. Bulla: *Alias felic. Record.* 326
*Profeſſio fidei Catholicæ*. Bulla Pii IV. continens formam Juramenti Profeſſionis Orthodoxæ fidei. 327
*Propoſitiones damnatæ* ab Alexandro VIII. 328
*Propoſitiones Bajanæ* primitùs damnatæ à S. Pio V. Papa. 329
*Propoſitiones Janſenianæ* damnatæ ab Innocentio X. Alexandro VII. & Clemente XI. 331
Propoſitiones Queſnellianæ damnatæ à Clemente XI. per Bullam: *Unigenitus*. 333
Prohibitio Theſis de uſu ſcientiæ ex confeſſione acquiſitæ. 336
Decreta Generalia pro Reformatione Regularium. ibid.
*Decretum Clementis VIII.* Super Receptione, & educatione novitiorum Religioſorum. 338
*Decretum S. Congregationis* contra Tertiarios portantes habitum Franciſcanum. 340
*Tertiariorum Indulgentiæ* conceſſæ à Clemente V. ibid.
Item conceſſæ ab Innocentio XI. 341
*Indulgentiæ conceſſæ* Franciſcanis docentibus Doctrinam Chriſtianam. ibid.
*Indulgentiarum, & Privilegiorum* Franciſcanis conceſſorum communicatio, & confirmatio. 392

# NOI REFORMATORI
## DELLO STUDIO DI PADOA.

Avendo veduto per la Fede di Reviſione, ed approbazione del P. *F. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore* nel Libro intitolato *Supplementum Theologiæ Moralis Decalogalis R. P. F. Patritii Sporer, & Supplementum Theologiæ Moralis Sacramentalis Auctore R. P. F. Kiliano Kazenberger* non v'eſſer coſ' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza à *Nicolò Pezzana* che poſſi eſſer Stampato, oſſervando gli Ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padoa.

Dat. li primo Luglio 1725.

( Gio: Franceſco Moroſini k. R.
( Andrea Soranzo P. R.
( Pietro Grimani k. P. R.

*Agoſtino Gadaldini Segretario.*

SUP-

# SUPPLEMENTUM THEOLOGIÆ MORALIS SACRAMENTALIS,

## R. P. F. PATRITII SPORER

Paſſavienſis, Ord. Frat. Min. Recollect. Provinciæ Argentinæ, SS. Theol. Lectoris Jubilati.

SUpplementum hoc continet in ſe tria Capita: Primum erit de Sacramento Baptiſmi. Secundum erit de Sacramentis Confirmationis, & Extremæ Unctionis. Tertium erit de Indulgentiis, & Jubilæo. Acceſſit duplex *Appendix*, videlicet *Centifolia*, continens centum Aſſertiones ex Theologia Scholaſtica, & Polemica Selectas, breviter probatas, & ab Objectionibus defenſas; & *Alphabetica*, continens Bullas, & Conſtitutiones Pontificias per extenſum poſitas, & in noſtris Supplementis Theologiæ Moralis hinc inde citatas.

### CAPUT PRIMUM DE SACRAMENTO BAPTISMI.

CElebris apud Sanctos Patres, & Theologos eſt diviſio Baptiſmi in Baptiſmum *Fluminis, ſeu Aqua, Flaminis, & ſanguinis*. Baptiſmus fluminis eſt Baptiſmus in re ſuſceptus: Baptiſmus flaminis eſt Baptiſmus in Voto: Baptiſmus denique Sanguinis eſt Martyrium. De primo dicitur *Joann. 3. Venit JESUS, & Diſcipuli* ejus *in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat*. De ſecundo legitur *Actorum 1. Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non poſt multos hos dies*. De tertio dicitur *Marci 10. Poteſtis bibere Calicem, quem ego bibo, aut Baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* Quia verò ſolus Baptiſmus Fluminis eſt Sacramentum: ideò de ſolo Baptiſmo Fluminis agemus in primis tribus Sectionibus hujus Capitis; De reliquis duobus in ultima Sectione hujus Capitis dicemus, quæ ſcire oportebit. Sit itaque in Nomine Domini

### SECTIO I.

*De Sacramenti Baptiſmi Inſtitutione, Materia, & Forma.*

### QUÆSTIO I.

*Quid ſit Baptiſmus, & quando inſtitutus?*

#### SUMMARIUM.

1 *Baptiſmus eſt verum novæ Legis Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum.*

2 & 3 *Explicatur definitio baptiſmi, videlicet, quòd ſit Sacramentum ablutionis Animæ à peccato &c.*

4 *Chriſtus inſtituit Sacramentum baptiſmi ante ſuam Mortem:*

5 *Quamvis certum inſtitutionis ejus tempus non poſſit aſſignari ex Sacra Scriptura.*



### ASSERTIO I.

B*Aptiſmus eſt Sacramentum ablutionis Animæ à peccato, conſiſtens in ablutione Hominis aliqualiter conſentientis, facta in aqua ab alio abluente, & in verbis certis,* 1
*ſimul ab eodem abluente, cum debita intentione prolatis. Baptiſmum Chriſtus inſtituit ante ſuam Mortem: quamvis certum inſtitutionis tempus aſſignari non poſſit*. Ita Doctor noſter Subtilis *in 4. d. 3. quæſt. 1.* Maſtrius *Theol. Moral. diſput. 17. quæſt. 1. artic. 1, n. 3.* & alii.

#### §. I. *Baptiſmus eſt Sacramentum.*

CErtum eſt apud Catholicos, ac etiam Hæreticos no- 2
ſtri temporis, baptiſmum eſſe verum novæ Legis Sacramentum, à Chriſto Domino inſtitutum. Patet hæc orthodoxa veritas ex Sacra Scriptura. *Joann. 3. Niſi quis renatus fuerit ex Aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum DEI, & Marci 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*; per quæ verba, innuuntur *tria* ad Sacramentum novæ Legis requiſita, videlicet *Signum ſenſibile*, nimirùm baptizatio, ſeu ablutio, *Chriſti inſtitutio, & Gratia ſanctificantis collatio*. Eadem veritas definita eſt in *Concilio Florentino, in Decreto unionis Latinorum, & Armenorum, & in Conc. Trident. ſeſſ. 7. Can. 1 de Sacramentis in genere*, eſtque roborata infinita, propemodùm Sanctorum Patrum auctoritate. Et quidem baptiſmus eſt *primum novæ Legis Sacram.* primitate Inſtitutionis, & neceſſitatis, ut docet Concilium Florentinum cit. his verbis; *Primum omnium Sacrament., locum tenet baptiſmus, quod vitæ Spiritualis janua eſt: per ipſum enim membra Chriſti, & de Corpore effici-*

*tur Eccleſiæ*. Et hic Baptiſmus ab Apoſtolo, ob ſui excellentiam, variis compellatur Nominibus. Primò enim *ad Titum 3. v. 6.* dicitur *Lavacrum regenerationis*, quia per illum denuò naſcimur in Chriſto. Secundo *ad Coloſſ. 2. v. 11.* vocatur *Circumciſio non manu facta*. Tertio, appellatur *Sepultura. Rom. 6. v. 4. Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem*, quia nimirùm per Baptiſmum vetus homo ſpoliatur peccatis, & reſurgit in novitatem vitæ. Quartò, compellatur *illuminatio*, quia in eo accipimus lumen fidei. Unde *Hebr. 6. v. 4.* dicitur: *Impoſſibile eſt, eos, qui ſemel ſunt illuminati, &c.* id eſt, Baptizati. Denique vocatur *Unctio, Signaculum, Expurgatio &c.*

### §. II. *Ablutionis Animæ à peccato &c.*

3 BAptiſmus definitur, juxta Aſſertionem noſtram, quòd ſit *Sacramentum ablutionis Animæ à peccato, conſiſtens in ablutione hominis aliqualiter conſentientis, facta in aqua, ab alio abluente, & in verbis certis, ſimul ab eodem abluente cum debita intentione prolatis*. Hanc definitionem bonam eſſe, conſtat ex eo, quia conſtat genere, & differentia, nihilque continet ſuperfluum, ut patebit explicatione. Dicitur I. *Sacramentum*, per hanc particulam aſſignatur genus, per quod Baptiſmus convenit cum reliquis Sacramentis, eſt enim Baptiſmus Sacramenti ſpecies. Dicitur II. *Ablutionis Animæ à peccato &c.* per hoc cum cæteris particulis ſequentibus indicatur differentia baptiſmi à cæteris Sacramentis. Dicitur III. *Conſiſtens in ablutione Hominis*, quia ſi quis baptizaret Monſtrum, quod videretur eſſe Homo, ſi tamen non eſſet, non foret ablutio baptiſmalis. Dicitur IV. *Aliqualiter conſentientis*, quia ſi aliquis invitus, & non conſentiens baptizaretur, nullus foret baptiſmus; cùm Chriſtus neminem cogat ad ſuam Legem, & Sacramenta ſuſcipienda. V. dicitur: *facta in aqua*, per quod indicatur materia remota baptiſmi, juxta illud Chriſti: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c. Joann. 3.* Dicitur VI. *ab alio abluente*, quia ſi quis ſeipſum ablueret, proferendo etiam debitam formam, talis ablutio non eſſet baptiſmalis, & valida, quia forma, *Ego te baptizo &c.* falſificaretur. Dicitur VII. *& in verbis certis;* aſſignatur hìc forma baptiſmi conſiſtens in certis quibuſdam verbis. Dicitur VIII. *ſimul ab eodem abluente prolatis*, quia ſi unus ablueret, & alter pronuntiaret verba formæ baptiſmalis, nullus eſſet baptiſmus, ut infrà dicetur de Miniſtro baptiſmi. Vel ſi quis nunc ablueret infantem, & modò poſt horam pronunciaret verba formæ, iterùm invalidus foret baptiſmus. Dicitur denique: *cum debita intentione prolatis*, quia ſi aliquis ſine intentione conficiendi Sacramentum ablueret aliquem, non valeret baptiſmus. Ex his patet, quod hæc definitio baptiſmi à Doctore Subtili tradita nullam contineat particulam ſuperfluam, ſed ſit data per omnes cauſas; per *efficientem*, ſcilicet per intentionem Miniſtri; per *finalem*, ſcilicet ablutionem animæ à peccato; per *materialem*, nempe ablutionem factam in aqua; per *formalem*, videlicet per certa verba formæ baptiſmalis: ac etiam per *ſubjectivam cum ſuis diſpoſitionibus*, id eſt, hominem aliqualiter conſentientem. Ita Maſtrius *cit. num. 3.*

### §. III. *Baptiſmum Chriſtus inſtituit ante ſuam mortem.*

4 CErtum eſt, baptiſmum fuiſſe verè, & immediatè ab ipſo Chriſto inſtitutum, ut deducitur ex ejus verbis, *Joann. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*. Itaque quæritur de tempore, quo fuerit inſtitutus, an ante, vel poſt mortem, & Reſurrectionem ipſius? Quamvis autem Antiquiores quidam, ut Alenſis, Albertus, Mayron, & alii putaverint, inſtitutum fuiſſe poſt mortem, & reſurrectionem ejus, quando Chriſtus Dominus dixit Apoſtolis *Matt. 28. Euntes ergo docete omnes gentes, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Communis tamen, & verior Sententia docet, baptiſmum fuiſſe à Chriſto inſtitutum ante ipſius Paſſionem, & Mortem. Ita *Scotus in 4. d. 3. quæſt. 4. Faber, Hiquæus, Aretinus, Pontius, Brancatus, Herincx, & cæteri Scotiſtæ*, ac Recentiores paſſim. Ratio eſt: quia *Joann. 3.* dicitur: *Poſt hæc venit Jeſus, & Diſcipuli ejus in terram Judæam & illic demorabatur cum eis, & baptizabat*. Ergo tunc jam fuit inſtitutum baptiſmi Sacramentum: nam uſus Sacramenti ſupponit, aut continet ejus inſtitutionem. Nec valet expoſitio quorumdam dicentium, Apoſtolos tunc baptizantes non dediſſe illum baptiſmum, qui eſt Legis novæ Sacramentum, ſed vel eumdem, quem dabat Joannes Baptiſta, vel alium, qui eſſet ſolùm figura, & quaſi inchoatio Baptiſmi à Chriſto inſtituendi: Non valet, inquam, quia, ut ait Scotus *cit. cum S. Auguſtino c. 118.* videntes diſcipuli Joannis, diſcipulos Chriſti baptizantes, conqueſti ſunt apud Joannem, quòd auſi ſint baptizare; ſi autem baptizaſſent Baptiſmo Joannis, nullam habuiſſent cauſam querelæ, quòd Apoſtoli baptizaſſent; Ergo Apoſtoli non dabant Baptiſmum Joannis, ſed alium omninò diverſum, nimirum à Chriſto inſtitutum: quam Scoti rationem latè proſequitur Suarez *diſp. 19. ſect. 1.* Nec etiam benè dicitur, illum Baptiſmum fuiſſe quidem à Chriſto inſtitutum ante Paſſionem, non tanquam verum Sacramentum, ſed ſolùm tanquam figuram, ac veluti inchoationem poſteà inſtituendi. Non enim conveniens erat, ut Chriſtus ipſe, in cujus adventu umbræ, & figuræ omnes ceſſare debebant, uteretur baptiſmo, qui eſſet ſolùm umbra, & figura veri Sacramenti; maximè, quia baptiſmus ille dabatur in Spiritu ſancto, ut ipſe Joannes Baptiſta atteſtabatur: Ergo gratiam conferebat, & verum erat Sacramentum. Accedit ulterior Ratio, quam affert Herincx, *de Baptiſmo diſp. 5. qu. 1. numer. 5.* Quia Chriſtus ante ſuam Paſſionem in ultima Cœna Apoſtolis dedit Euchariſtiam, ut patet ex Evangelio. Item Ordinem Sacerdotii, ut clarè patet ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 22. cap. 1. & Can. 2.* quod non eſt credendum, feciſſe Chriſtum, iis necdum baptizatis, adeòque Baptiſmo necdum inſtituto: cùm hic juxta Legem ordinariam ſit janua ad reliqua Sacramenta, eorumque effectus percipiendos: de diſpenſatione autem in hac Lege ordinaria non conſtet. Imò non eſt improbabilis quorumdam ſententia, Chriſtum propriis manibus baptizaſſe ſuam dilectiſſimam Matrem, S. Petrum, & cæteros Apoſtolos, licèt enim *Joann. 4* dicatur, Jeſum non baptizaſſe, intelligendum eſt, *communiter, & publicè:* aut certe, quòd, etſi anteà interdum per ſe baptizaſſet, non tamen poſteà, ſeu alio tempore, de quo *Joann. 4.* Nec obſtat, quòd *Joan. 7.* dicatur: *Nondum erat Spiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus:* nam loquitur Scriptura tantùm de ſolemni, & viſibili Spiritus datione, quæ futura erat in Pentecoſte, non autem de inviſibili, & privata, quàm ſæpius conſtat antè contigiſſe, v. g. Magdalenæ, Apoſtolis, &c. Deinde gratiam Spiritus ſancti etiam Apoſtolos ante Paſſionem recepiſſe per ſumptionem Euchariſtiæ, & ſuſceptionem Sacramenti Sacerdotii, eſt indubitatum. Nec refert, quòd nullibi legatur Apoſtolis tradita forma Baptiſmi, niſi poſt Paſſionem, *Matth. ult. baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Potuit namque Chriſtus privatim Apoſtolos, & Diſcipulos docuiſſe formam Baptiſmi, cùm eos frequenter inſtruxerit in Myſterio SS. Trinitatis: etſi Evangeliſtæ id non ſcripſerint. Ita Herincx *c. n. 6.*

### §. IV. *Quamvis certum Inſtitutionis tempus aſſignari non poſſit ex Sacra Scriptura.*

NAm imprimis Chriſtus non inſtituit Sacramentum Baptiſmi, antequàm ipſe baptizaretur à Joanne ſecundùm omnes, quia antequàm Chriſtus eſſet baptizatus, non inchoavit ſtructuram ſuæ Eccleſiæ, neque Officium prædicationis anteà exercuit, ut conſtat ex *Luca 3. & Actor. 1.* Ergo neque Baptiſmi inſtitutionem anteà exorſus eſt. Nec Chriſtus Baptiſmum inſtituit, dum baptizabatur. Quia Chriſtus Dominus non fuit baptizatus baptiſmo ſuo, ſed Baptiſmo Joannis. Ita *Scotus in 4. d. 3. q. 4. n. 2. Suarez, Conincb. Præpoſitus, Maſtrius, Herincx*, & alii. Bene tamen, ait Doctor Subtilis, Chriſtus tunc aquam dedicavit ea contactu ſuæ mundiſſimæ carnis, tanquam ſui baptiſmi materiam idoneam, non communicando ei aliquam virtutem mundandi phyſicam, ſed ordinando eam pro ſui baptiſmi inſtituendi materia idonea. Sic etiam quamvis tunc repræſentata fuerit SS. Trinitas, & apparuerit *Pater in Voce, Filius in Carne, & Spiritus ſanctus in ſpecie Columbæ?* nihilominùs forma baptiſmatis tunc authenticè non fuit inſtituta, ſed tantùm inſinuata, quia tunc SS. Trinitas non fuit *verbaliter* expreſſa, uti ad formam Sacramentalem baptiſmi requiritur. Præterea inſtitutio Sacramenti eſt actus Legiſlatoris, ſed Chriſtus, dum baptizatus fuit, non gerebat perſonam Legiſlatoris, ſed potiùs penitentis. Ergo, denique illa manifeſtatio ad Jordanis ripas facta, tantùm Joanni, & fortè quibuſdam aliis illius diſcipulis cognita erat, & non aliis Chriſti Apoſtolis, & idcircò privata fuit, & non publica manifeſtatio, qualis tamen ad inſtitutionem Sacramenti requirebatur: Ergo Sacramentum baptiſmi non fuit inſtitutum, quando Chriſtus à Joanne fuit baptizatus. Nec etiam fuit inſtitutum per illa Chriſti verba Nicod. dicta *Joan. 3. Niſi quis renatus fuerit ex Aqua &c.* Quoniam non eſt veriſimile, tam neceſſarium pro omnibus omninò hominibus Sacramentum fuiſſe inſtitutum, & præceptum in conclavi, & coram homine privato, qualis tunc erat Nicodemus; ergo convenientiùs erat, ut talis inſtitutio fieret publicè, coram iis maximè 5

ximè, qui ejuſmodi Sacramenti promulgatores, ac Miniſtri eſſe deberent, ſcilicet coram Apoſtolis. Unde ſermo ille Chriſti cum Nicodemo erat tantùm per modum ſimplicis eruditionis, quid poſt inſtitutum Baptiſmum eſſet futurum: non autem per modum inſtitutionis. Quare concludit *Doctor Subtilis cit.* quod licèt inſtitutio Baptiſmi fuerit facta ante mortem Chriſti, tempus tamen præciſum, & determinatum in Evangelio non legatur: & eodem modo etiam diſcurrit D. noſter Seraphicus, *Sanctus Bonaventura in 4. diſtinct. 3. q. 1.* dum ait, quòd Chriſtus non ſolùm inſtituit Baptiſmum, ſed etiam inſinuavit, antequàm inſtitueriț, ac denique inſtitutum illum ſtabilivit, & approbavit. Inſinuavit, quidem, quando fuit à Joanne in Jordane baptizatus: Inſtituit verò, quando ipſe, & diſcipuli ejus baptizabant: Confirmavit denique, & approbavit poſt Reſurrectionem, quando dixit Apoſtolis, *Matth. 28. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti &c.* Ex his omnibus ſequitur, Baptiſmi Sacramentum eſſe à Chriſto Domino inſtitutum ante illud tempus, quo ipſe, & diſcipuli ejus baptizabant. *Joann. 3.*

6 Petes. *Quid dicendum de Baptiſmo Joannis?* R. Baptiſmum quo baptizavit Sanctus Joannes Baptiſta, non fuiſſe Baptiſmum Chriſti, neque Sacramentum. Ratio eſt, quia ipſe Sanctus Joannes *Matth. 3.* ait: *Ego baptizo vos in aqua, in Pœnitentiam, qui autem poſt me venturus eſt, ipſe baptizabit vos in Spiritu, & igni*: Ergo Baptiſmus Joannis non conferebat gratiam ex opere operato, ſicut confert Baptiſmus Chriſti, ſed tantùm ex opere operantis, videlicet propter adjunctos Pœnitentiæ actus. Deinde Sanctus Joannes non poterat inſtituere Sacramentum, ſed Baptiſmus ejus erat tantùm diſpoſitio præparativa ad Baptiſmum Chriſti. Denique Concilium Tridentinum *ſeſſ. 7. Can. 1. de Baptiſmo definit, ſi quis dixerit, Baptiſmum Joannis habuiſſe eandem vim cum Baptiſmo Chriſti, Anathema ſit.*

## QUÆSTIO II.

*De remota Baptiſmi Materia.*

### SUMMARIUM.

8 & 9 *Materia remota valida Baptiſmi eſt ſola aqua naturalis, & elementaris.*
10 *Omnis alius liquor, qui non eſt aqua naturalis, non eſt Materia valida Baptiſmi.*
11 *Materia remota licita Baptiſmi eſt aqua benedicta è fonte baptiſmali.*
12 *In neceſſitate, deficiente materia certa, adhibenda eſt aqua dubia.*
13 *Regula practica obſervanda in collatione Sacramenti Baptiſmi.*

### ASSERTIO II.

7 *Materia remota valida Sacramenti Baptiſmi eſt ſola aqua ſimplex naturalis, & elementaris: Conſequenter omnis alius liquor, qui non eſt talis aqua, non eſt Materia valida hujus Sacramenti. Materia verè etiam licita eſt aqua benedicta è fonte baptiſmali. In neceſſitate tamen adhibenda eſt aqua dubia.* Eſt communis apud Herincx, Gobat, & Alios.

#### §. I. *Materia remota valida Sacramenti Baptiſmi eſt ſola aqua Naturalis, & Elementaris.*

8 Eſt de fide definitum in Concilio Lateranenſi *cap. firmiter, de ſumma Trinitate.* & Concilio Florentino *in Decreto Eugenii*, & Concilio Tridentino *ſeſſ. 7. can. 2. de Baptiſmo.* definiente. *Si quis dixerit, aquam veram, & naturalem, non eſſe de neceſſitate Baptiſmi, Anathema ſit.* Ratio eſt quia in Sacra Scriptura. *Joann. 3.* Chriſtus ait. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua.* Et *Actorum* 8. dicitur. *Deſcenderunt uterque in aquam Philippus & Eunuchus, & baptizavit eum.* Idipſum confirmat unanimis Sanctorum Patrum conſenſus perpetuus, & univerſalis uſus Eccleſiæ, & praxis. Ultimò Doctor noſter Subtilis *in 4. diſt. 3. quæſt. 3.* apud Maſtrium *citatum quæſt. 2. num. 16.* abſoluta (inquit) Ratio, cur hæc materia ſit neceſſaria, fuit voluntas inſtituentis: Rationes autem, ſeu congruentiæ hujus voluntatis ſunt potiſſimæ: quia aqua eſt *frigida, fluida, lucida, neceſſaria, & communis*, quæ proprietates illi humori conveniunt, in quo debet fieri baptiſmus, quia eſt ad reprimendum æſtum concupiſcentiæ, ad flectendum rigorem inobedientiæ, ad illuſtrandam claritatem fidei, ad introducendum in viam ſalutis, & hoc Sacramentum eſt commune omnibus, & cùm ſit Sacramentum neceſſitatis, in ea materia debuit inſtitui, quæ ubique reperiatur.

Nec obſtat, quòd S. Joannes Baptiſta *Matth. 3.* dicat: *Chriſtum Baptizaturum in Spiritu ſancto, & igni.* Quia S. Joannes ibi non loquitur de materia hujus Sacramenti, nec ignem ſumit propriè, ſed metaphoricè, quatenùs ſignificat, Baptiſmum Chriſti conferre ignem charitatis, & gratiæ, quem ſuus Baptiſmus conferre nequiverat. Deinde nuſquam legitur, Chriſtum, aut ejus diſcipulos, aut primitivam Eccleſiam baptizaſſe cum igne, quia ignis nequit baptizare, ſeu abluere. 9

#### §. II. *Omnis alius liquor, qui non eſt aqua naturalis, non eſt materia valida Baptiſmi.*

Ratio clara eſt, cùm enim ea prædictis, ſola vera, & ſimplex, naturalis, & elementaris ſit valida Baptiſmi materia, conſequenter omnis alius liquor non erit valida materia baptiſmi. Ex quo *Sequitur I.* Validam baptiſmi materiam eſſe aquam elementarem, calidam, frigidam, pluvialem, fluvialem, fontanam, marinam, amaram, dulcem, ſulphuream, uti eſt Thermarum, Acidulariam, turbidam, vel parùm lutoſam, item aquam reſolutam ex nive, vel gelu, vel vaporibus condenſatis, vel fluentem ex lapidibus, aut parietibus hiberno tempore: nam eſt liquor ex aere converſus in veram aquam naturalem. Ita P. Gobat *tract. 2. de Baptiſmo caſu 1. ſect. 1. num. 18. & ſeqq.* citans Divum Thomam, Tannerum, Dianam, & Alios. *II. Sequitur* invalidam baptiſmi Materiam eſſe Vinum, Lac, urinam, ſanguinem, oleum, lacrymas, ſalivam, ſudorem, phlegma, ſeu pituitam, item liquores, & ſuccos expreſſos ex pyris, pomis, ceraſis, herbis, arboribus, radicibus, granis, & ſimilibus, Idem dicendum de nive, grandine, glacie, pruina, niſi priùs diſſolvantur: Licèt enim ſint aqua naturalis, non tamen ſunt aqua uſualis, ſeu fluida, per quam poſſet fieri ablutio, quæ tamen utpotè materia proxima baptiſmi, ad ejus valorem, & eſſentiam requiritur. *Sequitur III.* Materiam baptiſmi dubiam eſſe aquam roſaceam, aquam ex ſale reſolutam, liquores naturaliter ex arboribus emanantes, vel per diſtillationem ex herbis, floribus, &c. eductos. Item juſculum tenue, cerviſiam tenuem, ſicut etiam atramentum tenue. Secùs foret, ſi hæc ſint valdè craſſa, ita ut in eis non remanſerit quoad ſubſtantiam aqua naturalis: tunc enim utique ſunt materia baptiſmi certò invalida. Ita Doctores Angelicus, & ſubtilis *in 4. d. 3. q. 3.* & varii Doctores apud Gobat *cit. n. 23. & ſeqq.* Pro confirmatione prædictorum, accipe ſequentem caſum, reſolutum ab Innocentio III. *cap. non ut. de Baptiſmo, & ejus effectu.* 10

*Poſtulaſti, utrùm parvuli ſint pro Chriſtianis habendi, quos in articulo mortis conſtitutos, propter aquæ penuriam, & abſentiam Sacerdotis, aliquorum ſimplicitas in caput, & pectus ac inter ſcapulas pro baptiſmo, ſalivæ conſperſione linivit? Reſpondemus, quod, cùm in baptiſmo duo ſemper videlicet verbum, & elementum, neceſſariò requirantur dubitare non debes, illos verum non habere Baptiſmum, in quibus non ſolùm utrumque prædictorum, ſed etiam alterum eſt omiſſum.*

#### §. III. *Materia licita baptiſmi eſt aqua benedicta è fonte baptiſmali.*

Mortale ſacrilegii peccatum comittit ille, qui in collatione baptiſmi, utitur aqua impura, & turbida, abſque gravi neceſſitate. Palaus *part. 4. tract. 19. punct. 3.* Bonacina *de baptiſmo, punct. 3. numer. 7.* Gobat *cit. num. 41.* & alii. Ratio eſt, quia in re gravi agit contra reverentiam Sacramenti. Ille quoque graviter delinquit, qui *in ſolemni baptiſmo*, abſque neceſſitate abluit aqua alia, quàm è ſacro fonte. Bonacina *punct. 7.* Palaus *ibidem*. Imò mortaliter peccat juxta Nugnum *in 3. part. quæſt. 79. artic. 4.* Sylveſtrum *V. baptiſmus 2. quæſt. 3.* tùm ob *Clementinam unic. de baptiſmo*, tum ob morem univerſalem Eccleſiæ. At verò Antonius de Quintannadvenas, *ſingular. tract. 1. ſingul. 37.* latè defendit, intervenire culpam ſolùm venialem, quam etiam evadunt illi, qui ſecuti morem ſuæ Diœceſis, quando eſt acerrimum frigus, adhibent aquam communem tepefactam. Dictum eſt; *in ſolemni baptiſmo*. Nam in privato omittitur liberè benedicta. Paſqualigus *in deciſ. mor. dec. 75.* Quintannad. *loco citato*. Gobat *cit. num. 41.* La Croix *l. 6. parte 1. n. 263.* & alii. 11

#### §. IV. *In neceſſitate adhibenda eſt aqua dubia.*

Ita communis apud Gobat *cit. num. 36.* Ratio eſt, quia quilibet jure naturali, Divino, & humano tenetur æternam alterius perniciem impedire, ſaltem, quando poteſt, ſine ſuo gravi damno, & peccato: atqui deficiente materia certa baptiſmi, poteſt quiſpiam per materiam dubiam applicatam impe- 12

pedire æternam alterius perniciem, quia poteſt eſſe, quòd ſit materia valida, & quidem ſine ſuo damno, ut patet, ac etiam ſine peccato; cùm neceſſitas, & appoſitio conditionis evitet nullitatem, & irreverentiam Sacramenti: ergo in tali caſu non ſolùm quis licitè poteſt, ſed etiam ex charitate ſub peccato mortali, & Parochus inſuper ex juſtitia tenetur adhibere dubiam Baptiſmi materiam. Dicaſtillus *tom. 1. in 3. part. tract. 2. diſp. 1. numer. 34.* Herinca *diſp. 5. de Baptiſmo, quæſt. 2. numer. 16.* & communis: Ita tamen, ut dum adhibetur materia dubia, id fiat ſub conditione *ſi valida ſit*, & ut deindè habita materia certiori, Baptiſmus ſub conditione neceſſario reiteretur. Ad materiam dubiam Baptiſmi revocatur illa, de cujus valore ſunt diſſentientes Doctorum opiniones, & nos *ſuprà §. 2. numer. 50.* aſſignavimus. Generaliter autem in neceſſitate ſufficit in alterius defectu, adhiberi materiam, quam non ſit certum, non eſſe aquam; ſeu de qua dicere quis poſſit, fortè eſt aqua neceſſitate,& adjuncta, ſeu mente retenta conditione, abſtergente periculum irreverentiæ. Quare Miniſtro Baptiſmi obſervandæ ſunt ſequentes Regulæ Morales, & practicæ ab omnibus, aut pleriſque admiſſæ, traditæ à Patre Gobat *cit. num. 35. & ſeqq.*

Regulæ practicæ

*Obſervandæ in Collatione Sacramenti Baptiſmi.*

13 R*Egula I.* Peccat mortaliter, qui cùm poſſit habere aquam elementarem, adhibet aliam. Ita omnes. Quia ſcilicet abſque urgente cauſa exponit ſalutem infantis ſupremo diſcrimini. Sicuti nullo caſu licet in Sacramentis conficiendis uti materia, vel forma certò ineptis.

*Regula II.* Qui vero nequit habere aquam elementarem, non modò licitè adhibet (ſi ſit periculum in mora) aliquam ex his, de quibus dubitant Doctores, ſed etiam tenetur adhibere ſub mortali, ut nominatim de Roſacea docet Leſſius. Ratio hujus Regulæ jam data eſt *num. præced.*

*Regula III.* Idem dic de materia omninò dubia, ſicut poteſt fieri in tenebris, ut quis neſciat, an capiat aquam, an acetum. Diana *part. 5. tract. 3. reſolut. 1.* citans multos. Etenim in dubio adhibenda eſt ægro periclitanti potiùs Medicina dubia (ſaltem ſi non ſit obfutura) quàm nulla. Sanchez *l. 1. Moral. c. 9. n. 39.* Ex communi.

*Regula IV.* In utroque autem caſu conferendus eſt Baptiſmus non *abſolutè*, ſed *conditionaliter*, voce, vel mente ſola dicendo, *Si hæc materia eſt apta, & valida, ego te Baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.*

*Regula V.* Quando poſſibilitas adeſt, via tutiſſima eligenda eſt, ſi non adeſt poſſibilitas, via tutiſſima proxima tenenda eſt: ceſſante impoſſibilitate cautè eſt ſupplendum id, quod impoſſibilitas prohibebat. Ita *ſapienter, & breviter loquitur Scotus in 4. diſt. 3. q. 2.* ait Gobat *cit. n. 39.*

*Regula VI.* Qui moritur tinctus lavacro dubio, vel æqualiter probabili, ſepeliendus eſt in loco ſacro. Marchant. *in ſimili reſol. Paſtor. de Sacrament. tr. 2. cap. 1. n. 2.* Nam Jure ſacræ glebæ non eſt quis privandus in dubio.

## QUÆSTIO III.

*De Materia proxima Baptiſmi.*

SUMMARIUM.

15 *Baptiſmi Materia proxima eſt ablutio Hominis facta per aquam.*
16 *Quales corporis humani partes debeant ablui per aquam?*
17 *An aqua immediatè, & phyſicè tangere debeat corpus baptizandi, & quæ aquæ quantitas requiratur ad valorem Baptiſmi?*
18 *Exemplificatur aliquibus caſibus.*
19 *An ſubmerſio occiſiva infantis ſit materia valida Baptiſmi.*

## ASSERTIO III.

14 B*Aptiſmi Materia proxima eſt ablutio Hominis, facta per aquam, quæ quidem aqua aliquam ex præcipuis corporis partibus, immediatè, & phyſicè, tangere, ſeu abluere debet: non tamen baptizandum occidere.* Ita Communis DD.

### §. I. Baptiſmi Materia proxima eſt ablutio.

15 ITa D. Thomas *quæſt. 66. art. 1. & 4.* Doctor ſubtilis *in 4. diſt. 3. quæſt. 3.* omneſque alii. Modò per eam, Corpus poſſit dici verè lotum, ſeu ablutum: ſive dein aliquæ ſordes per eam auferantur, ſive nullæ, nam ſufficit, modò poſſint aliquæ etiam minimæ auferri per eam, ſi adeſſent; nec enim Baptiſmus eſt inſtitutus ad abluendas ſordes corporis. Bonacina *hic diſput. 2. quæſt. 2. punct. 3. numer. 14.* Idque patet ex *Matth. ultimò, baptizantes eos*, id eſt, *abluentes eos*, & ex forma Baptiſmi: *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* Unde Magiſter ſententiarum citans verba illa S. Auguſtini: *Accedit Verbum ad Elementum, & fit Sacramentum*, ſubjungit: *Non utique ipſum Elementum fit Sacramentum, ſed ablutio facta in Elemento.* Quare certum eſt, ad valorem Baptiſmi requiri ablutionem non tantùm activam ex parte Miniſtri abluentis: ſed etiam paſſivam ex parte ſuſcipientis. Quænam verò ex his ſit materia proxima Baptiſmi, & ſubjectum proximum ſignificationis Sacramentalis? Reſolvit Scotus *4. diſtinct. 6. quæſtion. 2.* defendens ablutionem paſſivam eſſe materiam proximam Baptiſmi. Ratio eſt, quia ſi Baptiſmus conſiſteret in ablutione activa, ſequeretur, quod baptizans reciperet Sacramentum Baptiſmi, quia juxta phyſicam, actio recipitur in agente, tanquam in ſubjecto: ſequela non admittitur: ergo. Accedit, quòd ſi quis ſimul plures baptizaret eadem aſperſione aquæ, foret ibi unicus tantùm Baptiſmus, quia eſſet unica tantùm actio aſpergentis, ſed hoc non admittitur; ergo. Hinc *Sequitur I.* Glaciem, & nivem non eſſe materiam Baptiſmi: quamdiù enim non reſolvuntur, nequit in iis fieri ablutio: hæc namque dicit motum materiæ liquidæ circa corpus abluendum. Imò juxta multos apud Herinx *cit. quæſt. 3. numer. 19.* etiam neceſſariò pro valore Baptiſmi, debet reſolutio glaciei, ſive nivis fieri; dum adhuc ſubeſt manui baptizantis, vel applicationi, antequàm recipiatur in corpore baptizati, ſic ut ex manu baptizantis ſtillæ dimittantur in corpus baptizandi, quia aliàs non ſatis apparet, ipſum propriè abluere. *Sequitur II.* Ad valorem Baptiſmi eſſe indifferens, ſive ablutio fiat per *aſperſionem*, ſive per *effuſionem* aquæ in corpus, ſive per *immerſionem* corporis in aquam. Ita Divus Thomas *quæſt. 66. art. 7.* & omnes Scholaſtici teſte Vaſquez, apud Herinex *cit. numer. 24.* idem tradit Rituale Romanum, *tit. de forma Baptiſmi*. Ratio eſt, quia quovis ex his tribus modo poteſt homo ſufficienter dici ablutus. Similiter ad valorem eſt indifferens, utrùm adhibeatur trina, vel una tantùm immerſio, ſeu infuſio: cùm etiam unica ſufficiat ad denotandum hominem ablutum. Patet hoc quoque ex conſuetudine Eccleſiæ, quæ ob diverſas rationes occurrentes, modò unicam immerſionem, modò trinam adhibuit, juxta Gregorium *lib. 1. Ep. 41. & Refertur cap. de Trinit. diſt. 4. de Conſecr. & Toletanum IV. cap. 5. ut refertur c. propter. 85. de Conſecr. diſt. 4.* In praxi ſervanda eſt conſuetudo cujuſcunque loci, ac obſequendum Ritualibus Diœceſanis: num verò quis peccet mortaliter baptizans per effuſionem, quando in ejus Diœceſi præſcribitur immerſio, & vice verſa? Reſpondet Divus Thomas *quæſt. 66. artic. 8. in corpore*, peccare graviter, qui non immergit ter, cum cæteroquin deberet. Nugnus *in eundem Articulum*, putat delinquere mortaliter, qui utitur aſperſione, cùm deberet ex ritu Diœceſano uti immerſione, vel effuſione. Sotus, Gregorius de Valentia, Dicaſtillus, & plures alii apud Gobat *cit. num. 63.* generatim non agnoſcunt noxam niſi venialem, ſicuti nec ego, ait Gobat cit. quia non exiſtimo, extare in Ritualibus Diœceſanis verba, quibus exprimatur obligatio ad mortale. Itaque gravitas peccati deſumenda eſt ſolùm ex metu ſcandali.

### §. II. Hominis.

REceptum eſt apud omnes, non debere ablutionem fieri in toto corpore, aut majori ejus parte, alioquin 16
nullus Baptiſmus nunc perfectus eſſet, quia regulariter in ſolo capite confertur: *Non enim eſt veriſimile*, inquit Scotus *4. diſtinct. 4. quæſt. 3. quòd in die Pentecoſtes, quando baptizati ſunt tria millia ab Apoſtolis, Actorum 2. quòd quilibet quantùm ad totum corpus ſuum lavaretur aqua, ſed præcisè, quantùm ad faciem aſpergendo.* Difficultas tamen eſt, quænam pars corporis ablui debeat, ut validus ſit Baptiſmus? & quidem conveniunt Doctores, Baptiſmum haud dubiè fore validum ſi caput Hominis abluatur, quod docet Doctor Angelicus *qu. 56. art. 11. &* Subtilis *loc. cit.* ubi dicit: Quòd ſi appareat *extra uterum Matris*, caput infantis, & in ea corporis parte baptizetur, ſi puer naſceretur, & ex utero Matris exiret: non oportèret ipſum rebaptizare, quia illa cenſetur pars hominis præcipua, utpotè in qua viget omnis ſenſus, & hoc ex Eccleſiæ præcepto faciendum eſſe conſtat *ex c. Poſtquàm vos de Conſ. d. 4. & ex Cathechiſmo Romano, p. 2. c. 1.* Validum quoque fore Baptiſmum exiſtimant Sotus, Suar. Laym. & plures alii, *apud* Maſtr. *Th. Mor. d. 17. q. 2. a. 11.*

Sca-

Digitized by Google

Scapulæ, pectus, aut alia hujuſmodi pars notabilis abluatur. Cæterùm, ſi alia pars minùs notabilis, v. g. manus, pes, &c. tantummodò ablueretur, licèt *Vaſquez*, *Henriquez*, *Diana*, *Caſpenſis*, & alii Recentiores aſſerant talem Baptiſmum eſſe validum; tamen talis Baptiſmus non eſſet tutus, & nulla eſt certitudo, quòd Baptiſmus datus in aliqua minima parte Corporis ſit validus, & propterea ſic baptizatus in caſu neceſſitatis, iterùm eſſet rebaptizandus. Ita Div. *Thomas cum ſuis*, *Doctor Subtilis in 4. d. 4. q. 3. cum ſuis Suarez*, *Valentia*, *Coninch. Nugnus*, *Averſa*, *Bonacina*, *Sylveſter*, *Armilla*, *Tabiena*, *Roſella*, *& alii Summiſtæ apud Maſtrium in 2. diſp. 2. qu. 2. art. 1. n. 45.* Ratio eſt: Tum quia hoc Sacramentum, ſicut eſt ſummè neceſſarium, ita cum maxima ſecuritate eſt conferendum, ne periculo exponatur anima infantis, & propterea monemur, *cap. de quibus*, de *Baptiſmo*, *& ejus affectu*, & in Rituali Romano, in prædictis caſibus, ubi non eſt ſecuritas, iterandum eſſe Baptiſmum ſub conditione. Tum quia ab Innocentio XI. damnata eſt ſequens in Ordine 1. propoſitio: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore*. Tum quia licet homo dicatur verè vulneratus etſi vulneretur in minima parte Corporis, non tamen homo ſecundùm communem loquendi modum dicitur verè, & propriè Ablutus, per lotionem cujuſcunque etiam minimæ partis Corporis. Idem multò magis dicendum, ſi Infans ſolùm baptizaretur in capillis, vel involutus ſecundinis. Idem docet Gobat *cit. n. 56.* de Infante adhuc *totaliter* in utero Matris hærente, quod ſi ejus Caput aſpergatur aqua, & baptizetur, nihilominùs poſteà ex utero Matris, egreſſus rebaptizari debeat ſub conditione; quandoquidem Maximi, & Plurimi Doctores, ut Sanctus Bonaventura, Alenſis, Durandus, & alii, quos accumulat, ſequiturque *Comitolus Reſponſ. Moral. lib. 1. q. 13.* Negant, poſſe validè baptizari infantem, qui nulla ſui parte extra uterum, eo quòd non poſſit renaſci, qui necdum eſt natus, juxta illud *S. Auguſtini in Epiſtola ad Dardanum*: *Nemo renaſcitur, niſi priùs naſcatur*. Ubi tamen à Parochi ſeriò ſunt admonendæ obſtetrices, ut in neceſſitate baptizent infantem in quacumque tandem parte corporis minima, etiam in capillis, in ſecundinis, vel umbilico, etiam adhuc totaliter in utero Matris hærentem, quovis modo poſſibili: quia neceſſitas non habet legem, & periclitanti animæ infantis de ſalute æterna, ſuccurrendum eſt omni poſſibili modo: ita expreſsè *Chapeavile*, *de modo miniſtrandi Sacramenta tempore peſtis*, *cap. 3. qu. 10. Bonacina*, *Dicaſtillus*, *Tannerus*, *Victoria*, *Gabriel*, *Valentia*, *Toletus*, & alii apud Gobat *cit.* ita tamen, ut ſublata neceſſitate, Baptiſmus ſub conditione reiteretur juxta ſupradicta.

§. III. *Facta per Aquam.*

17 AD valorem Baptiſmi neceſſariò requiritur, ut Aqua immediatè, & phyſicè tangat corpus, & carnem baptizandi: Aliàs enim non eſſet vera corporis ablutio. Unde parvulus utero Matris concluſus, ut nulla ratione poſſit ab aqua tangi, non poteſt baptizari, nec prodeſſet parvulo, ſi uterus Matris Aqua ablueretur. Similiter non valeret Baptiſmus, ſi Aqua tantùm attingeret faſcias, vel veſtes baptizandi, ita omnes Theologi teſte Herincx *cit. nu. 23.* An autem valeret, ſi ſoli capilli madefierent, vel ſolæ ſecundinæ, quibus infans involutus eſt, vel umbilicus, per quem infans ſugit alimentum à Matre, dum eſt in utero, & illi jungitur, dubium eſt, differentibus Doctoribus pro, & contra. Hoc certum eſt, quòd propter dubium extra neceſſitatem non liceat ſic baptizare, in neceſſitate verò, ſi non poſſit in alia parte infans ablui, debeat ſic baptizari, taliterque baptizatus ceſſante neceſſitate debeat ſub conditione rebaptizari, ſi autem anteà moriatur, debeat ob Baptiſmum ſaltem dubium in loco ſacro ſepeliri. Vide Herincx *citat. num. 23.* Denique ad valorem Baptiſmi non ſufficit quæcunque modica Aquæ quantitas, utpotè aliqua gutta. Ita contra Vaſquez, Herniquez, Meratium, Caſpenſem, Averſam, & alios docent Bonacina, Granadus, Layman, Centinus, & alii. Ratio eſt, quia ad Baptiſmum requiritur contractus ſucceſſivus, & tanta Aquæ quantitas, per quam homo poteſt dici verè, & propriè ablutus: ſed juxta communem prudentum æſtimationem, homo non diceretur propriè lotus, & ablutus propter contactum alicujus guttulæ Aquæ in minima parte ſui corporis: ergo. Quare Auctores nobis contrarii etiam ipſimet fatentur; paucas Aquæ Guttas non ſufficere ad valorem Baptiſmi, ſi perſiſtant, & non fluant per corpus: Si verò per partes Corporis fluant, dicunt ſufficere: ſi enim non fluerent, non abluerent. Quæ ſententia cùm ſit probabilis, poteſt admitti, ita ut urgente neceſſitate in defectu amplioris Aquæ tali modo conferatur Baptiſmus. Ex his colliges, quid reſpondendum ad ſequentes caſus? *Primus eſt*.

Iſabella infans domi baptizata tantùm aſperſione Aquæ 18 ex digitis, ſicut quilibet aſpergit ſe Aqua Benedicta, an eſt verè baptizata, vel rebaptizanda ſub conditione? Reſpondet Gobat *citat. num. 46.* videri baptizatam, nec rebaptizandam, ſi, ut ſæpe fit, digitus fuerit probè immerſus in Aquam, ac proinde inſperſæ quinque, vel ſex guttæ ſi verò tantùm duæ, treſve, eſſe rebaptizandam. Quod ſi non conſtet, utrùm duæ, treſve, an verò plures fuerint excuſſæ à digitis, eſſe rebaptizandam ſub conditione. Ego inhærendo doctrinæ mox ſuprà traditæ, judico eſſe rebaptizandam: quia in Sacramentis, ubi agitur de valore actus, & maximè in Sacramento Baptiſmi, ubi agitur de ſalutè æterna infantis, tenemur ſequi ſententiam tutiorem. *Alter caſus eſt*.

Leocadia obſtetrix baptizavit infantem, imprimendo eidem in fronte ſignum Crucis digito Aqua madefacto: valetne Baptiſmus? *Paſſerinus*, *Reginaldus*, *Angelus*, *& Eſcobar apud* Gobat *citatum num 48.* dicunt: Si Leocadia ſolummodo impreſſit illum madidum digitum fronti, non trahendo in ullam partem, non valet Baptiſmus: quia adhuc requiritur, ut Aqua effluat ex digito: quæ non poteſt dici effluere, niſi illa res madida ſaltem trahatur motu ſucceſſivo per corpus: cùm enim ablutio ſit ens ſucceſſivum, conſequenter etiam per motum ſucceſſivum fieri debet.

§. IV. *Sed quid de Baptiſmo ſubmerſivo?*

QUia juxta dicta ſuprà *§. 2. hujus quæſtionis*, ablutio 19 baptiſmalis poteſt etiam fieri per *immerſionem* corporis in Aquam, difficultas eſt, an ubi hic abluendi modus ſervari ſolet, ſit de neceſſitate, & valore Sacramenti, ut poſt immerſionem ſequatur emerſio, vel etiam valeat Baptiſmus, ſi projiciatur, & ſubmergatur infans in puteum, vel flumen cum prolatione formæ Baptiſmatis? Communis Opinio Recentiorum tenet, non eſſe de neceſſitate Sacramenti emerſionem, ſed valere Baptiſmum factum per projectionem, & immerſionem puram ſufficere, & eſſe verè, & propriè ablutionem Baptiſmo idoneam, quamvis, illicitam, iniquam, & mortiferam, dummodò proferatur integra forma ante mortem infantis. Quorum fundamentum eſt, quia, quamvis in tali caſu ſequatur ſubmerſio, & mors infantis, nihilominùs infans poteſt dici verè ablutus, & baptizatus: quia Baptiſmus non ordinatur ad vitam corporis, ſed animæ. Ita *Suarez*, *Vaſquez*, *Coninch. Layman*, *Hurtadus*, *Valentia*, *Diana*, *Bonacina*, *Caſpenſis*, *Averſa*, & alii paſſim, apud *Maſtrium citatum qu. 2. art. 1. num. 18.* Oppoſitum tamen docuit Scotus, *in 4. diſtinct. 4. qu. 3.* Cum communi Scotiſtarum, & Antiquiorum *Richardi*, *Paludani*, *Marſilii*, *Sylveſtri*, *Armillæ*, & aliorum. Ratio Doctoris Subtilis eſt: Quia ablutio baptiſmalis ordinatur ad vitam, & non ad mortem per ſe loquendo, nec veriſimile eſt, Chriſtum pro materia proxima hujus Sacramenti ordinaſſe occiſionem hominis; adeòque actionem intrinſecè malam, quæ numquam ſine peccato adhiberi poteſt, & ex natura ſua eſt ordinata ad mortem corporalem: ſiquidem ad ſuavem Chriſti Providentiam ſpectare videtur, ut ita Sacramenta inſtituerit, ut per virtutem, quam corporaliter per materiam ſenſibus ingerunt, ſignificent inſenſibilem gratiam, quam animæ conferunt: unde ſicut in Aqua hoc Sacramentum eſt inſtitutum: quia quemadmodùm corporaliter maculas abluit, ita & ſpiritualem: ſic pariter, ſi materia hujus Sacramenti vitam ſpiritualem præſtare debet, hoc per fomentum corporale innuere debet, in caſu autem poſito tantùm abeſt, ut ablutio vitam corporalem juvet, quin potiùs ex natura ſua eam deſtruat. Deinde Chriſtus pro Materia proxima Baptiſmi utique inſtituit ablutionem uſualem, & conſuetudinariam hominum, quæ nimirùm ſordes corporis, non autem vitam per ſe tollat, qualis non eſt ſubmerſio occiſiva: Quis enim dicat, ſe hominem abluere, & lavare velle, quem ligatis manibus, & pedibus, & ingenti ſaxo ad collum alligato, in mare projiceret? Denique Chriſtus præcepit ſuis Miniſtris, ut in neceſſitate adhibeant materiam Baptiſmi à ſe inſtitutam quamcunque poſſunt, atqui Chriſtus nullibi præcepit occiſionem Innocentis: ergo ſubmerſio occiſiva non eſt materia proximi Baptiſmi, nec valida, nec licita.

## QUÆSTIO IV.

*De Forma Baptiſmi.*

### SUMMARIUM.

21 *Legitima forma Baptiſmi, in qua debet exprimi.*
22 *Perſona, qua baptizatur, & actio baptizantis.*
23 *Item Tres SS. Trinitatis Perſonæ.*
24 *Sub Nominibus Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.*
25 Uſque ad n.28. *Et Unitas Naturæ Divinæ.*
28 *Recenſentur Formæ Baptiſmi validæ.*
29 *Aſſignantur Formæ baptiſmi invalidæ.*
30 *Enumerantur Formæ Baptiſmi dubiæ.*

### ASSERTIO IV.

*Legitima Forma Baptiſmi in Eccleſia Latina eſt hæc: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: in qua neceſſitate Sacramenti debet exprimi Perſona, qua baptizatur, actio baptizantis, Tres in SS. Trinitate Perſonæ, ut inter ſe diſtinctæ, ſub nominibus Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & ſub Unitate Deitatis, non tamen Perſona Miniſtri baptizantis.* Ita communis cum D. Thom. Scoto, Maſtrio, Henrinex, &c.

#### §. I. *Legitima Forma Baptiſmi.*

31 Certum eſt de fide, in Sacramento Baptiſmi neceſſariam eſſe certam verborum formam, & veram, ac legitimam eſſe illam, quæ ſumitur ex illis Chriſti verbis. *Matth. ult. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, ut conſtat ex Conciliis Lateranenſi *c. firmiter, de ſumma Trinitate*, Florentino *in Decreto Eugenii*, & Tridentino *ſeſſ.7. can.4. de Baptiſmo*. Verum tamen eſt, aliquam reperiri diverſitatem in uſu hujus formæ inter Eccleſiam Latinam, & Græcam. Siquidem Latini baptizant dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Græci verò baptizant dicendo: *baptizetur*, vel, ut Areudius vult, *baptizatur ſervus Chriſti in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Eſtque de fide, utroque modo formam eſſe validam, & legitimam, ut patet ex Concilio Florentino *citat.* & ipſo Eccleſiæ uſu. Nobis tamen Latinis non licet uti Forma Græcorum, quia foret contra conſuetudinem Eccleſiæ Latinæ, nec fieret ſine ſcandalo. Rationem autem hujus diverſitatis deducit Scotus *in 4. diſt.2. qu.2.* ex eo, quòd refert *S. Paulus Corinth.1.* Ortum fuiſſe diſſidium inter Chriſtianos: gloriabatur enim ounuſquiſque de ſuo Miniſtro Baptiſmi: Unde dicebant: *Ego ſum Pauli, ego ſum Cephæ*, & ſic videbantur adſcribere virtutem Baptiſmi Miniſtro; unde Apoſtolus eos reprehendit: *Nunquid diviſus eſt Chriſtus?* Ad tollendam itaque hoc Schiſma inter eos, ordinatum fuit, ut Miniſter non exprimeretur in propria Perſona, ne haberent occaſionem gloriandi in Miniſtro. Quo ſcrupolo ceſſante in Eccleſia Latina, uſorpatur in eadem, conſueta Baptiſmi forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*: qoia verba hujus formæ magis conformaotur inſtitutioni Chriſti, & ſignificant Baptiſmum à Miniſtro procedere tantùm miniſterialiter, non verò principaliter: Porrò advertendum eſt ex Scoto *cit.* in confectione Sacramentorum duobus modis, poſſe aliquid eſſe neceſſariom. Nimirùm I. *Ex parte Sacramenti, ſeu ſimpliciter*, qoo ſcilicet non exiſtente omninò non eſt Sacramentum. II. *Ex parte Miniſtri, ſeu aliqualiter*, ſine quo nimirùm Miniſter conficiendo Sacramentum, non poteſt vitare peccatum. Seu quod in idem recidit, aliqua ſunt neceſſaria ad *validè* conficiendum, & recipiendum Sacramentum, & aliqua ſunt neceſſaria ad *licitè tantùm* conficiendum, & recipiendum Sacramentum, de quo videatur P.Patritius Sporer *De Sacramentis in genere*. Jam quæritur, quidnam in forma Baptiſmi, neceſſariò neceſſitate Sacramenti, ſeu ut Baptiſmus ſit validus, exprimi debeat? ſit

#### §. II. *In forma Baptiſmi neceſſitate Sacramenti debet perſona, qua baptizatur, & actio baptizantis exprimi.*

32 Primò itaque in forma Baptiſmi exprimi debet actio ipſius Miniſtri baptizantis, ut docent D. Thomas *qu.66. art.5.* & Scotus *in 4. diſt. 3. q. 2.* eſtque de fide, ſive dein exprimatur per verbum activum, ut fit à Latinis, ſive per paſſivum, ut fit à Græcis. Ratio eſt; tum quia Concil. Florentinom cit. ait: *Si exprimitur actus, qui per ipſum exercetur Miniſtrum, cum Sancta Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum*. Tum quia Alexander III. *c. 1. de Baptiſmo*, ſic inqoit: *Si quis puerum in aqua immerſerit, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & non dixerit: Ego te baptizo, non eſt puer baptizatus*. Conſentit Alexander VIII. damnans ſequentem propoſitionem in Ordine 27. *Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus, in nomine Patris &c. prætermiſſis illis. Ego te baptizo*. Tum quia Baptiſmus eſt Sacramentum in uſu conſiſtens: in Sacramentis autem in uſu conſiſtentibus exprimi debet actio ipſa Sacramentalis: formæ enim Sacramentales ſunt Orationes practicæ, exprimeotes actu fieri, quod ſignificant: ergo ſignificare debent actionem à Miniſtro exerceri. Denique quia materia Baptiſmi, ſcilicet aqoa, de ſe eſt indifferens ad refrigerationem, vel emundationem: ergo debet per formam determinari ad ſignificandam emondationem: ſed niſi ablutio exprimatur, non determinatur ad emundationem: ergo.

Deinde requiritur etiam neceſſitate Sacramenti, ut in forma Baptiſmi exprimatur Perſona, quæ baptizatur, ut ſimiliter patet in utraque forma Latinorum, & Græcorum per illud verbum *Te* in forma Latinorum, & per illa verba *talis Servus*, in forma Græcorum, ut hoc modo explicetur diſtinctio inter baptizantem, & baptizatum: quia nemo ſeipſum poteſt baptizare, ſicut nullus poteſt ſeipſum generare, ſiquidem Baptiſmus ſit ſpiritualis generatio hominis. Hinc infert Scotus, & Theologi omnes, neceſſarium eſſe exprimere hanc Perſonam, quæ baptizatur, aot proprio Nomine, ut cùm dicitur: *Ego te N. baptizo*, aut per pronomen ſecundæ, vel tertiæ Perſonæ, ut *baptizo te, vel illum*, non verò per pronomen primæ Perſonæ, ot *baptizo me*, id, quod *cap. debitum de Baptiſmo* definitur, colligitur ex ſæpè citatis Chriſti verbis: *Baptizantes eos*. Non ita tamen opos eſt exprimi Perſonam baptizantis directè: Baptiſmus enim, forma Græcorum conſueta miniſtratus eſt validus, ut conſtat ex Concilio Florentino citato, & tamen in ea Perſona Miniſtri baptizantis directè non exprimitur. Ita *Scotus citatus cum communi*. Nam imprimis conſtat, non eſſe neceſſarium exprimere Perſonam Miniſtri per illud pronomen *Ego*: cùm hoc ſatis includatur in verbo *baptizo*. Deinde etſi Perſona Miniſtri nec in ipſo verbo directè exprimatur, adhuc perficitur Sacramentum Baptiſmi, ut patet ex forma Græcorum. Hoc quidem verum eſt non valere Baptiſmum, ſi quis diceret *baptizat te Chriſtus & non Ego*: quia illo modo dicendi: Baptizat te Chriſtus, debet implicitè, & indirectè ſubintelligi, *baptizat te Chriſtus per meas manus*, ideòqoe non debet hoc excludi per aliam contrariam negationem: Si verò talis excluſio non fiat, etiamſi Perſona Miniſtri directè non exprimatur, ſed tantùm Perſona Chriſti, adhuc eſt forma ſufficiens: quia Chriſtus intelligitur per ſuum Miniſtrum baptizare, & in hoc ſenſu Eugenius IV. in Concilio Florentino explicavit ſenſum formæ Græcæ: *baptizetur talis ſervus Chriſti*; hoc eſt i *manibus meis*.

#### §. III. *Ad valorem Baptiſmi ulteriùs requiritur expreſſio SS. Trinitatis, ſub Unitate Deitatis.*

Ita *D. Thomas, & Scotus, ll. cc.* & eſt communiſſima 23
Theologorum ſententia. Nimirùm in forma baptiſmali, ut valida ſit, requiritur, ut in ea expreſsè, & diſtinctè nominentur tres Perſonæ SS. Trinitatis, quateuùs inter ſe diſtinctæ ſunt, & Nominibus Patris, & Filii, & Spiritus ſancti exprimantur, ita tamen, ut ſignificentur eſſe unos Deus. Ratio multiplex petitur, tom ex verbis Chriſti Domini, *Matth. ult.* dicentis: *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Tum ex continua Eccleſiæ praxi, declaratione, & definitione. Nam in *Can. 59. Apoſtolorum* reprobatur Baptiſmus datus in Domini morte, quia Chriſtus non dixit: In morte mea baptizate, ſed baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Unde Pelagios Papa *cap. ſi reverà, de conſecr. diſt. 4.* dicit, Baptiſmum datum in Nomine Domini eſſe nullum. Idem dicit de Baptiſmo dato ſolummodò in Nomine Chriſti, *cap. multi ſunt 82. eadem diſt.* Et Zacharias Papa *c. in Synodo, eadem diſt.* expreſſis verbis docet, Baptiſmum non perfici, niſi in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; ita, ut, qui vel unam de Trinitate Perſonam in Baptiſmo non nominaret verum Baptiſma conficere non poſſet. Idem habetur *cap. firmiter, de ſumma Trinit. & cap. 1. de Baptiſmo*, & in Concilio Florentino in Decreto Eugenii. Tum ex innumeris Sanctorum Patrum teſtimoniis, quæ hic afferre nimis longum foret. Tum ex hac congruentia, quam ex *D.Th.* affert *Suar.* nimirùm: qoia in Lege Evangelica; fides expli-

Digitized by Google

explicita SS. Trinitatis eſt neceſſaria ad ſalutem : Baptiſmus autem eſt Sacramentum fidei, ut loquitur Innocentius III. *cap. dubium, de Baptiſmo*; eſtque Janua Eccleſię, & in eo fit profeſſio Evangelicæ fidei: ergo etiam oportuit, ut in collatione Baptiſmi fieret expreſſa invocatio SS. Trinitatis, quæ eſt primarium objectum, & fundamentum totius fidei.

24 II. Quòd Tres Divinæ Perſonæ, in forma baptiſmali, nominibus Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, debeant neceſſariò neceſſitate Sacramenti exprimi, docent Doctores, Seraphicus S. Bonaventura *4. diſt. 3. qu. 3. art. 2.* Angelicus D. Thomas *qu. 66. art. 5.* Subtilis Scotus *4. d. 3. qu. 2.* *Irrefragabilis* Alexander Alenſis, *qu. 8. memb. 3. art. 3.* & communis Scotiſtarum, Recentiorum, & Summiſtarum: Imò Gabriel *art. 2. Concl. 4.* dicit, Theologos omnes, Juriſperitos, & Summiſtas in hanc ſententiam convenire. Ratio Scoti eſt, quia aliàs non ſervaretur forma à Chriſto inſtituta. Siquidem Chriſtus Dominus dedit Eccleſiæ nomina, Perſonas Divinas ſignificantia ſub propriis rationibus, in collatione Baptiſmi adhibenda, & talia ſunt hæc nomina, *Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus*. Hinc expreſſio SS. Trinitatis in forma Baptiſmali ſub nominibus *Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque*, nec eſt licita, nec valida, quia hæc nomina non ſignificant Divinas Perſonas ſub propriis rationibus, ſed tantùm earum Notionem, & Originationem. Confirmatur ulteriùs ex Epiphanio, *hereſi 73.* dicente voces *Geniti, & Ingeniti*, non valere ad Baptiſmum & ſubdit rationem: Quia *Ingenitum nondum ſignificat Patris intelligentiam, neque genitum propriè ſignificat filium: quia ad omnia genita communem facit intelligentiam: Non enim omne, quod generatur, eſt Filius, quamvis omnis filius ſit genitus*. Ita ille, & optimè: quia *Genitor*, non ſignificat idem quod *Pater*, nec *Genitus* quod *Filius*, nec *Procedens* idem quod *Spiritus ſanctus*. Siquidem etiam Leo poteſt eſſe Genitor, Genitus, & Procedens, & tamen nequit eſſe Pater, Filius, aut Spiritus ſanctus. Unde etiam ſuſtinentes opinionem noſtræ ſententiæ oppoſitam: quia noſtra eſt communiſſima, dicunt, nulli licere à noſtra forma diſcedere, & addunt, quòd ſi contingat, aliquem fuiſſe baptizatum ſub ea forma *Genitori, Geniti, & Procedentis ab utroque*, iterum baptizandum eſſe ſub conditione, ita *Caſpenſis diſp. 1. de Baptiſmo, ſect. 3. in fine*, & alii, qui dicunt, eam ſententiam eſſe tantum ſpeculativè probabilem, non tamen in praxi ponendam.

25 III. Denique, quod ad formæ baptiſmalis Eſſentiam, & valorem ſpectet etiam expreſſio Unitatis Naturæ Divinæ, ut dicendum ſit: *In Nomine Patris &c.* non autem: *in Nominibus Patris, &c.* Eſt certum apud omnes, & colligitur ex verbis Chriſti, *Matth. ult. baptizantes eos in nomine Patris, &c.* adjuncto ſenſu Eccleſiæ illa ſic intelligentis. Unde *S. Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum cap. 22. In Nomine (inquit) non in nominibus: Hi enim tres unum ſunt, & hi tres Unus eſt Deus. S. Hieronymus in cap. 4. ad Epheſ. Non baptizamur* (inquit) *in Nominibus Patris, & Filii, &c. Sed in Uno Nomine, quod intelligitur Deus*. Accedit Ratio: Non enim minùs ſpectat ad primum fidei Articulum, & neceſſitatem ſalutis Perſonarum Unitas, illiuſque Profeſſio; quàm Trinitas. Dicendo autem in Nominibus, vel intelligantur tantùm Proprietates Perſonarum, & ſic omninò taceretur Unitas: Vel intelligerentur perfectiones abſolutæ, & ſic induceretur falſitas, nempè pluralitas naturarum. Porrò ly *in Nomine*, ferè idem valet, quod *in Virtute, Auctoritate, Divinitate, Invocatione Patris, & Filii, &c.* ideò, ut non ſine invaliditatis periculo aliud vocabulum poſſit ſubſtitui, quod idem adæquatè ſignificet: etſi probabiliter varii ſpeculativè exiſtiment valere Baptiſmum datum *in Virtute Patris, & Filii, &c.* Quod idem exiſtimat *Vaſquez*, ſi conferatur hoc modo. *Ego te baptizo in Unum Deum Patrem, & Filium &c.* ſimiliter dubius erit Baptiſmus, ſi ly *in Nomine* repetatur dicendo: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & in Nomine Filii &c.* Quamvis enim ibi non ſignificetur expreſſe naturæ pluralitas, uti nec dum dicitur: *Deus Pater, Deus Filius &c.* ideòque illum valere exiſtimet *Suarez*, & alii: Equidem ex vi ſermonis non videtur ſatis quoque exprimi Deitatis Unitas. Quòd tamen conſtat eſſe neceſſarium: ideòque illum valere negat *Bonacina*, & alii. Unde propter dubium ſimiles formæ minimè ſunt uſurpandæ, & ſi uſurpatæ fuerint, baptiſmus ſub conditione erit repetendus. Peculiariter autem hac in re inſtruendæ ſunt *obſtetrices*, à quibus interdum ly *in Nomine* ter repetitur, exiſtimantibus eo exactiùs ſe præſtitiſſe officium baptizantis. *Herincx cit. qu. 4. num. 43. & ſeq.*

26 IV. Contra prædicta omnia obſtare videtur, quòd ab initio naſcentis Eccleſiæ adminiſtratus fuerit baptiſmus ab Apoſtolis *in Nomine Jeſu Chriſti*, ut habetur pluribus in Locis actuum Apoſtolorum: ergo non eſt in forma baptiſmali neceſſaria expreſſio Trium Perſonarum SS. Trinitatis. Reſpondit *Doctor Subtilis apud Maſtrium in 4. diſp. ... nu. 14.* id fuiſſe permiſſum à Chriſto Domino ex ſpeciali diſpenſatione: ut magis eo tempore Chriſti nomen innoteſceret: nobis tamen permiſſum non eſſe: eo quod ceſſaverit cauſa baptizandi hoc modo. Hæc etiam fuit reſponſio *Alenſis 4. part. qu. 8. memb. 3. art. 3. Richardi diſt. 3. qu. 2. art. 3. Div. Thomæ qu. 66. art. 6. Divi Bonaventuræ diſt. 3. qu. 2.* & Aliorum Antiquorum, ac proinde communis eſt in Schola Doctoris Angelici, & Doctoris Subtilis. Cæterùm Bellarminus, Suarez, Vaſquez, Coninch. Averſa, & alii recentiores putant, numquam adminiſtratum fuiſſe baptiſmum *in Nomine Chriſti*, quod pluribus auctoritatibus probare conantur. Et quando in actis Apoſtolorum legitur, baptiſmum in primitiva Eccleſia adminiſtratum fuiſſe *in Nomine Chriſti*, ſic explicant, quòd Apoſtoli dederint baptiſmum Chriſti, hoc eſt, inſtitutum à Chriſto, & cujus Auctor fuit Chriſtus, ad differentiam baptiſmi Joannis, & quod baptizaverint in merito, & in fide, & in virtute Chriſti. Alii dicunt, Apoſtolos baptizaſſe cum expreſſa invocatione SS. Trinitatis, facta ſpeciali mentione Jeſu Chriſti, in ſecunda Perſona hoc modo: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Jeſu Chriſti Filii ejus, & Spiritus ſancti*. Ex prædictis colligere poteris: Quænam ſint

## §. IV. *Forma baptiſmi valida, invalida, & dubia.*

I. SUppono ex *Theol. Sacrament. P. Patritii Sporer*, 27
*parte 1. cap. 2. ſect. 2. n. 85. & ſeqq.* mutationem *ſubſtantialem* materiæ, vel formæ annullare Sacramentum: *accidentalem* verò non annullare Sacramentum, etiamſi plerumque illicita ſit, etiam mortaliter. Mutatio autem *ſubſtantialis* materiæ eſt, quando in Sacramento adhibetur aliqua res, quæ nomine, & ratione, vel ſaltem uſu hominum differt ab illa re, quam Chriſtus inſtituit, & uſurpat. Mutatio *accidentalis* dicitur, quando res, etſi variata, vel alterata, retinet tamen nomen, & rationem illius, quam Chriſtus uſurpari mandavit; ſimiliter *ſubſtantialis* mutatio formæ cenſetur, quando non retinetur idem ſubſtantialis ſenſus verborum, quem Chriſtus voluit exprimi per verba formæ: *Accidentalis* autem mutatio dicitur, quando verba etſi variata, retinent tamen eumdem ſenſum à Chriſto intentum. Nunc igitur ex præcedentibus dignoſcendum, ubi fiat formæ baptiſmalis mutatio ſubſtantialis, vel accidentalis, & conſequenter quando forma baptiſmi ſit valida, vel invalida, vel ſaltem dubia.

II. Valida, licita, conſueta, & ſemper uſurpanda forma 28
baptiſmi, in Eccleſia Latina I. eſt hæc: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen*. In qua forma, latinè prolata, Verba eſſentialia imprimis ſunt: *Te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Juxta Herincx, La Croix, & communem Doctorum. De præpoſitione *in*, negant quidam eſſe verbum eſſentialem; ſed *Scotus citat. q. 2. Reginaldus*, & plures alii affirmant: Quare *Toletus apud Gobat tr. 2. de Baptiſmo num.* 70. ait peccare graviter, & mortaliter, qui omitteret *in*. De conjunctione *Et*, negant eſſe verbum eſſentiale *Toletus, Comitolus, Gobat cit. n. 71.* quia ſæpiſſimè omittitur conjunctio *Et*, permanente ſenſu. Affirmant *Conradus, Vivaldus, Reginaldus, Major, Gabriel, Sylveſter*, & alii, quia aliàs non exprimeretur diſtinctio Perſonarum. Quidquid ſit, in praxi debet forma conſueta plenè pronuntiari, nec poteſt ſine peccato gravi omitti conjunctio *Et* ob periculum nullitatis baptiſmi, ſicut nec ordo trium Perſonarum inverti: Pronomen *Ego*, cùm ſatis contineatur in verbo *baptizo*, omittere in forma baptiſmali latinè prolata, per ſe loquendo, eſt tantùm veniale juxta Doctores communiter. Ly *Amen* citra veniale omittitur, cùm in Rituale Romano non addatur, ſicut additur verbis abſolutionis. Ita *Herincx diſp. 5. de baptiſmo qu. 4. n. 52.* II. Si quis ex ignorantia Latinitatis, & ſimplicitate (ſecùs eſt juxta *D. Thomam, & Coninch. apud Gobat cit. nn.* 87. Si ex ſcientia, vel malitia, baptizaret, dicendo. *Ego te baptizo in Nomine Patria, & Filia, & Spiritu ſancti*, valeret baptiſmus juxta *Zachariam Papam cap. retulerunt, de baptiſmo*. Idem eſt juxta *Gobat cit. n. 89.* ſi quis parum gnatus linguæ Germanicæ ſic baptizet, Ich tauffe dir in Namen der Batter, und die Gohn, und das heilig Geiſt. III. Valida eſt forma. *Ego te baptizo in Nomine Patris, &c.* ſi fiat ex barbarie. *Gobat num. 95.* IV. Valet forma. *Ego Paulus te baptizo in Nomine Patris Omnipotentis &c.* Item ſi proferatur lingua vernacula, quamvis in baptiſmo ſolemni

ita

Digitized by Google

ita baptizans peccaret venialiter. Cæterùm ſi homo illiteratus verb. gr. obſtetrix in caſu neceſſitatis privatìm baptizet, conſultiùs, & meliùs, ut vulgari, ſeu communi lingua baptizet. Similiter valida, etſi venialiter illicita foret forma, ſi diceres: *Ego te abluo in Nomine Patris, &c.* Vel. *Ego baptizo Dominationem, vel Majeſtatem veſtram in Nomine Patris &c.* Layman, Bonacina, La Croix &c. V. Valida eſt ſequens forma: *Baptizo te ego*. Vel *te baptizo ego in Nomine Patris &c.* Vel: *in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti ego te baptizo.* VI. Valet baptiſmus collatus ſub hac forma: Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſi caſu vel ex ignorantia pro *Filii* dicatur *Fili*. Ita La Croix *lib.6. p. 1. n. 36.* idem foret juxta ipſum, ſi quis pro *baptizo*, ex ignorantia vel caſu diceret *baptizo*.

29 III. Formæ baptiſmi invalidæ ſunt ſequentes. I. *Ego te baptizo in Nominibus Patris &c. Ego te baptizo in Nomine totius SS. Trinitatis, vel in Nomine Dei, aut in Nomine Chriſti.* II. *Ego te baptizo cum Patre, & Filio, & Spiritu ſancto.* Vel *per Patrem, & Filium &c.* Vel *in Patre, & Filio &c.* III. *Ego te baptizo in Nomine Paternitatis, & Filiationis, & Spirationis paſſiva. Ego te baptizo in Nomine Dei, Sancta, & vera Crucis. Ego te baptizo in Nomine Matris, &c.* IV. Si in lingua Germanica omittatur Pronomen *Ego*, dicendo: tauffe dich, eſt forma invalida, quia hæc vox tauffe, omiſſo pronomine magis ſignificat imperativum, quàm indicativum. V. Similiter invalidæ ſunt formæ ſequentes: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Gratia Spiritus ſancti. Ego te baptizo in Nomine Patris. Ego te baptizo in Nomine Filii, Ego te baptizo in Nomine Spiritus ſancti. Ego te baptizo in Nomine Patris, per Filium, in Spiritu ſancto. Ego te baptizo in Nomine Dei unius, & Trini.* VI. Si quis diceret. *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, B. Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum*, reſolvit *D. Thomas q.66. art.8.* Valere baptiſmum, ſi per illam appendicem tantùm petatur interceſſio Beatiſſimæ Virginis, & Sanctorum: Si autem intelligatur in Nomine Beatiſſimæ Virginis, & Sanctorum baptizari, ſicut in Nomine Trinitatis, baptiſmus eſt invalidus. Quod etiam tradit Vaſquez *diſp.139. n.107.* VII. Si quis diceret: *Nos te baptizamus in Nomine Patris &c* diſtinguit Doctor noſter Seraphicus S. Bonaventura 4. *diſt.6.* Vel talis baptizans loqui intendit politicè, more magnatum, qui loco *Ego* ſolent ſe nominare *Nos*, tunc validum eſt Sacramentum, ſed venialiter illicitum La Croix *n. 37.* Ratio eſt, quia *Nos te baptizamus*, in ſenſu politico idem ſonat, ac *Ego te baptizo*. Quòd ſi verò intendat nominare etiam alios adminiſtros, tunc invalidum eſt Sacramentum de quo plura infrà de Miniſtro baptiſmi.

30 IV. Formæ baptiſmi dubiæ ſunt ſequentes. I. *Ego te baptizo in Nomine primæ, ſecundæ, & tertiæ Perſonæ SS. Trinitatis*, aut *in Nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque*, aut *in Nomine Ingeniti, Geniti, & Doni*, aut *in Nomine Creatoris, Redemptoris, & Sanctificatoris*, vel *in Nomine Omnipotentis, Sapientis, & boni &c.* II. *Ego te baptizo in Nomine Patris, & in Nomine Filii, & in Nomine Spiritus ſancti.* III. *Ego te baptizo in Nomine Filii, & Patris, & Spiritus ſancti.* Ita noſter Alexander Alenſis apud *Layman lib.4. tr.2. c.4. n.6.* IV. *Ego Patris baptizo te in Nomine, & Filii, & Spiritus ſancti.* Certò tamen eſt invalida, forma, ſi dicatur; *baptizo in te Nomine Patris, & Filii &c.* uti rectè Lugo: Rhodes, Conineh. apud *La Croix lib.6. p. 1. n.32.* Hæc verò: *Ego te baptizo in Nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, vel *Ego te baptizo in Nomine Dei Patris, & Filii, & Dei Spiritus ſancti, eſt valida*. Igitur quando in collatione baptiſmi forma dubia eſt adhibita, ſemper eſt repetendus ſub conditione ob periculum ſalutis æternæ baptizati. Quare Gobat *tr.2. de baptiſmo. Caſu 5. num. 169.* docet, Parochos peccare mortaliter, ſi non examinent obſtetrices, an rectè baptizare ſciant: obſtetrices autem ſub mortali teneri addiſcere rectum baptizandi modum: docent S. Antonin. Henriq. Reginaldus. Aliique multi cum Averſa apud *La Croix c. n. 170.*

## SECTIO II.

### *De Miniſtro, & ſubjecto Baptiſmi.*

## QUÆSTIO I.

### *De Miniſtro Baptiſmi.*

### SUMMARIUM.

32 *Baptiſmus poteſt conferri ſolemniter, & privatim.*
33 *Quis ſit Miniſter baptiſmi validè conferendi?*
34 *Quis Miniſter Ordinarius?*
35 *Quis ex Delegatione?*
36 *Unus poteſt ſimul plures baptizare.*
37 *Si plures ſimul abluant idem Corpus, & formam proferant, valet baptiſmus.*
38 *Si verò unus alterum præveniat, primus confert Sacramentum, alter non.*
39 *Si unus abluat Corpus, alter verò proferat formam, nullus fit baptiſmus.*
40 *Si plures, & abluant, & proferant formam dicendo: Nos te baptizamus, nullum faciunt baptiſmum.*
41 *Omnes ab obſtetricibus baptizati ſunt rebaptizandi, ſi ſit ita ſtatutum, vel conſuetum in Diœceſi.*
42 *Aliàs non omnes ſunt rebaptizandi.*
43 *Attamen plerique.*

## ASSERTIO I.

*Omnis Homo potens abluere, & proferre Verba formæ baptiſmi cum* debita *intentione, cujuſcunque ſexus, ſtatus, conditionis, aut Religionis ſit, validè ſemper, & urgente neceſſitate, etiam licitè poteſt privatim, & ſine ſolemnitate baptizare, ſoli tamen Epiſcopi, & Sacerdotes ſunt Miniſtri Ordinarii baptiſmi ſolemniter adminiſtrandi: Diaconi verò ſunt Miniſtri Delegati ab Ordinario. Unus poteſt ſimul plures baptizare, ac etiam plures unum, ſi ſimul, & ſemel quilibet eorum affundat Aquam, & pronuntiet formam. Baptizati ab obſtetricibus ordinariè ſunt rebaptizandi.* Communiſſima DD. 31

### §. I. *Miniſter Baptiſmi Ordinarius, & extraordinarius.*

I. Baptiſmus poteſt dupliciter adminiſtrari, videlicet 32 *ſolemniter, & privatim*. Solemniter adminiſtratur, quando confertur cum cæremoniis Eccleſiæ, & ab Eccleſiæ Miniſtris ex Officio. *Privatim* confertur, quando præcisè eſſentialia adhibentur, omiſſis Cæremoniis Eccleſiaſticis. Quare etiam baptiſmus alius dicitur *Neceſſitatis*, alius *Solemnitatis*. *Neceſſitatis* dicitur, qui neceſſitate urgente confertur, præcisè adhibendo eſſentialia. *Solemnitatis* verò, dum etiam adhibentur Cæremoniæ Eccleſiæ. Miniſter baptiſmi neceſſitatis dicitur *Extraordinarius*; Miniſter verò baptiſmi Solemnitatis vocatur *Ordinarius*. Ubi benè advertit *Gobat tr.2. de baptiſmo. Caſu 16. n.487.* quòd ad baptiſmum ſolemnem non requiratur, ut conferatur in Eccleſia ſed baptiſmus ſolemnis ſit propriè ille, qui confertur quocunque loco, cum Cæremoniis præſcriptis ab Eccleſia. Unde benè concludit *Gobat cit. n.480.* Sacerdotem in ſtatu diſgratiæ adminiſtrantem baptiſmum, cum Cæremoniis ſaltem potioribus, in domo ſæculari, peccare mortaliter: Subdiaconum incurrere irregularitatem, ſi baptizaret etiam in domo privata cum Cæremoniis Eccleſiæ: Patrinum eſſe neceſſarium ad baptiſmum, qui cum Cæremoniis Eccleſiæ confertur in domo ſæculari, & ex tali baptiſmo: Patrinum contrahere cognationem Spiritualem, quæ ſit impedimentum dirimens Matrimonium contrahendum. Jam dicimus:

II. Omnis Homo potens abluere, & proferre verba formæ baptiſmalis cum debita intentione, cujuſcunque ſexus, ſtatus, conditionis, aut Religionis ſit, validè ſemper, & urgente neceſſitate etiam licite, baptizare poteſt privatim & ſine ſolemnitate, ſeu Cæremoniis Eccleſiaſticis. Communiſſima cum *D. Th.67. a.2. Scotus 4. d.6. q.1.* Ratio eſt: quia id definitum eſt *c. firmiter, de Summa Trinit. & c. à quodam Judæo, de Conſecr. diſt.4.* & in Concilio Florentino, *in Decreto de Armenis* dicentes: *Miniſter hujus Sacramenti* (baptiſmi) *eſt Sacerdos, cui ex Officio competit baptizare: in caſu autem neceſſitatis, non ſolùm Sacerdos, vel Diaconus, ſed etiam Laicus, & Mulier, imò etiam Paganus, & Hæreticus baptizare poteſt, dummodo formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat, quod facit Eccleſia*. Et quamvis loquatur de caſu neceſſitatis; idem tamen eſt quoad valorem extra caſum neceſſitatis, ut omnes intelligunt, quia Nicolaus Papa *in c. à quodam Judæo c.* ſtatuit Baptiſmum à Judæo ſub legitima forma collatum, eſſe validum, nulla facta mentione neceſſitatis. Idem definivit *Conc. Trid. ſeſſ.7. can.4. de baptiſmo*, nimirùm baptiſmum ab hæreticis collatum, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, ſuppoſita tamen legitima materia, & forma, eſſe verum baptiſmum, etiamſi extra caſum neceſſitatis ab iiſdem conferatur. Ratio à priori eſt inſtitutio Chriſti, nobis manifeſtata per Eccleſiam. Ratio verò congruentiæ eſt ſumma neceſſitas hujus Sacramenti, propter quam convenientiſſimum erat, quemvis hominem viatorem uſu rationis præditum, inſtituere Miniſtrum illius validè conferendi. 33

III. Miniſter baptiſmi Ordinarius, ſive ex Officio, & ſolemniter 34

Digitized by Google

mniter adminiſtrandi, eſt Papa reſpectu totius mundi, Epiſcopus reſpectu ſuæ Diœceſis, Parochus; (etiam tanquam Diaconus, juxta *Gobat cit. num.* 139.) reſpectu ſuæ Parochiæ, vel alius Sacerdos, qui tamen debet habere juriſdictionem, ut licitè illum adminiſtret extra neceſſitatem: & nullus alius. Patet ex *Concilio Florent. cit.* quòd cum loquatur dogmaticè, excludit omnes reliquos inferiores. Ratio eſt: quia adminiſtratio Sacramentorum eſt actus Paſtoris, & per conſequens requirit in adminiſtrante juriſdictionem Ordinariam, vel delegatam. Deinde per Baptiſmum admittitur aliquis in familiam Chriſti cum Jure communicandi omnibus ejus Privilegiis; atqui nullus admittit extraneum in aliquam politicam communitatem, niſi Princeps, aut alius habens in eam aliquam Juriſdictionem: Ergo. Hanc Juriſdictionem habet Papa in totum mundum, Epiſcopus in ſuam Diœceſim, Parochus in ſuam Parochiam, alii Sacerdotes juxta amplitudinem ſuæ Commiſſionis. Unde ſi extra neceſſitatem alii Sacerdotes abſque Licentia, vel Privilegio tenentur baptizare, graviter peccant: utpote uſurpantes Officium, & auctoritatem alterius in re gravi; quamvis non incurrant irregularitatem, aut excommunicationem, quæ nullo jure ſtatuitur. Nec obſtat quòd in baptizandum nequeat dari Juriſdictio Eccleſiaſtica, cùm ante baptiſmum reipſa ſuſceptum nemo ſubjiciatur Eccleſiæ Juriſdictioni; Non obſtat, inquam, etſi enim directa Juriſdictio habeatur ſolùm per Baptiſmum reipſa ſuſceptum; indirecta tamen ratione loci; in quo baptizandus verſatur, aut ejus Parentes commorantur, ſive familiæ, ad quam admittitur, poteſt, & debet ante Baptiſmum haberi in baptizandum extra Articulum neceſſitatis. *Henricx diſp. 6. de Baptiſmo. q. 1. n. 6.*

35 IV. Etſi Diaconus non poſſit ordinariè baptizare ex vi ſuæ Ordinationis, ex hac tamen eſt capax, ut rationabili cauſa exiſtente, poſſit ſolemniter baptizare ex Commiſſione Epiſcopi, aut Sacerdotis. Ita communiter DD. apud *Henricx mox cit. diſp. 6. de Baptiſmo. q. 1. n. 7.* Ratio eſt: quia in Ordinatione Diaconi inter alia quoque dicitur: *Diaconum oportet baptizare*; nempè ſolemniter, cùm enim Eccleſia id Diacono poſſit committere, cenſetur hoc facere, quando ipſum ſpecialiter conſtituit Miniſtrum Baptiſmi, quo modo reliqui non ſunt conſtituti. An verò extrema neceſſitate urgente poſſit Diaconus, citrà Commiſſionem baptizare ſolemniter, probabiliter affirmant *Suarez*, *Præpoſitus*, *& Alii*; eò quòd ſpecialiter Diaconus ad baptizandum ſit Ordinatus: adeòque in extrema neceſſitate videatur ad id ſolemniter præſtandum ſufficere commiſſio tacita, ſeu rationabiliter præſumpta. *Ita Henricx cit. n.* 8. Porrò rationabilis cauſa ad Baptiſmi adminiſtrationem Diacono committendam, non eſt ſola extrema neceſſitas, ſed etiam quævis alia judicio Miniſtri Ordinarii determinanda: ut cùm ob multitudinem baptizandorum, infirmitatem Sacerdotis, aliàſve graves cauſas vel occupationes, non poſſet Sacerdos omnibus petentibus Baptiſmum ſatisfacere, ſed alioquin cogerentur, qui ſatis parati accedunt, cum incommodo diu Baptiſmum differre. Sic Apoſtoli, ut prædicationi vacarent, videntur Baptiſmum commiſiſſe Diaconis: Ex qua Commiſſione Philippus Diaconus Baptizavit Eunuchum. Vix tamen hoc tempore, & in his locis, id eſt in uſu, ob multitudinem Presbyterorum. *Henricx cit. num.* 9. Multò minùs Clericus Diacono inferior, & adhuc multò minùs Laicus poteſt, etiam in extrema neceſſitate, ſolemniter baptizare, niſi ex Commiſſione Papæ, juxta Communem praxim, & DD. Conſenſum: quia nullibi in jure permittitur talibus uſurpatio illius ſolemnitatis, ſed præcisè illud, quod poſtulat extrema neceſſitas, ſcilicet Baptiſmi ſubſtantia. Denique exiſtente neceſſitate hic eſt Ordo ſervandus in conferendo Baptiſmo, ut Sacerdos præferatur Diacono, Diaconus Subdiacono, hic cæteris Clericis, Clerici Laicis, vir fœminæ, non excommunicatus excommunicato, Fidelis infideli. Quod de Sacerdote quidem ſatis conſtat ex prædictis, ſiquidem grave fieret præjudicium Ordini Sacerdotali, cui Baptizandi jus primarium eſt annexum. Unde Doctores unanimiter tenent inverſionem illius Ordinis eſſe mortalem ex genere ſuo, ſi Sacerdos ſit ad baptizandum paratus. Quamvis *Valentia*, *& Joannes Suarez*, citati à *Diana p. 3. tract. 4. reſ. 4.* putent tantùm eſſe veniale, apud *Henricx cit. num* 11. Ratio eſt: quia, ſi parato Sacerdote baptizet Diaconus, vel inferior, indebitè uſurpatur munus alienum, idque grave, quod Sacerdoti competit vi Ordinis, & ſi ſit Parochus inſuper Jure Officii Parochialis. Idipſum Doctores communiùs contra nonnullos cenſent, ſi prætermiſſo Diacono baptizet inferior Clericus, aut Laicus: eò quod Diaconus etiam ad baptizandum ſit Ordinatus, adeòque ejus prætermiſſio ſit etiam alieni muneris uſurpatio. In reliquis inverſio Ordinis, etiamſi dicat aliquam incongruentiam, non eſt tamen mortalis juxta Doctores paſſim. Varii tamen non improbabiliter putant, eſſe mortale, ſi non excommunicato præſente, baptizet excommunicatus, vel præſenti Fideli Baptiſmum conferat infidelis. Ita Dicaſtillo, apud *Gobat. tr. 2. de Baptiſmo, num.* 142. Per accidens tamen aliquando poteſt inverti in iſtis Ordo licitè v. gr. mulier docta, & aſſueta baptizare præferatur viro rudi; aut in circumſtantiis, in quibus pudoris gratia non decet virum accedere v. gr. ſi infans non ſit omninò editus. Ita *Rituale Romanum tit. de Miniſtro Baptiſmi.*

### §. II. *Unus Miniſter.*

Poteſt ſimul plures baptizare, applicando omnibus ſimul materiam, & dicendo: *Ego Vos baptizo in Nomine Patris &c.* Ita *Doctor Subtilis 4. diſt. 6. q. 2. n. 6.* & Alii communiter. Ratio eſt: Quia poteſt Unus eadem forma conſecrare plures Hoſtias, in periculo naufragii abſolvere plures pœnitentes; Ergo etiam ſimul plures baptizare: cùm nec Ratione, nec Authoritate conſtet, requiri potiùs ad valorem Baptiſmi, quòd unus Solus baptizetur, quàm ad valorem conſecrationis, quòd unica hoſtia conſecretur, aut ad valorem abſolutionis, quòd unus tantùm abſolvatur. Quia tamen hoc eſt contra morem Eccleſiæ in re gravi, advertit Scotus cit. Coninck, Henricx, & alii, illud ſine mortali non licere extra gravem neceſſitatem: quidquid Aliqui putent, non eſſe mortale. Confirmatur ex *Rituali Romano*, *Tit. de baptizandis parvulis*, ubi agens de forma: *Ego vos baptizo &c.* ait: *Quam tamen formam in iis ſolùm, & in aliis ſimilibus mortis periculis, ad plures ſimul baptizandos, & ubi tempus non patitur, ut ſinguli ſeparatim baptizentur; aliàs numquam licet adhibere*, quod denotat gravem culpam juxta gravitatem rei, ait *Henricx cit. quæſt. 2. n. 14.* Notat autem idem *Scotus*, in illo caſu fore plura Baptiſmata; Nam baptizatio eſt actio tranſiens, quæ afficit terminum, & multiplicatur penes multiplicationem illius. Deinde ſunt plures baptizationes Paſſivæ, quæ juxta ſupra dicta ſunt materia proxima Baptiſmi. Et quamvis una tantùm videatur eſſe forma, eſt tamen virtualiter multiplex; eò quòd Pronomen *Vos*, includat in ſe ſingulare pluries geminatum. Deindè ad multiplicationem totius ſufficit multiplicatio unius partis. Et in hoc conſentiunt quoque cæteri Doctores communiter.

### §. III. *Plures Miniſtri.*

I. Si ſimul & eodem tempore idem Corpus abluant, ac debitam formam cum debita intentione pronuntient, validus eſt Baptiſmus. Ita *Doctores Seraphicus*, *Angelicus*, *Subtilis*, *& Irrefragabilis*, quos paſſim ſequuntur tam veteres, quàm Recentiores Theologi. Ratio eſt: Quia tunc ad cujuslibet actiones concurrunt omnia ad Baptiſmi Eſſentiam neceſſaria, & verſantur circà ſubjectum capax, cùm ſimul finiantur. Confirmatur Exemplo Sacerdotum noviter ordinatorum, qui ſimul cum Epiſcopo conſecrant, & conficiunt Sacramentum Euchariſtiæ, ſi ſimul cum illo finiant verba Conſecrationis. Hoc autem caſu (putat *Henricx cit. quæſt. 2. num. 19.*) Multiplex Baptiſmus *phyſicè loquendo* conferretur; quia forent plures formæ integræ, & plures Materiæ perfectæ, adeòque plura compoſita, ſeu Baptiſmata; *Moraliter* tamen eſſet unus Baptiſmus, & unum Sacramentum; tum ratione unius, & ejuſdem ſubjecti: tum ratione ejuſdem Principalis agentis, in cujus virtute Miniſtri operantur; tum denique ratione ejuſdem effectus producti, & ſignificati: Totum enim illud ſignum à quolibet adhibitum, non plus efficit, aut ſignificat, quàm ſi eſſet unica Ablutio, & unica forma poſita. Quod patet quantùm ad Characterem: Cùm idem ſit unici ſolùm Characteris Baptiſmalis capax. De unica quoque gratia per talem multiplicem Baptiſmum conferenda, idem videntur Doctores potiùs ſupponere, quàm probare, quia in hoc caſu plures Baptiſmi eſſent cauſæ totales unius Gratiæ, non totalitate cauſæ, ſed totalitate effectus tantùm. 37

38 II. Si plures ſimul baptizent, & alter alterum præveniat quoad prolationem formæ, primus confert Sacramentum, altero nihil efficiente. Communiſſima. Ratio eſt obvia; quia poſtquam ille ſemel Sacramentum perfecit, ut ſupponitur, alius nihil efficere poteſt; Siquidem ſemel baptizatus non eſt capax ſequentis Baptiſmi; & Baptiſmus collatus jam baptizato verum Sacramentum non eſt.

39 III. Si Unus abluat Corpus, alter verò proferat verba formæ baptiſmalis, nullus fit Baptiſmus. Ita *D. Bonaventura*, *D. Thomas*, *Scotus*, *Alenſis*, apud *noſtrum in 4. diſp. 2.*

*quæſt.*

*quæſt.* 3. *num.* 68. Ratio verò eſt, quam *Doctor Subtilis* 4. *d.* Quia actus ille eſſet contra Chriſti in- 6. *quæſt.* 2. indicat: ſtitutionem, qui taliter inſtituit Baptiſmum, ut ab uno Miniſtro utraque actio prodiret, & ablutio nimirum, & formæ. Et colligitor ex verbis Evangelicis: *baptizantes eos &c.* quæ Verba ex mente Chriſti ſic intelligenda ſunt, ut idem ipſe Miniſter actum ablutionis exerceat, & verba ipſa proferat: & hanc fuiſſe Chriſti voluntatem ex uſu Eccleſiæ conſtat, qui eſt optimus Legum interpres, quippe numquam viſum eſt, vel auditum in Eccleſia, quòd Baptiſmus aliter fuerit adminiſtrarus, quàm ab uno Miniſtro, qui ſimul ablueret, & formam proferret. In caſu tamen neceſſitatis, ſi infans periclitetur vita, & nemo adeſſet, niſi mutus, & mutilatus utroque Brachio, ita ſuccurri poſſet, ut tamen unus, idemque & verba profferret, & Aquam affunderet; nimirum ſi mancus à muto brachiis inſtructo vas Aquæ ſupra caput reciperet, & baptizandum aſpergeret, modica capitis inclinatione facta; vel meliùs, & faciliùs, ſi Mancus ſumeret Aquam in Ore, & inde Cathecumenum aſpergeret, immediatè poſt, vel ante proferendo verba, vel alio ſimili modo. Ita *Maſtrius cit. n.* 70. citans pro ſe *Cajetanum* aliàs contrarium.

40 IV. Si plures & abluant, & ſimul verba proferant in hunc modum: *Nos te baptizamus*, nullum faciunt Baptiſmum. Ita apud *Maſtrium cit. n.* 72. *Divus Thomas*, *S. Bonaventura*, *Alenſis*, & Recentiores paſſim, *Vaſquez*, *Coninck.*, *Caſpenſis*, *Bonacina*, *Ledeſma*, *Centinus*, & Alii. Ratio eſt; quia in hoc caſu mutaretur forma Baptiſmi à Chriſto inſtituta, & quidem eſſentialiter; Siquidem forma Baptiſmi ex ſua ratione ſignificandi, ſignificat Baptiſmum ab uno Miniſtro perfici, nimirum: *Ego te baptizo*. Unde conſequenter ſignificat ab illo cauſari adæquatè, & independenter ab alio; Atqui hæc forma: *Nos te baptizamus*, licèt ſignificet me baptizare, ſignificat tamen me baptizare cum alio, & inadæquatè: Ergo hoc modo forma Baptiſmi, & ejus ſignificatio mutaretur eſſentialiter. Neque ſolvit argumentum intentio Miniſtrorum, quòd quilibet partialiter, & omnes inſimul integrè velint baptizare, ut vult *Suarez*, *Averſa*, & Alii Recentiores; quia intentio non ſuffragatur, ubi debita materia, & forma non applicatur; Sed hic debita forma non adhibetur ex dictis: Ergo. Objectiones Solutas vide apud *Maſtrium cit. num.* 74.

### §. IV. *Miniſtra Baptiſmi Obſtetrix.*

41 I. SI in aliqua Diœceſi ſit Statutum, ut omnes baptizati ab obſtetricibus, rebaptizentur ſub conditione (quale ſtatutum, referente *Gobat. tr.* 2. *de Baptiſmo. num.* 575. eſt in diœceſi Mechlinienſi, Iſpenſi, Paſſavienſi, Auguſtana, & Corienſi) irreprehenſibilis eſt Parochus, qui hac in re ſtat ſuæ Diœceſis ſtatuto, imò tenetur ſtare. Similiter ſi alicubi vigeat diuturna conſuetudo, rebaptizandi ſub conditione illos, qui fuere baptizati ab obſtetricibus, in praxi debebis te eidem accommodare. Ratio: Quia tale ſtatutum utique ab Epiſcopo Diœceſia emanavit, & talis conſuctudo, eodem conſentiente, introducta fuit: ergo obtinebunt vim Legis juxta dicta de Legibus. Hic tamen benè monet *Gobat. cit. n.* 175. Vi ſtatuti Diœceſani, aut conſuetudinis præciſè Spectatæ, non acquiri aliquid Juris circa rebaptizationem; Etenim permiſſio, prohibitio, vel Juſſio reiterandi Baptiſmi, tota prorſus pendet à Jure Divino, ſeu inſtitutione Chriſti, ſive loquamur de abſoluto, ſive de conditionato Baptiſmo; atqui nullum ſtatutum Humanum, aut conſuetudo valet quidquam immutare circa Jus Divinum, ex *cap. fin. de conſuetud.* Omneſque Theologi; Ergo ſtatutum, vel conſuetudo plus non facit hic, quam quod ſit quaſi teſtis tot ſubſtantialium defectuum, partim certò, partim probabiliſſimè admiſſorum ab obſtetricibus, ut prudenter poſſit dubitati de omnibus, (ubi viget conſuetudo, vel ſtatutum rebaptizandi omnes) vel de pleriſque (ubi plerique ſolent rebaptizari) vel de pauciſſimis (ubi non ſine ſingulari cauſa permittitur rebaptizatio) Baptiſmis, quos eæ adminiſtrarunt.

42 II. Abſtrahendo à ſtatutis particularibus, locorumque conſuetudinibus, non quidem omnes omninò ab obſtetricibus, aliiſve mulieribus, aut viris Laicis baptizati, debent ſub conditione rebaptizari. Ratio eſt: quia quandoque reperire eſt aliquos Laicos utriuſque ſexus tam ignaros omnium neceſſariorum ad Eſſentiam Baptiſmi, tam cautos, & circumſpectos ac ſibi præſentes in ſuis actionibus omnibus gravioris momenti, tam memores ſuorum dictorum, factorumque, tam denique perſpectæ fidei, ac probitatis, ut qui eos novit, non poſſit ſine temeritate dubitare, utrum ſit credendum ipſis aſſeverantibus, ſe hac materia, hac forma, hac formæ & materiæ applicatione, & cum hac intentione, fuiſſe uſos; Atqui illi non ſunt rebaptizandi, de quibus ſine temeritate non poteſt dubitari, utrum rectè, riteque ſint baptizati, ergo non omnes omninò ab obſtetricibus &c. baptizati, debent rebaptizari ſub conditione.

III. Attamen plerique ab obſtetricibus, aliiſve mulieribus, aut viris Laicis baptizati debent ſub conditione rebaptizari. Ita *Gobat. cit. n.* 178. Ratio eſt; Siquidem prudenter, ſeu ſine temeritate dubitari poteſt, an illi ſint ritè baptizati, de quorum baptizatoribus prudenter dubitari, & timeri poteſt, an ſint præditi illis qualitatibus, quæ requiruntur in Miniſtro Baptiſmi ad hujus valorem; atqui poteſt, de pleriſque Laicis utriuſque ſexus dubitari, aut timeri, ac nominatim de obſtetricibus; tum quia compertum eſt, multas illorum fuiſſe veneficas, permultas ex imperitia erraſſe ſubſtantialiter in forma, cùm tamen putarentur optimè illam callere; Plures erraſſe, ex terrore & trepidatione; cùm enim nec ſoleant, nec debeant à Laicis baptizari parvuli, niſi imminente periculo mortis; Illud autem periculum verſans ob oculos, lamenta quoque Matris, labor, & vigilia, quibus crebrò defatigantur obſtetrices, vinum, quo volunt quandoque ſibi facere animos, & alia ejuſmodi efficiunt, ut facilè turbentur, & illam Unciam Judicii, ſeu Prudentiæ, quo plebeiæ mulieres pollent, propè amittant. Tum quia nimis pronum eſt errare circa illam ſimultatem ſeu conjunctionem materiæ, & formæ baptiſmalis, quæ à magnis Theologis exigitur, etiam à P. Sporer *Theol. Sacram. Parte* 1. *cap.* 2. *Sect.* 1. *num.* 82. Quæ rationes efficiunt (ait *Gobat. cit. num.* 181.) ut, quod de Baptiſmo obſtetricum pronuntiavi, aſſeram cum. Quintanadvena, de Baptiſmo plerorumque aliorum, & aliarum è Laicis, idque etiam potiori Jure, quòd & non habeant tantam triam Peritiam Praticam, quantam obſtetrices, & cognatio, vel affinitas cum Matre faciat nonnullas triſtiores. Nec obſtat, quòd obſtetrix interrogata à Parocho, qualiter baptizaverit, dicat ſe hanc, aut illam rationem tenuiſſe, nec Hic in ea videat ullum defectum: Non tamen mox tutò ei credet Parochus; quia fieri poteſt, ut ipſa putet, ſe tenuiſſe rationem, quam non tenuit. Et quid ſi, ut ſunt verecundæ, ſimul & ſuperbæ Mulieres, *Tiraquellus Leg. Connubialium Leg.* 5. *num.* 1. & 2. nolit fateri Erratum? Illud certum, quod *Layman hic cap.* 5. *n.* 3. tradit: mihi videtur rebaptizandum eſſe infantem, quando obſtetrix variat in relatione ſui Baptiſmi. 43

IV. Tamen, quando obſtetrix eſt integræ famæ, animoſior, & circumſpectior, quàm vulgus Mulierum, verſata jam in pluribus periculis ejuſmodi, & probata, ſemper omnia egiſſe rectè, tum ne quidem ſub conditione rebaptizanda eſt proles, quam hæc aſſeverat, eſſe à ſe legitimè baptizatam. Ita *Quintanadvenuas* apud *Gobat cit. n.* 183. Ratio eſt: Quia in his circumſtantiis non poteſt eſſe prudens dubium de vero Baptiſmo. Ex quibus infero cum *Gobat cit. num.* 167. quòd obſtetrices ſub mortali teneantur addiſcere formam, modumque rectè baptizandi, maximè ſi ex officio obſtetricentur; & quòd Parochi ſub mortali teneantur eaſdem diligenter examinare, utrum & noverit neceſſaria conferendo Baptiſmati, & omnia neceſſaria adhibuerint tunc, cùm fortè aliquem baptizarunt; ac etiam quod Parochis magnopere invigilandum ſit ne obſtetrices utantur variis ſuperſtitionibus circa puerperas, infantes, Patrinos, ut quando dant infanti in manus Ovum, Salem, Panem &c. Indè neſcio quid ominantes, aut quando Puerperam nolunt in templum inducere diebus Lunæ, Mercurii, Veneris; perinde ac ſi hi dies forent Nefaſti; aut quando petunt Chriſma baptiſmale, ut illo ungant puerperam ad teddendam parturitionem faciliorem, &c. Vide *Gobat cit. n.* 567. & *ſeqq.* 44

## QUÆSTIO II.

### *De Subjecto Baptiſmi.*

### SUMMARIUM.

46 *Subjectum capax Baptiſmi eſt ſolus Homo viator.*
47 *Etiam parvulus; mox ubi natus eſt.*
48 *Etiam perpetuò amens, & ratione carens.*
49 *Quid dicendum de Catechumeno in periculo mortis? ſubitò Senſibus deſtituto?*
50 *Infideles alii ſunt baptizati, alii non baptizati; Hi vel non ſunt ſubjecti principibus Chriſtianis, vel ſunt ſubjecti, idque vel civiliter, vel ſerviliter.*
51 *Parvuli infidelium quorumcumque validè baptizantur invitis parentibus.*
52 *Parvuli hæreticorum etiam licitè baptizantur invitis parentibus.*



Digitized by Google

53 *In mortis periculo omnium infidelium parvuli liciti baptizantur invitis parentibus.*

54 *An extra periculum mortis parvuli infidelium licitè baptizentur invitis parentibus.*

## A S S E R T I O II.

45 *SUbjectum capax Baptiſmi eſt ſolus Homo viator, etiam parvulus, mox ubi natus eſt, ac etiam perpetuò amens. Parvuli infidelium quorumcumque validè ſemper baptizantur invitis parentibus, & ſubinde etiam licitè.* Eſt partim certa, partim Communis DD.

### §. I. *Subjectum capax Baptiſmi eſt ſolus Homo viator.*

46 EſT certum. Nam Sacramenta ſunt inſtituta tamquam media, ad ſalutem ſolius Hominis viatoris. Deinde ad ſolos Homines baptizandos miſſi ſunt Apoſtoli *Matth. ult. & Marc. ult.* Unde Homines in termino conſtituti non ſunt capaces Baptiſmi. Similiter nec Creaturæ homine inferiores; Quare Satyri, aut Geniti ex fœmina & Bruto, non ſunt baptizandi; uti nec Monſtrum, quod non præſefert ſpeciem Hominis. Ita communis cum *Henricx diſp. 6. q. 3. de ſubjecto Baptiſmi. n. 20.* Si verò Monſtrum ſit tale, ut de eo dubitetur, an ſit homo, & animam habeat rationalem, ſi nihil certi dignoſci poſſit, mortiſque periculum immineat, juxta DD. communiter apud Henricx cit. & Maſtrium *Theol. Moral. diſp. 17. quaſt. 3. n. 24.* baptizari debet, hac conditione adhibita: *Si es Homo, Ego te baptizo &c.* Quòd ſi poſteà certò conſtiterit, eſſe hominem, non eſt rebaptizandus; quia illa conditio ſemper fuit vera. Si verò nullum ſit in mora periculum, medici conſuli debent, & alii in hoc periti, ac etiam tutius erit, rem ad Epiſcopum deferre, ordinemque ab illo præſcriptum exequi, ut habetur in *Rituali Romano, de Baptiſmo.* Si Monſtrum autem tale ſit, de quo dubitetur an ſit unus Homo, vel plures, quale *Scotus. 4. d. 6. q. 2.* refert fuiſſe in Francia, quod habebat duo capita, quorum unum voluit continere, & ſobriè vivere, alterum verò voluit laſcivire, & epulari, reſpondent Doctores communiter cum *Doctore citato*, quòd ſi tempus haberi poteſt ad diſcernendum, an Monſtrum ſit ſimpliciter una perſona, vel duæ, de hoc debet haberi diligens inquiſitio, antequàm baptizetur; diſcerni autem præſertim poterit, ſi unum vel plura capita in eo ſint, vel plura pectora, tum enim totidem erunt corda, & animæ, hominesque diſtincti probabiliter loquendo; Quod notanter additur; quia, ait Doctor, nec ſignum de duobus capitibus eſſet omninò certum, quia tamen raró, vel numquam accidit quod ſint duæ animæ, quin ſint duo capita, vel duæ partes principales capitis, ſubdit, quòd ſi certitudo haberi poſſit, quòd ſint duæ animæ, & Perſonæ, ſingulæ ſunt abſolutè baptizandæ; Si verò res maneat dubia, adhuc duplex Baptiſmus eſt conferendus, unus abſolutè in parte Principali, quam conſtat eſſe informatam anima rationali; Alius ſub conditione in parte, de qua dubitatur, an informetur eadem anima hoc modo: *ſi non es baptizatus, Ego te baptizo &c.*

### §. II. *Etiam Parvulus, mox, ubi natus eſt,*

47 EſT Subjectum capax Baptiſmi. Eſt de fide definitum in *Concilio Trident. Seſſ. 7. Can. 12. & 13. de Baptiſmo*, item *cap. firmiter. de ſumma Trinitate, & cap. Majores. de Baptiſmo.* Patet etiam ex continua Eccleſiæ traditione, cujus teſtis eſt *S. Auguſtinus lib. 4. de Bapt. cap. 23.* & alii Patres. Ratio eſt: quia omnes homines, etiam parvuli, naſcuntur capaces regni cœlorum, quod tamen adipiſci non poſſunt, niſi renaſcantur ex Aqua Baptiſmi, qui in parvulis non poteſt per votum ſuppleri. Confirmatur: Quia in Lege Naturæ & Moſaica parvulus etiam in infantia erat capax remedii emundantis a peccato Originali: ergo multò magis in Lege Nova, in qua poſt Chriſti paſſionem gratia eſt uberior, & univerſalior. Nec obſtat, quòd *Anabaptiſtæ* objiciunt, videlicet in parvulis non reperiri intentionem ſuſcipiendi Sacramentum: Reſpondetur enim, in parvulis illam non requiri; quia ſicut abſque propria voluntate Perſonali, per voluntatem Adæ conſtituti ſunt peccatores damnationi obnoxii: ita abſque illa regenerantur in vitam Juſtitiæ per Baptiſmum ex voluntate ſecundi Adæ Chriſti Domini, qui omni ætati de mediis ad ſalutem providit juxta ſuam capacitatem. Dictum eſt: *Parvulus, mox, ubi natus eſt.* ſcilicet extra uterum maternum, quamdiu enim in illo exiſtit, baptizari nequit, quemadmodùm tamdiu regulariter non poteſt ablui, juxta *c. ſi quidquid, de conſecr. diſt. 4.* & certam Theologorum doctrinam teſte *Henricx cit. quaſt. 3. num. 23.* Si tamen obſtetrix foret tam perita, ut manu in uterum inſerta, vel alio inſtrumento, prolem aqua perfundere poſſet, aut aliquo artificio poſſet Aqua ad infantem deduci, adjecta debita verborum forma probabiliter validè baptizaretur, ſicut verè lavaretur. Quantùm ad proles ex utero materno exſectas, etſi validè baptizentur, non licet tamen in iſtum finem matrem innocentem occidere: Cùm, ut eveniant bona, non ſint facienda mala, prout mala ſemper eſt directa occiſio Innocentis. Si tamen Mater juſtè foret morti adjudicata, poſſet mors Matris, ſervato Ordine Juris, accelerari exſciſſione parvuli, quando ſperaretur ſic poſſe ſalvari, & alioquin certò crederetur priùs moriturus, quàm ad partum ſeu nativitatem perveniret. Quod, quia non eſt natum fieri, imò quia plus plerumque periculi imminet ex morte violenta Matris, quàm obveniente ex natura, aut alio caſu: idcircò Lege *Prægnantis, ff. de Pœnis*, decernitur Judicium Prægnantis eſſe differendum, quouſque fœtum fuerit enixa. Hoc tamen meritò obſervandum Parochis, obſtetricibus & aliis parturienti præſentibus, quod advertit *Gobat. tr. 2. de Baptiſmo, caſu 8. n. 260.* ut videlicet, quando parturiens agit animam, nondum edita prole, ejus ſcilicet parturientis ori aliquid imponatur, ne videlicet infanti adhuc in ejuſdem utero exiſtenti, obturetur via reſpirationis, & mox, ut mortua eſt Mater, ejus venter per Sectionem aperiatur, & Soboles eximatur, ac Lavacro baptiſmali abluatur; quia falſum eſt, quòd Matre mortua, ſtatim etiam proles in utero extinguatur: Siquidem etiam Matre extincta, prolem vivam ex utero extractam fuiſſe, & ſacro lavacro tinctam, probat *Gobat. cit. n. 58. & ſeqq.* multis Authoritatibus, & caſibus. Quare etiam ad hunc modum juvandi infantes in utero exiſtentes, & de ſalute æterna periclitantes, obligari Patrem Prolis, conſanguineos, domeſticos, vel alios aſtantes; imò etiam Parochos, ſcribit *Carolus Muſſart in manuali Parochorum, part. 2. cap. 2. n. 2.*

### §. III. *Etiam perpetuò Amens*

BAptizari debet, ſicut infantes, juxta communiſſimam. 48
Ratio eſt: Quia Baptiſmus eſt Sacramentum maximæ neceſſitatis: Ergo etiam conferri debet perpetuò amentibus, etiamſi hi peccato Originali infecti ſint, & ſicut, ad valorem Baptiſmi infantis non eſt opus, ut baptizetur cum ejus conſenſu, cujus tunc non eſt capax, cùm uſu rationis careat: ita neque ad valorem Baptiſmi amentis neceſſarius eſt ejus conſenſus, ſed ſufficit Chriſti, & Eccleſiæ voluntas. Ita *Bellarminus, Henriquez, Bonacina*, & Alii paſſim ex *Concilio Carthaginenſi, & Arauſicano*, Idque præſcribit *Rituale Romanum, tit. de Baptiſmo adultorum.* Idem dicendum de iis, qui ad annos diſcretionis nondum pervenerunt. Si verò amentes aliquando uſum rationis habuerunt, & poſteà in amentiam lapſi ſunt, diſtinguendum eſt; Etenim ſi conſtet illos, dum mentis compotes eſſent, Baptiſmum petiiſſe, vel exoptaſſe, nec voluntatem illam mutaſſe, Baptiſmus erit illis conferendus; ſi verò dubitetur, an petierint Baptiſmum ante amentiam, inquiunt Doctores citati, baptizandos eſſe ſub conditione: *ſi baptiſmum petierunt*, modò non conſtet, eos permanſiſſe in ſtatu peccati mortalis. Et ratio eſt: quia melius eſt eos decedere cum Baptiſmo dubio; quàm ſine ullo baptiſmo. Verum ſi conſtet in ſtatu peccati mortalis permanſiſſe, v. g. in concubinatu, non ſunt baptizandi: quia baptizarentur cum obice, & Sacramentum miniſtraretur indignis. Hæc tota Doctrina eſt *Scoti in 4. d. 4. q. 4.* apud *Maſtrium Theol. Moral. diſp. 17. q. 3. num. 43.* & communis Theologorum.

Sed quid ſi Catechumenus conſtitutus in mortis articu- 49
lo, ſubitò ſenſibus deſtituatur, deberetne baptizari, licèt Baptiſmum anteà non petiiſſet, nec ad interrogata reſpondere poſſet? Reſpondet *Dom. Joannes Maria Sbogar in ſua Theologia radicali tractatu 13. cap. 5. n. 41.* Affirmativè. Ratio eſt: quia Catechumeni voluntas, dum fuerat ſanus, erat velle recipere fidem, prout ex ſe clarum eſt; aliàs numquam in numerum Catechumenorum inſcribi voluiſſet: Ergo licèt pro tunc nequeat dare ſignum externum pro petendo Baptiſmo, internè tamen credendum eſt, ipſum velle ſuſcipere. Deinde quia ipſe *S. Auguſtinus* ad hanc quæſtionem ſolvendam ſic loquitur: *Catechumenis ergo in bivus vitæ ultimo conſtitutis, ſi morbo, ſeu caſu aliquo ſic oppreſſi ſint, ut quamvis adhuc vivant, petere tamen ſibi baptiſmum, vel ad interrogata reſpondere non poſſint, proſit eis, quòd eorum vita Chriſtiana jam nota voluntas eſt, ut eo modo baptizentur, quomodo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit.* Ut autem omnis ſcrupulus circa hoc dubium ſolvatur, tunc ſuadeo in tali Baptiſmo conditionem apponere: ſi es capax, vel diſpoſitus, tunc ego te baptizo &c. ſicque facien-

do

Digitized by Google

do Sacramentum nullatenus exponetur periculo fruſtrationis. Ita *Sbogar cit.*

### §. IV. *Parvuli infidelium validè baptizantur invitis Parentibus, & quandoque etiam licitè.*

50 INfideles alii poſſunt eſſe *baptizati*, quales ſunt Hæretici, & à fide Apoſtatæ. Alii *non baptizati*, quales ſunt Ethnici, Turcæ, Judæi &c. Inter hos aliqui nullo modo ſunt ſubjecti principibus Chriſtianis; Alii ſunt iiſdem ſubjecti tamquam Cives, ſeu *Civiliter*, & *Politicè*; Alii denique ſunt eis ſubjecti tamquam ſervi emptitii, & mancipia ſeu *ſerviliter*, & *deſpoticè*. Hoc notato.

51 I. Parvuli infidelium quorumcumque validè baptizantur invitis Parentibus. Eſt ſatis certa, & communis Doctrina Theologorum, uno, vel altero excepto, quorum Opinio teſte *La Croix lib. 6. parte* 1. *n.* 297. Communiter rejicitur tamquam improbabilis. Ratio eſt: quia ad valorem Baptiſmi tantùm requiritur legitima materia, forma, & intentio: Conſenſum autem Parentum requiri, nec ex S. Scriptura, nec ex Conciliis, nec ex Traditione conſtat. Quinimò ex ſenſu Eccleſiæ conſtat contrarium; quia Eccleſia numquam rebaptizat parvulos contra gentilium Parentum voluntatem baptizatos. Denique cùm Baptiſmus ſit parvulis ſummè ad ſalutem neceſſarius, debuit valor illius eſſe independens ab extrinſeco Parentum conſenſu, ne illius defectu frequenter ſua ſalute fruſtrentur.

52 II. Parvuli infidelium baptizatorum, id eſt, Hæreticorum aut à fide Apoſtatarum, licitè baptizantur invitis Parentibus, ſi ita velint legitimi ſuperiores Eccleſiaſtici. Eſt certa Sententia ex *Concilio* 4. *Tolet. cap.* 56. teſte Layman *lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 6. *n.* 11. Ratio eſt: quia Hæretici Eccleſiæ Juriſdictioni ſubjecti ſunt, à qua proindè ſine injuria compelluntur, ut parvulos ſuos ad Baptiſmum Catholicorum deferant, & in fide, ac Religione Catholica inſtruant: ſin verò id facere recuſent, infantes ab eorum cura abſtrahi, & Baptizari jure poſſunt.

53 III. Parvuli quorumcumque infidelium ſive baptizatorum, ſive non baptizatorum, licitè baptizantur à quolibet, in periculo mortis. Ita recepta Doctorum Sententia apud *Henricx cit. diſput.* 6. *q.* 4. *n.* 28. Ratio eſt: quia extremè indigenti infanti ſuccurrendum eſt, quantum eſt poſſibile, & gratis conceſſo, quòd Pater habeat directum jus, ne proles ipſo invito baptizetur; illud tamen jus hîc ceſſat, ſicut in quavis extrema neceſſitate cenſentur jura ceſſare. Deinde parvuli infidelium non baptizatorum, qui ſunt ſervi, ſive mancipia Principis Chriſtiani, licitè baptizantur de conſenſu illius ſolius, etſi Parentes ſint inviti. Ita communiter DD. apud *Henricx cit. n.* 27. *Layman. &c.* Ratio eſt: I. quia videmus in praxi, proles Turcarum, quę juſto Bello fiunt Mancipia Chriſtianorum, baptizari contra voluntatem Parentum. II. Quia princeps Chriſtianus juſtè poſſet filios Mancipiorum ſuorum vendere, & à Parentum abſtrahere poteſtate; ergo etiam poteſt illos per Baptiſmum ſubjicere Eccleſiæ poteſtati. Periculum autem Apoſtaſiæ poteſt evitari, ſi videlicet Princeps, vel Dominus Chriſtianus prolem rectè curet educari, aut inter fideles procul à Parentibus ablegari. Imò Dominus per ſe loquendo ad Baptiſmum talium tenetur; cùm ipſe habeat jus, adeòque obligationem velut paternam, ejuſmodi parvulis providendi potiſſimùm de neceſſariis ad ſalutem. Præterea admittunt omnes, quòd dum alteruter Parens eſt fidelis, proles ſequi debeat Religionem Chriſtianam, & ſit baptizanda, ſi ſit Spes Chriſtianæ educationis. Ita habetur in *Concilio Toletano IV. Can.* 63. & refertur *cap. Judæi.* 28. *quæſt.* 1. Idem cum proportione eſt dicendum, ſi proles ſit ſub cura plurium tutorum, quorum ſaltem unus eſt Chriſtianus. Similiter ſi alteruter Parens conſentit, etſi uterque ſit Ethnicus, ſufficit conſenſus unius ad tribuendum Jus Eccleſiæ ad Baptizandum parvulum. Item ſi proles infidelium non baptizatorum, nec ſubditorum Principibus Chriſtianis veniſſent in poteſtatem Chriſtianorum, etſi per injoriam; ſi ſit impoſſibile, eas Parentibus reſtitui, poſſunt licitè baptizari, cùm nulli fiat injuria, ut patet. Item ſi filii infidelium perpetuò amentes ſint, baptizari poſſunt invitis Parentibus; quia alioquin omni ſpirituali remedio ſalutis æternæ privati eſſent, quando nulla Spes eſt ad proprium rationis uſum perventuros. Quare hoc caſu ab injuria excuſata cenſetur qualis qualis violatio Parentibus illata propter extremam neceſſitatem baptizandorum. Ita *Layman cit. n.* 50. Denique conſtat apud omnes; quòd ſi proles talium infidelium petant Baptiſmum, ſit eis conferendus, etiam invitis Parentibus: ſunt enim in hoc ſui juris. Si autem de uſu rationis dubitetur, inclinandum eſſe in favorem fidei, cenſet *Sotus* apud *Henric. cit. n.* 29. Differendum tamen eſſe Baptiſmum; uſque dum de uſu rationis conſtet, cenſet *Henriquez*, *Coninck*, & Alii.

54 IV. Prædictis Caſibus exceptis, communis Theologorum ſententia docet, non licere parvulos infidelium non baptizatorum, & nullo modo Chriſtianis Dominis ſubjectorum baptizare invitis Parentibus, eò, quòd fieret injuria Parentibus, quibus Jure naturæ competit poteſtas Patria in ſuos liberos, quamdiu rationis, & arbitrii proprii uſu non potiuntur. Quare ſolùm difficultas eſt, an infantes infidelium non baptizatorum, principibus Chriſtianis civiliter tamen, & politicè ſubjectorum baptizare ſit licitum? Negat *Div. Thomas* 2. 2. *q.* 10. *ar.* 2. & 3. *par.*, *q.* 67. *ar.* 50. cum ſuis Sectatoribus, & eſt communis Recentiorum Sententia. Affirmat *Scotus cum ſuis in* 4. *d.* 4. *q.* 9. quæ Controverſia, ſi benè perpendatur (ait *Maſtrius Theol. Moral. diſp.* 17. *quæſt.* 3. *art.* 2. *n.* 44.) potiùs eſt de nomine, quàm de re; quia Scotus etiam id abſolutè non affirmat, ſed quibuſdam cautelis adhibitis, quibus conſideratis utraque Sententia ferè in idem recidit. Prima enim Sententia aſſerit, infantes infidelium, invitis eorum Parentibus non eſſe baptizandos, ſi ſub illorum poteſtate, & cura remaneant, aut periculum ſit, ne ad eorum curam, & poteſtatem redeant, & ab illis pervertantur. Si autem ab illorum poteſtate, & cura juſtè abſtrahi poſſint, ita ut nullum ſit periculum, ne ad illos redeant, aut ab illis pervertantur, affirmat in tali caſu licitum eſſe infantes illos etiam invitis Parentibus baptizare, ſimiliter ait, hoc eſſe licitum in caſu, in quo infans eſſet in certo periculo mortis: quia in eo eventu ceſſat periculum ſubverſionis, & ſubveniendum eſt proximo extremè indigenti; Ita diſcurrunt *Sotus*, *Vaſquez*, *Valentia*. *Reginaldus*, *ConincKius*, *Caſpenſis*, *Amicus*, *Averſa*, & alii Auctores primæ Sententiæ. Sed his quoque cautelis adhibitis aſſerit *Scotus loc. cit.* ſententiam affirmativam, non aliter, nec alio modo, nimirùm ſi præcaveri poſſit, ne infantes occidantur à Parentibus, tunc baptizentur, & ſit aliqua certitudo, quòd tales infantes baptizati ſint Chriſtianè educandi; ne irreverentia accidat fidei ob Apoſtaſiam. Cujus Ratio eſt: quia quando Dominia ſunt ſubordinata, parendum eſt Dominio ſuperioris, contempto præcepto inferioris, ſi illi contrarietur; cùm ergo DEUS, qui eſt Dominus ſupremus, & univerſalis, ſecundùm Legem naturalem, & Evangelicam, omnium parvulorum, præcipiat eos per Baptiſmum ſibi conſecrati; quamvis Pater infidelis, qui eſt Dominus particularis, velit oppoſitum, Princeps Chriſtianus, qui eſt Miniſter Juſtitiæ, & habet poteſtatem coactivam reſpectu ſubditorum ad defenſionem innocentis, quia gladium DEI portat, poterit illos à Parentibus auferre, & DEO conſecrare per Baptiſmum, *per ſe loquendo*: Ex quibus conſtat hanc Controverſiam eſſe potiùs de nomine, quàm de re, & Recentiores ita loquentes incidere in Sententiam Scoti. Ita *Maſtrius cit.* quia verò cautelæ à Scoto requiſitæ rarò poſſunt adhiberi, & Baptiſmus parvulis infidelium collatus ſæpè eſſet occaſio graviorum malorum, ordinariè non licet eos baptizare; Quemadmodum Eccleſiæ ad evitanda graviora mala adultos infideles Chriſtianis Principibus ſubditos, non tantùm non cogit ad fidem Catholicam (quod tamen per ſe loquendo poſſet minis & terroribus facere juxta Sententiam probabilem Scoti practicatam à *Ferdinando*, & *Siſebuto Regibus Hiſpaniæ*, & colligitur ex *l. cunctos. Cod. de ſum. Trin.*) ſed id etiam variis Canonibus interdixit, ut *Toletanum IV. Can.* 56. ita iiſdem rationibus mota Eccleſia parvulos infidelium, Parentibus invitis non baptizat, imò ſi id nondum prohibuit, (quod feciſſe apertè non oſtenditur) prohibere poteſt. Ita ſapienter more ſuo *Henricx cit. num.* 34.

## QUÆSTIO III.

### *De Diſpoſitione requiſita in Subjecto Baptiſmi.*

### SUMMARIUM.

56 *Quid requiratur ad Baptiſmum validè recipiendum in Infantibus, & Amentibus?* 57. *Quid in Adultis?*

58 *Ad recipiendum fructuoſè Baptiſmum requiritur in Adulto fides actualis.*

59 *Propoſitum profitendi, & ſervandi legem Chriſti.*

60 *Et ſi habeat peccatum mortale Perſonale, requiritur Pœnitentia, ſcilicet attritio ſupernaturalis.*

65 *Non neceſſaria contritio Perfecta.*

62 *Baptiſmus fictè ſuſceptus reviviſcit.*

63 *Duplex eſt fictio, ſeu obex gratiæ, poſitivus, & negativus.*

64 *Qualis diſpoſitio requiratur ad tollendam fictionem negativam?* 65. *Et qualis ad tollendam poſitivam?*

*Fictio*

Digitized by Google

66 *Fictio poſitiva, & peccata baptiſmum concomitantia non tolluntur per baptiſmum, ſed per pœnitentiam.*

ASSERTIO III.

55 *AD baptiſmum validè recipiendum, in adultis ratione utentibus requiritur intentio illum ſuſcipiendi, non tamen fides, aut alia diſpoſitio: Ad licitè verè, & fructuosè recipiendum requiritur Fides ex parte intellectus: propoſitum profitendi, & ſervandi legem Chriſti, & ſi adultus ſit obſtrictus peccato mortali perſonali, requiritur ſaltem attritio. Ut baptiſmus, fictè ſuſceptus cum obice negativo, reviviſcat, requiritur ſola attritio; Si verò fuerit ſuſceptus fictè cum obice poſitivo; ut reviviſcat, requiritur contritio perfecta, vel cum Sacramento pœnitentia attritio. Fictio, ſicut & alia peccata actualia in ipſa ſuſceptione baptiſmi commiſſa non tolluntur per baptiſmum, ſed per pœnitentia Sacramentum, aut contritionem.* Eſt partim certa, partim communis, partim controverſa.

§. I. *In adultis ad baptiſmum validè recipiendum requiritur intentio, & conſenſus.*

56 CErtum eſt, quòd in infantibus, & perpetuò amentibus ad recipiendom validè, licitè, & fructuosè baptiſmi Sacramentum nulla prærequiratur diſpoſitio; cùm nullius ſint capaces. Siquidem intentionem recipiendi baptiſmum, in iiſdem ſupplet Chriſtus, & Eccleſia, ut jam dictum in præcedentibus. Adeòque ſola quæſtio movetur de adultis ratione utentibus, ſi baptizari velint, quales in eis diſpoſitiones, tam ad validè, quàm ad licitè & fructuosè recipiendom baptiſmum requirantur? Itaque

57 Ut adultus validè recipiat baptiſmum, requiritur in eo intentio illum ſuſcipiendi. Eſt certa, & conſtat ſatis ex *Theologia Sacramentali R. P. Patritii Sporer, part. 1. cap. 2. ſect. 3. nu. 140. & ſeqq.* Ubi ad longum, & latum hanc materiam pertractat. Non tamen ad validè ſuſcipiendum baptiſmum requiritur fides, aut alia diſpoſitio ſuſcipientis, quod conſtat tum ex *cap. majores, de baptiſmo;* tum ex praxi Eccleſiæ, quemlibet adultum voluntariè baptizatum non permittentis rebaptizari, quantumvis conſtet, illum eo tempore, quo fuit baptizatus, fuiſſe infidelem. Unde ſi fides non requiratur ad valorem baptiſmi, multò minùs aliæ diſpoſitiones requirentur ad valorem baptiſmi, quæ fidem eſſentialiter præſupponunt. Ex quo etiam patet; quòd validæ ſuſceptioni baptiſmi non obſit mala intentio ſuſcipientis, ex aliquo motivo temporali inordinato concepta. Vide *P. Sporer cit.*

§. II. *Ad recipiendum fructuosè baptiſmum requiritur in Adulto*

58 I. FIdes *actualis*. Patet ex S. Scriptura; quia *Matth. ult.* ait Chriſtus Dominus Apoſtolis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Et *Marci ult. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit condemnabitur. Ad Hebr. 11.* inquit S. Paulus: *ſine fide impoſſibile eſt placere DEO. Credere enim oportet accedentem ad DEUM, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Unde *Actor. 8.* Eunucho poſtulanti baptiſmum reſpondit Philippus: *Si credis ex toto corde, licet,* idem colligitur ex *Concilio Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. & 8.* Et ſufficit, quòd hæc fides ſit *actualis*, nec neceſſaria eſt habitualis; Nam ante juſtificationem in baptiſmo receptam non datur in recipiente fides habitualis; ſimul enim dantur in effectu baptiſmi tres virtutes Theologicæ. Fides ergo, quæ eſt diſpoſitio ad fidem habitualem, actualis eſſe debet; quia actus de congruo diſponunt ad juſtificationem, quæ fit per habitus infuſos. *Maſtrius in 4. diſp. 2. qu. 6. nu. 123.* Debet autem hæc fides, ſeu actus fidei procedere ex Divina gratia actuali ſupernaturali, ut definit *Concilium Trident. ſuprà cit. Can. 3.* ut diſpoſitio proportionetur formæ, ad quam diſponit. Quorum autem Myſteriorum ſeu articolorum fidei notitia debeat eſſe in adulto baptizando, debet colligi ex *tract. 2. in 1. præceptum Decalogi, R. P. Sporer, cap. 2. ſect. 2. num. 11. & ſeq.* tantam enim notitiam debet habere, quantam alii fideles, cùm ſit eadem obligatio baptizandi, & baptizati in credendo.

59 II. *Propoſitum profitendi, & ſervandi legem Chriſti.* Communiſſima apud *Maſtrium citat. nu. 124.* Ratio eſt: quia ut adultus fructuosè recipiat baptiſmum, debet ſe covertere ad DEUM, & velle inſtituere novam vitam, ac ea facere, ad quæ baptizatus quiſque obligatur; Atqui quilibet baptizatus obligatur profiteri, & ſervare legem Chriſti; Siquidem Chriſtus Dominus *Matth. ult.* dixit Apoſtolis: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis:* Ergo ut adultus fructuose recipiat baptiſmum, debet habere propoſitum profitendi, & ſervandi legem Chriſti.

III. Si adultus cum peccato originali habeat etiam peccatum mortale perſonale, tunc ad fructuosè recipiendum baptiſmum neceſſaria eſt illi *Pœnitentia*. Eſt de fide, & patet tum ex S. Scriptura, *Actor. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum.* Tum ex Concilio Trident. *ſeſſ. 6. cap. 6. & ſeſſ. 14. cap. 1.* ubi dicitur: *Fuit Pœnitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam, & juſtitiam aſſequendam neceſſaria, illis etiam, qui baptiſmi Sacramento ablui petiviſſent.* In eandem ſententiam conſpirant SS. Patres, & conſentiunt etiam Scholaſtici cum *Scoto in 4. d. 4. q. 5.* quidquid ſine fundamento aliqui contrarium aſſerant, ut benè oſtendit *Vaſquez*, apud *Herincx cit. diſp. 6. qu. 5. nu. 36.* & *Maſtrium cit. nu. 126.* Tum hac ratione: Quia omninò decet, ut is, qui liberè ſe à DEO per peccatum avertit, liberè ſe in DEUM convertat per peccati deteſtationem. Dictum eſt: *Si adultus habeat etiam peccatum mortale perſonale.* Nam obſtrictus ſolo originali, nullam tenetur habere pœnitentiam; quia propria perſonali voluntate ſe non avertit à DEO; ideòque Concilium Trident. ſupracit. de illis ſolùm loquitur, *qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent;* adeòque ſufficit in iis intentio ſuſcipiendi baptiſmum, fides actualis, & propoſitum profitendi, & ſervandi legem Chriſti ad conſequendum fructum ſeu gratiam Baptiſmi. Ita paſſim diſcurrunt recentiores, Suarez, Averſa, Henriquez, Aretinus, Bonacina, & alii communiter apud *Maſtrium cit. num. 124.* qui addit: ſi adultus cum peccato originali haberet conjunctum ſolùm veniale ſine ullo mortali, neque in tali caſu pro diſpoſitione ad baptiſmum recipiendum requireretur pœnitentia de veniali peccato; quia venialia non impediunt receptionem gratiæ ſanctificantis, & remiſſionem mortalium, ut notat *Averſa qu. 68. ſect. 5.*

IV. Pœnitentia, quæ in adulto peccatum mortale perſonale habente, ad recipiendum baptiſmi effectum, ſcilicet gratiam ſanctificantem, & remiſſionem peccatorum requiritur, non neceſſariò debet eſſe contritio perfecta, ſed ſufficit, & requiritur ſaltem attritio ſupernaturalis. 61
Ita *Doctor Subtilis in 4. d. 4. qu. 5.* & eſt communis, quam tenet *Suarez, Vaſquez, Coninch. Averſa, Becanus, Brancatus, Centinus, Maſtrius, Herincx,* & alii contra quamplures Theologos. Ratio eſt: quia baptiſmus eſt per ſe inſtitutus ad deletionem peccati tum originalis, tum perſonalis, ut patet ex *Concilio Florentino in Decreto de Armenis, & Trid. ſeſſ. 5. Can. 3. & 5.* Ergo debet poſſe delere peccata cum ſola attritione. Probatur *conſequentia:* Quia ſi requireretur contritio perfecta, peccata ſemper forent deleta per eam ante realem baptiſmi ſuſceptionem; & conſequenter baptiſmus non videretur inſtitutus in remiſſionem peccatorum; cùm non rectè cauſa dicatur inſtituta ad effectum, qui ſemper, & neceſſariò cauſalitati illius præſupponitur. Confirmatur: Quia baptiſmus eſt Sacramentum mortuorum, & regeneratio ſpiritualis, quod non rectè diceretur, ſi contritio prærequireretur, per hanc enim & mortuus revixiſſet, & homo ſpiritualiter eſſet regeneratus, antequàm ad Baptiſmum perveniret. Denique juxta *Concilium Trident. ſeſſ. 14. cap. 4.* Attritio ſufficit in Sacramento pœnitentiæ: ergo multò magis ſufficit in baptiſmo; cùm faciliùs remittantur peccata per baptiſmum, quàm per Sacramentum Pœnitentiæ, ut meminit idem *Concilium cit. cap. 8.* Hæc tamen attritio, quam dixi ſufficere, debet eſſe *ſupernaturalis*, concepta videlicet ex motivo ſupernaturali, & elicita auxilio gratiæ actualis Divinæ; Tum quia homo per ſolas naturæ vires, & actus naturales non poteſt ſe ad juſtificationem diſponere; Cùm inter diſpoſitionem, & formam introducendam debeat eſſe proportio; ſicut ergo forma, id eſt, gratia, & juſtificatio, eſt ſupernaturalis, ita & diſpoſitio. Tum quia ad Sacramentum Pœnitentiæ requiritur attritio ſupernaturalis: ergo etiam ad Sacramentum Baptiſmi. Non tamen requiritur, ut attritio illa exiſtimetur, bona fide contritio, prout vult *Navarrus cap. 1. ſumma num. 27.* ſicut nec ad Sacramentum Pœnitentiæ requiritur attritio bona fide æſtimata contritio, ut videre potes apud *P. Sporer Theolog. Sacram. part. 3. cap. 2. ſect. 3. num. 273.*



Digitized by Google

### §. III. *Baptiſmus fictè Suſceptus.*

62 I. Baptiſmum poſſe ab adulto rationis compote, validè ſuſcipi, ſed illicitè, ſeu informiter, hoc eſt, ſine collatione gratiæ ſanctificantis, & remiſſione peccatorum; atque ſic illicitè ſeu fictè ſuſceptum gaudere privilegio reviviſcentiæ, ſi obex gratiæ tollatur, conſentiunt Theologi apud *P. Sporer Theol. Sacram parte 1. capit. 1. ſect. 1 num. 27. & 29. quem vide.* Itaque hic ſolùm indagatur, qualis diſpoſitio requiratur ex parte adulti, ut Baptiſmus fictè ab eo ſuſceptus reviviſcat; ubi ſciendum, quod *fictio* hic non accipiatur pro ea, quæ excludat intentionem ſuſcipiendi Sacramentum, quo pacto Baptiſmus non eſſet validus, ſed ſolùm pro indiſpoſitione effectum Baptiſmi impediente, quando aliàs Sacramentum, eſt validum, ſumpto nomine ex *Sapientia 1. Spiritus Sanctus diſciplina effugiet fictum*, & difficultas non eſt de charactere; hic ſiquidem imprimitur ſemper in anima, nec ulla ſuſcipientis indiſpoſitione impediri poteſt, quandocumque Sacramentum eſt validum (vide *Sporer citat. ſect. 4. num. 55.*) ſed eſt de gratia ſanctificante, & remiſſione peccatorum, & aliis effectibus hinc dependentibus, quænam nimirùm requiratur diſpoſitio ex parte fictè ſuſcipientis Baptiſmum, ut illa fictio tollatur, & Baptiſmus fictè ſuſceptus reviviſcat, & producat gratiam juſtificantem, & remiſſionem peccatorum, & pœnarum? pro quo

63 II. Notandum: *Obicem gratiæ* duplicem eſſe poſſe: Primus obex quaſi *negativus*, eſt; Cùm quis ad Sacramentum indiſpoſitus accedit, hoc tamen invincibiliter ignorat, & ideò non peccat, licèt ob defectum diſpoſitionis requiſitæ effectum Sacramenti non recipiat. Alter obex eſt *poſitivus*, quando quis actualiter peccat in ipſa Sacramenti ſuſceptione, ut ſi ſciens ſe eſſe in peccato mortali Sacramentum ſuſcipiat. Vel loquendo juxta phraſim antiquorum, *fictio*, quæ effectum Sacramenti impedit, duplex eſſe poteſt: Una *ſine peccato*, quæ tunc accidit, quando quis abſque idonea diſpoſitione ad Baptiſmum accedit bona fide credens ſe eſſe ſufficienter diſpoſitum, vel putans hanc non eſſe neceſſariam; Altera *cum peccato*, & tunc accidit, quando quis ſciens ſe eſſe in peccato mortali, abſque debita diſpoſitione doloris de ſuis peccatis ad Baptiſmum accedit, vel cum complacentia alicujus peccati mortalis diſtincti, de quo nullum habet dolorem; ut puta, ſi quis accedens ad baptiſmum habeat ſeptem peccata mortalia, & de ſex habeat attritionem, de ſeptimo nequaquam, quia v.g. eſt in concubinatu, nec vult concubinam dimittere, quod eſt exemplum *à Scoto* allatum *in 4. d. 4. qu. 5.* & juxta hanc diſtinctionem reſolvenda eſt propoſita quæſtio. Itaque

64 *III.* Dicendum eſt; ſi Baptiſmus fuerit ſuſceptus cum primo obice negativo, vel cum prima fictione, quæ eſt ſine peccato, ſortiri poſteà ſuum effectum in tali homine ſe diſponente per ſolam attritionem, nimirùm tunc gratiam ſanctificantem infundi, peccatum originale remitti, nec non & peccata omnia tam mortalia, quam venialia Baptiſmum antecedentia, & condonari debitam pœnam, & quidem hoc totum haberi virtute Baptiſmi præteriti, quamvis enim, quando obex & fictio removetur per ſufficientem diſpoſitionem, jam reipſa non ſit Baptiſmus, ſed tranſierit, hoc tamen minimè obſtat; quia talis effectus principaliter & phyſicè effectivè pendet à DEO, & à Baptiſmo dependet, tanquam ab Inſtrumento morali, quod poteſt moraliter operari, etiamſi phyſicè non ſit præſens. Ita communiſſima cum *Scoto in 4. diſt. 4. quæſt. 5. Maſtrius, Suarez, Becano*; Et ratio eſt: Tum quia attritio ſufficiens eſt diſpoſitio in ipſo Baptiſmo, dum ſuſcipitur; Ergo etiam poſt Baptiſmum, ſi intereà non acceſſit novum peccatum mortale: Tum quia fictio, de qua agitur, conſiſtit in ſola carentia diſpoſitionis: ergo poſita diſpoſitione tollitur fictio: ſed in hoc caſu non opus eſt alia diſpoſitione: ergo per illam ſufficienter tollitur fictio: Tum quia in tali caſu non opus eſt Sacramento Pœnitentiæ; cùm ſupponamus omnia peccata facta eſſe ante Baptiſmum: Ergo omnia tollenda ſunt vi ſolius Baptiſmi: ergo poſſunt tolli per illam diſpoſitionem, quæ ſufficit cum ſolo Baptiſmo: ſed talis eſt attritio: ergo &c. Supponitur tamen, quod in hoc caſu poſt ſuſceptum Baptiſmum non acceſſerit novum mortale: Nam ſi, qui fictè acceſſit ad Baptiſmum ſine actuali peccato, poſt ſuſceptum Baptiſmum peccaſſet mortaliter, non ſufficeret illi attritio ad tollendam fictionem, ſed neceſſaria foret contritio. Ratio eſt: quia peccatum poſt Baptiſmum commiſſum non poteſt tolli per Baptiſmum, ut de ſe patet; & notum eſt ex *Concilio Trid. ſeſſ. 7. canon. 10.* Nec poteſt tolli per ſolam attritionem extra Sacramentum, ut omnes fatentur: nec poteſt tolli, niſi fictione ſublata, & aliis peccatis ante Baptiſmum commiſſis ſublatis; quia unum peccatum mortale nequit tolli ſine alio: Non enim tollitur formaliter, niſi per gratiam ſanctificantem, quæ cum nullo peccato mortali poteſt conſiſtere; Si ergo ſola attritio non ſufficit ad tollendum peccatum mortale poſt Baptiſmum commiſſum, non poterit tollere etiam reliqua, quæ cum illo conjuncta ſunt, ac proinde non poteſt tollere fictionem, ſed neceſſaria erit contritio.

IV. Si verò Baptiſmi Sacramentum fuerit ſuſceptum, 65 cum obice poſitivo, & cum ſecunda fictione, quæ eſt cum peccato, tunc neceſſaria eſt contritio, vel attritio ſimul cum Sacramento Pœnitentiæ ad tollendam talem fictionem, & ad hoc, ut Baptiſmi Sacramentum ſuum producat effectum. Ita communis cum *Doctore Subtili citato*, ubi S. Auguſtinum allegat *lib. 1. de bapt. contra Donatiſtas cap. 12.* in hæc verba ſcribentem: *Tunc valere incipit ad ſalutem* (Baptiſmus) *cùm illa fictio veraci confeſſione receſſerit, quæ Corde in malitia, vel ſacrilegio perſeverante, peccatorum abolitionem non ſinebat fieri.* Idem etiam ſentit *D. Thomas art. 10. ad 2.* Ubi dicit, peccatum fictionis non tolli per Baptiſmum, ſed per pœnitentiam. Ratio eſt: quia illud peccatum computatur inter ea, quæ Baptiſmum ſequuntur: Ergo non poteſt tolli niſi per Sacramentum pœnitentiæ, vel per contritionem: ergo ſola attritio eſt inſufficiens. Nec audiendus eſt, ſi quis dicat, potiùs computari debere inter peccata præcedentia Baptiſmum, propterea quod hoc peccatum conſiſtat in voluntate ſuſcipiendi Baptiſmum indignè; ſed talis voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum prior eſt ipſa ſuſceptione Baptiſmi: ergo &c. *Reſpondetur* enim, ſi talis voluntas ante ſuſceptionem Baptiſmi ceſſaret, tunc pertineret ad peccata Baptiſmum præcedentia: Hoc autem non fit; quia ponimus ex mortali voluntate ſequi ſacrilegam ſuſceptionem Baptiſmi, & ſic debet pertinere ad peccata Baptiſmum ſubſequentia. Accedit Ratio: quia Baptiſmus priùs natura confert characterem, quàm gratiam ſanctificantem, idque propterea, quòd ad imprimendum charactarem non requirit illas diſpoſitiones, quas requirit ad gratiam. Deinde, quia ſicut character baptiſmalis eſt potentia paſſiva ad ſuſcipienda alia Sacramenta, & eorum effectus; ſic etiam ad ſuſcipiendum effectum gratiæ baptiſmalis; ergo quando quis ponit obicem gratiæ baptiſmali per ſacrilegam fictionem, jam intelligitur habere characterem baptiſmalem: ergo tale ſacrilegium prout reipſa fit, cenſetur fieri ab homine baptizato, ac proinde ab homine ſubjecto clavibus Eccleſiæ; unde conſequenter peccatum ipſius debet tolli, vel per Sacramentum Pœnitentiæ, vel extra Sacramentum per contritionem. Itaque

### §. IV. *Fictio poſitiva.*

Sicut & alia peccata actualia, in ipſa ſuſceptione Baptiſmi commiſſa, non tolluntur per ipſum Baptiſmum, 66 ſed per pœnitentiæ Sacramentum, aut contritionem. *Scotus* citatus, *Maſtrius in 4. diſput. 2. quæſt. 6. numer. 145. & ſeqq.* & ipſo teſte paſſim recentiores. Ratio primæ partis, nimirùm, quod fictio non tollatur per Baptiſmum, ſed per pœnitentiæ Sacramentum, aut contritionem, eſt: quia juxta Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 14.* Peccata poſt Baptiſmum commiſſa, non poſſunt per Baptiſmum deleri, ſed per Sacramentum pœnitentiæ, vel contritionem; Atqui fictio in ipſa Baptiſmi ſuſceptione commiſſa, & poſt ſuſceptionem perſeverans eſt peccatum poſterius baptiſmo ſaltem natura; quia eſt ſacrilegium commiſſum ob indignam Baptiſmi ſuſceptionem. Ergo non poteſt deleri per Baptiſmum, ſed per Sacramentum pœnitentiæ vel contritionem. Probatur minor: Religioſus in eo inſtanti, quo emittit vota, poteſt contra ea peccare, ſi habeat v. gr. intentionem fornicandi; ſimiliter conjux in eo inſtanti, quo contrahit Matrimonium, peccat contra fidem Matrimonii, ſi habeat animum adulterandi: ergo etiam in eo inſtanti, quo quis ſuſcipit Baptiſmum, poteſt quis contra hunc peccare, nimirùm eum fictè ſuſcipiendo, & conſequenter tale peccatum erit à Baptizato commiſſum, adeoque natura poſterius Baptiſmo. Hæc ratio etiam militat pro ſecunda parte, videlicet, quòd peccata actualia in ipſa ſuſceptione Baptiſmi commiſſa, huncque concomitantia, v.g. intentio fornicandi in ipſo inſtanti ſuſcepti Baptiſmi habita non tollantur per Baptiſmum, ſed per Sacramentum pœnitentiæ, vel contritionem. *Confirmatur* utraque pars ſimul; Non eſt credibile, *ait Scotus cit.* Sacramentum Baptiſmi eſſe inſtitutum ad remittendum illud peccatum, quòd ejus vim enervat, effectum impedit, ei-

que

Digitized by Google

que directè opponitur, & irreverentiam infert: ſicut nec Sacramentum pœnitentiæ aufert peccatum in ipſius ſuſceptione admiſſum: Atqui tam peccatum fictionis poſitivæ, quàm alia peccata concomitantia ſuſceptionem Baptiſmi, hujus effectum impediunt, ei directè opponuntur, ac irreverentiam inſerunt Baptiſmo: ergo non per hunc; ſed per Sacramentum pœnitentiæ, vel contritionem tolli poſſunt. Ex *quo infertur*, quòd talis fictè ſuſcipiens Baptiſmum teneatur non tantùm confiteri fictionem, ſed etiam reliqua peccata Baptiſmi ſuſceptionem concomitantia, v. gr. quòd in eodem Baptiſmi momento habuerit intentionem fornicandi, vel occidendi, vel complacentiam de fornicatione ante Baptiſmum commiſſa &c.

67 Dices: *Concilium Trident. ſeſſ. 14. cap. 1. & 4.* Sæpiùs exprimit, & definit, ſola peccata poſt Baptiſmum commiſſa eſſe clavibus Eccleſiæ ſubjicienda, ſed peccatum fictionis, aliaque concomitantia Baptiſmum, eo ipſo quòd ſint concomitantia, non ſunt poſt Baptiſmum commiſſa; ergo non ſunt clavibus Eccleſiæ ſubjicienda. Reſp. negando minorem, computantur enim inter peccata poſt Baptiſmum commiſſa, cùm juxta ſupradicta ſint natura poſteriora baptiſmo. Quia autem raró, vel numquam contingit, quod peccatum aliquod duret tantùm pro inſtanti baptiſmatis, & non etiam poſt, ideò etiam noluit Concilium expreſſam ſimilium peccatorum facere mentionem: licèt adhuc ſatis comprehenderit, dum dixit, omnia mortalia, in quæ Chriſti fideles ceciderint, ad Sacerdotes Vicarios Chriſti eſſe deferenda: Atqui fictè ſuſcipiens baptiſmum in inſtanti, quo ſuſcipit baptiſmum, eſt fidelis, cùm habeat Characterem baptiſmalem: ergo tenetur peccata in inſtanti baptiſmatis commiſſa confiteri, atque deferre ad Sacerdotem Chriſti Vicarium.

## QUÆSTIO IV.

*An, & quando Baptiſmus poſſit iteratò ſuſcipi?*

### SUMMARIUM.

69 *Baptiſmus ſemel validè collatus iterari non poteſt.*
70 *Si verò de ejus valore dubitetur, reiterandus eſt ſub conditione.*
71 *Baptizati ab hæreticis ſubinde ſunt rebaptizandi ſub conditione.*
72 *Infantes expoſiti, & inventi rebaptizantur ſub conditione.*
73 *Et ſeqq. Afferuntur quatuor regulæ, quæ ſunt attendendæ in baptiſmo ſub conditione repetendo.*
77 *Quid faciendum Sacerdoti de ſuo baptiſmo dubitanti?*
78 *Quid Religioſo?*
79 *Quid conjugi, marito, vel uxori?*

### ASSERTIO IV.

68 *Baptiſmus ſemel validè collatus iterari non poteſt. Quando tamen ſubeſt verum dubium, an aliquis ſit verè baptizatus, eſt rebaptizandus ſub conditione; Quare baptizati ab obſtetricibus vel ab hæreticis, vel infantes expoſiti, & inventi ſubinde ſunt rebaptizandi ſub conditione.* Communiſſima Theologorum.

#### §. I. *Baptiſmus ſemel validè collatus iterari non poteſt.*

69 Eſt de fide, ex Concilio Florentino, & Trident. *ſeſſ. 7. can. 9. de Sacramentis, & can. 11. de baptiſmo.* Hæc veritas principaliter probatur ex traditione Eccleſiæ, cujus teſtis eſt *Clemens Romanus, lib. 6. conſtitut. cap. 15.* & alii Patres, apud *Vaſquez, & Herincx diſp. 6. de baptiſmo qu. 6. num. 38.* Ratio congruentiæ prima eſt, quia ſemel natus corporaliter, non poteſt ſecundò naſci, ſed ſolùm reſuſcitari: Ergo etiam ſemel natus ſpiritualiter per baptiſmum; non poteſt ſecundò naſci, ſed ſolùm reſuſcitari per pœnitentiam. Secunda, quia baptiſmus imprimit characterem, qui fruſtra multiplicaretur per plura baptiſmata; ideòque *Concilium Trident. ſeſſ. 7. Can. 9. de Sacramentis in genere*, definiens in baptiſmo, & duobus aliis Sacramentis videlicet confirmatione, & Ordine imprimi characterem ſubjungit: *Unde iterari non poſſunt.* Tertia, quia baptiſmus repræſentat mortem, ſepulturam, & reſurrectionem Chriſti, ut ſignificat Apoſtolus *Roman. 6. & Coloſſ. 2.* Unde ſicut Chriſtus ſemel tantùm pro peccatis noſtris mortuus eſt, & ſemel reſurrexit, ita & nos per baptiſmum eidem conſepulti, & per eumdem reſurgentes, non poſſumus iteratò ſepeliri in aqua baptiſmi; Ne ſignificemus, Chriſtum iteratò poſſe mori, & ſepeliri. Quantùm ad pœnas rebaptizantis, & rebaptizati ſpectat, uterque decernitur extremo ſupplicio afficiendus, *l. 2. C. ne Sanctum Baptiſma iteretur*, & uterque fit irregularis, ſi ſcienter, & ſeriò iteretur baptiſmus, ex *cap. ex Litterarum, de apoſtatis, & reiterantibus baptiſma.*

#### §. II. *Quando tamen ſubeſt verum, & rationabile dubium,*

An aliquis ſit baptizatus, rebaptizandus eſt ſub conditione. Ita communiter Doctores apud *Herincx, Gobat, Layman, &c. ex cap. de quibus 2. de baptiſmo, & Concilio Carthaginenſi V. cap. 6.* Ratio eſt: Quia baptiſmus eſt ad ſalutem neceſſarius neceſſitate medii, & præcepti ut infrà dicemus, & alioquin deberet manere quis in periculo carendi ſemper baptiſmi effectu, nullumque aliud Sacramentum validè ſuſcipiendi, quæ neceſſitas eſt adeò gravis, ut facilè excuſet ab irreverentia alioquin per iterationem Sacramento inferenda, accedente potiſſimùm conditione: quæ formæ apponitur. Unde adultus dubitans de valore ſui baptiſmi, poteſt, imó graviter obligatur baptiſmum ſub conditione petere, & Paſtores tenentur conferre. Idem dicendum, ſi probabiliter tantùm judicet, ſe validè baptizatum, & hoc quidem ante ſuſceptionem ullius alterius Sacramenti. *Cardinalis de Lugo in Reſponſ. Moral, lib. 1. dub. 1. & 2. Vaſquez, Dicaſtillus, Gobat tract. 2. de baptiſmo, caſu 13. nu. 371.* & alii communiter. Ratio eſt I. quia in hoc caſu non habetur certitudo Moralis de validè ſuſcepto baptiſmo, quæ tamen in Sacramento ſummè neceſſariò requiritur. II. quia in Sacramentis, quando agitur de valore actus, aut de efficacia actionis ad aliquem effectum cauſandum: non licet ſequi ſententiam probabilem, vel etiam probabiliorem, at minùs tutam, ut habet *Pater Sporer tract. 1. Proœm. cap. 1. ſect. 3. num. 53.* Quia valor Sacramenti, aut ejus efficacia ad aliquem effectum cauſandum non pendet à mea bona fide, aut rationibus quantumcunque probabilibus, ſed à materia, & forma Sacramentali juxta inſtitutionem Chriſti, verè à parte rei applicata: Ergo licet ſit probabile, quòd aliquis ſit validè baptizatus, ſi tamen non ſit moraliter certum, non tamen poterit ullum aliud Sacramentum ſuſcipere, propter periculum nullitatis, ſed tenebitur ſtatim, quamprimùm poterit, ſub conditione rebaptizari. Taceo graviſſima, & irreparabilia incommoda, quæ ſequerentur, ſi quis dubitans, aut tantùm probabiliter putans ſe eſſe validè baptizatum, ordinaretur in Sacerdotem, vel Epiſcopum, quæ benè exaggerat noſter *P. Herincx cit. num. 42.* dictum eſt: *Quando ſubeſt verum dubium*: ſine illo enim non licet iterare baptiſmum: etiam ſub conditione, ut docent Theologi cum *Catechiſmo Romano part. 2. cap. 2. num. 43.* & colligitur ex *Rituali Romano, tit. de baptiſmo, §.* de forma baptiſmi. 70

#### §. III. *Baptizati ab Obſtetricibus, vel ab Hæreticis.*

Num baptizati ab obſtetricibus, ſint rebaptizandi; diximus ſatis ſuprà, *hac ſectione, quæſt. 1. num. 41. & ſeqq.* Quantum verò ad baptizatos ab Hæreticis, dicendum cum *Herincx cit. num. 44.* baptizatos ab hæreticis generaliter loquendo, non eſſe rebaptizandos: Cùm enim ex fide, & ſuperiùs dictis conſtet de valore baptiſmi ab illis debitè collatus, non poteſt etiam ſub conditione repeti, niſi adeſſet fundata ſuſpicio, eos in aliquo eſſentiali defeciſſe. Sicut teſte *Coninch. qu. 66. art. 9. nu. 69.* quandoque in Anglia contingit, proles nobilium aqua roſacea, aut ſimili liquore baptizari, aut ob moleſtiam frigoris ſolùm veſtes aqua abſtergi, & quibuſdam in locis miniſtrum in ſuggeſtu formam pronunciare, alio corpus prolis abluente, tunc enim ſufficiens adeſt ratio baptiſmum iterandi, imò *Prapoſitus* apud *Herincx cit.* putat in partibus Belgii hæreſi infectis prudenter rebaptizari ſub conditione baptizatos ab hæreticis: eo quòd, qui eorum mores norunt, meritò dubitent, an legitimè baptizent. Idem docent nonnulli alii recentiores, & conſonat *Paſtorale Mechlinienſe* 1609. Atque etiam noviſſimè recognitum anno 1624. in quo præſcribitur *tit. de Sacramento baptiſmi, §. de forma; Et quia noſtri temporis hæretici pro inſatiabili ſuo in Eccleſiam odio, Sacramentorum formas plerumque invertunt, materiam contemnunt, aut legitimam intentionem non habent* (eo libenùs, quòd opinione Calviniſtica, baptiſmus filiis fidelium non ſit neceſſarius) *meritò baptiſmus ab eis collatus de nullitate ſuſpectus haberi debet. Proinde ab iis baptizati, ſub conditione rebaptizentur.* Itaque dum hæreticus deſiderat converti ad fidem Catholicam, benè examinandus eſt, ubi ſit natus, & baptizatus & à quo? An, & qualis ibi adhibeatur in baptiſmo materia, forma, & baptizandi modus, & tunc, ſi non videatur 71

ſatis certus ejus Baptiſmus, rebaptizari debet ſub conditione, quod non erit difficile, ſi fiant ea, quæ §. *ſeq. nu.* 76. circa baptiſmum conditionatè conferendum, facienda eſſe, dicemus,

### §. IV. *Infantes expoſiti, & inventi*,

72 LIcèt in collo habeant appenſum Teſtimonium, quòd baptizati fuerint, ſi tamen aliundè non conſtet, baptizandi ſunt ſub conditione. Quòd ſi in Teſtimonii ſchedula, ſit inſcriptum nomen, quod illis in Baptiſmo inditum eſſe aſſeritur, idem nomen ipſis imponatur, & in Libro Baptizatorum diligenter omnia ſcribantur. Ita apud *Gobat cit. numer.* 397. conſtitutiones Synodales Conſtantienſes, Concilium Mediolanenſe III. ſub S. Carolo Borromæo celebratum, Synodus Cameracenſis, ſtatuta Archi-Epiſcopatus Hiſpalenſis, Epiſcopatuſque Cordubenſis. Item *Marchantius* Belga, *Quintanadvennas* Hiſpanus, *Author Manualis Parochorum* Lotharingo Germanus, *Opatovius* Polonus, & *Alloza* novi orbis Incola. Ratio eſt: Quia ejuſmodi ſcheda non parit ullo modo certitudinem moralem de collato validè Baptiſmo, quæ tamen in re tam gravis momenti, tamque neceſſaria requiritur? Cùm tales infantes baptizentur ſæpiſſimè ab ipſiſmet matribus tegendi ſceleris ergò; Matribus, inquam perſæpè Juvenculis, & quæ nullum infantem anteà abluerunt, fortè nullum baptizari viderunt, communiſſimè autem baptizant in magna trepidatione, in tenebris, & in metu, ne deprehendatur partus. Certè, ſi Baptiſmus obſtetricum habetur meritò pro dubio, donec ex illarum ore conſtet, quam materiam adhibuerint, quantò magis ille furtivus? Adde, quòd ſcripturæ privatæ non notatæ ſigillo, vel manu ſcriptoris nulla fides adhibenda ſit, niſi in præjudicium ſcribentis, ut videre eſt apud Thuſcum *Verb. Scriptura*, atque Authores ab ipſo citatos. Pro Coronide hujus ſectionis, & quæſtionis, adjungo aliquas Regulas ea *P. Gobat cit. caſu* 13. collectas, circa Baptiſmum conditionatè conferendum obſervandas. Itaque ſit.

### R E G U L A I.

73 GRavis Sacrilegii, atque irregularitatis reus eſt, qui ſciens aliquem eſſe legitime baptizatum, eundem rurſus admovet ſacro fonti. Ita omnes, patetque ea *cap. cùm itaque de conſecr. diſt.* 4. Ubi reiterationem Baptiſmi S. Leo Papa vocat *inexpiabile facinus*; tum ex ſupradictis. E contrà gravis impietatis in Parochianum Reus eſt Parochus, qui non rebaptizat illum, ſciens, eum non eſſe verè baptizatum. Ita rurſum omnes. Sicut quoque ille impius eſt in ſeipſum, qui ſciens, ſe non eſſe ritè baptizatum, non allaborat, ut ritè baptizetur. Sic denuò omnes. Ratio eſt: quia & Parochus ratione Officii eſt graviſſimè obligatus promovere neceſſaria ſaluti æternæ ſuorum Parochianorum, & quilibet obligatur ad procuranda ſibi neceſſaria neceſſitate medii, inter quæ eſt Baptiſmus reipſa ſuſceptus, ſi poſſit ſuſcipi. Eadem eſt obligatio Parochi circa ſuum Parochianum rationabiliter dubitantem de valore ſui Baptiſmi; imò quicumque alius, qui ob neceſſitatem poteſt baptizatum dubio Baptiſmo, ſub conditione baptizare, tenetur ea charitate id facere in neceſſitate, & acquieſcere voluntati adulti petentis rebaptizationem ob rationabile dubium *Gaſpar Hurtadus diſp. 1. de Bapt. num.* 12. & alii de homine dubitante rationabiliter de ſuo Baptiſmo, imò etiam probabiliter tantùm exiſtimante ſuum Baptiſmum fuiſſe validum, idem eſt dicendum, quòd teneatur procurare rebaptizationem ſub conditione juxta ſupradicta *num.* 70. Quia currit eadem Ratio generalis, nimirùm, quod quamdiu non adeſt certitudo moralis de validè collato Baptiſmo, hic ſit reiterandus ſub conditione. Quare rectè addit Quintanadvennas apud *Gobat cit. num* 258. Omnes illos, ſub quorum cura eſt is, cujus Baptiſmus vocatur in dubium, ſub mortali obligari ad procurandam maturè ſuppletionem: quia S. Paulus ad Timotheum ſcribens ait: *Si quis ſuorum, maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.*

### R E G U L A II.

74 NOn ſolùm eſt grande crimen, temerè rebaptizare ſine conditione, ſed etiam rebaptizare itidem temerè ſub conditione. *Sotus*, *Vaſquez*, *Suarez*, & plerique apud *Gobat num.* 378. Ratio eſt: tum quia iteratio Baptiſmi permittitur à ſacris Canonibus ſolùm in dubio rationabili, & quando non dubitatur rationabiliter, tunc addita conditio habetur pro non addita. Tum quia iteratio Sacramenti facta ex inani dubio, levique ſcrupulo, eſt quædam irriſio Sacramenti, ideoque peccatum grave. *Bonacina diſp. 1. de Sacrament. qu. 2. punct. 2. n.* 36. Poſt *Valentiam*, *Coninch.* atque alios. Hinc graviter delinquunt, qui ob levia, ridiculaque dubia petunt ſe, vel ſuos rurſum ablui ſub conditione. Nihilominùs Doctores communiter, & reflexè monent, quando occurrit dubium circa licitam, aut præceptam iterationem Baptiſmi, eſſe ſemper magis inclinandum in iterationem Sacramenti. Rationem à priori, quam poſteà plures amplexi ſunt, adfert *Vaſquez*, *diſp. 155. cap. 3. nu.* 40. hanc: Cùm Sacramentum inſtitutum ſit in hominum utilitatem, potiùs habenda eſt ratio neceſſitatis fratris, quàm reverentiæ debitæ Sacramento. Item DD. communiter monent, ut quando occurrit caſus particularis, & exoritur controverſia, num ſit reiterandus Baptiſmus, nec ne, Parochus non ferat ſententiam, niſi conſulto aut ſuperiore, ſi conveniri queat, aut uno, alterove viro docto, & ſapiente.

### R E G U L A III.

DE illo, qui natus eſt ea fidelibus Parentibus, & inter 75
Chriſtianos fideliter educatus, & converſatus, tam violenter præſumitur quòd fuerit baptizatus, ut hæc præſumptio pro certitudine ſit habenda, donec evidentiſſimis forſan argumentis contrarium probetur. Ita *Innocentius III. c. fin. de Presb. non baptizat.* Addit tamen *Layman apud Gobat*, *nu.* 383. nihilominùs interdum etiam adulto inter fideles educato conferendum eſſe Baptiſmum ſub conditione, ſi tales conjecturæ adſint (*Puta, quia à veneficis parentibus natus eſt, à diabolo valdè infeſtatur, nec ſciri poteſt ullo indicio, ubi, vel à quo baptizatus fuerit*) quæ præſumptionem accepti Baptiſmi tollant, & contrarium veroſimile efficiant. Proinde diuturnæ, & graves infeſtationes Dæmonis poſſunt quandoque injicere prudentem ſuſpicionem, aut metum, ne quis non ſit baptizatus, aut non validè baptizatus. Probari id poteſt variis exemplis illorum, qui poſtquàm fuerunt rebaptizati, obtinuerunt quietem animi, & corporis. Confirmatur judicio plurimorum, qui quando vident; quempiam diu, multùmque infeſtari modis exoticis, ſolent dicere: Diſer Menſch iſt gewis nicht ges taufft, *Iſte Homo certò non eſt rectè baptizatus*. Adde quòd videatur DEUS nonnullis immittere tam potentes inſtigationes ad vel petendum, vel impertiendum Baptiſmum, ut via poſſint reſiſtere, ut notat *Gobat nu.* 384.

### R E G U L A IV.

IN caſu, quo rebaptizatur adultus, debet hic ſe ad Ba- 76
ptiſmum conditionatum ita diſponere, ſicuti ad abſolutum is, qui ſcit ſe numquam fuiſſe baptizatum. Interim tamen Baptiſmus iteratò ſub conditione repetendus, poteſt licitè peragi quocumque loco. *Quintanadvennas ſing. tr. 1. ſing.* 17. & à quocumque etiam Laico, licèt ponamus, poſſe facilè haberi Sacerdotem, aut etiam Parochum, *Quintanadvennas ibidem*. Nec opus eſt hic adhibere ullos Patrinos, *Quintanadvennas cit. ſing.* 18. Etenim Canones indicantes, vel etiam exprimentes contrarium non loquuntur niſi de baptiſmo abſoluto: Ergo conditionatus manet ſub diſpoſitione meri Juris Divini, quod nihil ſtatuit de loco, Miniſtro, aut Patrinis hujuſmodi baptiſmi. Inſuper, quando in primo baptiſmo fuerunt uſurpatæ Cæremoniæ conſuetæ, nequaquam opus eſt eas iterare in altero baptiſmo. *Gobat cit. num.* 407. citans *Henriquez*, *Suarez*, *Coninch. Bonacinam*, *Quintanadvennas*. Ratio eſt: quia in talibus nihil eſt iterandum, ſed *cautè ſupplendum, quod incautè fuerat prætermiſſum cap. 1. de Sacrament. non reiterandis*. Si verò etiam in priore baptiſmo fuiſſent omiſſæ illæ Cæremoniæ, ut fieri poteſt tempore peſtis, aut incurſionis militaris, tunc repetendæ ſunt in altero baptiſmo, *Quintanadvennas cit. ſing. 18. numer.* 4. Denique in *cap. de quibus, de Baptiſmo, & ejus effectu*, exprimuntur hæc verba: *De quibus dubium eſt, num baptizati fuerint, baptizantur his præmiſſis verbis: Si baptizatus es: non te baptizo, ſed ſi nondum baptizatus es, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Nec dubito (*ait Gobat num.* 411.) quin ſit expreſsè utendum hac forma, quando ſolemniter rebaptizatur is, cujus baptiſmus eſt dubius. At etiam imprimis certum eſt non eſſe utendum hac conditionali, quando liquet, ſubſtantialem defectum interveniſſe in priori baptiſmo. Deinde etiam ſatis probabile eſt, ſufficere in privata ſuppletione dubii baptiſmi, ſi hæc conditionalis expri-

ma-

Digitized by Google

matur ſola mente, non autem verbis. *Suarez. diſp. 22. ſect. 2.* abſolutè aſſerens hoc ſufficere; quamvis *Quintanadvennas ſingul. 18. n. 5.* Meritò conſulat, ut ſemper, niſi inconveniens aliquod obſtet, exprimatur, Conſentitque Buſembaum de Baptiſmo *dub. 4. in fine*. Quam Generalem Doctrinam idem *Quintanadvennas* jure extendit ad caſum, quo unum ex aliis Sacramentis iteratur ob commiſſum priùs errorem; tametſi fortè plerique unà mecum omittant expreſſionem primi membri allatæ formulæ conditionalis: *ſi es abſolutus; ego te non abſolvo &c.* ita *Gobat cit.* ſubjungens: Licèt rebaptizes aliquem irrationabiliter dubitans, non tamen idcircò incurris irregularitatem, cùm hæc ſit lata ſolùm in rebaptizantes ſcienter.

Quæres: Quid faciendum *Sacerdoti*, *Religioſo*, *Conjugi*, ſi dubitent de valore ſui Baptiſmi?

77 Reſp. I. Sacerdos dubitans, an ſit baptizatus, utique tenetur procurare ſibi de novo Baptiſmum, de quo non eſt dubium, & de ſe patet; Deinde tenetur etiam curare, ut reordinetur non tantùm Ordine Sacerdotii, ſed etiam inferioribus, uti patet ex *cap. veniens de Presbyt. non baptizate*. Non tamen talis Sacerdos, ſi audivit confeſſiones, & non eſt certus de invaliditate ſui Baptiſmi, ſed tantùm dubius, tenetur cum ſuo gravi incommodo procurare iterationem factarum ſibi confeſſionum; Ita *Gobat cit. nu. 439.* Quia talis Confeſſarius putatitius de nemine, ut ſuppono, ſuorum pœnitentium dubitat, quin hic alteri Confeſſario ſit confeſſurus, vel confeſſus alia peccata, cum quibus proinde indirectè remiſſa ſint, quæ ipſe audiit. Si verò Sacerdos certus foret de invaliditate ſui Baptiſmi, tunc utique per ſe loquendo tenetur procurare, ut quos audivit confitentes mortalia; ii eadem vel ſibi, vel alteri confiteantur; & tales ipſius pœnitentes tenentur peccata ipſi confeſſa, ſi fuerint mortalia, adhuc ſemel alteri confiteri; quia omnes ipſius abſolutiones, Conſecrationes, extremarum unctionum adminiſtrationes, & (ſi fuiſſet inſuper Epiſcopus) Confirmationem, & Ordinum collationes fuerunt invalidæ; quia ob defectum Baptiſmi non fuit validus Sacerdos, aut Epiſcopus; conſequenter etiam omnes tales Confirmationes, & Ordines reiterari debent. Matrimonia tamen, quibus talis non baptizatus Parochus aſſtitit, valida erunt; modò per communem errorem habitus ſit pro vero Parocho, aut Sacerdote. *Bonacina de Matrimon. quæſt. 2. punct. 8. numer. 30. Quintanadvennas, Gobat numer. 444.* Ratio eſt: Quia quæ ſunt *jure divino, vel naturali* ſtatuta, & requiſita ad valorem actus cujuſcumque, eorum defectus, quantumvis inculpabilis non poteſt ſuppleri ab Eccleſia: nec enim hactenùs oſtenſum eſt, Salvatorem impertiiſſe ſuis Vicariis hanc poteſtatem. At poteſt, & ſolet à Principe Eccleſiaſtico, & civili ſuppleri defectus ſolemnitatis inductæ *ſolo jure humano*, & in hoc, vel illo eventu præteritæ cum errore communi; Sicuti ex non minùs clara, quàm decantata *Leg. Barbarius, ff. de Offic. Prætor.* tradunt in variis materiis Theologi Morales. Quod ſpectat ad ſatisfactionem pro Miſſis celebratis à tali Sacerdote dubitante, videtur mihi, (*ait Gobat numer. 441. circa finem*,) omninò improbabile, debuiſſe, aut potuiſſe injungi Reſtitutio; quippe quæ non eſt neceſſariò facienda, ſeu imperanda in dubio, quandoquidem vel maximè hic locum habet Regula, & Axioma de meliore conditione poſſidentis ſua bona, ſuamque libertatem. De hac re vide plura apud *Gobat cit.* Mihi non vacat omnia tibi exſcribere.

78 Reſp. II. Religioſus ſi certò deprehendatur fuiſſe vel penitùs non baptizatus, vel baptizatus cum defectu ſubſtantiali poteſt petere dimiſſionem è Religione. Ratio eſt: Quia profeſſio talis hominis utpotè non baptizati, nec Chriſtiani fuit invalida. Si verò ſit tantùm dubium de Baptiſmo, tenetur quidem rebaptizari ſub conditione; at non poteſt deſerere Religionem. Ratio eſt: Quia poſſeſſor bonæ fidei non poteſt re ſua acquiſita, optima fide, ſpoliari propter dubium ſuperveniens; Religio autem optima fide, ut ſupponitur, nacta eſt poſſeſſionem talis Religioſi dubitantis: Ergo talis Religioſus nequit deſerere ſuam Religionem, ſed tenetur recepto Baptiſmo ratificare ſuam profeſſionem. *Quintanadvennas* apud *Gobat cit. nu. 461.* Religio quippe, in qua vivit, poteſt jure hoc exigere ab illo. De valore contractuum, ſuffragiorum, Licentiarum, & ſimilium, quæ fecit, aut dedit, non eſt dubitandi locus propter Doctrinam num. præced. traditam de Parocho non baptizato aſſiſtente Matrimoniis; in quantum ſcilicet valor talium pendet à voluntate, poteſtateque humana.

79 Reſp. III. Si conjux certò comperiatur, ſuum Baptiſmum fuiſſe nullum, cadit in eam illud Apoſtoli *1. Corinth. 7. liberata eſt* (à Lege viri) *cui vult, nubat, tantùm in Domino*; *Supplem. Theol. Sacram.*

Etenim defectum Baptiſmi eſſe impedimentum dirimens Matrimonii cum baptizato, conſtat ex *cap. Cave 28. qu. 1.* Si verò non ſit moraliter certum, Baptiſmum fuiſſe nullum, tenetur permanere in conjugio, ac præſtare officia conjugalia omnia. *Quintanadvennas ſing. tract. 1. ſing. 9. num. 2.* Probatur ex general: Doctrina de dubiis ſupervenientibus Matrimonio inito bona fide, quam tradunt *Sanchez. lib. 2. de Matrim. diſp. 41. & ſeqq. Sporer de Matrim.* Aliique Auctores diſſerentes de Matrimonio.

## SECTIO III.

*De neceſſitate, effectu, Cæremoniis, & Patrino Baptiſmi.*

## QUÆSTIO I.

*De Neceſſitate Baptiſmi.*

### SUMMARIUM.

81 *Baptiſmus eſt ad ſalutem neceſſarius;*
82 *Parvulis quidem neceſſitate medii, in Re,*
83 *Adultis verò in Re, vel in voto;*
84 *Ac etiam neceſſitate præcepti.*
85 *An ſit præceptum naturale, vel Divinum, vel Eccleſiaſticum baptizandi parvulos.*

### ASSERTIO I.

*Baptiſmus eſt ad ſalutem neceſſarius, & parvulis qui-* 80
*dem, extra caſum Martyrii: eſt in Re neceſſarius neceſſitate medii ad ſalutem; Adultis verò in Re, vel in voto, quibus etiam neceſſarius eſt neceſſitate Præcepti.* Communiſſima, imò certa DD. Sententia.

*§. I. Baptiſmus eſt ad Salutem neceſſarius.*

Eſt de fide, ex *Concilio Trident. ſeſſ. 7. can. 5.* de *Baptiſ-* 81
*mo*, definiente: *ſi quis dixerit, Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem, Anathema ſit.* Idemque definierat ante Concilium Florentinum *in Decreto de Armenis* dicens; *Niſi ex aqua, & Spiritu Sancto renaſcimur, non poſſumus* (ut inquit veritas) *in Regnum Cœlorum introire*. Idem patet ex verbis Chriſti *Joan. 3.* quæ mox ex Florentino retulimus, quæ licèt variè torqueant hæretici, falſam tamen eſſe eorum detorſionem, & explicationem, definivit *Concilium Trident. cit. Can. 2.* dicens: *Si quis dixerit, aquam veram, & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi, atque ideo verba illa Domini noſtri JESU Chriſti: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto; ad Metaphoram aliquam detorſerit, anathema ſit.*

*§. II. Et parvulis quidem neceſſitate medii, in Re.*

Duplex hic conſiderari poteſt neceſſitas, *Medii*, videli- 82
cet, & *præcepti*. *Neceſſitate medii* cenſetur aliquid eſſe neceſſarium: quo prætermiſſo ſcienter, vel ignoranter, vel ob impotentiam, ſalus nullatenùs acquiritur. *Neceſſitate* autem *Præcepti* judicatur aliquid eſſe neceſſarium, quo prætermiſſo per ignorantiam, vel impotentiam, adhuc ſalus acquiritur. Dicimus itaque, Baptiſmum in Re (quia votum Baptiſmi parvuli, utpotè rationis incapaces, habere non poſſunt) eſſe parvulis neceſſarium neceſſitate medii, extra caſum Martyrii, de quo in Sectione ſeq. Eſt certiſſimum ex dictis *§. præced.* Idem patet ex SS. Patribus paſſim obviis. Sufficiat auctoritas *S. Auguſtini Epiſt. 28. ad Hieronymum*, dicentis: *Quiſquis dixerit, quod in Chriſto vivificabuntur etiam parvuli, qui ſine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profectò & contra Apoſtolicam prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam; Ubi propterea cum baptizandis parvulis feſtinatur, & curritur, quia ſine dubio creditur, aliter eos in Chriſto vivificari omninò non poſſe.* Accedit etiam ratio Theologica: Quia parvuli juxta fidem ſunt infecti peccato Originali; & extra caſum Martyrii, nullum eſt medium, niſi Baptiſmus, quo ab illo juſtificentur: Ergo Baptiſmus eſt illis medium, & quidem neceſſarium ad juſtificationem, & conſequenter ad ſalutem. Nam ex ſupradictis, illud dicitur neceſſarium neceſſitate medii, quod eſt medium, ſine quo juxta Legem Ordinariam, Juſtificatio, ſive ſalus obtineri nequit, etiamſi ex ignorantia, oblivione, aut impotentia non adhibeatur. Nec obſtat, quòd hæretici noſtri temporis, ſignanter Calvinus, dicant, parvulos fidelium ſine Baptiſmo ſalvari poſſe: quia Chriſtus *Matth. 19.* ait: *ſinite parvulos ad me venire: talium eſt enim Re-*

*num Cœlorum*. Reſpondetur enim, Chriſtum tantùm voluiſſe, parvulos ratione Ætatis nihil habere malitiæ actualis, quod eos excludat à Regno Cælorum, prout habent adulti, quibus parvulos opponit. Adde, quod tunc temporis Baptiſmus nondum erat neceſſarius neceſſitate Medii; quodque à parvulis Judæorum ſive fidelium, ad Chriſtum per ſe, vel per alios Offerentes accedentibus (de quibus Chriſtus ibi loquebatur) Macula Originalis per Circumciſionem, aut remedium Legis Naturæ, dudum erat ablata; aut certè Chriſtus inſinuat, talium eſſe Regnum Cælorum; ſi ad Chriſtum venerint, ab eoque benedicti ſint. Nec etiam obſtat, quod Apoſtolus *1. Cor. 7.* filios fidelium appellet *Sanctos*, dicens: *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem: Alioquin enim filii veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt*. Reſpondetur enim, Apoſtolum non velle, filios Parentum, quorum unus ſaltem eſt fidelis, eſſe eo ipſo Sanctos vera Sanctitate: cùm eodem modo dicat, conjugem infidelem eſſe ſanctificatum per fidelem, quod indubiè etiam juxta hæreticos nequit intelligi de vera ſanctificatione. Vult itaque ſolùm Apoſtolus, quòd per mulierem, vel virum fidelem ſit ſpes, ut vir, vel mulier infidelis convertantur ad veram fidem, ac ſic mediante juſtificatione ſanctificentur; ſicque etiam ſit ſpes, ut eorum filii baptizentur, & per Baptiſmum ſanctificentur, Chriſtianèque, ac ſanctè educentur. Ita *Herincx diſp. 7. de Baptiſmo qu. 1. n. 6.*

### §. III. *Baptiſmus eſt adultis ad Juſtificationem, & ſalutem neceſſarius neceſſitate medii in Re, vel ſaltem in Voto.*

83 EST certa de fide, ex *Concilio Trident. ſeſſ. 6. de juſtificatione, c. 4.* dicente: *Quæ quidem Translatio* (ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ) *poſt Evangelium promulgatum, ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non poteſt, ſicut ſcriptum eſt: Niſi quis renatus fuerit ex Aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum DEI.* Ratio eſt: Quia Baptiſmus eſt inſtitutus tamquam medium ad juſtificationem, & ſalutem, & quidem non eſt aliud, niſi ipſe in Re, aut in Voto: ergo iſto modo eſt neceſſarius neceſſitate medii. Nec inde ſequitur, etiam illa, quæ tantùm ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti, eſſe neceſſaria neceſſitate medii, v. gr. Reſtitutionem, eo quòd fur v. gr. non poſſit juſtificari, niſi reſtituat rem furto ablatam, ſive in Re, ſive in Voto. Non ſequitur, inquam, quia reſtitutio, & ſimilia ex præcepto neceſſaria, non ſunt inſtituta in remedium peccati præteriti deletivum, ſed tantùm ſunt neceſſaria ad evitandum peccatum novum. Vel tantùm removent prohibens Juſtificationem, non autem influunt in illam, vel umquam ad illam reipſa concurrunt: prout Baptiſmus maximè concurrit reipſa; in caſu autem, dum reipſa ſuſcipi non poteſt, & elicitur contritio, concurrit in voto, ſic tamen, ut poſteà ſit adhibendus etiam in Ordine ad peccata dimiſſa; ſicut debet adhiberi Sacramentum pœnitentiæ, peccatis etiam per contritionem jam deletis. Quare contritio reſpicit reſtitutionem, & ſimilia, tamquàm præcepta, non tamquàm media ad Juſtificationem inſtituta, Reſpicit autem Baptiſmum tamquàm Votum rei, quæ reipſa eſt medium ad Juſtificationem. *Ubi tamen notandum*, non ſufficere quodcumque votum Baptiſmi: qui enim ſimpliciter deſideraret Baptiſmum, non ideò juſtificaretur abſque Sacramento reipſa ſuſcepto. Intelligitur itaque votum ſive deſiderium Baptiſmi conjunctum, ſeu potiùs contentum, in amore DEI ſuper omnia, vel in contritione perfecta, vel in Martyrio, & ſufficienti ad illud diſpoſitione eidem conjuncta. Communis *cum Herincx diſp. 7. q. 1. n. 9.* de quo plura in ſectione ſequenti.

### §. IV. *Quibus etiam eſt Neceſſarius neceſſitate Præcepti.*

84 BAptiſmum adultis ad Juſtificationem, & ſalutem etiam eſſe neceſſarium neceſſitate præcepti, patet ex *Matth. ult. euntes docete omnes gentes; baptizantes eos, &c.* ubi Apoſtolis datur Præceptum baptizandi, & ex conſequenti aliis Præceptum ſuſcipiendi Baptiſmum. Patet etiam ex verbis Chriſti, *Joan. 3. niſi quis renatus fuerit, &c.* Ex quibus colligit Concilium Trident. cit. Juſtificationem non poſſe fieri ſine Baptiſmo, aut ejus voto, quod tamen eſſet falſum; poſſet enim fieri per contritionem perfectam; quæ non eſſet votum Baptiſmi, ſi Baptiſmus non eſſet præceptus. Non præcipitur autem ſolùm Baptiſmus indirectè, quatenùs videlicet præcipitur finis, ad quem eſt medium neceſſarium in Re, vel in Voto, ſed etiam præcipitur directè in ſe adeò, ut quamvis finis non eſſet præceptus; aut Juſtificatio jam eſſet obtenta, equidem maneret obligatio ſuſcipiendi Baptiſmum; ut patet in iis, qui tempore Chriſti juſtificationem acceperant ſine ulla obligatione, aut reſpectu ad Baptiſmum, qui tunc necdum erat præceptus, ſed paulo poſt. His enim non erat neceſſaria Baptiſmi ſuſceptio in Re, vel in Voto in Ordine ad juſtificationem, ſed ſolùm ad evitandum novum peccatum, utique propter obligationem ſuſcipiendi Baptiſmum, ortam ex generali præcepto Chriſti. Ex quo ſequitur I. Adultum etiam juſtificatum, in periculo mortis conſtitutum, teneri abſque dilatione ſuſcipere Baptiſmum: Cùm enim illum ſemel in vita teneatur ſuſcipere, & per eumdem in Eccleſiam introire, ſequitur, vel tunc ſaltem obligari ad ſuſceptionem illius. II. Adultum ſufficienter in fide inſtructum, vel qui poteſt brevi ſufficienter inſtrui non poſſe diu Baptiſmum differre. Ita communiter DD. apud *Herincx cit. num.* 50. Ratio eſt; quia tenetur, dum commodè poteſt, intrare in Eccleſiam, & fieri membrum myſtici Corporis Chriſti, ſeu Eccleſiæ, quod non niſi per Baptiſmum fieri poteſt. III. Sequitur Beatiſſimam Virginem Mariam, quamvis ab omni Originali, & perſonali peccato immunem, & multò magis Apoſtolos, quamvis per Circumciſionem ab Originali mundatos, nihilominùs debuiſſe ſuſcipere Baptiſmum, ut nempè per illum intrarent Eccleſiam Chriſti, & per ejus Characterem fierent capaces aliorum Sacramentorum; ad quem proinde recipiendum poſt paſſionem Chriſti, fuiſſent obligati, niſi eumdem ab ipſius Chriſti Divina manu jam ante paſſionem recepiſſent, ut docet communis DD. Sententia.

*Petes; An ſit præceptum baptizandi parvulos?* Reſp. In 85
probabili mortis periculo eſſe præceptum; tum Generale charitatis, quo obligamur ſuccurrere proximo in tam gravi præſertim neceſſitate ſpirituali conſtituto, tum pietatis, quo parentes tenentur providere prolibus de neceſſariis ad ſalutem, quantum poſſunt; tum Juſtitiæ, quo Paſtores obligantur ſubditis miniſtrare Sacramenta tempore opportuno, maximè, cùm inde pendet æterna eorum ſalus. Aliàs non eſt præceptum naturale, aut Divinum baptizandi parvulos. Quamvis ſit præceptum Eccleſiaſticum conſuetudine introductum, graviter juxta Doctores unanimiter obligans Paſtores, & Parentes, ut non differant notabiliter Baptiſmum Parvulorum ultra tempus, quod ſpectatis circumſtantiis prudenter cenſebitur opportunum, ut monet etiam *Paulus V. in Rituali Romano*, ideòque ex diuturniori dilatione naſci ſolet ſcandalum in populo, quòd etiam ſignum eſt obligationis, aut certè ſub obligatione cavendum eſt. Ita *Herincx diſp. 6. de Baptiſmo, quæſt. 2. num. 24.*

## QUÆSTIO II.

### *De Effectu Baptiſmi.*

### SUMMARIUM.

87 *Primus Baptiſmi effectus eſt gratia ſanctificans, & Character.*
88 *Secundus eſt remiſſio omnis culpæ Originalis, & perſonalis ante Baptiſmum commiſſæ:*
89 *Et 90. Et omnis pœna propriè dicta pro culpis debita.*
91 *Non tamen Pœnalitatum hujus vitæ.*

### ASSERTIO II.

*EFfectus Baptiſmi primus eſt gratia ſanctificans prima, cum jure ad gratias actuales ſuo tempore dan-* 86
*das, & character; Secundus eſt remiſſio omnis culpæ Originalis, & Perſonalis ante Baptiſmum commiſſæ; Tertius eſt remiſſio omnis pœnæ propriè dictæ, pro culpa debita, non tamen Pœnalitatum hujus vitæ.* Eſt certa.

### §. I. *Primus Baptiſmi Effectus eſt Gratia Sanctificans, & Character.*

EFfectum Sacramenti Baptiſmi primum, eſſe gratiam 87
ſanctificantem primam, atque unà cum hac infundi habitus ſupernaturales virtutum Theologicarum, fidei, ſpei, & charitatis, quippè in fieri inſeparabilium à gratia ſanctificante, conſtat ex dictis à *P. Sporer, Theol. Sacrament. part. 1. cap. 1. ſect. 3. nn. 42.* Item præter gratiam habitualem Baptiſmum conferre gratias actuales ſpeciales per modum regenerationis ſpiritualis, conſtat ex eodem *P. Patritio Sporer cit. num. 44.* patebitque adhuc magis *§. ſeq.* ubi dicemus, Baptiſmi effectum eſſe Remiſſionem culpæ Originalis, & Perſonalis, quæ ſine infuſione gratiæ ſanctificantis fieri non poteſt. Similiter Baptiſmi effectum eſſe Characterem, conſtat ex *P. Sporer cit. ſect. 4. nn. 55.*

quo

quo Lectorem remittimus. Unum addo ex *P. Herincx diſput. 4. de Sacramentorum effectu, qu. 6. num. 67.* veriſimile eſſe, etiam remedium Legis Naturæ, & Circumciſionem impreſſiſſe Characterem, quod videtur inſinuare *Doctor noſter ſubtilis in 4. diſt. 6. qu. 9.* Ratio eſt: quia erant janua ſalutis in ſuo ſtatu, & Lege, & diſtinguebant familiam DEI, & Meſſiæ, ſicut Baptiſmus in Nova Lege; item conferebant gratiam ſanctificantem, ergo etiam Characterem. Quare, quando Circumciſus fuit baptizatus, per Baptiſmum Character Circumciſionis, vel fuit magis perfectus, vel omninò novus diverſæ rationis Character fuit impreſſus. Idem de remedio Legis Naturæ dicendum videtur.

### §. II. *Secundus baptiſmi Effectus eſt Remiſſio omnis culpæ Originalis, & Perſonalis ante Baptiſmum commiſſa.*

88 ITa expreſsè definit *Concilium Florentinum, in Decreto Unionis*. Idem *Tridentinum ſeſſ. 5. in Decreto* de peccato Originali, & *ſeſſ. 14. c. 2.* docet, *per Baptiſmum Chriſtum induentes, nova prorsùs efficimur Creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes*. Patet ex S. Scriptura: *Ad Titum 3. ſalvos nos fecit per Lavacrum regenerationis. Ad Rom. 8. nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto JESU*, ſcilicet per Baptiſmum. *Actorum 2.* Monet S. Petrus, *ut baptizetur unuſquiſque in remiſſionem peccatorum*. Cui conſonat *ſymbolum Conſtantinopolitanum* generaliter dicens: *Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Hoc tamen eſt intelligendum per ſe ſcilicèt, quando non ponitur obex; ſi enim de aliquo peccato mortali non adeſſet dolor debitus, nullum omninò remitteretur: cùm unum peccatum mortale non remittatur ſine alio. Similiter, ſi de aliquo veniali non adſit ſufficiens diſplicentia, ceteris remiſſis, hoc non dimittetur per Baptiſmum, niſi poſtmodùm ablato obice ad hunc effectum reviviſcat. Obſervandum tamen, quòd, dum Baptiſmus reviviſcit ad remittendum mortalia, conferatur gratia ſanctificans Sacramenti, utpotè anteà non collata. Quando autem reviviſcit ad ſola venialia remittenda, quæ anteà non erant retractata, gratia Sacramenti fuit collata in ſuſceptione, venialia verò iſta remittuntur abſque collatione novæ gratiæ, intuitu Sacramenti præcedentis, ſeu gratiæ Sacramentalis priùs collatæ, quamquam per accidens ſimul comitetur infuſio gratiæ correſpondentis retractationi ipſi, tamquam operi bono Hominis juſti, & meritorio ex opere operantis. *Herincx diſp. 7. de Baptiſmo qu. 2. n. 15.*

### §. III. *Tertius Baptiſmi Effectus eſt Remiſſio omnis Pęnæ propriè dicta pro culpis debita.*

89 PRo quo ſciendum, in Hominibus lapſis, eſſe quoſdam defectus ex ipſa natura oriundos, qui etiam forent in homine condito in ſtatu puræ naturæ, quantum ad ſubſtantiam, & imperfectionem. Hujuſmodi ſunt paſſio Corporis, dolores, ægritudines, fames, fomes, appetitus ſenſitivi, mors, &c. quibus quia ſubventum erat per Juſtitiam originalem, & in homine lapſo revixerunt, amiſſa per peccatum Juſtitia originali; ideò non cenſentur in ipſo merè naturales, ſed pœnales, & vocantur à Theologis *Pęnalitates*. Alii ſunt defectus, qui ab extrinſeco per DEUM Homini infliguntur ad ſatisfaciendum Juſtitiæ Vindicativæ, ſic ut nullum in ipſa Natura hominis habeant fundamentum, v. grat. Tormenta inferni, pœnæ Purgatorii &c. Et hi ſunt *Pęnæ propriè, & ſtrictè dictæ*. Hoc notato:

90 Dicimus Baptiſmum cum culpa ſimul remittere omnem pœnam propriè dictam. Patet ex *Concilio Florent. ſupra cit.* ubi ait: *Hujus* Sacramenti Effectus, eſt remiſſio omnis pęnæ, quæ pro ipſa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda eſt ſatisfactio, ſed morientes, antequàm culpam aliquam committant, ſtatim ad Regnum Cęlorum, & DEI viſionem perveniunt. Similiter habet *Concilium Tridens. ſeſſ. 5. Can. 5.* ubi de baptizatis ait: *Innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac DEO dilecti effecti ſunt---ita ut nihil prorſus eos ab ingreſſu Cęli remoretur*; indubiè autem eos aliquid remoraretur, ſi alicujus pęnæ perſolvendæ debitores remanerent, *& ſeſſ. 6. c. 14.* docet, *Pœnam temporalem non totam ſemper, ut in Baptiſmo fit, dimitti* accedentibus ad Sacramentum Pœnitentiæ. Veritas hujus patet etiam ex traditione Eccleſiæ, quæ baptizatis numquam, confeſſis verò ſemper injunxit opera ſatisfactoria, indubiè quia credebat, baptizatos ob remiſſionem omnis pęnæ, nulla ſatisfactione indigere, ſicut Confeſſi indigent. Accedit congruentia, quòd in Baptiſmo fiat prima condonatio, quæ ſolet eſſe liberalior.

### §. IV. *Non tamen Pęnalitatum hujus Vitæ.*

NAm Baptiſmum non auferre Pęnalitates hujus vitæ, 91
nimis certum eſt per experientiam; morimur enim omnes, ac fomitem peccati, etſi per gratiam Baptiſmi non nihil minuatur, inviti ſentimus, variiſque hujus calamitatibus in dies ſubjicimur. Cujus rei variæ à SS. Patribus aſſignantur rationes. *Prima*, ut Pœnalitates patienter tolerando, haberemus materiam meriti, exercendæ virtutis: Nam juxta Apoſtolum *2. Cor. 12. Virtus in infirmitate perficitur*. *Secunda*, ut ex noſtræ Naturæ ſubjectione, ac dejectione profundiùs humiliaremur, & appareret, quantum Divina Gratia indigeamus. *Tertia*, ut homo circumferendo lapſus ſui teſtimonium magis agnoſceret beneficium Redemptoris. Vide *D. Thomam quæſt. 69. art. 3. & Suarez ibidem in Commentario.*

## QUÆSTIO III.

### *De Cęremoniis Baptiſmi.*

### SUMMARIUM.

93 *Baptiſmus alius eſt ſolemnis, alius non ſolemnis, ſeu Privatus.*
94 *Cęremoniæ Baptiſmum præcedentes recenſentur.*
95 *Item concomitantes, & ſubſequentes.*
96 *Quid obſervandum in impoſitione Nominis?*
97 *Omiſſio Cęremoniarum Baptiſmi eſt ex genere ſuo peccatum mortale, ſicut etiam*
98 *Baptizare extra Eccleſiam eſt mortale.*
99 *Cęremoniæ in Privato Baptiſmo omiſſæ per ſe loquendo poſteà ſunt ſupplendæ.*

### ASSERTIO III.

CÆremoniæ Baptiſmi, *aliæ ipſum præcedunt, aliæ concomitantur, aliæ ſubſequuntur: quas omittere, extra caſum neceſſitatis, eſt peccatum mortale ex genere ſuo; ſicut etiam mortale eſt, non urgente neceſſitate baptizare extra Eccleſiam. Cęremoniæ omiſſæ in Baptiſmo privato poſteà ſunt ſupplendæ.* Communis DD. 92

### §. I. *Cęremoniæ Baptiſmi.*

I. BAptiſmus alius eſt *ſolemnis*, alius non *ſolemnis*, ſeu 93
*privatus*. *Solemnis* definitur à P. *Gobat tr. de Baptiſmo, caſu 16 n. 487.* quòd ſit ille, qui confertur quocumque loco cum ritibus, & Cæremoniis potioribus præſcriptis ab Eccleſia. *Non ſolemnis, vel privatus eſt*, qui non confertur cum Cæremoniis ab Eccleſia præſcriptis. Ratio eſt: Quia Baptiſmus dicitur ſolemnis à ſolemnitatibus, ſolemnitates autem ſunt ipſi Ritus, & Cæremoniæ, ut videre eſt apud *D. Thomam q. 66. art.* 10. atque obvios Theologos. Licet autem locus Sacer, ſeu Eccleſia, etiam annumeretur ſolemnitatibus, ut ſingulariter exprimit *Palaus*, reliquæ tamen Cæremoniæ ſunt potiores, & proinde denominatio facienda eſt ab iis. Baptiſmus non ſolemnis, ſeu privatus, ſemper conferri poteſt, quando inſtat periculum mortis baptizandi; ſolemnis autem Baptiſmus olim duobus tantùm anni temporibus, ſcilicèt in Paſchate, & Pentecoſte, conferri conſueverat adultis, quibus diebus aqua fontis Baptiſmalis ritè conſecratur. Dictum eſt: *Adultis*; nam parvulis Romana Eccleſia Baptiſmum omni tempore conferebat. *Herincx diſp. 7. de Baptiſmo, qu. 3. num. 20.*

II. *Cęremoniæ Baptiſmi* nihil aliud ſunt, quàm actus externi Religionis ad DEUM colendum, & ad majori cum reverentia adminiſtrandum Baptiſmi Sacramentum Ordinati ab Eccleſia; & ex his aliquæ ſunt *Univerſales*; ſtatutæ nimirùm à Papa pro omnibus Eccleſiis: Aliæ verò ſunt particulares, inſtitutæ videlicet ab Epiſcopo pro una Dięceſi, & hæ ſervandæ ſunt à Diœceſanis. Cæremoniæ, quæ Baptiſmum præcedunt, tum in adultis, tum in parvulis, ſunt ſequentes: Prima eſt *petitio in Eccleſiam*, quam faciunt illi, qui cupiunt Baptizari, & vocantur *Cathecumeni*. Secunda dicitur *Scrutinium*, quo Cathecumeni examinantur, an firmiter, & ſincerè credant? Tertia eſt *abrenuntiatio Satanæ, & operibus ejus*, ſæpiùs repetita. Quarta eſt *Profeſſio fidei* facta. Quinta *Signum Crucis* in fronte, & pectore, à Sacerdote impreſſum. Sexta *Exorciſmus*. Septima eſt *Exſufflatio* ipſi Exorciſmo annexa, qua ſignificatur Dęmonis expulſio, & afflatio boni Spiritus. Octava eſt *Guſtatio Salis*. Nona *tactus narium, & aurium cum ſaliva*, ad exemplum Chriſti, *Marci 7.* Decima eſt *impoſitio* 94

*manuum cùm benedictione Sacerdotali*. Undecima eſt *Unctio* cum oleo ſalutis, ſeu Catechumenorum in pectore, & ſcapulis baptizandi. Duodecima eſt *abſtinentia à vino, & carnibus*, ut animi Catechumenorum diſponerentur ad digniùs ſuſcipiendum Sacramentum, de quo *Concilium Carthaginenſe IV. can.* 85. De his Cæremoniis latiùs videri poſſunt *Rabanus lib.* 1. *de Inſtit. Cleric. Bellarminus*, alii, qui ſingulas auctoritate Patrum ſtabiliunt.

95 III. Cæremoniæ baptiſmum concomitantes ſunt ſequentes. Prima eſt, quòd debeat conferri *in locis ad hoc conſecratis*, quæ antiquitùs erant è templo diſtincta, & vocabantur *Baptiſteria*: jam verò in templis, aliquis ad hoc ſolet deſignari locus. Vide *Clement. unic. de Baptiſmo*. Secunda eſt, quòd baptiſmus conferatur in *aqua*, ad hoc pridiè Paſcatis, aut Pentecoſtes, per infuſionem Chriſmatis, aliaſque Cæremonias *conſecrata*. Tertia, quòd adhibeantur *Patrini*, de quibus quæſt. ſeq. Quarta, quod Nomen imponatur, ut olim fiebat in Circumciſione, *Luca* 1. Nullibi tamen legitur prohibitum illud commutare etiam propria auctoritate. *Herincx cit. nu.* 23. Inter Cæremonias baptiſmum conſequentes prima eſt *Unctio Chriſmatis facta in vertice baptizati*; Chriſma verò debet eſſe novum, ſive iſtius anni, ut habetur *c. ſi quis de alio diſt. 4. de conſecr.* Unde extra neceſſitatem illicitè (& quidem graviter, juxta *Suarez* apud *Gobat cit. nu.* 509.) in baptiſmo adhibetur Chriſma alterius anni. Attamen Rodriquez, & Miranda apud *Herincx cit. nu.* 24. docent, poſſe Sacerdotes uti veteri chriſmate, & ſancto Oleo, donec advenerit novum ob periculum mortis, in quo ſunt jugiter parvuli in illa tenella ætate conſtituti. Adulti tamen extra mortis Articulum non poſſunt adhibito veteri Chriſmate baptizari. Hic *P. Gobat cit. caſu* 16. *nu.* 512. dat bonum conſilium Parochis dicens: ſi prævideas, Chriſma, & Oleum, quod tu à Reverendo tuo Decano Rurali accepiſti, non ſuffectura in totum annum, obſequere tutò conſtitutionibus ſynodalibus hujus Diœceſis (Conſtantienſis) *quæ part. 1. tit. 5. numer.* 11. *&* 12. ſic ſtatuit; ſi anno nondum exacto ſacra Olea ſibi deficere adverterit Parochus; hanc à Canone *cap. quod in dubiis*, *Extra de Conſecr. Eccleſ. vel Altar.* approbatam rationem ineat; ut cum Oleo ſacro non ſacrum, de Olivis tamen expreſſum miſceat, id verò guttatim ita affundat, ut ſemper id, quod infunditur, ſit minùs Oleo conſecrato. Ita *Gobat cit.* Secunda Cæremonia eſt, quod Recens baptizatus, ſeu Neophytus induebatur *Veſtimento candido* in ſignum Innocentiæ, & Novitatis vitæ, illudque deferebat per octavam Paſchæ, ac in ipſa die Octava (quæ inde *Dominica in Albis* dicta eſt) deponebat. In Baptiſmo autem parvulorum Sacerdos operit caput infantis veſte candida. Tertia eſt, quod in ſignum accepti Luminis fidei, & gratiæ detur baptizato *Cereus accenſus*. Hæ Cæremoniæ hodie adhibentur in baptiſmo adultorum; parvulis autem baptizandis adhibentur ex prædictis illæ, quæ per ætatem licent.

96 IV. Quantùm ad impoſitionem Nominis notandum eſt, 1. quòd *S. Pius V. in Catechiſmo*, 1. *p. cap.* 2. *num.* 75. *& Paulus V. in ſuo Rituali tit. de Sacrif.* merito petant, obſervari morem multis ab hinc ſæculis retentum à pleriſque omnibus Chriſtianis, ut nonniſi ſacra Nomina darentur recens baptizatis. Non tamen ubique ab omnibus hodie ſtatur illo monito. *Gobat cit. caſu* 12. *num.* 334. addens; Proinde abſolutè nefas non eſt: Nomen hominis nondum ab Eccleſia adſcripti ſyllabo Divorum, imponere puerulo baptizando. 2. Poſſunt etiam Nomina Sanctorum Veteris Teſtamenti imponi baptizandis; ideòque hodie in Germania numeramus plurimos Adamos, Abrahamos, Danieles, Evas, &c. 3. Quando non dignoſcitur ſexus infantis, vel de eo dubitatur, poteſt ipſi dari, vel ſolum Nomen Viri, vel ſolùm fœminæ, vel ſimul viri, & fœminæ. *Gobat c. n.* 339. Subjungens: Inderem tamen Nomen Viri, quod variatione unius, alteriuſve litteræ poſſet, deprehenſo ſexu, & errore, mutari in fœmineum, ſicuti ex Antonio, Franciſco, Joanne, facilè formatur Antonia, Franciſca, Joanna. 4. Nomen in baptiſmo acceptum etiam propria auctoritate in aliud commutari poteſt, juxta dicta num. præced. Conſentit *Abbas, & Bonacina*: apud, & cum *Gobat cit. num.* 340. 5. Vana, & ſuperſtitioſa eſt obſervatio Juriſtarum, dum ex pulchro, vel turpi nomine, ſumunt præſumptionem de bonis, vel malis moribus Hominis tali nomine affecti. Ita D. Thomas 2. 2. *q. 96. art. 3. Gobat cit. num.* 343. Ratio eſt: quia Nomina neque ſuapte vi, inclinant ad bonum, vel ad malum; neque ex impoſitione Dei, qui ſolus novit futura contingentia, ſignificant hos, aut illos mores. Et quamvis *conveniant rebus Nomina ſæpe ſuis*, quia tamen millecuplo ſæpiùs non conveniunt; ideò contra omnes Leges, & Regulas de Præſumptionibus peccant; qui ex Nomine indicante vitium, præſumunt de vitio. 6. Parentes per benè conſulunt ſuis, quando imponunt hiſce Nomina Sanctorum, quorum aut interceſſione concepti, vel in utero materno conſervati ſunt, aut patrocinio comprobato variis Hiſtoriis, cupiunt ſuis liberis, in vitæ decurſu obvenire hoc, illudve bonum, hujus, aut illius mali liberationem, vel averſionem. Qua de re legi poteſt *Raynaudus & Marchantius à Gobat num.* 345. citati Judæ nomen neſcio, an quiſquam hactenùs ferre voluerit, quantumvis ſciamus, è duodecim Apoſtolis unum ſanctitate, Martyrioque clariſſimum fuiſſe ita appellatum. Sed timor cavillationis potiùs, quàm ſiniſtrioris ſuſpicionis facit, ut propter impiiſſimum proditorem, piiſſimus Judas nullos reperiat clientes, aut certè pauciſſimos, niſi fortè in occulto, aut ſub nomine Thadæi.

## §. II. *Omiſſio Cæremoniarum Baptiſmi eſt ex genere ſuo peccatum mortale.*

COmmunis *Doctorum apud Gobat cit. n.* 469. Ratio eſt: 97 quia toties repetitum, & antiquiſſimum Eccleſiæ præceptum de iis obſervandis, eſt utique de re gravi, adeò ut Mortale ſit, quandoque etiam unam, alteramve omittere, ut de Chriſmate exprimit Nugnus. Per accidens tamen fieri poteſt, ut omiſſio cæremoniæ, aut cæremoniarum contineat vel nullam, vel ſolùm venialem culpam. Nullam, quando ea juſta cauſa omittuntur; ut fit in Articulo mortis jamjam imminentis: venialem quando omiſſio eſt unius ſolùm, alteriuſve cæremoniæ non notabilis. Debet autem quiſque ſub gravi veniali peccato (ita nominat *P. Gobat citatus num.* 470. obſervare cæremonias, ſeu ritus receptos in Diœceſi, in qua adminiſtrat hoc Sacramentum, *Chapeaville de modo adminiſtrandi Sacramenta tempore peſtis cap.* 1. *quæſt.* 52. quia alioquin inveheretur confuſio in Eccleſiam, contra providum monitum Apoſtoli 1. Corinth. 4. ſcribentis: *Omnia honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant in vobis*. Attamen *Tannerus tom. 4. diſput. 4. qu. 3. nu.* 124. Meritò excipit loca exempta: Hæc quippe poſſunt ſequi Rituale Romanum. Porrò hic ſpecialiter monet *P. Gobat cit. num.* 476. quòd quando infantes, v. g. Regum, Principum &c. domi licitè baptizantur ex ſingulari privilegio, non ſolùm fas ſit, ſimilia baptiſmata adminiſtrare cum cæremoniis ſolitis, ſed etiam probabiliter oporteat, etiam, extra caſum Neceſſitatis. Abſolutè oportere docent *Sotus, Toletus, Coroninus, Palaus, & Suarez itemque Conimb.* Ratio eſt, quia cùm per ſe loquendo, ſit mortale, baptizare ſine conſuetis ritibus, & jura hic non excipiant baptiſmata privatim juſtis de cauſis celebrata, locum ſanè hic habet illud Axioma Juridicum: *Generaliter dicta, generaliter intelligenda ſunt*. Practicè verò loquendo ſtandum eſt recepta conſuetudine cujuſque Diœceſis, juxta celebrem illam ſententiam, quæ ex S. Ambroſio refertur *in canon. illa diſtinct.* 12. *Cùm Romam venio, Sabbatum jejuno; Cùm ſum Mediolani, non jejuno. Sic, & tu, ad quamcunque Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi.*

## §. III. *Baptizare extra Eccleſiam, non urgente neceſſitate, ac ſecluſo privilegio, eſt peccatum mortale.*

ITa *Quintanadvenuas, Gobat cit. n.* 491. *Bonacina, Reginaldus*, & alii cum communi, propter varia Concilia 98 & Capitula juris, inter quæ eſt illud unicum, quod habetur in *Clementina de Baptiſmo* his verbis: *præſenti prohibemus edicto, ne quis de cætero in Aulis, vel cameris, vel aliis privatis domibus, ſed dumtaxat in Eccleſiis, in quibus ſunt fontes ad hoc ſpecialiter deputati, aliquos, niſi Regum, vel Principum, quibus valeat hoc in caſu deferri, liberi extiterint, aut talis neceſſitas emerſerit, propter quam nequeat ad Eccleſiam abſque periculo, propter hoc acceſſus haberi, audeat baptizare. Qui autem ſecùs præſumpſerit, aut ſuam in hoc præſentiam exhibuerit, taliter per ſuum Epiſcopum caſtigetur, quod alii ſimilia attentare non præſumant*: Circa hanc ſanctionem Pontificiam pro praxi obſervanda ſunt ſequentia. 1. Nomine *Principis* intelligit *Riccius, dec.* 427. itemque *Quintanadvenuas apud Gobat cit. caſu* 6. *n.* 492. etiam Comites, Barones, Legatos Regum, & Univerſim omnes obtinentes Juriſdictionem temporalem. Idcircò (ſubjungit Gobat cit.) permittitur petentibus in hac Diœceſi Conſtantienſi Nobilibus, præſertim Sueviæ, Hegoiæ, & Biſgoiæ, quorum pleriſque, vel habent Juriſdictionem, vel progeniti ſunt ea Majoribus vera Juriſdictione præditis, ut eorum filii baptizentur extra Eccleſiam, ſed non niſi in Sacello, vel

Ora-

Oratorio, extra caſum neceſſitatis. 2. Quibus ex generali, vel ſpeciali Privilegio permittitur, ut eorum parvuli Baptizentur domi, intelligitur, ut curent baptizari cum Cæremoniis conſuetis. *Suar. diſp. 30. ſect. 2. Vaſquez, Quintanadvennas, Marchant. Jordan*, & Alii cum, & apud *Gobat cit. num.* 495. Nam cum iis diſpenſatur ſolùm quoad locum, non quoad ſeparationem Rituum à Baptiſmo. Vide dicta n. præc. in fine. Hinc *Armilla Verb. Baptiſmus, num.* 25. *Layman, Marchantius*, Aliique communiter Jure damnant Magnates, quòd tam liberè velint Cæremonias differri ad aliquot dies. Quanquam nonnunquam & id faciendum ſit propter Patrinos Viros illuſtres, qui expectantur; ſi tamen nullum ſit in mora periculum, deberet potiùs Baptiſmus differri in illorum adventum, quàm Baptizari ſine ſolemnitatibus. 3. Neceſſitatem, ob quam prædicta Conſtitutio Clementina permittit Baptiſmum privatum, quod attinet, non utique eſt intelligenda inſuperabilis, ſed ſufficit probabile periculum, fore ut, niſi jam baptizetur infans, ſit vel moriturus ſine Baptiſmo, vel diu ſine Baptiſmo victurus; vel, ſi deferatur ad Eccleſiam, augenda, vel creanda ſit infirmitas. Imò ad hujuſmodi privatum Baptiſmi modum, domi abſque peccato miniſtrandum, ſatis eſt, non ſolùm quodcunque probabile periculum, aut dubium, ſed etiam quicunque prudens timor, præſumptio, vel conjectura periculi, ne infans è vivis excedat ſine Baptiſmo. *Gobat. cit nu.* 498. 4. Baptizans in Eccleſia, in qua non eſt Baptiſterium, non peccat mortaliter, & ſi gravis cauſa impelleret, nec venialiter. Nam reverà non debemus ſtatuere peccatum Mortale, quando nos non cogit vel Authoritas, vel Ratio, quarum utraque deeſt in præſenti. *Gobat nu.* 502.

### §. IV. *Cæremoniæ omiſſa in Baptiſmo privato, per ſe loquendo poſteà ſuppleri debent.*

99 ITa *Richardus, Vivaldus, Bonacina, Coninch. Gobat n.* 505. & alii Communiter, cum, & apud *Palaum tr. 19. punct. 11. num* 12. & *Dianam part. 6. tr. 3. reſol. 6.* Nam & ita fert mos Eccleſiæ, & deſumitur ex *cap. hanc Regulam. 1. q. 1. & cap. 1. de Sacram. non iterandis*, haberurque ex Rituali Romano. Et quidem ſub Mortali ſuppleri debere, aſſerit *Cotonius, de Baptiſmo cap. 4. nu.* 59. Negat *Poſſevinus qu.* 23. non diſſentiente *Diana p. 5. tr. 3. reſol. 6.* Et merito, quia nec conſuetudo, nec Jus Scriptum ſatis indicat obligationem Mortalem. Quantùm ad eos; qui è Lutheraniſmo, Calviniſmo, &c. tranſeunt ad fidem Catholicam, rectè ſcribit *Tannerus hic q. 2. nu.* 117. Non ſolere apud nos fieri, ut ritus Baptiſmales exerceantur circa illos. Rectè idem ſcribit *Layman lib. 5. tract. 2. cap. 8. nu.* 10. Rectè etiam id ſentit *Author Man. Paroch. par. 2. cap. 3. n. 6.* Rectiſſimè hi tres addunt, conſentiente *Cotonio loc. cit. nu.* 62. poſt *Franciſcum de Lugo*, eſſe conſultiſſimum, ut contra hunc Marem agatur, quando id poteſt fieri ſine incommodo, ut ſanè poteſt cum octennibus, & decennibus pueris: Difficiliùs ſanè cum adultioribus, ob metum, nè Baptiſmum Lutheranorum videamur Univerſim habere pro invalido. Equidem (ait *Gobat citat. num.* 506.) ſi impoſterùm mihi obtigeret, quod aliàs, non omitterem, ſed benè inſtructum circa rationem horum Rituum, curarem à Parocho loci ungi Chriſmate, & Oleo, Exorciſmis quoque muniri &c. Et quidni liceret mihi hoc ipſum præſtare in noſtra ſacriſtia, vel in templo occluſo, præſentibus tamen aliquibus, ut monet *Author Manualis Parochorum*? Opponi non poſſet ullus Canon, ulla adverſans conſuetudo, ſed præſtat, fieri per Parochos, fidem habeo *Laym. loc. c.* reſtanti compertum eſſe, eos, qui ſine Exorciſmis baptizati ſunt, magis infeſtari à Cacodæmone, quàm alios. Quare etiam Exorciſmi ſupplendi ſunt in talibus, licèt privato Baptiſmo jam ablutis, ut docet *D. Thom. q. 71. art. 3. ad 4. Gobat nu.* 507. & Alii, quos citat.

## QUÆSTIO IV.

### *De Patrino Baptiſmi.*

## SUMMARIUM.

101 & 102 *In Baptiſmo Solemni requiritur Patrinus.*
103 *Non verò in non ſolemni, ſeu privato.*
104 *Patrinus debet eſſe Unus, vel ad ſummum poſſunt eſſe duo.*
105 *Quid requiratur, ut quis validè ſit Patrinus?*
106 *Quid requiratur, ut licitè ſit Patrinus? & ſeqq.*
110 *An idem poſſit ſimul eſſe Baptiſta, & Patrinus? & ſeq.*
112 *Enumerantur Officia Patrini.*
113 *Contrahit cognationem ſpiritualem cum filiaſtro &c. Remiſſivè.*
114 *An peccet recuſans Officium Patrini?*
115 *De Libro Baptizatorum.*

## ASSERTIO IV.

IN *Baptiſmo ſolemni, ſub peccato mortali, requiritur* 100
*Patrinus, cujus Officium, ut quis validè obeat, debet habere Uſum Rationis, eſſe Baptizatus, habere intentionem reverà ſuſcipiendi ut Patrinus ex Baptiſmo Baptizatum, eſſe deſignatus à Parentibus, & phyſicè tenere infantem, dum baptizatur, vel immediatè è manibus baptizantis illum ſuſcipere: Ut verò etiam licitè quis obeat Officium Patrini, debet eſſe fidelis, ſeu non hæreticus, non Excommunicatus, non proprius parens baptizandi, non Abbas, vel Monachus, nec plures, quàm duo: Officia, & Obligationes Patrini ſunt baptizandum offerre ſacerdoti, reſpondere pro baptizando, quando per ſe nequit reſpondere, tenere baptizandum, dum baptizatur, baptizati curam gerere in Chriſtiana inſtructione. Tandem Patrinus in baptiſmo ſolemni contrahit cognationem ſpiritualem cum baptizato, & cum utroque parente ipſius baptizati, ac impedimentum dirimens Matrimonium contrahendum.* Communiſſima apud Authores citandos.

### §. I. *In baptiſmo ſolemni ſub peccato Mortali requiritur Patrinus.*

I. PAtet ex Antiquiſſimo Uſu Eccleſiæ, cujus teſtis eſt 101
*S. Dionyſius Areopagita Eccleſiaſtica Hierarchia c. 2. p. 2. & c. 7. Tertullianus l. de Baptiſmo, c. 18. & S. Auguſtin. l. 1. de Peccatorum meritis, cap.* 34. Patet etiam ex *Trident. ſeſſ. 24. cap. 2.* Ubi hanc obligationem ſupponit. Quod idem faciunt plura alia Jura. Congruentia eſt, quòd (ut ait *D. Thom. quæſt. 67. art. 7.*) ſicut in generatione corporali Parvulis datur nutrix; ita in ſpirituali detur aliquis, qui fungatur vice Nutricis, & Pædagogi. Hinc etiam vocatur *Sponſor*, ſive *fidejuſſor, Patronus*, ſeu *Patrinus*.

II. Dictum eſt: *in baptiſmo ſolemni*, ita ut peccet mor- 102
taliter Parochus baptizans ſolemniter non habens Patrinum. Ita cum *Tannero, Gobat citat. caſu 17 num.* 512. Quia videlicet adhibitio Patrini eſt Una è præcipuis Cæremoniis, & celeberrimis in Jure, ut videre eſt in *capit. 1. 2. 3. 4. 5. & cap. Omnes, 30. quæſt. 1.* Aliiſque plurimis, ac nominatim in *Concilio Tridentino cit. ſeſſ. 24. de Reform. Matrimon. capit. 2. Poſſevinus* tamen *de baptiſmo, quæſt.* 26. non agnoſcit hic, niſi venialem culpam, quando parentes volunt ipſimet edocere prolem. An hoc probabiliter dicatur, judicent Alii.

III. At verò non peccatur, ſi baptiſmus ſine ullo Patri- 103
no adminiſtratur in periculo mortis. *Diana part. 8. tract. 3. reſol. 2.* Vel extra hoc periculum, ſed privatim; id eſt, ſine aliis ſolemnitatibus, *Suarez quæſt. 67. art. 8. dub. ultim. Sanchez de Matrimon. lib. 7. diſput. 67. num. 4. Tannerus, Gobat cit. num.* 523. & plures Alii. Ratio eſt: Quia ſi poſſunt omitti aliæ Cæremoniæ, poteſt etiam hæc omitti. Idem dic de baptiſmo *Conditionali*, etiam ſolemniter fortè celebrato. *Quintanadvennas Singul. tract. 1. ſing.* 18. eò quòd Officium Patrini ſit ab Eccleſia inſtitutum pro ſolo vero, certo, & abſoluto Baptiſmo. *Bonacina de Matr. qu. 3. punct. 5. §. num.* 10.

IV. *Unus tantùm ſive Vir, ſive Mulier, juxta Sacro-* 104
*rum Canonum Inſtituta, vel ad ſummum Unus, & Una baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant*, ita Concilium Trident. cit. Hinc licitè non poſſunt duo ejuſdem ſexus ſuſcipere eundem infantem, neque in hoc poteſt diſpenſare Epiſcopus; quia eſt Lex Superioris. Ita *La-Croix lib. 6. part. 1. numer.* 350. Quòd ſi adhibeantur duo Viri v. gr. *Bonacina & Averſa q. 67. ſect. 3.* probabiliter dicunt eſſe mortale; quamvis *Sanchez de Matrim. l. 7. diſput. 57. num. 6.* etiam probabiliter dicat, eſſe veniale tantùm: Plures tamen poſſunt aſſiſtere veluti Teſtes, & ad majorem pompam. *Gobat cit. nu.* 524. Hinc ſi plures à parentibus deſignati ſe ingerant, Baptizans, poteſt initio diſſimulare, ſed poſteà dicat, ſatis eſſe, ſi Unus, vel Una, vel Unus, & Una infantem tangant; Reliquos verò non permittat tangere, & illos ſolos, qui tetigerunt infantem, annotet eſſe Patrinos; Reliquos verò tantùm ſuiſſe Teſtes. *Gobat cit. numer.* 527. Porrò ſi unicus ſit Patrinus, *Layman* vult, ut Patrinus Maris ſit Mas; & Patrinus fœminæ ſit fœmina, uti ſtatuit Concilium Nicænum. Contradicunt Suarez, Filliucius, Averſa, Gobat *numer.* 531. dicentes Marem eſſe Patrinum fœminæ, & ex contra; quia Jure Novo Tridentini citat. dicitur: *Sive Vir, ſive Mulier*, & ideò etiam Averſa *ſection. 4. §. ultim.* & Pignatel. *tom. 7. Conſult. 93. numer. 3.* docent, Procuratorem pro Viro Patrino abſente poſſe eſſe Mulierem, & contrà. In his tamen quivis debet ſe accommodare conſuetudini

dini

dini ſuæ Diœceſis. Denique Urbanus II. prohibuit, duos conjuges ſimul levare infantem; ſi tamen alicubi ſit contraria conſuetudo, fieri poterit, maximè cum Navarrus, Vivaldus, Sanchez, Tamburinus apud *La-Croix num.* 352. abſolutè puteut, hodie licere, ideòque Suarez, Marchant. Averſa, & alii paſſim dicunt, illam conſtitutionem non eſſe uſu receptam.

§. II. *Ut quis validè fiat Patrinus,*

105 DEbet pollere uſu Rationis, habere intentionem ſuſcipiendi ut Patrinus ex baptiſmo baptizatum, aſſe deſignatus à parentibus, & in horum defectu à Parocho, phyſicè tenere infantem &c. quæ videri poſſunt apud Patritium Sporer *Theol. Sacram. parte* 4. *cap.* 1. *ſect.* 1. *num.* 83. *& ſeqq.* duo hic Addo. I. Si Patrini à Parentibus deſignati diu emaneant, & Parochus factus impatiens, alium deſignet in Patrinum, ſecundùm *Bejam parte* 2. *caſu* 4. peccat mortaliter, quia facit contra Jus Parentum, obtrudendo alium fortè non gratum, vel cum quo nollent habere cognationem, quæ cum hoc videtur contrahi; quia ſufficit deſignatio Parentum, val Parochi, uti habet *Tridentin.* & notat *Tamburinus* §. 2. *numer.* 12. *& La Croix libr.* 6. *part.* 1. *numer.* 362. II. Non baptizatus nequit validè obire munus Patrini, juxta omnes DD. apud Gobat *citat. numer.* 555. & patet ex *Can. In Baptiſmate*, *de conſecr. diſtin.* 4. ubi dicitur: *In baptiſmate, vel in Chriſmate non poteſt alium ſuſcipere in filiolum, qui non eſt ipſe baptizatus, vel confirmatus.* Cur autem non baptizatus poſſit aliquem validè baptizare juxta ſuptadicta de Miniſtro Baptiſmi, non tamen validè eſſe Patrinus; Ratio eſt; quia Eccleſia non admittit pro Patrino non baptizatum; admittit verò pro Miniſtro Baptiſmi non baptizatum, tam Chriſtus, quàm Eccleſia, & hoc vel maximè ob Sacramenti Baptiſmi neceſſitatem, qualis non reperitur in aſſiſtentia Patrini, Cum Baptiſmus ſine Patrino collatus, ſemper ſit validus, & quandoque etiam licitus.

§. III. *Ut licitè quis obeat munus Patrini,*

106 DEbet I. Non eſſe *hæreticus*; Tametſi enim hæreticus poſſit validè eſſe Patrinus: cùm nullibi declaretur talis actus eſſe nullus. Sanchez *de Matrimon. libr.* 7. *diſp.* 60. *num.* 2. licite tamen per ſe loquendo admitti nequit ad Officium Patrini. Ita communis, *Sanchez, loc. cit.* Suarez, *quæſt.* 67. *art.* 8. Marchantius *in Candelabro tract.* 2. *lect.* 13. Tannerus *tom.* 3. *diſput.* 1. *quæſt.* 7. *numer.* 125. Gobat *citat. num.* 559. Ratio eſt: quia oves non ſunt tradendæ Lupis, a quibus nulla ſpes probæ educationis in fide ſperari poteſt, quæ tamen eſt finis Eccleſiæ in deſignandis Patrinis. Unde ſi Catholicus Patrinus nequit haberi, potiùs debet omitti. Urgenti tamen gravi cauſa, vel neceſſitate (ut fieri ſolet in terris, ubi Catholici cum hæreticis permixti vivunt) etiam hæreticum admitti poſſe, tradit Layman *lib.* 5. *tract.* 2. *capit.* 9. *numer.* 7. Quia baptizatus in hoc caſu poſſet, & deberet in vera fide Catholica inſtrui, vel à Parentibus, vel a Parocho, vel Ludimagiſtro, ſed adhuc contradicunt *Tannerus*, aliique communiùs, dicentes adhibere Patrinum hæreticum, eſſe intrinſecè malum. Duæ tamen praxes licitæ ſunt: Prima eſt *Tanneri, & Gobat citat. numer.* 560. Ut baptizans in tali neceſſitate omittat omnia, quæ Patrinum concernunt, & infantem baptizatum reddat obſtetrici, & hæc poſteà reddat illum hæretico in Patrinum deſignato, & ſic hic non fiet Patrinus, quia non tenuit phyſicè infantem, dum baptizabatur, nec illum immediatè è manibus baptizantis ſuſcepit. Altera eſt aliorum in quibuſdam urbibus Acatholicis uſurpata, ut baptizans, præter hæreticum, deſignet alium Catholicum ex voluntate Parentum, qui puerum baptizandum tangat, aſſiſtente hæretico, quaſi ad honorem, & tunc inſcribat libro Baptiſmali verùm Patrinum Catholicum; notet autem, hæreticum fuiſſe tantùm teſtem. An vero Catholicus poſſit eſſe Patrinus Infantis hæretici à Prædicante baptizandi? *Layman, Tannerus, Gobat citat. numer.* 565. & Buſembaum apud *La Croix lib.* 6. *p.* 1. *n.* 370. abſolutè affirmant, fieri poſſe ob piam, & notabilem utilitatem; quia Patrinus per hoc tantùm profitetur, quod puerum ſuſcipiat in ſuam curam, inſtruendum in vera fide, facitque ſaltem hanc Cæremoniam Catholicè obſervari. *La Croix* vero cit. diſtinguendum putat; Nam ſi per hoc, quòd Catholicus ſit Patrinus infantis hæretici, cenſeatur approbari Ritus Acatholicus, patet, non licere; quia hoc foret intrinſecè malum; ſi autem hoc abſit, uti ordinariè videtur abeſſe in Germania, dicendum eſt licere.

107 II. Non debet eſſe *excommunicatus non toleratus*. Gobat *cit. num.* 555. Nec *facinoroſus*, aut *Criminoſus*: vel *moribus infamis*. Layman *de baptiſmo, cap.* 9. *num.* 2. Ratio primi eſt: quia prohibitum eſt cum excommunicatis non toleratis habere communionem, præſertim in ſacris. Ratio ſecundi eſt: quia criminoſi, & moribus infames plus promittunt deſtructionis, quàm inſtructionis in fide, & pietate, quæ tamen eſt finis Eccleſiæ in deſignandis Patrinis. Inſuper *Mutus* ordinariè non debet eſſe Patrinus, quia non poteſt infantem docere rem fidei. *Barboſa, & Fernandez*, *apud Gobat num.* 555.

III. Non debet eſſe *Proprius Parens baptizandi*. Ita 108
*Herincx diſputat.* 7. *de baptiſmo quæſt.* 4. *numer.* 28. *Layman citat. numer.* 3. & Alii. Patet ex *capit. pervenit ad nos*, 30. *quæſt.* 1. Accedit Ratio: quia ſuſceptor eſt ordinatus ad inſtruendam prolem in defectum Parentum, quibus proinde debet diſtingui, idque adeò verum eſt, ut nequidem in defectum alterius poſſit admitti: Munus enim Patrini non eſt tantæ neceſſitatis. Vide plura de hoc apud *Patritium Sporer de Matrimonio, capit.* 1. *ſect.* 1. *numer.* 91. Nihilominùs *Gobat citat. numer.* 568. putat, Patrem poſſe eſſe Patrinum ſui Filii illegitimi, ſi ejus Matrem non teneatur ducere in uxorem, & *numer.* 569. addit: Si mater moriatur in partu, aut Pater ante partum, etiamſi ſint legitimi conjuges, Parentem alterum ſuperſtitem poſſe eſſe Patrinum, vel Matrinam propriæ prolis: quia in his caſibus non impeditur debitum conjugale, ut conſideranti patebit.

IV. Non debet eſſe *Abbas, vel Monachus*, ex *cap. Mo-* 109
*nachi, de conſec. diſt.* 4. *& cap. non licet, de conſecr. diſt.* 4. ubi dicitur: *Non licet Abbati, vel Monacho, de baptiſmo ſuſcipere filios, nec Commatres habere.* Attamen *Gobat cit. numer.* 556. judicat, ſolos Monachos propriè dictos (qui videlicet vi ſuæ Religionis, ac hujus fine particulari, ad vitam contemplativam, & ſolitariam principaliter ordinantur) comprehendi hac prohibitione; quia lex correctoria & reſtrictiva Juris Naturalis, utpotè odioſa non debet extendi ultra proprietatem Verborum. Ergo non obſtante illo Canone poſſunt Religioſi ex Ordine Canonicorum, Clericorum, Mendicantium obire illud munus, tametſi repugnet *Layman hic capit.* 9. Nobis tamen Franciſcanis ſpecialiter in *cap* 11. *noſtra Regula* S. Pater noſter Seraphicus Franciſcus firmiter præcepit: *Ne fiant Compatres virorum, vel Mulierum, ne hac occaſione inter Fratres, vel de Fratribus ſcandalum oriatur.* Denique Rituale Romanum: *Tit. de Patrinis* dicit: *Præterea ad hoc munus admitti non debent Monachi, vel Sanctimoniales, neque alii cujuſcumque Ordinis Regulares à ſæculo ſegregati.* Subintelligitur tamen, niſi contrarium per legitimam conſuetudinem introductum ſit. Quòd verò duo tantùm debeant eſſe Patrini, & quod aliquis Patrini munus poſſit obire pro procuratorem, vide apud Patr. Sporer *Theol. Sacram. par.* 4. *cap.* 1. *ſect.* 1. *n.* 94. *&* 96. Ubi tamen hortor Miniſtros Baptiſmi ſolemnis, ut quando volunt baptizare, & aliquis ſubſtitutus loco Principalis vult tenere infantem, prius graviter interrogent; An Principalis actu aliquid ſciat de hoc, quòd ſit deſignatus in Patrinum, vel non; ſi ſciat, & conſentiat; tunc pergant in conferendo Baptiſmo: Si verò actu nihil ſciat, tunc curent Miniſtri Baptiſmi, ſeu Parochi, ut à Parentibus baptizandi deſignetur aliquis, qui *Nomine propriò* teneat infantem, & valit fieri Patrinus; Aliàs, ſi hoc non faciant, peccabunt mortaliter; quia baptizarent ſolemniter ſine Patrino; Cum in hoc caſu nullus adeſſet Patrinus; ſiquidem Principalis non foret Patrinus, cùm nihil ſciat de hac re. Nec ſubſtitutus eſſet Patrinus, cùm non proprio Nomine teneret infantem. Vide *Sporer cit. num.* 98.

Petes: *An Impuberes poſſint eſſe patrini, & an idem ſimul poſſit eſſe baptizans, & Patrinus reſpectu ejuſdem?*

Reſp. Ad I. Ut quis poſſit eſſe etiam validè Patrinus de- 110
bet ita eſſe compos rationis, ut poſſit peccare mortaliter, *Gobat tract.* 9. *numer.* 573. Quia Patrinus ſuſcipit in ſe gravem obligationem inſtruendi in fide ſuum filiaſtrum, quam nemo ſuſcipere poteſt, qui non poteſt peccare mortaliter. Hinc ante ſeptennium non debet aliquis admitti in Patrinum; quia ante hanc ætatem communiter quis non poteſt peccare mortaliter: Imò quia in Germania uſus rationis, & potentia peccandi mortaliter, juxta *Gobat citat.* modò advenit puellis octennibus, & pueris novennibus, non autem citiùs communiter; hinc ſi Germanus Puer, vel Puella ante hanc ætatem, ſuſciperet infantem ex Baptiſmo, in dubio de ſufficiente uſu rationis, non contraheret cognationem Spiritualem, nec impedimentum Matrimonii. Itaque convenit, ut Patrini ſint ſaltem Puberes & ſacro Chriſmate confirmati. *La Croix lib.* 6. *part.* 1. *num.* 3. nihil impedit, quin Patrinus ſit junior filiaſtro,

ſi hic

ſi hic in adulta ætate baptizetur. *Gobat tr. 2. num. 555.* Habenda tamen eſt ratio moris Diœceſani, & decentiæ.

111 Reſp. ad II. Idem non poteſt ſimul baptizare infantem, & ejus eſſe Patrinus. D. Thomas *hic quæſt. 67. art. 7.* Valentia *tom. 4. quæſt. 2. punct. 3.* Suarez, Gobat *cit. numer. 585.* Ratio eſt: Quia talis mos adverſatur Juri Canonico, atque communi ſenſui Doctorum, ſane neque ſacri Canones prohiberent, ne Monachi ſint Patrini; neque Doctores dicerent, omiſſionem Patrini in Baptiſmo ſolemni continere culpam lethalem, ſi idem eſſet quandoque ſimul Patrinus, & Baptiſta. Et cùm principalius ad Patrinum, quàm ad Matrinam ſpectet, reſpondere baptizanti, quærenti de Nomine, fide, & abrenuntiatione Infantis, fungeturne talis Parochus munere interrogantis, & reſpondentis? Interrogatio quidem, & reſponſio caſu conveniunt; at non eidem ſubjecto. Deinde Patrini ſunt ab Eccleſia inſtituti, & deſignati, ut modo geniti in Chriſto haberent, à quo ultra Epiſcopum, Parochumque, qui ſunt ordinarii Miniſtri hujus Sacramenti, inſtruerentur in fide, ſicut patet ex S. Dionyſio, quem ſequitur *Sanct. Thomas quæſt. 67. artic.* 8. ergo ſtante Jure antiquo non licet curatoribus animarum ſuſcipere è ſacro fonte illos, quos ipſi abluerunt; quem morem, *Teſte Gobat citat.* obſervat in hodiernum diem Eccleſia; ut proinde repugnent inſtitutioni Patrinorum, & mori Eccleſiæ, qui contrarium faciunt, non tamen erunt Rei peccati, ſi nitantur antiqua conſuetudine vigente in Diœceſi, tolerataque ab Epiſcopis. *Quid ſi autem ipſe Baptiſta ſubſtituat Alium, qui ſuo, id eſt, baptizantis Nomine teneat infantem?* Reſpondet P. *Adamus Burghaber in ſua Centuria 2. num. 64.* ſaltem cum hujuſmodi moderamine, poſſe quem baptizantem eſſe, & ſimul Patrinum; quod *P. Gobat cit.* judicat non improbabile, ſaltem in ſententia docentium, cognationem, adeóque onus inſtruendi, contrahi à Procuratore.

## §. IV. *Officium, & Cognatio Patrinorum: Item Munus Parochi circa Librum baptizatorum.*

112 I. ILle, quem vulgò nominamus *Patrinum* ideò ſic vocatur, quod ſit veluti *Pater Spiritualis* baptizati. Hujus officia ſunt: baptizandum offerre Sacerdoti: Reſpondere pro baptizando, quando ipſe per ſe nequit reſpondere; tenere baptizandum, dum baptizatur, & levare de fonte, maximè ſi baptiſmus fiat per immerſionem; ſuſcipere baptizatum de manu baptizantis, unde & *Suſceptor* vocatur; baptizati curam gerere in Chriſtiana inſtructione; Tenetur enim ſuos filiaſtros docere veram Religionem. *S. Th. q. 67. art. 7.* eſt quippe primitùs ob hanc præcipuè cauſam inſtitutus, ut patet ex *cap. vos ante, de conſecr. diſt. 4.* Et quidem hæc obligatio eſt *per ſe loquendo* gravis. Palaus *punct. 11. §. 1. num. 3. Gobat num.* 563. Etenim ſubrogatum ſequitur qualitates illius, cui ſubrogatur: Patrini verò ſubrogantur Parentibus. Quod ſi tamen tuum filiaſtrum ſemel docueris neceſſaria ad ſalutem, iſque comprehenderit, quæ docuiſti, & poſtea obliviſcatur, non teneberis denuò inculcare, hoc enim onus perpetuum non eſt injungendum ſine claro Jure. Layman *hic cap. ultim. num. 1.* rectè addens, jam eſſe rarum uſum, ſeu effectum memoriæ obligationis; quandoquidem ſolent infantes erudiri à Parentibus, Pædagogis, Ludimagiſtris. Quamquam illi Catholici, qui rogatu Parentum Acatholicorum levant è lavacro Chriſtiano ipſorum proles, obligentur in actu ſecundo ſæpiùs, quàm Patrini Catholicorum: quandoquidem tales proles ſugunt cum lacte materno venenum, quod ex inferno habent Lutherus, Calvinus, Zvvinglius &c. Contra hoc venenum debent Patrini Antidotum, vel Alexipharmacum porrigere. Porrò filii Spirituales non ſunt in defectum Parentum nutriendi à Patrinis: Etenim neque Lex, nec ratio, nec conſuetudo hoc exigit. Ita Gobat *in ſuo Quinario tract. 5. cap. 28. num. 39.*

113 II. Patrinus (ſicut & baptizans) contrahit cum ſuo filiaſtro, ſeu baptizato, hujuſque Parentibus Patre ſcilicet, & Matre cognationem ſpiritualem, & impedimentum dirimens Matrimonium contrahendum. De quo plura. Vide apud P. Sporer *Theol. Sacram. part. 4. cap. 1. ſect. 1. num. 86. & ſeqq.*

114 III. Recuſare officium Patrini, vel Matrinæ; *per ſe*, ſeu *Rationi objecti*, non continet ullam culpam. Gobat *cit. num.* 685. Ratio eſt: quia *ubi non eſt Lex, ibi nec prævaricatio, Rom. 4.* Atqui nulla Lex Divina, humanave præcipit, ut quis rogatus in Patrinum, acquieſcat petitioni, cùm functio illius officii habeat aliquas obligationes annexas, nonnullis moleſtas: Ergo. Si tamen quis ex ſuperbia, aliuve pravo motivo, recuſet officium Patrini, utique peccat. Idem dic in caſu, quo nulla rationabilis cauſa ſubeſt, detrectandi hoc Chriſtianæ Pietatis officium; & ſi detrectetur, adfertur notabilis mœror Parentibus baptizandi, aut gigneretur ſcandalum. Hinc quilibet imitari deberet *Ferdinandum II.* Devotiſſimum Imperatorem, qui è Sacro fonte libens infantes ſuſcepit, quoties vel proceribus, vel etiam è famulis domeſticis aliquis id expetiit. *Gobat cit.*

IV. Concilium Trident. *ſeſſ. 24. de reform. Matrim. cap. 2.* 115
Ita ſtatuit: *Parochus, antequam ad baptiſmum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur: quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant; & eum, vel eos tantùm ad illum ſuſcipiendum admittat, & in libro eorum Nomina deſcribat, doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excuſari valeant.* Ex quo Quintanadvennas *ſingul. tract. 4. ſing. 2.* damnat peccati mortalis Parochum, qui ſcienter, & ex negligentia, frequenter, ſeu plures baptizatos non ſcribit; quia videlicet Conc. Trident. *loc. cit.* vult, arbitrio Ordinarii puniri negligentes, & multa incommoda oriuntur ex hac negligentia. *Poſſevinus q. 44.* fert æquè rigidam ſententiam ſine limitatione ad frequentiam; quia ſcilicet vergit in magnum prejudicium. Quapropter vehementer hortor Dominos Parochos (ait *Gobat* 589.) ut notent diligentiſſimè non ſolùm diem Baptiſmi ipſius, ſed nativitatis, imò etiam horam, qua quis natus eſt. Nam primùm hoc anno quidam ex Ordine Seraphico, Excelſi ingenii Religioſus debuit abſtinere ex Jure communi ab Ordine ſacro, quòd deeſſet illi unica hora: Alius, quod non eſſet ſcriptum, utrùm ante, vel poſt prandium produiſſet in lucem. Inducentur autem Domini Parochi ad tantò ſedulıùs, fideliuſque condeſcendendum huic cohortationi, ſi meminerint, talem librum, ſeu Regiſtrum facere plenam fidem coram quovis Tribunali, quando eſt Quæſtio, vel de Baptiſmo reverà collato, vel de ætate. Barboſa *de Paroch. part. 1. cap. 2. nu. 5.* & Quintanadvennas *loc. cit. ſing. 3. num. 2.* cum multis aliis apud ipſos. Nam Parochus eſt in tali, & pro tali actu Notarius Publicus. Gobat *num* 590. Quando offerunt ſe plures Patrini, quàm permittat Tridentina ſynodus, inſcribenda ſunt dumtaxat Nomina duorum, qui primi tetigerunt infantem; quia hi ſolùm fuere veri Patrini. Vide P. Sporer *de Matr. cap. 1. ſect. 1. num. 94.* Quando verò quis per Procuratorem levat aliquem de fonte, providè aget Parochus, ſi ſcribat Nomen utriuſque, primi tamen expreſsè ut mittentis, alterius ut miſſi. Item exactè ſpecificandum, quando quis fuit Patrinus in *baptiſmo non ſolemni*, & in *Conditionato*, quandoquidem ex neutro horum oritur impedimentum Matrimonii. *Gobat num.* 594.

## SECTIO IV.

### *De baptiſmo Flaminis, & Sanguinis.*

DIximus in principio hujus Capitis, Baptiſmum eſſe 116
triplicem, videlicet *baptiſmum fluminis, baptiſmum flaminis, & baptiſmum ſanguinis.* Hinc tamen non ſequitur, ut notat Gloſſa *c. baptiſmi vicem, de conſecr. diſt. 4.* Tria eſſe Baptiſmi Sacramenta; quia Baptiſmus fluminis tantùm eſt Sacramentum, qui eſt unicus in Eſſentia, & ſpecie Athoma, juxta illud S. Pauli, *ad Eph. 4. Unus Dominus: una fides, unum baptiſma;* quem locum de Unitate ſpecifica interpretatur ibi *S. Chryſoſtomus.* Reliqua verò duo non ſunt Sacramenta; quia, ut *Gloſſa* loquitur, *non fiunt accedente verbo ad Elementum*, ſed vicem tantùm Sacramenti ſupplendo per cordis contritionem, vel Sanguinis pro Chriſto effuſionem; quia ſic, inquit *Gloſſa*, mundatur Homo à peccatis per Pœnitentiam, vel Sanguinis effuſionem, ſicut per lavacrum Baptiſmi. Sit itaque.

## QUÆSTIO I.

### *An baptiſmus Fluminis ſuppleri poſſit per baptiſmum Flaminis?*

## SUMMARIUM.

118 *Quid ſit baptiſmus flaminis?*
119 *In defectu baptiſmi fluminis ſufficit baptiſmus flaminis ad Juſtificationem, & ſalutem.*
120 *Sufficit aliquando etiam votum baptiſmi implicitum.*
121 *Baptiſmus flaminis non ſupplet baptiſmum fluminis in omnibus.*

## ASSERTIO I.

B*Aptiſmus flaminis in defectu baptiſmi fluminis ſufficit ad obtinendam juſtificationem, & ſalutem; & quamvis* Regula-

*regulariter loquendo, requiratur votum baptiſmi fluminis explicitum, ſufficit tamen in aliquo caſu etiam implicitum. Licèt autem baptiſmus flaminis ſupplere poſſit baptiſmum fluminis, quoad remiſſionem peccati, tum originalis, tum perſonalis; nec non quoad gratiæ infuſionem, non tamen in omnibus, nec eodem omninò modo ſupplere poteſt.* Eſt communis DD. apud Scotum, Maſtrium &c.

§. I. *Baptiſmus Flaminis*

118 EST perfecta ad Deum converſio, videlicet *Amor Dei ſuper Omnia*, vel *Contritio Perfecta* includens deſiderium, ſeu votum Baptiſmi vel explicitum, vel implicitum ſuſcipiendi Sacramentum Baptiſmi fluminis in re: *Explicitum* quidem, ſi quis expreſſe peteret Baptiſmum fluminis; *Implicitum* vero: Si quis invincibiliter ignorans, vel inculpabiliter non advertens neceſſitatem Baptiſmi, habere actum amoris Dei ſuper omnia, vel contritionis perfectæ, in quibus virtualiter, & implicitè continetur voluntas, & propoſitum ſervandi omnia Dei præcepta. Ita D. Thomas hic *quæſt.68.art.2.* Gregorius de Valent. *hic qu.3.punct.4.* Vaſquez *hic diſp.* 152. *cap.*1. Suarez *hic diſp.27. ſect.*2. Gobat. *cit. caſu* 13. *num.* 637. Ratio eſt: quia ſolus amor Dei ſuper omnia, & contritio perfecta extra Sacramentum, & Martyrium juſtificant, ut docent Theologi in *Materia de gratia, & juſtificatione*, & conſequenter, ſi quis haberet ſolùm nudum deſiderium, vel propoſitum ſuſcipiendi Baptiſmi Sacramentum, ſine actu amoris Dei ſuper omnia, vel contritionis perfectæ, talis non haberet Baptiſmum flaminis, per quem juſtificaretur, quòd benè notandum, & inculcandum pueris in Doctrina Chriſtiana, & pœnitentibus in ſacro tribunali. Inſuper obſervandum, ſi adultus haberet ſolùm peccatum Originale, ſine perſonali, ut talis haberet Baptiſmum flaminis juſtificantem, deberet elicere amorem Dei ſuper omnia, quia de peccato originali non debemus, aut propriè poſſumus atteri, vel conteri. *Gobat cit.num.*638. Si verò adultus haberet peccatum perſonale, præter originale, tunc ut contritio ſufficiens eſſet ad delendum originale, concipienda foret de peccato perſonali: Nam, ut mox dictum, de originali non debemus, aut propriè poſſumus atteri, vel conteri. Quòd ſi habeat animam inquinatam peccato mortali, clarum eſt, attritionem de illo, ſicut non ſufficit extra Sacramentum ad delendum peccatum mortale, ita neque ſufficere ad originale delendum. Nam originale non dimittitur, niſi per infuſionem gratiæ ſanctificantis, quæ infuſio non peragitur cum ſola attritione extra Sacramentum, aut martyrium. Secùs eſt, ſi ei adjungatur Sacramentum Baptiſmi, aut Martyrium. Hanc rationem applica habenti ſolùm veniale cum originali.

§. II. *In defectu baptiſmi Fluminis ſufficit ad obtinendam, juſtificationem, & ſalutem.*

119 EST certa de fide. Patetque ex traditione Eccleſiæ, & *cap. Apoſtolicam, de Presbyt.non bapt.* eamque docet Scotus *4.diſt.4.q.6.* eſtque contra Michaelem Bajum, qui docuit, Catechumenos poſſe quidam obtinere perfectam, & ſinceram charitatem non tamen remiſſionem peccatorum ante realem ſuſceptionem Baptiſmi. Hæc propoſitio damnata eſt à S. Pio V. *inter Bajanas, ordine* 43. Ratio hujus deſumitur, *tum ex S. Scriptura*, ubi hominibus Deum ſuper omnia amantibus, aut verè pœnitentibus promittitur juſtificatio, & remiſſio peccatorum: *ut Proverb.*10. *univerſa delicta operit Charitas. Luc.* 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm: Ezech.* 18. *ſi egerit Pœnitentiam impius, vita vivet, & non morietur.* Poteſt autem homo adultus amare Deum ſuper omnia, & verè pœnitere ante ſuſceptionem Baptiſmi: ergo poteſt tunc conſequi remiſſionem peccatorum, & gratiam juſtificantem *tum ab exemplo Centurionis*, qui ante ſuſceptum Baptiſmum fuit juſtus, ut patet *Act.* 3. *tunc ex Conc.Trid.ſeſſ.6.cap.4.* ubi ait, poſt Evangelium promulgatum, neminem transferri à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto. *Tum ex hac ratione*: Quia Deus in Lege nova per Sacramentorum Inſtitutionem, viam ſalutis non coarctavit aut præcluſit hominibus, quin etiam per proprios actus, ex opere operantis juſtificari poſſent, & ſalvari, ut in Lege antiqua fiebat. Quare ſicut homo baptizatus mortaliter peccans, per actum amoris Dei ſuper omnia, vel contritionis perfectæ, & votum Sacramenti Pœnitentiæ juſtificari poteſt ante realem ejus ſuſceptionem. Sic pariter per eoſdem actus, votum Baptiſmi includentes juſtificari poterit ante realem ejus ſuſceptionem.

§. III. *Cum vero baptiſmi Fluminis explicito, & aliquando etiam implicito.*

LIcèt regulariter loquendo votum Baptiſmi debeat eſſe explicitum; tamen in aliquo caſu ſufficit etiam votum Baptiſmi *in* actu amoris Dei ſuper omnia, vel contritionis perfectæ incluſum, & non neceſſariò requiritur explicitum ſed implicitum ſufficit. Communis DD. apud *Maſtrium in 4. diſp.2. quæſt.7. artic.1. num.*172. Ratio eſt: quia Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. dicit, perfectam Contritionem (idem eſt de Amore Dei ſuper omnia) eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad gratiam, in ea autem includitur votum Baptiſmi ſaltem implicitè, quia in ea includitur propoſitum ſervandi omnia mandata, & implendi omnia ad ſalutem neceſſaria. Deinde numquid homo inſtructus in articulis neceſſitate medii credendis, & habens ignorantiam inculpabilem Baptiſmi, poteſt elicere amorem Dei ſuper omnia, & contritionem perfectam, per quos actus utique juſtificaretur, & tamen non haberet votum baptiſmi explicitum; cùm ſupponatur de hoc nihil ſcire: Ergo etiam Homo habens Baptiſmi notitiam habitualem ſi ſubitò excitaretur ad conſiderationem bonitatis Dei, & ſuorum peccatorum, & ex naturali inadvertentia, vel inconſideratione, nihil cogitans actualiter de Baptiſmo, moveretur ad dilectionem Dei ſuper omnia, vel contritionem perfectam: juſtificabitur ſine expreſſo voto Baptiſmi. 120

§. IV. *Baptiſmus Flaminis tamen non ſupplet baptiſmum Fluminis in omnibus.*

ITa communis apud *Maſtrium cit.num.*173. Nam imprimis non ſemper vices Baptiſmi fluminis ſupplet quoad pœnæ relaxionem, quamvis enim ſuppleat quoad pœnæ æternæ condonationem, non tamen quoad totius pœnæ temporalis relaxationem. Nam ſæpè amor Dei, vel contritio perfecta illius perfectionis gradum non attingit, qui mereatur totius pœnæ temporalis condonationem, cùm enim pœnæ temporalis condonatio, in quam virtute Juſtificationis commutatur æterna, fiat in amore Dei, vel contritione, per modum condignæ ſatisfactionis, quando amor Dei, vel contritio non attingit talem gradum perfectionis, ut ſit ſatisfactio adæquata pro tota pœna temporali, in quam æterna eſt commutata planè in tali caſu vicem non ſupplet Baptiſmi fluminis quoad totius pœnæ relaxationem. Deinde numquam ſupplet, imò nec ſupplere poteſt quoad Characteris impreſſionem; hic enim nonniſi à Sacramento Baptiſmi imprimitur, alioquin, qui ſolo amore Dei ſuper omnia, vel contritione perfecta ſemel foret juſtificatus non ampliùs teneretur, imò nec poſſet Sacramentum Baptiſmi ſuſcipere; cùm hoc ab habente characterem baptiſmalem ſuſcipi non poſſit, ratione cujus iterari non poteſt. Deni que quamvis amor Dei ſuper omnia, vel contritio perfecta in adulto vices Sacramenti Baptiſmi ſuppleat in gratiæ ſanctificantis collatione, non tamen eodem modo: quia Sacràmentum Baptiſmi gratiam confert ex opere operato: non ſic amor Dei, vel contritio: ſed tantùm ex opere operantis, etiamſi votum Baptiſmi includant: nullum enim Sacramentum gratiam confert ex opere operato, niſi actu, & reipſa ſuſceptum. Ex his 121

Infertur, quòd ſi quis citra mortis articulum habeat amorem Dei ſuper omnia, vel contritionem perfectam antequàm copiam habeat ſuſcipiendi Baptiſmi Sacramentum, ex tunc juſtificetur, licet poſteà teneatur Baptiſmum ſuſcipere opportuno tempore: Si verò morti proximus non poſſit, antequàm decedat, Baptiſmi Sacramentum conſequi; habeat autem dilectionem Dei, vel contritionem perfectam, ac votum ſuſcipiendi Baptiſmum ſaltem implicitum, & virtuale, per generale propoſitum adimplendi omnia, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, hic omnino in virtute talis contritionis, vel dilectionis Dei juſtificabitur, & ſalvabitur. *Maſtrius num.*174. 122

## QUÆSTIO II.

*An baptiſmus Fluminis in adultis poſſit ſuppleri per baptiſmum ſanguinis.*

SUMMARIUM.

124 *Martyrium poteſt ſupplere baptiſmum, ſi hoc non poſſit ſuſcipi.*

125 *Mar-*

Digitized by Google

125 *Martyrium confert gratiam juſtificantem, & remiſſionem omnis culpæ, & pœna.*
126 *In inſtanti determinato ante mortem.*
127 *Quid de Martyrio ante Adventum Chriſti dicendum?*
128 *Corollaria.*

## ASSERTIO II.

123 B*Aptiſmus Fluminis Adultorum, quando ſuſcipi non poteſt, ſuppleri poteſt per baptiſmum ſanguinis, ſeu martyrium, quod per ſe, & quaſi ex opere operato habet vim conferendi gratiam juſtificantem, & delendi omnia peccata, & tollendi omnem reatum pœnæ, quem effectum confert in aliquo inſtanti determinato ante mortem, ac etiam jam conferebat Martyribus ante Adventum Chriſti.* Eſt communis apud Auctores citandos.

### §. I. *Baptiſmus Fluminis adultorum, quando ſuſcipi non poteſt, ſuppleri poteſt per baptiſmum ſanguinis, ſeu Martyrium.*

124 ITa affirmant ſancti Patres paſſim, & Theologi omnes, teſte *Maſtrio in 4. diſp. 2. qu. 7. art. 2. nu.* 180. Doctores Seraphicus, Angelicus, Subtilis, & Irrefragabilis apud ipſum. Ratio hujus deſumitur ex promiſſione Chriſti, qui voluit hoc ſpeciale privilegium concedere iis, qui pro ipſo moriuntur, ut non minùs in ſanguine: quàm in aqua Baptiſmi dealbari poſſint. Nam (ut notat S. Auguſtinus *lib. 13. de civit. Dei, cap. 7.*) Qui dixit. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, etiam dixit: *omnis qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Et *qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.* S. Thomas *quæſt.* 87. *art.* 1. *ad* 2. ſic habet; *Paſſio pro Chriſto ſuſcepta obtinet vim baptiſmi, & ideò purgat ab omni culpa, & veniali, & mortali, niſi actualiter voluntatem peccato invenerit inhærentem.*

### §. II. *Martyrium per ſe, & quaſi ex opere operato, confert gratiam juſtificantem, & remiſſionem totius culpæ (ſi nimirùm ſit ſatis retractata) & pœna.*

125 ITa communiſſima, quam docet Scotus *in 4. diſt. 4. qu. 6.* quem præter Scotiſtas, paſſim ſequuntur Recentiores, *Vega, Bellarminus, Suarez, Henriquez, Valentia, Toletus, Conınch. Leſſius, Tannerus, Amicus, Averſa. Bonacina*, & alii. Ratio eſt; I. Quia ſancti Patres adſcribunt Martyrio eandem vim, & efficaciam, quam Baptiſmo, ut patet ex §. *præced.* ſignanter ex S. Auguſtino cit. ubi inter cætera ſic habet: *Quicunque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Chriſti confeſſione moriuntur, tantùm eis valet ad dimittenda peccata, quantùm, ſi abluerentur fonte baptiſmatis*; ſed Baptiſmus confert per ſe, & ex opere operato gratiam juſtificantem, remiſſionem omnis culpæ, & pœnæ; ergo etiam martyrium. II. Quia martyrium profuit Innocentibus ex opere operato; ergo idem eſt in adultis. III. Quia ut inter omnes receptum eſt, triplicis generis ſunt Baptiſmata, *Fluminis, Flaminis, & ſanguinis*, at ſi martyrium ſuam efficaciam juſtificandi homines, & delendi peccata, haberet ab actu charitatis, vel contritionis perfectæ, & non per ſe, & ex ſua virtute, baptiſmus ſanguinis non diſtingueretur à Baptiſmo fluminis; quia etiam hic totam ſuam virtutem habet ab actu charitatis, vel contritionis perfectæ: Ergo. IV. Quia *cap. cum Martha. de celebrat. Miſſa.* Innocentius III. ait: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre* (quod eſt deſumptum ex *S. Auguſtino tract.* 84. *in Joannem*, & alibi) ſi autem martyrium non deleret omnem culpam, & pœnam, eſſet indubiè pro martyre, uti pro aliis orandum, & ſacrificandum, ut à pœnis fortè reſtantibus liberaretur. Dictum eſt: *Si culpa ſit ſatis detractata*: quia ſicut quis poteſt baptizari cum affectu alicujus peccati venialis, ita poſſet cum ſimili affectu martyrizari: quo caſu ſicut nec Baptiſmus, ſic nec martyrium remitteret culpam aut pœnam iſtius venialis. Docet tamen Herinex *diſp.* 8. *de baptiſmo, qu.* 1. *n.* 22. in caſu, quo martyr moreretur abſque ſufficienti retractatione peccati venialis, illud ſimul cum pœna temporali condonari in primo ſaltem inſtanti poſt vitam, intuitu præcedentis martyrii, accedente tunc retractatione, velut conditione ſine qua non: quia Eccleſia invocat, & colit martyres ſtatim poſt mortem, nec pro illis orat, eſto in via ſæpiùs graviter, & leviter peccaverint. Ergo ſupponit omnem culpam, & pœnam vi martyrii illis eſſe remiſſam.

### §. III. *Martyrium confert ſuum effectum in aliquo inſtanti determinato ante mortem.*

NImirùm, quando homini jam ſunt lethalia vulnera 126
inflicta, ut dicatur conſtitutus in articulo mortis naturaliter jam inevitabilis: quia nimirùm tunc martyrium, licèt non totaliter conſummatum, tamen coram Deo habetur pro completo; nam quando martyr lethalia vulnera recipit, dicitur *mortuus in cauſa*, & ſecundùm naturæ ordinem debet mori, non ob aliam cauſam, niſi quia talia vulnera eſt paſſus: unde congruum eſt, ut eo tempore martyrii effectum conſequatur. Ita Vega, Valentia, Suarez, Amicus, Averſa, Henriquez, Coninch. Bonacina, & alii recentiores, eoſque citans Maſtrius *in 4. diſp. 2. qu. 7. num.* 193 & hoc idem ſupponit *Doctor noſter Subtilis in 4. diſt. 4. qu. 6.* cùm inquit: quòd ſi Baptizatus Baptiſmo ſanguinis ſuperviveret, teneretur ſuſcipere Baptiſmum fluminis, in quo caſu etiam ſupponit, hujuſmodi hominem martyrii coronam non amiſſurum, quod colligitur ex ſenſu Eccleſiæ, feſtum Sancti Joannis Evangeliſtæ celebrantis ſub ritu martyris, qui in ferventis olei balneo immerſus, à morte præſervatus fuit, ac etiam Divinæ providentiæ valdè conſentaneum, quòd Deus in tali caſu, eum in gratia confirmaret, quem miraculosè detinet, ne gloriam conſequatur, quam infallibiliter hic, & nunc conſecuturus erat: confirmaret, inquam, illum in gratia pro toto tempore ſequenti vitæ ſuæ; ne detrimentum patiatur ex incolumitate ſibi miraculose conſervata, vel reddita; dum ipſe alacriter ſe expoſuerat morti pro Chriſto. Quòd diximus hic de martyrio adultorum, etiam dicendum eſt de martyrio infantium.

### §. IV. *Martyrium contulit prædictum ſuum effectum, etiam Martyribus ante Adventum Chriſti Domini.*

ITa docent Suarez, Amicus, Maſtrius, Herinex *citat.* 127
*num.* 23. & alii contra nonnullos. Patet ex Machabæis qui tanquam martyres ab Eccleſia coluntur. Unde Nazianzenus *orat. 20. quæ eſt de Machabæis*, docet: illos in fide conſecutos eſſe juſtitiam, & effectos eſſe nive candidiores. Conſentit etiam Tertullianus, quem refert, & ſequitur Henriquez *libr. 2. capit. 36. numer.* 1. Quod ulteriùs patet exemplo martyrum Innocentium, & S. Joannis Baptiſtæ. Quidni ergo martyrium etiam ſuum effectum habuerit ante Adventum Chriſti, imò ab initio mundi? Siquidem cauſa, cur prædictus effectus, ſeu privilegium conferendi gratiam, & delendi omnem culpam, & pœnam, fuerit martyrio conceſſum, hæc eſt, quòd martyrium ſit perfecta, & realis configuratio cum morte, & Paſſione Chriſti; ſed hæc cauſa non requirebat mortem, & paſſionem Chriſti actu exhibitam, ut Deum moveret ad concedendum hunc effectum, & privilegium martyrio, ſed ſat erat eſſe prævıſam, ut futuram, ut conſtat de martyrio Joannis Baptiſtæ, quod Chriſti mortem, & paſſionem præceſſit: ita diſcurrit *Suarez. cum Amico*, qui addit: omninò decens fuiſſe, ad honorandam Paſſionem, & mortem Chriſti, ut ipſius intuitu adhuc futuræ Deus hunc martyrii effectum, & privilegium concederet omnibus, qui ſaltem propter implicitam ejus fidem, morte patienter tolerata realiter ſe conformaturi eſſent cum futura morte, & paſſione ejuſdem. Attamen Chriſto, necdum paſſo, etiamſi nato, & prædicante martyres non fuiſſent ſtatim Cœlum ingreſſi; cùm cœli janua necdum pateret. Ex his ſequuntur quædam

## COROLLARIA.

PRimum eſt: Quòd martyrium, licèt ex propria effica- 128
cia, & opere quaſi operato, moraliter tamen, & non phyſicè, conferat ſuum effectum, ſicut Sacramenta: proptereà tamen non ſit Sacramentum. Quia Sacramentum eſt actio quædam ſacra, ac ſancta ad cultum Dei ordinata, à Chriſto inſtituta, & à Miniſtris ad hoc ordinatis miniſtranda; martyrium verò, cùm ex impietate Tyrannorum proveniat, nedùm ſacra actio non eſt, ſed potiùs eſt actio impia, ſacrilega, & à miniſtris Diaboli perfecta. Hoc inſuper fatemur, ſi unus Martyr eliciat intenſiores actus charitatis, cæterarumve virtutum, ex opere operantis majorem utique gratiam, & gloriam conſecuturum eſſe. *Secundum eſt*: quòd martyrium non ſuppleat Baptiſmi Sacramentum in omnibus, quia martyrium non imprimit Characterem Baptiſmalem, quod patet ex eo, ſiquidem ſi martyr ſupervivat, tenetur ad Baptiſmi Sacramentum reipſa ſuſcipiendum; non teneretur autem, imò non poſſet

Sacra-

Digitized by Google

Sacramentum Baptiſmi ſuſcipere, ſi jam haberet characterem baptiſmalem: Cùm illud ab habente characterem baptiſmalem ſuſcipi non poſſit, ratione cujus iterari non poteſt. *Tertium* eſt, quòd adultus ſuſtinens martyrium, ex *Scoto 4.d.4.q.6.* teneatur habere votum Baptiſmi fluminis, ſi hujus recordetur, quia per martyrium ab obſervantia Legis ſuſcipiendi Baptiſmi Sacramentum non eximitur, nec à voluntate ſervandi eam: unde, inquit Scotus, quòd, ſi martyr ſupervivat, teneatur ad Baptiſmum in re ſuſcipiendum, quia non eſt exemptus ab obſervantia Legis Divinæ; ſi verò non recordetur, in tali caſu ſolùm martyrium ſufficit, & votum Baptiſmi implicitum, & virtuale.

## QUÆSTIO III.

*Quæ conditiones, & diſpoſitiones requirantur ad baptiſmum ſanguinis, ſeu martyrium in adultis.*

### SUMMARIUM.

130 *Prima ad martyrium requiſita conditio eſt vera Catholica fides.*
131 *Secunda eſt pia voluntas tolerandi mortem pro Chriſto.*
132 *Tertia eſt mors illata. 133. In odium Dei, vel virtutis. 134. Modo violento. 135. Homini non reſiſtenti.*
136 *Quarta eſt dolor ſupernaturalis de peccatis.*
137 *An martyrium ſit de præcepto, & an liceat ei ſe ſine juſta cauſa ingerere.*

### ASSERTIO III.

129 *AD martyrium in adultis requiruntur quatuor conditiones. Prima eſt vera fides. Secunda eſt pia intentio tolerandi mortem pro Deo. Tertia eſt, ut homini non reſiſtenti mors violenter inferatur, vel ſaltem lethalia vulnera in odium Dei, vel Religionis Chriſtianæ, vel alicujus virtutis. Quarta eſt, ut, ſi homo ſit in peccato mortali, eliciat attritionem ſupernaturalem de ſuo peccato.* Ita communis apud Maſtrium, Herinex, Gobat, & alios.

### §. I. *Prima conditio ad verum martyrium, & ejus effectum requiſita, in adultis, ex parte intellectus, eſt vera Catholica fides.*

130 ESt certa. Patet ex S. Auguſtino *l.1. de bapt. c.15.* & deducitur, tum ex generali doctrina de neceſſitate fidei, quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, Heb. 11.* Tum ex conditione ipſa martyrii, de cujus ratione eſt, ut moriatur homo pro vera fide, nimirùm fide Divina, & infuſa, qualis non eſt, niſi fides Catholica. Quare ſi infidelis, vel Hæreticus occidatur, etiam pro defenſione, & confeſſione alicujus articuli veri, quem credit, non propterea eſt martyr, nec gratiam martyrii conſequitur. Sufficit autem mortem ſubiri, vel in defenſionem veritatis noſtræ fidei, vel etiam aliarum virtutum, quatenùs in Deum referuntur, & ſunt veritatis noſtræ fidei proteſtativæ, nam generaliter loquendo, omnia virtutum opera, ſecundùm quod referuntur ad Deum, ſunt quædam fidei proteſtationes. Quicunque enim vult potiùs morti ſe exponere, quàm aliquo peccato Deum offendere, vel ab actu virtutis tunc exercendæ deſiſtere, jam ipſo facto proteſtatur, tantum eſſe debere obſequium creaturæ in Deum, ut omnibus aliis ſpretis, etiam propriæ vitæ præferri debeat: unde omnium virtutum opera poſſunt eſſe cauſa martyrii: & ſic S. Joannes Baptiſta fuit verè martyr, quia in odium virtutis, & veritatis, quam liberè, & impavidè prædicabat, fuit ab Herode occiſus: ut notat Averſa *quæſt.70.ſect.6.* ex D. Thom. *2.2.q.124.art.3.* apud Maſtrium *in 4.d.2.q.7.n. 196.* Sic ab Eccleſia tanquam veri martyres coluntur S. Thomas Cantuarienſis Epiſcopus occiſus pro libertatis Eccleſiaſticæ defenſione; multæ ſanctæ Virgines interemptæ pro cuſtodia caſtitatis; Machabæi interfecti pro obſervatione Legis Judaicæ. Herinex *diſt.8. de bapt. q.1. num.4.* At quid ſi quis ex errore invincibili credat, illud opus, ob quod obtruncatur eſſe præceptum à Deo, cum tamen ſit vetitum, an erit appellandus martyr? Reſpondet Raynaudus, apud Gobat *tr.2. de bapt. caſu 18.n.607.* Affirmativè, eò quod talis mortem ſubeat idcircò, quod nolit agere contra conſcientiam invincibiliter errantem.

### §. II. *Secunda conditio, ex parte voluntatis requiſita, eſt pia intentio, ſeu voluntas tolerandi mortem pro Deo.*

131 COmmuniſſima Theologorum apud Maſtrium *c.n.197.* Herinex *c. nu. 9.* & alios. Ratio eſt, quia Deus non ſalvat adultos nolentes, ſed volentes, & ut inquit D. Auguſtinus, non ſalvat nos *ſine nobis*, hoc eſt, ſine noſtro conſenſu, & voluntate. Deinde quia ſicut in adulto requiritur ad minùs intentio ſuſcipiendi baptiſmum, ut Sacramentum ſit validum: ita etiam requiritur in adulto intentio, & voluntas in ſuſcepturo martyrium. Hæc autem intentio, & voluntas debet eſſe *pia*, hoc eſt, *honeſta, & ex motivo ſupernaturali*. nam ſi fiat propter vanam gloriam vel aliud humanum motivum; non meretur illa mors martyrii nomen, quia talis actus neque eſt actus virtutis, neque fortitudinis, nec Religionis, aut alterius virtutis. Quòd etiam eſſe debeat ex ſupernaturali motivo, ex eiſdem deducitur principiis; nam aliàs homo ille non pateretur, ut Chriſtianus, ſed ut Philoſophus, & conſequenter non pateretur, aut moreretur pro Chriſto, aut defenſione fidei & Religionis Chriſtianæ. Denique ſufficit, ut hæc voluntas ſit antecedens, & non retractata: Unde qui ſemel habuit voluntatem ſubeundi mortem pro Chriſto, & numquam illam retractavit, ſi in ſomno propter Chriſtum occidatur, vel in odium fidei, ſi careat peccato mortali, vel ante ſomnum de eo ſaltem attritionem habuerit, conſequitur effectum martyrii, ſicut etiam effectum Baptiſmi conſequeretur; & ratio eſt, quia præcedens voluntas non retractata moraliter perſeverare cenſetur, & actus attritionis præcedens, tollit obicem effectus martyrii. E contra verò, qui nunquam habuit voluntatem moriendi pro Chriſto, ſi in ſomno pro Chriſto occidatur, etiamſi juſtus ſit, non conſequitur effectum martyrii, nec per talem mortem gratiæ augmentum acquirit.

### §. III. *Tertia conditio martyrii eſt mors illata.*

1.° ITaque ad completiſſimum, & ſecuriſſimum genus 132
martyrii, requiritur, ut *mors re ipſa ſequatur*; ſufficit tamen etiam, quòd cauſa ſufficiens mortis ſit poſita ex qua naturaliter ipſa conſequeretur, niſi divinitùs impediretur; prout impedita eſt in tribus pueris in fornace Babylonica, in S. Joanne Evangeliſta miſſo in ferventis Olei dolium: Omnes enim ejuſmodi ab Eccleſia inter martyres enumerantur, & acceptatio illa mortis eſt, tam efficax teſtimonium fidei, ac ſi reipſa mors ſubſequeretur. Unde indubiè Laureolam martyrii conſequentur, quia Deus eos confirmabit in gratia uſque ad mortem, ne detrimentum patiantur ex vita ſibi miraculosè conſervata, ut dictum *q. præced. §.3.n.126.*

II. *Mors debet eſſe illata in odium Dei, Chriſti, vel Re-* 133
*ligionis Chriſtianæ, vel ob aliquam virtutem.* Ita communiter Theologi cum S. Auguſtino *Conc.2. in Pſal.34.* dicente: *martyrem non pœna, ſed cauſa facit; Pœna enim communis eſt latroni, & martyri; hæretico, & Catholico, ſed cauſa diſpar.* Ratio eſt, quia martyrium eſt teſtimonium Deo, ſive Chriſto datum per mortem pro ea toleratam; non cenſetur autem per illam teſtimonium Deo datum eſſe, niſi ob prædictas cauſas mors ſit illata. Unde S. P. N. Franciſcus à Chriſto vulnera recipiens, quantumvis fuiſſent lethalia, non fuiſſet propriè martyr, quia non in odium Dei fuere impreſſa; ſimiliter nec bonus latro fuit martyr; ut ſupponit etiam S. Auguſtinus *l.4. de bapt. c.22.* quia non in odium Chriſti fuit occiſus. Dictum eſt; *Vel ob aliquam virtutem*, quia juxta dicta §. 1. hujus quæſtionis, omnium virtutum opera poſſunt eſſe cauſa martyrii. Sic B. Joannes Nepomucenus eſt verus martyr, quia Pragæ in Moldavam projectus, & ſubmerſus eſt ob ſancte ſervatum ſigillum Sacramentale. Sciendum autem, quòd ſi quis ob prædictas cauſas occidatur, verè ſit martyr, etiamſi Tyrannus alios falſos prætextus fingat. Nam etiam Judæi alia prætexebant contra Chriſtum, nempe, quòd peccaſſet in legem Moyſi &c. ideòque illum velut malefactorem occidiſſe volebant videri; & tamen martyr erat, imo Dux, & Princeps martyrum. Similiter in primitiva Eccleſia, interdum occidebantur martyres, verè quidem pro Chriſto, tamen ſub prætextu perverſionis Reipublicæ. Pari modo ſolent in Anglia, & interdum in Belgio ſolebant Hæretici prætexere cauſam Status, verè tamen intendentes perſecutionem, & everſionem Catholiciſmi, à quo recedens facilè libertate donatur.

III. *Mors debet eſſe violenter illata:* quamvis enim ali- 134
quis pro Dei gloria, & proximorum ſalute moreretur morte naturali, non tamen propterea propriè martyr cenſendus foret. Quare imprimis martyres ſolo deſiderio, non ſunt propriè martyres, etiamſi ex vehementi deſiderio, & Dei amore morerentur. Deinde nec morientes morte naturali ex cauſa pia, v. g. vitam ponentes pro Chriſto in ſervitio peſtiferorum, ſunt propriè martyres, etſi minùs propriè ſic appellentur in Martyrologio Romano, *ad diem 28. Februarii*: ubi recitatur *Commemoratio Sanctorum Præsbyterorum, Diacono-*

Digitized by Google

*tonorum, & aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imperatoris, cùm peſtis ſæviſſima graſſaretur Alexandriæ, morbo laborantibus miniſtrantes, libentiſſimè mortem oppetiere, quos, velut martyres, Religioſa piorum fides venerari conſuevit*, ubi notat Iv *velut martyres*. Ergo non tanquàm propriè martyres ab Eccleſia coluntur: licèt ita mortem oppetere ſit opus Heroicum affine martyrio, etſi non propriè habens rem, & privilegium martyrii. *Herincx d.8. de bapt.q.1.n.3.*

135 IV. Denique *mors debet eſſe illata non repugnanti*. Communis apud *Herincx c.n.7.* Ratio eſt, quia reſiſtens, ſeu repugnans non cenſetur mori tanquam teſtis Chriſti, ſed tanquam miles ab hoſte victus. Item, quia martyr in patiendo debet conformari Chriſto patienti, cùm Chriſti paſſio ſit exemplar martyrii; Atqui Chriſtus dedit teſtimonium veritati, patiendo abſque repugnantia; Nam cùm pateretur, non comminabatur, ſed tanquam ovis coram tondente ſe obmutuit: ergo ſimiliter martyr non debet repugnare. Et hinc commune dictum: *Martyr non pugnat*. Unde milites etiam in bello fidei occumbentes, etſi plurimum mereantur, ſi recto fine, & modo bellum gerant, nunquam ab Eccleſia ſunt pro martyribus habiti. Eſſent nihilominùs martyres, ſi jam victi, nec reſiſtentes occiderentur odio Religionis. Deinde non obſtaret martyrio, quòd martyr fuga mortem declinare ſtuderet; imò, quòd etiam reniteretur, ſeu ictum v. g. gladii impedire conaretur, dummodò ſine conatu inferendi alteri malum.

§. IV. *Quarta conditio eſt attritio ſupernaturalis, requiſita in peccatore.*

136 UT martyrium conferat ſuum effectum homini, qui eſt in peccato mortali, requiritur in eodem dolor ſupernaturalis de peccatis commiſſis. Communiſſima apud Maſtrium *c.n.* 198. Ratio eſt: quia nihil magis, & frequentiùs in S. Scriptura inculcatur, quàm hic dolor de peccatis commiſſis ad veniam impetrandam. Unde Conc. Trid. *ſeſſ.14.c.4.* definit, hunc dolorem quovis tempore fuiſſe neceſſarium ad impetrandam peccatorum veniam, & conſtat à paritate Sacramenti Baptiſmi, & pœnitentiæ, quæ quamvis per ſe primò ſint inſtituta ad remittenda peccata, & primam gratiam conferendam ex opere operato, ad hoc tamen requirunt de peccatis commiſſis aliquem dolorem ſupernaturalem: ut de pœnitentia definit idem Concilium *loc. c. & de bapt. ſeſſ.6.c.6.* Ergo à fortiori martyrium hunc quoque dolorem requiret, quod non eſt primò, & per ſe inſtitutum ad delenda peccata, ſed hoc habet ex adjuncto privilegio. Unde qui habet alicujus peccati mortalis complacentiam, etſi martyrium patiatur, nullam conſequitur veniam. Quòd autem non neceſſariò requiratur contritio perfecta, ſed ſufficiat attritio ſupernaturalis, & in aliquo caſu etiam ſola voluntas efficax ſubeundi mortem pro Chriſto, docet P. Patritius Sporer *Theol. Sacr.p.3.c.2.ſect.1.n.161. & ſeq.* quem, quæſo, vide.

137 His igitur quatuor conditionibus poſitis, erit verè, & perfectum martyrium, atque conferet martyri infallibiliter ſuum effectum, videlicet gratiam ſanctificantem, remiſſionem omnis culpæ, & pœnæ: ac inſuper ſpecialem *Laureolam*, ſeu; ut cum S.Tho. loquuntur communiùs Theologi, *Aureolam*. Ubi notandum, martyrium raro eſſe in præcepto; Cum rarò occurat tam gravis neceſſitas, ob quàm ita teneamur ſubire Martyrium, ut illud non liceat fuga declinare. *Herincx c. n.15.* Addens *n. 16.* Non licere citra juſtam cauſam v. g. ſalutis proximi, in functionibus miſſionis, profectus fidei, & honoris Divini &c. aut Divinum inſtinctum ſe morti ingerere: id enim eſſet Deum tentare, vel periculum caſus quærere abſque ſufficienti ſecuritate de conſtantia. Nec mens martyris eſſe debet, provocare Tyrannum ad actum malum, ſed profiteri fidem: etiam expreſſè proteſtando, ſe ex ſua parte paſſionem expetere (in qua eſſentialiter conſiſtit martyrium, etſi actio Tyranni tanquam conditio neceſſaria concurrat) nec obſtante paſſione, velle ſe, à fide, aut virtute declinare, quin potiùs illam effuſo ſanguine confirmare.

## QUÆSTIO IV.

*Utrùm per baptiſmum ſanguinis, ſeu martyrium, poſſint etiam Infantes ſalvari abſque baptiſmo Fluminis, ſeu aqua?*

### SUMMARIUM.

139 *Infantes ſunt martyrii capaces.*
140 *Quid requiratur ad martyrium infantium.*
141 *Martyrium prodeſt infantibus ad ſalutem ſine baptiſmo aqua.*
142 *Infantes in utero Matris occiſi in odium Chriſti ſunt veri martyres, & ſalvantur.*
143 *An baptiſmus Infantium alio adhuc modo, præter martyrium ſuppleri poſſit?*

### ASSERTIO IV.

*INfantes ſunt capaces baptiſmi ſanguinis, ſeu martyrii,* 138
*quod in eis præcisè requirit mortem in odium Dei, vel Chriſti, violenter illatam; eiſdemque prodeſt ad ſalutem ſine baptiſmo Fluminis, ſeu aqua, etiam, quando in Utero Matris, in odium Dei, vel Chriſti occiduntur.* Eſt communiſſima DD. citandorum.

§. I. *Infantes ſunt capaces martyrii.*

HÆc eſt ſententia Doctoris Angelici *2.2.q.124.a.1.ad 1.* 139
Doctoris Subtilis *in 4.d.4.q.3.* Richardi, Gabrielis, Soti, Cajetani, Maſtrii, Herincx &c. eſtque adeò certa juxta Suar. *diſp.29.ſect.1.* ut ſine temeritate negari non poſſit. Probatur autem ex traditione Eccleſiæ, & Sanctorum Innocentium exemplo, quos Eccleſia tanquam martyres colit, & paſſim à Sanctis Patribus pro martyribus habentur, unde inquit S. Auguſtinus *l.3. de lib. arbitr. c.23. Non fruſtra infantes illos, qui ab Harode occiſi ſunt, in honorem martyrum receptos commendat Eccleſia*, & ita eos appellant SS. Chryſoſtomus, Cyprianus, Bernardus, Hilarius, Hieronymus, Beda, & alii Patres, quorum verba paſſim referunt recentiores, & argumenta in contrarium ſubtiliter diſſolvit Maſtrius Scotiſta Nobilis, quem, ſi placet, vide *in 4.d.2.q.7. art.4.*

§. II. *Martyrium Infantium*

PRæcisè requirit, ut eiſdem mors violenter inferatur in 140
odium Dei, vel Chriſti, vel Chriſtianæ Religionis, ob eaſdem rationes ob quas in martyrio adultorum, *q. præced. §. 3.* hanc conditionem requiſivimus. Reliquæ verò conditiones, nimirùm vera Catholica fides in martyre; pia intentio tolerandi mortem pro Chriſto; item dolor ſupernaturalis de peccatis commiſſis, & ut martyr non reſiſtat, non requiruntur in infantibus; ſiquidem non ſint rationis compotes, adeòque nec credere, nec piam intentionem tolerandi mortem pro Chriſto elicere, nec peccare, aut de peccatis dolorem elicere, ut voluntariè, & moraliter repugnare poſſint; *Herincx cit. q.1.n.10.* Quia in infantibus requiritur ſolùm Teſtimonium materiale, ſiquidem Præconium Dei non loquendo, ſed moriendo confiteantur, ut de martyribus Innocentibus canit Eccleſia. Chriſtus namque mortem parvulis illatam ſui cauſa compenſat, benigniſſimè ſupplendo actualis illorum voluntaris defectum, ſicut in Baptiſmo. Unde Doctor Noſter Seraphicus S. Bonaventura *4. diſt. 4. p.2. in Expoſ. textus, diſt. 4.* ait: *Hoc dico, quia qui propter hoc ſolùm occiſus eſt à perſecutore, cùm portaretur ad baptiſmum, ne baptizaretur, moritur pro baptiſmo: ideò in ſanguine ſuo piè creditur baptizatus.*

§. III. *Martyrium prodeſt infantibus ad ſalutem ſine baptiſmo aqua.*

COmmunis DD. Ratio eſt. 1. Quia verum martyrium 141
ſufficiens eſt ad ſalutem ſine baptiſmo aquæ, ut conſtat ex dictis ſuprà: atqui infantium martyrium eſt verum martyrium ex mox dictis; Cùm Eccleſia eodem modo inter martyres numeret quoslibet infantes, qui in Lege gratiæ pro Chriſtiana Religione mortui ſunt, ut conſtat ex omnibus hiſtoriis Eccleſiaſticis; & ex modo loquendi SS. Patrum teſte Suar. cit. Ergo martyrium prodeſt infantibus ad ſalutem ſine Baptiſmo aquæ. 2. Quia *Marci* 8. dicitur. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, & Evangelium, ſalvam faciet eam.* Quæ ſententia generalis locum etiam habet in parvulis: cùm & ipſi cenſeantur perdere animam ſuam propter Chriſtum, quando in ejus odium occiduntur. Unde martyrium ſupplet in parvulis locum Baptiſmi, idque efficaciori modo: majorem ſcilicet gratiam tribuendo, juſtificantem à peccato originali, quia, qui martyrizantur, reipſa commoriuntur Chriſto, qui autem baptizantur, tantùm in figura, ut tradit Clemens Romanus *lib.5. conſt. Apoſt. cap.5.*

§. IV. *Infantes in utero Matris occiſi in odium Chriſti ſunt veri martyres, & ſalvantur.*

ITa expreſſè Scotus *4.d.4.qu.3.* Herincx, Maſtrius, &c. 142
cum communi, idque ſatis certum eſt, ſi Tyrannus intendat eos occidere, quia tunc nihil deeſt ipſorum martyrio, quin ſit verum, & perfectum, adeòque juſtificet eos

à pec-

à peccato originali, & conferat grariam habitualem ſanctificantem. Unde differentia eſt inter baptiſmum, & martyrium, quòd licèt ille nequear conferri parvulo in utero Matris, eò quòd ad illum aqua non poſſit pertingere; poſſit tamen pati ibi exiſtens martyrium, ſicut poteſt occidi in odium Chriſti. Quod verum eſt, etſi Mater non occideretur ſimul, ut ſi miniſtri Herodis infantem, data Matri gravidæ potione, occidiſſent, ſalvata Matre. Sed ſi parvulum Tyrannus occidere non intendat, v. gr. neſciens Matrem eſſe gravidam, quam in odium Chriſti occidit, incertum eſt. Negat *Præpoſitus quæſt. 68. art. 3. dub. 6.* Affirmat probabiliter *Gabriel, & Coninch.* & alii apud Herincx *cit. num. 29.* quia etiam in tali caſu occiditur propter Chriſtum, ſeu animam ſuam perdit cauſa Chriſti: plaga enim, ex qua moritur, ea odio Chriſti infertur, etſi mors parvuli non intendatur.

Petes: *An baptiſmus infantium, alio adhuc modo præter martyrium ſuppleri poſſit?*

143 Reſp. Cajetanus *3. part. quæſt. 68. artic. 2. & 11.* dixit, in neceſſitate poſſe ſuppleri adhuc per fidem parentum infantibus applicatam per ſignum Crucis cum invocatione Trinitatis, & hoc etiam modo ſuccurri poſſe infantibus in utero Matris exiſtentibus. Communis tamen ſententia tam SS. Patrum, quàm Conciliorum, & Scholaſticorum docet, excepto martyrio, non dari aliud remedium pro parvulis ſupplens vicem baptiſmi in caſu impotentiæ; adeò, ut Cajetani opinio, *teſte Maſtrio in 4. diſp. 2. qu. 7. num.* 214. omiſſa ſit juſſu S. Pii V. in commentariis Romæ impreſſis, & facilè deducitur ex iis, quæ in Sacra Scriptura habentur de neceſſitate baptiſmi. *Joann. 3. Niſi quis renatus fuerit &c.* quæ eſt regula generalis quoad omnes, quibus baptiſmus in re, vel in voto, aut certè æquivalens, aut baptiſmus ſanguinis, aut flaminis applicari nequit, eamque perpetuò ſupponit S. Auguſtinus contra Pelagianos, & præſertim de bono perſeverantiæ c. 12. oſtendit, hoc votum, & deſiderium, & fidem Parentum nihil prodeſſe parvulis. Et denique Concil. Trid. *ſeſſ. 5. can. 3.* docet, excepto caſu martyrii, non poſſe parvulis ſubveniri, niſi per meritum Chriſti, applicatum per baptiſmum, & idem habet *ſeſſ. 6. c. 4.*

## A P P E N D I X

### *De Benedictionibus, & Exorciſmis.*

### S U M M A R I U M.

144 *Quid, & quotuplex ſit benedictio.*
145 *Benedictio perſonarum, & rerum.* 146. *Conſtitutiva, & invocativa.* 547. *Cum Sacra unctione, & ſine ea, & ſeqq.*
149 *Quid poſſint benedicere Epiſcopi, Presbyteri &c.*
150 *Quid dicendum de rebus benedictis.*
551 & 152 *Quid ſit Exorciſmus?* 153. *Quæ obſervanda ſint Exorciſtæ?* 154. *Quid circa reliquias advertendum?*

### §. I. *Benedictiones.*

144 I. QUemadmodùm *maledicere* eſt alicui malum imprecari, ita *benedicere* eſt alicui bonum precari, videlicet à Deo omnis boni largitore, eſt autem duplex benedictio, *privata, & publica. Privata* dicitur, quæ à quolibet fideli utriuſque ſexus erga alterum fieri poteſt. Hæc benedictio privata maximè fit per ſignum Crucis, nam ait S. Hieronymus *ad Euſtochium* de *cuſtodia Virginitatis: Ad omnem actum, ad omnem inceſſum manus pingat Crucem. Publica* Benedictio eſt formula Orationum à miniſtris Eccleſiæ, ex ejuſdem inſtitutione, ſuper perſonis, & aliis rebus ſenſibilibus pronunciari ſolita, ad impetrandum hominibus à Deo beneficia; quamvis per tales benedictiones non cauſentur beneficia Dei, & effectus ex opere operato, & infallibiliter: cùm nulla de hoc extet ſpecialis Dei promiſſio: tamen, quia ejuſmodi Orationes fiunt nomine Eccleſiæ: quæ ſemper Deo grata, & accepta eſt, piè credendum eſt: imò pro certo habendum (*ait Layman libr. 5. tract. 9. cap. 13. num. 3.*) ejuſmodi Eccleſiæ benedictionibus, atque rebus benedictis, magnam vim ineſſe, ad conciliandum hominibus per Miſericordiam Dei, bonos Divinæ Gratiæ motus, quibus à peccatis mundentur, virtutibus augeantur, dæmonum infeſtatione liberentur, à corporalibus quoque periculis cuſtodiantur, vel eripiantur; non quòd ejuſmodi effectus ſemper certi, & infallibiles ſint: ſed ſicuti Deo Optimo loco, & tempore, expedire viſum fuerit. Qua de re legi poteſt Suarez *par. 3. tom. 3. diſp. 15. ſect. 4.* Ægidius, Coninch. *3. par. quæſt. 72. art. 5. dub. 1. concl. 2.* Benedictionum, tum privatarum, tum publicarum, legitimus ritus confirmari poteſt, tum ex perpetua Eccleſiæ praxi, quæ haud dubiè ab Apoſtolorum inſtitutione ſumpſit initium: tum ex facto Chriſti, panes ante multiplicationem benedicentis, *Matth. 14. & Luc. 9.* Tum ex verbis S. Pauli: *1. Tim. 4. Omnis Creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; Sanctificatur enim per verbum Dei, & Orationem.*

145 II. Benedictiones publicæ aliæ ſunt *Perſonarum*, v. g. Abbatum, Virginum, Viduarum, Sponſorum, item benedictio ſuper populum; Aliæ ſunt *Rerum*, puta, aquæ, vini, olei, domus, navis, veſtium, & vaſorum Altaris, Eccleſiæ &c. inter quas benedictiones eſt hæc differentia. 1. Quòd res inanimatæ, verbi gratia Eccleſia, Altare &c. poſt benedictionem, ſeu conſecrationem, in certis caſibus exeerari poſſint, vel pollui; ut nova conſecratione, vel reconciliatione opus ſit: non ita verò Perſonæ conſecratæ, quare *fortior eſt*, inquit Panormitanus *in 1. cap. de Conſecr. Eccleſ. vel Altar. Conſecratio rei animatæ, quàm inanimatæ.* 2. Quòd conſecratio rerum inanimatarum omnibus diebus etiam non feſtis fieri poſſit ex *cap. 2. Exod. tit.* Non item conſecratio perſonarum. Nam Virginum conſecratio (extra mortis periculum) fieri debet ſolùm in feſtis ſolemnioribus, *c. Devotis, 20. q. 1.* itemque Dominicis diebus *cap. 1. de Temp. Ordin.* idem de benedictione Abbatum, docet Abbas apud Layman *c. n. 4.*

146 III. Iterum benedictiones aliæ ſunt *Conſtitutivæ*, quibus res Sacræ conſtituuntur, ut ad uſum profanum ſine irreverentia applicari non poſſint; Cujuſmodi eſt benedictio Aquæ, Olei, Veſtium, Eccleſiæ, Altaris, & Vaſorum conſecratio. Aliæ autem ſunt benedictiones *Invocativæ* tantùm, quibus res Sacræ non conſtituuntur, neque ab uſibus profanis ſecernuntur, ſed adhibentur tantùm ad invocandum ſpeciale Dei auxilium circa præſentiam, vel uſum talium rerum. Quomodo benedici ſolent cibi, domus, navis, & fortaſſe etiam Candelæ, quas fideles ad Altare afferunt, & poſteà recipiunt, ut ad uſus etiam profanos adhibere poſſint. Layman l. c. Denique

547 IV. Benedictiones aliquæ fiunt *cum Sacra unctione*, ut Conſecratio Eccleſiæ, Altaris, Calicis, Patenæ, Agni, Cerei, &c. Aliæ autem *Verbales* ſunt, & ſine unctione, ut Aquæ, Salis, Veſtium &c.

### §. II. *Benedicens, res benedicta.*

548 I. PUblica benedictio eſt actus miniſterii Eccleſiaſtici, per Eccleſiæ inſtitutionem Sacris Ordinibus annexus. Nam imprimis Cereos Agnos Dei ſolus Summus Pontifex conſecrare ſolet pridie Dominicæ in Albis. Reliquæ autem Conſecrationes cum Sacro Chriſmate fieri ſolitæ, puta; Eccleſiæ, Altaris, Calicis, Patenæ, & Campanarum ſunt ſolis Epiſcopis propriæ. Communis apud Layman *citat numer. 7. Reiffenſtuel in ſuo Jure Canonico, libr. 3. tit. 40. de conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris*, & alios, quamvis aliqui Abbates, benedicendi, & conſecrandi aliqua ex his privilegium habeant, vel ex immemorabili conſuetudine facultatem præſcripſerint. Similiter benedictio paramentorum ad Miſſam pertinentium, verb. gr. Corporalis, Purificatorii, Pallæ, Amictus, Albæ, Cinguli, Manipuli, Stolæ, Caſulæ &c. de Jure communi ad ſolum Epiſcopum pertinet. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. Allegat. 27. num. 42.* Engel, Sylveſter, Rodriquez, & communis apud Reiffenſtuel *cit. numer.* 49. Ex privilegio tamen *Innocentii VIII.* poſſunt noſtri Superiores Generales, Provinciales, Guardiani, Cuſtodes, & in abſentia Guardianorum Vicarii, aliique ſubſtituti Superiores pro tempore exiſtentes Omnia Ornamenta, & Paramenta Eccleſiaſtica, v. gr. Corporalia, Pallas, Caſulas &c. & alia quæcumque ad Cultum Divinum pertinentia, *in quibus Chriſma non intervenit*, pro ſuis, & alienis Eccleſiis benedicere ſolemniter, etiam hodie adhuc, ut docet noſter *Reiffenſtuel cit. à num.* 50. non obſtantibus Decretis S. Congregationis, quia omninò non autem ſolùm privilegiis benedicendi paramenta in genere conceſſis derogant. Idem docent Rodriquez *tom. 1. qq. regul. quæſt. 19. artic. 2.* Pellizarius, Miranda, Lauret. de Franch. apud Reiffenſtuel citat. Vide etiam Sporer *Theolog. Sacrament. part. 2. capit. 6. numer.* 451. Similiter noſtri Ordinis Seraphici Superiores, Generales, Provinciales, Cuſtodes, Guardiani poſſunt vi privilegii à Leone X. conceſſi, reconciliare Eccleſias ſibi ſubjectas, quomodocumque violatas (etiam priùs conſecratas) & quidem Aqua per ipſosmet benedicta, quando Epiſcopus diſtat duabus dietis (una dieta continet viginti milliaria Italica, juxta Gloſſam *in cap. Nonnulli, 28. de Reſcript. Verſ. ultra duas dietas, argum. libr. 3. de V. S.* quæ quatuor, vel quinque circiter Germanica efficiunt) ſi verò duabus dietis non diſtat,

Digitized by Google

ſtat, Aqua per Epiſcopum benedicta, prout videre eſt in compendio noſtrorum *privilegiorum v. Benedicere*, atque notat Rodriquez, Barboſa, Engel, Sannig. & alii apud Reiffenſtuel *cit. num. 27.* Addit Rodriquez, quem ſequitur Barboſa, & alii, poſſe nos dicto privilegio reconciliandi Eccleſias, Aqua per noſmetipſos benedicta uti, non tantùm, quando Sedes Epiſcopi ordinaria diſtat duabus dictis ab Eccleſia polluta, ſed etiam, quando Epiſcopus aliàs abeſt, aut interveniente Morte renuntiatione, aut depoſitione non exiſtit.

149 II. Reliquæ bedediĉtiones tum conſtitutivæ, tum invocativæ, quæ ſolemni ritu, ex inſtitutione Eccleſiæ fiunt, & Epiſcopo, neque de Jure, neque de conſuetudine reſervatæ ſunt, à presbyteris, non etiam à Diaconis, fieri poſſunt, uti conſtat ex praxi Eccleſiæ, & ſumitur ex *cap. perfectis, d. 25.* ubi dicitur, ad presbyterum pertinere benedicere dona Dei, & ex communi docet Suarez *tom. 1. de Religione tr. 3. l. 4. cap. 15. num. 2.* Quare ſi Diaconus, quamvis jubente Sacerdote, Aquam v. gr. benedicat, irrita eſt benedictio: quia non facta ab habente poteſtatem, Layman *cit. num. 11.* Ex quo colligitur, presbyteros poſſe benedicere Aquam baptiſmalem, Aquam luſtralem, cum Sale; Cineres, Palmas, Panem, Ova, Carnes &c.

150 III. *Quæri ſolet*: Si Aquæ benedictæ alia non benedicta Aqua, vel conſecrato Oleo aliud non conſecratum affundatur, utrùm totum benedictum cenſeatur? ita affirmat Alexander III. *cap. Quod in dubiis, de conſecr. Eccleſiæ.* D. Thomas *in 4. d. 12. qu. 1. artic. 2. quæſt. 6.* Sylveſter *v. Aqua benedicta, qu. 3.* Armilla apud Layman *cit. num. 13.* Modo id, quod admiſceretur ſit ſemper in minori quantitate, quàm ſacrum, cui admiſcetur. Ratio eſt illa regula, quòd *Sacrum tamquam dignius, trahere debeat ad ſe non Sacrum.* Si verò non Sacrum ſit æquale, vel majus Sacro, & huic affundatur, non fiet Sacrum. Alioquin, ſi guttam Aquæ benedictæ fonti, aut puteo injicias, tota hujus Aqua foret benedicta, quod & fidelium perſuaſioni, & Prælatorum Eccleſiæ voluntati repugnare videtur. Imò etiam ſi Sacerdos intenderet totum fontem, vel flumen benedictione ſolemni benedicere, nihil efficiet; cùm agat præter, & contra intentionem Eccleſiæ. Id tamen fateri debemus, pergit Layman *cit. loc.* poſtquam ſemel Oleum, vel Aqua non conſecrata, additione ad conſecratam, benedictionem accepit: & ſi iterum alia vice, non conſecrata Aqua, vel Oleum affundatur, denuò conſecratum cenſeri totum, modò ſemper id, quod admiſcetur, ſit in minori quantitate, quàm illud, cui admiſcetur. Quæ omnia potiſſimùm fundantur in Eccleſiæ conſtitutione, quam uſus, & Doctorum traditio confirmat, ut annotavit Paludanus *in 4. diſt. 12. q. 5. art. 3. in fine.*

151 IV. Quæri ulteriùs ſolet, an Res benedicta, vel conſecrata poſſit ad uſus profanos adhiberi? Cajetanus, & Navarrus apud Layman *loc. cit. num. 5.* docent nullum Prælatum, ne Papam quidem permittere poſſe, ut res per benedictionem conſtitutivam ſacra effecta, dum ſacra permanet, ad uſus profanos adhibeatur. Ratio afferri ſolet ex D. Thoma, quia Jus naturale, & Divinum poſtulat, ut Sancta ſanctè tractentur, & Jus Eccleſiaſticum ſtatuit *cap. ſemel, de Reg. Jur. in 6. ſemel Deo dicatum non eſt ad uſus humanos ulteriùs transferendum.* Nihilominùs Concilium Tridentinum *ſeſſ. 21. cap. 7. de reform.* permittit ligna, & lapides Eccleſiæ dirutæ converti in uſus profanos non ſordidos. Item lapidem Altaris fractum poſſe liberè vendi, declaravit congregatio Cardinalium apud Barboſam, *in c. ligna, de conſecr. diſt. 1.* Quidni etiam coopertura Miſſalis vetuſtate corrupti? Tamburinus *lib. 1. cap. 2. §. 3.* aſſentiente Palao *tr. 1. punct. num. 25.* cenſet, Caſulas, aliaque diſſuta, item corporalia, & purificatoria uſu detrita poſſe uſurpari, ut merè profana: tametſi uterque meritò hoc diſſuadeat ob rationem mox ſuprà datam. Azorius *part. 1. lib. 9. qu. 7.* ſic loquitur: Imagines Sacræ diuturnitate conſumptæ, ſeu deformatæ amovendæ ſunt, & ſub pavimento Eccleſiæ, aut ſaltem cœmeterii ſolo ſunt recondendæ. Tabulæ quoque Sanctorum imaginibus expreſſæ vetuſtate conſumptæ, non poſſunt converti in uſum profanum, ſed igne exuri debent, ſed cavendo ſcandalum. Idem dicendum de imaginibus Dei, & Sanctorum privatis. *Gobat tr. 3. n. 378.* Qui tamen *n. 380.* concedit poſſe in neceſſitate ad avertendum, v. gr. morbum dari hominibus, imò & pecudibus imagines privatas SS. modò fiat cum interna reverentia.

## §. III. *Exorciſmus.*

Quid ſit Exorciſmus, definit Iſidorus *de Eccleſ. offic. c.* 152
20. videlicet: Exorciſmus eſt ſermo increpationis contra immundum ſpiritum, in Energumenis, ſeu Catechumenis factus, per quem ab illis Diaboli nequiſſima virtus, & inveterata malitia, vel violenta incurſio expulſa fugetur. Porro Exorciſmi alii immediatè ad diabolum diriguntur per modum imperii, & adjurationis: ut ab homine diſcedat, vel eum infeſtare deſinat. Alii autem rebus inanimatis adhibentur, cum quadam adjuratione, idque duobus modis juxta Divum Thomam *2. 2. qu. 99. art. 4. in Corp.* Primo, ut adjuratio directè referatur ad Deum per modum obſecrationis: ad creaturam verò per modum cujuſdam imperii, aut potiùs compulſionis, quatenùs neceſſariò ſubduntur motioni Dei Creatoris. Sic enim Chriſtus *Matth. 8. imperavit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna.* Secundò, ut adjuratio directè tendat ad diabolum per modum imperii, ut ab hac, aut illa Creatura; hoc, vel illo loco abſcedat, vel accedere non præſumat, & iſte eſt propriè dictus Exorciſmus, quo utimur, v. gr. in benedicenda aqua, ſale &c. ita ut eodem opere, per Crucem, & merita Chriſti arceamus diabolum ab omni machinatione circa tales creaturas, & per uſum earumdem, Dei circa nos auxilium, & protectionem impetremus. Huc ſpectat Exorciſmus tempeſtatum, locuſtarum &c. Conſuetiſſimi autem Exorciſmi ſunt ad pellendum Dæmonem ex Energumenis: frequens etiam uſus Exorciſmorum eſt, ad ſolvendas præſtigias, & varias moleſtias, quibus, ſeu corpora hominum, ſeu eorum habitationem &c. malitia dæmonis, & veneficorum infeſtare ſolet.

## §. IV. *Exorcizans, Exorcizatus.*

Pro praxi circa Exorciſmos adhibendos, & uſurpan- 153
dos quædam advertenda ſunt. I. Ante omnia diligenter examinandum eſt, utrùm homo verè, à Dæmone obſeſſus ſit, ſeu utrùm infirmitas, aliave moleſtia hominis, aut pecorum languor, ex incantatione, aut veneficio, an verò ex naturali aliqua cauſa proveniat: Ne fruſtra remedia Eccleſiæ adhibeantur ad alios fines, & effectus, quàm ordinata ſint. II. Si conſtet, dæmonis infeſtationem eſſe, aut maleficium, exorciſta armis ſpiritualibus adversùs diabolum ſe muniat: imprimis accipiens *Scutum Fidei, quo poſſit omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. Epheſ. 6.* Deinde conſcientiam peccatorum maculis purgatam habeat, in oratione ad Deum, ferventi ſymboli recitatione, nec non in jejuniis, aliiſque carnis afflictionibus per aliquot dies ſe exerceat, ſciens, quòd ſine ejuſmodi præparationibus, ſæpè parum, aut nihil effecturus ſit, juxta Teſtimonium Chriſti, *Marci 9. Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione, & jejunio.* III. Perſonas, quæ dæmonis infeſtatione liberari deſiderant, aut familiam, in cujus domo dæmonis præſtigiæ advertuntur ſerio hortetur, ut confeſſionem peccatorum inſtituant, orationibus apud Deum inſiſtant, in eumque finem etiam alios pios, ad Devotos Chriſtianos tamquam comprecatores accerſere poteſt. IV. Utatur, exorciſmis approbatis, videlicet, qui in Eccleſia, ſeu Romana, ſeu Diœceſana uſitati ſunt: Siquidem orationes proprio ingenio compoſitæ, ſolent eſſe ſuſpectæ, non ſunt tam efficaces, quàm ſi Eccleſiæ auctoritate, & juſſu inſtituantur. Adhibeatur frequenter ſignum Crucis, cum fide, reverentia, & recordatione Paſſionis, & Mortis Chriſti, item aqua benedicta, quippe quæ contra dæmonis machinationes ſpeciali intentione exorcizata eſt, item Cerei, Palmæ, Agni Dei, ſacræ Reliquiæ, ſacræ Imagines. V. Quam maximè Exorciſta abſtinere debet ab omni quæſtu, aut munere accipiendo, ne Spiritum ſanctum, & dona Dei venalia facere videatur: vitet item omnem vanæ gloriæ oſtentationem, quia non ſuis viribus, ſed ſolius Dei miſericordia, & Chriſti meritis nixus, adversùs diabolum pugnare debet. Quòd ſi exorciſmi felicem ſucceſſum habeant ſibi nihil arroget, ſed totum Deo adſcribat: ſi verò effectus non eſt ſecutus, non ideò animo commoveri debet, ſed conſoletur afflictos, ejuſmodi moleſtias, & detrimenta permitti à Deo, ob cauſas ipſi ſecundùm ſapientiſſimam ſuam providentiam cognitas. VI. Qui exorciſmos adhibet energumenis, cavere debet, ne dæmonem per modum obſecrationis adjuret, ut aliquid ab eo diſcat, vel auxilium accipiat. Eſt enim hoc peccatum mortale, uti poſt Sanctum Thomam *2. 2. qu. 90. artic. 3.* docet Sanctus Antoninus, Navarrus, Suarez, apud Layman *lib. 5. tract. 9. cap. 14. num. 7.* Ratio eſt: quia cum dæmone Chriſti, & Humani generis hoſte, nullum Societatis cu-

cujuſcunque colloquium, aut commercium inſtituere licitum eſt, ſed tantùm ut hoſtis proſequi per modum Imperii, coactionis, & expulſionis debet. Neque ad vana, aut curioſa ediſcènda diabolum adjurare oportet: ſed ſolùm ad ea, quæ ad rem pertinent, videlicet de numero: Nomine obſidentium, tempore, quo ingreſſi ſunt, de cauſa ingrediendi, & aliis ejuſcemodi. Quibus autem ſacris verbis, aut ſignis, viderit exorciſta. Demonem magis urgeri, iis magis, ac crebriùs inſtet. Si autem viderit, obſeſſum aliqua corporis parte commoveri, pungi, vel tumorem apparere, ibi Crucis ſignum, & Aquam benedictam, quæ ſemper in promptu aſſe debet, adhibere non intermittat *Layman loc. cit.*

154 Quia paulò antè facta eſt aliqua mentio de ſacris Reliquiis, non poſſum omittere, hic inſinuare, quod habet noſter *P. Herincx*, nimirùm reliquias Sanctorum, ut publicæ venerationi poſſint exponi, recognoſcendas eſſe, & approbandas ab Ordinario loci, ſeu Epiſcopo, juxta *Concil. Tridens. ſeſſ. 25. in Decreto de Reliquiis Sanctorum*. Ad Reliquias tamen privatim colendas non requiritur approbatio, ſed ſufficit, quòd prudenter judicentur eſſe veræ Reliquiæ nec requiritur ad hoc, ut ſint alicujus ſancti Canonizati, modò habeatur prudens judicium de illius Sanctitate, imò non deſunt Auctores (quamvis alii contradicant) qui exiſtimant, poſſe ad ornatum includi Cruci expoſitæ in Altari Reliquias non approbatas: quia tunc non videntur exponi venerationi, ſed potiùs ipſa Crux. Poſſunt etiam piè, & licitè geſtari ad collum juxta DD. unanimiter, & communem uſum fidelium, ac Piorum. Ita Herincx *de Incarnatione diſſ. 3. qu. 2. num. 40. in dubiis Regular. verſ. Reliquiæ Sanctorum num. 14.*

# CAPUT SECUNDUM.

## DE SACRAMENTIS CONFIRMATIONIS, ET EXTREMÆ UNCTIONIS.

QUoniam confirmationis Sacramentum ſpecialiter inſtitutum eſt, ut baptizati per unctionem cum Chriſmate, roborentur in Spirituali militia Chriſti, ad fortiter pugnandum, tum interiùs contra tentationes, tum exteriùs in quibuſvis caſibus, etiam cum diſcrimine vitæ, ſi opus ſit, pro conſervatione Fidei in Baptiſmo receptæ. Et quia etiam Sacramentum extremæ unctionis ſpecialiter inſtitutum eſt, ut infirmi, per unctionem cum Oleo infirmorum, roborentur ſpecialibus quibuſdam auxiliis, contra difficultates, & tentationes in mortis articulo occurrentes: ideo hęc duo Sacramenta in hoc ſecundo capite conjungimus, utriuſque eſſentiam, materiam, formam, miniſtrum, ſubjectum, &c. per diſtinctas Sectiones, & Quæſtiones explicaturi. Sit itaque in Nomine Domini

### SECTIO I.

*De Sacramenti confirmationis inſtitutione, materia, forma, & miniſtro.*

### QUÆSTIO I.

*Quid ſit confirmatio, & quando inſtituta?*

### SUMMARIUM.

1 & 2 *Confirmationis Sacramentum variis intitulatur Nominibus.*
3 *De fide eſt confirmationem eſſe verum legis novæ Sacramentum.*
4 *Aſſeritur, & explicatur definitio confirmationis.*
5 *Fuit inſtituta à Chriſto Domino, ut Sacramentum in nocte cęna Domini.*

### ASSERTIO I.

1 C*Onfirmatio eſt Sacramentum, quo homo viator inungitur in fronte ab Epiſcopo, cum Chriſmate, & praſcripta verborum forma ad fidei robur conſequendum, fuit à Chriſto Domino inſtitutum in nocte cęna Domini.* Communis DD.

*§. I. Confirmatio.*

EXimiis titulis in S. Scriptura, & à Sanctis Patribus nobilitatur: ſiquidem I. Ab excellentiori effectu dicitur *Confirmatio*: quia fidelibus tantam virtutem, & fortitudinis robur contribuit, ut Chriſti fidem, ac Religionem invicta animi conſtantia, coram ſævientibus etiam Tyrannis profiteantur. A cæremonia, per quam hoc Sacramentum ſuſcipientes conſignantur in fronte, appellatur à S. Clemente *Epiſt. 4. Conſignatio*, à S. Cypriano *Epiſt. 63. Signaculum Dominicum*. Ratione materiæ, qua conſtat, vocatur à Sancto Dionyſio Areopagita, *Eccleſiaſt. Hierarchia, cap. 4. Perfectrix unctio, & conſummatio*. A ritu, vel conſuetudine, quo Sacramentum illud conferre ſolebant Apoſtoli, nominari conſuevit *Manus impoſitio*. Secundùm illud *Act. 8. tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum*. Ex adverſo hæretici illud ipſum Sacramentum ſuis dentibus configunt, & proſcindunt, dum putant, eſſe meram Eccleſiæ Cæremoniam, contra quos ſit 2

*§. II. Eſt Sacramentum.*

DE fide certum eſt, confirmationem eſſe unum ex ſeptem novæ legis Sacramentis à Chriſto Domino inſtitutum. Ita definitum eſt in Concilio Florentino, *in Decreto, de unione Armenorum §. ſecundum*, ubi ſic dicitur: *ſecundum Sacramentum eſt confirmatio, cujus materia eſt Chriſma confectum ex Oleo, (quod nitorem ſignificat conſcientiæ) & balſamo, (quod odorem ſignificat bonæ famæ) per Epiſcopum benedicto*: Et in Trid. *ſeſſ. 7. can. 1.* de *Sacram. in genere*, & *can. 1. de confir.* quæ veritas etiam ex S. Scriptura deducitur *Act. 8. tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum*: ibi Eugenius IV. in Florentino cit. per *Manus impoſitionem Chriſmatis unctionem*, & per *accipere Spiritum ſanctum*, intelligit donum gratiæ ſanctificantis, ex quo loco etiam evidenter colligitur, hoc Sacramentum eſſe à baptiſmo condiſtinctum: ait enim ſacer textus de Apoſtolis loquens: *Qui cùm veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum ſanctum. Nondum enim in quemquam venerat, ſed baptizati tantùm erant in Nomine Domini JESU*. Et hoc idem probatur pluribus, & expreſſis SS. Patrum teſtimoniis, Dionyſii, Clementis Rom. Urbani I. Tertulliani, Cypriani, Auguſtini, Gregorii, & aliorum, quorum verba paſſim referunt recentiores, quos vide: mihi enim non vacat exſcribere. 3

*§. III. Quo Homo viator baptizatus inungitur*

IN *fronte ab Epiſcopo cum Chriſmate, & præſcripta verborum forma, ad fidei robur conſequendum*. Ita communis, & conformis Doctori Subtili *in 4 diſt. 7. q. 1.* In qua definitione quatuor cauſarum genera exprimuntur, ac etiam ſubjectum iſtius Sacramenti capax, quod eſt homo vivens in hoc mortali corpore, & baptizatus: per particulam *inungitur*, indicatur cauſa materialis proxima, quæ eſt unctio. Per aliam *cum Chriſmate* indicatur materia remota, quæ eſt Chriſma. Per aliam *ab Epiſcopo*, indicatur cauſa efficiens miniſterialis hujus Sacramenti. Dicitur *ſub præſcripta verborum forma*, ad denotandum cauſam formalem, quæ in verbis ab Epiſcopo prolatis continetur. Additur tandem: *Ad fidei robur conſequendum*, ut effectus, & cauſa finalis hujus Sacramenti oſtendatur. 4

*§. IV. Confirmationis Sacramentum fuit inſtitutum in nocte Cęna Domini.*

QUo tempore confirmationis Sacramentum fuerit inſtitutum à Chriſto Domino Salvatore noſtro, quamvis aliqui, ut ait Suarez *diſp. 32. ſect. 2.* apud Maſtrium *Theol. Moral. diſp. 17. q. 5. art. 2. num. 64.* Cenſeant fuiſſe inſtitutum poſt Chriſti Domini Reſurrectionem: cùm Apoſtolis plenitudinem Epiſcopalis poteſtatis in corpus myſticum Eccleſiæ ſuæ contulit: dicens illis: *ſicut miſit me Pater, & Ego mitto vos*: Communis tamen, & probabilior ſententia eſt, quod in nocte Cęnæ Domini fuerit à Chriſto inſtitutum: unde promanavit conſuetudo Sacrum Chriſma conficiendi in die Cœnæ Domini, quæ quidem ſemper in Eccleſia obſervata eſt, & adhuc ſervatur, & hanc ſententiam expreſsè tradidit Fabianus Papa *Epiſtola ſecunda, capite primo*; dum ait; *In illa die Dominus Jeſus, poſtquam cœnavit cum diſcipulis ſuis, & lavit eorum pedes, ſicut à Sanctis Apoſtolis Prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt, Chriſma conficere docuit*. Ubi per Chriſma Sacramentum confirmationis intelligitur: quod totum poſteà confir- 5

mavit

Digitized by Google

mavit etiam Catech. Rom. de Sacram. confirm. Ubi tamen advertendum eſt, quod licèt Chriſtus ea nocte, Apoſtolos docuerit Chriſma conficere, ſatis tamen probabile eſt, Nemini eorum tunc temporis datam eſſe poteſtatem, conferendi hoc Sacramentum: quia Apoſtoli in ultima cœna nondum inſtituti erant Epiſcopi, ad quos tantùm ſpectat, hoc miniſtrare Sacramentum, ſed Chriſtum illam poteſtatem Apoſtolis contuliſſe poſt Reſurrectionem *Joann.* 30. Cùm dedit eis plenariam poteſtatem Ordinis Sacerdotalis, & Epiſcopalis, quando dixit: *Accipite Spiritum ſanctum, &c.* per quod etiam conciliari poſſunt allatæ opiniones, dicendo cum *Coninch. Bonacina, Aretino*, & aliis, inſtitutionem Sacramenti confirmationis inchoatam fuiſſe in die ultimæ cœnæ: cùm ibi inſtitura fuerit materia, & forma: completam verò fuiſſe hujus Sacramenti inſtitutionem poſt Chriſti Domini Reſurrectionem, *Joann.* 20. cùm data fuit Apoſtolis plena poteſtas Ordinis Sacerdotalis, & Epiſcopalis. Nullatenùs tamen admittenda eſt opinio quorumdam dicentium, hoc Sacramentum fuiſſe inſtitutum *Matth.* 19. quando Chriſtus parvulis imponebat Manus: Cùm enim parvuli nondum eſſent baptizati. Veriſimile non eſt, tunc inſtitutum fuiſſe confirmationis Sacramentum, quod baptiſmum ſupponit. *Maſtrius loco citato n.*64.

## QUÆSTIO II.

*De materia remota, & proxima Sacramenti Confirmationis.*

### SUMMARIUM.

7 *Materia remota confirmationis eſt Chriſma, confecta ex Oleo Olivarum, & Balſamo.*
8 & 9 *Solvuntur objectiones.*
10 *Sufficit balſamum, etiam imperfectum.*
11 *Chriſma debet eſſe conſecratum ab Epiſcopo.*
12 *An ſimplex Sacerdos poſſit illud conſecrare?*
13 *Materia proxima eſt unctio cum Chriſmate facta per modum Crucis, in fronte confirmandi.*
14 *Solvitur objectio.*

### ASSERTIO II.

6 *MAteria remota Sacramenti confirmationis eſt Chriſma confectum ex Oleo Olivarum, & balſamo ſimul, conſecratum ab Epiſcopo; materia verò proxima eſt unctio cum Chriſmate facta, in modum Crucis, Pollice dextro Epiſcopi, in fronte confirmandi.* Communiſſima.

*§. Materia remota Confirmationis eſt Chriſma.*

7 I. ITa Doctores Angelicus *quæſt.* 72. *art.* 2. & 4. Seraphicus 4. *diſt.*7, *part.* 1. *qu.*2. Subtilis *in* 4. *diſt.*7. *qu.*1. & Irrefragabilis noſter Alexander Alenſis, cum Schola Subtilium, & recentiorum ferè omnium teſte Maſtrio *Theol. Moral. diſp.* 17. *qu.* 5. *num.* 69. tum patet ex Concil. Florentino in Decreto unionis dicente *ſecundum Sacramentum eſt confirmatio, cujus materia eſt Chriſma confectum ex Oleo (quod nitorem ſignificat conſcientiæ) & balſamo (quod odorem ſignificat bonæ famæ) per Epiſcopum benedicto.* Tum ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 7. *can.* 2. *de confirmatione*, definiente: *Si quis dixerit, injurios eſſe Spiritui ſancto eos, qui Sacro confirmationis Chriſmati virtutem aliquam tribuunt, anathema ſit.* Tum ex perpetua traditione, & praai Eccleſiæ, & colligitur etiam ex Sacra Scriptura, 2. *Corinth.* 1. *Qui confirmat nos vobiſcum in Chriſto: & qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus ſancti in cordibus noſtris;* quem textum Sancti Patres communiter intelligunt de unctione confirmationis per Chriſma. Accedit unanimis conſenſus Sanctorum Patrum; quotquot enim hujus Sacramenti mentionem fecerunt, ferè omnes pro materia illius aſſignant Chriſma. Idem docet Catechiſmus Romanus de confirmatione. Debet autem Chriſma confectum eſſe ex Oleo, ſcilicet Olivarum, (quod Olei nomine abſolutè cenſetur: Neque de hoc umquam in Eccleſia dubitatum fuit: ut proinde certiſſimum ſit, non ſufficere Oleum artificiale ex ſeminibus expreſſum: Teſte Herinex *diſp.*9. *de Sacramento confirmationis*, *qu.* 2: *num.*16.) & balſamo. Patet ex Concilio Florentino citato, ac ex perpetuo ritu Eccleſiæ: Unde imprimis manifeſtum eſt mixtionem hanc eſſe neceſſariam neceſſitate præcepti: deinde etiam neceſſaria eſt neceſſitate Sacramenti, contra Cajetanum, Sotum, Dicaſtillum, & alios hoc negantes. Ratio eſt: Quia omnes Veteres Theologi ſimpliciter aſſerunt, ma-

*Supplem. Theol. Sacramental.*

teriam confirmationis eſſe Chriſma ex Oleo, & Balſamo confectum ſine præmiſſa diſtinctione, quod Balſamum tantùm ſit neceſſarium neceſsitate præcepti, non Sacramenti. quam primus tradidit Cajetanus, teſte Baſilio Pontio *pagina ſecunda, capite ſecundo, numero ſecundo.* Poſteriores quoque Theologi quaſi communiter cenſent mixtionem hanc eſſe de eſſentia, & valore Sacramenti. Quæ doctrina probatur ex Concilio Florentino citato; ubi (quando aliunde nôn conſtat contrarium) aſsignat materias, & formas eſſentiales Sacramentorum, & pro hujus Sacramenti materia ſimpliciter aſsignat *Chriſma confectum ex Oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & Balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ.* Ubi æqualiter exigit Oleum, & Balſamum: ergo ſi unum eſt de neceſsitate, & valore Sacramenti, etiam alterum erit. Aliàs verò Concilium Florentinum, agens de Sacramento Baptiſmi, cautè inter eſſentialia diſtinguit, & agens de materia Sacramenti Euchariſtiæ in conſecratione calicis, non dicit ex æquo, eſſe aliquid ex Vino, & Aqua mixtum, ſed *Vinum de Vite*, cui ante conſecrationem Aqua modicisſima admiſceri debet, ut eo ipſo aſsignandi modo indicet, non æquè unum, atque aliud eſſe materiam calicis; cùm unum in recto, aliud in obliquo aſsignet. De confirmationis verò materia agens; Balſamum, & Oleum, & utrumque in obliquo aſſignat. Ergo, ſi hoc non obſtante, Oleum certò requiritur ad valorem, & eſſentiam confirmationis, idem etiam de Balſamo dicendum erit.

II. Dices: Innocentius Papa III. *cap. Paſtoralis, de Sacramentis non iterandis*, reſcribens ad Epiſcopum Helienſem, ait: *Præterea nos conſulere voluiſti, an permitti debeat miniſtrare, qui ſine impoſitione Manuum fuerit ad Ordinem ſubdiaconatus aſſumptus? Et ſi confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem non fuit Chriſmate, ſed Oleo delinitus? Ad quod breviter duximus reſpondendum, quod in talibus non eſt aliquid iterandum, ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat prætermiſſum.* Atqui ſi Balſamum eſſet materia neceſſaria, ſeu eſſentialis confirmationis, iterari debuiſſet Sacramentum confirmationis, quia nullum fuiſſet, ac irritum: cùm non poſſit ſubſiſtere ſine eſſentiali parte materiæ: Ergo admixtio Balſami non eſt neceſsitate Sacramenti confirmationis. Reſpondeo negando minorem, quia Papa verbum *itero* ibidem in propria ſignificatione accepit, quatenùs idem ſonat, ac iterum conferre idem ſpecie Sacramentum jam ſemel ritè collatum, non autem iterum confertur, quod numquam ritè fuit collatum, juxta illud de *conſecratione diſt.* 1. *cap. ſolemnitates*: *Non dicitur iteratum, quod neſcitur eſſe factum.* Layman *lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 2. Boſco *hic numer.* 58. Herinex *cit. numer.* 21. Fraſſen *num.*9 Pitring. *tit. de Sacramentis non iterandis num.* 3. Reiffenſtuel *eod. tit. num.*21. 8

III. Inſtas: Eodem modo loquitur Innocentius de hoc caſu, & de illo, in quo fuerat collatus Subdiaconatus, prætermiſſa impoſitione manuum, ſed impoſitio manuum non eſt de neceſsitate Subdiaconatus: Ergo nec admixtio Balſami erit de neceſsitate Sacramenti confirmationis. Reſpondeo cum Patre Boſco *hic num.* 64. nego majorem: quippe Innocentius ſtudens brevitati, ut patet ex illis verbis: *ad quod breviter duximus reſpondendum*, dat Generale reſponſum applicandum cum proportione ſingulis quæſtionibus; tamquàm diceret: Cum utrumque Sacramentum non ſit iterabile, neutrum eſt iterandum: nec cenſebitur id fieri: ſi ſuppleatur, quòd omiſſum eſt, ſive manus impoſitio (per quam à *Reiffenſtuel cit. num.*9. Reſpectu Subdiaconatus, intelligitur hoc loco collatio primæ tonſuræ, vel Ordinum Minorum, quæ utique Subdiaconatui eſt accidentalis: Siquidem in ordinatione Subdiaconi nulla penitùs adhibetur manus impoſitio) ſive unctio cum Chriſmate, & forma correſpondente: quia prior unctio cum ſolo Oleo nulla fuit: Idem docet *Henrinex l. c.* 9

IV. Ad materiam Sacramenti confirmationis, ſeu Chriſma conficiendum ſufficit quodcunque Balſamum, ſive perfectum, ſive imperfectum, ſicut eſt Indicum, quale noſtris temporibus in ſatis bona quantitate adſertur ex Indiis, etſi diverſæ fortè ſpeciei ſit à Palæſtino: ſicut ad materiam conſecrationis calicis ſufficit vinum, ſive ſit ejuſdem, aut diverſæ ſpeciei cum illo, quo uſus eſt Chriſtus. Unde Paulus Tertius, & Sanctus Pius Quintus apud *Herinex citatum num.* 23. feruntur declaraſſe, ex Balſamo Indico, utpote vero Balſamo poſſe confici Chriſma. Quare non eſt timendum, ne ob raritatem, aut caritatem Balſami uſus Sacramenti confirmationis ceſſet, ſicut ipſa praxis Eccleſiæ, tot ſæculis continuata ſatis oſtendit. Adde, quòd, cùm hoc Sacramentum non ſit neceſſarium neceſsitate medii, vel præcepti, non fuit neceſſe, ut ejus materia eſſet ita obvia, perinde, ut Reliquorum Sacramento- 10

rum. Hinc etiam infertur, non valere Sacramentum, ſi prius ungatur confirmandus Oleo, & deinde Balſamo: tum quia ſic non ungeretur Chriſmate, quod tamen eſt materia eſſentialis Sacramenti confirmationis: tum quia non verificaretur forma confirmationis, videlicet: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in Nomine Patris, &c.*

### §. II. *Conſecratum ab Epiſcopo.*

11 PUtant aliqui, inter quos eſt Paludanus, Cajetanus, Sotus, Valentia, &c. Conſecrationem, qua Epiſcopus Chriſma benedicit, eſſe tantùm neceſſariam neceſſitate præcepti ad materiam Sacramenti confirmationis, non vero neceſſitate Sacramenti, ſeu ad valorem, quod probant, tum quia hæc Chriſmatis benedictio eſt aliquod Sacramentale ab Eccleſia inſtitutum, ſicut eſt benedictio Aquæ baptiſmalis, tum quia eodem Chriſmate ab Epiſcopo benedicto inungitur baptizandus, & confirmandus, ſed reſpectu baptizandi eſt mera cæremonia ab Eccleſia inſtituta: Ergo etiam reſpectu confirmandi; unde deducunt, quod ſicut reſpectu baptizandi ſufficere Chriſma à ſimplici Sacerdote benedictum, ita etiam reſpectu confirmandi. Communis tamen ſententia cum Divo Thoma, Scoto, Brancato, Centino, Poncio, & aliis Scotiſtis paſſim, & cum tota recentiorum Caterva docet, conſecrationem Epiſcopi eſſe neceſſariam neceſſitate Sacramenti etiam, & materiam eſſentialem Sacramenti confirmationis eſſe Chriſma ab Epiſcopo conſecratum, ſaltem tamquam ab Ordinario conſecrante. Ratio: quia Concilium Florentinum ſupracitatum; ſicut requirit Chriſma confectum ex Oleo, & Balſamo, ſic ſimpliciter, & æqualiter requirit, ut ſit per Epiſcopum benedictum; ergo ſicut neceſſitate Sacramenti ad materiam confirmationis requiritur Oleum, & Balſamum, ſic & Epiſcopalis benedictio. Idem indicat Concilium Tridentinum, *ſeſſ. 7. Can. 2. de confirmatione*, ſupponens à Catholicis tribui virtutem, ſive efficaciam *Sacro*, (id eſt, conſecrato) confirmationis Chriſmati. Idipſum inſinuant Sancti Patres, & perpetuus uſus Eccleſiæ, quo adeò conſtante exigitur unguentum benedictum, ut nullo umqoam caſu aliud fuerit practicatum. Congruentia verò, cur materia hujus Sacramenti debeat neceſſariò eſſe benedicta, ut validè conferatur, aſſignatur à Doctore ſubtili *in 4. diſtinctione ſeptima, quæſtione prima*, eo quòd Chriſtus contactu ſuæ carnis mundiſſimæ, omnem aquam conſecravit in uſum baptiſmi: non autem materiam illam confirmationis, & ideo requiritur hic ſpecialis conſecratio, & ſanctificatio, quod etiam, inquit, eſſe rationabile magis hic, quàm ibi: quia baptiſmus eſt Sacramentum neceſſitatis, & ideò poteſt a quocunque Miniſtro conferri, & rationabile eſt, quòd in aqua non conſecrata: alioquin materia conveniens non poſſet eſſe communis, & impediretur ſalus multorum. Ita *Scotus loco citato*: qua ratione etiam utitur Catechiſmus Romanus ad idem probandum. Ex qua doctrina Scoti facilè ſolvuntur rationes contrariæ ſententiæ ſupra adductæ, aſſignando diſparitatem de benedictione Chriſmatis, & Aquæ Baptiſmalis: ideo enim benedictio Aquæ baptiſmalis, ſicut etiam benedictio Chriſmatis, quo baptizandi unguntur, eſt Sacramentale quoddam, quia talis benedictio non fuit à Chriſto inſtituta: ſed ab Eccleſia Ordinata, & conſequenter ſine illa validus poteſt eſſe baptiſmus: At benedictio Chriſmatis, quo ungitur confirmandus, eſt ab ipſo Chriſto inſtituta, ut conſtat ex Concilio Florentino citato, & ideò ſine ipſa validum eſſe nequit confirmationis Sacramentum. Non tamen a Chriſto certa benedictionis formula fuit determinata: ſiquidem Chriſtus ſolummodo decrevit, ut Chriſma benediceretur ab Epiſcopo: modum verò benedictionis, qua Epiſcopus uti debeat, Eccleſiæ arbitrio reliquit. Ita Abelius, & Jambertus apud Maſtrium *Theol. Moral. diſp. 17. qu. 5. art. 2. num. 70.* & Sotus apud Herincx *diſp. 9. qu. 2. num. 25.* Ex quo etiam Illſung *tract. 6. diſp. 3. art. 1. à num. 37.* infert Chriſma debere eſſe benedictum *ab Epiſcopo conſecrato*, & non tantùm electo, vel à Papa confirmato: cùm benedictio Epiſcopalis requiratur jure Divino ad valorem materiæ confirmationis, adeòque pertineat ad poteſtatem Ordinis Epiſcopalis.

12 Petes: *An ſaltem per diſpenſationem Papalem poſſit conſecratio Chriſmatis ſimplici Sacerdoti committi, ſicuti legitur à Sancto Gregorio commiſſa aliquando adminiſtratio hujus Sacramenti?* Affirmativam tenent Auctores benè multi, & graves Theologi. Verumtamen licèt hæc opinio Theoricè, ſeu ſpeculativè ſit probabilis, practicè tamen non eſt probabilis. Ita Sbogar *tract. 36. num. 7.* Suarez, Filliucius, Layman, & alii. Ratio eſt: quia in Sacramentis, quando agitur de valore actus, tenemur ſequi ſententiam tutiorem, juxta Decretum Innocentii XI. in quo prima propoſitio damnata ſic ſonat: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, &c.* Jam verò ſententia negans, Papam poſſe ſimplici Sacerdoti committere poteſtatem conſecrandi Chriſma pro confirmatione, utique verſatur circa valorem Sacramenti eſtque tutior, ut de ſe patet: Ergo in praxi eſt ſequenda, non verò ipſi oppoſita. An verò ſummus Pontifex poſſit ſimplici Sacerdoti conferre poteſtatem adminiſtrandi Sacramentum confirmationis, audiemus infrà de Miniſtro hujus Sacramenti.

### §. III. *Materia proxima eſt unctio cum Chriſmate facta, in modum Crucis, pollice dextro Epiſcopi, in fronte confirmandi.*

COmmunis Doctorum apud *Maſtrium, Herincx, Layman, Suarez, Coninck.* & alios. Et patet ex Concilio Florentino ſuprà, Ritualibus, & praxi Eccleſiæ. Ex quibus clarè conſtat *unctionem cum Chriſmate* requiri de neceſſitate Sacramenti: Unctio enim eſt applicatio ipſius Chriſmatis, ſeu materiæ remotæ: deinde ſuper eam immediatè cadit forma, & per ipſam immediatè ſignificatur effectus Sacramenti. Idem *de ſigno Crucis* tenent communiter Doctores ob perpetuum, & conſtantem uſum univerſalis Eccleſiæ, & colligunt ex forma conſueta: *ſigno te ſigno Crucis, &c.* quæ alioquin non verificaretur, & quamvis hæc verba non adhibeantur in forma Græcorum, in ea tamen ponitur vox *ſignaculum*: ſignaculum autem Chriſtianorum eſt Crux. Idem docent communiter Doctores de unctione *in fronte confirmandi* ob uſum perpetuum univerſalis Eccleſiæ; idque confirmatur ex Concilio Florentino citato ita dicente: *Ideo in fronte, ubi verecundia ſedes eſt, confirmatus inungitur, ne Chriſti Nomen confiteri erubeſcat, & præcipuè Crucem ejus, quæ Judæis eſt ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia, ſecundùm Apoſtolum, propter quod Crucis ſigno ſignatur.* Facienda eſt autem hæc inunctio ex uſu, & præcepto Eccleſiæ, imò juxta multos ex neceſſitate Sacramenti, immediatè *dextro pollice Epiſcopi*, ob quam cauſam, teſte Durando, præcipuè conſecratur pollex Epiſcopi, qui, ſi alio digito, vel mediante inſtrumento, ſeu virgula frontem inungeret, ad minimùm Sacramentum redderet dubium, & ſub conditione, immediato attactu pollicis Chriſmate tincti conferendum eſſet. Si fortè objiciatur conſuetudo, & ritus Eccleſiæ Orientalis, juxta quem confirmandus non ſolùm in fronte, ſed etiam in oculis, naribus, ore, & auribus ungebatur, teſtificante *Cyrillo Jeroſol. Chatech. 3.* Reſpondeo, ſolam unctionem frontis fuiſſe eſſentialem, reliquas cæremoniales. Unde etiam tunc temporis, ut referunt Patres, prima unctio fiebat in fronte, tamquàm eſſentialis, in aliis verò partibus acceſſoriè fiebat ad majorem expreſſionem effectus ſacramentalis. 13

### §. IV. *Objectio proponitur, & ſolvitur.*

DIces: Apoſtoli *Actorum 8. & 19.* Confirmantes, imponebant Manus ſuper baptizatos: Ergo impoſitio Manus Epiſcopalis, & non unctio cum Chriſmate eſt materia proxima confirmationis. Reſp. Nullam Manus impoſitionem, diſtinctam ab ea, quæ requiritur in ipſa Chriſmatis unctione, eſſe eſſentialem Sacramenti confirmationis materiam, quia Eugenius IV. in Concilio Florentino citato; ait, *de ſolis Apoſtolis legitur (quorum vicem tenent Epiſcopi) quod per manus impoſitionem Spiritum ſanctum dabant. Loco autem illius manus impoſitionis, datur in Eccleſia confirmatio.* Deinde nec in Pontificali Romano, nec apud Græcos fit mentio impoſitionis Manus. Quòd autem Apoſtoli per impoſitionem Manus conferebant Spiritum ſanctum, factum eſt ex ſingulari Dei diſpenſatione, & ſpeciali Chriſti privilegio, pro eo ſolùm tempore, quo Spiritus ſanctus viſibiliter ſupra fideles deſcendebat, & ſic tunc non erat neceſſaria unctio. Quia tamen etiam tempore Apoſtolorum ille viſibilis deſcenſus Spiritus ſancti ceſſavit, ideò etiam poſteà Apoſtoli per unctionem Chriſmatis confirmabant. Ita D. Th. 62. *art. 2.* Scotus *4. d. 7. qu. 1.* Maſtrius, Herincx, Amicus, Faber, Centinus, & alii. 14

QUÆ-

## QUÆSTIO III.

*De Forma Sacramenti Confirmationis.*

### SUMMARIUM.

16 *Forma conſueta Sacramenti confirmationis in Eccleſia Latina eſt: Signo te Signo Crucis &c.*
17 *Congruentia hujus formæ aſſignatur.*
18 *Omnia Verba hujus formæ ſunt in Eccleſia Latina neceſſaria neceſſitate præcepti.*
19 *Non tamen neceſſitate Sacramenti, & ad valorem.*
20 *Solvitur objectio.*

### ASSERTIO III.

15 F*Orma conſueta Sacramenti confirmationis eſt, ſigno te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: in qua forma, licèt omnia Verba, in Eccleſia Latina ſint neceſſaria neceſſitate præcepti, non tamen omnia ſunt neceſſaria neceſſitate Sacramenti, ſeu ad valorem.* Communis DD.

§. I. *Forma conſueta Sacramenti confirmationis in Eccleſia Latina,*

16 EST hæc: *ſigno te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Ita in terminis Concilium Florentinum *in Decreto unionis.* Hanc formam eſſe ſufficientem eſt de fide, ex modo dicto Concilio Florentino, ex Pontificali Romano, & ex communi SS. PP. & Theologorum, & etiam habetur ex Ritualibus Antiquiſſimis. Nec obſtat, quòd in S. Scriptura non ſit clarè expreſſa: Neque enim omnia, quæ Chriſtus circa adminiſtrationem Sacramentorum Apoſtolos docuit, & Ipſi Eccleſiæ tradiderunt, in Scriptoris annotata fuere; ut conſtat ex forma baptiſmi quoad particulas: *Ego te baptizo*, & ex forma Sacramenti Ordinis (quod etiam Calvinus concedit eſſe Sacramentum) pro quo nulla in Sacris litteris forma eſt aſſignata. Et quid eſt Cauſæ? Reſpondet Boſco *hic concluſ. 7. num.* 138. Ex Auguſtino, *l. 2. Oper. Imperf. cap.* 142. fortaſſis: Ne omnia Myſteria fidei noſtræ, maximè non neceſſaria ad ſalutem, infidelibus proderentur, ac riſui exponerentur: tum etiam, quia voluit DEUS exercere humilitatem, & fidem noſtram, per quam Eccleſiæ nos ſubmitteremus: Ita Boſco. Videtur tamen ad illam formam alludere S. Paulus 2. *Corinth.* 1. dicens: *Qui confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos DEUS, qui, & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus ſancti in cordibus Noſtris.* Quare hac forma in collatione Sacramenti confirmationis, etiam Apoſtolos uſos fuiſſe, conſtat ex eo, quòd ex Apoſtolorum doctrina, & traditione ad nos uſque, perpetua conſuetudine, & praxi Eccleſiæ, dimanaverit.

§. II. *Congruentia hujus formæ*

17 COmmuniter redditur à Theologis, quòd per formam confirmationis tria debeant ſignificari. 1. Cauſa conferens hoc Sacramentum, & hac ratione ad ſignificandam cauſam principalem exprimitur SS. Trinitas, cujus ſicut explicitam fidem homo in baptiſmo ſuſcipit, ſic in confirmatione eam recipit propugnandam. 2. Significari debet robur Spirituale, quo ſcilicet Spiritus ſancti gratia quis roboratur, & velut Athleta inungitur ad tuendam, & retinendam fidem, quod inſinuatur his Verbis: *Confirmo te Chriſmate ſalutis.* 3. Debet ipſum ſignum militare Ducis ſignificari, nempè *Crux Chriſti*, adeóque etiam hæc explicanda eſt, quod fit per illa Verba: *Signo te ſigno Crucis.* Nunc quæritur, an omnia verba hujus formæ ſint de illius eſſentia, & valore, an verò ſint tantùm neceſſaria neceſſitate præcepti? itaque dicimus,

§. III. *Omnia Verba formæ, prædicta ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti, in Eccleſia Latina.*

18 COmmuniſſima Theologorum D. Thomas *qu.* 72. Suarez, Coninch. Averſa, Centinus, Dicaſtillus, Caſpenſis, La Croix *l. 6. part.* 1. *num.* 382. & alii recentiores paſſim. Rationem dat D. Thomas loc. citat. Quia cùm confirmatio ſit ad plenitudinem roboris fidei in baptiſmo acceptæ, per hanc debuerunt iterùm præcipua illa Myſteria inculcari, itemque præferri Crucis ſignum, in quo Chriſtus triumphavit, velut prima Teſſera, & inſigne Chriſtianorum; ſiquidem baptizati per characterem hujus Sacramenti ſpecialiter conſignantur in Milites Chriſti; cùm per baptiſmum ſint tantùm Oves, ſeu domeſtici Chriſti. Accedit, quod communior ſententia, teſte Maſtrio *in 4. diſp. 2. q. 8. num.* 236. affirmet, omnia verba dictæ formæ, vel iis æquivalentia, eſſe de eſſentia, & valore formæ confirmationis, eſtque hæc ſententia ſine dubio tutior, quàm ei oppoſita: Ergo, cùm in Sacramentis, ubi agitur de valore Sacramenti, teneamur ſequi ſententiam tutiorem, ut jam ſuprà dictum; tenebitur Epiſcopus ſub peccato, in collatione Sacramenti confirmationis, uti omnibus formæ prædictæ verbis, *in Eccleſia Latina.* Dictum eſt: *in Eccleſia Latina:* quia in Eccleſia Græca, Greci validè, & licitè utuntur forma ſequente: *Signaculum Doni, vel Donationis Spiritus ſancti:* in qua ſubintelligitur verbum imperativum: *Accipe, vel donatur tibi*, ſiquidem nullus umquam Græcos reprehendit propter uſum hujus formæ, quin imò Clemens VIII in Bulla Unionis inter Græcos, & Latinos, ſpecialiter hujus formæ meminit, eamque ut validam ſupponit, & denique refert Amicus controverſiam hanc deciſam eſſe Romæ à nova Congregatione, erecta ab Urbano VIII. ſuper Euchologium examinandum; dum enim examinatores venerunt ad diſcuſſionem formæ hujus Sacramenti, qua Græci utuntur, cenſuerunt, illam eſſe validam. Ita Maſtrius *num.* 237.

§. IV. *Non tamen omnia ſunt neceſſaria neceſſitate Sacramenti, ſeu ad valorem;*

SEd ad eſſentiam formæ Sacramenti confirmationis ſufficiunt hæc verba: *ſigno te in Nomine Patris, &c.* 19
Vel *confirmo te in Nomine Patris &c.* Ita *Hiquæus 4. diſput. 7. quæſt. 1. num.* 66. quem ſequitur Maſtrius, Poncius, & tenet etiam Amicus, contra plures adverſarios. Ratio autem eſt: Quia forma Sacramenti Confirmationis, qua utuntur Græci eſt hæc: *Signaculum Doni Spiritus ſancti*, & reputatur tamquàm valida ab Eccleſia Romana, ut dictum præcedente: Atqui in hac forma non exprimitur invocatio expreſſa divinarum perſonarum, nec ſignum Crucis, nec unctio Chriſmatis, ſed ſolùm cauſa principalis, & actus confirmationis applicatus ad perſonam, cui confertur: Ergo ad eſſentiam, & valorem formæ confirmationis non requiruntur omnia verba in forma Eccleſiæ Latinæ poſita, ſed ſufficeret dicere: *Signo te in Nomine Patris &c.* Vel: *Confirmo te in Nomine Patris &c.* Vel etiam: *Confirmo te in Nomine Spiritus ſancti.* Ratio hujus eſt: Tum quia Spiritus ſanctus eſt principalis Author roboris animi ad confitendam generosè fidem, eique appropriatur effectus confirmationis. Tum præcipuè: quia in Spiritu ſancto implicitè continetur tota SS. Trinitas: Nam tres Perſonæ ſunt cauſa principalis, quatenùs ſunt Unum in Natura, Authoritate, & potentia: quippe non competit poteſtas Patri quia Pater, ſed quia DEUS, & ita de aliis. Unde ad extra, eadem indiviſibili agunt actione, Boſco *diſp. 3. de confirmat. ſect. 2. concl. 6. & diſp. 2. de baptiſ. ſect. 2. concl. 6.*

Nec prædictis obſtat, quòd Concilium Florent. citat. 20
Pontificale, & Catechiſmus Romanus, cum communi Theologorum, pro forma confirmationis requirant verba ſequentia: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti:* quia ea tantùm requirunt ſub præcepto in Eccleſia Latina: Nec eſt eadem Ratio de forma baptiſmi, & confirmationis: quia, cùm per baptiſmum homo primùm renaſcatur ad fidem, debet ipſius principale Myſterium ei explicitè proponi, ut credendum: Diſpariter loquendum eſt de confirmatione, in qua, cùm homo jam ad fidem renatus intelligatur, ac per expreſſam SS. Trinitatis Profeſſionem in baptiſmo factum, Religioni Chriſtianæ adſcriptus, deinceps earundem Divinarum Perſonarum explicita commemoratio non eſt neceſſaria. Accedit, formam baptiſmi cum explicita invocatione SS. Trinitatis, fuiſſe à Chriſto determinatam, ac præſcriptam, *Matth. ult.* quod non conſtat de confirmatione.

## QUÆSTIO IV.

*De Miniſtro Sacramenti confirmationis.*

### SUMMARIUM.

22 *Miniſter Ordinarius confirmationis eſt ſolus Epiſcopus;*

23 *Etiam hæreticus, vel degradatus ad validè confirmandum.*
24 *Miniſter extraordinarius poteſt eſſe ſimplex Sacerdos ex delegatione Papæ;*
25 *Quam hic ſolus, & nullus alius dare poteſt.*

## ASSERTIO IV.

21 M*Iniſter Ordinarius Sacramenti confirmationis validè conferendi eſt ſolus Epiſcopus, & quilibet Epiſcopus, etiam hæreticus, vel degradatus: Poteſt tamen etiam Sacerdos non Epiſcopus, eſſe Miniſter hujus Sacramenti validè, & licitè conferendi extraordinarius, per ſpecialem commiſſionem, & delegationem Romani Pontificis, quam hic ſolus & nullus alius dare poteſt.* Eſt certa.

### §. I. *Miniſter Ordinarius Sacramenti confirmationis eſt ſolus Epiſcopus.*

22 EſT de fide definitum in Concilio Tridentino *ſeſſ. 7. can. 3. de confirmatione*: dicente: *Si quis dixerit, Sanctæ confirmationis Ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolùm Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit.* Quod etiam anteà indicaverat Concilium Florentinum, in Decreto Eugenii, ita quidem, ut non tantùm ſolus Epiſcopus ſit Miniſter Ordinarius, & neceſſarius confirmationis neceſſitate Præcepti, ſed etiam Sacramenti; ita, ut ſi ſimplex Sacerdos propria Authoritate illud conferre tentet, nihil efficeret; quia, cùm ex inſtitutione Chriſti Ordinarius ipſius Miniſter ſit ſolus Epiſcopus, à quocunque inferiori collatum erit invalidum. Quæ veritas fundamentum ſuum habet in S. Scriptura: Nam ſoli Apoſtoli in actibus Apoſtolorum, imponebant manus, & dabant Spiritum ſanctum, quod erat confirmationis Sacramentum: quia ſoli Apoſtoli tunc temporis erant Epiſcopi: unde *Actor.* 8. Miſſi ſunt Petrus, & Joannes, ut per impoſitionem manuum darent Spiritum ſanctum iis, quos Philippus in Samaria baptizaverat, & *Act.* 19. Paulus ipſe Apoſtolus manus imponebat illis, quos alii baptizaverant; quod non alia ratione factum cenſetur à Sacris Doctoribus, & Patribus, niſi eo quòd Apoſtoli non ſolùm quia erant Sacerdotes, ſed maximè, quia erant Epiſcopi, debebant hoc Sacramentum ex Chriſti inſtitutione propriis manibus conferre: Propterea Concilium Tridentinum, *ſeſſ. 23. c. 4.* inter alias functiones proprias Epiſcoporum, quarum functionum poteſtatem reliqui Sacerdotes inferioris Ordinis nullam habent, ponit hanc; ſcilicet confirmationis Sacramentum conferre. Quare Epiſcopus juxta Barboſam *de Offic. & poteſt. Epiſc. Allegat. 30. num. 9.* tenetur ſedulò adminiſtrare hoc Sacramentum: Ita ut graviter peccet, ſi multo tempore negligenter omittat confirmare; adeoque mortaliter. Palaus apud Gobat *tract. 2. Caſu 21. num. 752.* quia ſcilicet magno fructu Spirituali privat oves ſibi commiſſas. Porrò hoc Sacramentum conferre debet Epiſcopus cum ſtola, Mitra, & Baculo Paſtorali, ut reſpondit ſacra Congregatio apud Barboſam, & Gobat *cit. n. 754.*

### §. II. *Quilibet Epiſcopus, etiam hæreticus, vel degradatus validè poteſt conferre Sacramentum confirmationis.*

23 COmmuniſſima DD. apud *Maſtrium, Herincx*, & alios. Ratio eſt: Quia collatio hujus Sacramenti eſt actus Ordinis Epiſcopalis, non verò Juriſdictionis; nec ad hoc Sacramentum validè adminiſtrandum requiritur, niſi debita materia, & forma, à Miniſtro habente Ordinem Epiſcopalem, & intentionem faciendi, quod Chriſtus inſtituit, miniſtrata; atqui per hæreſim, vel degradationem, Epiſcopus Ordinem Epiſcopalem non amittit, cùm non amittat Characterem Epiſcopalem, utpotè indelebilem; qui per nullum peccatum tollitur, & impeditur, quominùs validè, etſi non licitè, Epiſcopus exerceat functiones Epiſcopales, ut definit Tridentinum de quolibet peccato *ſeſſ. 7. can. 12. de Sacramentis in genere* ibi: *Si quis dixerit, Miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modò omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum, pertinent, ſervaverit, non conficere, aut non conferre Sacramentum, anathema ſit.* Hinc etiam validè confirmat Epiſcopus, etſi non ſit ipſe confirmatus; non enim à Charactere confirmationis, ſed Ordinis Epiſcopalis proficiſcitur hæc poteſtas, ut proinde debeat ipſe Epiſcopus eſſe conſecratus, nec ſufficiat eſſe præditum Juriſdictione Epiſcopali. Gobat *loco citat. num. 751.* Ut autem licitè etiam conferat Epiſcopus Sacramentum confirmationis, utique debet eſſe in ſtatu gratiæ, non excommunicatus, ſuſpenſus, irregularis, &c. quæ omnia conſtant ex Theologia Morali Sacramentali *P. Sporer, part. 1. de Sacramentis in genere*, & iis, quæ diximus in ſupplemento Theol. Moral. Decalogal. *P. Sporer, de cenſuris, & irregularitatibus, cap. 3.* quo Lectorem remittimus.

### §. III. *Miniſter extraordinarius confirmationis*

VAlidè, & licitè conferendæ poteſt eſſe Sacerdos etiam non Epiſcopus, per ſpecialem commiſſionem, & delegationem ſummi Pontificis. Ita *Doctores, Seraphicus S. Bonaventura, Angelicus D. Thomas, Subtilis Joannes Duns Scotus, & irrefragabilis Alexander Alenſis* apud Maſtrium *in 4. diſp. 2. q. 8. art. 3. n. 243.* Ratio eſt: quia S. Gregorius Papa *lib. 6. Epiſt. 66.* & refertur *cap. pervenit. diſt. 95.* Conceſſit Presbyteris Sardiniæ confirmare: Quod indicat Eugenius IV. in Concilio Florentino citat. dicens: *Legitur tamen, aliquando per Apoſtolicæ ſedis diſpenſationem, ex rationabili, & urgente admodùm cauſa ſimplicem Sacerdotem, Chriſmate per Epiſcopum confecto, hoc Sacramentum Confirmationis adminiſtraſſe.* Ita Concilium, idem fecere alii Pontifices maximi, concedentes hanc poteſtatem pro remotis regionibus, Presbyteris, ut probatiſſimi ſcriptores teſtantur. Unde ſacra Cardinalium Congregatio apud Herincx *diſp. 9. de Sacramento confirmationis qu. 5. num. 43.* declaravit: *Abbates ex privilegio Sedis Apoſtolicæ, de conſenſu tamen Ordinariorum, hoc Sacramentum confirmationis conferre poſſunt.* Pro Indis facultatem confirmandi conceſſerunt Fratribus Minoribus Joannes XXII. & Leo X. ut patet ex Rodriquez in ſuo Bullario Regular. in Bulla 3. Leonis X. Eamdem conceſſit aliquibus Patribus ſocietatis Gregorius XIII. ut teſtatur Suarez. Ex his apparet, hanc ſententiam eſſe moraliter certam; quare ſimplex Sacerdos ex ſpeciali commiſſione Papæ adminiſtrans Sacramentum confirmationis, validè, & licitè confirmaret, nec foret reiteranda confirmatio: quia in Sacramentis, etiam, quando agitur de valore, ſufficit ſequi ſententiam moraliter certam, etſi non tutiorem. Aliud foret, ſi juxta ſupradicta conferretur confirmatio Chriſmate à ſimplici Sacerdote benedicto: quia illa Sententia docens, poſſe à Papa, ſimplici Sacerdoti, committi poteſtatem conſecrandi Chriſma, non eſt moraliter certa, ſed tantùm probabilis ſpeculativè, adeòque nec licitè practicanda, & ſi fuiſſet practicata confirmatio foret iteranda, niſi interim accederet fundamentum reddens eam moraliter certam. Ita Illſung *tractat. 6. diſt. 3. artic. 1. d numer. 37.* Sbogar *tract. 35. num. 7.* citans alios. Ratio autem, cur Chriſtus Benedictionem Chriſmatis pro Sacramento confirmationis, non permiſerit ſimplicibus Sacerdotibus, & tamen iiſdem, cùm licentia Papæ ſui Vicarii, permiſerit collationem Sacramenti confirmationis, hæc videtur eſſe: quia ubique poteſt haberi Chriſma ab aliquo Epiſcopo benedictum: cùm poſſit de loco in locum tranſmitti; non poſſunt autem ubique haberi Epiſcopi; adeoque etiam ſimplex Sacerdos debuit poſſe eſſe Miniſter confirmationis extraordinarius per ſpecialem commiſſionem, & delegationem Papæ. 24

### §. IV. *Quam hic ſolus, & nullus alius dare poteſt.*

COmmunis apud Maſtrium *in 4. diſp. 2. qu. 8. numer. 245. & 246.* Ratio eſt: quia hæc commiſſio in Concilio Florentino citato refertur, ut ſpecialis prærogativa Sedis Apoſtolicæ, & ex continua Eccleſiæ praxi conſtat, à nullo umquam Epiſcopo, ſine commiſſione Papæ, hoc privilegium confirmandi, ſimplici Sacerdoti legitimè fuiſſe conceſſum, quod ſignum eſt, hanc poteſtatem committendi ſimplici Sacerdoti facultatem confirmandi, in ſummo Pontifice, ex Chriſti inſtitutione eſſe poteſtatem Juriſdictionis univerſalis in totam Eccleſiam, non verò tantùm Ordinis Epiſcopalis. Unde Herincx *diſput. 9. de Sacramento confirmationis, qu. 5. num.* 50. ait: Hanc porrò facultatem confirmandi poteſt dare ſummus Pontifex, etiam non conſecratus: cùm ſit actus Juriſdictionis. Unde ſi ipſemet adhuc foret ſimplex Sacerdos, poſſet illam dare ſibi ipſi, & *num.* 49. inquit: Quamvis autem, ut Papa committat ſimplici Sacerdoti hanc adminiſtrationem confirmationis, congruum Eccleſiæ regimen videatur rationabilem cauſam exigere, tamen illa non apparet neceſſaria ad valorem, juxta *Henriquez, Suarez, Coninch.* & alios communiùs, etſi aliqui contradicant: Quia non eſt illa propriè, & ſtrictè dicta diſpenſatio in Jure Divino, ſed commiſſio poteſtatis ſecundùm Chriſti inſtitutionem; ita ut Chriſtus inſtitueri, quòd Miniſter hujus Sacramenti Ordinarius, & ex officio eſſet Epiſcopus; 25

ex-

extraordinarius autem, & ex commiſſione Summi Pontificis poſſet eſſe ſimplex Sacerdos. Quod ita eſſe, ex declaratione Eccleſiæ ſatis conſtat. Unde conſequenter Papa tali commiſſione, non mutat eſſentialia hujus Sacramenti, ſed ea ſervat juxta inſtitutionem, utens poteſtate ſibi à Chriſto conceſſa. Appellatur autem à Concilio Florent. *Diſpenſatio Sedis Apoſtolicæ*; tum quia eſt commiſſio Superioris tribuens facultatem ad id, quod eſt extraordinarium, & aliàs ſimplici Sacerdoti interdictum: tum quia procedit à Papa tamquam ſupremo Procuratore, & diſpenſatore Juriſdictionum, & facultatum. Ita Herinex loc. cit.

## SECTIO II.

*De ſubjecto, neceſſitate, effectu, & ceremoniis Sacramenti confirmationis.*

## QUÆSTIO I.

*De ſubjecto confirmationis.*

### SUMMARIUM.

26 & 27 *Subjectum capax confirmationis validè recipienda eſt homo viator, baptizatus, nondum confirmatus.*
28 *Etiam infans:*
29 *Etiam perpetuò amens.*
30 *Quid requiratur ad licitè ſuſcipiendum confirmationis Sacramentum?*
31 *Jejunium non requiritur in confirmante, nec in confirmando.*

### ASSERTIO I.

26 *SUbjectum capax confirmationis validè recipiendæ, eſt Homo viator, baptizatus, nondum confirmatus, etiam infans, perpetuò amens, & adultus habens intentionem, illam ſuſcipiendi: Ad licitè verò recipiendam confirmationem præterea requiritur ſtatus gratiæ, & ut confirmandus ſit ſubditus confirmantis.* Communis DD. apud Gobat, Herinex, Layman, Maſtrium, & alios.

#### §. I. *Subjectum capax confirmationis validè recipienda eſt Homo viator, baptizatus, confirmatus nondum.*

27 EST certa. Ratio primi, quòd debeat eſſe *Homo viator* patet ex illa generali Regula, quòd omnia Sacramenta ſint pro hominibus viatoribus inſtituta, eò quod ſoli homines viatores ſint novæ gratiæ capaces, ejuſque accrementi. Ratio ſecundi, quòd debeat eſſe *baptizatus*, patet ex eo.: quia baptiſmus eſt Janua cæterorum Sacramentorum, quorum proinde incapax eſt, qui non eſt baptizatus *c. 1. & 3. de presbytero non baptizato.* Accedit Ratio congruentiæ ex D. Thoma *qu. 72. art. 6.* quia confirmatio eſt quædam baptiſmi perfectio: Unde ſicut nemo poteſt corporaliter creſcere, niſi fuerit corporaliter genitus, ita nec per confirmationem poterit quiſquam creſcere in perfectum Chriſtianum, niſi priùs fuerit in Chriſto genitus per baptiſmum. Nec obſtat, quòd *Actor.* 10. legatur Spiritum ſanctum fuiſſe datum necdum baptizatis: Hoc enim ſine Sacramento fuit factum per extraordinariam poteſtatem DEI independentis à Sacramentalibus ſignis: ſive nihilominùs fuerit impreſſus character confirmationis, & tales redditi incapaces ulterioris Confirmationis, ſive non, quod incertum eſt. Ratio Tertii, quòd *nondum debeat eſſe confirmatus*, patet ex eo, quia Sacramentum confirmationis non tantùm illicitè, ſed etiam invalidè iteratur, ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 7. de Sacramentis in genere, can. 6.* Non tamen permittens ſe bis confirmari, nec bis confirmans eundem, fit irregularis, juxta Barboſam *de Offic. & poteſt. Epiſc. Allegat.* 30. *num.* 30. Suarez *de cenſur. d.* 42. *ſect.* 4. Gobat, & alios: quia talis irregularitas numquam exprimitur in toto Jure. Si verò dubites, an ſis confirmatus, nec ne: Ergo pete confirmationem ſub conditione tibi conferendam, ſi te nequeas ex ſolvere dubio. Nugnus *in 3. p. q. 72. ar. 5.* At majus hic dubium requiritur, quàm pro baptiſmo: quia confirmatio non eſt tam neceſſaria, ſicut baptiſmus.

#### §. II. *Etiam Infans,*

28 ÆTatem, quod attinet, ad hoc Sacramentum recipiendum requiſitam, nulla eſt nimis matura, nulla nimis ſera; quia quælibet eſt capax effectus recipiendi, quem hoc Sacramentum operatur. Poſſunt itaque *validè*, ut omnes conſentiunt, ac etiam *licitè*, ſaltem ſi adſit cauſa aliquantùm rationabilis, confirmari infantes adhuc à Matre rubentes, ut olim fiebat; nam poſt baptiſmum confirmabantur, ut videre eſt apud *Suarez, Gobat, Layman*, & alios. Rationabilis autem cauſa eſt, tum Mors imminens infanti, cui utique æternum erit melius, ſi moriatur unctus in fronte, qui priùs unctus erat in vertice; nam augmento gratiæ ſuccedit incrementum gloriæ. Tum quando Epiſcopus rariùs confirmat in tali loco. Tum quando in Diœceſi viget conſuetudo, ut infantes ante adventum uſus rationis confirmentur. Layman *lib. 6. tract. 3. cap. 5. num. 2.* ſi tamen abſtrahamus à periculo mortis, & aliis incommodis, magis expedit, ut collatio confirmationis differatur uſque ad uſum rationis, ſeu ad primum ætatis ſeptennium: tum ut ſe etiam per actus proprios diſponant ad fructuoſiorem hujus Sacramenti ſuſceptionem: tum ut ſint ipſimet memores receptæ confirmationis. Sic communiter ſentiunt Recentiores Theologi teſte Gobat *tr. 2. caſu 22. n. 766.*

*Supplem. Theol. Sacram.*

#### §. III *Etiam perpetuò amens.*

QUi uſum rationis ſemel aſſecutus, poſteà in amentiam incidit, confirmari debet, Layman *citat. nu.* 3. citans Suarez, Sotum, Henriquez, Coninch. & alios communiter. Ratio eſt: quia adeſt interpretativa hominis voluntas ſuſcipiendi tempore opportuno Sacramenta ad animarum ſalutem à Chriſto inſtituta. Excipe I. niſi conſtet aliquem, mortali peccato obnoxium, in amentiam incidiſſe. II. Si ſpes ſit, uſum rationis recuperandum eſſe, tantiſper expectandum foret. Inſuper nihil obſtare videtur, quominùs etiam iis, qui perpetuò amentes ſunt, confirmationis Sacramentum miniſtrandum ſit. Ita docet *Suarez, Henriquez, Coninch. Layman citat.* Ratio eſt: quia ejuſmodi amentes cum ſpirituali fructu, & ſine irreverentia Sacramentum confirmationis ſuſcipiunt, ſicuti baptiſmum. Neque dubium eſt, quin olim tum infantibus, tum perpetuò amentibus utrumque Sacramentum miniſtratum fuerit. Nunc verò infantibus non ſolet miniſtrari; quia expectatur tempus, quo utiliùs percipere poſſint, quæ ratio ceſſat in perpetuò amentibus. Quare Epiſcopi, inquit *Suarez*, tales amentes confirmare deberent. 29

#### §. IV. *Adultus rationis compos,*

UT validè recipiat confirmationis Sacramentum, utique debet habere intentionem ſaltem habitualem, illud ſuſcipiendi, ut conſtat ex P. Sporer, *Theol. Sacram. part. 1. cap. 2. ſect. 4. num.* 139. quem vide. In infantibus verò, & perpetuò amentibus nulla requiritur intentio: quia hanc in eis ſupplet Chriſtus, & Eccleſia, ſicut in baptiſmo. Porrò ad licitè recipiendum Sacramentum confirmationis, requiritur. I. *Status gratiæ.* Ratio eſt: quia confirmatio eſt Sacramentum vivorum conferens gratiam ſanctificantem ſecundam: ergo jam præſupponit in confirmando primam. Non tamen abſolutè opus eſt præmittere Confeſſionem Sacramentalem, ſed ſufficit contritio perfecta iis, qui conſcii ſunt alicujus peccati mortalis. *Gobat citat. num. 767. Herincx*, & communis. Quia nullibi eſt præcepta Confeſſio Sacramentalis confirmandis: ſicut eſt præcepta communicare volentibus; conſultius tamen eſſe, ac etiam neceſſarium, præmittere Confeſſionem Sacramentalem, iis, qui de ſuo peccato mortali fortè non poſſent elicere contritionem perfectam, aut amorem DEI ſuper omnia, nullus dubitat. II. Requiritur, ut *confirmandus ſit ſubditus confirmantis.* Layman *cit. c. 6. numer.* 3. Gobat, Herinex cum communi. Ratio eſt: quia ad licitè conferendum confirmationis Sacramentum; requiritur etiam Juriſdictio, adeòque Epiſcopus alios confirmare non debet, quàm qui ſpiritualiter ipſi ſubditi ſunt. Excipe: Niſi habeatur licentia ſaltem rationabiliter præſumpta proprii Ordinarii. Imò Epiſcopus confirmans in aliena Diœceſi, etiam proprium ſubditum, incidit in ſuſpenſionem à Pontificalibus propter auctoritatem Concilii Trident. *ſect. 6. cap. 5. de reformat.* illimitatè loquentis. Gobat *cit. num.* 777. Si verò in propria Diœceſi unà cum aliis in turba confirmet alienum, non peccat. Si autem ſeorſim; adeòque ſciens eſſe extraneum, incurrit ſuſpenſionem juxta Bonacinam *hic punct. 2. num.* 11. & alios: nullam verò culpam juxta Barboſam, Jordanum, Layman apud *Gobat citat.* eò quod videatur eſſe tunc præſumpta voluntas alieni Epiſcopi. 30

31 Præterea Jejunium non requiri in confirmante, vel confir-



Digitized by Google

mando, declarat praxis univerſalis Germaniæ, ſicuti & Romana, teſte Jordano, *to.2. lib.3. tit. 3. nu. 13.* ut proinde doctrina *c. ut jejunii de, conſecr. diſt.4.* fuerit vel ſolùm conſilii, vel abrogata. Conſentit S. Thomas *q. 72. art.12. ad 2.* Denique monet Layman *citat. cap.5. num.2.* Non expedire, ut poſt ſeptennium, quando puer uſum rationis adeptus eſt Sacramentum Confirmationis diutiùs differatur: quia digniùs ſuſcipitur ab innocente, ſeu gratiam baptimalem illæſam adhuc ſervante, ipſumque etiam Sacramentum remedii loco eſt, ut Homo à gravioribus lapſibus cuſtodiatur.

## QUÆSTIO II.

*De neceſſitate confirmationis.*

### SUMMARIUM.

33 *Non datur praceptum ad recipiendam confirmationem obligans,*
34 *Per ſe loquendo*
35 *Hodie.*
36 *Tenentur tamen Epiſcopi ſub peccato hoc Sacramentum ſuis ſubditis adminiſtrare.*

### ASSERTIO II.

32 *NOn eſt praceptum Divinum, nec Eccleſiaſticum, obligans per ſe loquendo hodie, ad recipiendam confirmationem: Tenentur tamen Epiſcopi ſub peccato hoc Sacramentum ſuis ſubditis miniſtrare.* Ita Layman *cit. c.6. nu. 3.* Gobat, Herinx, & communis.

*§. I. Non datur praceptum Divinum, nec Eccleſiaſticum obligans ad recipiendam confirmationem.*

33 ITa communis apud Authores citatos. Imprimis Divinum præceptum nullum extat, eò quòd Sacramentum iſtud ad ſalutem non ſit neceſſarium, ſicuti notavit S. Thomas *qu 72. art.8. ad 4.* ſed, neque præceptum Eccleſiaſticum hodie extare, teſtatur Doctor noſter Subtilis *in 4. d.7. qu. 2.* apud Perilluſtrem, & Reverendiſſimum Patrem Guilielmum Herincx Epiſcopum Iprenſem, ex Ordine noſtro Seraphico, ſæpe citatum, & citandum, *diſp 9 de confirmatione qu 6. n.54.* Item Layman *cit. cap.5. n.3* citans Navarrum, Henriquez, Suarez, Valentiam, Coninch. & alios. Ratio eſt: quia ſi foret præceptum Eccleſiæ, hæc utique ſuos Filios cogeret ad impletionem illius, ſicut cogit ad impletionem præcepti aliorum Sacramentorum, nec permitteret tam facilè aliquem mori ſine hoc Sacramento, cujus utriuſque contrarium tamen experimur: Ergo.

*§. Obligans per ſe loquendo.*

34 NAm *per accidens*, ratione contemptus, aut ſcandali, vel alteriùs circumſtantiæ, poſſet omittens ſuſcipere hoc Sacramentum graviter peccare. Quare D. Thomas *citat. art.3.* docet, eſſe peccatum mortale, ſi quis Sacramentum confirmationis non recipiat propter contemptum. Aliqui verò, ut Richardus *dub.7. art.7. qu. 1.* Gabriel, Sylveſtr, Toletus apud Layman citat. ajunt, etiam notabilem negligentiam contemptum cenſeri, ut ſi quis data opportunitate conſequendi Sacramenti, qualem poſteà non facilè habiturus ſit, ſuſcipere intermittat. Sed id verum non videtur: quia multa animæ ſalubria facere intermittimus, ex torpore quodam, vel quia cogitamus, abſolutè ad ſalutem nobis neceſſaria non eſſe, quæ tamen haud contemnimus. Porrò ratione ſcandali, nemo dubitat, per ejuſmodi amiſſionem peccatum mortale incurri poſſe. Videatur noſter Doctor Seraphicus S. Bonaventura, *d. 7. art. 3. qu.2.* & irrefragabilis Alexander Aleuſis *in part. 4. qu. 26. memb. 2.*

*§. III. Obligans hodie.*

35 NAm Olim, cùm ſtatim poſt baptiſmum conferri ſoleret confirmationis Sacramentum, fuiſſe præceptum illud ſuſcipiendi, non obſcurè colligitur ex dictis SS. Patrum, & antiquorum Conciliorum, *Elibertini, cap. 38. Laodicenſis, cap. 56.* quod etiam notavit Petrus Sotus *Lect. 2. de confir. in fin.* Hodie verò, cùm Epiſcopi Sacramentum confirmationis alicubi miniſtrare volunt, admonetur populus, non tamen præcepto ſtrictè impoſito; ut qui confirmati non ſunt, ad confirmandum accedant, vel adducantur. Videatur *Cathechiſmus Romanus, part.2. de confirmat. n.13.* Poſſet tamen Papa, imò, & Epiſcopus præcipere ſuis ſubditis ſuſceptionem hujus Sacramenti, ſi ad bonum Regimen judicaverint expedire. Herincx *cit. q.6. n.55.*

*§. IV. Tenentur tamen Epiſcopi ſub peccato hoc Sacramentum ſuis ſubditis miniſtrare.*

COmmunis, Herincx citat. Layman *citat. cap. 6. nu. 3.* 36
Gobat *tr.2. n.742.* Angelus V. *Confirmatio de Sacram. §. 1.* Suarez *diſp.8. ſect.1.* Sylveſter *num. 2.* Sa *num. 12.* Bonarina, & alii; ita quidem, ut ſi id longo tempore Miniſtrare intermitterent, mortaliter peccarent. Ratio eſt: quia omittere obire munus ſuum ſuis ſubditis providendi de Sacramentorum utili, eſto in his non ſit obligatio illud ſuſcipiendi, eſt quid grave; & ideò, ſicut Parochi tenentur providere ſuis Parochianis de Sacramento extremæ unctionis, quantumvis non ſit obligatio ſuſcipiendi, etiam tenentur Epiſcopi miniſtrare Sacramentum confirmationis. Siquidem Maxima eſt Sacramenti confirmationis utilitas, ut patebit ex q. ſeq. cujus proinde ſuſceptio, & fructus omnibus inculcari deberet.

## QUÆSTIO III.

*De effectu confirmationis.*

### SUMMARIUM.

38 *Effectus confirmationis eſt Augmentum gratia ſanctificantis: item*
39 *Jus ad gratias roborativas ad fidem Chriſti fortiter profitendam: Item*
40 *Character: & quidem*
41 *Diſtinctus à Charactere baptiſmi.*

### ASSERTIO III.

*EFfectus confirmationis eſt augmentum gratia ſanctificantis, Jus ad gratias actuales, roborantes ad fidem Chriſti fortiter profitendam, & character diſtinctus à charactere baptiſmi.* Eſt certa. 37

*§. I. Effectus confirmationis eſt augmentum gratia ſanctificantis.*

RAtio eſt: quia confirmatio eſt Sacramentum vivorum; atqui Sacramenta vivorum cauſant per ſe augmentum gratiæ ſanctificantis, ſeu gratiam ſanctificantem ſecundam, ut patet: ergo augmentum gratiæ ſanctificantis per ſe eſt effectus confirmationis; quod patet ulteriùs ex *act. 8. & 19.* ubi dicitur per hoc Sacramentum *dari Spiritum ſanctum*, qui abſolutè non dicitur alicui dari, niſi conferatur gratia ſanctificans. Dictum eſt, Augmentum gratiæ ſanctificantis, ſeu gratiam ſanctificantem ſecundam, eſſe *per ſe* effectum confirmationis: quia *per accidens* poſſe Sacramenta vivorum, quale eſt confirmatio, cauſare gratiam ſanctificantem etiam primam, eſt communis Doctrina apud P. Sporer *Theol. Sacrament. p.1. c.1. ſect. 2. num.23.* quem vide. 38

*§. II. Jus ad gratias actuales roborativas ad fidem fortiter profitendam.*

PAtet ex Concilio Florentino *in Decreto unionis* dicente: *Effectus autem hujus Sacramenti eſt: quia in eo datur Spiritus ſanctus ad robur, ſicut datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes, ut Chriſtianus audacter Chriſti confiteatur nomen.* Ex hac firmitate, ſeu robore fidei confitendæ, nomen ipſum confirmationis, ſuam trahit originem, ut ait Catechiſmus Romanus *cap. de confirmatione. §.16. ab eo* (inquit) *Nomen rei impoſitum eſt, quòd hujus Sacramenti virtute DEUS in nobis id confirmat, quod baptiſmo operari capit, noſque ad Chriſtiana ſoliditatis perfectionem adducit.* Quod ulteriùs conſtat ex fine, propter quem Confirmationis Sacramentum fuit à Chriſto Domino, inſtitutum, qui eſt ad ipſius fidem tuendam: Omne autem Sacramentum præter gratiam habitualem confert peculiare auxilium, quod dicitur *gratia Sacramentalis*, ad meliùs, faciliùſque conſequendam finem, propter quem eſt inſtitutum: Ergo 39

*§. III. Eſt Character.*

DE fide eſt, Sacramentum confirmationis imprimere in Anima confirmati Characterem Spiritualem inde- 40

indelebilem, unde etiam hoc Sacramentum iterari nec validè, nec licitè poteſt. Patet ex Concilio Florentino citat. dicente: *Inter hæc Sacramenta, tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ Characterem, id eſt, Spirituale quoddam ſignum à Cæteris diſtinctum imprimunt in anima indelebile: Unde in eadem Perſona non reiterantur*. Item ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 7. de Sacramentis in Genere, Can.* 9. definiente: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi Characterem in Anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, unde ea iterari non poſſunt; Anathema ſit*. Rationem congruentiæ, cur Confirmatio imprimat characterem, Vide apud P. Sporer *Theol. Sacram. p. 1. c. 1. ſect. 4. n. 56.*

### §. IV. *Diſtinctus à Charactere Baptiſmi.*

41 RAtio multiplex eſt: 1. quia Concilia modò citata apertè dicunt tria Sacramenta imprimere characterem, utique non unum; cùm non ſimul ſuſcipiuntur: Ergo triplicem, ſeu tres ad invicem diſtinctos. 2. quia Confirmatio eſt Sacramentum diſtinctum, & quidem ſpecie, à Baptiſmo, & Ordine: ergo etiam ſpecie diſtinctum imprimet Characterem. 3. quia alius eſt Status *Ovium Chriſti*, quem ſignificat Character Baptiſmalis: Alius eſt Status *Militum Chriſti*, quem ſignificat Character Confirmationis; & alius eſt ſtatus *Miniſtrorum Chriſti*, quem ſignificat Character Ordinis: ergo etiam alii, ſeu diſtincti ſunt Characteres Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis. 4. Quia Character Baptiſmi eſt capacitas quædam moralis ad reliqua Sacramenta legitimè ſuſcipienda; Character autem Confirmationis eſt quædam Potentia ad fidem fortiter propugnandam. Aliud eſt de Gratia Sanctificante habituali, quæ debet eſſe ejuſdem ſpeciei ex quacunque cauſa proveniat; cùm idem ſemper ſit principalis ejus finis, & effectus formalis, ſcilicet conſtituere filium DEI, & conferre Jus ad Gloriam Cœleſtem. Herincx *diſp. 9. de Confirmationis Sacramento, quæſt. 7. num. 63.*

## Q U Æ S T I O IV.

### *De Cæremoniis Confirmationis.*

### S U M M A R I U M.

43 *Prima Confirmationis Cæremonia eſt, ut Epiſcopus illam miniſtret in Habitu Pontificali;*
44 *Secunda eſt, ut caput ſeu frons confirmati circumligetur vitta, ſeu linteo;*
45 *Tertia eſt, ut Epiſcopus det alapam Confirmato;*
46 *Quarta eſt, ut adſit Patrinus.*
47 *Qualis debeat eſſe Patrinus?*
48 *An contrahat obligationem inſtruendi ſuum filiaſtrum?*
49 *An contrahat cognationem ſpiritualem &c.?*

## A S S E R T I O VI.

42 *CÆremoniæ Confirmationis ſunt Quatuor: Prima, ut Epiſcopus illam conferat indutus Habitu Pontificali: Secunda, ut Caput Confirmati circumligetur vitta, ſeu linteo: Tertia, ut Epiſcopus confirmato det alapam: Quarta, ut adſit Patrinus*. Communiſſima apud Layman, Herincx, Gobat, La Croix, & alios.

### §. I. *Prima Confirmationis Cæremonia*

43 EST, quòd Epiſcopus ob reverentiam Sacramenti debeat indui habitu Pontificali, idque ſub peccato Mortali, ut docet *Diana part. 7. tract. 10. reſol. 31.* quemadmodùm Sacros Ordines collaturus, debet veſtiri indumentis, & Ornamentis Pontificalibus. Et licet Epiſcopus Sacramentum Confirmationis deberet conferre in Eccleſia, quantùm commodè fieri poteſt; ſimpliciter tamen illud conferre poteſt quovis loco decenti, imò ob copiam adventantium etiam ſub dio, idque quamvis locus ſit interdictus, ut habetur *c. Reſponſo. de ſentent. excomm.* ita Herincx *diſp. 9. de Sacramento Confirmationis q. 8. numer.* 64. ſimiliter quamvis olim Sacramentum Confirmationis ſolùm conferretur tempore Paſchæ, & Pentecoſtes, modò tamen invaluit Conſuetudo conferendi illud omni tempore, & die, idque tam poſt, quàm ante prandium, ut patet ex Praxi Epiſcoporum.

### §. II. *Secunda Confirmationis Cæremonia*

EST, quòd caput Confirmati circumligetur vitta, ſeu 44
linteo; quod fit ob Reverentiam Chriſmatis, ut paulatim exiccetur, & ne aliis rebus adhæreat, quæ vitta circumferri debet, & non ante ablutio fieri, quam Unctio Chriſmatis ſiccata ſit; quamvis in ea re, cujuſque loci conſuetudinem ſervandam eſſe, moneant Suarez, Henriquez, Coninch. apud Layman *lib. 5. tract. 3. capit. 7. numer.* 2. Nam alicubi mos eſt, ut mox poſt collatum Confirmationis Sacramentum, frons Confirmati abluatur ab aliquo ex aſſignatis Sacerdotibus, ſpongia, vel alio linteo; alibi expectatur, donec ſit exiccatum Chriſma: alibi circumfertur vitta tribus diebus, alibi ſeptem diebus. Poſtquàm vero frons tota, & vitta depoſita eſt, ea comburi ſolet, & aliquibus locis in profluentem mitti. Quamvis nihil obeſſe videatur, ſi diligenter lota, in Sacrario, vel alio honeſto loco aſſervata, deinde ad ſimilem Sacrum uſum adhibeatur. Ad profanos tamen uſus applicari non debet; Cùm per Sacri Chriſmatis contactum quodammodò ſacrata ſit.

### §. III. *Tertia Confirmationis Cæremonia*

EST, quòd Epiſcopus det Confirmato Alapam, ſuper 45
genam, dicendo: *Pax tecum*. Tum ut Confirmatus intelligat ſe armari hoc Sacramento ad injurias pro Chriſto tolerandas: Tum ut recordetur Sacramenti ſuſcepti, & militiæ, ad quam exercendam conſcribitur.

### §. IV. *Quarta confirmationis Cæremonia*

I. EST, quòd debeat adeſſe Patrinus, qui Confirman- 46
dum teneat, ut habetur *capit. in catechiſmo* 100. *& duobus ſeqq. de conſecrat. diſt.* 4. & quidem ſub culpa gravi, ut docet Navarrus *Manual. capit.* 22. ex communi, apud La Croix *lib. 6. part. 1. numer.* 394. Ubi tamen facilè non habetur Patrinus, poteſt omitti juxta Gobat *tract. 2. num.* 780. alii tamen meliùs ſuadent, ut unus tunc ſit plurium Patrinus: Gobat *citat. numer.* 768. poſſe enim unum etiam eadem die eſſe Patrinum plurium, docet Barboſa, apud la Croix *citat. numer.* 396. Non permittitur hic unus, & una ſimul, ſed ſolùm unus, vel una Gobat *citat. num.* 785. Palaus, Herincx &c. Ratio eſt: quia Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 2. de Reform. Matrim.* tantùm ſtatuit de baptiſmo, quod poſſint eſſe duo Patrini, adeòque non videtur extendendum ad Confirmationem; Cùm Juris Antiqui (quod *capit. Non plures* 101. *diſt. 4. de Conſecr.* non admitti niſi unum, vel unam) correctio ſine urgenti fundamento non debeat admitti. Verùm, quia Concilii Tridentini citati verba videntur tam ampliativè, quàm reſtrictivè ſtatuere de Patrinis hujus Sacramenti, idcircò contraria Opinio placet Navarro *in ſumma capit. 22. numer.* 40. Toleto *lib. 2. capit. 24. numer.* 11. Sanchez *de Matrim. lib. 7. diſput. 57. num.* 12. & Aliis, quos tutò ſequeris, ait Gobat citat. ubi non repugnaverit Conſuetudo. Debet etiam ſecundùm Romanam conſuetudinem Patrinus confirmationis eſſe diſtinctus à Patrino baptiſmi extra caſum neceſſitatis, *capit. in catechiſmo citat.* Putat tamen Sylveſter, *Verb. confirmatio*, conſuetudinem jam contrarium obtinere: Alii apud Herincx, *diſp. 9. de Confirmat. quæſt.* 8. *numer.* 66. cenſent, ſecùs facientem non peccare ſaltem mortaliter, uti nec ſi fœmina præſentet Virum Patrinum, vel è contra; etſi hoc ſit minùs conveniens, & contrarium præſcribatur in *Pontificali*. Debet etiam Patrinus eſſe Confirmatus, *Ex can. in Baptiſmate* 102. *de conſecrat. diſt.* 4. & *in Pontificali*. Unde non confirmatus, ſi fieret in confirmatione Patrinus, juxta DD. communiter apud La Croix *l. 6. part. 1. numer.* 394. graviter peccaret; juxta Eſcobar, Quintanadvennam, & alios apud Gobat *numer.* 782. probabiliter, tantùm leviter; ac etiam juxta pleroſque apud Herincx *citat. numer.* 66. invalidè obiret munus Patrini, adeòque probabiliter non contraheret cognationem ſpiritualem. Contrarium tamen etiam eſt valdè probabile, ait *La Croix citat. num.* 400. ſi enim confirmans non confirmatus contrahat, cur non Patrinus? Nec obſtat, *quod canon. citat. in Baptiſmate de conſecrat. diſt.* 4. dicat, illum, qui confirmatus non eſt, non poſſe alium ſuſcipere; Nam ly *Non poſſe*, ſæpè denotat tantùm prohibitionem quod enim illicitum eſt, dicitur moraliter fieri non poſſe, uti notat Averſa. Poteſt inſuper aliquis eſſe Patrinus in confirmatione per Procuratorem; idem tamen nequit ſimul eſſe confirmans, & Patrinus. *Gobat cit. num* 790. Nihilominùs confirmans poteſt eſſe Patrinus illius,

quem

quem Confirmat, ſi conſtituat Procuratorem, qui ſuo nomine teneat Confirmandum, ſicut ſuprà de Patrino baptiſmi diximus.

47 II. Patrinum Confirmationis deſignant Parentes, vel in eorum defectu Epiſcopus. *Gobat numer.* 788. Poteſtque Clericus in Confirmatione eſſe Patrinus; item Monachus reſpectu alterius Monachi. Barboſa, Caſtro-Palaus, Quintanadvennas, *Gobat numer.* 783. imò Dicaſtillus *numer.* 145. credit, Religioſos Mendicantes, etiam reſpectu externorum poſſe hic faciliùs eſſe Patrinos, eò quod non ſit obligatio inſtruendi, uti docent etiam Suarez, & alii. *Herincx citat. numer.* 67. obſervat, nonnullos cenſere, quòd Monachis non ſit illicitum, eſſe Patrinum Confirmationis, eò quod Ratio prohibitionis non habeat locum in hoc Sacramento ob non annexum onus inſtruendi. Communiter tamen alii contradicunt. P. Sannius *diſt.* 3. *de Confirm. quæſt.* 6, *num.* 10. ait: Non peccaret proinde modò Monachus, vel Religioſus, ſi ex rationabili cauſa requiſitus Patrinum ageret in Confirmatione, & fortaſſis etiam frater Minor non *obſtante ſua Regula Capit.* 11. quia Capitulum Noſtrum Generale 44. *Interamnæ* celebratum 1500. declaravit, Fratres Minores non poſſe eſſe Patrinos, quando exinde oritur ſcandalum inter fratres, vel de fratribus. Secus ſi exinde non oriretur ſcandalum.

48 III. Obligatio Confirmatum inſtruendi non eſt in Jure expreſſa, ut notat Henriquez, & alii: quæ tamen exprimitur *in Pontificali*, quod vitanda Mala, & facienda Bona, & quoad *Pater noſter*, *Avemaria*, *& Credo*: *quoniam* (inquit) *ad hoc ſunt obligati*. Dato autem, quòd etiam in Canonibus expreſſa foret, tamen rarò admodùm haberet locum; eò quòd ſuſcipiens hoc Sacramentum, ſi ſit Adultus, præſumatur utcunque inſtructus; & quamvis ſupponeretur eſſe parvulus, ad inſtructionem tamen teneatur Patrinus Baptiſmi. *Herincx cit. n.* 66.

49 IV. Contrahitur autem Cognatio Spiritualis dirimens Matrimonium inter Confirmantem & Patrinum ex una parte, & ipſum Confirmatum, ejuſque Parentes ex altera parte, & non ultrà. Juxta Concilium Trident. *ſeſſ.* 24. *capit.* 2. *de Reform. Matrim.* de qua agit P. Sporer *Theol. Sacram. Parte* 4. *capit.* 1. *ſect.* 1. *à numer.* 68. quem vide. Reliqua de Patrino Confirmationis ſunt ferè explicanda conformiter ad ea, quæ *capit. præced. ſect.* 3. *quæſt.* 4. *à numer.* 101. diximus de Patrino Baptiſmi. Porro Cæremonia illa, ut Confirmati non exeant templo, priuſquàm acceperint Communem Benedictionem ab Epiſcopo, non obſervatur, quando eſt tantus accurſus, ut alii aliis ſuccedere debeant. Layman *lib.* 5. *tract.* 3. *capit.* 7. Caſtro-Palaus, Gobat, La Croix *lib.* 6. *part.* 1. *numer.* 400. Denique providè monet Noſter P. Herincx *citat. numer.* 67. ſolicitè obſervandum eſſe Parochis, ut tum hujus Sacramenti initerabilitatem, tum Cognationem ſpiritualem ex hoc oriundam inculcent fidelibus, ob incommoda, quæ alioquin oriri nata ſunt. Imò Parochos teneri in librum referre Nomina Confirmatorum, & Patrinorum ſuæ Parochiæ, (eamque Curam etiam ad Epiſcopos pertinere) tum propter ſciendam Cognationem, tum propter Ordines ſuſcipiendos, docet Quintanadvennas *ſingul.* 11. ex Barboſa, apud Buſembaum, & La Croix *lib.* 6. *part.* 1. *numer.* 393. qui addit *numer.* 402. Parochos debere inquirere de hoc impedimento, dum ineuntur Matrimonia, & attendere, an contrahentes fortaſſe non impediantur Cognatione Spirituali ex Baptiſmo, vel Confirmatione contracta. Ultimò licet etiam mutare Nomen in Confirmatione. *Quintanadvennas cit. ſingul.* 10.

## SECTIO III.

*De Inſtitutione, Materia, Forma, & Miniſtro Sacramenti Extremæ Unctionis.*

### QUÆSTIO I.

*Quid ſit Extrema unctio, & quando Inſtituta?*

### SUMMARIUM.

51 *Extrema unctio eſt Sacramentum,*
52 *A Chriſto Domino immediatè inſtitutum,*
53 *Poſt ſuam Reſurrectionem.*
54 *Solvitur Objectio.*
55 *Definitur Extrema unctio, & explicatur.*

### ASSERTIO I.

50 *Extrema unctio eſt Sacramentum, à Chriſto Domino immediatè inſtitutum, poſt Reſurrectionem ſuam, & definitur à Doctore Subtili, quod ſit unctio hominis Pœnitentis, facta in determinatis Corporis partibus, cum Oleo Conſecrato ab Epiſcopo, miniſtrato à Sacerdote ſimul Verba Certa cum intentione debita proferente, ex inſtitutione Divina efficaciter ſignificans Curationem finalem Venialium.* Eſt partim de fidem, partim Communis.

#### §. I. *Extrema unctio eſt Sacramentum.*

Nomine *Extremæ unctionis* intelligitur illa unctio, qua 51 infirmus in extremis conſtitutus, Oleo per Epiſcopum benedicto, ſub certa Verborum forma, à Sacerdote inungitur ad ſublevandam Animæ, & Corporis debilitatem. Dicitur *Extrema*, partim, quia confertur Homini in extremis Conſtituto; partim, quia omnium Unctionum, quas in hac Vita Chriſtiani recipiunt, videlicet in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordinatione, eſt poſtrema. Hanc Extremam unctionem è numero Sacramentorum eliminare conati ſunt Hæretici, olim Vvaldenſes, & Albigenſes, nunc verò Lutherani, & Calviniſtæ, contra quos cum Eccleſia Catholica docemus, Extremam Unctionem eſſe Verum, & proprium Novæ Legis Sacramentum. Eſt certum de fide. Patet tum ex S. Scriptura, ex Epiſtola S. Jacobi, *cap.* 5. ubi ait: *Infirmatur quis in Vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum Oleo in Nomine Domini, & Oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & ſi peccatis ſit, remittentur ei*, quæ Verba Apoſtoli continent omnia ad eſſentiam veri Sacramenti neceſſaria; Continet enim primò, Signum Externum ſenſibile, Materia, & forma conſtans, ſcilicet Unctione Olei, & Oratione, ſeu Verbo Sacerdotis; deinde deſignatur Miniſter, ſcilicet Præsbyter, & ſubjectum hujus Sacramenti capax, ſcilicet fidelis infirmus, & tandem per alleviationem infirmi, & peccatorum remiſſionem, deſignatur effectus, & gratia Sacramentalis, ex efficacia Extremæ Unctionis data, quæ omnia in ſequentibus latiùs explicabuntur. Tum ex Conciliis Florentino, *in Decreto unionis*, & Tridentino *ſeſſ.* 14. *can.* 1. *de Sacramento Extremæ unctionis*, definiente: *ſi quis dixerit, extremam unctionem non eſſe verè & propriè Sacramentum, à Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & à Beato Jacobo Apoſtolo promulgatum, ſed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum; Anathema ſit*. Tum ex SS. Patribus idipſum affirmantibus: Tum ex traditione, definitione, & perpetua praxi Eccleſiæ: Tum ex hac Ratione, quam adducit Doctor Noſter Subtilis *in* 4. *diſt.* 23. *quæſt. un.* Quia DEUS non minùs providet Fidelibus ſuis in majori Neceſſitate, quàm in minori conſtitutis; ſed maxima neceſſitas eſt in exitu de ſtatu Vitæ ad ſtatum termini; Mortis enim Articulus multis de cauſis eſt hominibus formidabilis, nimirùm ob Vitæ malæ Conſcientiam, ob Divini judicii timorem, & futuri ſtatus incertitudinem, & præſertim ob Dæmonis tentationes, quæ eo tempore acriùs urgent: Ergo ſicut DEUS providit Nobis de Sacramento auxiliante in principio Vitæ, nimirùm de Baptiſmo; in Medio Vitæ, ſcilicet de Pœnitentia; multò magis providit in fine Vitæ de Sacramento opitulante, quo recrearentur, & in majorem ſpem erigerentur fideles in mortis periculo conſtituti.

#### §. II. *A Chriſto Domino immediatè inſtitutum.*

Eſt de fide. Patet ex Concilio Tridentino mox citato, 52 ubi licèt Concilium non addat particulam *immediatè*, ex ipſius tamen Verbis ſatis apertè colligitur: Eo enim ipſo, quòd inquit, fuiſſe à B. Jacobo promulgatum, manifeſtè oſtendit, non fuiſſe ab eo inſtitutum; S. Jacobus enim non fuit, niſi promulgator, ſive præco hujus Sacramenti immediatè à Chriſto inſtituti, ut ait Doctor Subtilis citatus. Hoc idem deducitur ex doctrina de Sacramentis in Genere, ab eodem Concilio tradita *ſeſſ.* 7. *can.* 1. ubi definit: *Si quis dixerit, Sacramenta Novæ Legis non fuiſſe omnia à Chriſto Domino inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora, quàm ſeptem, aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe Verum, & propriè Sacramentum, Anathema ſit.*

#### §. III. *Poſt ſuam Reſurrectionem.*

Poſtquàm nimirùm Chriſtus Apoſtolis dedit poteſtatem 53 remittendi peccata, *Joannis* 20. Ita communior Theologorum apud Suarez, Henriquez, Layman *lib.* 5. *tract. capit.* 1. *numer.* 2. Maſtrium *Theol. Moral. diſp.* 21. *quæſt.* 1. *num.* 13. Herincx *Parte* 4. *tract.* 4. *diſp.* 9. *quæſt.* 1. *n.* 8. & alios. Ratio eſt: Tum quia Sacramentum Extremæ Unctionis, juxta Concilium Trident. *ſeſſ.* 14. *in doctrina de Sacramento Extremæ Unctionis*, eſt conſummativum, & comple-

Digitized by Google

plementum Sacramenti Pœnitentiæ; ergo veriſimilius fuit inſtitutum poſt Sacramentum Pœnitentiæ: atqui Sacramentum Pœnitentiæ fuit inſtitutum poſt Reſurrectionem Chriſti, *Joann.* 20. ut docet Tridentinum *citat. ſeſſ.* 14. *capit.* 1. *de neceſſitate, & inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ:* ergo etiam Sacramentum Extremæ Unctionis. Tum quia hoc Sacramentum ſupponit in Miniſtro poteſtatem remittendi peccata, & in ipſius Materia conſecranda poteſtatem Epiſcopalem; ſed Apoſtoli modò poſt Reſurrectionem, *Joan.* 20 acceperunt has duas poteſtates, ut modò dictum ex Concilio Trident. *citat.* ergo hoc Sacramentum modo poſt Reſurrectionem fuit inſtitutum; etſi fortè modus benedictionis ſervandæ circa oleum, uti circa Chriſma ſit à Chriſto in ultima cœna traditus. Herincx citat. qui addit: ut proinde Sacerdos tantùm incompletè Ordinatus, accepta ſcilicèt tantùm poteſtate conſecrandi Corpus Chriſti verum, uti non poſſet abſolvere, ſic nec infirmos Sacramentaliter inungere; cùm poteſtas inungendi præſupponat poteſtatem abſolvendi.

54 Dices: *Marci* 6. legitur, quòd Apoſtoli *ungebant Oleo multos ægros, & ſanabant*, ſed hoc fecerunt ante Chriſti Reſurrectionem: ergo ante Chriſti Reſurrectionem Sacramentum Extremæ Unctionis jam erat inſtitutum. Reſp. cum Concilio Trident. *citat. ſeſſ.* 14. *capit.* 1. *de Inſtitutione Sacramenti Extremæ Unctionis*, hoc Sacramentum *apud S. Marcum loco cit. fuiſſe inſinuatum*, qualiter Baptiſmus Chriſti fuit inſinuatus per Baptiſmum Joannis; non verò ibi inſtitutum. Ratio eſt: I. Quia apud S. Marcum loco citat. ab Apoſtolis illa unctio fuit collata ægris non baptizatis. II. Quia conferebatur etiam infirmis de vita non periclitantibus. III. Quia illa unctio conferebat tantùm ſanitatem corporalem. IV. Quia illa unctio collata fuit ab Apoſtolis tunc nondum Sacerdotibus; quæ omnia convenire non poſſunt Sacramento Extremæ Unctionis: ergo illa Unctio ab Apoſtolis facta non erat Sacramentum Extremæ Unctionis, ſed ejuſdem inſinuatio, ut loquitur Concilium Trident. cit.

### §. IV. *Definitur*

55 A Doctore Subtili *in 4. diſt. 23. quæſt. unica*, quòd ſit *unctio hominis infirmi pœnitentis, facta in determinatis partibus Corporis, cum Oleo conſecrato ab Epiſcopo, miniſtrata à Sacerdote ſimul verba certa, cum intentione debita proferente, ex Inſtitutione Divina efficaciter ſignificans curationem finalem venialium*. Quæ quidem definitio exacta eſt, & completa, utpotè explicans omnia ad hoc Sacramentum requiſita; explicat enim Materiam remotam, quæ eſt Oleum Olivæ ſimplex ab Epiſcopo benedictum. Explicat Materiam proximam, quæ eſt unctio facta in determinatis partibus Corporis: Explicat formam, quæ ſunt certa verba cum intentione debita à Sacerdote proferenda. Explicat Miniſtrum, qui eſt ſolus Sacerdos, ut ex ipſis divi Jacobi verbis colligitur, Explicat ſubjectum hujus Sacramenti capax, quod eſt Homo pœnitens infirmus: denique explicat vim, & effectum hujus Sacramenti, qui eſt curatio, & remiſſio finalis venialium peccatorum. Hæc tamen omnia in ſequentibus magis explicabuntur. Si fortè deſideres breviorem definitionem, en definitionem, quam tradit Layman *citat. numer.* 1. dicens: *Extrema Unctio eſt Sacramentum per unctionem Olei Benedicti, & Orationem Sacerdotis, ad conferendam homini ægrotanti, ac de vita periclitanti, ſalutem mentis vel etiam Corporis, à Chriſto inſtitutum*.

## QUÆSTIO II.

### *De Materia Extremæ Unctionis.*

### SUMMARIUM.

57 *Materia Remota Extremæ Unctionis eſt Oleum oliva,*
58 Uſque ad num. 61 *Quid faciendum, ſi deficiat Oleum?*
61 *Debet eſſe ab Epiſcopo benedictum.*
62 Uſque ad num. 66. *Materia proxima neceſſaria neceſſitate Sacramenti eſt una Unctio cum forma exprimente quinque Corporis ſenſus.*
66 & 67 *Materia proxima neceſſaria neceſſitate præcepti eſt quintuplex unctio quinque ſenſuum.*
68 *An quinque ſenſuum unctiones faciant unum Sacramentum?*

### ASSERTIO II.

56 M*ateria Remota Extremæ Unctionis eſt Oleum Olivæ, ab Epiſcopo benedictum: Materia verò Proxima eſt unctio facta cum tali Oleo; & quidem de Neceſſitate Sacramenti, requiritur, & ſufficit una cum forma exprimente omnes Corporis ſenſus; de Neceſſitate tamen Præcepti requiritur quintuplex unctio quinque ſenſuum*. Communis apud Maſtrium *in 4. diſp. 6. q. 3.* Herincx &c. ſequuntur Recentiores, & Scotiſtæ.

### §. I. *Materia Remota Extremæ unctionis eſt Oleum Olivæ.*

EſT Certa de fide. Patet ex Concilio Florentino citat. expreſsè dicente. *Quintum Sacramentum eſt Extrema unctio, cujus Materia eſt Oleum Olivæ, per Epiſcopum benedictum*. Idemque ſatis colligitur ex *Jacobi* 5. ex illis Verbis: *ungens cum Oleo*, & Concilio Trident. *ſeſſ.* 14. *capit.* 1. *de Extrema unctione*, ubi pro Materia Extremæ Unctionis aſſignatur *Oleum*; quod ſimpliciter poſitum, ſecundùm Uſum Eccleſiaſticum ſtat pro Oleo Olivæ; quod unicum eſt verum Oleum abſolutè, & ſimpliciter loquendo, conformiter ad derivationem Nominis, quæ ſumitur ab *Olea*, quæ eſt Olivarum planta. Ut proinde liquores ex aliis rebus expreſſi, ſolùm cum addito nominentur Oleum, puta, *Nucum, Amygdalarum, lini &c.* Quare ſicut Nomine Aquæ in Baptiſmo intelligitur naturalis, quæ ſimpliciter dicitur Aqua, ita hic nomine Olei intelligitur Oleum Olivarum. Et hic ſemper fuit ſenſus & uſus totius Eccleſiæ. Quocirca alia Olea, præter Oleum Olivæ non ſunt materia valida Extremæ Unctionis, ſicut & Balſamum. Nec tamen obſtaret ſtatim valori Extremæ Unctionis, ſi Oleo fieret additio minima alterius materiæ, modò remaneat verum Oleum ſimpliciter: ſicut Aqua manet valida Materia Baptiſmi, etſi Chriſma ei admiſceatur. Unde putat *Suarez d. 40. ſect. 2.* apud Herincx *diſp. 9. de Sacramento Extremæ unctionis, quæſt. 2. numer.* 11. materiam validam Extremæ Unctionis eſſe etiam Chriſma; quæ Opinio quamvis ſpeculativè ſit probabilis, non tamen talis eſt practicè, ſed ſubjacet damnationi Innocentii XI. *in I. Propoſitione*; quia in Sacramentis, quando agitur de valore actus, tenemur ſequi ſententiam tutiorem, qualis eſt utique oppoſita ſententiæ Suarez; ſiquidem alias Sacramentum exponeretur periculo nullitatis. Cardenas *in 2. Criſi, diſſert. 2. numer.* 497. Averſa La Croix *lib. 6. part. 2. numer* 2090. Herincx *citat.* probans etiam ex eo, quia Chriſma non eſt benedictum ea benedictione, qua Oleum infirmorum benedici debet; cùm tamen Benedictio eſſentialiter requiratur ad Materiam validam Extremæ unctionis, ut ſtatim dicetur. Si tamen deeſſet Oleum, liceret uti Chriſmate; nam in caſu neceſſitatis, quando haberi non poteſt medium certum, utendum eſt probabili. Quòd ſi poſteà haberi poſſet Oleum, aut ſi Parochus per errorem inunxiſſet ægrum Chriſmate, dicendum eſt cum S. Carolo Borromæo *in Inſtr. Paſtor.* & aliis cum Illſungh *hic numer.* 1. contra Layman *l. 5. tract. 8. capit. 2. numer.* 4. Sacramentum debere repeti ſub conditione; quia dubium eſt, an cum Chriſmate fuerit validum, & idem dicit Synodus *Colonienſis* anno 1662. apud La Croix citat ſi Sacerdos per errorem uſus eſſet Oleo Catechumenorum; quod etiam apud Herincx citat. præſcripſit Parochis Synodus *Mediolanenſis V.* Nec obſtat, quod SS. Patres Materiam Extremæ Unctionis appellent *Chriſma*; quia Nomine Chriſmatis intelligunt hujus Sacramenti Materiam proximam, ſeu Unctionem: Chriſma enim græcè, ſignificat latinè Unctionem; Unde in Pontificali Romano, cùm benedicitur Oleum infirmorum, illud appellatur Chriſma.

II. Si Parocho deficiat Oleum infirmorum, ita ut non ſufficiat pro toto anno, & aliunde non poſſit habere ſufficiens Oleum Benedictum, tunc Oleo benedicto admiſceat de Oleo Olivarum non benedicto, ita tamen, ut quantitas Olei non benedicti admiſcendi ſit ſemper minor, quàm quantitas Olei Benedicti, cui admiſcetur, & tale Oleum in Circumſtantiis prædictis eſt Materia valida, & licita Extremæ Unctionis in praxi, etiamſi quantitas Olei non benedicti ſucceſſivè affuſa, ſi omnes partes ſimul ſpectarentur, ſuperaret quantitatem benedicti. Ita Herincx *citat. num.* 16. La Croix *lib. 6. pag. 2. num.* 293. Cardenas *in Chriſi Theologica, diſſert. 2. à num.* 460. Ratio eſt: quia defacto partim ex declaratione Cardinalium, quam adducit in terminis Cardenas citat. partim ex conſuetudine plurimarum Eccleſiarum, partim etiam ex Rituali Romano practicè certum eſt licitum eſſe ſic procedere, dummodò ſucceſſivè, & per particulas ſic affundatur, ut pars nunc affuſa ſit minor altera benedicta, cui affunditur: totum enim hoc ipſo fit benedictum. 58

III. *Suarez & Filliucius* putarunt ad valorem Extremæ Unctionis non ſufficere allinire unam guttam Olei, uti ad Baptiſmum non ſufficit apponi guttam aquæ. Sed rectè contradicunt Herincx *cit. num.* 17 Averſa, & Dicaſtillus *num. 44. ſect.* 2. nam ſi digit allinas guttam Olei, diceris ungere, 59

Digitized by Google

re, ut patet ex uſu: E contrà ſi digito apponas guttam aquæ, non diceris abluere. La Croix *cit. num.* 2094.

60 IV. Ex uſu & praxi Eccleſiæ Latinæ Sacrum Oleum, uti Chriſma quotannis renovandum eſt. Idemque expreſſit *Rituale Romanum Tit. de Sacramento Extremæ Unctionis*, dicens: *Singulis annis feria quinta in Cœna Domini ab Epiſcopo benedictum, veteri combuſto renovandum eſt*, quamvis de obligatione dubitent Henriquez, & Ledeſma, apud Averſam *ſect.* 2. *in fine*; eò quòd non ſit expreſſum in Jure Canonico tale Præceptum de Oleo infirmorum, ſicut de Chriſmate. Idemque Henriquez *lib.* 2. *capit.* 29. *numer.* 3. refert, Salmaticenſes Juriſtas, & Theologus docuiſſe, non eſſe mortale, etiam extra caſum neceſſitatis, veteri Oleo Ungere; ſaltem in caſu, quo Sacerdos necdum, habens copiam novi, ungeret infirmum Oleo veteri, non peccaret: Cùm Eccleſia non cenſeatur velle tam ſtrictè hanc accidentalem, nec tanti momenti Cæremoniam ſervari cum tanto gravamine infirmi, imo Sacerdos obligaretur eo caſu uti oleo veteri, ne fineret infirmum abſque ſubſidio hujus Sacramenti decedere, *Herincx citato numer.* 16.

### §. II. *Ab Epiſcopo benedictum.*

61 DE neceſſitate Sacramenti Extremæ Unctionis requiritur, ut Oleum ſit ſpecialiter ab Epiſcopo benedictum ad hunc effectum, hoc eſt ad eſſe aptam Materiam Sacramenti. Ita Doctor Subtilis 4. *d.* 23. *quæſt. unic.* Maſtrius, Herincx, La Croix, citans D. Thomam, Averſam, Illſung, & Communiſſimam. Herincx citat. ſuprà *numer.* 52. ait: hoc docere pro indubitato omnes, quicunque de hac re ſcripſerunt, exceptis *Victoria, Serario, Ledeſma, & Paludano*. Ratio eſt: Quia Concilium Florentinum *in Decreto Unionis* expreſſè dicit: Materia eſt Oleum Olivæ, per Epiſcopum benedictum, & Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *de Extrema Unctione cap.* 1. ait. Intellexit Eccleſia, Materiam eſſe Oleum ab Epiſcopo benedictum. Cùm autem Concilia ſtrictè, & dogmaticè loquantur, ſicut ad valorem Sacramenti Extremæ Unctionis requirunt Oleum Olivæ, ſic etiam benedictionem Epiſcopalem ſuper Oleum. Quod etiam perpetua, ac numquam ullo caſu intermiſſa praxis Eccleſiæ ſatis oſtendit. Nihilominùs benedictionem Epiſcopalem non ſic eſſe de Eſſentia, quin poteſtas hoc Oleum benedicendi poſſit extraordinariè committi ſaltem à Papa, ſimplici alcui Sacerdoti, docent varii Recentiores Doctiſſimi. Ratio eorum eſt: Quia Clemens VIII. *die* 31. *Auguſti* 1595. *In Inſtruct.* quæ eſt inter illios conſtitutiones 34. ſic habet: *Non ſunt cogendi Presbyteri Græci Olea ſancta, præter Chriſma, ab Epiſcopis Latinis Diœceſanis accipere; Cùm hujuſmodi Olea ab eis in ipſa Oleorum, & Sacramentorum exibitione, ex veteri ritu conficiantur, ſeu benedicantur: Chriſma autem, quod nonniſi ab Epiſcopo, etiam juxta eorum ritum benedici poteſt cogantur accipere.* Unde quamvis D. Thomas *art.* 6. Bellarminus *capit.* 7. Dicaſtillus *hic numer.* 32. Averſa *ſect.* 2. & Communiſſima dicat, ex præcepto Chriſti requiri hic benedictionem Epiſcopalem; cùm tamen certum ſit, benedici à Presbyteris Græcis, approbante Latina Eccleſia, ſententia illa pro Eccleſia Græca videtur eſſe practicè certa; ſed pro Latina eſt ad ſummum ſpeculativè probabilis, ait La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 2092.

### §. III. *Materia Proxima Extremæ Unctionis, Neceſſaria Neceſſitate Sacramenti*

62 I. EST una Unctio, cum forma exprimente omnes Corporis Senſus. Ita Maſtrius *Theol. Moral. diſp.* 22. *q.* 3. *numer.* 38. citans Silvium, Becanum, Poncium, Hiqueum, Suarez, Coninch. Layman, Caſpenſem, Amicum, & Alios Recentiores, imo totam Univerſitatem Lovanienſem. Ratio imprimis, quòd Unctio facta cum Oleo per Epiſcopum benedicto, ſit Materia proxima Sacramenti Extremæ Unctionis, deſumitur ex ipſo nomine Extremæ *Unctionis*, & Apoſtolus ipſe ſufficienter expreſſit, dum dixit: *Ungentes eum Oleo*, ac denique Concilia Florentinum, & Tridentinum definiunt. Deinde, quia Unctio eſt applicatio Materiæ remotæ, ſcilicet Olei; ſicut ablutio in Baptiſmo eſt applicatio Aquæ: Ergo eſt Materia proxima. Addit tandem Doctor Subtilis citat. optimam congruentiam; quia ſicut Corporalis Unctio adhibetur ad ſanandos morbos, ſedandos dolores, curanda vulnera, & confovenda membra; ſic aptiſſimè hæc Sacra Unctio ſignificat ſimiles effectus in anima, dum ſanat morbos, & confortat infirmum ad luctam imminentem, nec minùs aptè corporalem hominis ſanitatem, quam interdum confert, ſignificare poteſt. Quam congruentiam poſteà accepit, & approbavit etiam Concilium Trident. *ſeſſ.* 14. *capit.* 1. *de Extrema Unctione*, dum dixit: *nam Unctio aptiſſimè Spiritus Sancti gratiam, qua inviſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat.*

II. Quòd autem una Unctio cùm forma exprimente 63
quinque Corporis Senſus ſit de Neceſſitate Sacramenti Extremæ Unctionis, conſtat ex eo I. Quia nec S. Scriptura, nec Concilia plus requirunt, quàm Unctionem; Sicut pro Baptiſmo requirunt ablutionem: Ergo ſicut una ablutio ſufficit in Baptiſmo ad valorem, ita etiam una unctio in hoc Sacramento. II. Quia Græci dum conferunt Extremam unctionem, faciunt unctionem, per modum Crucis, in facie, nimirùm à fonte uſque ad Mentum, & ab una gena ad alteram, deinde in pectore manibus, ac pedibus, non tamen in oculis, & auribus: quæ tamen unctio ſufficiens & valida reputatur à Romana Eccleſia teſte *Maſtrio citat. num.* 39. III. Quia una unctio effectum hujus Sacramenti ſufficienter ſignificat, ſi in forma omnes quinque ſenſus exprimantur; verbi gratia dicendo: *Per iſtam ſanctam Unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquiſti, per viſum, auditum, odoratum, guſtum, & tactum*: Ergo. Debet tamen ſemper in tali caſu unius unctionis fieri in forma mentio quinque ſenſuum; nam ſi in forma fieret mentio tantùm de uno ſenſu verbi gratia viſu, forma non ſignificaret ſufficientem effectum, ad quem conferendum Sacramentum hoc eſt inſtitutum, qui eſt gratia, qua remittantur peccata quinque ſenſuum, vel illis mediantibus patrata. Si tamen in forma nullus exprimeretur ſenſus expreſſè, ſatis probabile eſſe judicat Maſtrius citat. quòd adhuc ſufficeret, quia adhuc per verba in ea contenta totus Sacramenti effectus ſufficienter ſignificatur, ſcilicet remiſſio peccatorum per ſenſum commiſſorum. *Nec obſtat*, quòd Concilium Florentinum aſſignet ſeptem unctiones, nimirùm in quinque ſenſibus, & prætereà in renibus, & pedibus: Siquidem eas non aſſignat, ut neceſſarias ad valorem Sacramenti; conſtat enim ex communi omnium ſententia, duas ultimas unctiones, videlicet in renibus, & pedibus ad valorem Sacramenti non eſſe neceſſarias. Quare Concilium Tridentin. citat. nullum certum unctionum numerum pro Materia hujus Sacramenti aſſignavit.

III. Poteſt itaque hæc noſtra ſententia in caſu neceſſita- 64
tis, dum aliter fieri non poſſet, verb. grat. tempore peſtis, practicari juxta Authores citatos, & Paſtorale *Mechlinienſe, & Paſſavienſe* apud *Maſtrium citat. numer.* 38. Si tamen poſſes ſine periculo infectionis unum oculum, unam aurem, nares, os, & unam manum inungere, & proferre hanc formam: *Per iſtas Sanctas Unctiones, & ſuam piiſſimam Miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquiſti per viſum, & auditum, odoratum, guſtum, & tactum, in Nomine Patris &c.* deberes ſic facere: quia tenemur in confectione Sacramentorum ſequi ſententiam tutiorem, quando agitur de valore actus.

IV. Non eſt etiam de Eſſentia, quòd unctio fiat in mo- 65
dum Crucis; cùm ex nullo capite hoc conſtet. Imò juxta pleroſque Doctores omiſſio Crucis non eſt mortalis; eò quòd conſuetudo illam adhibendi non cenſeatur tam graviter obligare. Unde etiam licitè omitteretur, quando eſſet periculum in mora. Nec eſt ſimiliter de neceſſitate Sacramenti, quòd Miniſter tangat immediatè membrum, modò Oleum immediatè & phyſicè illud tangat. Ratio eſt: quia per virgulam hoc Sacramentum tempore contagionis ſæpiùs confertur, & Paſtorale Mechlinienſe, *Tit. de Sacram. Extremæ Unctionis* ait: *Sacerdos peracturus Unctiones, pollicem, vel virgulam intingat in Oleum Sacrum.* Servandæ tamen ſunt conſuetudines probatæ locorum. Ita Herincx *cit. quæſt.* 2. *num.* 18.

### §. IV. *Materia Proxima Extremæ unctionis Neceſſaria Neceſſitate Præcepti*

EST quintuplex unctio quinque Senſuum. Ita Doctores 66
Angelicus, & Subtilis, Thomiſtæ, Scotiſtæ, & Recentiores communiter apud Maſtrium *cit. n.* 36. ita, ut cum quinque unctionibus quinque Senſuum proferantur quinque formæ partiales correſpondentes quinque unctionibus. Ratio eſt quia Concilium Florent. ſæpè citatum loquitur hoc modo: *Infirmus inungendus eſt in Oculis propter viſum, in Auribus propter auditum, in Naribus propter odoratum, in Ore propter guſtum, vel locutionem, in Manibus propter*

pter

Digitized by Google

*per tactum, in Pedibus propter greſſum, in Renibus propter delectationem ibidem vigentem*. Et licet hæ omnes unctiones non ſint de neceſſitate Præcepti; cùm juxta Rituale Romanum *Renum unctio in Mulieribus, honeſtatis gratia, ſemper omittatur; atque etiam in Viris, quando infirmus commodè moveri non poteſt; ſed ſive in mulieribus, ſive in viris, alia Corporis parti pro renibus, ungi non debet*; Nihilominùs quinque Corporis partes præcipuæ ungi debent: quas veluti Senſuum inſtrumenta homini Natura dedit; nempe *Oculi, Aures, Nares, Os, & Manus*, ut inquit *Rituale Romanum*. Quare unctiones quinque Senſuum cum quinque partialibus formis correſpondentibus eſſe de neceſſitate præcepti, certum eſt ex univerſali, & conſtanti Eccleſiæ ritu, & quia aliàs Sacramentum exponeretur periculo invaliditatis. Congruentia eſt, quòd ſicut omnis cognitio (ſic omne peccatum, quòd ſemper aliqualem cognitionem præſupponit) ab aliquo ſenſu originem habeat; adeòque ad ſignificandam perfectam animæ curationem, quæ fit per hoc Sacramentum, congruebat inungi quinque Organa quinque Senſuum, velut radices peccatorum. Debet autem id fieri modò hominibus accomodato, videlicet non in ipſa pupilla oculi, non in lingua, non in tympano auditus, non in carunculis, in quibus reſidet odoratus, ſed ſufficit id fieri in palpebris, labiis, auribus, naribus.

67 Porrò hæc unctio debet fieri per modum Crucis, & in partibus, quæ natura geminæ ſunt, duplex fieri debet unctio, verbi gratia, una ſuper Oculum dextrum, altera ſuper ſiniſtrum, & unica interim forma correſpondens proferri, ita ut formæ prolatio incipiat, antequàm verb. grat. prior unctio, oculi ſcilicet dextri finiatur, nec deſinat, quin poſterior ſcilicet oculi ſiniſtri inchoëtur; ſicut in *Rituali Romano Pauli V.* adnotatur; ubi etiam dicitur; quòd ſi quis in aliqua illarum partium mutilatus exiſtat, unctio in parte proximiori fieri debeat cum eadem formæ prolatione; quod totum etiam anteà jam adnotavit *Scotus in 4. diſt. 23. quæſt. unic.*

Petes: *An quinque ſenſuum Unctiones cum ſuis diverſis formis faciant unum, vel plura Sacramenta?*

68 Reſp. Cum Doctore Subtili, Maſtrio, Almaino, Poncio, Hiqueo, & Aliis, apud Maſtrium *cit. qu. 3. n. 44.* quòd faciant unum Sacramentum unitate *Integritatis*, non unitate *indiviſibilitatis*. Ratio primi eſt: quia omnes unctiones conſtituunt unum, & integrum Sacramentum Extremæ unctionis, cùm omnes ad unam, & integram ſignificationem, & remiſſionem omnium peccatorum venialium finalium ordinentur. Ratio ſecundi eſt, quia quælibet unctio cum ſua forma eſt independenter ab alia ſignificativa gratiæ, & remiſſionis peccatorum per ſenſum inunctum commiſſorum; Ergo per quamlibet unctionem certus gratiæ gradus infunditur; ita quidem, ut peccata venialia per oculos commiſſa remittantur per unctionem oculorum, & venialia per Aures commiſſa remittantur per unctionem Aurium, & ſic de reliquis. Per omnes autem unctiones: Vel in neceſſitate, per unam cum forma explicitè, vel ſaltem implicitè exprimente omnes Corporis ſenſus remittantur omnia peccata venialia, & conferatur gratia habitualis adæquata hujus Sacramenti.

69 Hoc adhuc adnotandam venit, quòd quilibet in adminiſtratione Sacramenti Extremæ unctionis, & in faciendis unctionibus ſervet ritum, & conſuetudinem ſuæ Diæceſis, in quo degit. Similiter ex conſuetudine ſervandus eſt ordo inter partes, ſeu ſenſus Corporis, ut nimirùm priùs inungantur Oculi, poſteà Aures &c. Quæ tamen obligatio non eſt eam gravis, quin in neceſſitate liceat ordinem invertere. *Herincx cit. quæſt. 2. num. 20.*

## QUÆSTIO III.

### *De Forma Extremæ Unctionis.*

### SUMMARIUM.

71 *Aſſignatur forma conſueta Extremæ Unctionis.*
72 *Aſſertur forma præciſe Eſſentialis Extremæ Unctionis.*
73 *Quid dicendum ad Caſum Parochi extremè inungentis mulierem?*
74 *Forma Extremæ Unctionis debet eſſe deprecatoria.*
75 *Solvitur Objectio.*

### ASSERTIO III.

70 *Forma conſueta Extremæ unctionis eſt; per iſtam Sanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per viſum, ſive per auditum, &c. deliquiſti, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Forma verè præciſè eſſentialis eſt hæc: Per hanc unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquiſti; quæ etiam eſſentialiter debet eſſe deprecatoria.* Communiſſima DD.

### §. I. *Forma Conſueta Extremæ Unctionis,*

Qua Sancta Romana Eccleſia utitur, eſt hæc: *Per iſtam Sanctam unctionem, & ſuam piiſſimam Miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per viſum, ſive per auditum &c. deliquiſti, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Ita Rituale Romanum *Tit. de Sacramento Extremæ unctionis*; & coincidit forma tradita à Concilio Florentino, & inſinuata à Tridentino *Seſſ. 14. de Extrema unctione cap. 1.* Eſtque repetenda ad ſingulos ſenſus, & alia Membra inungenda cum Proportione. Loco *Dominus* dicitur in aliquibus Eccleſiis; *DEUS*, & Rituale Romanum addit: *Sanctam*, etſi hoc omittant Florentinum, & Tridentinum. Alicubi etiam additur: *In Nomine Patris, & Filii, &c.* quæ tamen verba juxta communem DD. apud Gobat, *tract. 8. caſu 21. num.* 800. non ſunt de neceſſitate Sacramenti; eſſe autem de neceſſitate præcepti, aſſerunt Angelus, & Paludanus; negant Ledeſma, & Suarez *diſp. 41. ſect. 3.* ſervandam eſſe ſub præcepto cujuſque Eccleſiæ conſuetudinem, aſſerit Hurtadus cum Coninch. *diſp. 19. dub. 4.* Verba illa: *Sanctam, & ſuam piiſſimam Miſericordiam*, eſſe ſub mortali proferenda, ait idem Hurtadus cum Dicaſtillo, *num. 68.* tum propter univerſalem conſuetudinem Eccleſiæ: tum quia nonnulli, teſte Palao, *puncto 4. num. 4.* etſi contra Communiorem DD. cenſet, eſſe de Eſſentia. 71

### §. II. *Forma præciſè Eſſentialis Extremæ unctionis*

Eſt hæc: *Per hanc unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquiſti*. Ita Graves Theologi apud Maſtrium *cit. diſp. 22. quæſt. 2. num. 28.* item *Gobat cit. Herincx*, & Alii. Ratio eſt: quia in his verbis continetur ſufficienter ſenſus à Chriſto intentus in hujus Sacramenti forma; ſiquidem imprimis, *Neceſſitate Sacramenti*, in forma Extremæ unctionis, debet exprimi Materia ejus proxima, ſcilicet *unctio*; quamvis enim facto ipſo perficiatur, hoc non tollit, quin etiam verbo proferri debeat; ſicut in Baptiſmo, quamvis facto ipſo perficiatur ablutio, adhuc debet verbo proferri. Non tamen neceſſitate Sacramenti debet exprimi ſenſus inunctus, quia etiam hic non exprimitur in forma *Mediolanenſi*, & *Veneta* citanda. Deinde conveniunt Doctores, de ſubſtantia hujus Sacramenti eſſe, *ut petatur remiſſio peccatorum à DEO*; quia inter Effectus hujus Sacramenti iſte eſt præcipuus, & principalis, ut dicetur ſect. ſeq. Denique non eſſe neceſſarium neceſſitate Sacramenti, exprimere in forma Extremæ unctionis, iſtas Particulas, ſeu verba: *Sanctam, & ſuam piiſſimam Miſericordiam*, diximus §. præced. & tamen apud Maſtrium cit. *num. 27.* Suarez, Coninch. Reginaldus, Layman, Diana, & Alii paſſim. Idem eſt de illis verbis: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Quia neque hoc Sacramentum eſt Profeſſio fidei, ſicut Baptiſmus, neque in hoc Sacramento occurrit aliqua Ratio Specialis Invocationis trium Divinarum Perſonarum, neque in Conciliis hoc declaratur, neque in Rituali Romano: Ergo forma præciſè Eſſentialis Sacramenti Extremæ unctionis, & neceſſaria neceſſitate Sacramenti eſt hæc: *Per hanc unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti*. Hoc tamen non obſtante conveniunt DD. debere Sacerdotem omnia verba contenta in forma conſueta Extremæ unctionis ſuprà *num. 71.* à nobis aſſignata proferre, dum confert hoc Sacramentum; Nec aliquid in illa forma omittere, aut mutare ſine peccato poteſt, & pro qualitate mutationis poterit in hoc incurrere Mortale, aut Veniale peccatum: tum quia faceret contra morem, & præſcriptum Eccleſiæ: tum quia poſſet Sacramentum exponere periculo nullitatis. 72

Ex quibus poteris colligere, quid dicendum ſit ad caſum illius Parochi, quem refert *Gobat tract. 8. caſu 21. num. 811.* Qui, cùm Mulierem extremè inungeret, dicebat ad ſingulorum unctionem ſenſuum: *Quidquid dereliquiſti per viſum, tactum, &c.* Nimirùm hunc errorem fuiſſe ſub mortali imprimis emendandum ab illo Presbytero, cùm fuerit Eſſentialis variatio ſenſus formæ Extremæ unctionis; & ſi hic error non fuiſſet animadverſus niſi poſt collatam taliter Extremam unctionem, fuiſſet obligatio mortalis repetendi illam, etiam cum aliqua mortificatione, vel nimis rudis, vel nimis inattenti Parochi. Ita *Gobat cit.* 73

§. III.

Digitized by Google

### §. III. *Forma Extremæ Unctionis eſſentialiter debet eſſe deprecatoria.*

74 ITa communis DD. Bellarminus, Herinquez, Valentia, Coninch. Layman, Diana, Bonacina, & Alii paſſim apud Maſtrium *in 4. diſp. 6. quæſt. 2. numer.* 34 Ratio eſt: I. Quia in Epiſtola S. Jacobi cap. 5. dicitur: Orent ſuper eum, & Oratio fidei *ſalvabit infirmum*; ubi ly *Orent*, & *Oratio* ſignificant deprecationem. II. Quia forma præſcripta à Conciliis Florentino, & Tridentino hactenùs uſurpata eſt deprecatoria, videlicet: *Indulgeat tibi Dominus &c.* III. Quia non adeſt fundamentum ſufficiens aſſerendi, aliam formam, quæ habet ſenſum non deprecatorium, ſufficere: Ergo forma hujus Sacramenti eſſentialiter debet eſſe deprecatoria.

### §. IV. *Solvitur Objectio.*

75 DIces: Refert noſter Doctor Seraphicus S. Bonaventura *in 4. d. 23.* Tempore D. Ambroſii in Eccleſia Mediolanenſi formam Sacramenti Extremæ unctionis fuiſſe hanc; *Ungo te Oleo Sanctificato, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut more militis uncti, præparatus ad certamen aereas poſſis ſuperare poteſtates*, Deinde in Eccleſia Veneta, ut refert Palatius *4. d. 23. ex libro Sacramentali Venetorum à Leone X. approbato*, fuit olim hæc forma: *Ungo te Oleo Sancto, ut hac unctione protectus fortiter ſtare valeas adverſùs aereas Catervas, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: Atqui hæ formæ ſunt indicativæ, & non deprecatoriæ: Ergo forma Extremæ unctionis non debet eſſe eſſentialiter deprecatoria.

Reſpond. cum Maſtrio cit. & Herinex *cit. quæſt. 3. num. 26.* Utramque formam prædictam poſſe, atque adeò debere explicari, ut quoad ſenſum ſit deprecatoria, ac proinde æquivaleat formæ uſitatæ: idque ſatis colligitur ex poſterioribus utriuſque formæ verbis, videlicet, *ut more militis uncti poſſis &c. Ut hac unctione protectus &c.* Ac ſi diceretur, Per hanc unctionem ſuperes poteſtatem diabolicam, & evadas pœnas inferni. Simile foret, ſi Miniſter diceret: *Ungo te, ut indulgeat tibi DEUS, quidquid deliquiſti &c.*

## QUÆSTIO IV.

### *De Miniſtro Extremæ Unctionis.*

### SUMMARIUM.

77 Uſque ad num. 80. *Miniſter Extremæ unctionis validè conferendæ eſt ſolus, & omnis Sacerdos.*
80 *Quis ſit Miniſter licitè conferendæ Extremæ unctionis?*
81 *Quid circa hanc poſſint Regulares?*
82 *An Extrema unctio poſſit ſimul conferri à pluribus Miniſtris.*
83 Uſque ad n. 86. *Quanta ſit Obligatio Parochorum, adminiſtrandi Extremam unctionem, & ſeqq.*
86 *Præſertim tempore peſtis?*
87 *Et ſeqq. Aſſignantur Quatuor Regulæ Obſervandæ in adminiſtratione Sacramenti Extremæ unctionis.*

## ASSERTIO IV.

76 M*Iniſter Extremæ unctionis validè conferendæ eſt ſolus, & quilibet Sacerdos; licitè verò conferendæ eſt Sacerdos, habens Juriſdictionem Ordinariam, vel delegatam ſuper inungendum; qui quidem, ſi ſit Parochus, tenetur ſub mortali, ex juſtitia, per ſe, vel per alium, hoc Extremæ unctionis Sacramentum, ſuis ſubditis expreſsè, vel interpretativè petentibus adminiſtrare.* Eſt partim certa, partim communis DD. Sententia.

### §. I. *Miniſter Extremæ Unctionis validè conferendæ eſt ſolus Sacerdos.*

77 EST de fide definitum in Concilio Florentino, & Tridentino, *Seſſ. 14. de Extrema unctione, Canon. 4.* dicente: *Si quis dixerit, Presbyteros Eccleſiæ, quos Beatus Jacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe Sacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate Seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ unctionis Miniſtrum non eſſe ſolum Sacerdotem, anathema ſit.* Ratio congruentiæ eſt: quia, cùm hoc Sacramentum ſit Pœnitentiæ conſummativum, ut Concilia, & Patres loquuntur; hæc ſiquidem Unctio ſubnectitur ad finalem, & pleniorem peccatorum remiſſionem, convenienter fuit à Chriſto inſtitutum, ut ejuſdem Miniſtri Officium ſit dicere: *Indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquiſti*, cujus fuerat pronuntiare, *Abſolvo à peccatis*. Et cùm Sacerdotalis ordinatio duas habeat partes, Unam, qua præbetur poteſtas in Corpus Chriſti verum, hoc eſt, poteſtas ad conficiendum SS. Euchariſtiæ Sacramentum: Alteram ſupra Corpus Chriſti myſticum, hoc eſt, ad remittenda peccata Pœnitentium; in hac ſecunda parte ſimul continetur poteſtas ad miniſtrandum Extremæ unctionis Sacramentum. Ex quo ſequitur, nulla neceſſitate aut diſpenſatione, deficiente Sacerdote, poſſe hoc Sacramentum miniſtrari ab alio. Inſuper certum eſt, quemlibet Sacerdotem poſſe validè hoc Sacramentum adminiſtrare juxta DD. communiter. Ratio eſt: Quia omnis Sacerdos habet poteſtatem Ordinis, quæ ſola hic requiritur ad valorem. Ex quo pariter ſequitur, validum eſſe Sacramentum Extremæ unctionis, etiam à Sacerdote excommunicato collatum, & quavis cenſura ligato, imò etiam degradato; Sicut valeret etiam Euchariſtiæ conſecratio, quia nempe Character Ordinis nunquam deletur. Maſtrius *Theol. Moral. diſp. 12 quæſt. 6. num.* 85.

### §. II. *Miniſter Extremæ Unctionis licitè conferendæ,*

I. EST Sacerdos habens Juriſdictionem Ordinariam vel delegatam ſuper inungendum. Communiſſima apud Maſtrium *citat. numer.* 86. Herinex *diſput. 9. de Extrema unctione, quæſt. 4. num.* 28. & Alios. Ratio eſt: Quia hoc ſpectat ad debitum Regiminis modum, & ordinatum Exercitium poteſtatis Ordinis; ſicut Sacramentum Baptiſmi, licèt ſit ſummè neceſſarium, poſſitque validè miniſtrari à quolibet etiam Laico, tamen ſecluſo periculo, & caſu neceſſitatis, nonniſi a Parocho, vel de ejus licentia, ab alio licitè conferri poteſt. Quapropter *in Clementina 1. de Privilegiis*, ipſo facto excommunicantur Religioſi, qui præſumpſerint Clericis, vel Laicis miniſtrare Sacramentum Extremæ unctionis ſine ſpeciali Parochi licentia; loquitur autem textus de ſolis Religioſis, ut paſſim Doctores advertunt; Etſi *Sotus*, & *Valentia*, Excommunicationem extendant ſine fundamento ad Sacerdotes Regulares. Loquitur etiam de Infirmis Subditis Parocho; ideoque Religioſus miniſtrans Religioſo ſine debita licentia, etſi peccet, non tamen incurrit cenſuram, (etſi contradicat *Sylveſter*) conſtitutio ſiquidem in favorem Parochorum prodit. *Herinex citat. numer.* 29. 78

*Dices*: Etiam ad validè adminiſtrandum Pœnitentiæ Sacramentum requiritur in Abſolvente Juriſdictio in Abſolvendum: ergo non tantùm ad licitè, ſed etiam ad validè conferendum Extremæ unctionis Sacramentum requiritur in Miniſtro Juriſdictio in Inungendum; Cùm Sacramentum hoc ſit Sacramenti *Pœnitentiæ conſummativum*, ut loquitur *Tridentinum*. Reſpond. Neg. Conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt: quia Sacramentum Pœnitentiæ exercetur per modum Judicii, & Abſolutio datur in eo per modum Judicialis Sententiæ, quæ certè non valet, niſi à legitimo Judice, & conſequenter à Sacerdote habente Juriſdictionem proferatur: At verò Sacramentum Extremæ unctionis non exercetur per modum Judicii, ſed Medicinæ, quæ valere poteſt ad morbum curandum, etſi detur à non habente Juriſdictionem in infirmum. 79

II. In caſu, quo Parochus vel non valet, vel non vult 80 miniſtrare Extremam unctionem, neque etiam alteri licentiam dare, poteſt quilibet Sacerdos, etiam Religioſus adminiſtrare eandem, ſine periculo peccati, aut Cenſuræ: tunc enim cenſetur habere licentiam ab Eccleſia quæ non vult malitiæ Parochi favere, aut filios ſuos remedio tam utili, in tanta neceſſitate deſtitui. Ita *Herinex cit. numer.* 30. *Maſtrius citat. numer.* 86. citans Suarez, Amicum, Valentiam, Navarrum, Bonacinam, & Alios. Tandem rectè notat *Amicus* apud *Maſtrium cit.* ad hoc Sacramentum licitè miniſtrandum (idem eſt de Sacramentis Baptiſmi, & Euchariſtiæ, ac Matrimonii) non requiri, ut Sacerdos ſit ad Confeſſiones audiendas juxta Concilii Trident. Decretum approbatus; quia hoc nullo Jure requiritur ad conferendam Extremam unctionem, ſicut tamen ex Concilio Trident. requiritur ad miniſtrandum Sacramentum Pœnitentiæ. Ita *Suarez*, *Lezana*, *Paſſerinus de Statibus Hominum q. 187. art. 1. num.* 996.

III. Ex Privilegio Apoſtolico S. Pii V. Bulla: *Ad immarceſcibilem* 1567. 7. id *Febr.* (quæ habetur in Bullario *Cherubini tom. 2. pag.* 214.) conceſſum eſt Congregationi 81 Clericorum Regularium Theatinorum §. 17. *Et tam Præpoſiti, quàm Cæteri omnes Clerici, Romæ, Venetiis, Neapoli, ac*

*alidi*

*aliis ubique locorum degentes Congregationis hujuſmodi, nunc, & pro tempore exiſtentes, qui tamen Presbyteri fuerint, Eucharistie etiam pro Viatico, ac etiam Conſtitutis in articulo mortis; ac Extrema unctionis ceteris Clericis, & fratribus Congregationis hujuſmodi, ac etiam Mercenariis, Famulis, Operariis, & Servis eorundem Congregationis, ac quibuſvis hoſpitibus etiam Sacularibus, & Extraneis, quos in locis, vel habitationibus Congregationis hujuſmodi tunc reperiri contigerit, etiam in mortis articulo, & quoties de illo dubitari contigerit; etiam Diœceſanorum locorum, & Sacerdotum Curatorum quorumcunque, etiam in quorum Civitatibus, & Diœceſibus ac Eccleſiarum Parochiis reſpectivè, & Eccleſia, & loca ipſorum Congregationis nunc, & pro tempore fuerint, aut aliorum quoruncunque licentia minimè petita, nec obtenta; & in caſum, quo non daretur ſpatium petendi talem licentiam propter repentinam neceſſitatem, etiam quibuſcunque aliis Perſonis, quæ in hujuſmodi neceſſitate intra Eccleſias, Collegia, domos, & habitationes Congregationis prædictorum reperiri contigerit, ac extra illa aliis quibuſvis infirmis, etiam in mortis articulo conſtitutis ubique in cauſa neceſſitatis ſupradicta, etiam nulla ad hoc per Eos petita, nec eis conceſſa licentia cujuſvis Sacerdotis Curati, Pœnitentia Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare poſſint.* Hucuſque Theatinorum Privilegium, quo gaudemus utique etiam nos per Communicationem Privilegiorum. Inſuper, quòd hujuſmodi Mercenariis, famulis, hoſpitibus intra ſepta Monaſterii conſtitutis, in articulo mortis poſſint Regulares mendicantes triboere Extremam Unctionem, docent Suarez *Tom. 4. de Relig. tract. 10. l. 9. cap. 3. num. 16.* Portel. verſ. *Sacramentorum Adminiſtratio num. 9.* Diana, Lezana, Miranda, & Alii apud Petrum Mariam Paſſerinum SS. Theol. Magiſtrum, & Profeſſorem in Romana Sapientia, *de Hominum Statibus, & Officiis, quæſt. 187. artic. 1. num. 994.* qui *num. 995.* addit; ideò duplici Ratione, Infirmi exiſtentes intra ſepta Monaſterii poſſunt à Regularibus Mendicantibus recipere Viaticum, & Extremam unctionem. Primò, quia exiſtenres intra Monaſterium Exemptum ſunt Exempti à Juriſdictione Epiſcoporum. Secundò, ex Privilegio ſpeciali Regularibus conceſſo modo allato; unde hoc puto (pergit *Paſſerinus citat.*) extendi debere etiam ad illum, qui caſu, & inopinato eventu, intra ſepta Monaſterii exiſtens incidit in periculum Mortis; nam, & ad hunc caſum Privilegia præfata ſe extendunt. Idem verò Privilegium eximens degentes in Monaſteriis, & Domibus Regularium Exemptorum à Juriſdictione Epiſcoporum, habetur conceſſum Minimis, ſeu Eremitis S. Franciſci de Paula à Sixto Papa IV. in ſua Bulla: *Sedes Apoſtolica* data 1474. *Calend. Junii*, (quæ habetur in Bullario Romano, ſeu *Cherubini, tom. 1. pag. 406.*) Ubi Papa §. 15. expreſsè Privilegium Exemptionis concedit Eremitis S. Franciſci de Paula, & Perſonis in eorum domibus degentibus, expreſsè diſtinguens inter Eremitas, ſeu Religioſos dicti Ordinis, & Perſonas in eorum Conventibus degentes, & tam Eremitas, quàm dictas Perſonas eximens ab omni Juriſdictione Epiſcoporum. Quo Privilegio utique gaudent Omnes Regulares Mendicantes per Communicationem Privilegiorum. Similiter guadent Privilegio conceſſo ab Urbano III. in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Cùm Anteceſſor data 7. Calendas Aprilis* 1187. & habetur *in Bullario Cherubini tom. 1. pag. 74.* in qua Ordini Fratrum Crucifer orum, & ejus Religioſis §. 5. concedit ſequentia: *Chriſma quoque Oleum Sanctum, Dedicationes Eccleſiarum, Ordinationes Clericorum, qui ad ſacros fuerint Ordines promovendi, & cætera Eccleſiaſtica Sacramenta, à quocumque malueritis, Catholico recipiatis Epiſcopo, qui noſtra fultus Authoritate, quod poſtulatur, impendat.* Ita Paſſerinus, *de Statibus Hominum, quæſt. 187. art. 1. numer. 997.* Gobat *tractatu 8. Caſu 22. num. 868.*

82 IV. Quamvis Sacramentum Extremæ unctionis nequeat validè confici à pluribus Sacerdotibus, ita ut unus ſolam ſubminiſtret Materiam ungendo, altero formam tantùm proferente, juxta Communem DD. Sententiam, quæ id clarè deducit ex ipſis B. Jacobi Apoſtoli Verbis: *Orent ſuper Eum, ungentes eum Oleo.*, quibus ſignificat, eundem eſſe debere, qui Materiam miniſtrat ungendo, & formam profert orando, poteſt tamen hoc Sacramentum à pluribus Sacerdotibus validè confici in hoc ſenſu, ut ſcilicet unus duas, vel tres efficiat unctiones, & totidem proferat formas, & alter alias compleat eodem modo uſque ad quintam, & hoc vel ſimul, vel ſucceſſivè, ita nimirùm, ut dum unus ſenſum ungit, ſuamque partialem formam enunciat, alter alterum ſenſum inungat eodem tempore, & ſuam proferat partialem formam; Vel ita, ut dum unus unum ſenſum unxit, protulitque ſuam partialem formam, alter non quidem ſimul, ſed ſtatim poſteà alium ſenſum ungat, aliamque proferat partialem formam. Ita Communiter Scholaſtici & Summiſtæ apud Maſtrium *cit. quæſt. 6. numer. 87.* Ratio eſt; quia ſingulæ unctiones cum ſuis formis proportionatis ſunt partes integrales unius Sacramenti Extremæ unctionis, habentque ſuam proportionatam ſignificationem in ſuo genere perfectam, & ab aliis independentem, & quælibet cauſat aliquam gratiæ portionem: Ergo hoc Sacramentum *validè* poteſt à pluribus Sacerdotibus confici in hoc ſenſu, ut unus duas, vel tres efficiat unctiones, & totidem proferat formas, & alter alias compleat eodem modo. Dictum eſt: *Validè*, quia hoc modo non poſſunt plures Sacerdotes *licitè* conficere hoc Sacramentum; Cùm ſit contra univerſalem Eccleſiæ praxim, à qua ſine urgenti neceſſitate recedere non licèt; Unde ſaltem ex obligatione præcepti unicus debet eſſe Miniſter, qui totum hoc Sacramentum in unoquoque infirmo perficiat, nec per ſe liceret, *Secluſa Neceſſitate*, plures Sacerdotes concurrere, qui per partes illud præſtarent. Nec obſtat locus S. Jacobi dicentis in plurali: *Inducat Preſbyteros Eccleſiæ*; Senſus enim eſt: *Inducat aliquem ex Presbyteris*, ut uſus Eccleſiæ indicat. Duplex autem caſus neceſſitatis aſſignari ſolet in quibus licet hoc Sacramentum à pluribus Sacerdotibus miniſtrari: unus eſt, ſi periculum foret, ne antequàm omnes quinque unctiones ab uno Sacerdote perficerentur, infirmus moreretur; Alter verò, ſi Sacerdos verb. grat. facta una, aut duabus unctionibus moreretur, vel ad talem ſtatum reduceretur, in quo non poſſet alias unctiones perficere, tunc enim reliquæ tantùm unctiones ab alio Sacerdote fieri deberent. Ita *Maſtrius citat. numer.* 88. ſed *Meratius* putat, non eſſe certum valorem Sacramenti ſic per partes ſucceſſivè à pluribus miniſtrati, ideòque unctiones omnes ſub conditione ab initio repetendas, quod etiam admittit *Averſa ſect. 10.* qui etiam *ſect. 5.* cum *Nugno* apud *La Croix l. 6. p. 2. num. 2098.* putat Sacramentum Extremæ unctionis fore nullum, ſi una unctio quadrante horæ diſtaret ab altera.

### §. III. *Obligatio Miniſtri ad Conferendum Extremæ Unctionis Sacramentum.*

83 I. DUplex hujus Sacramenti Miniſter diſtingui ſolet, unus, cui ex officio incumbit, ut ſunt Epiſcopi, Parochi, & Superiores Religionum erga ſuos ſubditos; Alter in defectum proprii Miniſtri, ac Paſtoris, ut ſunt omnes Sacerdotes, etiam Curam animarum non habentes. Itaque

84 II. Loquendo de Miniſtro, cui ex officio incumbit, & curam animarum habet. Communis eſt Doctorum Sententia, teneri ipſum ex Juſtitia, & ſub mortali, ſubditis ſuis hoc Sacramentum adminiſtrare tempore opportuno, per ſe, vel per alium; quòd expreſsè docet *Catechiſmus Romanus de hoc Sacramento numer. 9.* Ubi ait, graviſſimè peccare non tantùm, qui hoc Sacramentum miniſtrare negligunt, ſed etiam, qui opportuno tempore, quando ægrotus eſt ſui compos, non adminiſtrant. Ratio eſt: Quia Paſtores ex Officio tenentur ſuis ſubditis adminiſtrare Sacramenta non ſolùm neceſſaria, ſed etiam multùm conducentia eorum ſaluti, & præcipua remedia, quæ Chriſtus inſtituit pro Bono Spirituali fidelium; atqui unum ex illis remediis eſt adminiſtratio Sacramenti Extremæ unctionis: ergo tenentur Paſtores illud ſuis ſubditis ſuo tempore adminiſtrare, & quidem ex Juſtitia; Tum quia ex Officio, & Munere ſuo Paſtorali ad hoc tenentur: Tum quia ideò à ſuis ſubditis mercedem, & ſtipendium accipiunt. Idem dicendum de prælatis Religionum reſpectu ſuorum ſubditorum. Maſtrius *citat. quæſt. 6. art. 2. num. 90.* Suarez *diſp. 44. ſect. 3.* & Amicus *diſp. 19. ſect. 2.* Nec refert, quòd Prælati Religionum à ſuis ſubditis non accipiant ſtipendium, ſicut Parochi; accipiunt equidem obſequium obedientiæ, & reverentiæ ab iiſdem, quod eſt altioris Ordinis ſtipendio pecuniario. Omnes ergo paſtores tenentur non ſolùm ex Charitate, ſed etiam ex Juſtitia.

85 III. Loquendo de Miniſtro, qui ſuccedit in defectum proprii paſtoris in caſu neceſſitatis, Communis etiam ſententia docet, teneri ad hoc Sacramentum miniſtrandum ſaltem ex Charitate; & quidem ſub mortali in caſu gravis indigentiæ, verb. grat. ſi infirmus aliàs eſſet moriturus ſine ullo alio Sacramento, quia tunc mortis æternæ periculo exponeretur, ſi hoc Sacramentum non ſuſciperet, quod quilibet ſub peccato mortali à proximo tenetur avertere. Unde Doctores communiter docent, in tali caſu ſimplicem Sacerdotem etiam ab infirmo non petitum teneri ex præcepto Charitatis hoc Sacramentum adminiſtrare, ſi abſit alius, qui illud conferre poſſit; extra verò hunc caſum, quando nimirùm infirmus alia verò ſuſcepit Sacramen-

Digitized by Google

menta, v. g. Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, quia tunc Moribundus non cenſetur hoc Sacramento graviter indigere, Doctores putant, præfatum Sacerdotem, qui hoc Sacramentum miniſtrare nollet, ſolùm venialiter peccaturum, quatenùs contra Charitatem eſt proximo tantum Bonum ſine ulla Juſta cauſa denegare, præſertim quando id facere poteſt ſine magna difficultate, & incommodo. Et hæc Opinio teſte *Maſtrio cit. num. 91.* eſt probabilior.

86 IV. Difficultas Ulterior eſt, an Parochus tempore Peſtis teneatur Sacramentum Extremæ Unctionis ſuis Parochianis adminiſtrare cum periculo vitæ? Ad quam Reſpondeo cum *Maſtrio cit. numer. 93.* & probabiliori, cum Diſtinctione: Vel infirmus confeſſus fuit in infirmitate, aut paulo antè, & probabiliter ea ſtatu ipſius conſtat, eum poſteà non peccaſſe mortaliter: in tali caſu Parochus non tenetur ſe exponere periculo vitæ, ut tali infirmo ſuo parochiano hoc Sacramentum adminiſtret; quia in hoc caſu probabiliter exiſtimari debet, quòd ſit in ſtatu gratiæ, & quòd non ſit neceſſarium hoc Sacramentum; quamvis enim ſit utile, ex hoc tamen non incumbit Parocho obligatio illud adminiſtrandi cum periculo vitæ; Certum enim videtur, quòd quis non teneatur pro utilitate Spirituali proximi exponere ſe periculo vitæ, ſi aliàs ſufficienter proviſum eſt ejus ſaluti Spirituali. Si verò infirmus non ſit confeſſus, aut poſt Confeſſionem, veriſimile eſt, ipſum mortaliter peccaſſe, & ſit in ſtatu, quo ampliùs confiteri non poſſit, nec anteà Confeſſionem petierit, videtur dicendum, quòd Parochus teneatur ſub mortali Sacramentum Extremæ unctionis ipſi miniſtrare, etiam cum periculo Vitæ; quia tunc hoc Sacramentum debet exiſtimari eſſe ipſi neceſſarium, ut dimittatur ipſi ſaltem per accidens peccatum mortale; ſupponitur enim communiter, quòd Sacramentum hoc habeat talem virtutem, modò infirmus habeat attritionem de peccatis; ſic enim mediante hoc Sacramento fiet de Attrito Contritus. Ratio eſt: quia Bonus Paſtor debet dare animam ſuam pro Ovibus ſuis, hoc eſt, ſuam vitam Corporalem exponere periculo mortis ad ſalvandam vitam ſpiritualem animæ ſuarum Ovium. Supponimus autem in caſu, quòd talis infirmus non poſſit juvari per Abſolutionem Sacramentalem, ſi enim per hanc juvari poſſet, per eandem ex Attrito fieret Contritus; Nec amplius Extrema unctio foret ipſi Neceſſaria ad ſalutem. Ita Averſa *quæſt. 64. de Sacramentis in Genere ſect. 7.* cum pluribus Aliis apud Maſtrium *citat. num. 94. in fine* idem docet Herinca *diſp. 9. de Extrema unctione, quæſt. 4. numer. 31.* addens: Deinde ſi Parochus nihilominùs diſcrimen Vitæ ſubire debeat, audiendo Confeſſionem, & abſque novo periculo gravi poſſit eadem opera miniſtrare Extremam unctionem exiſtimo omninò ipſum ad hoc teneri: Nil enim excuſare poteſt, niſi ſubeundum periculum vitæ, quòd equidem ſubeundum ſupponitur.

*§. IV. Regula obſervanda in Adminiſtrando Sacramento Extremæ Unctionis.*

R E G U L A I.

87 QUamquam nimia facilitas, & feſtinatio in hoc Sacramento conferendo non ſit probanda, multò tamen magis fugiendum eſt oppoſitum extremum, ut ſcilicet, cùm de periculo mortis timetur, non ſtatim detur hoc Sacramentum, aut diutiùs expectetur: Nam in multis videmus (nec id raro) propter dilationem, vel non integrè potuiſſe conferri hoc Sacramentum; vel alienatis omninò mente, & extra omnem ſenſum fuiſſe adminiſtratum, ubi dubium non eſt, multum deperire infirmis. Ita *Petrus Soto de Extrema unctione Lect. 2.*

R E G U L A II.

88 QUando Parochus advertit, aliquem periculosè decumbentem tergiverſari circa receptionem Extremæ unctionis, dextrè conetur expiſcari, an illa tergiverſatio non proveniat ex aliquibus falſis imaginationibus, & ſtultis apprehenſionibus, verb. grat. quod inuncti citiùs moriantur, quòd non poſſint condere teſtamentum, quòd ſi convaleſcunt, non poſſint amplius in Choreis ſaltare, vel nudis pedibus incedere, vel calceos induere &c. & ſi repererit, conetur omni poſſibili modo, iſtos errores, & falſas imaginationes dedocere infirmum: quia nihil ſunt, niſi meræ ſtultæ apprehenſiones, & diabolicæ tentationes; cùm nullibi legatur, Sacramentum Extremæ unctionis producere hos effectus: imò e contrario conſtat, recuperationem ſanitatis, ſi animæ ſaluti expedierit eſſe effectum hujus Sacramenti, ut ſect. ſeq. dicemus, quòd etiam patet ex caſu ſequenti, quem deſcribit P. *Gobat tr. 8. caſu 22. n. 883.* his verbis.

Nicolaus de Niſa Ordinis Minorum *in Gemma Prædicantium* ſcribit, quendam magni cæteroquin meriti interrogatum, an vellet ungi? renuiſſe: *Nolite*, inquiebat, *Obſecro: quia omnes, qui Unguntur, moriuntur*: atque in iis verbis obiiſſe. Cùm verò linteaminibus involveretur, aperuiſſe oculos, & hæc dixiſſe: *Quia Extremæ Unctionis Sacramentum abhorrui, centum annis in purgatorio, Juſto DEI Judicio, torquebor: ſi unctus fuiſſem, de Ægritudine convaluiſſem; Sacra enim unctio non eſt acceleratio mortis, ſed dilatio*: atque his dictis iterum expiraſſe. Non malè fieret, Judicio Patris Gobat: ſi Parochi, & Concionatores hunc caſum in concionibus populo proponerent, ut non tamdiu ſubinde Extremam Unctionem ſuſcipere differret. 89

R E G U L A III.

PArochus non ſit nimiùm ſcrupuloſus circa iterationem hujus Sacramenti. Cùm enim certum ſit ex una parte, per illud non imprimi Characterem, ac proinde eſſe natura ſua iterabile: Ex altera autem parte nulla lex ſcripta determinet, an, & quoties liceat, aut non liceat iterare hoc tam ſalutiferum Sacramentum, inclinet Parochus potiùs (præſertim, quando videt, fore pergratum ægro) in iterationem, quàm omiſſionem iterationis, probè memor Aureæ Sententiæ ea S. Leone, *cap. ſi nulla diſt. 4. de conſecr. Non temeritas intervenit præſumptionis, ubi eſt diligentia pietatis.* Quando autem iterandum ſit Extremæ Unctionis Sacramentum dicetur ſect. ſeq. 90

R E G U L A IV.

ESt pernitioſus error illorum, qui ſe omnem erga infirmos Paſtoralis Officii partem expleviſſe exiſtimant, quia Sacramenta Pœnitentiæ, Viatici, Extremæ Unctionis adminiſtrarunt. Itaque nihil ultra monent: *Recepit*, inquiunt, *ſua Sacramenta: Nihil mihi iſthic ſupereſt negotii, præſertim ſi me revocat nemo.* Sed agedum, dic quæſo, quid iſti homini proderit accepiſſe gratiam, ſi eam ante mortem perdiderit? Quàm autem ſit hoc facilè? Urgent enim tunc graviores aſſultus dæmonum, vis morbi ſit acrior, animus fractior: heu! quàm ſæpè, & quàm fœda in ipſo portu naufragia à latentibus ſcopulis, anguſtis faucibus, irruentibus procellis? dum Magiſter navis vel abeſt, vel dormit, quaſi jam de re ſua tota ſecurus. Adibis igitur etiam non vocatus, præſertim ſi cognoveris, à morbo, aut à tentationibus infirmum in præſenti ſalutis diſcrimine verſari. Ita *Carolus Muſſart in Manuali Parochorum.* 91

Claudo hanc ſectionem, & quæſtionem facto Sereniſſimi Miniſtri ſeipſum quotidiè, non quidem Sacramentaliter, ſed devotionaliter ungentis: Somnus cùm quædam imago mortis ſit, quique concedit cubitum, etiam ipſe habeat imaginem morituri, quoties veſperi decumberet Sereniſſimus, & Reverendiſſimus Archidux Leopoldus Guilielmus, aſſimilatione quadam piiſſima adumbratam Extremam Unctionem adhibebat ſibi cum aqua benedicta, & dicebat: *Per iſtam Sanctam Unctionem, & ſuam Piiſſimam Miſericordiam indulgeat mihi DEUS, quidquid in anima per cordis affectum, & potentias internas commiſi: & quidquid in Corpore per ſenſus Externos contra rationem, & virtutem deliqui.* Sic ſcribit P. Nicolaus Avancinus *part. 5. cap. 2.* libri, cui titulus eſt: *Leopoldi Guilielmi Archiducis Auſtriæ Virtutes.* Vide *Gobat tr. 8. caſu 22. n. 904.* 92

S E C T I O IV.

*De ſubjecto, neceſſitate, effectu, & cæremoniis Sacramenti Extremæ Unctionis.*

Q U Æ S T I O I.

*De Subjecto Extremæ Unctionis.*

S U M M A R I U M.

93 *Subjectum Extremæ Unctionis validè recipiendæ eſt Homo, Viator, Baptizatus: 94. Adultus*, & ſeq.
97 *Periculosè infirmus, 98. Prudentum ſaltem Judicio.*
99 *Enumerantur, qui poſſint extremè inungi;*
100 *Et qui non.*
101 *Non debet in adminiſtranda Extrema Unctione expectari extremum mortis periculum.*
102 *Refertur aliquis Caſus.*



Digitized by Google

103 *Ut quis validè poſſit Extremè inungi, debuit aliquando perſonaliter peccaviſſe.*

104 *Ad recipiendam licitè, & fructuosè Extremam Unctionem requiritur in ſubjecto ſtatus gratiæ.*

## ASSERTIO I.

92 *SUbjectum Extremæ Unctionis validè recipiendæ eſt homo Viator, Baptizatus, adultus, qui nimirum ſemel habuit uſum rationis, & intentionem hoc Sacramentum ſuſcipiendi, periculosè infirmus, & qui aliquando peccavit perſonaliter: ut verò etiam licitè, & fructuosè recipiatur, requiritur per ſe loquendo ſtatus gratiæ.* Communiſſima DD. apud Layman, Gobar, Maſtrium, Herincx, La Croix, & alios.

### §. I. *Subjectum Extremæ Unctionis validè recipiendæ eſt Homo Adultus.*

93 I. CErtum eſt apud omnes, ſolum hominem Viatorem in hac vita mortali degentem, eſſe hujus Sacramenti capacem, ex generali Doctrina de Sacramentis in genere tradita; quia Sacramenta ſunt ſolùm inſtituta pro hominibus Viatoribus, qui ſunt medicinæ vel augmenti gratiæ capaces, & non pro aliis, qui jam ſunt in termino viæ; Unde quando de vita inungendi dubitatur, an ſcilicet ſit adhuc vivus, inungendus eſt ſub conditione: *Si eſt vivus*. Debet etiam hic viator eſſe baptizatus, ea generali ratione, quòd Baptiſmus eſt Janua ad reliqua Sacramenta validè recipienda, ut habetur in Concilio Florentino in Decreto Eugenii. Unde ſi hoc Sacramentum conferatur non baptizato, etiamſi ſit Catechumenus, & in gratia exiſtens per baptiſmum flaminis, irritum eſt, & invalidum juxta omnes.

94 II. Debet etiam eſſe adultus, hoc eſt, talis, quòd ad uſum rationis pervenerit; quare infantes, & perpetuò amentes non ſunt capaces hujus Sacramenti. Communis DD. Maſtrius *Theol. Moral. diſp. 22. q. 5. nn. 69.* Layman, Sà, Averſa, & alii apud La Croix *l. 6. p. 2. n. 2110.* Ratio eſt: Tum quia Sacramentum Extremæ Unctionis eſt *conſummativum Sacramenti pœnitentiæ*, ut loquitur Concil. Trid. ſect. 14. in Doctrina de extrema Unctione; Sed infantes, & perpetuò amentes non ſunt capaces Sacramenti Pœnitentiæ: Ergo nec Sacramenti Extremæ Unctionis, cùm hoc ſit illius conſummativum, & complementum: Tum quia in infantibus, & perpetuò amentibus falſificaretur forma hujus Sacramenti, quæ eſt: *Per iſtam ſanctam Unctionem &c. indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquiſti &c.* Siquidem infantes, & perpetuò amentes delinquere non poſſunt ob defectum uſus rationis: Tum quia non ſunt capaces præcipui effectus hujus Sacramenti, ſcilicet remiſſionis peccatorum perſonalium, præſertim venialium. Adhuc tamen plures Theologi apud *Maſtr. cit.* & *La Croix cit.* Rectè docent Sacramentum Extremæ Unctionis validè conferri poſſe pueris, & puellis, qui ad ætatem, & rationis diſcretionem pervenerunt, ut Sacramenti pœnitentiæ ſint capaces; quamvis SS. Euchariſtiam nondum receperint, nec adhuc idonei ad illam recipiendam judicentur. Et hæc eſt communis DD. Sententia, Navarrus, Suarez, Averſa, Layman, Burghaber *centuria 3. caſu 93.* Ratio eſt: quia capax Sacramenti pœnitentiæ eſt etiam capax Extremæ unctionis nec in his forma Extremæ unctionis falſificaretur, ſuntque capaces præcipui effectus ejuſdem, ſcilicet remiſſionis peccatorum, præſertim venialium. In dubio, an puer, vel quicunque alius infirmus ſit uſus rationæ, ungendus eſt juxta La Croix *cit. num.* 2111. quia hoc Sacramentum non eſt tantùm ad peccata, & peccatorum Reliquias tollendas, ſed etiam ne æger in agone tentationibus ſuccumbat, & ut, ſi ita expedit, ſanitati reſtituatur. Ita Joannes Sanchez, Diana, Averſa, & alii apud *La Croix citat.*

95 III. Non tamen ad validè ſuſcipiendam Extremam Unctionem requiritur, ut quando ſuſcipitur, ſuſcipiens habeat actualem rationis uſum, ſed ſufficit; quòd aliquando habuerit uſum rationis, etiamſi defacto nullum rationis indicium oſtendat; dummodo certò non conſtat, eum, antequam rationis uſum amiſit, fuiſſe in peccato; & de illo non doluiſſe, veluti ſi quis blaſphemus ſtatim in amentiam incideret. Ita Paludanus, Soto, Navarrus, Sylveſter, Suarez, Amicus, Averſa, Brancatus, Faber, citati à Maſtrio *cit. nu. 70.* & alii paſſim, & eandem doctrinam ferè omnia ritualia tradunt, & Catechiſmus ipſe Romanus. Ratio eſt: quia primarius hujus Sacramenti effectus non eſt tantùm animi roboratio contra Dœmonis tentationes, ſed præſertim etiam peccatorum venialium remiſſio, & aliorum quoque inculpabiliter oblitorum mortalium, ut conſtabit ex *qu. 3. ſeq.* vel quæ per alia Sacramenta non fuerunt remiſſa: Ergo quamvis infirmi defacto ſint amentes, vel ratione deſtituti, & conſequenter non ſint capaces illius primi effectus, ſcilicet roborationis contra tentationes Dæmonis, adhuc tamen ſunt capaces alterius, ſcilicet remiſſionis peccatorum: fieri enim poteſt, ut quis in peccato mortali exiſtens, cum ſola attritione incidat in amentiam; tunc enim virtute hujus Sacramenti amens gratiam recipiet, & ex attrito fiet contritus, qui tamen alioquin damnaretur. Nihilominus ratio naturalis dictat, & docet Catechiſmus Romanus de hoc Sacramento, Miniſtros ejuſdem debere curare, ut detur fidelibus eo tempore, quo ſui compotes ſunt, propriiſque actibus ſe ad illud meliùs præparare valent; hoc equidem exigit reverentia huic Sacramento debita. Unde quando amentes actus faciunt indecentes, & irreverentes; curare debet Miniſter, ut hoc Sacramentum conferat eo tempore, in quo furioſus ab illis motibus abſtinet, vel ſaltem tempore ſomni, vel ſaltem debet furioſus ligari, & ita inungi, ut volunt *Averſa, Barboſa, Diana*, & alii Summiſtæ.

IV. Adultus, ut validè recipiat hoc Sacramentum, ſi- 96
ne dubio debet habere intentionem ſaltem habitualem ſuſcipiendi hoc Sacramentum, vel ſaltem voluntatem Generalem vivendi, & moriendi more Chriſtiano Catholico, juxta certam Doctrinam de Sacramentis in Genere, apud P. Sporer, *Theol. Sacram. parte 1. capit. 2. ſect. 4. à num.* 139. quem, quæſo, vide.

### §. II. *Periculosè Infirmus,*

I. SEu in periculo mortis conſtitutus, vel ex morbo, vel 97
ex vulnere, vel ex veneno potato, vel ex partu, vel ex ſenectute. *Omnes*. Ratio eſt: quia S. Jacobus in ſua Epiſtola *cap. 5.* ait: *Infirmatur quis in vobis? inducat Preſbyteros Eccleſiæ &c.* Nec ſufficit qualiſcunque infirmitas, ſed debet eſſe periculoſa, ita ut prudenter timeatur ex ea mors ſecutura, prout inſinuat Concilium Florent. citat. dicens; *Hoc Sacramentum, niſi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet*, & etiam Tridentinum ſect. 14. cap. 4. de Extrema Unctione, dicens: *Declaratur etiam, eſſe hanc Unctionem infirmi adhibendam, illis verò præſertim, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur: Unde, & Sacramentum exeuntium nuncupatur.* Ex quibus Doctores communiſſimè inferunt, quòd periculoſa infirmitas in inungendo, non tantùm ſit conditio ad effectum Sacramenti requiſita, ſed etiam ad valorem. Difficultas tantùm eſt an ad validitatem Sacramenti Extremæ Unctionis requiratur, quòd infirmus verſetur in vero periculo vitæ? an verò ſufficiat, ut tantùm ſit in periculo probabiliter putato? Ratio dubitandi eſt: quia ad valorem Sacramenti non ſufficit materia, quam quiſque probabiliter idoneam putat, ſed neceſſaria eſt illa, quam Chriſtus reipſa inſtituit; atque ita ad valorem hujus Sacramenti ea infirmitas erit neceſſaria conditio, quam Chriſtus reipſa inſtituit.

II. Hoc non obſtante, dicendum cum Doctore Subtili 98
apud *Maſtrium citat. numer.* 73. Ad valorem hujus Sacramenti ſatis eſſe, ut morbus probabiliter putetur eſſe periculoſus, Medicorum, & peritorum Judicio. Ita *Coninch. diſput. 19. dub. 9. Amicus*, & alii recentiores apud *Maſtrium citatam*, quod ſatis clarè colligitur ex præcitatis Concilii Tridentini verbis, cùm inquit, hoc Sacramentum illis duntaxat infirmis conferendum eſſe, *qui in exitu vitæ conſtituti videantur*; non enim dixit: ſint; quòd deſignat periculum in reipſa; ſed ait: *Videantur*, quod ad prudens Judicium refertur. Hoc idem clarè colligitur ex communi ſummiſtarum doctrina, qui dicunt, expectandum non eſſe ſupremum mortis Articulum, & inevitabile periculum, quando infirmus animam agit, ſed conſtitutas in mortis periculo, etiamſi alioquin ſpe vitæ non careat, omninò hoc Sacramentum eſſe conferendum, ut ob Sacramenti reverentiam aliquem poſſit devotionis actum in ejus ſuſceptione elicere. Hoc etiam ratio ipſa ſuadet; quia ſi hoc Sacramentum ad ſui valorem requireret verum vitæ periculum in reipſa, ſequeretur multoties, hoc Sacramentum ſuo effectu fruſtrari; quia non poteſt ſemper moraliter ſciri, quando ſit verum, & certum periculum mortis: cùm ex cauſis occultis hoc ſæpè dependeat. Ex quo etiam patet ſolutio rationis dubitandi in oppoſitum adductæ. Diſpar enim eſt ratio de materia Sacramentorum; Non enim eſt tanta difficultas dignoſcendi eam ipſam, quam Chriſtus reipſa inſtituit, quanta eſt difficultas dignoſcendi verum, & certum mortis periculum; Nam illa pendet ex cauſis patentibus, & notis, nimirùm ex ipſa Chriſti Domini inſtitutione nobis manifeſtata; hoc verò pendet à cauſis occultis. Ex his

III. Sequitur, poſſe extremè inungi eum, qui peſtem con- 99

mando, declarat praxis univerſalis Germaniæ, ſicuti & Romana, teſte Jordano, *to.2. lib.3. tit. 3. nu.* 53. ut proinde doctrina *c. ut jejunii de, conſecr. diſt.*4. fuerit vel ſolùm conſilii, vel abrogata. Conſentit S. Thomas *q. 72. art.12. ad 2.* Denique monet Layman *citat. cap.5. num.2.* Non expedire, ut poſt ſeptennium, quando puer uſum rationis adeptus eſt Sacramentum Confirmationis diutiùs differatur: quia digniùs ſuſcipitur ab innocente, ſeu gratiam baptimalem illæſam adhuc ſervante, ipſumque etiam Sacramentum remedii locoeſt, ut Homo à gravioribus lapſibus cuſtodiatur.

## QUÆSTIO II.

*De neceſſitate confirmationis.*

### SUMMARIUM.

33 *Non datur præceptum ad recipiendam confirmationem obligans,*
34 *Per ſe loquendo*
35 *Hodie.*
36 *Tenentur tamen Epiſcopi ſub peccato hoc Sacramentum ſuis ſubditis adminiſtrare.*

### ASSERTIO II.

32 N*On eſt præceptum Divinum, nec Eccleſiaſticum, obligans per ſe loquendo hodie, ad recipiendam confirmationem: Tenentur tamen Epiſcopi ſub peccato hoc Sacramentum ſuis ſubditis miniſtrare.* Ita Layman *cit.c.6.nu.* 3. Gobat, Herincx, & communis.

#### §. I. *Non datur præceptum Divinum, nec Eccleſiaſticum obligans ad recipiendam confirmationem.*

33 ITa communis apud Authores citatos. Imprimis Divinum præceptum nullum extat, eò quòd Sacramentum iſtud ad ſalutem non ſit neceſſarium, ſicuti notavit S. Thomas *qu 72. art.8. ad* 4. ſed, neque præceptum Eccleſiaſticum hodie extare, teſtatur Doctor noſter Subtilis *in 4. d.7. qu.* 2. apud Perilluſtrem, & Reverendiſſimum Patrem Guilielmum Herincx Epiſcopum Iprenſem, ex Ordine noſtro Seraphico, ſæpe citatum, & citandum, *diſp 9. de confirmatione qu 6. n.*54. Item Layman *cit. cap.5. n.3* citans Navarrum, Henriquez, Suarez, Valentiam, Coninch. & alios. Ratio eſt: quia ſi foret præceptum Eccleſiæ, hæc utique ſuos Filios cogeret ad impletionem illius, ſicut cogit ad impletionem præcepti aliorum Sacramentorum, nec permitteret tam facilè aliquem mori ſine hoc Sacramento, cujus utriuſque contrarium tamen experimur: Ergo.

#### §. *Obligans per ſe loquendo.*

34 NAm *per accidens*, ratione contemptus, aut ſcandali, vel alterius circumſtantiæ, poſſet omittens ſuſcipere hoc Sacramentum graviter peccare. Quare D. Thomas *citat. art.*3. docet, eſſe peccatum mortale, ſi quis Sacramentum confirmationis non recipiat propter contemptum. Aliqui verò, ut Richardus *dub.7. art.7. qu.* 1. Gabriel, Sylveſtr, Toletus apud Layman citat. ajunt, etiam notabilem negligentiam contemptum cenſeri, ut ſi quis data opportunitate conſequendi Sacramenti, qualem poſteà non facilè habiturus ſit, ſuſcipere intermittat. Sed id verum non videtur: quia multa animæ ſalubria facere intermittimus, ex torpore quodam, vel quia cogitamus, abſolutè ad ſalutem nobis neceſſaria non eſſe, quæ tamen haud contemnimus. Porrò ratione ſcandali, nemo dubitat, per ejuſmodi amiſſionem peccatum mortale incurri poſſe. Videatur noſter Doctor Seraphicus S. Bonaventura, *d. 7. art. 3. qu.*2. & irrefragabilis Alexander Alenſis *in part.* 4. *qu.* 26. *memb.* 2.

#### §. III. *Obligans hodie.*

35 NAm Olim, cùm ſtatim poſt baptiſmum conferri ſoleret confirmationis Sacramentum, fuiſſe præceptum illud ſuſcipiendi, non obſcurè colligitur ex dictis SS. Patrum, & antiquorum Conciliorum, *Elibertini*, *cap.* 38. *Laodicenſis*, *cap.* 56. quod etiam notavit Petrus Sotus *Lect. 2. de confir. in fin.* Hodie verò, cùm Epiſcopi Sacramentum confirmationis alicubi miniſtrare volunt, admonetur populus, non tamen præcepto ſtrictè impoſito; ut qui confirmati non ſunt, ad confirmandum accedant, vel adducantur. Videatur *Cathechiſmus Romanus*, *part.2. de confirmat. n.*13. Poſſet tamen Papa, imò, & Epiſcopus præcipere ſuis ſubditis ſuſceptionem hujus Sacramenti, ſi ad bonum Regimen judicaverint expedire. Herincx *cit. q.6. n.*55.

#### §. IV. *Tenentur tamen Epiſcopi ſub peccato hoc Sacramentum ſuis ſubditis miniſtrare.*

COmmunis, Herincx citat. Layman *citat. cap. 6. nu.* 3. 36
Gobat *tr.2. n.*742. Angelus V. *Confirmatio de Sacram.* §. 1. Suarez *diſp.8. ſect.*1. Sylveſter *num.* 2. Sa *num.* 52. Bonacina, & alii; ita quidem, ut ſi id longo tempore Miniſtrare intermitterent, mortaliter peccarent. Ratio eſt: quia omittere obire munus ſuum ſuis ſubditis providendi de Sacramento tam utili, eſto in his non ſit obligatio illud ſuſcipiendi, eſt quid grave; & ideò, ſicut Parochi tenentur providere ſuis Parochianis de Sacramento extremæ unctionis, quantumvis non ſit obligatio ſuſcipiendi, etiam tenentur Epiſcopi miniſtrare Sacramentum confirmationis. Siquidem Maxima eſt Sacramenti confirmationis utilitas, ut patebit ex q. ſeq. cujus proinde ſuſceptio, & fructus omnibus inculcari deberet.

## QUÆSTIO III.

*De effectu confirmationis.*

### SUMMARIUM.

38 *Effectus confirmationis eſt Augmentum gratiæ ſanctificantis: item*
39 *Jus ad gratias roborativas ad fidem Chriſti fortiter profitendam: Item*
40 *Character: & quidem*
41 *Diſtinctus à Charactere baptiſmi.*

### ASSERTIO III.

E*Ffectus confirmationis eſt augmentum gratiæ ſanctificantis, Jus ad gratias actuales, roborantes ad fidem* 37
*Chriſti fortiter profitendam, & character diſtinctus à charactere baptiſmi.* Eſt certa.

#### §. I. *Effectus confirmationis eſt augmentum gratiæ ſanctificantis.*

RAtio eſt: quia confirmatio eſt Sacramentum vivo- 38
rum; atqui Sacramenta vivorum cauſant per ſe augmentum gratiæ ſanctificantis, ſeu gratiam ſanctificantem ſecundam, ut patet: ergo augmentum gratiæ ſanctificantis per ſe eſt effectus confirmationis; quod patet ulteriùs ex *act.* 8. *&* 19. ubi dicitur per hoc Sacramentum *dari Spiritum ſanctum*, qui abſolutè non dicitur alicui dari, niſi conferatur gratia ſanctificans. Dictum eſt, Augmentum gratiæ ſanctificantis, ſeu gratiam ſanctificantem ſecundam, eſſe *per ſe* effectum confirmationis: quia *per accidens* poſſe Sacramenta vivorum, quale eſt confirmatio, cauſare gratiam ſanctificantem etiam primam, eſt communis Doctrina apud P. Sporer *Theol. Sacrament. p.1. c. 5. ſect.* 2. *num.*23. quem vide.

#### §. II. *Jus ad gratias actuales roborativas ad fidem fortiter profitendam.*

PAtet ex Concilio Florentino *in Decreto unionis* dicente: 39
*Effectus autem hujus Sacramenti eſt: quia in eo datur Spiritus ſanctus ad robur, ſicut datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes, ut Chriſtianus audacter Chriſti confiteatur nomen.* Ex hac firmitate, ſeu robore fidei confitendæ, nomen ipſum confirmationis, ſuam trahit originem, ut ait Catechiſmus Romanus *cap. de confirmatione.* §.16. *ab eo* (inquit) *Nomen rei impoſitum eſt, quòd hujus Sacramenti virtute DEUS in nobis id confirmat, quod baptiſmo operari cæpit, noſque ad Chriſtianæ ſoliditatis perfectionem adducit.* Quod ulteriùs conſtat ex fine, propter quem Confirmationis Sacramentum fuit à Chriſto Domino, inſtitutum, qui eſt ad ipſius fidem tuendam: Omne autem Sacramentum præter gratiam habitualem confert peculiare auxilium, quod dicitur *gratia Sacramentalis*, ad meliùs, faciliùſque conſequendam finem, propter quem eſt inſtitutum: Ergo

#### §. III. *Et Character.*

DE fide eſt, Sacramentum confirmationis imprime- 40
re in Anima confirmati Characterem Spiritualem

inde-

Digitized by Google

indelebilem, unde etiam hoc Sacramentum iterar. nec validè, nec licitè poteſt. Patet ex Concilio Florentino citat. dicente: *Inter hæc Sacramenta, tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ Characterem, id eſt, Spiritnale quoddam ſignum à Cæteris diſtinctum imprimunt in anima indelebile: Unde in eadem Perſona non reiterantur.* Item ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 7. de Sacramentis in Genere, Can.* 9. definiente: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi Characterem in Anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, unde ea iterari non poſſunt; Anathema ſit.* Rationem congruentiæ, cur Confirmatio imprimat characterem, Vide apud P. Sporer *Theol. Sacram. p.* 1. *c.* 1. *ſect.* 4. *n.* 56.

### §. IV. *Diſtinctus à Charactere Baptiſmi.*

41 Ratio multiplex eſt: 1. quia Concilia modò citata apertè dicunt tria Sacramenta imprimere characterem, utique non unum; cùm non ſimul ſuſcipiuntur: Ergo triplicem, ſeu tres ad invicem diſtinctos. 2. quia Confirmatio eſt Sacramentum diſtinctum, & quidem ſpecie, à Baptiſmo, & Ordine: ergo etiam ſpecie diſtinctum imprimet Characterem. 3. quia alius eſt Status *Ovium Chriſti*, quem ſignificat Character Baptiſmalis: Alius eſt Status *Militum Chriſti*, quem ſignificat Character Confirmationis; & alius eſt ſtatus *Miniſtrorum Chriſti*, quem ſignificat Character Ordinis: ergo etiam alii, ſeu diſtincti ſunt Characteres Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis. 4. Quia Character Baptiſmi eſt capacitas quædam moralis ad reliqua Sacramenta legitimè ſuſcipienda; Character autem Confirmationis eſt quædam Potentia ad fidem fortiter propugnandam. Aliud eſt de Gratia Sanctificante habituali, quæ debet eſſe ejuſdem ſpeciei ex quacunque cauſa proveniat; cùm idem ſemper ſit principalis ejus finis, & effectus formalis, ſcilicet conſtituere filium DEI, & conferre Jus ad Gloriam Cœleſtem. Herincx *diſp. 9. de Confirmationis Sacramento, quæſt. 7. num.* 63.

## QUÆSTIO IV.

### *De Cæremoniis Confirmationis.*

### SUMMARIUM.

43 *Prima Confirmationis Cæremonia eſt, ut Epiſcopus illam miniſtret in Habitu Pontificali;*
44 *Secunda eſt, ut caput ſeu frons confirmati circumligetur vitta, ſeu linteo:*
45 *Tertia eſt, ut Epiſcopus det alapam Confirmato;*
46 *Quarta eſt, ut adſit Patrinus.*
47 *Qualis debeat eſſe Patrinus?*
48 *An contrahat obligationem inſtruendi ſuum filiaſtrum?*
49 *An contrahat cognationem ſpiritualem &c.?*

### ASSERTIO VI.

42 *Cæremoniæ Confirmationis ſunt Quatuor: Prima, ut Epiſcopus illam conferat indutus Habitu Pontificali: Secunda, ut Caput Confirmati circumligetur vitta, ſeu linteo: Tertia, ut Epiſcopus confirmato det alapam: Quarta, ut adſit Patrinus.* Communiſſima apud Layman, Herincx, Gobat, La Croix, & alios.

### §. I. *Prima Confirmationis Cæremonia*

43 Eſt, quòd Epiſcopus ob reverentiam Sacramenti debeat indui habitu Pontificali, idque ſub peccato Mortali, ut docet *Diana part. 7. tract. 10. reſol. 31.* quemadmodùm Sacros Ordines collaturus, debet veſtiri indumentis, & Ornamentis Pontificalibus. Et licet Epiſcopus Sacramentum Confirmationis deberet conferre in Eccleſia, quantùm commodè fieri poteſt; ſimpliciter tamen illud conferre poteſt quovis loco decenti, imò ob copiam adventantium etiam ſub dio, idque quamvis locus ſit interdictus, ut habetur *c. Reſponſo. de ſentent. excomm.* ita Herincx *diſp. 9. de Sacramento Confirmationis q. 8. numer.* 64. ſimiliter quamvis olim Sacramentum Confirmationis ſolùm conferretur tempore Paſchæ, & Pentecoſtes, modò tamen invaluit Conſuetudo conferendi illud omni tempore, & die, idque tam poſt, quàm ante prandium, ut patet ex Praxi Epiſcoporum.

### §. II. *Secunda Confirmationis Cæremonia*

Eſt, quòd caput Confirmati circumligetur vitta, ſeu linteo; quod fit ob Reverentiam Chriſmatis, ut paulatim exiccetur, & ne aliis rebus adhæreat, quæ vitta circumferri debet, & non ante ablutio fieri, quam Unctio Chriſmatis ſiccata ſit; quamvis in ea re, cujuſque loci conſuetudinem ſervandam eſſe, moneant Suarez, Henriquez, Coninch. apud Layman *lib. 5. tract. 3. capit. 7. numer.* 2. Nam alicubi mos eſt, ut mox poſt collatum Confirmationis Sacramentum, frons Confirmati abluatur ab aliquo ex aſſignatis Sacerdotibus, ſpongia, vel alio linteo; alibi expectatur, donec ſit exiccatum Chriſma: alibi circumfertur vitta tribus diebus, alibi ſeptem diebus. Poſtquàm vero frons tota, & vitta depoſita eſt, ea comburi ſolet, & aliquibus locis in profluentem mitti. Quamvis nihil obeſſe videatur, ſi diligenter lota, in Sacrario, vel alio honeſto loco aſſervata, deinde ad ſimilem Sacrum uſum adhibeatur. Ad profanos tamen uſus applicari non debet; Cùm per Sacri Chriſmatis contactum quodammodò ſacrata ſit. 44

### §. III. *Tertia Confirmationis Cæremonia*

Eſt, quòd Epiſcopus det Confirmato Alapam, ſuper genam, dicendo: *Pax tecum.* Tum ut Confirmatus intelligat ſe armari hoc Sacramento ad injurias pro Chriſto tolerandas: Tum ut recordetur Sacramenti ſuſcepti, & militiæ, ad quam exercendam conſcribitur. 45

### §. IV. *Quarta confirmationis Cæremonia*

I. Eſt, quòd debeat adeſſe Patrinus, qui Confirmandum teneat, ut habetur *capit. in catechiſmo* 100. & *duobus ſeqq. de conſecrat. diſt.* 4. & quidem ſub culpa gravi, ut docet Navarrus *Manual. capit.* 22. ex communi, apud La Croix *lib. 6. part. 1. numer.* 394. Ubi tamen facilè non habetur Patrinus, poteſt omitti juxta Gobat *tract. 2. num.* 780. alii tamen melius ſuadent, ut unus tuhe ſit plurium Patrinos: Gobat *citat. numer.* 768. poſſe enim unum etiam eadem die eſſe Patrinum plurium, docet Barboſa, apud la Croix *citat. numer.* 396. Non permittitur hic unus, & una ſimul, ſed ſolùm unus, vel una Gobat *citat. num.* 785. Palaus, Herincx &c. Ratio eſt: quia Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 2. de Reform. Matrim* tantùm ſtatuit de baptiſmo, quod poſſint eſſe duo Patrini, adeòque non videtur extendendum ad Confirmationem; Cùm Juris Antiqui (quod *capit. Non plures* 101. *diſt. 4. de Conſecr.* non admitti niſi unum, vel unam) correctio ſine urgenti fundamento non debeat admitti. Verùm, quia Concilii Tridentini citati verba videntur tam ampliativè, quàm reſtrictivè ſtatuere de Patrinis hujus Sacramenti, idcircò contraria Opinio placet Navarro *in ſumma capit. 22. numer.* 40. Toleto *lib. 2. capit. 24. numer.* 11. Sanchez *de Matrim. lib. 7. diſput. 57. num.* 12. & Aliis, quos tutò ſequeris, ait Gobat citat. ubi non repugnaverit Conſuetudo. Debet etiam ſecundùm Romanam conſuetudinem Patrinus confirmationis eſſe diſtinctus à Patrino baptiſmi extra caſum neceſſitatis, *capit. in catechiſmo citat.* Putat tamen Sylveſter, *Verb. confirmatio*, conſuetudinem jam contrarium obtinere: Alii apud Herincx, *diſp 9. de Confirmat. quæſt.* 8. *numer.* 66. cenſent, ſecùs facientem non peccare ſaltem mortaliter, uti nec ſi fœmina præſentet Virum Patrinum, vel è contra; etſi hoc ſit minùs conveniens, & contrarium præſcribatur in *Pontificali.* Debet etiam Patrinus eſſe Confirmatus, *Ex can. in Baptiſmate* 102. *de conſecrat. diſt.* 4. & *in Pontificali.* Unde non confirmatos, ſi fieret in confirmatione Patrinus, juxta DD. communiter apud La Croix *l. 6. part. 1. numer.* 394. graviter peccaret; juxta Eſcobar, Quintanadvenam, & alios apud Gobat *numer.* 782. probabiliter tantùm leviter; ac etiam juxta pleroſque apud Herincx *citat. numer.* 66. invalidè obiret munus Patrini, adeòque probabiliter non contraheret cognationem ſpiritualem. Contrarium tamen etiam eſt valdè probabile, ait *La Croix citat. num.* 400. ſi enim confirmans non confirmatus contrahat, cur non Patrinus? Nec obſtat, *quod canon. citat. in Baptiſmate de conſecrat. diſt.* 4. dicat, illum, qui confirmatus non eſt, non poſſe alium ſuſcipere; Nam ly *Non poſſe*, ſæpe denotat tantùm prohibitionem; quod enim illicitum eſt, dicitur moraliter fieri non poſſe, uti notat Averſa. Poteſt inſuper aliquis eſſe Patrinus in confirmatione per Procuratorem; idem tamen nequit ſimul eſſe confirmans, & Patrinus. *Gobat cit. num* 790. Nihilominùs confirmans poteſt eſſe Patrinus illius, 46

quem

quem Confirmat, ſi conſtituat Procuratorem, qui ſuo nomine teneat Confirmandum, ſicut ſuprà de Patrino baptiſmi diximus.

47 II. Patrinum Confirmationis deſignant Parentes, vel in eorum defectu Epiſcopus. *Gobat numer.* 788. Poteſtque Clericus in Confirmatione eſſe Patrinus; item Monachus reſpectu alterius Monachi. Barboſa, Caſtro-Palaus, Quintanadvennas, *Gobat numer.* 783. imò Dicaſtillus *numer.* 145. credit, Religioſos Mendicantes, etiam reſpectu externorum poſſe hic faciliùs eſſe Patrinos, eò quod non ſit obligatio inſtruendi, uti docent etiam Suarez, & alii. *Herincx citat. numer.* 67. obſervat, nonnullos cenſere, quòd Monachis non ſit illicitum, eſſe Patrinum Confirmationis, eò quod Ratio prohibitionis non habeat locum in hoc Sacramento ob non annexum onus inſtruendi. Communiter taman alii contradicunt. P. Sannius *diſt.* 3. *de Confirm. quæſt.* 6. *num.* 10. ait: Non peccaret proinde modò Monachus, vel Religioſus, ſi ex rationabili cauſa requiſitus Patrinum ageret in Confirmatione, & fortaſſis etiam frater Minor non *obſtante ſua Regula Capit.* 11. quia Capitulum Noſtrum Generale 44. *Interamnæ* celebratum 1500. declaravit, Fratres Minores non poſſe eſſe Patrinos, quando exinde oritur ſcandalum inter fratres, vel de fratribus. Secus ſi exinde non oriretur ſcandalum.

48 III. Obligatio Confirmatum inſtruendi non eſt in Jure expreſſa, ut notat Henriquez, & alii: quæ tamen exprimitur *in Pontificali*, quod vitanda Mala, & facienda Bona, & quoad *Pater noſter, Avemaria, & Credo*: *quoniam* (inquit) *ad hoc ſunt obligati*. Dato autem, quòd etiam in Canonibus expreſſa foret, tamen rarò admodùm haberet locum; eò quòd ſuſcipiens hoc Sacramentum, ſi ſit Adultus, præſumatur utcunque inſtructus; & quamvis ſupponeretur eſſe parvulus, ad Inſtructionem tamen teneatur Patrinus Baptiſmi. *Herincx cit. n.* 66.

49 IV. Contrahitur autem Cognatio Spiritualis dirimens Matrimonium inter Confirmantem & Patrinum ex una parte, & ipſum Confirmatum, ejuſque Parentes ex altera parte, & non ultrà. Juxta Concilium Trident. *ſeſſ.* 24. *capit.* 2. *de Reform. Matrim.* de qua agit P. Spoter *Theol. Sacram. Parte* 4. *capit.* 1. *ſect.* 1. *à numer.* 68. quem vide. Reliqua de Patrino Confirmationis ſunt ferè explicanda conformiter ad ea, quæ *capit. præced. ſect.* 3. *quæſt.* 4. *à numer.* 101. diximus de Patrino Baptiſmi. Porro Cæremonia illa, ut Confirmati non exeant templo, priuſquàm acceperint Communem Benedictionem ab Epiſcopo, non obſervatur, quando eſt tantus accurſus, ut alii aliis ſuccedere debeant. Layman *lib.* 5. *tract.* 3. *capit.* 7. Caſtro-Palaus, Gobat, La Croix *lib.* 6. *part.* 1. *numer.* 400. Denique providè monet Noſter P. Herincx *citat. numer.* 67. ſolicitè obſervandum eſſe Parochis, ut tum hujus Sacramenti initerabilitatem, tum Cognationem ſpiritualem ex hoc oriundam inculcent fidelibus, ob incommoda, quæ alioquin oriri nata ſunt. Imò Parochos teneri in librum referre Nomina Confirmatorum, & Patrinorum ſuæ Parochiæ, (eamque Curam etiam ad Epiſcopos pertinere) tum propter ſciendam Cognationem, tum propter Ordines ſuſcipiendos, docet Quintanadvennas *ſingul.* 11. ex Barboſa, apud Buſembaum, & La Croix *lib.* 6. *part.* 1. *numer.* 393. qui addit *numer.* 402. Parochos debere inquirere de hoc impedimento, dum ineuntur Matrimonia, & attendere, an contrahentes fortaſſe non impediantur Cognatione Spirituali ex Baptiſmo, vel Confirmatione contracta. Ultimò licet etiam mutare Nomen in Confirmatione. *Quintanadvennas cit. ſingul.* 10.

## S E C T I O III.

*De Inſtitutione, Materia, Forma, & Miniſtro Sacramenti Extremæ Unctionis.*

## Q U Æ S T I O I.

*Quid ſit Extrema unctio, & quando Inſtituta?*

### S U M M A R I U M.

51 *Extrema unctio eſt Sacramentum,*
52 *A Chriſto Domino immediatè inſtitutum,*
53 *Poſt ſuam Reſurrectionem.*
54 *Solvitur Objectio.*
55 *Definitur Extrema unctio, & explicatur.*

### A S S E R T I O I.

50 E*Xtrema unctio eſt Sacramentum, à Chriſto Domino immediatè inſtitutum, poſt Reſurrectionem ſuam, & definitur à Doctore Subtili, quòd ſit unctio hominis Pænitentis, facta in determinatis Corporis partibus, cum Oleo Conſecrato ab Epiſcopo, miniſtrato à Sacerdote ſimul Verba Certa cum intentione debita proferente, ex inſtitutione Divina efficaciter ſignificans Curationem finalem Venialium.* Eſt partim de fidem, partim Communis.

#### §. I. *Extrema unctio eſt Sacramentum.*

NOmine *Extremæ unctionis* intelligitur illa unctio, qua 51 infirmus in extremis conſtitutus, Oleo per Epiſcopum benedicto, ſub certa Verborum forma, à Sacerdote inungitur ad ſublevandam Animæ, & Corporis debilitatem. Dicitur *Extrema*, partim, quia confertur Homini in extremis Conſtituto; partim, quia omnium Unctionum, quas in hac Vita Chriſtiani recipiunt, videlicet in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordinatione, eſt poſtrema. Hanc Extremam unctionem è numero Sacramentorum eliminare conati ſunt Hæretici, olim Vvaldenſes, & Albigenſes, nunc verò Lutherani, & Calviniſtæ, contra quos cum Eccleſia Catholica docemus, Extremam Unctionem eſſe Verum, & proprium Novæ Legis Sacramentum. Eſt certum de fide. Patet tum ex S. Scriptura, ex Epiſtola S. Jacobi, *cap.* 5. ubi ait: *Infirmatur quis in Vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum Oleo in Nomine Domini, & Oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & ſi peccatis ſit, remittentur ei*, quæ Verba Apoſtoli continent omnia ad eſſentiam veri Sacramenti neceſſaria; Continet enim primò, Signum Externum ſenſibile, Materia, & forma conſtans, ſcilicet Unctione Olei, & Oratione, ſeu Verbo Sacerdotis; deinde deſignatur Miniſter, ſcilicet Præsbyter, & ſubjectum hujus Sacramenti capax, ſcilicet fidelis infirmus, & tandem per alleviationem infirmi, & peccatorum remiſſionem, deſignatur effectus, & gratia Sacramentalis, ex efficacia Extremæ Unctionis data, quæ omnia in ſequentibus latiùs explicabuntur. Tum ex Conciliis Florentino, *in Decreto unionis*, & Tridentino *ſeſſ.* 14. *can.* 1. *de Sacramento Extremæ unctionis*, definiente: *ſi quis dixerit, extremam unctionem non eſſe verè & propriè Sacramentum, à Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & à Beato Jacobo Apoſtolo promulgatum, ſed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum; Anathema ſit*. Tum ex SS. Patribus idipſum affirmantibus: Tum ex traditione, definitione, & perpetua praxi Eccleſiæ: Tum ex hac Ratione, quam adducit Doctor Noſter Subtilis *in* 4. *diſt.* 23. *quæſt. un.* Quia DEUS non minùs providet Fidelibus ſuis in majori Neceſſitate, quàm in minori conſtitutis; ſed maxima neceſſitas eſt in exitu de ſtatu Vitæ ad ſtatum termini; Mortis enim Articulus multis de cauſis eſt hominibus formidabilis, nimirùm ob Vitæ malæ Conſcientiam, ob Divini judicii timorem, & futuri ſtatus incertitudinem, & præſertim ob Dæmonis tentationes, quæ eo tempore acriùs urgent: Ergo ſicut DEUS providit Nobis de Sacramento auxiliante in principio Vitæ, nimirùm de Baptiſmo; in Medio Vitæ, ſcilicet de Pœnitentia; multò magis providit in fine Vitæ de Sacramento opitulante, quo recrearentur, & in majorem ſpem erigerentur fideles in mortis periculo conſtituti.

#### §. II. *A Chriſto Domino immediatè inſtitutum.*

EſT de fide. Patet ex Concilio Tridentino mox citato, 52 ubi licèt Concilium non addat particulam *immediatè*, ex ipſius tamen Verbis ſatis apertè colligitur: Eo enim ipſo, quod inquit, fuiſſe à B. Jacobo promulgatum, manifeſtè oſtendit, non fuiſſe ab eo inſtitutum; S. Jacobus enim non fuit, niſi promulgator, ſive præco hujus Sacramenti immediatè à Chriſto inſtituti, ut ait Doctor Subtilis citatus. Hoc idem deducitur ex doctrina de Sacramentis in Genere, ab eodem Concilio tradita *ſeſſ.* 7. *can.* 1. ubi definit: *Si quis dixerit, Sacramenta Novæ Legis non fuiſſe omnia à Chriſto Domino inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora, quàm ſeptem, aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe Verum, & propriè Sacramentum, Anathema ſit.*

#### §. III. *Poſt ſuam Reſurrectionem.*

POſtquàm nimirùm Chriſtus Apoſtolis dedit poteſtatem 53 remittendi peccata, *Joannis* 20. ita communior Theologorum apud Suarez, Henriquez, Layman *lib.* 5. *tract. capit.* 1. *numer.* 2. Maſtrium *Theol. Moral. diſp.* 21. *quæſt.* 1. *num.* 13. Herincx *Parte* 4. *tract.* 4. *diſp.* 9. *quæſt.* 1. *n.* 8. & alios. Ratio eſt: Tum quia Sacramentum Extremæ Unctionis, juxta Concilium Trident. *ſeſſ.* 14. *in doctrina de Sacramento Extremæ Unctionis*, eſt conſummativum, & comple-

Digitized by Google

plementum Sacramenti Pœnitentiæ; ergo veriſimilius fuit inſtitutum poſt Sacramentum Pœnitentiæ: atqui Sacramentum Pœnitentiæ fuit inſtitutum poſt Reſurrectionem Chriſti, *Joann.* 20. ut docet Tridentinum *citat. ſeſſ.* 14. *capit.* 1. *de neceſſitate, & inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ:* ergo etiam Sacramentum Extremæ Unctionis. Tum quia hoc Sacramentum ſupponit in Miniſtro poteſtatem remittendi peccata, & in ipſius Materia conſecranda poteſtatem Epiſcopalem; ſed Apoſtoli modò poſt Reſurrectionem, *Joan.* 20 acceperunt has duas poteſtates, ut modò dictum ex Concilio Trident. *citat.* ergo hoc Sacramentum modo poſt Reſurrectionem fuit inſtitutum; etſi fortè modus benedictionis ſervandæ circa oleum, uti circa Chriſma ſit à Chriſto in ultima cœna traditus. Herinex citat. qui addit: ut proinde Sacerdos tantùm incompletè Ordinatus, accepta ſcilicèt tantùm poteſtate conſecrandi Corpus Chriſti verum, uti non poſſet abſolvere, ſic nec infirmos Sacramentaliter inungere; cùm poteſtas inungendi præſupponat poteſtatem abſolvendi.

54 Dices: *Marci* 6. legitur, quòd Apoſtoli *ungebant Oleo multos ægros, & ſanabant,* ſed hoc fecerunt ante Chriſti Reſurrectionem: ergo ante Chriſti Reſurrectionem Sacramentum Extremæ Unctionis jam erat inſtitutum. Reſp. cum Concilio Trident. *citat. ſeſſ.* 14. *capit.* 1. *de Inſtitutione Sacramenti Extremæ Unctionis*, hoc Sacramentum *apud S. Marcum loco cit. fuiſſe inſinuatum*, qualiter Baptiſmus Chriſti fuit inſinuatus per Baptiſmum Joannis; non verò ibi inſtitutum. Ratio eſt: I. Quia apud S. Marcum loco citat. ab Apoſtolis illa unctio fuit collata ægris non baptizatis. II. Quia conferebatur etiam infirmis de vita non periclitantibus. III. Quia illa unctio conferebat tantùm ſanitatem corporalem. IV. Quia illa unctio collata fuit ab Apoſtolis tunc nondum Sacerdotibus; quæ omnia convenire non poſſunt Sacramento Extremæ Unctionis: ergo illa Unctio ab Apoſtolis facta non erat Sacramentum Extremæ Unctionis, ſed ejuſdem inſinuatio, ut loquitur Concilium Trident. cit.

### §. IV. *Definitur*

55 A Doctore Subtili *in* 4. *diſt.* 23. *quæſt. unica*, quòd ſit *unctio hominis infirmi pœnitentis, facta in determinatis partibus Corporis, cum Oleo conſecrato ab Epiſcopo, miniſtrata à Sacerdote ſimul verba certa, cum intentione debita proferente, ex Inſtitutione Divina efficaciter ſignificans curationem finalem venialium.* Quæ quidem definitio exacta eſt, & completa, utpotè explicans omnia ad hoc Sacramentum requiſita; explicat enim Materiam remotam, quæ eſt Oleum Olivæ ſimplex ab Epiſcopo benedictum. Explicat Materiam proximam, quæ eſt unctio facta in determinatis partibus Corporis: Explicat formam, quæ ſunt certa verba cum intentione debita à Sacerdote proferenda. Explicat Miniſtrum, qui eſt ſolus Sacerdos, ut ex ipſis divi Jacobi verbis colligitur, Explicat ſubjectum hujus Sacramenti capax, quod eſt Homo pœnitens infirmus: denique explicat vim, & effectum hujus Sacramenti, qui eſt curatio, & remiſſio finalis venialium peccatorum. Hæc tamen omnia in ſequentibus magis explicabuntur. Si fortè deſideres breviorem definitionem, en definitionem, quam tradit Layman *citat. numer.* 1. dicens: *Extrema Unctio eſt Sacramentum per unctionem Olei Benedicti, & Orationem Sacerdotis, ad conferendam homini ægrotanti, ac de vita periclitanti, ſalutem mentis vel etiam Corporis, à Chriſto inſtitutum.*

## QUÆSTIO II.

### *De Materia Extremæ Unctionis.*

### SUMMARIUM.

57 *Materia Remota Extremæ Unctionis eſt Oleum oliva,*
58 Uſque ad num. 61 *Quid faciendum, ſi deficiat Oleum?*
61 *Debet eſſe ab Epiſcopo benedictum.*
62 Uſque ad num. 66. *Materia proxima neceſſaria neceſſitate Sacramenti eſt una Unctio cum forma exprimente quinque Corporis ſenſus.*
66 & 67 *Materia proxima neceſſaria neceſſitate præcepti eſt quintuplex unctio quinque ſenſuum.*
68 *An quinque ſenſuum unctiones faciant unum Sacramentum?*

### ASSERTIO II.

56 M*Ateria Remota Extremæ Unctionis eſt Oleum Oliva, ab Epiſcopo benedictum: Materia verò Proxima eſt unctio facta cum tali Oleo; & quidem de Neceſſitate Sacramenti, requiritur, & ſufficit una cum forma exprimente omnes Corporis ſenſus; de Neceſſitate tamen Præcepti requiritur quintuplex unctio quinque ſenſuum.* Communis apud Maſtrium *in* 4. *diſp.* 6. *q.* 3. Herinca &c. ſequuntur Recentiores, & Scotiſtæ.

### §. I. *Materia Remota Extremæ unctionis eſt Oleum Oliva.*

EST Certa de fide. Patet ex Concilio Florentino citat. ex- 57
preſſe dicente. *Quintum Sacramentum eſt Extrema unctio, cujus Materia eſt Oleum Oliva, per Epiſcopum benedictum.* Idemque ſatis colligitur ex *Jacobi* 5. ex illis Verbis: *ungentes cum Oleo*, & Concilio Trident. *ſeſſ.* 14. *capit.* 1. *de Extrema unctione*, ubi pro Materia Extremæ Unctionis aſſignatur *Oleum*; quod ſimpliciter poſitum, ſecundùm Uſum Eccleſiaſticum ſtat pro Oleo Olivæ; quod unicum eſt verum Oleum abſolutè, & ſimpliciter loquendo, conformiter ad derivationem Nominis, quæ ſumitur ab *Olea*, quæ eſt Olivarum planta. Ut proinde liquores ex aliis rebus expreſſi, ſolùm cum addito nominentur Oleum, puta, *Nucum, Amygdalarum, lini &c.* Quare ſicut Nomine Aquæ in Baptiſmo intelligitur naturalis, quæ ſimpliciter dicitur Aqua, ita hic nomine Olei intelligitur Oleum Olivarum. Et hic ſemper fuit ſenſus & uſus totius Eccleſiæ. Quocircà alia Olea, præter Oleum Olivæ non ſunt materia valida Extremæ Unctionis, ſicut & Balſamum. Nec tamen obſtaret ſtatim valori Extremæ Unctionis, ſi Oleo fieret additio minima alterius materiæ, modò remaneat verum Oleum ſimpliciter: ſicut Aqua manet valida Materia Baptiſmi, etſi Chriſma ei admiſceatur. Unde putat *Suarez d.* 40. *ſect.* 2. apud Herinca *diſp.* 9. *de Sacramento Extremæ unctionis, quæſt.* 2. *numer.* 11. materiam validam Extremæ Unctionis eſſe etiam Chriſma; quæ Opinio quamvis ſpeculativè ſit probabilis, non tamen talis eſt practicè, ſed ſubjacet damnationi Innocentii XI. *in I. Propoſitione*; quia in Sacramentis, quando agitur de valore actus, tenemur ſequi ſententiam tutiorem, qualis eſt utique oppoſita ſententiæ Suarez; ſiquidem aliàs Sacramentum exponeretur periculo nullitatis. Cardenas *in* 2. *Criſi, diſſert.* 2. *numer.* 497. Averſa La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *numer* 2090. Herinex *citat.* probans etiam ex eo, quia Chriſma non eſt benedictum ea benedictione, qua Oleum infirmorum benedici debet; cùm tamen Benedictio eſſentialiter requiratur ad Materiam validam Extremæ unctionis, ut ſtatim dicetur. Si tamen deeſſet Oleum, liceret uti Chriſmate; nam in caſu neceſſitatis, quando haberi non poteſt medium certum, utendum eſt probabili. Quòd ſi poſteà haberi poſſet Oleum, aut ſi Parochus per errorem inunxiſſet ægrum Chriſmate, dicendum eſt cum S. Carolo Borromæo *in Inſtr. Paſtor.* & aliis cum Illſungh *hic numer.* 1. contra Layman *l.* 5. *tract.* 8. *capit.* 2. *numer.* 4. Sacramentum debere repeti ſub conditione; quia dubium eſt, an cum Chriſmate fuerit validum, & idem dicit Synodus *Colonienſis* anno 1662. apud La Croix citat ſi Sacerdos per errorem uſus eſſet Oleo Catechumenorum; quod etiam apud Herinex citat. præſcripſit Parochis Synodus *Mediolanenſis V.* Nec obſtat, quòd SS. Patres Materiam Extremæ Unctionis appellent *Chriſma*; quia Nomine Chriſmatis intelligunt hujus Sacramenti Materiam proximam, ſeu Unctionem: Chriſma enim græcè, ſignificat latine Unctionem; Unde in Pontificali Romano, cùm benedicitur Oleum infirmorum, illud appellatur Chriſma.

II. Si Parocho deficiat Oleum infirmorum, ita ut non 58
ſufficiat pro toto anno, & aliunde non poſſit habere ſufficiens Oleum Benedictum, tunc Oleo benedicto admiſceat de Oleo Olivarum non benedicto, ita tamen, ut quantitas Olei non benedicti admiſcendi ſit ſemper minor, quàm quantitas Olei Benedicti, cui admiſcetur, & tale Oleum in Circumſtantiis prædictis eſt Materia valida, & licita Extremæ Unctionis in praxi, etiamſi quantitas Olei non benedicti ſucceſſivè affuſa, ſi omnes partes ſimul ſpectarentur, ſuperaret quantitatem benedicti. Ita Herinex *citat. num.* 16. La Croix *lib.* 6. *pag.* 2. *num.* 293. Cardenas *in Chriſi Theologica, diſſert.* 2. *à num.* 460. Ratio eſt: quia de facto partim ex declaratione Cardinalium, quam adducit in terminis Cardenas citat. partim ex conſuetudine plurimarum Eccleſiarum, partim etiam ex Rituali Romano practicè certum eſt licitum eſſe ſic procedere, dummodò ſucceſſivè, & per particulas ſic affundatur, ut pars nunc affuſa ſit minor altera benedicta, cui affunditur: totum enim hoc ipſo ſit benedictum.

III. *Suarez & Filliucius* putarunt ad valorem Extremæ 59
Unctionis non ſufficere allinire unam guttam Olei, uti ad Baptiſmum non ſufficit apponi guttam aquæ. Sed rectè contradicunt Herinex *cit. num.* 17 Averſa, & Dicaſtillus *num.* 44. *ſect.* 2. nam ſi digit allinas guttam Olei, diceris unge-

re,

Digitized by Google

re, ut patet ex uſu: E contrà ſi digito apponas guttam aquæ, non diceris abluere. La Croix *cit. num.* 2094.

60 IV. Ex uſu & praxi Eccleſiæ Latinæ Sacrum Oleum, uti Chriſma quotannis renovandum eſt. Idemque expreſſit *Rituale Romanum Tit. de Sacramento Extremæ Unctionis*, dicens: *Singulis annis feria quinta in Cœna Domini ab Epiſcopo benedictum, veteri combuſto renovandum eſt*, quamvis de obligatione dubitent Herinquez, & Ledeſma, apud Averſam *ſect. 2. in fine*; eò quòd non ſit expreſſum in Jure Canonico tale Præceptum de Oleo infirmorum, ſicut de Chriſmate. Idemque Henriquez *lib. 2. capit. 29. numer.* 3. refert, Salmaticenſes Juriſtas, & Theologos docuiſſe, non eſſe mortale, etiam extra caſum neceſſitatis, veteri Oleo Ungere; ſaltem in caſu, quo Sacerdos necdum habens copiam novi, ungeret infirmum Oleo veteri, non peccaret: Cùm Eccleſia non cenſeatur velle tam ſtrictè hanc accidentalem, nec tanti momenti Cæremoniam ſervari cum tanto gravamine infirmi, imo Sacerdos obligaretur eo caſu uti oleo veteri, ne fineret infirmum abſque ſubſidio hujus Sacramenti decedere, *Herincx citato numer.* 16.

### §. II. *Ab Epiſcopo benedictum.*

61 DE neceſſitate Sacramenti Extremæ Unctionis requiritur, ut Oleum ſit ſpecialiter ab Epiſcopo benedictum ad hunc effectum, hoc eſt ad eſſe aptam Materiam Sacramenti. Ita Doctor Subtilis 4. *d.* 23. *quaſt. unic.* Maſtrius, Herinex, La Croix, citans D. Thomam, Averſam, Illſung, & Communiſſimam. Herinex citat. ſuprà *numer.* 22. ait: hoc docere pro indubitato omnes, quicunque de hac re ſcripſerunt, exceptis *Victoria, Serario, Ledeſma, & Paludano*. Ratio eſt: Quia Concilium Florentinum *in Decreto Unionis* expreſsè dicit: Materia eſt Oleum Olivæ, per Epiſcopum benedictum, & Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *de Extrema Unctione cap.* 1. ait. Intellexit Eccleſia, Materiam eſſe Oleum ab Epiſcopo benedictum. Cùm autem Concilia ſtrictè, & dogmaticè loquantur, ſicut ad valorem Sacramenti Extremæ Unctionis requirunt Oleum Olivæ, ſic etiam benedictionem Epiſcopalem ſuper Oleum. Quod etiam perpetua, ac numquam ullo caſu intermiſſa praxis Eccleſiæ ſatis oſtendit. Nihilominùs benedictionem Epiſcopalem non ſic eſſe de Eſſentia, quin poteſtas hoc Oleum benedicendi poſſit extraordinariè committi ſaltem à Papa, ſimplici alcui Sacerdoti, docent varii Recentiores Doctiſſimi. Ratio eorum eſt: Quia Clemens VIII. *die* 31. *Auguſti* 1595. *In Instruct.* quæ eſt inter illius conſtitutiones 34. ſic habet: *Non ſunt cogendi Presbyteri Græci Olea ſancta, præter Chriſma, ab Epiſcopis Latinis Diœceſanis accipere; Cùm hujuſmodi Olea ab eis in ipſa Oleorum, & Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, ſeu benedicantur: Chriſma autem, quod nonniſi ab Epiſcopo, etiam juxta eorum ritum benedici poteſt cogantur accipere.* Unde quamvis D. Thomas *art.* 6. Bellarminus *capit.* 7. Dicaſtillus *hic numer.* 32. Averſa *ſect.* 2. & Communiſſima dicat, ex præcepto Chriſti requiri hic benedictionem Epiſcopalem; cùm tamen certum ſit, benedici à Presbyteris Græcis, approbante Latina Eccleſia, ſententia illa pro Eccleſia Græca videtur eſſe practicè certa; ſed pro Latina eſt ad ſummum ſpeculativè probabilis, ait La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 2092.

### §. III. *Materia Proxima Extremæ Unctionis, Neceſſaria Neceſſitate Sacramenti*

62 I. EST una Unctio, cum forma exprimente omnes Corporis Senſus. Ita Maſtrius *Theol. Moral. diſp.* 22. *q.* 3. *numer.* 38. citans Silvium, Becanum, Poncium, Hiquæum, Suarez, Coninch. Layman, Caſpenſem, Amicum, & Alios Recentiores, imò totam Univerſitatem Lovanienſem. Ratio imprimis, quòd Unctio facta cum Oleo per Epiſcopum benedicto, ſit Materia proxima Sacramenti Extremæ Unctionis, deſumitur ex ipſo nomine Extremæ *Unctionis*, & Apoſtolus ipſe ſufficienter expreſſit, dum dixit: *Ungentes eum Oleo*, ac denique Concilia Florentinum, & Tridentinum definiunt. Deinde, quia Unctio eſt applicatio Materiæ remotæ, ſcilicet Olei; ſicut ablutio in Baptiſmo eſt applicatio Aquæ: Ergo eſt Materia proxima. Addit tandem Doctor Subtilis citat. optimam congruentiam; quia ſicut Corporalis Unctio adhibetur ad ſanandos morbos, ſedandos dolores, curanda vulnera, & confovenda membra; ſic aptiſſimè hæc Sacra Unctio ſignificat ſimiles effectus in anima, dum ſanat morbos, & confortat infirmum ad luctam imminentem, nec minùs aptè corporalem hominis ſanitatem, quam interdum confert, ſignificare poteſt. Quam congruentiam poſteà accepit, & approbavit etiam Concilium Trident. *ſeſſ.* 14. *capit.* 1. *de Extrema Unctione*, dum dixit: *nam Unctio aptiſſimè Spiritus Sancti gratiam, qua inviſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat.*

II. Quòd autem una Unctio cùm forma exprimente quinque Corporis Senſus ſit de Neceſſitate Sacramenti Extremæ Unctionis, conſtat ex eo I. Quia nec S. Scriptura, nec Concilia plus requirunt, quàm Unctionem; Sicut pro Baptiſmo requirunt ablutionem: Ergo ſicut una ablutio ſufficit in Baptiſmo ad valorem, ita etiam una unctio in hoc Sacramento. II. Quia Græci dum conferunt Extremam unctionem, faciunt unctionem, per modum Crucis, in facie, nimirùm à fonte uſque ad Mentum, & ab una gena ad alteram, deinde in pectore manibus, ac pedibus, non tamen in oculis, & auribus: quæ tamen unctio ſufficiens & valida reputatur à Romana Eccleſia teſte *Maſtrio citat. num.* 39. III. Quia una unctio effectum hujus Sacramenti ſufficienter ſignificat, ſi in forma omnes quinque ſenſus exprimantur; verbi gratia dicendo: *Per iſtam ſanctam Unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquiſti, per viſum, auditum, odoratum, guſtum, & tactum*: Ergo. Debet tamen ſemper in tali caſu unius unctionis fieri in forma mentio quinque ſenſuum; nam ſi in forma fieret mentio tantùm de uno ſenſu verbi gratia viſu, forma non ſignificaret ſufficientem effectum, ad quem conferendum Sacramentum hoc eſt inſtitutum, qui eſt gratia, qua remittantur peccata quinque ſenſuum, vel illis mediantibus patrata. Si tamen in forma nullus exprimeretur ſenſus expreſsè, ſatis probabile eſſe judicat Maſtrius citat. quòd adhuc ſufficeret, quia adhuc per verba in ea contenta totus Sacramenti effectus ſufficienter ſignificatur, ſcilicet remiſſio peccatorum per ſenſum commiſſorum. *Nec obſtat*, quòd Concilium Florentinum aſſignet ſeptem unctiones, nimirùm in quinque ſenſibus, & prætereà in renibus, & pedibus: Siquidem eas non aſſignat, ut neceſſarias ad valorem Sacramenti; conſtat enim ex communi omnium ſententia, duas ultimas unctiones, videlicet in renibus, & pedibus ad valorem Sacramenti non eſſe neceſſarias. Quare Concilium Trident. citat. nullum certum unctionum numerum pro Materia hujus Sacramenti aſſignavit. 63

III. Poteſt itaque hæc noſtra ſententia in caſu neceſſitatis, dum aliter fieri non poſſet, verb. grat. tempore peſtis, practicari juxta Authores citatos, & Paſtorale *Mechlinienſe, & Paſſavienſe* apud *Maſtrium citat. numer.* 38. Si tamen poſſes ſine periculo infectionis unum oculum, unam aurem, nares, os, & unam manum inungere, & proferre hanc formam: *Per iſtas Sanctas Unctiones, & ſuam piiſſimam Miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquiſti per viſum, & auditum, odoratum, guſtum, & tactum, in Nomine Patris &c.* deberes ſic facere: quia tenemur in confectione Sacramentorum ſequi ſententiam tutiorem, quando agitur de valore actus. 64

IV. Non eſt etiam de Eſſentia, quòd unctio fiat in modum Crucis; cùm ex nullo capite hoc conſtet. Imò juxta pleroſque Doctores omiſſio Crucis non eſt mortalis; eò quòd conſuetudo illam adhibendi non cenſeatur tam graviter obligare. Unde etiam licitè omitteretur, quando eſſet periculum in mora. Nec eſt ſimiliter de neceſſitate Sacramenti, quòd Miniſter tangat immediatè membrum, modò Oleum immediatè & phyſicè illud tangat. Ratio eſt: quia per virgulam hoc Sacramentum tempore contagionis ſæpiùs confertur, & Paſtorale Mechlinienſe, *Tit. de Sacram. Extremæ Unctionis* ait: *Sacerdos peracturus Unctiones, pollicem, vel virgulam intingat in Oleum Sacrum.* Servandæ tamen ſunt conſuetudines probatæ locorum. Ita Herinex *cit. quæſt.* 2. *num.* 18. 65

### §. IV. *Materia Proxima Extremæ unctionis Neceſſaria Neceſſitate Præcepti*

EST quintuplex unctio quinque Senſuum. Ita Doctores Angelicus, & Subtilis, Thomiſtæ, Scotiſtæ, & Recentiores communiter apud Maſtrium *cit. n.* 36. ita, ut cum quinque unctionibus quinque Senſuum proferantur quinque formæ partiales correſpondentes quinque unctionibus. Ratio eſt quia Concilium Florent. ſæpè citatum loquitur hoc modo: *Infirmus inungendus eſt in Oculis propter viſum, in Auribus propter auditum, in Naribus propter odoratum, in Ore propter guſtum, vel locutionem, in Manibus pro-* 66

pter

*pter tactum, in Pedibus propter greſſum, in Renibus propter delectationem ibidem vigentem*. Et licet hæ omnes unctiones non ſint de neceſſitate Præcepti; cùm juxta Rituale Romanum *Renum unctio in Mulieribus, honeſtatis gratia, ſemper omittatur; atque etiam in Viris, quando infirmus commode moveri non poteſt; ſed ſive in mulieribus, ſive in viris, alia Corporis pars pro renibus, ungi non debet*; Nihilominùs quinque Corporis partes præcipuæ ungi debent: quas veluti Senſuum inſtrumenta homini Natura dedit; nempe *Oculi, Aures, Nares, Os, & Manus*, ut inquit *Rituale Romanum*. Quare unctiones quinque Senſuum cum quinque partialibus formis correſpondentibus eſſe de neceſſitate præcepti, certum eſt ex univerſali, & conſtanti Eccleſiæ ritu, & quia aliàs Sacramentum exponeretur periculo invaliditatis. Congruentia eſt, quòd ſicut omnis cognitio (ſic omne peccatum, quòd ſemper aliqualem cognitionem præſupponit) ab aliquo ſenſu originem habeat; adeóque ad ſignificandam perfectam animæ curationem, quæ fit per hoc Sacramentum, congruebat inungi quinque Organa quinque Senſuum, velut radices peccatorum. Debet autem id fieri modò hominibus accomodato, videlicet non in ipſa pupilla oculi, non in lingua, non in tympano auditus, non in carunculis, in quibus reſidet odoratus, ſed ſufficit id fieri in palpebris, labiis, auribus, naribus.

67 Porrò hæc unctio debet fieri per modum Crucis, & in partibus, quæ natura geminæ ſunt, duplex fieri debet unctio, verbi gratia, una ſuper Oculum dextrum, altera ſuper ſiniſtrum, & unica interim forma correſpondens proferri, ita ut formæ prolatio incipiat, antequàm verb. grat. prior unctio, oculi ſcilicet dexteri finiatur, nec deſinat, quin poſterior ſcilicet oculi ſiniſtri inchoëtur; ſicut in *Rituali Romano Pauli V.* adnotatur; ubi etiam dicitur; quòd ſi quis in aliqua illarum partium mutilatus exiſtat, unctio in parte proximiori fieri debeat cum eadem formæ prolatione; quod totum etiam anteà jam adnotavit *Scotus in 4. diſt. 23. quæſt. unic.*

Petes: *An quinque ſenſuum Unctiones cum ſuis diverſis formis faciant unum, vel plura Sacramenta?*

68 Reſp. Cum Doctore Subtili. Maſtrio, Almaino, Poncio, Hiqueo, & Aliis, apud Maſtrium *cit. qu. 3. n. 44.* quòd faciant unum Sacramentum unitate *Integritatis*, non unitate *indiviſibilitatis*. Ratio primi eſt: quia omnes unctiones conſtituunt unum, & integrum Sacramentum Extremæ unctionis, cùm omnes ad unam, & integram ſignificationem, & remiſſionem omnium peccatorum venialium finalium ordinentur. Ratio ſecundi eſt, quia quælibet unctio cum ſua forma eſt independenter ab alia ſignificativa gratiæ, & remiſſionis peccatorum per ſenſum inunctum commiſſorum; Ergo per quamlibet unctionem certus gratiæ gradus infunditur; ita quidem, ut peccata venialia per oculos commiſſa remittantur per unctionem oculorum, & venialia per Aures commiſſa remittantur per unctionem Aurium, & ſic de reliquis. Per omnes autem unctiones: Vel in neceſſitate, per unam cum forma explicitè, vel ſaltem implicitè exprimente omnes Corporis ſenſus remittantur omnia peccata venialia, & conferatur gratia habitualis adæquata hujus Sacramenti.

69 Hoc adhuc adnotandum venit, quòd quilibet in adminiſtratione Sacramenti Extremæ unctionis, & in faciendis unctionibus ſervet ritum, & conſuetudinem ſuæ Diœceſis, in quo degit. Similiter ex conſuetudine ſervandus eſt ordo inter partes, ſeu ſenſus Corporis, ut nimirùm priùs inungantur Oculi, poſteà Aures &c. Quæ tamen obligatio non eſt tam gravis, quin in neceſſitate liceat ordinem invertere. *Herincx cit. quæſt. 2. num. 20.*

## QUÆSTIO III.

### *De Forma Extremæ Unctionis.*

### SUMMARIUM.

71 *Aſſignatur forma conſueta Extremæ Unctionis.*
72 *Aſſertur forma præciſe Eſſentialis Extremæ Unctionis.*
73 *Quid dicendum ad Caſum Parochi extremè inungentis mulierem?*
74 *Forma Extremæ Unctionis debet eſſe deprecatoria.*
75 *Solvitur Objectio.*

### ASSERTIO III.

70 F*Orma conſueta Extremæ unctionis eſt; per iſtam Sanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per viſum, ſive per auditum, &c. deliquiſti, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Forma verò præciſè eſſentialis eſt hæc: Per hanc unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquiſti; quæ etiam eſſentialiter debet eſſe deprecatoria.* Communiſſima DD.

### *§. I. Forma Conſueta Extremæ Unctionis,*

QUa Sancta Romana Eccleſia utitur, eſt hæc: *Per* 71
*iſtam Sanctam unctionem, & ſuam piiſſimam Miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per viſum, ſive per auditum &c. deliquiſti, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen*. Ita Rituale Romanum *Tit. de Sacramento Extremæ unctionis*; & coincidit forma tradita à Concilio Florentino, & inſinuata à Tridentino *Seſſ. 14. de Extrema unctione cap. 1.* Eſtque repetenda ad ſingulos ſenſus, & alia Membra inungenda cum Proportione. Loco *Dominus* dicitur in aliquibus Eccleſiis; *DEUS*, & Rituale Romanum addit: *Sanctam*, etſi hæc omittant Florentinum, & Tridentinum. Alicubi etiam additur: *In Nomine Patris, & Filii, &c.* quæ tamen verba juxta communem DD. apud Gobat, *tract. 8. caſu 21. num. 800.* non ſunt de neceſſitate Sacramenti; eſſe autem de neceſſitate præcepti, aſſerunt Angelus, & Paludanus; negant Ledeſma, & Suarez *diſp. 41. ſect. 3.* ſervandam eſſe ſub præcepto cujuſque Eccleſiæ conſuetudinem, aſſerit Hurtadus cum Coninch. *diſp. 19. dub. 4.* Verba illa: *Sanctam, & ſuam piiſſimam Miſericordiam*, eſſe ſub mortali proferenda, ait idem Hurtadus cum Dicaſtillo, *num. 68.* tum propter univerſalem conſuetudinem Eccleſiæ: tum quia nonnulli, teſte Palao, *puncto 4. num. 4.* etſi contra Communiorem DD. cenſet, eſſe de Eſſentia.

### *§. II. Forma præciſè Eſſentialis Extremæ unctionis*

EST hæc: *Per hanc unctionem indulgeat tibi Dominus,* 72
*quidquid deliquiſti*. Ita Graves Theologi apud Maſtrium *cit. diſp. 22. quæſt. 2. num. 28.* item *Gobat cit. Herincx*, & Alii. Ratio eſt: quia in his verbis continetur ſufficienter ſenſus à Chriſto intentus in hujus Sacramenti forma; ſiquidem imprimis, *Neceſſitate Sacramenti*, in forma Extremæ unctionis, debet exprimi Materia ejus proxima, ſcilicet *unctio*; quamvis enim facto ipſo perficiatur, hoc non tollit, quin etiam verbo proferri debeat; ſicut in Baptiſmo, quamvis facto ipſo perficiatur ablutio, adhuc debet verbo proferri. Non tamen neceſſitate Sacramenti debet exprimi ſenſus inunctus, quia etiam hic non exprimitur in forma *Mediolanenſi*, & *Veneta* citanda. Deinde conveniunt Doctores, de ſubſtantia hujus Sacramenti eſſe, *ut petatur remiſſio peccatorum à DEO*; quia inter Effectus hujus Sacramenti iſte eſt præcipuus, & principalis, ut dicetur ſect. ſeq. Denique non eſſe neceſſarium neceſſitate Sacramenti, exprimere in forma Extremæ unctionis, iſtas Particulas, ſeu verba: *Sanctam, & ſuam piiſſimam Miſericordiam*, diximus §. præced. & tamen apud Maſtrium cit. *num. 27.* Suarez, Coninch. Reginaldus, Layman, Diana, & Alii paſſim. Idem eſt de illis verbis: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen*. Quia neque hoc Sacramentum eſt Profeſſio fidei, ſicut Baptiſmus, neque in hoc Sacramento occurrit aliqua Ratio Specialis Invocationis trium Divinarum Perſonarum, neque in Conciliis hoc declaratur, neque in Rituali Romano: Ergo forma præciſè Eſſentialis Sacramenti Extremæ unctionis, & neceſſaria neceſſitate Sacramenti eſt hæc: *Per hanc unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti*. Hoc tamen non obſtante conveniunt DD. debere Sacerdotem omnia verba contenta in forma conſueta Extremæ unctionis ſuprà *num. 71.* à nobis aſſignata proferre, dum confert hoc Sacramentum; Nec aliquid in illa forma omittere, aut mutare ſine peccato poteſt, & pro qualitate mutationis poterit in hoc incurrere Mortale, aut Veniale peccatum: tum quia faceret contra morem, & præſcriptum Eccleſiæ: tum quia poſſet Sacramentum exponere periculo nullitatis.

Ex quibus poteris colligere, quid dicendum ſit ad caſum 73
illius Parochi, quem refert *Gobat tract. 8. caſu 21. num. 811.* Qui, cùm Mulierem extremè inungeret, dicebat ad ſingulorum unctionem ſenſuum: *Quidquid dereliquiſti per viſum, tactum, &c.* Nimirùm hunc errorem fuiſſe ſub mortali imprimis emendandum ab illo Presbytero, cùm fuerit Eſſentialis variatio ſenſus formæ Extremæ unctionis; & ſi hic error non fuiſſet animadverſus niſi poſt collatam taliter Extremam unctionem, fuiſſet obligatio mortalis repetendi illam, etiam cum aliqua mortificatione, vel nimis rudis, vel nimis inattenti Parochi. Ita *Gobat cit.*

### §. III. *Forma Extremæ Unctionis eſſentialiter debet eſſe deprecatoria.*

74 ITa communis DD. Bellarminus, Herinquez, Valentia, Coninch. Layman, Diana, Bonacina, & Alii paſſim apud Maſtrium *in 4. diſp. 6. quæſt. 2. numer.* 34 Ratio eſt: I. Quia in Epiſtola S. Jacobi cap. 5. dicitur: Orent ſuper eum, & Oratio fidei *ſalvabit infirmum*; ubi ly *Orent*, & *Oratio* ſignificant deprecationem. II. Quia forma præſcripta à Conciliis Florentino, & Tridentino hactenùs uſurpata eſt deprecatoria, videlicet: *Indulgeat tibi Dominus &c.* III. Quia non adeſt fundamentum ſufficiens aſſerendi, aliam formam, quæ habet ſenſum non deprecatorium, ſufficere: Ergo forma hujus Sacramenti eſſentialiter debet eſſe deprecatoria.

### §. IV. *Solvitur Objectio.*

75 Dices: Refert noſter Doctor Seraphicus S. Bonaventura *in 4. d. 23.* Tempore D. Ambroſii in Eccleſia Mediolanenſi formam Sacramenti Extremæ unctionis fuiſſe hanc; *Ungo te Oleo Sanctificato, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut more militis uncti, præparatus ad certamen aereas poſſis ſuperare poteſtates*, Deinde in Eccleſia Veneta, ut refert Palatius *4. d. 23. ex libro Sacramentali Venetorum à Leone X. approbato*, fuit olim hæc forma: *Ungo te Oleo Sancto, ut hac unctione protectus fortiter ſtare valeas adverſùs aereas Catervas, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: Atqui hæ formæ ſunt indicativæ, & non deprecatoriæ: Ergo forma Extremæ unctionis non debet eſſe eſſentialiter deprecatoria.

Reſpond. cum Maſtrio cit. & Herincx *cit. quæſt. 3. num.* 26. Utramque formam prædictam poſſe, atque adeò debere explicari, ut quoad ſenſum ſit deprecatoria, ac proinde æquivaleat formæ uſitatæ: idque ſatis colligitur ex poſterioribus utriuſque formæ verbis, videlicet, *ut more militis uncti poſſis &c. Ut hac unctione protectus &c.* Ac ſi diceretur, Per hanc unctionem ſuperes poteſtatem diabolicam, & evadas pœnas inferni. Simile foret, ſi Miniſter diceret: *Ungo te, ut indulgeat tibi DEUS, quidquid deliquiſti &c.*

## QUÆSTIO IV.

### *De Miniſtro Extremæ Unctionis.*

## SUMMARIUM.

77 Uſque ad num. 80. *Miniſter Extremæ unctionis validè conferendæ eſt ſolus, & omnis Sacerdos.*
80 *Quis ſit Miniſter licitè conferendæ Extremæ unctionis?*
81 *Quid circa hanc poſſint Regulares?*
82 *An Extrema unctio poſſit ſimul conferri à pluribus Miniſtris.*
83 Uſque ad n. 86. *Quanta ſit Obligatio Parochorum, adminiſtrandi Extremam unctionem, & ſeqq.*
86 *Præſertim tempore peſtis?*
87 *Et ſeqq. Aſſignantur Quatuor Regulæ Obſervandæ in adminiſtratione Sacramenti Extremæ unctionis.*

## ASSERTIO IV.

76 *Miniſter Extremæ unctionis validè conferendæ eſt ſolus, & quilibet Sacerdos; licitè verò conferendæ eſt Sacerdos, habens Juriſdictionem Ordinariam, vel delegatam ſuper inungendum; qui quidem, ſi ſit Parochus, tenetur ſub mortali, ex juſtitia, per ſe, vel per alium, hoc Extremæ unctionis Sacramentum, ſuis ſubditis expreſsè, vel interpretativè petentibus adminiſtrare.* Eſt partim certa, partim communis DD. Sententia.

### §. I. *Miniſter Extremæ Unctionis validè conferendæ eſt ſolus Sacerdos.*

77 Eſt de fide definitum in Concilio Florentino, & Tridentino, *Seſſ. 14. de Extrema unctione, Canon. 4.* dicente: *Si quis dixerit, Presbyteros Eccleſiæ, quos Beatus Jacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe Sacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate Seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ unctionis Miniſtrum non eſſe ſolum Sacerdotem, anathema ſit.* Ratio congruentiæ eſt: quia, cùm hoc Sacramentum ſit Pœnitentiæ conſummativum, ut Concilia, & Patres loquuntur; hæc ſiquidem Unctio ſubnectitur ad finalem, & pleniorem peccatorum remiſſionem, convenienter fuit à Chriſto inſtitutum, ut ejuſdem Miniſtri Officium ſit dicere: *Indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquiſti*, cujus fuerat pronuntiare, *Abſolvo à peccatis*. Et cùm Sacerdotalis ordinatio duas habeat partes, Unam, qua præbetur poteſtas in Corpus Chriſti verum, hoc eſt, poteſtas ad conficiendum SS. Euchariſtiæ Sacramentum: Alteram ſupra Corpus Chriſti myſticum, hoc eſt, ad remittenda peccata Pœnitentium; in hac ſecunda parte ſimul continetur poteſtas ad miniſtrandum Extremæ unctionis Sacramentum. Ex quo ſequitur, nulla neceſſitate aut diſpenſatione, deficiente Sacerdote, poſſe hoc Sacramentum miniſtrari ab alio. Inſuper certum eſt, quemlibet Sacerdotem poſſe validè hoc Sacramentum adminiſtrare juxta DD. communiter. Ratio eſt: Quia omnis Sacerdos habet poteſtatem Ordinis, quæ ſola hic requiritur ad valorem. Ex quo pariter ſequitur, validum eſſe Sacramentum Extremæ unctionis, etiam à Sacerdote excommunicato collatum, & quavis cenſura ligato, imò etiam degradato; Sicut valeret etiam Euchariſtiæ conſecratio, quia nempe Character Ordinis nunquam deletur. Maſtrius *Theol. Moral. diſp. 22 quæſt. 6. num.* 85.

### §. II. *Miniſter Extremæ Unctionis licitè conferendæ,*

I. Eſt Sacerdos habens Juriſdictionem Ordinariam vel 78
delegatam ſuper inungendum. Communiſſima apud Maſtrium *citat. numer.* 86. Herincx *diſput. 9. de Extrema unctione, quæſt. 4. num.* 28. & Alios. Ratio eſt: Quia hoc ſpectat ad debitum Regiminis modum, & ordinatum Exercitium poteſtatis Ordinis; ſicut Sacramentum Baptiſmi, licèt ſit ſummè neceſſarium, poſſitque validè miniſtrari à quolibet etiam Laico, tamen ſecluſo periculo, & caſu neceſſitatis, nonniſi à Parocho, vel de ejus licentia, ab alio licitè conferri poteſt. Quapropter *in Clementina 1. de Privilegiis*, ipſo facto excommunicantur Religioſi, qui præſumpſerint Clericis, vel Laicis miniſtrare Sacramentum Extremæ unctionis ſine ſpeciali Parochi licentia; loquitur autem textus de ſolis Religioſis, ut paſſim Doctores advertunt; Etſi *Sotus*, & *Valentia*, Excommunicationem extendant ſine fundamento ad Sacerdotes Regulares. Loquitur etiam de Infirmis Subditis Parocho; ideoque Religioſus miniſtrans Religioſo ſine debita licentia, etſi peccet, non tamen incurrit cenſuram, (etſi contradicat *Sylveſter*) conſtitutio ſiquidem in favorem Parochorum prodit. *Herincx citat. numer.* 29.

*Dices*: Etiam ad validè adminiſtrandum Pœnitentiæ 79
Sacramentum requiritur in Abſolvente Juriſdictio in Abſolvendum: ergo non tantùm ad licitè, ſed etiam ad validè conferendum Extremæ unctionis Sacramentum requiritur in Miniſtro Juriſdictio in Inungendum; Cùm Sacramentum hoc ſit Sacramenti *Pœnitentiæ conſummativum*, ut loquitur *Tridentinum*. Reſpond. Neg. Conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt: quia Sacramentum Pœnitentiæ exercetur per modum Judicii, & Abſolutio datur in eo per modum Judicialis Sententiæ, quæ certè non valet, niſi à legitimo Judice, & conſequenter à Sacerdote habente Juriſdictionem proferatur: At verò Sacramentum Extremæ unctionis non exercetur per modum Judicii, ſed Medicinæ, quæ valere poteſt ad morbum curandum, etſi detur à non habente Juriſdictionem in infirmum.

II. In caſu, quo Parochus vel non valet, vel non vult 80
miniſtrare Extremam unctionem, neque etiam alteri licentiam dare, poteſt quilibet Sacerdos, etiam Religioſus adminiſtrare eandem, ſine periculo peccati, aut Cenſuræ: tunc enim cenſetur habere licentiam ab Eccleſia quæ non vult malitiæ Parochi favere, aut filios ſuos remedio tam utili, in tanta neceſſitate deſtitui. Ita *Herincx cit. numer.* 30. *Maſtrius citat. numer.* 86. citans Suarez, Amicum, Valentiam, Navarrum, Bonacinam, & Alios. Tandem rectè notat *Amicus* apud *Maſtrium cit.* ad hoc Sacramentum licitè miniſtrandum (idem eſt de Sacramentis Baptiſmi, & Euchariſtiæ, ac Matrimonii) non requiri, ut Sacerdos ſit ad Confeſſiones audiendas juxta Concilii Trident. Decretum approbatus; quia hoc nullo Jure requiritur ad conferendam Extremam unctionem, ſicut tamen ex Concilio Trident. requiritur ad miniſtrandum Sacramentum Pœnitentiæ. Ita *Suarez*, *Lezana*, *Paſſerinus de Statibus Hominum q. 187. art. 1. num.* 996.

III. Ex Privilegio Apoſtolico S. Pii V. Bulla: *Ad im-* 81
*marceſcibilem* 1567. 7. *id Febr.* (quæ habetur in Bullario *Cherubini tom. 2. pag.* 214.) conceſſum eſt Congregationi Clericorum Regularium Theatinorum §. 17. *Et tam Præpoſiti, quàm Cæteri omnes Clerici, Romæ, Venetiis, Neapoli, ac*

*alidæ*

Digitized by Google

*aliis ubique locorum degentes Congregationis hujuſmodi, nunc, & pro tempore exiſtentes, qui tamen Presbyteri fuerint, Euchariſtiæ etiam pro Viatico, ac etiam Conſtitutis in articulo mortis; ac Extremo unctionis ceteris Clericis, & fratribus Congregationis hujuſmodi, ac etiam Mercenariis, Famulis, Operariis, & Servis eorundem Congregationis, ac quibuſvis hoſpitibus etiam Sæcularibus, & Extraneis, quos in locis, vel habitationibus Congregationis hujuſmodi tunc reperiri contigerit, etiam in mortis articulo, & quoties de illo dubitari contigerit; etiam Diœceſanorum locorum, & Sacerdotum Curatorum quorumcunque, etiam in quorum Civitatibus, & Diœceſibus ac Eccleſiarum Parochiis reſpectivè, & Eccleſia, & loca ipſorum Congregationis nunc, & pro tempore fuerint, aut aliorum quorumcunque licentia minime petita, nec obtenta; & in caſum, quo non daretur ſpatium petendi talem licentiam propter repentinam neceſſitatem, etiam quibuſcunque aliis Perſonis, quæ in hujuſmodi neceſſitate intra Eccleſias, Collegia, domos, & habitationes Congregationis prædictorum reperiri contigerit, ac extra illa aliis quibuſvis infirmis, etiam in mortis articulo conſtitutis ubique in cauſa neceſſitatis ſupradicta, etiam nulla ad hoc per Eos petita, nec eis conceſſa licentia cujuſvis Sacerdotis Curati, Pœnitentiæ Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare poſſint.* Hucuſque Theatinorum Privilegium, quo gaudemus utique etiam nos per Communicationem Privilegiorum. Inſuper, quòd hujuſmodi Mercenariis, famulis, hoſpitibus intra ſepta Monaſterii conſtitutis, in articulo mortis poſſint Regulares mendicantes tribuere Extremam Unctionem, docent Suarez *Tom. 4. de Relig. tract. 10. l. 9. cap. 3. num.* 16. Portel. verſ. *Sacramentorum Adminiſtratio num. 9.* Diana, Lezana, Miranda, & Alii apud Petrum Mariam Paſſerinum SS. Theol. Magiſtrum, & Profeſſorem in Romana Sapientia, *de Hominum Statibus, & Officiis, quæſt.* 187. *artic.* 1. *num.* 994. qui *num.* 995. addit; ideò duplici Ratione, Infirmi exiſtentes intra ſepta Monaſterii poſſunt à Regularibus Mendicantibus recipere Viaticum, & Extremam unctionem. Primò, quia exiſtentes intra Monaſterium Exemptum ſunt Exempti à Juriſdictione Epiſcoporum. Secundò, ex Privilegio ſpeciali Regularibus conceſſo modo allato; unde hoc puto (pergit *Paſſerinus citat.*) extendi debere etiam ad illum, qui caſu, & inopinato eventu, intra ſepta Monaſterii exiſtens incidit in periculum Mortis; nam, & ad hunc caſum Privilegia præfata ſe extendunt. Idem verò Privilegium eximens degentes in Monaſteriis, & Domibus Regularium Exemptorum à Juriſdictione Epiſcoporum, habetur conceſſum Minimis, ſeu Eremitis S. Franciſci de Paula à Sixto Papa IV. in ſua Bulla: *Sedes Apoſtolica* data 1474. *Calend. Junii*, (quæ habetur in Bullario Romano, ſeu *Cherubini, tom. 1. pag.* 406.) Ubi Papa §. 15. expreſsè Privilegium Exemptionis concedit Eremitis S. Franciſci de Paula, & Perſonis in eorum domibus degentibus, expreſsè diſtinguens inter Eremitas, ſeu Religioſos dicti Ordinis, & Perſonas in eorum Conventibus degentes, & tam Eremitas, quàm dictas Perſonas eximens ab omni Juriſdictione Epiſcoporum. Quo Privilegio utique gaudent Omnes Regulares Mendicantes per Communicationem Privilegiorum. Similiter guadent Privilegio conceſſo ab Urbano III. in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Cùm Anteceſſor data 7. Calendas Aprilis* 1187. & habetur *in Bullario Cherubini tom. 1. pag.* 74. in qua Ordini Fratrum Cruciferorum, & ejus Religioſis §. 5. concedit ſequentia: *Chriſma quoque Oleum Sanctum, Dedicationes Eccleſiarum, Ordinationes Clericorum, qui ad ſacros fuerint Ordines promovendi, & cætera Eccleſiaſtica Sacramenta, à quocumque malueritis, Catholico recipiatis Epiſcopo, qui noſtra fultus Authoritate, quod poſtulatur, impendat.* Ita Paſſerinus, *de Statibus Hominum, quæſt.* 187. *art.* 1. *numer.* 997. Gobat *tractatu* 8. *Caſu* 22. *num.* 868.

82 IV. Quamvis Sacramentum Extremæ unctionis nequeat validè confici à pluribus Sacerdotibus, ita ut unus ſolam ſubminiſtret Materiam ungendo, altero formam tantùm proferente, juxta Communem DD. Sententiam, quæ id clarè deducit ex ipſis B. Jacobi Apoſtoli Verbis: *Orent ſuper Eum, ungentes eum Oleo*, quibus ſignificat, eundem eſſe debere, qui Materiam miniſtrat ungendo, & formam profert orando, poteſt tamen hoc Sacramentum à pluribus Sacerdotibus validè confici in hoc ſenſu, ut ſcilicet unus duas, vel tres efficiat unctiones, & totidem proferat formas, & alter alias compleat eodem modo uſque ad quintam, & hoc vel ſimul, vel ſucceſſivè, ita nimirùm, ut dum unus ſenſum ungit, ſuamque partialem formam enunciat, alter alterum ſenſum inungat eodem tempore, & ſuam proferat partialem formam; Vel ita, ut dum unus unum ſenſum unxit, protulitque ſuam partialem formam, alter non quidem ſimul, ſed ſtatim poſteà alium ſenſum ungat, aliamque proferat partialem formam. Ita Communiter Scholaſtici & Summiſtæ apud Maſtrium *cit. quæſt. 6. numer.* 87. Ratio eſt; quia ſingulæ unctiones cum ſuis formis proportionatis ſunt partes integrales unius Sacramenti Extremæ unctionis, habentque ſuam proportionatam ſignificationem in ſuo genere perfectam, & ab aliis independentem, & quælibet cauſat aliquam gratiæ portionem: Ergo hoc Sacramentum *validè* poteſt à pluribus Sacerdotibus confici in hoc ſenſu, ut unus duas, vel tres efficiat unctiones, & totidem proferat formas, & alter alias compleat eodem modo. Dictum eſt: *Validè*, quia hoc modo non poſſunt plures Sacerdotes *licitè* conficere hoc Sacramentum; Cùm ſit contra univerſalem Eccleſiæ praxim, à qua ſine urgenti neceſſitate recedere non licèt; Unde ſaltem ex obligatione præcepti unicus debet eſſe Miniſter, qui totum hoc Sacramentum in unoquoque infirmo perficiat, nec per ſe liceret, *Secluſa Neceſſitate*, plures Sacerdotes concurrere, qui per partes illud præſtarent. Nec obſtat locus S. Jacobi dicentis in plurali: *Inducat Presbyteros Eccleſiæ*; Senſus enim eſt: *Inducat aliquem ex Presbyteris*, ut uſus Eccleſiæ indicat. Duplex autem caſus neceſſitatis aſſignari ſolet in quibus licet hoc Sacramentum à pluribus Sacerdotibus miniſtrari: unus eſt, ſi periculum foret, ne antequàm omnes quinque unctiones ab uno Sacerdote perficerentur, infirmus moreretur; Alter verò, ſi Sacerdos verb. grat. facta una, aut duabus unctionibus moreretur, vel ad talem ſtatum reduceretur, in quo non poſſet alias unctiones perficere, tunc enim reliquæ tantùm unctiones ab alio Sacerdote fieri deberent. Ita *Maſtrius citat. numer.* 88. ſed *Meratius* putat, non eſſe certum valorem Sacramenti ſic per partes ſucceſſivè à pluribus miniſtrati, ideòque unctiones omnes ſub conditione ab initio repetendas, quod etiam admittit *Averſa ſect.* 10. qui etiam *ſect.* 5. cum *Nugno* apud *La Croix l. 6. p. 2. num.* 2098. putat Sacramentum Extremæ unctionis fore nullum, ſi una unctio quadrante horæ diſtaret ab altera.

### §. III. *Obligatio Miniſtri ad Conferendum Extremæ Unctionis Sacramentum.*

I. DUplex hujus Sacramenti Miniſter diſtingui ſolet, 83
unus, cui ex officio incumbit, ut ſunt Epiſcopi, Parochi, & Superiores Religionum erga ſuos ſubditos; Alter in defectum proprii Miniſtri, ac Paſtoris, ut ſunt omnes Sacerdotes, etiam Curam animarum non habentes. Itaque

II. Loquendo de Miniſtro, cui ex officio incumbit, & 84
curam animarum habet. Communis eſt Doctorum Sententia, teneri ipſum ex Juſtitia, & ſub mortali, ſubditis ſuis hoc Sacramentum adminiſtrare tempore opportuno, per ſe, vel per alium; quòd expreſsè docet *Catechiſmus Romanus de hoc Sacramento numer.* 9. Ubi ait, graviſſimè peccare non tantùm, qui hoc Sacramentum miniſtrare negligunt, ſed etiam, qui opportuno tempore, quando ægrotus eſt ſui compos, non adminiſtrant. Ratio eſt: Quia Paſtores ex Officio tenentur ſuis ſubditis adminiſtrare Sacramenta non ſolùm neceſſaria, ſed etiam multùm conducentia eorum ſaluti, & præcipua remedia, quæ Chriſtus inſtituit pro Bono Spirituali fidelium; atqui unum ex illis remediis eſt adminiſtratio Sacramenti Extremæ unctionis: ergo tenentur Paſtores illud ſuis ſubditis ſuo tempore adminiſtrare, & quidem ex Juſtitia; Tum quia ex Officio, & Munere ſuo Paſtorali ad hoc tenentur: Tum quia ideò à ſuis ſubditis mercedem, & ſtipendium accipiunt. Idem dicendum de prælatis Religionum reſpectu ſuorum ſubditorum. Maſtrius *citat. quæſt. 6. art. 2. num.* 90. Suarez *diſp. 44. ſect.* 3. & Amicus *diſp. 19. ſect.* 2. Nec refert, quòd Prælati Religionum à ſuis ſubditis non accipiant ſtipendium, ſicut Parochi; accipiunt equidem obſequium obedientiæ, & reverentiæ ab iiſdem, quod eſt altioris Ordinis ſtipendio pecuniario. Omnes ergo paſtores tenentur non ſolùm ex Charitate, ſed etiam ex Juſtitia.

III. Loquendo de Miniſtro, qui ſuccedit in defectum 85
proprii paſtoris in caſu neceſſitatis, Communis etiam ſententia docet, teneri ad hoc Sacramentum miniſtrandum ſaltem ex Charitate; & quidem ſub mortali in caſu gravis indigentiæ, verb. grat. ſi infirmus aliàs eſſet moriturus ſine ullo alio Sacramento, quia tunc mortis æternæ periculo exponeretur, ſi hoc Sacramentum non ſuſciperet, quod quilibet ſub peccato mortali à proximo tenetur avertere. Unde Doctores communiter docent, in tali caſu ſimplicem Sacerdotem etiam ab infirmo non petitum teneri ex præcepto Charitatis hoc Sacramentum adminiſtrare, ſi abſit alius, qui illud conferre poſſit; extra verò hunc caſum, quando nimirùm infirmus alia verò ſuſcepit Sacramen-

Digitized by Google

menta, v. g. Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, quia tunc Moribundus non cenſetur hoc Sacramento graviter indigere, Doctores putant, præfatum Sacerdotem, qui hoc Sacramentum miniſtrare nollet, ſolùm venialiter peccaturum, quatenùs contra Charitatem eſt proaimo tantum Bonum ſine ulla Juſta cauſa denegare, præſertim quando id facere poteſt ſine magna difficultate, & incommodo. Et hæc Opinio teſte *Maſtrio cit. num.* 91. eſt probabilior.

86 IV. Difficultas Ulterior eſt, an Parochus tempore Peſtis teneatur Sacramentum Eatremæ Unctionis ſuis Parochianis adminiſtrare cum periculo vitæ? Ad quam Reſpondeo cum *Maſtrio cit. numer.* 93. & probabiliori, cum Diſtinctione: Vel infirmus confeſſus fuit in infirmitate, aut pauloantè, & probabiliter ea ſtatu ipſius conſtat, eum poſteà non peccaſſe mortaliter: in tali caſu Parochus non tenetur ſe exponere periculo vitæ, ut tali infirmo ſuo parochiano hoc Sacramentum adminiſtret; quia in hoc caſu probabiliter eaiſtimari debet, quòd ſit in ſtatu gratiæ, & quòd non ſit neceſſarium hoc Sacramentum; quamvis enim ſit utile, ex hoc tamen non incumbit Parocho obligatio illud adminiſtrandi cum periculo vitæ; Certum enim videtur, quòd quis non teneatur pro utilitate Spirituali proaimi exponere ſe periculo vitæ, ſi aliàs ſufficienter proviſum eſt ejus ſaluti Spirituali. Si verò infirmus non ſit confeſſus, aut poſt Confeſſionem, veriſimile eſt, ipſum mortaliter peccaſſe, & ſit in ſtatu, quo ampliùs confiteri non poſſit, nec anteà Confeſſionem petierit, videtur dicendum, quòd Parochus teneatur ſub mortali Sacramentum Extremæ unctionis ipſi miniſtrare, etiam cum periculo Vitæ; quia tunc hoc Sacramentum debet exiſtimari eſſe ipſi neceſſarium, ut dimittatur ipſi ſaltem per accidens peccatum mortale; ſupponitur enim communiter, quòd Sacramentum hoc habeat talem virtutem, modò infirmus habeat attritionem de peccatis; ſic enim mediante hoc Sacramento fiet de Attrito Contritus. Ratio eſt: quia Bonus Paſtor debet dare animam ſuam pro Ovibus ſuis, hoc eſt, ſuam vitam Corporalem exponere periculo mortis ad ſalvandam vitam ſpiritualem animæ ſuarum Ovium. Supponimus autem in caſu, quòd talis infirmus non poſſit juvari per Abſolutionem Sacramentalem, ſi enim per hanc juvari poſſet, per eandem ea Attrito fieret Contritus; Nec amplius Extrema unctio foret ipſi Neceſſaria ad ſalutem. Ita Averſa *quæſt. 64. de Sacramentis in Genere ſect.* 7. cum pluribus Aliis apud Maſtrium *citat. num. 94. in fine* idem docet Herinex *diſp. 9. de Extrema unctione, quæſt. 4. numer.* 31. addens: Deinde ſi Parochus nihilominùs diſcrimen Vitæ ſubire debeat, audiendo Confeſſionem, & abſque novo periculo gravi poſſit eadem opera miniſtrare Eatremam unctionem exiſtimo omninò ipſum ad hoc teneri: Nil enim excuſare poteſt, niſi ſubeundum periculum vitæ, quòd equidem ſubeundum ſupponitur.

*§. IV. Regula obſervanda in Adminiſtrando Sacramento Extremæ Unctionis.*

## REGULA I.

87 QUamquam nimia facilitas, & feſtinatio in hoc Sacramento conferendo non ſit probanda, multò tamen magis fugiendum eſt oppoſitum eatremum, ut ſcilicet, cùm de periculo mortis timetur, non ſtatim detur hoc Sacramentum, aut diutiùs expectetur: Nam in multis videmus (nec id rarò) propter dilationem, vel non integre potuiſſe conferri hoc Sacramentum; vel alienatis omnino mente, & extra omnem ſenſum fuiſſe adminiſtratum, ubi dubium non eſt, multum deperire infirmis. Ita *Petrus Soto de Extrema unctione Lect.* 2.

## REGULA II.

88 QUando Parochus advertit, aliquem periculosè decumbentem tergiverſari circa receptionem Extremæ unctionis, dextrè conetur expiſcari, an illa tergiverſatio non proveniat ea aliquibus falſis imaginationibus, & ſtultis apprehenſionibus, verb. grat. quod inuncti citiùs moriantur, quòd non poſſint condere teſtamentum, quòd ſi convaleſcunt, non poſſint amplius in Choreis ſaltare, vel nudis pedibus incedere, vel calceos induere &c. & ſi repererit, conetur omni poſſibili modo, iſtos errores, & falſas imaginationes dedocere infirmum: quia nihil ſunt, niſi meræ ſtultæ apprehenſiones, & diabolicæ tentationes; cùm nullibi legatur, Sacramentum Eatremæ unctionis producere hos effectus: imò e contrario conſtat, recuperationem ſanitatis, ſi animæ ſaluti expedierit eſſe effectum hujus Sacramenti, ut ſect. ſeq. dicemus, quòd etiam patet ex caſu ſequenti, quem deſcribit P. *Gobat tr. 8. caſu 22. n.* 883. his verbis.

Nicolaus de Niſa Ordinis Minorum *in Gemma Prædicantium* ſcribit, quendam magni cæteroquin meriti interrogatum, an vellet ungi? renuiſſe: *Nolite*, inquiebat, *Obſecro: quia omnes, qui Unguntur, moriuntur*: atque in iis verbis obiiſſe. Cùm verò linteaminibus involveretur, aperuiſſe oculos, & hæc dixiſſe: *Quia Extremæ Unctionis Sacramentum abhorrui, centum annis in purgatorio, Juſto DEI Judicio, torquebor: ſi unctus fuiſſem, de Ægritudine convaluiſſem; Sacra enim unctio non eſt acceleratio mortis, ſed dilatio*: atque his dictis iterum eapiraſſe. Non malè fieret, Judicio Patris Gobat: ſi Parochi, & Concionatores hunc caſum in concionibus populo proponerent, ut non tamdiu ſubinde Extremam Unctionem ſuſcipere differret. 89

## REGULA III.

PArochus non ſit nimiùm ſcrupuloſus circa iterationem hujus Sacramenti. Cùm enim certum ſit ex una parte, per illud non imprimi Characterem, ac proinde eſſe natura ſua iterabile: Ex altera autem parte nulla lex ſcripta determinet, an, & quoties liceat, aut non liceat iterare hoc tam ſalutiferum Sacramentum, inclinet Parochus potiùs (præſertim, quando videt, fore pergratum ægro) in iterationem, quàm omiſſionem iterationis, probè memor Aureæ Sententiæ ea S. Leone, *cap. ſi nulla diſt. 4. de conſecr. Non temeritas intervenit præſumptionis, ubi eſt diligentia pietatis.* Quando autem iterandum ſit Extremæ Unctionis Sacramentum dicetur ſect. ſeq. 90

## REGULA IV.

ESt pernicioſus error illorum, qui ſe omnem erga infirmos Paſtoralis Officii partem eapleviſſe exiſtimant, quia Sacramenta Pœnitentiæ, Viatici, Extremæ Unctionis adminiſtrarunt. Itaque nihil ultra monent: *Recepit*, inquiunt, *ſua Sacramenta: Nihil mihi iſthic ſupereſt negotii, præſertim ſi me revocat nemo.* Sed agedum, dic quæſo, quid iſti homini proderit accepiſſe gratiam, ſi eam ante mortem perdiderit? Quàm autem ſit hoc facilè? Urgent enim tunc graviores aſſultus dæmonum, vis morbi ſit acrior, animus fractior: heu! quàm ſępè, & quàm fœda in ipſo portu naufragia à latentibus ſcopulis, anguſtis faucibus, irruentibus procellis? dum Magiſter navis vel abeſt, vel dormit, quaſi jam de re ſua tota ſecurus. Adibis igitur etiam non vocatus, præſertim ſi cognoveris, à morbo, aut à tentationibus infirmum in præſenti ſalutis diſcrimine verſari. Ita *Carolus Muſſart in Manuali Parochorum.* 91

Claudo hanc ſectionem, & quæſtionem facto Sereniſſimi Miniſtri ſeipſum quotidiè, non quidem Sacramentaliter, ſed devotionaliter ungentis: Somnus cùm quædam imago mortis ſit, quique concedit cubitum, etiam ipſe habeat imaginem morituri, quoties veſperi decumberet Sereniſſimus, & Reverendiſſimus Archidux Leopoldus Guilielmus, aſſimilatione quadam piiſſima adumbratam Extremam Unctionem adhibebat ſibi cum aqua benedicta, & dicebat: *Per iſtam Sanctam Unctionem, & ſuam Piiſſimam Miſericordiam indulgeat mihi DEUS, quidquid in anima per cordis affectum, & potentias internas commiſi: & quidquid in Corpore per ſenſus Externos contra rationem, & virtutem deliqui.* Sic ſcribit P. Nicolaus Avancinus *part. 1. cap. 2.* libri, cui titulus eſt: *Leopoldi Guilielmi Archiducis Auſtriæ Virtutes.* Vide *Gobat tr. 8. caſu 22. n.* 904. 92

## SECTIO IV.

*De ſubjecto, neceſſitate, effectu, & ceremoniis Sacramenti Extremæ Unctionis.*

## QUÆSTIO I.

*De Subjecto Extremæ Unctionis.*

## SUMMARIUM.

93 *Subjectum Extremæ Unctionis validè recipiendæ eſt Homo, Viator, Baptizatus*: 94. *Adultus*, & ſeq.
97 *Periculosè infirmus*, 98. *Prudentum ſaltem Judicio.*
99 *Enumerantur, qui poſſint extremè inungi*;
100 *Et qui non.*
101 *Non debet in adminiſtranda Extrema Unctione expectari extremum mortis periculum.*
102 *Refertur aliquis Caſus.*

103 *Ve*

103 *Ut quis validè poſſit Extremè inungi, debuit aliquando perſonaliter peccaviſſe.*
104 *Ad recipiendam licitè, & fructuosè Extremam Unctionem requiritur in ſubjecto ſtatus gratia.*

### ASSERTIO I.

92 *SUbjectum Extremæ Unctionis validè recipiendæ eſt homo Viator, Baptizatus, adultus, qui nimirum ſemel habuit uſum rationis, & intentionem hoc Sacramentum ſuſcipiendi, periculosè infirmus, & qui aliquando peccavit perſonaliter: ut verò etiam licitè, & fructuosè recipiatur, requiritur per ſe loquendo ſtatus gratia.* Communiſſima DD. apud Layman, Gobat, Maſtrium, Herincx, La Croix, & alios.

#### §. I. *Subjectum Extremæ Unctionis validè recipiendæ eſt Homo Adultus.*

93 I. CErtum eſt apud omnes, ſolum hominem Viatorem in hac vita mortali degentem, eſſe hujus Sacramenti capacem, ex generali Doctrina de Sacramentis in genere tradita; quia Sacramenta ſunt ſolùm instituta pro hominibus Viatoribus, qui ſunt medicinæ vel augmenti gratiæ capaces, & non pro aliis, qui jam ſunt in termino viæ; Unde quando de vita inungendi dubitatur, an ſcilicet ſit adhuc vivus, inungendus eſt ſub conditione: *Si eſt vivus*. Debet etiam hic viator eſſe baptizatus, ea generali ratione, quòd Baptiſmus eſt Janua ad reliqua Sacramenta validè recipienda, ut habetur in Concilio Florentino in Decreto Eugenii. Unde ſi hoc Sacramentum conferatur non baptizato, etiamſi ſit Catechumenus, & in gratia exiſtens per baptiſmum flaminis, irritum eſt, & invalidum juxta omnes.

94 II. Debet etiam eſſe adultus, hoc eſt, talis, quòd ad uſum rationis pervenerit; quare infantes, & perpetuò amentes non ſunt capaces hujus Sacramenti. Communis DD. Maſtrius *Theol. Moral. diſp. 22. q. 5. nu. 69.* Layman, Sà, Averſa, & alii apud La Croix *l. 6. p. 2. n.* 2550. Ratio eſt: Tum quia Sacramentum Extremæ Unctionis eſt *conſummativum Sacramenti pœnitentia*, ut loquitur Concil. Trid. ſect. 14. in Doctrina de extrema Unctione; Sed infantes, & perpetuò amentes non ſunt capaces Sacramenti Pœnitentiæ: Ergo nec Sacramenti Extremæ Unctionis, cùm hoc ſit illius conſummativum, & complementum: Tum quia in infantibus, & perpetuò amentibus falſificaretur forma hujus Sacramenti, quæ eſt: *Per iſtam ſanctam Unctionem &c. indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquiſti &c.* Siquidem infantes, & perpetuò amentes delinquere non poſſint ob defectum uſus rationis: Tum quia non ſunt capaces præcipui effectus hujus Sacramenti, ſcilicet remiſſionis peccatorum perſonalium, præſertim venialium. Adhoc tamen plures Theologi apud *Maſtr. cit. & La Croix cit.* Rectè docent Sacramentum Extremæ Unctionis validè conferri poſſe pueris, & puellis, qui ad ætatem, & rationis diſcretionem pervenerunt, ut Sacramenti pœnitentiæ ſint capaces; quamvis SS. Euchariſtiam nondum receperint, nec adhuc idonei ad illam recipiendam judicentur. Et hæc eſt communis DD. Sententia, Navarrus, Suarez, Averſa, Layman, Burghaber *centuria 3. caſu 93.* Ratio eſt: quia capax Sacramenti pœnitentiæ eſt etiam capax Extremæ unctionis nec in his forma Extremæ unctionis falſificaretur, ſuntque capaces præcipui effectus ejuſdem, ſcilicet remiſſionis peccatorum, præſertim venialium. In dubio, an puer, vel quicunque alius infirmus ſit uſus ratione, ungendus eſt juxta La Croix *cit. num.* 2515. quia hoc Sacramentum non eſt tantùm ad peccata, & peccatorum Reliquias tollendas, ſed etiam ne æger in agone tentationibus ſuccumbat, & ut, ſi ita expedit, ſanitati reſtituatur. Ita Joannes Sanchez, Diana, Averſa, & alii apud *La Croix citat.*

95 III. Non tamen ad validè ſuſcipiendam Extremam Unctionem requiritur, ut quando ſuſcipitur, ſuſcipiens habeat actualem rationis uſum, ſed ſufficit; quòd aliquando habuerit uſum rationis, etiamſi defacto nullum rationis indicium oſtendat; dummodo certò non conſtat, eum, antequam rationis uſum amiſit, fuiſſe in peccato; & de illo non doluiſſe, veluti ſi quis blaſphemos ſtatim in amentiam incideret. Ita Paludanus, Soto, Navarrus, Sylveſter, Suarez, Amicus, Averſa, Brancatus, Faber, citati à Maſtrio *cit. nu. 70.* & alii paſſim, & eandem doctrinam ferè omnia ritualia tradunt, & Catechiſmus ipſe Romanus. Ratio eſt: quia primarius hujus Sacramenti effectus non eſt tantùm animi roboratio contra Dæmonis tentationes, ſed præſertim etiam peccatorum venialium remiſſio, & aliorum quoque inculpabiliter oblitorum mortalium, ut conſtabit ex *qu. 3. ſeq.* vel quæ per alia Sacramenta non fuerunt remiſſa: Ergo quamvis infirmi defacto ſint amentes, vel ratione deſtituti, & conſequenter non ſint capaces illius primi effectus, ſcilicet roborationis contra tentationes Dæmonis, adhuc tamen ſunt capaces alterius, ſcilicet remiſſionis peccatorum: fieri enim poteſt, ut quis in peccato mortali exiſtens, eum ſola attritione incidat in amentiam; tunc enim virtute hujus Sacramenti amens gratiam recipiet, & ex attrito fiet contritus, qui tamen alioquin damnaretur. Nihilominus ratio naturalis dictat, & docet Catechiſmus Romanus de hoc Sacramento, Miniſtros ejuſdem debere curare, ut detur fidelibus eo tempore, quo ſui compotes ſunt, propriiſque actibus ſe ad illud meliùs præparare valent; hoc equidem exigit reverentia huic Sacramento debita. Unde quando amentes actus faciunt indecentes, & irreverentes; curare debet Miniſter, ut hoc Sacramentum conferat eo tempore, in quo furioſus ab illis motibus abſtinet, vel ſaltem tempore ſomni, vel ſaltem debet furioſus ligari, & ita inungi, ut volunt *Averſa, Barboſa, Diana*, & alii Summiſtæ.

IV. Adultus, ut validè recipiat hoc Sacramentum, ſine dubio debet habere intentionem ſaltem habitualem ſuſcipiendi hoc Sacramentum, vel ſaltem voluntatem Generalem vivendi, & moriendi more Chriſtiano Catholico, juxta certam Doctrinam de Sacramentis in Genere, apud P. Sporer, *Theol. Sacram. parte 5. capit. 2. ſect. 4. à num.* 139. quem, quæſo, vide. 96

#### §. II. *Periculosè Infirmus.*

I. SEu in periculo mortis conſtitutus, vel ex morbo, vel ex vulnere, vel ex veneno potato, vel ex partu, vel ex ſenectute. *Omnes*. Ratio eſt: quia S. Jacobus in ſua Epiſtola *cap. 5.* ait: *Infirmatur quis in vobis? inducat Preſbyteros Eccleſiæ &c.* Nec ſufficit qualiſcunque infirmitas, ſed debet eſſe periculoſa, ita ut prudenter timeatur ex ea mors ſecutura, prout inſinuat Concilium Florent. citat. dicens; *Hoc Sacramentum, niſi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet*, & etiam Tridentinum ſect. 14. cap. 4. de Extrema Unctione, dicens: *Declaratur etiam, eſſe hanc Unctionem infirmi adhibendam, illis verò præſertim, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur: Unde, & Sacramentum exeuntium nuncupatur.* Ex quibus Doctores communiſſimè inferunt, quòd periculoſa infirmitas in inungendo, non tantùm ſit conditio ad effectum Sacramenti requiſita, ſed etiam ad valorem. Difficultas tantùm eſt an ad validitatem Sacramenti Extremæ Unctionis requiratur, quod infirmus verſetur in vero periculo vitæ? an verò ſufficiat, ut tantùm ſit in periculo probabiliter putato? Ratio dubitandi eſt: quia ad valorem Sacramenti non ſufficit materia, quam quiſque probabiliter idoneam putat, ſed neceſſaria eſt illa, quam Chriſtus reipſa inſtituit; atque ita ad valorem hujus Sacramenti ea infirmitas erit neceſſaria conditio, quam Chriſtus reipſa inſtituit. 97

II. Hoc non obſtante, dicendum cum Doctore Subtili apud *Maſtrium citat. numer.* 73. Ad valorem hujus Sacramenti ſatis eſſe, ut morbus probabiliter putetur eſſe periculoſus, Medicorum, & peritorum Judicio. Ita *Coninch. diſput. 19. dub. 9. Amicus*, & alii recentiores apud *Maſtrium citatum*, quod ſatis clarè colligitur ex præcitatis Concilii Tridentini verbis, cùm inquit, hoc Sacramentum illis duntaxat infirmis conferendum eſſe, *qui in exitu vitæ conſtituti videantur;* non enim dixit: ſunt; quòd deſignat periculum in reipſa; ſed ait: *Videantur*, quod ad prudens Judicium refertur. Hoc idem clarè colligitur ex communi ſummiſtarum doctrina, qui dicunt, expectandum non eſſe ſupremum mortis Articulum, & inevitabile periculum, quando infirmus animam agit, ſed conſtitutus in mortis periculo, etiamſi alioquin ſpe vitæ non careat, omninò hoc Sacramentum eſſe conferendum, ut ob Sacramenti reverentiam aliquem poſſit devotionis actum in ejus ſuſceptione elicere. Hoc etiam ratio ipſa ſuadet; quia ſi hoc Sacramentum ad ſui valorem requireret verum vitæ periculum in reipſa, ſequeretur multoties, hoc Sacramentum ſuo effectu fruſtrari; quia non poteſt ſemper moraliter ſciri, quando ſit verum, & certum periculum mortis: cùm ex cauſis occultis hoc ſæpè dependeat. Ex quo etiam patet ſolutio rationis dubitandi in oppoſitum adductæ. Diſpar enim eſt ratio de materia Sacramentorum; Non enim eſt tanta difficultas dignoſcendi eam ipſam, quam Chriſtus reipſa inſtituit, quanta eſt difficultas dignoſcendi verum, & certum mortis periculum; Nam illa pendet ex cauſis patentibus, & notis, nimirùm ex ipſa Chriſti Domini inſtitutione nobis manifeſtata; hoc verò pendet à cauſis occultis. Ex his 98

III. Sequitur, poſſe extremè inungi eum, qui peſtem con- 99

traxit, vel qui veneaum accepit, aut lethale vulnus, propter quod eſt in periculo mortis, vel qui eſt in mortis periculo, eò quòd non poſſit ſiſti ſanguinis per nares effluens: *Gobat cit. num.* 852. *La Croix lib. 6. part. 1. n.* 2108. Item puerpera, ſi mors ei ob ſpecialem rationem timeatur in hoc partu, Navarrus, & alii apud *La Croix cit.* Item Reus rotæ affixus, adhuc vivens: item quia ſenectus ipſa eſt morbus, inungendus eſt ſenex deficiens: *Rituale Romanum*. Accipe unum vel alterum caſum ex P. Gobat: Primus eſt *ſæcularis*, quem ita refert Auctor præfatus.

Vidi ab hinc annos 20. in Vveilheim oppido quodam Bavariæ Senecionem, cui credebatur affirmanti, *&* numeratæ ætatis annos centum, & octo; fuit aliquamdiù poſt extinctus ſolo ſenio, ſine indicio ullius morbi. An potuit extremè inungi? Reſpondet Gobat *tr. 8. caſu 22. num.* 852. Potuit, debuitque ille, quem, ut narro vidi, & allocutus ſum ipſe. Quia Concilium Mediolanenſe IV. expreſsè ſtatuit, ut ſenio confectis præbeatur hoc Sacramentum, *licet non ſint ægroti*, & Armilla *verbo*; *Unctio*, *nu. 6.* ſic loquitur; *His, qui præ ſenio deficiunt, ſine actuali infirmitate, unctio datur*, & ita loquitur etiam Cardinalis Toletus apud *Gobat cit.* Quia ſenectus ipſa eſt morbus.

Secundus caſus eſt *Religioſi*, qui non multis ab hinc annis in infirmitate minimè ex ſe lethali conſtitutus, timens autem prudenter, ne apoplexia tactus, vel privaretur beneficio Extremæ Unctionis, vel nequiret hanc, niſi jam captus mente, recipere, petiit, atque impetravit à ſuo ſuperiore, viro prudentia claro. An licitè, & validè fuit collata? Reſpondet *Gobat cit. num.* 875. non poſſe à me non probari, ſeu petitionem infirmi, ſeu conceſſionem Superioris; cùm ſit mihi utriuſque perſpecta ſapientia, ſaciatque hæc ratio, quòd haud dubiè fuerit jam in corpore illius infirmi diſpoſitio ad illud ſupremum malum, adeòque dici potuerit jam cœpiſſe.

100 IV. Nequit tamen Sacramentum Extremæ Unctionis conferri decapitandis, vel ſuſpendendis, vel ituris prælium, aut periculoſam navigationem &c. Quia tales non ſunt actualiter, naturaliter, & intrinſecè infirmi. Diſparitas autem, cur infirmis tantùm naturaliter, & intrinſecè non autem aliis violenter ex hac vita diſceſſuris poſſit conferri Sacramentum Extremæ Unctionis, hæc eſt; Quia per ægritudinis moleſtias, corporei ſenſus adeo doloribus, & anxietatibus opprimi ſolent, ut facile in deſperationem laberetur infirmus, & ſatis difficulter dæmonis tentationibus reſiſteret, niſi hoc cœleſti remedio adjuvaretur, quod animam alleviat, & confortat: quæ incommoda in aliis aliter diſceſſuris ex hac vita, prorſus ceſſant, cùm integris ſenſibus, & pleno uſu rationis moriantur; quare Divina Gratia ſuffulti, ex opere operantis, his omnibus incommodis occurrere poſſunt. Unde colligere licet, Sacramentum hoc eſſe ſpecialiter inſtitutum ad roborandum hominem corpore deficientem ob ægritudinem: quando autem ſanus eſt, licèt ſit morti vicinus, adhuc naturales vires habet integras, & ſi deficit vivere, hoc non eſt ab intrinſeco propter ægritudinem, ſed per accidens, & ab extrinſeco ob violentiam, & ideò non eſt pro illo Sacramentum inſtitutum. *Maſtrius cit. nu.* 72.

101 Porrò ad conferendum Extremę Unctionis Sacramentum non eſt neceſſarium expectare extremum, & omnino certum mortis periculum, quando ſcilicet de vita jam eſt deſperatum, ſed ſufficit, quòd infirmus judicio Medicorum & peritorum cenſeatur periclitari de vita, ut colligitur ex CC. Florentino, & Tridentino citatis; imò curandum eſt ut extremum periculum præveniatur, quando nimirùm infirmo adhuc integra mens, & ratio viget, ut ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam, etiam ipſe infirmus ſe diſponat per pium voluntatis affectum, prout ſaluberrimè etiam monet Catechiſmus Romanus, & ſic non continget caſus ſequens, quem refert *Gobat citat. numer.* 896. his verbis.

102 Retulit mihi quidem optimè notus, & piiſſimus Parochus ſe non ita pridem vocatum ad Dorotheam magnis doloribus oppreſſam, eamque extremè inunxiſſe, eò quòd interrogata, num hoc Sacramentum deſideraret, & an omnia neceſſaria de hoc Sacramento crederet? annuere videbatur. Poſtero die cum dolores paululùm remitterent, compertum eſt ab amicis, quòd dum inungebatur, compos rationis non fuerit: interrogata enim, num ſciret, ſe extremè inunctam? Reſpondit, ſe prorſus neſcire. Sub veſperum, cùm morbus rurſum ingraveſceret, Parochus eam rurſus inviſurus advenit, & à Domeſticis monitus, quod heri ægrota compos mentis non fuerit, propterea Extremam Unctionem, cùm jam ratione polleat, repetendam eſſe. Sed D. Parocho ex ægrota ſciſcitanti, num, ſi heri mentis compos fuiſſet, Sacramentum hoc Extremæ Unctionis nihilominùs poſtulatura fuiſſet? reſpondit, quòd ita, quod crederat omnia de hoc Sacramento neceſſaria, & D. Parochus dixit ſufficere, nec licere pro hac vice repetere hoc Sacramentum. *Hucuſque Gobat*; laudans ſedulitatem hujus Parochi viſitantis rurſum veſperi eam, quam manè inunxerat, & reſolutionem hujus caſus.

## §. III. *Qui aliquando peccavit perſonaliter.*

Extremam Unctionem ad ſui valorem poſtulare ſubjectum, quod aliquando peccavit perſonaliter, negant Henriquez, Suarez, Coninch. Poncius, Brancatus, & alii. 103
Sed probabilior eſt ſententia Doctoris noſtri Seraphici D. Bonaventuræ 4. *diſt.* 23. *art.* 2. *qu.* 3. Doctoris Subtilis 4. *diſt.* 23. Amici, Hiquei, Maſtrii, Vaſquez, Averſæ, & plurimorum aliorum, docentium, ad validitatem Extremæ Unctionis requiri, ut inungendus aliquando peccaverit perſonaliter. Ratio eſt 1. quia Concilium Tridentinum cit. ex ſententia Sanctorum Patrum ait, hoc Sacramentum eſſe conſummativum Pœnitentiæ: ergo ubi non poteſt eſſe Pœnitentia, nec etiam ejus conſummatio eſſe poteſt: Atqui, qui numquam peccavit perſonaliter, non eſt capax Pœnitentiæ, ut patet; ergo nec erit capax Extremæ Unctionis. 2. Quia idem Concilium cit. dicit, hoc Sacramentum *abſtergere peccatorum reliquias*: ſine addita conditione; *ſi habeat peccata*, ſed abſolutè: ergo ſupponit hoc Sacramentum non dari iis, niſi qui non habuerunt peccata. Nec obſtat, quòd S. Jacobus dicat: *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei*; hoc enim intelligendum eſt, ſi adhuc maneat in peccatis, quæ abſolute ſupponitur commiſiſſe, adeò ut ſenſus ſit; ſi adhuc ſit in peccatis, quæ commiſit, remittentur ei ipſamet peccata, & non ſolæ peccatorum reliquiæ abſtergentur. 3. Quia forma hujus Sacramenti expreſsè importat remiſſionem peccatorum, ut patet ex illis verbis *Indulgeat tibi Deus, quidquid per viſum deliquiſti, &c.* Ergo verificari non poteſt de ſubjecto, quod nunquam peccando deliquit. Non eſt quidem neceſſarium, quod ſemper in inungendo ſit aliquod peccatum nondum remiſſum, ſiquidem ex communi ſententia, ſi quis poſt peccata perſonalia jam remiſſa ſanctiſſimè vixerit, nec reus ſit ullius peccati, poteſt extremè inungi; neceſſariò tamen requiritur, ut ſaltem præceſſerit aliquod perſonale peccatum in tali ſubjecto, ut forma verificetur, per quam confertur gratia, quantum eſt de ſe, remiſſiva peccati, ſi adhuc adeſſet, qualiter etiam P. Sporer *Theol. Sacrament. part. 3. cap. 5. num.* 604. explicat ſenſum formæ Sacramenti Pœnitentiæ 4. Quia materia hujus Sacramenti ſcilicet Unctio, ſignificat ſpiritualem curationem ſpiritualis infirmitatis, ſeu debilitatis, & conjuncta cum dictis verbis formæ ſignificat curationem debilitatis ex perſonalibus peccatis relictæ, & non ex ſolo originali, ut dicebat *Suarez*. Ergo

## §. IV. *Ut Extrema Unctio etiam licitè, & fructuosè recipiatur requiritur per ſe loquendo ſtatus gratiæ.*

Eſt certum, & patet ex eo, quòd Extrema Unctio ſit 104
Sacramentum vivorum: Atqui Sacramenta vivorum per ſe loquendo cauſant gratiam ſanctificantem ſecundam, ſeu augmentum gratiæ ſanctificantis; ergo ſupponunt in ſubjecto gratiam ſanctificantem primam, adeòque etiam extrema unctio in inungendo ſupponit ſtatum gratiæ. Quanquam autem deceat Extremæ Unctioni velut ultimæ Medicinæ præmitti Confeſſionem, & Communionem, quando fieri poteſt, (ut declarat praxis Eccleſiæ, & Rituale Romanum) tamen hoc non eſt abſolutè neceſſarium, cùm ad effectum hujus Sacramenti recipiendum ſufficiat ſtatus gratiæ, qui poteſt etiam ſine Sacramento Pœnitentiæ, obtineri per Contritionem perfectam; & videamus Extremam unctionem dari etiam illis, quibus Confeſſio, & Communio eſt impoſſibilis; ideòque Rituale Romanum addit; *Si tempus, & infirmi conditio permittat. Ita Herincx cit. q. 5. n.* 35. Dictum eſt, quòd ad recipiendam licitè, & fructuosè Extremam unctionem requiratur *per ſe loquendo* ſtatus gratiæ, ſiquidem *per accidens* Sacramenta vivorum, & conſequenter etiam Extrema unctio, poſſent cauſare gratiam primam nimirùm, quando quis ſuſcipit, verb. gr. Extremam Unctionem in ſtatu peccati mortalis, attritus tamen, & bona fide putans ſe eſſe contritum, in hoc caſu Extrema Unctio conferret gratiam ſanctificantem primam per accidens juxta communem DD. apud P. Sporer *Theol. Sacrament. parte 2. capit. 1. ſect. 2. numer.* 23. Ratio ſpecialis pro Extrema Unctione affertur ex Epiſtola *S. Jacobi capit.* 5. & ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. cap 2. & canon. 2. de Extrema Unctione*, docente per Extremam Unctionem fieri remiſſionem peccatorum; ergo in aliquo caſu, & ſaltem per accidens

dens remittet peccata, & conſeret gratiam primam. Si dicas: Concilium loqui de remiſſione peccatorum venialium: Contra eſt: quia Concilium loquitur de peccatis, ſicut de peccatorum reliquiis; atqui Extrema Unctio abſtergit peccatorum etiam mortalium reliquias: ergo etiam peccata mortalia remittet ſaltem per accidens, & conſequenter ſic etiam conſeret gratiam ſanctificantem primam. Quòd enim per ſe, & vi inſtitutionis ſuæ nequeat remittere peccatum mortale, & conferre gratiam ſanctificantem primam, conſtat ex eo: quia non eſt Sacramentum mortuorum.

Ultra ſtatum gratiæ licèt non requiratur alia diſpoſitio ad effectum hujus Sacramenti conſequendum ex opere operato, nihilominùs Rituale Romanum conſulit, & hortatur, ut hoc Sacramentum miniſtretur infirmis eo *tempore, in quo adhuc in illis integra mens, & ratio viget, ut ad uberiorem Sacramenti gratiam recipiendam, ipſi etiam fidem, ac piam animi voluntatem conferre poſſint.*

## QUÆSTIO II.

*De neceſſitate, & Iterabilitate Extremæ Unctionis.*

## SUMMARIUM.

106 *Non peccat mortaliter, qui non ſuſcipit Extremam Unctionem,*
107 *Per ſe loquendo; benè verò per accidens.*
108 *Extrema Unctio eſt Sacramentum iterabile.*
109 *Quoties ſublato priori mortis periculo, reinciditur in novum.*
110 *Licèt maneat eadem infirmitas.*
111 *Inter unam, & alteram Unctionem, debet eſſe notabilis temporis diſtantia.* 112. *Sed quanta?*

## ASSERTIO II.

105 *PEr ſe loquendo non peccat mortaliter, qui Sacramentum Extremæ Unctionis, etiam data opportunitate, non ſuſcipit: Eſtque hoc Sacramentum iterabile, quoties ſublato priori periculo mortis, reinciditur in novum.* Communiſſima DD.

### §. I. *Non peccat mortaliter, qui non ſuſcipit Sacramentum Extremæ Unctionis.*

106 ITa communiter DD. apud Maſtrium *citat. q.5.num.79.* Herincx *cit.qu.7.num.53.* & alios. Ratio eſt: quia hoc Sacramentum non eſt neceſſarium ad ſalutem neceſſitate medii; cùm quis per Sacramentum pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſufficienter poſſit ſanctificari, & ſalvari, nec eſt neceſſarium neceſſitate præcepti: quia nec præceptum Divinum, nec humanum de ſuſcipienda Extrema Unctione extat; imò Eccleſia prohibet hoc Sacramentum conferri tempore interdicti, *cap. Quid in te, de pœnit., & remiſſ.* Quo tamen tempore pœnitentiam, & Viaticum permittit miniſtrari; quia videlicet eorum ſuſceptio eſt in præcepto: Docet quidem Concil. Trid. *ſeſſ.24.cap.3. de Extrema Unctione, Unctionem habere Mandatum DEI;* ſed intellige, inſtituentis, & volentis, ut ſit in Eccleſia, & miniſtretur à Paſtoribus, ut patet ex textu. Conſuetudo autem non eſt introducta animo obligatorio: ut communiter Doctores teſtantur; ſed animo promovendi ſaltem in tanta indigentia.

### §. II. *Per ſe loquendo.*

107 QUia ratione ſcandali poſſet non ſuſcipiens Sacramentum Extremæ Unctionis, mortaliter peccare, præſertim in his regionibus, in quibus non ſolet omitti ſuſceptio Extremæ Unctionis. Similiter ratione contemptus poſſet quis peccare mortaliter, ut indicat Concil. Trid. *cit. in fine capitis* dicens: *Nec verò tanti Sacramenti contemptus abſque ingenti ſcelere, & ipſius Spiritus Sancti injuria eſſe poſſet.* Dictum etiam eſt, quòd non peccat *mortaliter*, qui non ſoſcipit Extremam Unctionem; Quia negligens in extremo periculo mediom tam utile ad ſalutem, quando facilè poteſt obtineri, à peccato veniali contra charitatem propriam vix poteſt excuſari. *Herincx cit. n.54.*

### §. III. *Sacramentum Extremæ Unctionis eſt iterabile.*

108 ITa expreſsè Concil. Trid. *citat. capit.3.* dicens: *Quòd ſi infirmi poſt ſuſceptam hanc Unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti ſubſidio juvari poterunt, cùm in aliud ſimile vitæ diſcrimen inciderint.* Ratio eſt: Tum quia Sacramentum Extremæ Unctionis non imprimit characterem, tum quia confertur inſtar Medicinæ; Medicina autem poteſt iterari. Idem docet perpetua praxis Eccleſiæ. Unde Extrema Unctio iteranda, imo primo validè conferenda fuiſſet illi vetulæ, de qua *Gobat cit num.890.* quæ ebria vino aduſto, viſa eſt proxima morti, & ideò à Parocho Extremè inuncta fuit, poſt unam autem vel alteram horam, poſtquam digeſſit parumper vinum aduſtum, fuit ſana, ſicut ſemper; Huic, inquam, vetulæ ſi poſteà incidiſſet in mortis periculum, primò validè conferenda fuiſſet unctio. Cùm prior fuerit invalida, utpotè collata vetulæ non periculosè infirmæ, ſed ebriæ tantùm. Deindè Extrema Unctio iterari poteſt,



### §. IV. *Quoties ſublato priori periculo mortis, reinciditur in novum.*

I. LIcèt recurrat eadem infirmitas. Ita Doctores Seraphicus S. Bonaventura *4. diſt. 23. parte 2. quæſt. 4.* & 109
Angelicus D. Thomas *4.diſt.23. qu.1.artic.4.* & eſt communis DD. apud Maſtrium *cit.qu.3.num.48.* Herincx *qu.7.num.49.* Gobat *cit.num.887.* & *ſeqq.* Ratio patet tum ex Conciliis Florentino, & Tridentino *ſeſſ.14.cap.3.de Extrema Unctione*, ubi iterationem hujus Sacramenti concedit ſub conditione novi morbi, & periculi; tum quia hoc Sacramentum non reſpicit præcisè infirmitatem, ſed periculoſum infirmitatis ſtatum: ergo ſi hic iteretur, etiam illud iterari poterit. Tum quia gratiæ actuales, quæ intuitu hujus Sacramenti dantur, non videntur deberi, niſi quandiu durat mortis periculum; adeòque ſi ipſum de novo redeat, infirmus eſt denuò ad luctam armandus. Quia verò Sacramentum ſufficienter operatur ſuum effectum, quandiu durat idem mortis periculum, non poteſt in eodem ſtatu infirmitatis, ſive in periculo mortis moraliter uno iterari, nequidem validè, multò minùs licitè, juxta Doctores communiter apud Herincx cit. Nam alioquin non eſſet ulla ratio, ob quam Eccleſia id tam ſtrictè in omni caſu prohiberet, nec unquam practicaret, quod apertum ſatis eſt invaliditatis ſignum: Sacramenta enim iterabilia non prohiberet iterari in tanta ægri neceſſitate, accedente ejus ſaltem tacito deſiderio, & maxima utilitate.

II. Advertendum autem, non eſſe neceſſarium, quòd 110
infirmus plenè recuperet ſanitatem, & poſteà incidat in ſimilem, vel alium morbum, & ſimile periculum, ſed ſatis eſt, ſi manente infirmitate evadat periculum mortis, & poſt aliquod tempus iterum incidat in periculum mortis. Imò etſi antiquum, non tamen ita urgens, cum ipſa ægritudine perſeveret, (ut frequenter contingit in *Aſthmaticis, Hydropicis, Phtiſicis*, in quibus radice morbi permanente, morbi ſtatus ſæpe notabiliter variatur, ut nunc in periculo urgenti conſtituti, & lecto affixi, poſtmodùm plateas, & Eccleſiam frequentent) ſi poſtea contingat novum periculum urgere validè iteratur Extrema Unctio toties, quoties id contigerit, ut poſt *D. Thomam, Albertum, & Paludanum* tradit Sylveſter, Victoria, Henriquez, Suarez, Diana, & alii recentiores communiter apud Herincx *num.* 51. Quòd ſi etiam contingat uni periculo accedere novum, non tanquam acceſſorium, ſed tanquàm planè diſparatum, v.g. ſi inunctus ob phthiſin inficiatur peſte, aut vulneretur lethaliter, aut incidat in lethargum, vel apoplexiam, adhuc cenſet Dicaſtill. *diſt. 1. dub.10. num.166.* infirmum poſſe denuò inungi, eò quod novum periculum diſponat ad novum agonem; prior autem Unctio ſolùm deſerviat priori periculo, & agoni inde exorto.

III. Poſtremò notant Doctores, inter unam, & aliam 111
Unctionem debere interponi notabilem temporis diſtantiam, ut ita verè conſtet, & appareat periculum mortis fuiſſe verè renovatum. Ita Suarez, Reginaldus, Coninch. Amicus, Bonacina, & alii relati à Maſtrio *cit.num.49.* Hanc autem notabilem temporis diſtantiam, ajunt, metiendam eſſe prudenti judicio.

IV. Ex quo ſequitur clarè, quòd in una, eademque die, 112
aliquis nequeat bina vice extremè inungi? An autem in una Hebdomada? Barboſa *de Paroch.cap.32.num.* 38. apud Gobat *num.* 889. putat, hebdmadarium intervallum inter unam, & alteram unctionem ſufficere, ut rurſum quis ungatur, ſi videlicet judicio Medici infirmus poſt priorem Unctionem fuit conſtitutus extra probabile, ſeu propinquum mortis periculum.

## QUÆSTIO III.

*De effectu Extremæ Unctionis.*

## SUMMARIUM.

154 *Primus effectus Extremæ Unctionis eſt gratia Sanctificans.*
115 *Secundus eſt remiſſio peccatorum.*
116 *Tertius, Quartus, & Quintus effectus Extremæ Unctionis recenſentur.*
117 *Sextus effectus Extremæ Unctionis eſt recuperatio ſanitatis corporalis, ſi ita ſaluti animæ expedierit.*

## ASSERTIO III.

113 *EFfectus Extremæ Unctionis eſt. I. Gratia ſanctificans. II. Remiſſio peccatorum. III. Deletio pœnarum. IV. Excitatio fiduciæ in Divinam miſericordiam. V. Robur contra inſultus Diabolicos; Et VI. Recuperatio ſanitatis corporalis, ſi ita ſaluti animæ expedierit.* Communiſſima.

### §. I. *Primus effectus Extremæ Unctionis eſt Gratia ſanctificans.*

114 EST certa doctrina ex materia de Sacramentis in genere apud P. Sporer *Theol. Sacram. par. 1. cap. 1. ſect. 3 n. 42.* quem vide. Et quidem, cùm Extrema Unctio ſit Sacramentum vivorum, ejus effectus, per ſe, & ex vi inſtitutionis ſuæ, eſt gratia ſanctificans ſecunda, ſeu Augmentum gratiæ ſanctificantis; quàmvis per accidens poſſit etiam cauſare gratiam ſanctificantem primam, ut jam ſemel diximus, & ſtatim iterum §. ſeq. dicemus. Igitur præter gratiam ſanctificantem, tanquam effectum omnibus Sacramentis communem, Sacramentum Extremæ Unctionis ſpecialiter *Delicta, ſi qua ſint adhuc expianda, ac peccati Reliquias abſtergit, & ægroti animam allevias, & confirmat, magnam in eo Divinæ Miſericordiæ fiduciam excitando: qua infirmus ſublevatus, & morbi incommoda ac labores leviùs fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo inſidiantis, faciliùs reſiſtit: & ſanitatem Corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.* Ita verbotenùs Concil. Trid. *ſeſſ. 14. cap. 2. de Extrema Unctione.* Ex quibus verbis hujus Sacramenti effectus ſpeciales habentur, de quibus in ſequentibus §§.

### §. II. *Secundus effectus Extremæ Unctionis eſt remiſſio peccatorum.*

115 ITa indicatur *Jacobi 5. Et ſi in peccatis ſit: Remittentur ei.* Et quidem remiſſio peccati mortalis per accidens propter bonam fidem, qua peccator attritus illud ſuſcipit, venialis autem per ſe, quanquam probabiliùs prærequiratur etiam in juſtis aliquis pius motus. Quòd vero per accidens deleat hoc Sacramentum mortalia in bona fide accedente cum ſola attritione, fatentur etiam plures, qui hoc de aliis Sacramentis Vivorum negant, ob locutionem *S. Jacobi Apoſtoli ſuprà, & Conc. Trid. ſuprà* dicentis, etiam *delicta abſtergere*; quam rationem jam præced. *qu. 1. hujus ſect. n. 104.* dedimus. Accedit congruentia; quia valdè conſentaneum eſt Divinæ pietati, & ægrotantis neceſſitati, ut hoc Sacramentum per accidens deleat peccata mortalia forſan oblita; præſertim quia Deus in agone infirmis maximè aſſiſtit juxta illud Pſalmi: *Domini Domini exitus mortis*; quibus verbis, ut plures SS. Patres exponunt, inſinuatur duplicata Domini aſſiſtentia infirmis in illo extremo agone, & valdè major auxiliorum copia, quàm alio vitæ tempore, cùm homo ratione viget, & ſenſuum integritate. Nullatenùs tamen admitti poteſt, quòd hoc Sacramentum ſufficiat ad delendum mortalia, quæ non poteſt infirmus confiteri, etſi ſciat ſe eſſe tantùm attritum. Obſtat enim communis ſenſus, & ratio Sacramenti vivorum, quod non poteſt ſcienter ſuſcipi à peccatore. Deinde talis deberet etiam poſtea confiteri peccata ſic remiſſa, quod ſignum eſt, Unctionem non eſſe per ſe medium juſtificandi. Nec aliud indicat *S. Jacobus Apoſtolus*, & conſequenter nec *Conc. Trid.* quod utique non receſſit à conſtanti, & communi Theologorum ſenſu. Multò minùs, ſi quis non haberet attritionem, nec contritionem, etiamſi putaret ſe eſſe contritum, & inungeretur, remitteretur ipſi peccatum mortale etiam per accidens; quia hoc nunquam remittitur etiam in Sacramento, niſi adſit aliqua pœnitentia, ſaltem, quæ ſit attritio vera ſupernaturalis, à parte rei exiſtens, juxta DD. Communiſſimam. Hinc quandocunque confertur hoc Sacramentum, infirmus à Miniſtro Extremæ Unctionis excitandus eſt ad eliciendum dolorem verum ſupernaturalem de ſuis peccatis, ut ſi forſan adhuc eſſet in peccato mortali ignorato ſeu oblito, hoc illi vi hujus Sacramenti per accidens remitteretur.

### §. III. *Tertius, Quartus, & Quintus effectus Extremæ Unctionis.*

TErtius Extremæ Unctionis effectus eſt deletio Pœnarum, non quidem omnium ſemper, ſed plurium, vel pauciorum pro diſpoſitione ſuſcipientis; quia iſtæ pœnæ ex peccatis dimiſſis reſtantes ſunt reliquiæ peccatorum, & impedimentum conſequendæ gloriæ. Quartus effectus eſt excitatio fiduciæ in Divinam Miſericordiam; Anima enim tunc memor ſuorum commiſſorum peccatorum, propter inſtans judicium, & debilitatem corporis, quæ in animam redundat, facilè deſperaret. Quintus eſt Robur contra inſultus diabolicos, qui tunc propter finem certaminis ſunt acriores, & vehementiores; Item gratiæ actuales, quibus adjutus æger poteſt dolores leviùs ferre, actus Virtutum Theologicarum elicere, & in finem uſque perſeverare; quæ omnia patent ex *Concil. Trid. cit.* 516

### §. IV. *Sextus effectus Extremæ Unctionis eſt recuperatio ſanitatis Corporalis.*

*SI ita ſaluti animæ expedierit.* Patet ex Concilio Tridentino citato. Hic ultimus effectus eſt fallibilis, ut patet: cùm ſanitas corporalis virtute hujus Sacramenti non reſtituatur, niſi quando ſaluti animæ expedierit. An autem tunc ſaltem ſit infallibilis, adhuc non conſtat. Affirmat quidem Suarez, & alii apud *Herincx cit. qu. 6. num. 48.* qui putat tunc eſſe infallibilem, ſi ſanitatem corporalem, conferri expediat ſecundum ordinem Divinæ Providentiæ tum naturalis, tum ſupernaturalis præſertim circa infirmum. Elige, quod placet. 157

## QUÆSTIO IV.

*De Ceremoniis Extremæ Unctionis.*

## SUMMARIUM.

559 *Miniſter Extremæ Unctionis debet Oleum infirmorum aſſervare in loco, & vaſculo debito.*
120 *Miniſter extremè inungens debet eſſe indutus ſuperpelliceo, & Stola,*
521 *Et recitare Orationes in rituali præſcriptas.*
122 *Et facere Unctiones ſecundùm præſcriptum, & conſuetudinem ſuæ Diœceſis.*

## ASSERTIO IV.

*CÆremoniæ Extremæ Unctionis ſunt. I. Ut Miniſter ejuſdem, aſſervet Oleum infirmorum in loco, & vaſculo debito. II. Ut extremè inungens ſit indutus ſuperpelliceo, & Stola. III. Atque recitet Orationes in Rituale præſcriptas: IV. Faciatque Unctiones juxta præſcriptum, & conſuetudinem Diœceſis, in qua adminiſtrat hoc Sacramentum.* Communiſſima DD. 118

### §. I. *Miniſter Extremæ Unctionis debet Oleum infirmorum aſſervare in Loco debito,*

IDeſt, *Sacro:* Quia Sancta Sanctè tractanda ſunt; Nihilominùs *Gobat tr. 8. nu. 931.* docet contra alios, licitum eſſe Parocho ferre ſacrum Oleum ad domum ſuam, quando probabiliter credit, ſe de nocte vocatum iri ad aliquem ungendum pro ſupremo certamine, ſi aliàs foret periculum, ne fortè ſerò veniret, quo caſu putarem, (ait *Gobat cit.*) poſſe etiam ſacram hoſtiam deferri in talem domum; eſt enim utique minùs malum, aſſervare illam in loco profano, Religiosè tamen cum lumine, quàm permittere quempiam mori abſque hac pretioſa annona. Si verò Parochus, adminiſtrata Unctione Extrema, Oleum Sacrum referat ad domum ſuam, non autem ad Eccleſiam, putant Diana, & Quintanadvennas citati à *Gobat cit. n. 932.* non peccaturum graviter Parochum, etſi fortè eſſet vicinus Eccleſiæ, nec enim apparet gravis irreverentia; ſecùs, ſi aſſiduè ſervaret domi. Idem dicerem (pergit *Gobat cit.*) de SS. Euchariſtia, caſu, quo diſtaret dimidio quadrante horæ, præſertim Hyeme rigida, aut pluvia tempeſtate; Nec enim videtur peccari graviter contra Legem, aut Divinam, aut Eccleſiaſticam. Quantùm ad vaſculum, quo aſſervatur Oleum infirmorum, *Rituale Romanum* habet, debere eſſe Argenteum, aut Stanneum. Item ſi Oleum deportetur ad ægrum, ob effuſionis periculum, poſſe deferri in Lana bombycina. 119

§. II.

Digitized by Google

### §. II. *Miniſter extremè ungens debet eſſe indutus ſuperpellicco, & Stola ſub mortali.*

120 ITa communis cum Buſembaum, & La Croix *lib.6.parte 2.numer.* 2116. & Gobat citato *numer.* 928. dicente: Ego non excuſarem à mortali, qui ſine neceſſitate Extremam Unctionem miniſtraret ſine veſtibus prædictis. Mortale tamen non eſſe, adminiſtrare eamdem in neceſſitate ſine ſuperpelliceo, vel Stola, docent Quintanadvennas, Leander, & Amicus apud *Buſembaum hic*: Diana verò *parte 8. tit. 1. reſolut. 79.* id excuſat ab omni peccato, ſi infirmus non ſit capax alterius Sacramenti, & iſta haberi non poſſint, contra Suarez, Reginaldum, &c. Similiter non eſt mortale, etiam extra neceſſitatem deferre Oleum infirmorum ad ægrum, & adminiſtrare ſine lumine. Ita apud Buſembaum hic, Leander citans Poſſevinum, Quintanadvennam, Barboſam *de Officio Parochi cap.* 22. Denique non eſt mortale, hoc Sacramentum adminiſtrare ſine Miniſtro: imò hoc in neceſſitate permittunt *Toletus, Sà, Diana, &c.* Deceret quidem, ait *Gobat capit.* 215. habere Clericum miniſtrantem, ſed ſufficit ex conſuetudine recepta Laicus ædituus; imò ſi non adſit, qui reſpondeat, reſpondebit ipſe Miniſter Unctionis. *Sed adgeniculatur aliqua Sanctimonialis valdè perita reſpondendi?* Reſpondeo nec hujus quidem opera uti licet; nam excluduntur ab hoc miniſterio mulieres. Quintanadvennas *tract.5. ſing.7. per totum*, poſt Suarez, Layman, & alios; ſi tamen fœmina pro Miniſtra adhiberetur, foret tantùm veniale juxta Quintanadvennam *cit. ſing.* 6.

### §. III. *Et recitare Orationes in Rituali præſcriptas.*

121 GObat *tr.* 8. *caſu* 23. *num.* 924. ait: Licèt omninò conſultum ſit, recitare Pſalmos, & omnes alias preces, quæ pro tali articulo (ſcilicet adminiſtratione Sacramenti Extremæ Unctionis) præſcribuntur in Rituali, nec dubitem, quin Religioſi omnes id præſtent, non audeo tamen damnare gravis peccati Sacerdotes ſęculares: qui paſſim omittunt Pſalmos pœnitentiales &c. At qui omittunt omnes preces, aut antecedentes, aut ſequentes Unctionem: damnat noxæ lethalis *S. Thomas, Tamburinus cap. 5. §. 3.* Addens, recitationem Litaniarum eſſe ſolùm ſub conſilio. Buſembaum *tract.* 5. de *Extrema Unctione, cap. 1. num.* 10. ait, etiam extra neceſſitatem omittere Pſalmos pœnitentiales, Litanias, & cæteras preces non eſt mortale, docet *Palaus, & Granadus*. Dico: *Extremam neceſſitatem*, quia in neceſſitate gravi, verbi gratia tempore peſtis, & morte imminente ſtatim ungendus eſt infirmus ſine præmiſſis orationibus, quæ tamen poſteà ſupplendæ ſunt, ſi ſupervivat infirmus. *Bonac. d.7. p.6. n.8.*

### §. IV. *Et facere Unctiones juxta præſcriptum, & conſuetudinem Diœceſis,*

122 IN qua adminiſtrat hoc Sacramentum. Patet ex eo, quod Epiſcopus Diœceſis ſuæ mores, & ſubditorum ſuorum complexiones, item conſuetudines, circumſtantias, &c. optimè norit, & conſequenter in agenda, ſeu Rituali ſuæ Diœceſis id præſcripſerit in adminiſtratione hujus Sacramenti obſervandum, quòd optimum factu fuerit viſum. Interim juxta Rituale Romanum, *Renum Unctio in Mulieribus, honeſtatis gratia, ſemper omittitur: atque etiam in viris, quando infirmus commodè moveri non poteſt. Sed ſive in mulieribus, ſive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet.* Juxta *Rituale Mechlinienſe, & Colonienſe* ſemper etiam in viris omittitur Unctio renum, ſeu lumborum, & ſubſtituitur generaliter Unctio pectoris. Ex conſuetudine ſervandus eſt ordo in Rituali præſcriptus inter partes, ut priùs inungantur oculi, poſteà aures, &c. qui ordo, ſi non ſervetur ob neceſſitatem nullum eſt peccatum: ſi verò extra neceſſitatem non obſervetur, eſt veniale juxta *P. Thomam Tamburinum loco citato*. Unctio oculorum incipit ab oculo dextro, ſimiliter à dextra, aure, manu, pede, &c. Nec tota forma eſt enuntianda, priùs quàm utrumque membrum ſit inunctum. Secundum *Rituale Romanum* manus exterius unguntur *Presbyteris*, reliquas autem interius juxta *La Croix lib.6. part.2. num.* 2117. Pedes unguntur *in Planta*, quia hac præcipuè ambulamus. Si ungatur pars corporis infecta lepra, vel gangrena, expedit Oleum ne totum inficiatur, accipere calamo, vel feſtuca, & applicare pollice dextro, quia per hunc debet fieri Unctio. *La Croix citat.* decens eſt, ut ſtuppa comburatur, quæ ad ſingulas Unctiones, nova adhibenda eſt, juxta Layman *libro quinto, tractatu octavo, numero tertio*, qui etiam *numero ſecundo*, ait, quòd Unctio fiat immediatè manu Sacerdotis, & in formam crucis, ad accidentales ritus pertinet. Poſt Extremam Unctionem acceptam, ſi infirmus ſupervivat, poteſt denuo accipere Viaticum, & confiteri, ac abſolvi, quoties vult, & petit. Item *La Croix citat. numero* 1120. Dicaſtill. *tit. 3. numer.* 150. dicit ſe vidiſſe, à viris non indoctis miniſtrari Unctionem mediante argentea virgula, etiam extra tempus peſtis: ſed quamvis hoc non obſtet valori, tamen *Averſa ſectione quarta*, dicit fore mortale, ſi extra tempus peſtis fiat, quia eſt in re notabili contra univerſalem Eccleſiæ conſuetudinem. Circa vaſcula, in quibus Chriſma, & olea Sacra continentur; notet diligenter Miniſter litteras ſuper inſcriptas, vel inſculptas, ne uno, pro altero utatur, & reddat Sacramentum invalidum, ſiquidem littera S. ſignificat oleum ſalutis, ſeu Catechumenorum, quo ungitur baptizandus in pectore, & inter ſcapulas in modum Crucis: dicendo: *Ego te linio Oleo ſalutis, &c.* Littera C. ſignificat ſacrum Chriſma, quo ungitur baptizatus in ſummitate capitis in modum Crucis, dicendo, &c. Denique littera I. ſignificat oleum infirmorum, cum quo debet adminiſtrari Extrema Unctio. Subinde ſunt duæ litteræ, videlicet O. S. ſignificat oleum ſalutis, ſeu Catechumenorum. S. C. ſignificant ſacrum Chriſma. O. I. ſignificant oleum infirmorum; niſi fortè in Diœceſi eſſet alia conſuetudo, aliis litteris olea ſacra deſignandi, quod inquirere debet Miniſter in Rituali ſuæ Diœceſis, *tit. de Baptiſmo, & Extrema Unctione*.

## APPENDIX

### *De diſpoſitione Moribundi ad Beatam Mortem.*

## SUMMARIUM:

123 *Quid agere debeat Confeſſarius vocatus ad moribundum?*

124 *Quibus virtutibus debeat eſſe præditus?*

125 & 126 *Quid proponere debeat infirmo?*

127 *Quid agere debeat ipſe moribundus? debet confiteri.* 128. *communicare.*

129 *Quid circa communionem infirmi Confeſſario ſit obſervandum & ſeqq.*

132 *Infirmus debet facere teſtamentum,* 133. *Accipere Extremam Unctionem,* 134. *ac ſe exercere in virtutibus Theologicis &c.*

135 *Quid agonizanti obſervandum circa indulgentias, Aquam benedictam, Cereum &c. & ſeqq.*

140 *Quid obſervare debeat Confeſſarius in Morbo contagioſo, & poſt mortem ægri.*

### §. I. *Quid agere debeat Confeſſarius vocatus ad Moribundum?*

I. MIniſterium juvandi morituros eſt unum ex magis 123
glorioſis, & neceſſariis, quæ Parochi, & Confeſſarii obire poſſunt, ac in hoc plus prodeſſe animabus, ac majorem Dei gloriam valent promovere; ſiquidem ex beata hominis morte immediatè ſequitur jus inamiſſibile ad æternam beatitudinem: Ex mala verò morte ſequitur immediatè hominis damnatio, & pœna æterna. Accedit, quòd in morte homo maximè indigeat auxilio, ſiquidem vires ſint debiliores, impedimenta fortiora, & tentationes dæmonis graviores, ſcit equidem hic antiquus fratrum accuſator, ſi hic vincatur, æternùm victus erit; ſin verò hic vincat, æternùm victor erit. Igitur

II. Confeſſarius, qui vult moriturum diſponere ad 124
beatam mortem, debet eſſe. I. Amictus ſole Juſtitiæ, id eſt, purus, ſanctus, & fervidus, ut poſſit incutere dæmoni metum, & terrorem. II. Debet habere magnam fiduciam à Deo impetrandi beatam mortem morituro, & advocare ſibi in auxilium Angelos, & Sanctos, ac præcipuè Beatiſſimam Virginem Mariam. III. Debet habere intentionem puriſſimam ſolius gloriæ Dei, & ſalutis animæ; Non enim debet duci reſpectibus humanis, nec debet habere rationem amplitudinum temporalium, quamvis enim infirmus in hac vita excelſus ſit; cùm primùm tamen ex hac vita receſſerit; anima ejus remanet externa illa amplitudine exuta, & ponetur in Dei judicio cum ſolis ſuis operibus bonis, & malis. Hinc etiam Confeſſarius qui non habet animum ad terrenas haſce excelletias &

Amplitudines conculcandas, non habebit libertatem ad ea proponenda, & inculcanda, quæ infirmi ſaluti ſpirituali expediunt.

525 III. Confeſſarius vocatus ad infirmum, ſtatim debet eum accedere, quia aliàs, dum ipſe moras trahit, poteſt infirmus expirare, aut uſu ſenſuum privari, aut in amentiam incidere, & periculo exponi amittendi æternam beatitudinem, poſtea ampliùs irrecuperabilem, & Confeſſarius deinde haberet, quòd per totam vitam defleret, nimirùm interitum animæ ex ſua mora, & negligentia oriundum, ob quam etiam cauſam Confeſſarius in via ad ægrotum non debet moras trahere, nec aures, vel linguam præbere ſermonibus impertinentibus: poterit tamen, ac proderit in via colloqui cum iis, qui ipſum ad infirmum vocarunt, ut infirmi ſtatum, ac diſpoſitionem ab iis intelligat: niſi eam priùs notam habuerit.

526 IV. Cùm Confeſſarius jam ingreditur ad infirmum, cogitare debet, ſe eſſe Dei nuntium miſſum ad aliquid ei nuntiandum in Nomine Dei, ſicut Propheta Iſaias dixit Ezechiæ Regi; *Iſaia 38. hæc dicit Dominus, diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives*: in quibus verbis duo præcipuè puncta inſinuantur, in quæ prudens Confeſſarius oculos ſuos conjicere debet. Primum eſt, cui mors, aut ejus periculum; ex Judicio Medicorum eſt certum, prudenter, & ſuaviter, valdè tamen clarè, infirmum de eo moneat: multò enim aliter confeſſionem ſuam inſtituet, & animæ diſpoſitionem, ſi intelligat, certò ſibi moriendum eſſe, quàm ſi tale periculum neſciat. Hoc nuntio propoſito, attendat diligenter Confeſſarius, quomodo infirmus talem nuntium excipiat. Quod ſi advertat, eum nimia triſtitia, tædio, impatientia, aut repugnantia affici contra id, quod Deus conſtituit; debet dextrè Spiritum ejus erigere, & inducere ad perfectam reſignationem, & conformitatem propriæ voluntatis cum Divina, adductis aliquot rationibus, ex quibus ſolatium hauriat, quales eſſe poſſunt, verb. gratia, quia ſic voluntas Dei eſt, qui eſt Dominus vitæ, & mortis. Item, quia mors eſt Juſtis peccatorum finis, tentationum terminus, & initium gaudiorum æternorum &c. Poſtquàm infirmus de periculo mortis eſt præmonitus, accedet alterum documentum inſinuatum verbis illis, *diſpone domui tuæ*. Quæ diſpoſitio complectitur quatuor, nempe *confeſſionem, communionem, teſtamentum, & Extremam Unctionem*, de quibus §. ſequenti.

### §. II. *Quid agere debeat Moribundus?*

527 I. MOribundus juxta Dei monitum diſponere debet domui ſuæ per quatuor media, nempe I. Per confeſſionem ſacramentalem; quam Confeſſarius eidem efficaciter, & nervosè perſuadeat, quàm citò fieri poteſt, peragendam: nemo equidem, juxta S. Auguſtinum, quamvis Sanctus, & perfectus, hinc diſcedere debet, niſi ſit antè de peccatis ſuis confeſſus, & Dominici Corporis Viatico inſtructus. Si infirmus forſan confiteri nollet, vel de die in diem confeſſionem differret, imprimis pro eo orandum eſt, & varia bona opera pro ejuſdem ſalute offerenda. Deindè ſubmittendus eſt illi bonus ejus amicus, qui ipſum ad confitendum exhortetur. Idem faciat Confeſſarius verbis humaniſſimis, expiſcetur cauſam, ob quam confiteri renuat, & eam inventam opportunis mediis radicitùs evellere ſatagat. Si hæc nihil prodeſſet, dicat, ſeriò ad infirmum, Deum non permittere ſecum jocari, Deum non irrideri, ſubitò venire iram illius, & in tempore vindictæ ipſum à Deo diſperdendum, & damnandum ad æternas inferni pœnas, ſicut contigit jamjam innumeris. Si verò infirmus confiteri velit, examinandus eſt, an de præcedentibus confeſſionibus ſibi ſatisfactum ſit, an dubium aliquod, vel ſcrupulus adſit de aliquibus, ut nunc reparetur defectus, qui extra hanc occaſionem ampliùs non poterit reparari. Inſtruat quoque Confeſſarius ægrum, ut ex nunc formet intentionem, quòd in agone velit adhuc ſemel elicere dolorem de ſuis peccatis, & iterato Sacramentaliter abſolvi, & quod velit hujus doloris, atque deſiderii abſolutionis dare ſignum, quantùm ſibi erit poſſibile. Item ſi ægro incumbat aliqua obligatio reſtituendi, verbi gratia famam, &c. curet, ut adhuc ægro vivente, fiat hujuſmodi v. g. famæ, vel bonorum fortunæ reſtitutio.

528 II. Moribundus debet diſponere domui per *ſumptionem Viatici*: Siquidem datur præceptum Divinum, & Eccleſiaſticum communicandi in periculo mortis, ſive hæc proveniat ab intrinſeco, verbi gratia morbo, ſive ab extrinſeco, per ſententiam verbi gratia Judicis. Ita *Concilium Nicænum*, & refertur *capit. de his, 9. cauſa 29. quæſt. 6.* apud La Croix *libr. 7. part. 1. num. 604.* Confeſſarius hic *recordetur* 1. Doctrinæ, quam tenet Diana, & probabilem cenſet Gobat *tract. 4. numer. 174.* quòd etiam ille, qui manè communicavit, & poſteà eodem die incidit in periculum mortis, poſſit adhuc eodem die non jejunus ſumere Viaticum: quamvis juxta pleroſque Theologos apud Gobat citatum *numer.* 174. hoc non ſit in his circumſtantiis præceptum. Si tamen infirmus ſacrilegè communicaſſet, ſicuti ſcio alicubi factum, ſine dubio deberet iterum pro Viatico communicare occultè tamen, ne infamaretur. Ratio eſt, quia per ſacrilegam Domini manducationem non ſatisfit præcepto Eccleſiaſtico communionis annuæ, & patet *ex propoſitione 55. damnata ab Innocentio XI.* Ergo multò minùs per eandem ſatisfiet præcepto Divino, atque Eccleſiaſtico communicandi in articulo, vel periculo mortis. La Croix *libro ſexto, parte prima, numer.* 621. Si quis poſt octodies à communione incidat in mortis periculum, quamvis probabilius ſit obligari, tamen etiam probabile eſt non obligari denuò communicare pro Viatico, uti docent Sotus, Paludanus, Henriquez, Coninch. Averſa, Illſung, & alii apud *La Croix citatam num.* 616. quod Eſcobar, & Amicus apud eumdem extendunt etiam ad 55. dies. Rationem dant, quia cùm habeatur finis præcepti, qui eſt, per communionem ſe diſponere ad mortem vicinam, videtur eſſe ſatisfactum; quamvis mors non fuerit prævisa, reipſa enim fuit vicina. Si tamen quis menſe poſt Paſcha inciperet in tale periculum, non ſatisfeciſſet: quia illa communio non fuiſſet diſpoſitio ad mortem vicinam. *Suarez*, & alii cum *Tamburino capite quinto, numero ſeptimo*. Confeſſarius *recordetur* 2. quòd, ut infirmus non jejunus communicet, faciliùs permittat Eccleſia, quia defectus jejunii nimis ſæpè contingit. Hinc notat Tamburinus, & Dicaſtillus apud *La Croix citat. numer.* 612. Sacerdotem non debere hic ſcrupulosè velle expectare, ſi Medicus judicet ægrotum non poſſe commode expectare jejunium ſequentis diei. Addit *Averſa quæſt. 8. ſect. 9. §. 6.* ſatis eſſe, quod ægroto incommodum eſſet, abſque cibo expectare à media nocte uſque manè. Similiter inquit *Gobat tract. 4. numer.* 323. ſi æger longè diſtet, verbi gratia duabus horis, & periculosè ægrotet, poterit non jejuno Parochus dare Viaticum, quamvis probabiliter poſſet poſtridiè jejunus illud ſumere. Unde etiam poteſt infirmus communicare non jejunus, ſi Parochus commodè expectare non poſſit ſequentem diem verbi gratia, quia manè eſt impediendus in Eccleſia, quia ſtatim poſt mediam noctem ſurgere deberet. *Lugo, Tamburinus à numer.* 10. Addunt aliqui ſi Veſperi cum majori reverentia deferret Viaticum comitantibus Laicis. Praxis enim docet, inquit Tamburinus, jejunium in occaſione Viatici non eſſe tam rigorosè accipiendum. Monet autem *Gobat cit. num.* 409. Sacerdotem publicè miniſtrantem Viaticum ſemper debere ſecum deferre duas hoſtias, ut unam à domo ægri, referat in templum: alioquin quando redibit, obviantes adorabunt pixidem vacuam. Quoties autem aliquis in eadem infirmitate poſſit non jejunus communicare, adducunt plures ſententias *Averſa quæſtion. 8. ſection. 9. §. 7.* & Buſembaum apud *La Croix citat. numer.* 613. quod omni die poſſit, præter citatos à Buſembaum, docent etiam *Armilla, & Dicaſtill. num.* 234. ac probabilo vocat *Tamburinus numer.* 14. quia Concilium Conſtantienſe, & Eccleſiæ conſuetudo videtur abſolutè à præcepto jejunii eximere periculosè infirmos, ſi commodè non poſſint manere jejuni. Quòd autem ſanis jejunis, etiam Laicis, poſſit à Confeſſariis permitti communio quotidiana, ſi debitam ad eamdem deferant preparationem declaravit Innocentius XI. *in Decreto: Cùm ad aures, edito 12. Februarii* 1679. videndo apud La Croix *lib. 6. part. 1. num.* 665. & in fine hujus ſupplementi referendo.

*Recordetur II.* Confeſſarius, Viaticum in periculo mor- 529
tis etiam eſſe adminiſtrandum iis, qui aliquando uſum rationis habuerunt; ſed poſteà per morbum, phreneſim, vel aliam cauſam eumdem admiſerunt, ſi videlicet non ſciatur, eos in ſtatu diſgratiæ incidiſſe in amentiam, ſed potiùs præſumatur oppoſitum, nec adſit periculum vomitus, aut alterius irreverentiæ. Ita Doctores communiter apud Herincx *de Euchariſtia diſput. 6. quæſt. 3.* La Croix *libr. 6. parte 1. num.* 656. item Catechiſmus Romanus *de Euchariſtia capit. 51. numer. 2.* quia ſufficit intentio generalis vivendi, & moriendi more Catholico. Hoc ipſo autem, quòd neſciatur, aliquem in mortali incidiſſe in amentiam, præſumendus eſt fuiſſe in gratia, Gobat *tract. 4. numer.* 155. cum communi, quia quiſque naturaliter præſumitur bonus. *capit. Dudum, de præſumption*. Secùs foret, ſi certò ſciretur aliquem pauló poſt peccatum mortale commiſſum incidiſſe in amentiam, nec haberentur poſitiva fundamenta Pœnitentiæ. Nam ſemel malus ſemper præſumitur eſſe malus. *Reg. 8. Jur. in 6.* ſimiliter ſemifatuis, vel debilem rationis uſum habentibus miniſtranda eſt SS. Euchariſtia in

Ar-

Digitized by Google

Articulo mortis, imò & in Paſchate, ſi judicentur capaces abſolutionis, & abſit periculum irreverentiæ. Communiſſima cum *Gobat citato, numero* 138. Item Energumenis, ſi utantur ratione, & pœnituerit de peccatis anteà commiſſis, & abſit periculum irreverentiæ: *La Croix num.* 206. Item adultis à nativitate ſurdis, & mutis, quia inſtrui poſſunt per ſigna, ut ſciant hunc ſpiritualem cibum diſcernere à corporali; ſecùs eſt, ſi ſint ſimul à nativitate muti, ſurdi, & cæci: tunc enim non videntur capaces Euchariſtiæ dignoſcendæ, adeòque nec ſumendæ magis, quàm perpetuò amentes, vel infantes, qui licèt cum fructu poſſent SS. Euchariſtiam percipere: cum legatur in primitiva Eccleſia infantibus data communio, uti refert Concil. Trid. *ſeſſ.* 21. *capit.* 1. Nunc tamen dari non debet: Div. Thomas *qu.*80. *art.*9. Averſa *qu.*8. *ſect.*1.§.3. Et hoc eſſe illicitum colligitur ex ipſo non uſu, & communi ſenſu fidelium. Pueris tamen, & puellis, ſive ſeptennium egreſſis, ſive non; modò habeant plenam hujus cibi ſpiritualis diſcretionem, danda eſt Euchariſtia in periculo mortis. Ita S. Antoninus, Caſtro-Palaus, aliique graviſſimi Auctores apud *La Croix l.*9. *p.* 1. *nu.* 649. cùm nihil aſſignari poſſit, quod eos impediat à ſumptione hujus panis filiorum, imò in dubio, an puer habeat plenum rationis uſum, rectè docent Lugo, Dicaſtillus Diana, & Tamburinus, apud *La Croix n.*648. poſſe dari Viaticum, quia certò proderit; tamen addunt, non eſſe obligationem dandi, quia in dubio eſt poſſeſſio pro libertate contra legem.

130 *Recordetur IV.* Confeſſarius, ſi ſit periculum, ne æger ſine Viatico moriatur, quòd poſſit currere ſine irreverentia cum Viatico, quia excuſat neceſſitas; adeoque teneri. *Gobat num.* 506. *& num.* 407. dicit Viaticum, in tali caſu deferri poſſe ſine lumine, & campanula. Addit Marchantius omitti poſſe lumen, quando fertur ad ægrum longè diſtantem ita ut lumen commodè conferri nequeat. Deinde *Paſqualigus qu.* 833. docet Epiſcopos, & Superiores Regulares cum cauſa diſpenſare poſſe, ut deferens Viaticum utatur pileolo: ſic enim fit in pagis, & villis. Addit tamen eſſe mortale, ſi ſine juſta cauſa feratur tecto capite. Si æger Euchariſtiam ſumere non poſſit, illicitum eſt, ad eum deferre, ut ſaltem pro conſolatione adoret, vel oſculetur: id enim prohibuit S. Pius V. teſte Lugo *in reſponſ. moral. libr.* 1. *diſt.* 11. Viaticum dari debet etiam die veneris ſancto. *Jordanus num.*30. *Tamburinus cap.*6. *num.*4. Denique quamvis priùs defluat vinum in ſtomachum, quàm deglutiatur hoſtia, nihil obſtat jejunio ad communionem requiſito, quia illa ſumptio vini, & hoſtiæ manet una moraliter. *La Croix cit. nu* 573.

131 *Recordetur V.* Confeſſarius, quòd ſtomachus communicantis debeat ita eſſe diſpoſitus, ut potens ſit retinere, & conſumere ſpecies Euchariſticas; unde ſi vel continuò revomat, vel ſtatim per ſeceſſum emittat omnes reliquos cibos planè immutatos, gravis foret irreverentia communicare. *Gobat tract.* 4. *num.* 167. In dubio, an ſumens ſit revomiturus, Auctores communiùs, & probabiliùs negant, licitum eſſe communicare; attamen licitum eſſe putant *Tannerus*, *Reiffenſtuel*, *Gobat num.* 163. quia videtur melius eſſe, ut Sacramentum exponatur incerto periculo irreverentiæ materialis, quàm hominem, in cujus bonum Sacramenta ſunt inſtituta, privare certo fructu communionis: & addunt *Suarez*, *Tannerus*, *Gobat nu.* 164. in hoc, & ſimilibus caſibus, licitum eſſe dare ægro minimam particulam hoſtiæ conſecratæ, etiam in liquore, vel juſculo: licèt hoc moraliter certò ſit priùs deſcenſurum. Tandem ſi quis poſt communionem incidat in morbum gravem, vel cum communione ſumpſerit venenum, ita ut Medicus judicet neceſſe eſſe, ut ſtatim vomat, ſumere poteſt potionem, *ne cibus vitæ vertatur in mortem*, inquit S. Thomas *q.*83. *art.*6. *ad* 3. & rejectæ ſpecies ſeparatæ à ſordibus erunt detinendæ, aut injiciendæ in aquam donec conſumantur, & poſteà, quod ſupererit, in ſacram piſcinam, vel Sacrarium conjiciendum. La Croix *cit. num.*555. *apud quem num.* 556. Azorius *lib.* 10. *cap.*18. *qu.* 12. & Tamburinus de *Communione cap.*2. *num.*10. abſolutè dicunt, Sacerdotem more Laicu communicantem, ſine Stola, non peccare nunc, quia Decretum Concilii Bracharenſis III. præcipiens *c. Eccleſ.* 9. *diſt.* 23. ut Sacerdos more Laico communicans ſit indutus Stola, videtur abrogatum, & ſolùm ex decentia, & convenientia ſervari ſolet, inquit Averſa *qu.* 8. *ſect.* 7. §. *duplex*. Si tamen alicubi ſit mos, ut fiat, ſervari debet ſub veniali; uti docet *Eſcobar libr.* 20. *num.* 469.

132 III. Moribundus debet diſponere domui ſuæ per *Teſtamentum*, quod adeò feriò Propheta Iſaias Dei nomine Regi Ezechiæ inculcavit his verbis: *Diſpone Domui tuæ:* primò namque cùm corpus ſit domus: in qua anima tot annis habitavit debet ei proſpicere; ac conſtituere decens ſepulchrum. Deinde cùm anima ſit domus Dei; debet facere, ut ſit digna Dei habitatio: ideò ordinabit, ut pro ea offerantur ſacrificia, fiant orationes, & eleemoſynæ: ut citiùs ex purgatorio tranſeat ad Patriam cœleſtem, & habitet in ea Deus per viſionem, & fruitionem Beatam. Tertiò familia domeſtica hic magis propriè appellatur domus ipſius infirmi, cui debet valdè ordinariè, & clare diſponere, & cuique ex eadem legare, quod juſtitiæ, aut gratitudinis titulo ei debet, & quod ex benevolentia etiam decet; tunc etiam locum habet illud Apoſtoli 1. *Timoth.* 5. *ſi quis autem ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*. Quarto debet etiam eſſe memor, ut hac occaſione impleat conſilium illud Salvatoris *Luc.* 16. *facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*. Quare tria Amicorum genera debet ſibi comparare, videlicet pauperes in terris, largiendo eis eleemoſynas; Sanctos in Cœlis, legando aliqua ad eorum venerationem in templis promovendam; & animas fidelium in purgatorio, conſtituendo aliqua ſacra pro eis legenda. Denique debet ſuos creditores ſibi facere amicos, ſtatuendo, ut quæ illis debet, ſtatim reddantur: hæc enim obligatio præferri debet gratuitis operibus. In omnibus autem, quæ in ſuo teſtamento conſtituerit, ſtudere debet puram intentionem gloriæ Dei, & utilitatis animæ ſuæ habere, non attentis reſpectibus humanis. Ad exequenda autem, quæ diſpoſuit, debet conſtituere, & nominare teſtamenti ſui executores, non multos, ne alter alterum impediat: neque unum ſolum, vix enim in uno invenitur ſufficiens Scientia, Prudentia, Auctoritas, diligentia, & Charitas, quando multa ſunt executioni mandanda. Expedit itaque paucos eſſe, & quidem tales, qui ſe mutuo adjuvent.

IV. Moribundus debet diſponere domui ſuæ per ſuſce- 133
ptionem *Sacramenti Extremæ Unctionis*. Quando autem, & quomodo hoc ſit ſuſcipiendum ab infirmo, ſufficienter dictum eſt in duabus ſectionibus, tertia, & quarta præcedentibus.

His expletis moribundus in ſex Actibus ſedulò exer- 134
cendus eſt, nimirùm in *Actibus fidei*, *ſpei*, *charitatis perfectæ*, *contritionis perfectæ*, *reſignationis in Divinam voluntatem*, *& orationis:* quamvis hæc omnibus conjuncta eſſe debeat. In unoquoque autem actuum magna debet eſſe varietas, ne ejuſdem rei repetitio tædium pariat. Et quia dæmonis impugnationes in illa hora verſantur circa has ſex virtutes, major cura, & ſtudium in ea virtute adhibendum eſt, in qua infirmus magis oppugnatur. Accomodare etiam ſe debet Confeſſarius qualitati infirmi: cum aliquibus enim opus eſt, clarioribus, & prolixioribus uti rationibus: aliis verò pauca verba ſufficiunt: pauci tamen ſunt infirmi, etiamſi valdè ſpirituales ſint, qui non opus habeant brevi aliqua admonitione, quaſi excitante dormientem, ut ille in ſuo pergat exercitio. Omnes autem multùm juvant breves aliquæ Sacræ Scripturæ, aut SS. Patrum ſententiæ, permittendo infirmanti, ut ipſe eaſdem in mente ſua verſet, ac ruminet, habita tamen ratione, ne ille defatigetur nimia hujuſmodi exercitii continuatione, ne pereat fructus bonæ ſementis, eò quòd nimia illa ſint, aut non ſeminentur opportunè.

### §. III. *Quid Confeſſarius agere debeat apud Agonizantem?*

Cùm ad vitę finem propriùs accedere videtur infirmus, 135
ante omnia curandum eſt, ut removeantur illi, qui bonam illius ad mortem præparationem poſſunt impedire, quales ſunt plerumque conjux, liberi, & ſimiles, qui humanos potiùs affectus excitant, quàm ſpirituales. Poſteà verò ipſe Confeſſarius totis viribus ſe convertat ad animandum, protegendum, ac adjuvandum moriturum, ut piè, & Chriſtianè moriatur: quem in finem *Indulgentias*: *Aquam benedictam*, *ſacrum Cereum*, *Crucifixi effigiem SS. Nomina JESUS, & MARIA*, *ac pias denique aſpirationes* adhibebit. Itaque Confeſſarius

I. Circa *Indulgentias* obſervet tria: I. Ut ſciat, quaſ- 136
nam indulgentias moribundus lucrari poſſit. II. Ut excitet in moribundo intentionem lucrandi tot, quot poteſt indulgentias. III. Ut abſolvat ipſum generali abſolutione, ſi eſt in Religione, vel Confraternitate, cujus aſſeclæ gaudent abſolutione generali. Circa *Aquam benedictam* curet Confeſſarius, ut ſemper ad lectum moribundi adſit: quia hæc miram habet virtutem ad repellendos dæmones eaque tum infirmus, tum lectus in variis partibus ſæpiùs aſpergatur: dicaturque. *Dominus Noſter JESUS CHRISTUS per virtutem hujus Aquæ, te à cun-*

*His peccatis tuis emundet, & abluat, & contra omnes dæmonis inſidias potenter defendat, in Nomine Patris &c.*

137 II. Circa *Cereum benedictum* inſtruat Confeſſarius ægrum ideò eumdem moribundis in manus dari. I. Ut per hunc teſtentur, ſe in fide Catholica mori. II. Ut oſtendant ſe in Chriſto, qui eſt Lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, omnem ſuam ſpem collocare, adeòque per ipſum ad lucem æternam perventuros. III. Ut teſtentur ſe paratos, velut fideles ſervos, adventum Domini, aut ſicut prudentes virgines, ſponſi adventum præſtolari. Hanc inſtructionem Confeſſarius infirmo præbeat, antequàm Cereo benedicto uti opus fuerit, nec expectet horam ultimam, ſed quamprimùm propinquum mortis periculum imminere advertit: eumdem ægro porrigat, convenientesque affectus ſuggerat, v. g. *Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace &c. Illumina Domine oculos meos, ne umquam obdormiam in morte &c.*

138 III. Circa *Chriſti Crucifixi effigiem*, Confeſſarius inſtruat moribundum, triplicem hujus repræſentationis eſſe finem I. Ut per eam dæmones repellantur. II. Ut per eam repræſentationem Crucifixi Domini noſtri Jeſu Chriſti infirmus animetur ad patientiam. III. Ut in infirmo excitetur fiducia erga Deum, & Chriſtum; ait enim Sanctus Auguſtinus: *Inſpice vulnera pendentis, ſanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices reſurgentis; caput habet inclinatum ad oſculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extenſa ad amplexandum, totum Corpus expoſitum ad redimendum.* Circa SS. Nomina *JESUS*, & *MARIA*, ſciendum, quòd his duobus Nominibus (adde etiam tertium *S. Joſephi*, Sponſi Mariæ, & Nutritii Jeſu) ægri in morte mirum confortentur, & contra dæmones protegantur: nam *omnis, qui invocaverit Nomen Domini, ſalvus erit. Joelis* 2. Tria de his Nominibus Confeſſarius edoceat infirmum. I. Ut ubi in ultimo mortis articulo triſtitia, & tentatio moleſta fuerit, eamdem pronuntiatione horum SS. Nominum mitigare conetur. II. Ut etiam, cùm tranquillus eſt animus, aſſiduè repetat hæc SS. Nomina, jungatque virtutum Theologicarum actus. III. Ut dum infirmus adverrit finem vitæ imminere, hæc SS. Nomina tum pro indulgentiis lucrandis, tum pro ſolatio, corde ſaltem, ſi ore non poſſit, proferat; ideoque priùs hanc gratiam ſæpè à Jeſu, Maria & Joſepho exoret.

139 IV. Circa *pias aſpirationes moribundo ſuggerendas* ſciendum, quòd cùm nihil magis deceat moribundum, quàm ut inter pios affectus, & ſuſpiria vitam finiat, & dum his occupatur, malignis hoſtium ſuggeſtionibus aditum occludat: quare vel maximè laborare debet Confeſſarius, ut hac in parte non deſit moribundo: ſed cùm hic plerumque ſufficiens non ſit ad affectus ejuſmodi concipiendos, à Confeſſario, velut Angelo ſuo cuſtode terreſtri inſpiratos accipiat. Ut autem Confeſſarius fructuosè hoc officium præſtet, duo ſpecialiter obſervet. I. Ut eas aſpirationes paucis verbis, tractim, articulatè, & interrupte pronuntiet ita, ut iis pertendendis otium aliquod, aut reſpirandi tempus concedatur. Non ergo infirmi longis exhortationibus aut clamoribus cruciandi ſunt, & hoc maximè circa Perſonas Spirituales obſervandum eſt. II. Ut ejuſmodi affectus non temere ex memoria, aut ex libro accipiat, ſed priùs benè ſelectos, & ad præſentem moribundi ſtatum benè accomodatos habeat: ideò ea moribundo adhuc validiori proderit inquirere, quibus affectibus, & precibus uti conſueverit, & maximè moveatur, aut quos affectus, & preces ſibi deſideret inſpirari in agone. Omnes autem affectus eò potiſſimùm tendere debent, ut infirmus actus virtutum Theologicarum eliciat, veniam culparum deprecetur, contritionem perfectam, reſignationem in Divinam voluntatem, & deſiderium æternæ beatitudinis eliciat, item actus orationis, gratiarum actionis, pro acceptis per totam vitam beneficiis, humilitatis, patientiæ, &c. exerceat, ac demum SS. Trinitatis, Jeſu, Mariæ, Joſephi, Angeli cuſtodis, & omnium Sanctorum Angelorum, & hominum auxilium imploret, iiſque ſupremum ſuum agonem ac Spiritum, quàm optimè poteſt, commendet. Confeſſarius quoque recitet commendationem animæ ex Breviario: quæ eſt valdè efficax oratio ob Sanctitatem Eccleſiæ, ac agonizantem iterum, dato, vel ſaltem piè præſumpto, (ſi dare non poſſit) doloris ſigno, ſacramentaliter abſolvat, ſaltem conditionatè, ſi fortè abſolutè non poſſet, qua de cauſa, juxta ſupra jam dicta, Confeſſarius priùs inſtruat infirmum, ut in agone det ſignum doloris, quo ſignificet, ſe pro tunc adhuc ſemel velle ſacramentaliter abſolvi.

§. IV. *Quid obſervare debeat Confeſſarius, cùm ab infirmo diſcedit, vel quando hic eſt ſenſibus deſtitutus vel laborat morbo contagioſo, vel jam eſt mortuus?*

I. QUatuor Confeſſario peragenda erunt, cùm ab infirmo diſcedit. I. Recitet ſuper infirmum aliquas preces, v. g. Pſalmum; *Miſerere mei Deus, vel Evangelium S. Joannis*, vel alias preces. II. Det in manus infirmo Crucifixi imaginem, ut cordi eam imprimat, atque etiam oſculetur oſculo oris ſui, ſimul dicendo: *O Jeſu Dilectiſſime, Deus cordis mei, obſecro te per quinque Vulnera tua, quæ amore mei ſuſcepiſti, ſubveni famulo tuo, quem tuo pretioſo ſanguine redemiſti.* III. Conſoletur infirmum dicendo, ſe ejus memorem futurum in ſuis precibus, ac SS. Miſſæ Sacrificiis, ac etiam curaturum, ut alii hoc faciant. IV. Aſpergat eum aqua benedicta, & det ei Benedictionem Sacerdotalem. 240

II. Confeſſarius vocatus ad infirmum uſu rationis penitùs deſtitutum, quærat imprimis ex circumſtantibus, an ſignum aliquod contritionis dederit, vel confiteri petierit, ſi hoc fecit, abſolvatur, etiamſi magnus anteà peccator fuerit, ſi nullus teſtetur, infirmum talem dediſſe ſignum doloris, aut Confeſſionis, adhuc talis moribundus (modò conſtet ipſum Catholicum eſſe, & chriſtianè vixiſſe) ſub conditione abſolvi licitè poteſt, atque etiam debet, ut habet P. Patritius Sporer *Theol. Sacram. p. 3. c. 5. n. 648.* quem vide, & quæſo, ſequere; certè non pœnitebit: potes enim infirmo, cum tali abſolutione conditionata, aperire portam Regni Cœlorum, qui aliàs forſitan deberet ingredi portam inferni. Ob eamdem rationem tali infirmo adminiſtrandum eſt Sacramentum extremæ Unctionis. Vide quæ diximus *ſect. 4. præced. q. 1. n. 95.* Inſuper Confeſſarius confugiat ad orationem, ſimulque etiam domeſticos ad eamdem pro ægro fundendam adhortetur, uti & ad alia bona opera pro eodem, offerenda Domino Deo. 241

III. Confeſſarius ad laborantes morbo contagioſo, vel peſte I Numquam jejunus accedat, ſed priùs juſculum ſumat, vel vinum medicatum ex herba Abſinthii, Cardui Benedicti, Rutæ &c. II. In acceſſu ad infirmum labia, nares, os, & tempora balſamo, vel aceto, vel Theriaca illinat. III. Curet, ut ante ejus ingreſſum æger in lecto ita componatur, ut commodè confiteri poſſit, & attendat; ne æger in ſua præſentia ſe multùm moveat, aut lectum aperiat. IV. Ab omni contactu ægri abſtineat (quod in fœminis etiam extra periculum infectionis obſervet) nec manum ſalutandi gratia porrigat, nec eumdem multùm aſpiciat. V. Infirmi halitum non excipiat, ideò ſupra eum ſe non inclinet, autem ei non admoveat, non ex adverſo ægri, ſed potius ad latus conſiſtat. VI. Confeſſionem ita audiat, ut tantùm eſſentialiter requiſita non omittat, & a non neceſſariis quæſt. abſtineat. VII. Quando Confeſſarius ſe aliqua peſtilenti aura afflatum ſenſerit, ſudorifico hauſtu, vel Theriaca, præſertim *Egrana* ſudorem eliciet, & cum ſudore venenum propellet. 242

IV. Poſtquam infirmus piè in Domino obiit, Confeſſarius mox in genua procidat, & preces poſitas in Breviario, vel Diurnali, poſt commendationem animæ devotè recitet & defunctum aqua luſtrali denuò aſpergat. Si domeſtici gravem mœrorem ob defuncti mortem concipiant, conſoletur eoſdem, & occaſionem ſumat aſtantibus revocandi in memoriam, vitæ brevitatem, mundi vanitatem, felicitatem benè morientium. Ipſe quoque Confeſſarius memor ſit defuncti, ac pro ipſo ſua bona opera, Orationes, ac memoria in Sacrificiis Miſſæ offerat. Tandem ubi digreſſus fuerit, examinet ſe, quomodo in hoc munere ſe geſſerit, & ipſe quoque ſe excitat ad piè vivendum, ut mortem vitæ ſimilem conſequi mereatur, pro qua Dominum Deum quotidiè, ferventer, & inſtanter deprecetur. 243

## CAPUT TERTIUM.

## DE INDULGENTIIS, ET JUBILÆO.

CUm juxta *Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. in Decreto de indulgentiis*, uſus indulgentiarum Populo Chriſtiano maximè ſalutaris, & Sacrorum Conciliorum Auctoritate probatus, in Eccleſia ſit retinendus, utpote, per quas pœnæ temporales poſt culpam jam dimiſſam reſtantes remittuntur, ideòque pœnitentibus in Sacro Tribunali, à Confeſſariis ſubinde indulgentiarum lucrationes in pœniten-

Digitized by Google

tentias, & ſatisfactiones ſacramentales ſalubriter; & merito injunguntur, operæ pretium erit, earum notitiam tum Confeſſariis, tum pœnitentibus, tum quibuſvis fidelibus, in hoc tertio capite breviter, quantum neceſſe fuerit inſinuare. Itaque ſit in Nomine Domini

## SECTIO I.

*De Indulgentiis in genere.*

## QUÆSTIO I.

*Quid, & quotuplex ſit indulgentia?*

### SUMMARIUM.

2 *Datur in Eccleſia Theſaurus ſatisfactionum Chriſti.*
3 *Et Poteſtas diſpenſandi hunc Theſaurum per indulgentias.*
4 *Quid ſit indulgentia?*
5 *Antiquitas indulgentiarum.*
6 *Indulgentia alia eſt plenaria, alia partialis.*
7 *Quid ſit indulgentia pleniſſima, in forma Jubilæi &c.*
8 *An habens affectum ad veniale peccatum poſſit lucrari indulgentiam plenariam?*
9 *Cur indulgentia plenaria addatur partialis?*
10 *Quid intelligatur per dies, & annos indulgentiarum?*
11 *Indulgentia alia eſt perpetua, alia temporalis.*
12 *Alia eſt perſonalis, alia realis, alia localis.*
13 *An indulgentia Eccleſiæ conceſſa extendatur ad ejus Cœmeterium?*
14 *An diruto templo, vel Eccleſia, pereat indulgentia ipſi conceſſa?*
15 *Notanda circa indulgentiam realem, qualiter pereat pereunte re, cui eſt annexa?*
16 *Quid intelligatur nomine Roſarii, Coronæ, aut Pſalterii?*

## ASSERTIO I.

1 *INdulgentia eſt relaxatio pœnæ temporalis, debitæ peccato perſonali, quoad culpam dimiſſo, per applicationem ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum, extra Sacramentum facta, virtute clavium; Indulgentia dividitur in plenariam, & partialem; in perpetuam, & temporalem; in perſonalem, realem, & localem.* Eſt Communiſſima Theologorum.

### §. I. *Indulgentia quid ſit?*

2 I. DAri in Eccleſia Catholica Theſaurum ſpiritualem ſatiſfactorium, docet *Clemens IV.* Pontifex Maximus in *Extravag. Unigenitus, de pœnitentiis, & remiſſionibus*, de Chriſto Domino Salvatore noſtro Dilectiſſimo ſic loquens: *Unigenitus Dei Filius de ſinu Patris in uterum dignatus eſt deſcendere Matris, in qua, & ex qua noſtræ mortalitatis ſubſtantiam divinitati ſuæ, in ſuppoſiti unitate, ineffabili unione conjunxit, id, quod fuit permanens, & quod non erat, aſſumens, ut haberet, unde hominem lapſum redimeret, & pro eo ſatisfaceret Deo Patri. Ubi enim venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factum ſub lege, natum ex muliere, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem reciperent filiorum; ipſe namque factus nobis à Deo Sapientia, Juſtitia, Sanctificatio, & Redemptio, non per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium Sanguinem introivit ſemel in Sancta, æterna Redemptione inventa. Non enim corruptibilibus auro, & argento, ſed ſui ipſius Agni incontaminati, & immaculati pretioſo Sanguine nos redemit, quem in ara Crucis innocens immolatus, non guttam ſanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum, pro redemptione totius humani generis ſuffeciſſet, ſed copioſè, velut quoddam profluvium noſcitur effudiſſe; ita ut à planta pedis uſque ad verticem capitis, nulla ſanitas inveniretur in ipſo. Quantum ergo exinde, ut nec ſupervacua, inanis, aut ſuperflua, tantæ effuſionis miſeratio redderetur, Theſaurum militanti Eccleſiæ acquiſivit volens ſuis Theſaurizare filiis Pius Pater, ut ſic ſit infinitus Theſaurus hominibus, quo, qui uſi ſunt, Dei amicitiæ participes ſunt effecti. Quem quidem Theſaurum non in ſudario repoſitum, non in agro abſconditum, ſed per Beatum Petrum Cœli clavigerum, ejuſque ſucceſſores, ſuos in terris Vicarios commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum, & propriis, & rationabilibus cauſis, nunc pro totali, nunc pro partiali remiſſione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, tam generaliter quàm ſpecialiter (prout cum Deo expedire cognoſcerent) verè pœnitentibus, & confeſſis: miſericorditer applicandum. Ad cujus quidem Theſauri cumulum Beatæ Dei Genitricis, omnium Electorum à primo juſto, uſque ad ultimum merita, adminiculum præſtare noſcuntur; de cujus conſumptione, ſeu minutione, non eſt aliquatenùs formidandum, tàm propter infinita Chriſti (ut prædictum eſt) merita, quàm pro eo, quod quantò plures ex ejus applicatione trahuntur ad juſtitiam, tantò magis accreſcit ipſorum cumulus meritorum.* Hucuſque Clemens IV. hoc notato.

II. Suppono tamquàm certum de fide, ac definitum in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. in Decreto de indulgentiis*, dari etiam in Eccleſia Catholica poteſtatem diſpenſandi hunc 3
theſaurum per indulgentias ex illis Chriſti verbis, *Matth. 16. Quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum, & in Cœlis*, per quæ verba Chriſtus Dominus contulit B. Petro, & ejus in officio Succeſſoribus, Poteſtatem ſolvendi vincula peccatorum; ergo multò magis pœnarum temporalium ex culpis jam dimiſſis relictarum, per indulgentias; adeò ut ſolus ſummus Pontifex habeat poteſtatem concedendi indulgentias plenarias pro vivis, & pro defunctis jure ordinario ex *c. quod autem de pœniten. & remiſſ.* Epiſcopi verò ea jure communi poſſint *unius anni indulgentiam* concedere tantùm *in die Dedicationis templi, & 40. dierum in anniverſario dedicationis*, ac aliis temporibus, & tantùm pro vivis juxta *La Croix l. 6. p. 2. n. 1348.* quam poteſtatem utpote officio ſuo annexam, poſſunt etiam aliis delegare. Hoc ſuppoſito dicimus.

III. Indulgentia eſt *relaxatio pœnæ temporalis debitæ pec-* 4
*cato perſonali quoad culpam dimiſſo, per applicationem ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum, extra Sacramentum facta virtute Clavium.* Communiſſima Theologorum, explicatur: dicitur I. *Relaxatio pœnæ temporalis*, quia per indulgentiam non remittitur culpa, ſed pœna tantùm temporalis, reſtans hic in hac vita, vel ibi in purgatorio luenda. Etenim remiſſa culpa non ſemper remitti totam pœnam, patuit in Adamo, Davide, & aliis peccatoribus, & conſtat ex Concilio Trident. *ſeſſ. 6. Can. 30.* definiente: *ſi quis poſt acceptam juſtificationis Gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exſolvenda, vel in hoc ſæculo, vel in futuro in purgatorio, antequàm ad regna Cœlorum aditus patere poſſit, anathema ſit.* Dicitur II. *Debitæ peccato perſonali*, quia peccatum originale, ejuſque pœna remittitur per Baptiſmum. Dicitur III. *Per applicationem ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum* ut oſtendatur, iſtam relaxationem non eſſe omninò gratuitam, ſed habere annexam ſolutionem pœnæ æquivalentem. Additur IV. *Facta extra Sacramentum virtute clavium*, quia conceſſio indulgentiarum eſt actus juriſdictionis Eccleſiaſticæ (non ordinis) in foro externo, Papæ competens jure Divino: Epiſcopis verò, & aliis jure humano Eccleſiaſtico, videlicet ex conceſſione Papæ, ut veriùs docet *Suarez diſp. 55. ſect. 2. & Herincx de Sacramento Pœnitentiæ diſp. 4. q. 7. n. 59.* Ratio eſt, quia, juxta dicta in *Supplemento Theol. Decalogalis c. 1. ſect. 3. q. 1. n. 146.* Epiſcopi non habent poteſtatem legiſlativam Eccleſiaſticam jure Divino, ſed tantùm jure humano Pontificio: ergo nec habent jure Divino poteſtatem concedendi indulgentias, ſed tantùm Pontificio. Ex dictis

IV. Inferes contra Hæreticos, indulgentias, & indulgen- 5
tiarum uſum non eſſe noviter ab Eccleſia inductum, ſiquidem earum uſus in Eccleſia Chriſti ſit antiquiſſimus; nam Imprimis multi interpretes, & Theologi apud *Herincx, cit. n. 44.* docent, S. Paulum 2. *ad Corinth.* 2. dediſſe inceſtuoſo jam pœnitenti indulgentias, dum ait: *Nam, & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti.* Deinde ut ex probatis Auctoribus refert Bellarminus *l. 1. de Indulg. c.* 3. Earum poteſtatem etiam uſurpaſſe legitur Innocentius III. ante celebrationem Concilii Lateranenſis, concedens indulgentias plenarias pro auxilio terræ ſanctæ, & ante hunc *Paſchalis II.* in Concilio Lateranenſi, Anno 1116. concedens indulgentias quadraginta dierum iis, qui ad Concilium venerant, & ante hunc Gregorius VII. frequenter in ſuis Epiſtolis concedens indulgentias, & ante 800. Annos Sergius II. & anteà adhuc Leo III. (qui ſedere cœpit Anno 795.) Teſte S. Ludgero in Epiſtola, quam refert Surius *to. 2. die 5. Martii*, poſt vitam *S. Swiberti c. 9.* Indulgentias quoque in diebus ſtationum principaliter eſſe conceſſas à Gregorio Magno, teſtis eſt D. Thomas 4. d. 20. *q. 1. art. 3 quæſtiunc.* 2. Vide Bellarminum *ſuprà, & l. 2. c. 20.* & Suarez *d. 49. ſect.* 2. Denique numquid jam ante 500. annos fuit portentoſa illa *indulgentia S. Mariæ Angelorum ſeu portiunculæ*, à Chriſto conceſſa Seraphico Patri noſtro S. Franciſco, ſub ratihabitione, ſive Confirmatione Romani Pontificis, quæ pluribus miraculis fuit confirmata, & mirabili populorum concurſu uſque hodie ſtabilitur, de qua honorificam mentionem faciunt non tantùm probatiſſimæ Hiſtoriæ, ſed etiam ipſi Romani

Pon-

Pontifices, ut Alexander IV. Bulla; *Quia longum*. Benedictus XII. & alii. Plura de indulgentia portiunculæ dicentur *ſect*. 2. *ſeq*. cùm agemus de *Indulgentiis in ſpecie*.

### §. II. *Indulgentia dividitur in plenariam, & partialem*.

6 PAtet ex *extravagante*, *Unigenitus*, *de pœnitentia*, & *remiſſione* ſupra cit. ibi: *nunc pro totali*, *nunc pro partiali remiſſione pœna temporalis pro peccatis debita*, *tam generaliter*, *quàm ſpecialiter* (*prout cum Deo expedire cognoſcerent*) *verè pœnitentibus*, & *confeſſis*, *miſericorditer applicandum*. Itaque indulgentia *plenaria* eſt illa, quæ remittit totam pœnam temporalem ex peccatis omnibus quoad culpam jam dimiſſis reſtantem, & debitam. *Partialis* verò eſt, quæ tantùm partem hujuſmodi pœnæ remittit. Partialis alia vocatur *Carena*, *Quadragena*, *Quarantena*, quæ ſignificant indulgentiam 40. dierum, per quos debuiſſet aliquis agere Pœnitentiam in jejunio; alia vocatur *Septena*, per quam ſignificatur pœnitentia ſeptem annorum. Gobat *tr*. 4. *de indulgentiis*, *p*. 2. *c*. 4. *à nu*. 293. Alia dicitur indulgentia *dimidiæ*, *aut tertiæ partis peccatorum*, quæ nimirùm directè adfert condonationem dimidiæ partis pœnitentiæ, quam in hoc mondo, juxta SS. Canones Pœnitentiales (qui habentur in fine decreti Gratiani) aliquis deberet agere, pro expiatione integra ſuorum peccatorum: indirectè autem infert condonationem dimidiæ partis pœnarum, quas in purgatorio quis ſufferre deberet. Idem proportionaliter dicendum de indulgentia tertiæ, aut quartæ partis peccatorum. Vide Suarez *tom*. 4. *diſp*. 50. *ſect*. 5. *n*. 22. & Bellarminum *de indulgentiis l*. 1. *c*. 9. Quare cùm datur indulgentia *Carena*, *Septena* &*c*. Senſus eſt, per illas indulgentias tantas purgatorii pœnas expiari, quantæ expiarentur, ſi quis actu ſubiret illam *Carenam*, *Septenam* &*c*. Circa indulgentiam Plenariam &
7 partialem quatuor adhuc dicenda reſtant, videlicet.

I. Etſi veriſimile ſit, ob Auctoritatem *extravag*. *Antiquorum*, *de pœnit*. & *remiſſion*. in qua dicitur: *non modo plenam* & *largiorem*, *imo pleniſſimam omnium ſuorum concedimus veniam delictorum*; olim fuiſſe diſtinctionem inter *plenam*, *pleniorem* & *pleniſſimam* indulgentiam, ita ut per duo priora vocabula non fuerit tam multùm ſignificatum, quàm per poſtremum; modernus tamen ſtylus Curiæ Romanæ, plurimorum jam annorum uſu, & plerorumque Sapientum judicio, Auctoritateque roboratus, docet, per indulgentiam *plenariam* idipſum deſignari, quod per *pleniſſimam*, ita ut quoties datur indulgentia plenaria, toties jam cenſeatur dari, & fieri relaxatio omnium pœnarum, quas quis in purgatorio luere deberet. Ita teſtatur Sotus *in* 4. *diſt*. 21. *q*. 2. *art*. 1. Corduba *qu*. 11. Suarez *tom*. 4 *diſt*. 50. *ſect*. 4. Bonacina, Toletus, Lugo, Bellarminus, aliique propè omnes apud Gobat *cit*. *c*. 2. *nu*. 273. quorum nonnulli cum Suarez aiunt, pleniſſimam à plenaria fortè in eo differre, quod pleniſſima detur majore ex cauſa, quàm plenaria. Similiter *indulgentia inſtar Jubilæi*, *in forma Jubilæi*, *vel per modum Jubilæi* non deſignat, niſi tantùm indulgentiam plenariam ſine tamen annexa facultate abſolvendi à reſervatis, commutandi vota &c. quæ aliàs conceditur in Jubilæo, adeòque indulgentia inſtar Jubilæi, in forma Jubilæi, vel per modum Jubilæi, non diſtinguitur ab indulgentia plenaria: quod *Gobat in ſuo Quirinario tr*. *de Jubilæo*, *c*. 7. & *tr*. 4. *de indulgentiis*, *p*. 2. *c*. 5. probat multis rationibus, videndis apud ipſum, cui aſſentiuntur etiam Suarez *tom*. 5. *in* 3. *part*. *d*. 7. *ſect*. 5. *n*. 7. Diana, Cotonius, Navarrus, Leſſius, Viva, La Croix &c. ideò tamen ſummi Pontifices ſubinde aliquam indulgentiam plenariam vocant inſtar Jubilæi, vel in forma Jubilæi &c. ut oſtendat majorem non effectus, ſed affectus, & cauſæ abundantiam, atque ut in fidelibus majorem lucrandæ indulgentiæ curam, majoremque ex ea conſolationem excitent.

8 II. Quando quis perficit opera pro lucranda indulgentia plenaria præſcripta, & nihilominus retinet affectum ad unicum peccatum veniale: talis acquirit remiſſionem omnium pœnarum pro aliis peccatis quoad culpam dimiſſis debitarum, excepta pœna, quæ debetur peccato veniali, ad quod quis retinet affectum. Ita Gobat *tr*. 4. *de indulgentiis*, *p* 2. *c*. 2. *n*. 278. Ratio eſt, quia, cùm hoc peccatum veniale non ſit dimiſſum quoad culpam, eo ipſo, quod habeatur affectus ad illud, ideò nequit etiam pœna ei debita remitti, pœnæ tamen aliorum peccatorum omnium jam quoad culpam dimiſſorum remittentur: tum quia voluntas Principis non debet fruſtrari, *c*. *in his*, *de privilegiis*, tum quia in dubio potiùs eſt accipienda præſumptio, ut actus ex parte valeat, quàm ut penitus pereat *L*. *quoties* 2. *ff*. *de reb*. *dubiis*. Igitur talis, de quo loquimur, potiretur indulgentia plenaria in ſenſu accomodo. Verùm

III. Hic oritur Quæſtio non ſpernenda, ſi per indulgentiam plenariam remittitur omnis pœna peccatis debita, cur plenariæ additur non raro alia partialis? Reſp. cum *Gobat c*. *num*. 275. ac Suarez ab ipſo citato, quod quando hoc ſit, dici debeat, quod vel ſint diverſi indulgentiarum largitores, nimirum unus indulgentiæ plenariæ, & alter indulgentiæ partialis, vel ſi ſit unus concedens ſimul utramque indulgentiam, illos dies, vel annos indulgentiæ partialis, additos indulgentiæ plenariæ, concedi, ut poſſint per modum ſuffragii applicari aliis, quod utrumque docet etiam *Palaus*, & *Sanctarellus de Jubil*. *c*. 15. *dub*. 9. citans *Pirellum*, vel cum Reginaldo *n*. 149. poſt *Cordubam*, & *Valentiam*, illam additionem fieri ad cautelam, ut ſcilicet ſimus certi, cauſam indulgentiæ eſſe ſufficientem ſaltem ad acquirendam illam partialem, ſi non totalem. 9

IV. Quando in conceſſione indulgentiæ partialis, conceditur indulgentia 100. *vel* 100. *dierum aut annorum*, per hos non ſignificatur mora temporis futura in purgatorio, quia ſubinde conceduntur 10000. aut 20000. vel 30000. anni indulgentiarum, ut infrà patebit de indulgentiis ſtationum per quantum tamen tempus purgatorium vix durabit, ſed per iſtos dies, & annos intelliguntur dies, & anni earum pœnitentiarum, quæ juxta antiquam primitivæ Eccleſiæ conſuetudinem, pœnitentibus a Confeſſariis, ex præſcripto ſacrorum Canonum Pœnitentialium, debebant in foro ſacramentali injungi. Pro meliori horum intellectu; ſciendum à Summis Pontificibus, & à Sanctis Patribus ſancitos fuiſſe aliquos Canones, qui *Pœnitentiales* vocantur, ſecundùm quos Confeſſarii in primitiva Eccleſia peccata graviora debebant in foro ſacramentali plectere; in quibus valdè gravis pœnitentia imponebatur. Adduco tantùm unum, vel alterum. Canon Pœnitentialis decimus eſt: *quod qui coierit cum brutis*, *pœniteat pluſquàm ſeptem annis*, & *ſimiliter pro inceſtu*. Duodecimus eſt, *quod*, *qui votum ſimplex violaverit*, *pœniteat tribus annis*. Decimus quartus eſt, *quod homicida voluntarius ſine ſpe reſtitutionis deponitur*, & *pœniteat ſeptem annis*. Vigeſimus eſt, *quod perjurus* 40. *diebus in pane*, & *aqua jejunet*, & *ſeptem annis ſequentibus pœniteat*, & *ſemper debeat eſſe in pœnitentia*, *ſcilicet interiori*. Reliqui videri poſſunt in Jure Canonico poſt Decreum Gratiani. Jam igitur, quando datur indulgentia 40. vel 100. dierum, vel annorum, per diem, vel annum, ſignificatur dies, vel annus ſatisfactionis pœnitentialis in hac vita, ſecundùm prædictos Canones Pœnitentiales imponendæ pro peccatis, ita ut ſenſus ſit; tantam pœnam per indulgentiam 40. vel 100. dierum, aut annorum remitti, quanta dimitteretur per 40. vel 100. dies, aut annos pœnitentiæ in hac vita juxta Canones Pœnitentiales peractæ. Ita cum communi noſter Maſtrius *Theol*. *Moral*. *diſp*. 23. *qu*. 2. *art*. 2. Gobat *tr*. 4. *de indulgent*. *part*. 2. *cap*. 3. *num*. 283. citans Coninch. Bellarminum, Tannerum: Layman *lib*. 5. *tract*. 7. *cap*. 3. Ex quibus patet, malè ſibi conſulere eos, qui ad ſolas indulgentias plenarias attendunt, neglectis dierum, aut annorum indulgentiis, cùm per has tot, & tantæ pœnæ remittantur. 10

### §. III. *In perpetuam*, & *temporalem*,

AC etiam *indefinitam*: ſiquidem indulgentia tribus modis concedi ſolet: aliquando expreſsè in perpetuum aliquando ad certum tempus, & aliquando indefinitè, nulla temporis, vel durationis mentione facta. Quando indulgentia conceditur duobus modis prioribus, conveniunt Doctores durare tantùm pro tempore aſſignato expreſsè in forma indulgentiæ, quia, ut omnes pariter docent, *indulgentia tantùm valet*, *quantum forma conceſſionis*, & *Bulla ſonat*, unde indulgentia *perpetua* eſt, quæ ſemper durat, nec expirat expirante concedente, quia cùm ſit privilegium, cum morte concedentis non expirat: *Temporalis* verò eſt, quæ eſt ad certum tempus limitata, quo elapſo ceſſat. Denique circa *indulgentiam indefinitè conceſſam*, ſeu ſine limitatione temporis, Scholaſtici *in* 4. *d*. 20. & Summiſtæ verbo *indulgentia*, ut Sylveſter, Angelus, & alii docent, intelligendas eſſe perpetuas, ut indulgentiæ Religionibus Regularium conceſſæ, vel Congregationibus, quæ ſucceſſione continua permanent. Ratio eſt, tum quia indulgentia eſt favor, & beneficium, ergo eſt amplè interpretanda, tum quia non eſt major ratio, cur indulgentia indefinitè conceſſa pro tanto tempore intelligenda ſit, & non pro majori. Hanc tamen addunt limitationem, niſi adſit aliqua lex, & regula Apoſtolica limitans, vel declarans, & terminans indulgentias hujuſmodi indefinitè conceſſas, quia tunc præſumitur Pontifex indulgentiam concedere juxta conſuetum Curiæ ſtylum, ut advertunt Navarrus, Henriquez, & Faber apud *Maſtrium cit*. *art*. 1. *n*. 22. 11

Digitized by Google

### §. IV. *In Perſonalem, Realem, & Localem.*

12 I. PRo hujus diviſionis intelligentia prænotandum, quòd ſoli homines ſint capaces indulgentiarum, quæſt. ſeq. ampliùs dicetur, & ideò, quando indulgentiæ conceduntur locis, & aliis rebus, quàm hominibus, reverà non conceduntur iſtis rebus, aut locis, utpote indulgentiarum incapacibus, ſed conceduntur hominibus, mediantibus tamen illis locis, & rebus, quatenùs ſcilicet conceduntur fidelibus in illis locis orantibus, vel ejuſmodi res geſtantibus, & bonum opus exercentibus, itaque Indulgentia *Perſonalis* eſt illa, quæ directè conceditur perſonæ, aut individuæ, & particulari, aut communi, & generali, ut toti Religioni, aut communitati, idque vel in perpetuum, vel ad tempus, & quando indulgentia indefinitè conceditur Perſonis, non exprimendo certum genus Perſonarum, ad omnes, & ſingulos extendi cenſeri debet tam ſæculares, quàm regulares. Indulgentia *Localis* eſt, quæ alicui pio loco conceditur ad ejus devotionem augendam, in ordine ad Perſonas, in tali loco orantes, vel aliquod pium opus exercentes, ut patet de indulgentiis Romæ principalibus Eccleſiis conceſſis. Indulgentia tandem *Realis* eſt quæ conceditur rebus, videlicet numiſmatibus, imaginibus, Roſariis, Crucibus, Agnis Dei &c. Unde hæc indulgentia ferè coincidit cum locali, & ſolùm differt ab ea, quod hæc videlicet realis concedatur alicui rei mobili in ordine ad homines, ut ſunt imagines, numiſmata, &c. & quando Pontifex his rebus immediatè indulgentiam applicat, tunc illæ ſolùm, & non aliæ indulgentiam continebunt: Unde non licet privata auctoritare illius, cui indulgentia conceditur, illam ad alias imagines, vel numiſmata transferre, ſicuti privata auctoritate non licet indulgentiam uni templo conceſſam, in aliud etiam eidem Sancto dicatum transferre, Maſtrius *cit. num.* 23. Circa indulgentiam localem, & realem adhuc quædam dubia reſolvenda reſtant. Itaque dico:

13 II. Indulgentia Eccleſiæ conceſſa extenditur etiam ad ejus cœmeterium: ita Suarez, Diana, Amicus, & alii apud *Maſtrium citatum num.* 23. Ratio eſt, quia in favorabilibus ſub nomine Eccleſiæ, vel templi comprehenditur etiam cœmeterium. Unde quando indulgentia conceditur viſitanti, & oranti in Eccleſia, ſufficit, ſi ante, vel prope eam oretur in cœmeterio. Rectè tamen P. Layman *lib.* 5. *tract. cap.* 5. *num.* 4. docet, hoc non eſſe practicandum extra caſum neceſſitatis, quia in lucrandis indulgentiis illud eſt operandum, quod tutius, & ſecurius eſt. Quare ſi viſitantibus Eccleſiam indulgentia conceſſa ſit, & aliqui ob hominum multitudinem ingredi non poſſent, ſufficeret eis foris ſtare, & orationem injunctam perficere juxta Rodriquez *part.* 5. *Sum. cap.* 174. *numer.* 6. Suarez *diſp.* 52. *sect.* 1. *nu.* 7. quia moraliter rem æſtimando, tales Eccleſiam viſitant, quando præſentiam ſuam exhibent, quatenùs poſſunt. Idem docent Lugo, & Bonacina apud Gobat *tract.* 3. *de Jubilæo*, *cap.* 20. *num.* 129. qui *num.* 130. ſubjungit; quando indulgentia conceditur viſitantibus tria, vel quinque Altaria alicujus Eccleſiæ, tunc non ſufficit orare extra Eccleſiam, vel in cœmeterio ad eam lucrandam, quia moraliter loquendo dici non poteſt, quòd hujuſmodi extra Eccleſiam exiſtens viſitet Altaria in Eccleſia exiſtentia, ſed Eccleſiam ingredi debet, ut in ea Altaria viſitet. Addit noſter Portel. *in dubiis Regularibus verſ. Indulgentia*; *in Additione num.* 8. quando conceditur indulgentia aſſiſtentibus Divino Officio in Eccleſia, eam lucrari exiſtentes in Atrio templi, ſi non poſſint intrare: Nam exiſtentes in Atrio habent aſſiſtentiam moralem, & ſufficientem ad ſatisfaciendum præcepto de Miſſa audienda, inquit *Portel. cit.* qui tamen (*an conſequenter, judicent alii*) *eodem numero.* infert, quòd quando indulgentia concedit aliquid illi, qui intraverit Eccleſiam, & ibi oraverit: ſi præ turba, intrare nequeat, puto, quod non percipiet indulgentiam, quia verba indulgentiæ non ſunt ample, ſed ſtrictè interpretanda, cùm indulgentia ſit quid pertinens ad odioſum Legis, ut tenet *Navarrus tract. de Jubilæo, notab.* 9. *numero nono.* In cujus confirmationem affert Portel. quod ſieri vidit ipſemet in illa parva Eccleſia portiunculæ Aſſiſii: ubi conceditur indulgentia intranti illam ſecunda die Auguſti. Hæc enim cùm parva ſit quaſi ſacellum, cùm unam tantùm portam haberet tempore Sancti Patris Noſtri Franciſci, poſteà creſcente populi multitudine, pro ea lucranda, altera porta in latere Sacelli aperta eſt, ut populus intraret, & ſtatim exiret, ne ob defectum ingreſſus privaretur quis tali indulgentia.

Denique quando pro aliqua indulgentia conſequenda præſcribitur viſitatio trium, aut quinque Altarium, non ſufficit præciſè eſſe in templo, in quo ſunt ea Altaria, & animo converti ad illa, ſed requiritur, ut aliquo geſtu, vel converſione capitis, aut corporis, ſignifices converſionem ad ſingula Altaria: nam exigitur viſitatio ſenſibilis, hoc eſt, talis actio, quæ exterius ſignificet orationem, aut alium actum Religioſum fieri, ad tale Altare, ut ratiocinatur Lugo apud *Gobat citatum num.* 131. loquens etiam de illo, qui eſt in medio templi. Nec ſufficit ejuſmodi converſio, & motus corporis, niſi ſis in eo loco, aut ſitu, ut moraliter cenſeri poſſes orare ad quodlibet ex illis Altaribus; nam aliter nemo diceret, viſitari a te illa Altaria.

III. An *diruto templo, vel Eccleſia pereat indulgentia* 14 *ipſi conceſſa?* Communis eſt Reſponſio. 1. Si Eccleſia non totaliter deſtruatur, ſed tantùm per partes, & reædificetur, indulgentiæ remanent, quia cenſetur adhuc eadem moraliter Eccleſia permanere: 2. Si Eccleſia diruta non iterum ædificetur, locus privatur indulgentia: cùm non loco ſimpliciter, ſed Eccleſiæ conceſſa fuerit. 3. Si Eccleſia totaliter deſtruatur, & de novo reædificetur Eccleſia in eodem loco retinet indulgentiam, ſicuti, & alia privilegia: quippe cùm moraliter eadem Eccleſia cenſeatur, ſicuti docet Suarez *diſp.* 52. *sect.* 1. *num.* 8. Layman *cit. nu.* 5. limitat tamen Innocentius *in cap.* 2. *de novi operis nuntiatione*, Gloſſa *in Reg.* 7. *in* 6. Niſi Superioris auctoritate deſtruatur in pœnam delinquentium; tunc enim omnibus privilegiis ſpoliari cenſetur, ut iterum ei expreſsè, ſeu tacitè conferenda ſint, ſi de novo ædificetur. 4. Id verò non eſt improbabile, atque in praxi ſervari ſolet, quod Innocentius ibidem docet, & Ludovicus Bononius *in tractatu de Indulgentiis num.* 79. Si Eccleſia auctoritate ſuperioris tali pacto deſtrui curetur, ut ſub eodem titulo, & Patrono, in alium locum transferatur, etiam indulgentias, & alia privilegia ejus transferri, quod etiam docuit Gloſſa *in Regula Juris* 7. *in* 6. Antoninus *part.* 2. *tit.* 19. *ca.* 1. §. 2. Suarez *lib.* 8. *de Legibus cap.* 5. *in fine*, qui benè idſea- plicat, transferri privilegia, una cum Eccleſia, ſi conceſſa ſint, non ratione ſitus, aut loci, ſed abſolute Eccleſiæ ſub proprio nomine, ac titulo ſuo; aliud eſt de indulgentia reali conceſſa, v. gr. Roſario, quod, ſi deſtruatur, perit indulgentia. Ratio diſparitatis eſt, quia templum natura ſua perpetuum eſt, nec facile deſtrui poteſt; ideo de mente Superioris indulgentia cenſetur adhuc extendi ad tale templum, etiam, poſtquam deſtructum, & noviter reædificatum eſt. Roſarium verò, Crux, & ſimilia realia ſunt de facili deſtruibilia, adeóque ſi deſtructa ſint, etiamſi reparentur, tamen erit amiſſa indulgentia, in quo caſu

IV. Sunt aliqua notanda circa indulgentiam realem ex 15 P. Gobat *tract.* 4. *de Indulgentiis cap.* 14 *à nu.* 378. 1. Communis opinio Doctorum eſt, deſtructa re, in qua erat indulgentia, perire ipſam indulgentiam. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *parte diſp.* 57. *sect.* 2. *num.* 81. & Lugo *diſp.* 27. *num.* 150. Ratio eſt, quia pereunte ſubjecto, perit accidens illi inhærens, quale accidens morale eſt indulgentia reſpectu rei, cui inhæret: ergo hac pereunte, perit, & ipſa. 2. Indulgentiæ affixæ Roſario nihil officit fractio chordæ, ſeu funiculi, quia mutatio chordæ non facit, ut Roſarium ſit ullo modo mutatum moraliter. Similiter nihil obeſſe videtur, etſi penitus frangatur crucula Roſarii, aut etiam ſexta circiter pars granorum, ſaltem ſi alia ſubſtituuntur. Nam cenſetur nihilominùs idem moraliter Roſarium. 3. Etſi frangatur ſuperior pars, ſeu fibula medalii, ita ut non poſſit ampliùs ſuſpendi ea Roſario, non tamen perit indulgentia medalio conceſſa, quia non eſt moraliter mutatum & ſaltem ratione imaginis illi inſculptæ adhuc inſervire poteſt ad uſum Religioſum. 4. Si ſimplicis Crucis pars recta, aut tranſverſa ita frangatur, ut, quod infractum manet, repræſentet adhuc Crucem, non videtur interiiſſe indulgentia, quia nihilominùs id, quod reſtat, poteſt ſecundùm morem Eccleſiæ inſervire ad uſum propriæ dictæ Crucis. Si verò ita frangatur, ut non ampliùs referat ſpeciem Crucis, perit Indulgentia, quæ tamen reditura videtur, ſi partes fractæ denuò copulentur. Quod etiam dicendùm videtur de imagine per medium fiſſa, aut ſciſſa, iterumque compacta. 5. Si Roſarii dimidia pars confringatur, indulgentia non remanet in parte integra, quia alias, ſi media pars non eſſet confracta, ſed amiſſa, etiam in hac dimidia parte amiſſa remaneret indulgentia, & conſequenter ea uno Roſario poſſem facere duo Roſaria, quorum ſingula ſint verè affecta indulgentiis; quod tamen haudquaquam licèt, cum pro toto Roſario ſit conceſſa tantùm unica indulgentia. Ob quam etiam rationem dicendum, quòd quando Papa concedit Agnis Dei, ſeu Orbiculis cereis benedictis indulgentias, ſi poſteà iſti Orbiculi

fran-

frangantur, non quælibet pars habeat Indulgentias, licèt adhuc quælibet pars maneat benedicta, ita *Gobat capit.* 14. Denique ut aliquis ſive ſanus, ſive moribundus lucretur indulgentias conceſſas Roſariis, Medaliis, Crucibus, &c. debet Roſarium, Medalium, Crucem ſecum habere, ſecum portare, penes ſe habere: non tamen opus eſt, manibus tenere non Indulgentia affectam. *Gobat cit. cap.* 12. *n.* 370. Sic enim volunt Bullæ concedentes ſimiles indulgentias, in omnibus autem tenor Bullæ attendendus eſt. Hic faceſſunt negotium indulgentiæ conceſſæ *Roſariis Birgittanis*: de quibus infrà ne indulgentiis in ſpecie, in quarum conceſſionis Bulla, conceditur indulgentia iis, *qui per, & ſuper Roſaria S. Birgittæ devotè oraverint.* Non videtur autem, quomodo aliquis poſſit *per, & ſuper Roſaria ſimilia orare*, niſi quis ea manu teneat, niſi fortè quis dicat, etiam maneum, ſeu manibus mutilum poſſe per, & ſuper ipſa orare, & lucrari indulgentias ipſis conceſſas.

16 Petes: *Quid nomine Roſarii, Coronæ, aut Pſalterii intelligatur in Bullis Indulgentiarum.*

Reſpondeo: Quando dicitur, talem, vel talem indulgentiam concedi recitantibus *Roſarium*, per *Roſarium* abſolutè prolatum intelliguntur 50. ſalutationes Angelicæ, & 5. Pater Noſter, niſi aliter exprimatur à Summo Pontifice aut ex circumſtantiis aliud colligatur. Per *Pſalterium Beatiſſimæ Virginis* intelliguntur 150. ſalutationes Angelicæ, & 15. Pater Noſter. Per *Coronam Chriſti Domini:* intelliguntur 33. Pater Noſter, & totidem Ave Maria, in honorem annorum, quibus Chriſtus vixit inter mortales. Per *Coronam Dominæ Noſtræ, ſeu Beatiſſimæ Virginis* intelliguntur 72. Ave Maria, & 8. Pater Noſter. Quando Nomen *Corona* ſimpliciter, & ſine addito ponitur in Bullis indulgentiarum poteſt accipi tam pro Corona Chriſti Domini, quàm Beatiſſimæ Virginis, ita Gobat *tract.* 4. *de indulgentiis p.* 2. *cap.* 15 id probans ex Navarro, Caſarubio, & aliis: ubi etiam *n.* 408. ait, quòd qui tenetur ex voto, aut pœnitentia ſacramentali, vel pro benefactoribus Religionum recitare Roſarium, ſatisfaciat recitando 50. ſalutationes Angelicas, & 5. Pater noſter, niſi aliud, vel ex circumſtantiis, vel ex intentione voventis, aut Confeſſarii colligatur.

## Q U Æ S T I O I.

*Quis poſſit Indulgentias concedere, & lucrari, & quid ad eas lucrandas requiratur?*

### S U M M A R I U M.

18 *Ad valorem indulgentiæ requiritur legitima poteſtas eam concedendi:*
19 *Quam habet Summus Pontifex pro omnibus fidelibus,*
20 *Ac etiam Epiſcopi pro ſuis Diœceſanis.*
21 *An eam habeant etiam Regulares?*
22 *Ad concedendas indulgentias requiritur cauſa juſta.*
23 *Indulgentias lucrari poteſt ſolus Homo baptizatus,*
24 *Non excommunicatus.* 25 *ſubditus concedentis indulgentias.* 26. *& debitor pœnarum temporalium.*
27 & 28 *Ad lucrandas indulgentias requiritur ſtatus gratiæ.*
29 *An adeptus per Confeſſionem?*
30 *Item intentio eas lucrandi?* 31. *& qualis?*
32 *Et Impletio operum pro iiſdem lucrandis præſcriptorum.*
33 *Quæ opera debebunt impleri integrè; &*
34 *Ultimum ſaltem eſt in ſtatu gratiæ.*
35 *Quid dicendum, ſi opera fiant cum peccato veniali?*
39 *An opera debeant fieri ab eo, qui lucraturus eſt indulgentias?*

## A S S E R T I O II.

17 *SUmmus Pontifex poteſtatem habet concedendi indulgentias omnibus Chriſti fidelibus, Epiſcopi verò tantùm ſuis Diœceſanis, cùm cauſa tamen rationabili, & quantitati indulgentiæ proportionata, Indulgentias lucrari poteſt homo baptizatus, non excommunicatus, ſubditus concedentis indulgentias, & debitor pœnarum ex peccatis jam dimiſſis quoad culpam reſtantium. Ad eas lucrandas requiritur ſtatus gratiæ, intentio eaſdem lucrandi, & impletio operum pro iiſdem lucrandis præſcriptorum.* Communiſſima apud Layman, Maſtrium, Herinex, Gobat, La Croix & alios.

### §. I. *Indulgentias concedere poteſt Summus Pontifex, & Epiſcopi, Jure Ordinario.*

18 SUppono, ad valorem indulgentiarum requiri ex parte concedentis legitimam poteſtatem ſpiritualem juriſdictionis juxta ſuprà dicta numero 4. Ratio eſt, quia conceſſio indulgentiarum eſt actus juriſdictionis, cùm diſtributio bonorum communium ſpectet ad illum, qui præeſt communitati, adeòque qui legitima præditus eſt poteſtate: atqui indulgentiæ ſunt, & dantur ex bonis communibus Eccleſiæ: ergo debent diſtribui ab eo, qui habet poteſtatem ſpiritualem juriſdictionis in Eccleſiæ membra, ſeu fideles, quales ſunt Eccleſiæ Prælati. Itaque

19 II. Summus Pontifex, accepta à Chriſto facultate, adeòque jure Divino indulgentias ex rationabili cauſa, fidelibus omnibus totius orbis concedere poteſt, ita Clemens VI. *in extravag. Unigenitus*, de *Pœnitentia, & remiſſione, quæ præced. num.* 2. in terminis formalibus adducta: item Doctores Seraphicus S. Bonaventura, Angelicus D. Thom. Irrefragabilis noſter Alexander Alenſis, & Communiſſima, ac certa apud Layman *libr.* 4. *tract.* 7. *cap.* 4. *num.* 1. Patet ex illis Verbis Chriſti, *Matth.* 16. *ad* Sanctum Petrum dictis, *Quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis*, & ſuprà num. 3. explicatis; eſtque hæc poteſtas in ſummo Pontifice Ordinaria, & ita quidem, ut illi competat ante ſuam Conſecrationem; eſt quippe poteſtas juriſdictionis, non autem ordinis. Lugo citatus à Gobat *tract.* 4. *de Indulg. p.* 1. *cap.* 6. *num.* 54. Inſuper ſolus ſummus Pontifex poteſt concedere indulgentias, pro vivis, & pro defunctis: unde nec Concilium Generale ſine Papa, ſive hic vivat, ſive ſit mortuus, habet talem poteſtatem: Suarez, Layman, Bellarminus *lib.* 1. *cap.* 11. Diana *p.* 10. *tr.* 6. *R.* 12. cum communi. Ratio eſt, quia ſecundùm dicenda qu. ſeq. Indulgentiæ pro defunctis applicantur per modum ſolutionis, offerendo pretium ex Theſauro Eccleſiæ: ſolus autem Papa habet Claves Theſauri Eccleſiæ. *La Croix libr.* 6. *parte* 2. *numer.* 1316. *&* 1348.

20 III. Epiſcopi habent limitatam poteſtatem concedendi indulgentias, ordinariam quidem, ideſt, ex vi proprii muneris, & à jure communi annexam ſuo officio, attamen delegatam à Papa, ut habet communior cum Suarez, Molina, Bellarmino apud *La Croix cit. num.* 1319. Item Barboſa *de poteſtate Epiſcopi alleg.* 88. & in dedicatione quidem Eccleſiæ poteſt Epiſcopus dare indulgentias unius tantùm anni: In Anniverſariis verò dedicationis, & aliis etiam caſibus, 40. tantùm dierum, etiam in perpetuum, ideſt, recurrentes omni anno. Leſſius *in Auct. V. Indulgentia, Caſu* 1. Poteſt autem Epiſcopus concedere indulgentias pro ſuis tantùm ſubditis, licet extra Diœceſim exiſtentibus, & tantùm per modum abſolutionis, adeòque ſolis vivis, poſſuntque Epiſcopi hanc poteſtatem, cùm ſit ordinaria, alteri delegare, *Lugo, Viva, La Croix num.* 1320. Quòd dictum de Epiſcopis, valet etiam de Archiepiſcopis reſpectu totius Archi-Diœceſis, cujus ſubditis, etiam extra tempus viſitationis, poteſt ſimili modo concedere indulgentias. *Barboſa ſuprà.* Nuntius Apoſtolicus poteſt ſubditis ſuæ Nuntiaturæ pro quocumque pio opere concedere centum aut plurium dierum indulgentias, attamen ſemper minùs, quàm annum, templo, vel cappella poteſt dare indulgentias ſeptem annorum, & ſeptem Quadragenarum &c. vide *La Croix num.* 1322.

21 Prælati Epiſcopo inferiores, quamvis in cæteris habeant poteſtatem, quaſi Epiſcopalem, non poſſunt jure ordinario concedere indulgentias, cùm id nullibi concedatur. Multò minùs Parochi, vel Confeſſarii. *Bellarminus, & Barboſa ſuprà.* Cùm tamen conceſſio indulgentiarum non ſit actus Ordinis, ſed juriſdictionis, ideò poteſtas concedendi indulgentias poteſt ipſis, imò cuivis ſimplici Clerico delegari. *Dominicus Viva de Jubilæo quæſt.* 15. *art.* 4. Et ita Leo X. Provincialibus noſtris, & Gregorius XIII. Viſitatoribus Societatis Jeſu dedit facultatem concedendi Religioſis plenariam indulgentiam peracta viſitatione Conventus. Idemque eſt de Monialibus S. Claræ, & Tertiariis in Congregatione viventibus. Ita *La Croix lib.* 1. *nu.* 861. & Noſter *Herincx p.* 4. *diſp.* 4. *de Sacramento pœnitentiæ, q.* 7. *n.* 61. qui addit, quòd Alexander IV. conceſſerit, ut Fratres Minores, in quibuſcunque Eccleſiis, vel locis prædicaverint, poſſint ſuis Auditoribus dare indulgentias 40. dierum, *Nomine Papæ*, quando poſt Concionem dicunt; *Indulgentiam &c.* imò multo majores ex conceſſione variorum Pontificum, eos concedere poſſe, refert Collector noſtrorum Privilegiorum *V. Indulgentiæ, quoad ſeculares*, & ex eo Hieronymus Rodriquez *reſol.* 77. *num.* 57. Neque hujuſmodi indulgentiæ ſunt revocatæ per Paulum Quintum, qui revocavit indulgentias ante illud tempus Regularibus conceſſas. Nam loquitur de conceſſis ſpecialiter iiſdem Regularibus, & immediatè per ipſos Pontifices; non autem de Privilegio, ſeu facultate concedendi Indulgentias, aut de Indulgentiis indifferenter concedentibus etiam cæteros Chriſti fideles. Monet tamen

Digitized by Google

men noſter P. Gaudentius Kerckhove *in ſtatuta noſtra Generalia cap. 7. §. 5. n. 23.* Prædictas Indulgentias in his partibus è Cathedra non eſſe concedendas; quia hic non ſunt in uſu, & de facili turbarentur Epiſcopi ac Parochi, & commoverentur populi. Nihil tamen obſtabit, ſi Frater Minor, dum poſt prædicationem Verbi Divini dicit: *indulgentiam* &c. formet intentionem hiſce verbis, nomine Papæ, concedendi ſuis Auditoribus Indulgentias, quaſcumque poteſt.

22 IV. Ut tamen validè concedatur Indulgentia, etiam à Summo Pontifice, requiritur cauſa rationabilis, & quantitati Indulgentiæ proportionata. Patet ex citata *Extravag. Unigenitus, de Pœnit. & Remiſſ.* Ubi Clemens VI. inquit, *Chriſtum Eccleſiæ Theſaurum per ſuos Vicarios reliquiſſe diſpenſandum ſalubriter, & rationabilibus cauſis.* Ratio eſt: quia Papa non eſt Dominus Theſauri Eccleſiaſtici, ſed ſolùm diſpenſator, ex cit. *Extravag. Unigenitus*, & quidem *in ædificationem, & non in deſtructionem*, 2. *Cor.* 10. foret autem in deſtructionem, ſi abſque ulla rationabili cauſa diſpenſaret. Argum. c. *Cùm ex eo de Pœn. & Remiſſ.* ubi dicitur: *Quia per indiſcretas, & ſuperfluas indulgentias, quas quidam Eccleſiæ Prælati facere non verentur, & claves Eccleſiæ contemnuntur, & Pœnitentialis ſatisfactio enervatur.* Inſuper illa juſta cauſa, quæ requiritur ad valorem Indulgentiæ, debet eſſe diſtincta à generali cauſa finali Indulgentiarum, quæ eſt, ut in promptu habeamus, unde pro peccatis noſtris DEO ſatisfaciamus. Ita docent Omnes Theologi teſte Cardinale de Lugo, apud *Gobat cit. c. 7. n. 87.* Ratio eſt: quia ſi ad valorem Indulgentiæ non requireretur alia cauſa, quàm ut per indulgentiæ acquiſitionem habeant Chriſtiani, unde pro ſuis peccatis ſatisfaciant, ſequitur, quòd Pontifex poſſit ſingulis, ut ita dicam, momentis, omnibus Chriſtianis in ſtatu gratiæ conſtitutis, remittere omnem reatum pœnæ debitæ pro peccatis quibuſcumque dimiſſis, & quòd itidem poſſit ſingulis momentis evacuare totum purgatorium: atqui hoc utrumque eſt alieniſſimum ab opinione, & perſuaſione fidelium, nominatim S. Thomæ *in 4. diſt. 45. qu. 2. art. 2:* Docet denique Maſtrius *Theolog. Moral. diſp. 23. qu. 3. art. 1. num. 40.* cum communiori, & probabiliori Sententia S. Bonaventuræ, Cajetani, Suarez, Amici, & aliorum paſſim, cauſam ad valorem indulgentiæ requiſitam debere etiam quantitati indulgentiæ proportionatam eſſe. Ratio eſt: quia ſi ad indulgentiam valide concedendam cauſa proportionata non requireretur, poſſet concedi indulgentia plenaria omnibus, qui ſemel tantùm recitaverint Ave Maria, quæ indulgentia in maximum Eccleſiaſticæ diſciplinæ detrimentum cederet; nam per iſta duo Verba liberarentur ab omnibus pœnis ac pœnitentiis tàm in hac vita, quàm in futura debitis. Deinde ſequeretur contra *cit. cap. cùm ex eo*, nullam fore indulgentiam indiſcretam, & ſuperfluam, cùm nulla ſit, quæ aliquam cauſam piam non habeat, ſi non proportionatam, ſaltem improportionatam. Monet tamen *Maſtrius cit. num.* 44. quòd ſubditi in hac re non debeant temerè judicare, Papam ex irrationabili cauſa dediſſe indulgentias, & valdè periculoſum eſſe, quaſcumque indulgentias, ex quibuslibet cauſis conceſſas parvifacere; quia etiam indulgentiæ illæ, quæ uſui granorum Benedictorum, Roſariorum & rerum ſimilium, quæ minimi videntur eſſe, ex cauſa maximè juſta, & rationabili à Summis Pontificibus interdum conceduntur; ut notat Abellius, & ex eo Bellarminus *l. 1. de Indulg. cap. 12.*

### §. II. *Indulgentias lucrari poteſt ſolus.*

23 I. H*Omo baptizatus.* Communiſſima. Ratio eſt: quia diſpenſatio Theſauri Eccleſiæ nequit fieri, niſi in ſolos filios Eccleſiæ; cùm Indulgentiæ fundentur in articulo Communionis Sanctorum: Atqui Homines non Baptizati Communionem Sanctorum participare non poſſunt: cùm non Baptizati nondum ſint ingreſſi Eccleſiam per Baptiſmum: Ergo non baptizati non ſunt capaces Indulgentiarum.

24 II. *Non excommunicatus.* Patet ex eo; quia excommunicatio privat excommunicatum communione bonorum Eccleſiæ, adeòque etiam Indulgentiis. Si tamen excommunicatus adhuc vivens verè contritus eſſet, & per eum non ſtaret, quominùs abſolveretur ab excommunicatione, probabile eſt cum Navarro, & Sà apud *La Croix lib. 6. p. 2. n. 1354.* lucrari poſſe indulgentias per opera, quæ licitè exercet ſi his annexæ ſint; ſic enim prudenter præſumimus de benigna voluntate Eccleſiæ, oppoſitum tamen eſt probabilius ob rationem datam. Similiter ſi excommunicatus ſit in gratia mortuus, Navarrus, Henriquez, & Filliucius putant, poſſe ei prodeſſe indulgentias; quia excommunicatio videtur, tantùm excludere à favoribus pro ſtatu viæ. Oppoſitum tamen eſt probabilius ob rationem jam datam; quia Eccleſia vi excommunicationis facit, ut pro excommunicatis defunctis non offerantur ſuffragia, neque applicentur. Dicaſtillus, Raynaudus, & alii apud *La Croix cit. num.* 1355.

25 III. *Subditus concedentis indulgentias.* Ex c. *Quod autem de Pœn. & Rem.* Quia actus concedendi indulgentias reſpectu vivorum eſt actus Juriſdictionis: Atqui Juriſdictio ſe non extendit niſi ad ſubditos: Ergo ſolis ſubditis concedunt lucrandæ indulgentiæ, adeoque etiam hi ſoli eas lucrari poterunt. Quare indulgentiæ conceſſæ ab Epiſcopo non proſunt extraneis, niſi è ſuis propriis Ordinariis habuerint licentiam, ſe quoad hoc alienæ Juriſdictioni, & remiſſioni ſubjiciendi, quæ tamen licentia ſemper præſumitur adeſſe. Ita *Marchantius, & Gobat de indulgentiis p. 1. cap. 6.* Notant etiam *Herincx, & Sannig.* quòd Privilegiati, & Exempti Religioſi etiam frui poſſint indulgentiis Epiſcopalibus: quia in hoc, utpote in cauſa favorabili ſe poſſunt ſubjicere Juriſdictioni Epiſcopi; quod etiam docent Suarez *diſp. 52. ſect. 2. nu.* 13. Filliucius, & alii apud *Gobat cit. num.* 62.

26 IV. *Debitor Pœnarum ex peccatis quoad culpam jam remiſſis reſtantium.* Ratio clara eſt: quia pœnæ temporales nequeunt ei relaxari per indulgentiam, qui nullis eſt obnoxius: ergo ut aliquis ſit capax indulgentiæ, debet eſſe debitor pœnæ temporalis ex culpa jam dimiſſa reſtantis; ſiquidem per indulgentias juxta ſuprà jam dicta non remittitur culpa, ſed pœna temporalis reſtans, & reſidua ex culpa jam remiſſa. Ex quo ſequitur, infantes, & perpetuò amentes non eſſe capaces indulgentiarum, quia cùm iſti peccatum perſonale habere non poſſint, nec poſſunt habere pœnam ex tali peccato reſtantem; cùm tamen indulgentia ſolùm pœnas ex peccato perſonali dimiſſo reſtantes tollat. Pœnæ equidem debitæ propter peccatum Originale tolluntur omnes per Baptiſmum, uti diximus *ſuprà de Baptiſmi effectu.* Item ſequitur Beatos non eſſe capaces indulgentiarum, cùm nullius pœnæ ſint debitores: Nec damnati ſunt capaces indulgentiarum: quia non ſunt capaces remiſſionis peccati: ergo nec remiſſionis pœnæ ex illo relictæ, quamvis enim plures damnati præter pœnam æternam ex peccatis commiſſis, & non condonatis contractam, habeant etiam aliquam pœnam temporalem, quæ ex peccatis in hac vita condonatis relicta fuit, pro qua dignam pœnitentiam non egerunt; illa tamen, vel per conjunctionem cum peccato damnatorum irremiſſibili, fit per accidens irremiſſibilis, & æterna, ut dicunt Thomiſtæ; vel ſi terminum habet in inferno, & ibi perſolvitur, ut ajunt Scotiſtæ, tamen talis pœnæ temporalis ſolutio non fit per ſatisfactionem ex meritis Chriſti, quibus ſunt indigni, & incapaces, ſed per ſatis paſſionem etiam involuntariam.

27 Contra prædicta objici poſſet. I. Quòd Cathecumeni proprio actu perfectæ contritionis, vel amoris DEI ſuper omnia Juſtificati ſint capaces indulgentiarum, ut docent Henriquez, Navarrus, Corduba, & alii, & tamen non ſunt baptizati. II. Quòd Papa ſit capax indulgentiæ, & tamen non eſt ſubditus ſui ipſius, tamquàm indulgentias concedentis. III. Quòd animæ in purgatorio ſint capaces indulgentiarum, nec tamen ſint ſubditæ ſummo Pontifici; quia huic tantùm data eſt poteſtas ſolvendi *ſuper terram*, non *ſub terra*. Reſp. Ad I. Licèt affirment aliqui Catechumenos Juſtificatos, maximè in purgatorio exiſtentes, eſſe indulgentiarum capaces, communior tamen & probabilior opinio apud *Maſtrium cit. qu. 4. numer.* 55. Negat: tum quia per Januam Baptiſmi fluminis, & hujus Characterem nondum ſunt ingreſſi Eccleſiam, adeòque necdum ſunt Theſauri Eccleſiaſtici ab Eccleſia in ſuos filios diſpenſandi capaces: tum quia non eſt recepta conſuetudo in Eccleſia, & praxis, concedendi indulgentias Cathecumenis, & aliis Baptiſmi Charactere carentibus; ſed fidelibus duntaxat, quorum Nomine juxta communem Eccleſiæ loquendi modum illi intelliguntur, qui Baptiſmum fluminis ſuſceperunt. Ad II. Reſp. cum *Maſtrio cit. qu. 2. n.* 25. Quòd Papa indulgentias concedens, dupliciter conſiderari poteſt: Primò, quatenùs eſt caput Eccleſiæ, cui à Chriſto poteſtas indulgentias concedendi commiſſa eſt, ſeu ut Perſona publica, & Superior; & quatenùs eſt membrum in eadem Eccleſia contentum, ſeu ut eſt Perſona privata. Itaque Papa ut caput Eccleſiæ, & Perſona publica à Chriſto conſtituta non ſolùm aliis, ſed etiam ſibi indulgentias concedere poteſt, ut Perſonæ privatæ ſub eodem corpore Eccleſiæ contentæ, quatenùs ſervando conditiones ad lucrandas indulgentias à ſe definitas, ipſe etiam tamquam Perſona privata, & ejuſdem communitatis membrum illas participat; in conceſſione enim indulgentiarum non requiritur, ut concedens, & ille, cui conceduntur ſint

Per-

Perſonæ phyſicè diſtinctæ, ſicut requiritur ex inſtitutione Divina in abſolutione ſacramentali, ac etiam in actu juriſdictionis contentioſæ, vel coactivæ: non tamen in exercendo actu Juriſdictionis voluntariæ, cùm Superior ſecum ipſo diſpenſare poſſit; ſi habeat poteſtatem, etiam delegatam generaliter diſpenſandi cum omnibus, niſi aliunde contrarium colligatur. Ita *Herincx de Legibus diſp. 4. qu. 2. num. 34. & de Sacramento Pœnitentiæ diſp. 4. qu. 6. num. 56.* Ad III. Reſpondeo, quòd animabus in purgatorio concedantur indulgentiæ, non per modum abſolutionis, ſicut conceduntur vivis, ſed per modum ſuffragii, ut pluribus dicetur *qu. ſeq.*

### §. III. *Ad lucrandas indulgentias requiritur ſtatus Gratiæ, & intentio.*

28. REquiritur *ſtatus gratiæ*. Communis tàm Antiquorum, quàm Recentiorum apud *Maſtrium citatum qu. 4. num. 60.* & expreſsè deducitur *extravag. Unigenitus, de pœnitent. & remiſſ.* in qua Pontifex ait, eos, qui indulgentia uſi ſunt, *amicitiæ Dei participes effectos eſſe*, quibus verbis ſupponit, indulgentiam ſuum effectum non conferre, niſi diſponentibus ſe per gratiam ad illam lucrandam; cùm enim per ipſam indulgentiam amicitiæ Dei participes fieri nequeant, quia per eam gratia ſanctificans non confertur, ſupponi jam debent amici, & in ſtatu gratiæ; & ita etiam conſtat ex perpetuo uſu, & praxi Eccleſiæ, quæ numquam indulgentiam concedit, niſi in pœnitentibus, & contritis, ut patet ex Bullis Pontificum, quibus indulgentias concedere ſolent, & ſicut aliena ſuffragia non proſunt iis, qui non ſunt in gratia, ſic nec Chriſti, vel Sanctorum ſatisfactiones per indulgentias applicatæ. Accedit Ratio, quia cùm indulgentia ſit Privilegium, favor, & magna gratia, non præſumitur Deus hoc privilegium, favorem, & gratiam velle communicare ſuis inimicis, ſed Amicis, quamvis etiam illos, ſcilicet ſuos inimicos ad culpam dimittendam, & Juſtificationis gratiam aſſequendam adjuvare non ceſſet. Deinde eſt commune axioma: *Ut indulgentia valeat, requiritur in concedente Auctoritas, in cauſa pietas, & in ſuſcipiente Charitas*. Denique per indulgentias remittitur pœna: hæc autem remitti nequit, niſi remiſſa culpa ſaltem mortali: culpa enim venialis non impedit: quin aliquis pro aliis peccatis jam remiſſis poſſit conſequi indulgentiam, cùm non impediat remiſſionem aliorum peccatorum quoad culpam.

29. II. An autem ſuſceptor indulgentiarum debeat eſſe in ſtatu gratiæ per Confeſſionem ſacramentalem. Communis eſt DD. ſententia apud Maſtrium cit. *nu. 63.* non eſſe neceſſariam Confeſſionem, ſed ſufficere, ut indulgentiam ſuſcepturus exiſtat in gratia ſanctificante per Contritionem perfectam, modò in Bulla non requiratur Confeſſio. Ratio eſt, quia exiſtens in gratia per Contritionem eſt capax indulgentiarum, nec ſuperior concedens indulgentias requirit Confeſſionem, ut ſupponitur; ergo in tali caſu non eſt neceſſaria Confeſſio. Ita Navarrus, Suarez, Reginaldus, Bonarina, Faber, & alii paſſim. Si verò in Bulla concedente indulgentias requiratur Confeſſio: non ſufficit ſuſceptorem indulgentiæ eſſe in gratia per Contritionem, ſed neceſſaria eſt Confeſſio ſecundum probabiliorem, & tutiorem ſententiam, *ſi ſuſceptor ſit ſibi conſcius alicujus peccati mortalis*, quamvis de eo contritus ſit. Ratio eſt, quia indulgentiæ tantùm valent, quantùm ſonant, & explicandæ ſunt, ſicut in Bullis exprimitur; atqui in Bulla exprimitur confeſſio, ut ſupponitur: Ergo. Quod etiam verum eſt, etiamſi in Bulla dicatur, quòd *contritis, & confeſſis* concedatur indulgentia, quia particula, & non eſt disjunctiva, ſed conjunctiva, & copulativa: diſpoſitio autem copulata utriuſque partis veritatem exigit. Notanter autem dictum eſt, *ſi ſuſceptor indulgentiæ ſit ſibi conſcius alicujus peccati mortalis*. Nam ſi nullum mortale peccatum poſt ultimam Confeſſionem commiſit, ſatis probabile eſt, actualem Confeſſionem non eſſe neceſſariam, niſi ſummus Pontifex aliter declaret. Ratio eſt, quia Suſceptor indulgentiæ in caſu propoſito dici poteſt Contritus & Confeſſus ad effectum conſequendi indulgentiam: cùm habitualiter in prima Contritione, & Confeſſione permanere cenſeatur, ac etiamſi poſt illam in aliquod veniale lapſus ſit; ad Confeſſionem venialium non tenetur, modò in Bulla venialium Confeſſio non exprimatur. Ratio eſt, quia quando in Bulla exprimitur Confeſſio, intelligitur de Confeſſione mortalium; tum quia Confeſſio ſimpliciter, & abſolutè prolata ex communi uſu, & ſenſu Eccleſiæ mortalium Confeſſio cenſetur: atque ideò ſicut Eccleſia venialium Confeſſionem præcipere non ſolet, ita neque conſuevit ad conſequendam indulgentiam; venialium Confeſſionem requirere: tum quia Confeſſio tantùm videtur exigi tamquàm certius, & ſecurius medium obtinendi Juſtificationem; vel tamquàm neceſſariam ac Communem, quæ frequenter præſcribitur. Ita præter Auctores ſupra citatos, *Maſtrius citatus, & Herincx cit. qu. 11 num.* 80. Quod ſi quis poſt peractam Confeſſionem pro lucranda indulgentia, recordaretur peccati mortalis inculpabiliter obliti in Confeſſione, licet illud teneretur adhuc confiteri ante communionem, ratione præcepti ſive Divini, ſive Eccleſiaſtici obligantis, juxta communem ſenſum Theologorum & conſuetudinem fidelium, ad Communioni præmittendam Confeſſionem ſacramentalem etiam illius peccati mortalis, cujus quis in Confeſſione ritè facta oblitus eſt, & poſt eam recordatur; non tamen teneretur illud confiteri in ordine ad lucrandam indulgentiam, quia non conſtat Papam hoc requiſiviſſe ad lucrandam indulgentiam, quod Chriſtus & Eccleſia requiſivit ad ſumendam Euchariſtiam. Ita *Dominic. Viva de Jub. qu. 8. art. 3. cum Fauſto, Prapoſito, Palao, & Vaſquez.*

III. Ad lucrandas indulgentias requiritur *intentio eaſdem lucrandi*. Communis DD. Ratio eſt, quia invito non conceditur beneficium, ſed volenti; atqui indulgentia eſt beneficium: ergo non invitis, ſed ea uti, volentibus obvenit; adeòque ut quis lucretur indulgentiam, debet habere intentionem eam lucrandi: Sufficit tamen per ſe loquendo ad eas lucrandas intentio interpretativa, quam quivis Chriſtianus ſuæ ſalutis meliori modo promovendæ ſtudioſus habere cenſendus eſt, qui utique volet, univerſim ſibi per ſua bona opera prodeſſe, quantùm poteſt; aliam enim præter hanc neceſſariam eſſe, nec praxis evincit: ex more certe univerſali receptum eſt, ut etiam moribundis omni ſenſu, & intentione formali deſtitutis concedantur indulgentiæ, & nos per bona opera, quæ aut nos ipſi facimus, aut alii nobis inſtriis applicant, ſatisfacimus pro noſtris peccatis; eſto non ſciamus, nos per illa ſatisfacere. Ita Gobat *de indulg. p. 1. c. 14. à n. 163.* Pellizarius, & alii Gobat cit. 30

IV. Si tamen ad lucrandam indulgentiam præſcribatur alicui operi certa intentio, non eſt dubium; quin opus præſcriptum ſit peragendum ad præſcriptam intentionem. Non tamen videtur neceſſarium, ut dum te accingis ad opus præſcriptum faciendum, recorderis diſtinctè intentionis præſcriptæ v. g. *ut conſervetur concordia inter Principes Catholicos &c.* Sed ſufficit, ut memineris ejuſdem ſaltem confusè, modò priùs illius notitiam habueris, quando v. g. audiviſti promulgari indulgentiam, vel Jubilæum, quia ſic conſulitur infirmitati rudium, qui nequeunt diu memoria retinere ejuſmodi intentiones, maximè, ſi plures ſint. Si quis autem nullam præſcriptarum intentionum notitiam habuerit, non faciet opera præſcripta modo debito, juxta Gobat, *tract. de Jubil. c. 12.* etſi ante illorum executionem dicat: *Iſtud opus offero Deo ad intentionem Papæ, ſi quam præfixit, quæcunque illa ſit:* quia (ait *Gobat cit.*) Papa non proponeret fidelibus tantam varietatem intentionum in Bullis, niſi cum ea conditione, ut illas cognoſcant, & ex illarum cognitione faciant opera præſcripta. Non deerunt tamen haud dubiè, qui etiam taliter operantes ſatisfacere judicabunt. Si tamen intentioni à Papa præfixæ adjungas adhuc aliam, reddes indulgentiam, ſi non irritam, certè dubiam, quia una oratio pro multis facta, non tantum prodeſt ſingulis eorum, quantum prodeſſet, ſi pro ſingulis ſeorſim fieret. Porrò intentiones, quas hodie Pontifices communiter præſcribunt, ſunt ſequentes: I. *Pro Exaltatione S. Matris Eccleſiæ Catholicæ*. II. *Pro extirpatione Hæreſum*. III. *Pro Concordia Principum Chriſtianorum*. Subinde addit ſummus Pontifex intentionem, *ut pro ſua ſalute oretur*. 31

### §. IV. *Et impletio Operum pro iiſdem lucrandis præſcriptorum.*

EST certa. Ratio eſt: Quia indulgentiæ ſolent alligari alicui operi bono, v. gr. viſitationi alicujus Eccleſiæ cum precibus pro exaltatione Sanctæ Matris Eccleſiæ, & cætera. Item Confeſſioni, Communioni, Eleemoſynæ, Jejunio, aliive operi bono: Ergo ſicut aliæ gratiæ conditionatè conceſſæ, nonniſi impleta conditione ſortiuntur ſuum effectum, ita nec indulgentiæ habebunt ſuum effectum, niſi impleta conditione, atque peractis operibus præſcriptis. Ex quo 32

I. Sequitur, quòd opera ad conſequendam indulgentiam præſcripta debeant impleri integrè, ita, ut ſi aliqua pars notabilis omittatur, ex quacumque etiam rationabili cauſa v. gr. impotentia, oblivione &c. nihil omninò obtinebitur de indulgentia, niſi aliud in conceſſione indulgentiæ exprimatur; quia indulgentia conceditur indiviſibiliter pro toto 33

ope-

opere. Ita poſt S. Antoninum & Paludanum, Suarez, Gobat *tr. 4. de indulgentiis, part. 1. c. 17. nu.* 189. Si verò pars minima omittatur, eſt opinio magnorum Doctorum, ut Suarez, Palai, Layman, Filliucii, Bonacinæ, Dianæ, & Aliorum apud *Gobat cit. nu.* 190. indulgentiam adhuc acquiri; eò quòd & parum pro nihilo reputetur, & omiſſio minimæ partis non efficiat, quominùs ipſum opus poſſit abſolutè, & moraliter dici executioni mandatum.

34 II. Sequitur, ſi plura opera pro lucranda indulgentia præſcribantur, requiri, ut ultimum eorum fiat, vel ſaltem finiatur in ſtatu gratiæ. Ita Suarez *diſp. 52. ſect. 2.* Layman *l. 5. tract. 7. cap 6. nu.* 2. Sotus, Navarrus, S. Antoninus, Diana, Gobat *cit cap. 12. num.* 152. Ratio eſt: Quia dum ultimum opus finitur, obtinetur effectus indulgentiæ, ſcilicet remiſſio pœnæ temporalis; hic verò, cùm nequeat obtineri, niſi ab eo, qui eſt Amicus DEI, juxta dicta *§. præced. nu.* 28. Neceſſarium erit, ut ultimum opus fiat in ſtatu gratiæ; quare optimè faciunt, qui opera præſcripta finiunt Confeſſione, & Communione. Dixi *ultimum opus*: quia non eſt neceſſarium, ut opera priora fiant in ſtatu gratiæ (niſi Papa id ſpecialiter requirat, ut cùm dicit, opera eſſe facienda à verè pœnitentibus) Ratio hujus à priori eſt, quia indolgentiæ effectus non provenit ex dignitate operis pro lucranda indulgentia præſtiti, ſed ex Chriſti meritis, & ſatisfactionibus: ergo non eſt neceſſarium, ut illud ſit ſatisfactorium, ſed ſufficit, modò tunc non adſit obex gratiæ, & remiſſionis pœnæ temporalis, quando conſerenda eſt indulgentia. Ratio verò à poſteriori eſt praxis Eccleſiæ, quæ ſubinde ad Jubilæum, vel indulgentiam conſequendam requirit jejunia, & Confeſſionem, ſupponendo Confeſſionem non præmitti, ſed ſubſequi ſaltem ante finem ultimæ hebdomadæ ad Jubilæum lucrandum, & per conſequens jejunia ſæpè non fiunt in ſtatu gratiæ; Licet verò talia jejunia non ſint meritoria de condigno, merentur tamen aliquid de congruo. *Confeſſio Sacramentalis* verò neceſſariò debet eſſe valida, vel ſaltem non ſacrilega, ſicut etiam Communio, ut per eas obtineatur indulgentia. Ratio eſt: tum quia tales utique requirit ſummus Pontifex: tum quia actiones ſacrilegæ ſunt mortaliter peccaminoſæ, & nec de congruo meritoriæ. Si quis tamen confiteretur invalidè ſine ſua culpa, & haberet contritionem perfectam, adhuc conſeqoeretur indulgentiam; quia tali moraliter impoſſibilis eſſet confeſſio valida; Papa autem non reqoirit aliquid impoſſibile ad conſequendam indulgentiam: aliud foret, ſi quis communicaret invincibiliter oblitus peccati mortalis, de quo nec contritionem, nec Attritionem elicuiſſet, talis enim non fieret particeps indulgentiæ: quia poſſet elicere contritionem, vel ſaltem Attritionem, & ſic dignè communicare. Ita *Dominicus viva de Jubilæo, quæſt. 8. art. 3. & 4.* quamvis *Boſſius* affirmet contrarium quoad hoc, modò ultimum opus fieret in gratia.

35 III. Sequitur, ſi per opus à Papa requiſitum ad indulgentiæ conſecutionem, poſſit obtineri finis ab illo intentus, etſi fiat cum peccato veniali, v. g. *ſi largior Eleemoſynam cum vana gloria*, tunc per tale opus poteſt adhuc obtineri indulgentia; ſin verò per tale opus cum peccato veniali factum, nequeat obtineri finis à Papa intentus, etiam per tale opus nequit obtineri indulgentia, v. g. ſi quis funderet preces cum voluntariis diſtractionibus, per tales preces non impetratur à DEO, v. gr. concordia Principum, extirpatio hæreſum, &c. qui eſt finis intentus per tales preces. Ita Bellarminus *l. 1. de indulgent. cap.* 13. Layman *cit. cap. 6. n.* 4. Tannerus *tom. 4. diſp. 6. qu. 7. dub. 4. nu.* 81. & alii apud *Gobat cit. cap. 17. num.* 199. Nihil tamen oberit valori indulgentiæ, etiamſi operi præſcripto adjungatur peccatum veniale, merè concomitanter ſe habens ad opus præſcriptum, ut ſi, dum precaris DEUM pro neceſſitatibus Eccleſiæ, habeas parvum odium erga proximum. *Gobat num.* 201.

36 IV. Sequitur, opera præſcripta debere fieri ab ipſo, qui lucraturus eſt indulgentiam, & non per alium. *Gobat nu.* 204. Quia communiter hæc videtur eſſe mens ſummi Pontificis, quando v. gr. præſcribit preces, viſitationes Eccleſiarum, jejunia, &c. *Bonatina p. 4. nu.* 24. Excipitur Eleemoſyna, quæ etiam per famulum poteſt fieri à Domino. *Suarez d. 52. ſect. 2. Gobat tract. 3. de Jubilæo, c. 11. n.* 62. quia etiam tunc Dominus cenſetur moraliter, & propriè dare Eleemoſynam; nec præjudicat Juri acquirendæ indulgentiæ, etſi ille famulus ſit in ſtatu peccati mortalis. Suarez cit. quia famulus eſt purum inſtrumentum, quo mediante datur Eleemoſyna. Nec eſt neceſſarium, ut opera pro lucranda indulgentia præſcripta non ſint aliunde debita ex præcepto v. gr. vel voto: ita contra Sylveſtrum docent Corduba, Benzonius, & alii paſſim apud *Gobat tr. 4. de Indulg. p. 1. c 14. n.* 172. Ratio eſt: quia videmus jejunia Jubilæorum ſæpe etiam ſervari in Quadrageſima. Hinc ſi tempus Jubilæi incidat in tempus Paſchale, eadem communione ſatisfiet Jubilæo, & præcepto Eccleſiæ de Communione Paſchali. Deniqoe Communio præſcripta pro lucranda indulgentia, non debet neceſſario fieri in ea Eccleſia, in qua ſunt lucrandæ indulgentiæ (in qua tamen ſunt fundendæ preces pro indulgentiis lucrandis præſcriptæ) exceptis indulgentiis menſtruæ Communionis generalis, & confraternitatis Roſarii, & ubi fortè in alia Bulla indulgentiarum præſcribitur Communio peragenda in Eccleſia, in qua lucrandæ ſunt indulgentiæ. *Gobat tr. 3. de Jubilæo, cap. 27. num.* 192.

## QUÆSTIO III.

*Quem Effectum cauſet indulgentia, tam in vivis, quàm in defunctis.*

## SUMMARIUM.

38 *Per indulgentiam non remittitur peccatum;*
39 *Sed pœna temporalis in hac vel altera vita luenda,*
40 *Etiam pœnitentia Sacramentalis.*
41 *Qualis pœnitentia tempore indulgentiæ ſit injungenda?*
42 *Indulgentiæ poſſunt etiam defunctis applicari?*
43 *Vivis applicantur per modum abſolutionis, defunctis per modum ſuffragii.*
44 *Indulgentiæ proſunt defunctis infallibiliter.*
45 *Solvitur objectio.*
46 *Quid requiratur, ut indulgentiæ proſint defunctis?*
47 *Indulgentia æqualiter participatur etiam ab inæqualiter diſpoſitis.*
48 *Qualis devotio requiratur ad peragenda opera pro lucranda indulgentia præſcripta?*
49 *Diverſæ indulgentiæ nequeunt uno, & eodem opere obtineri.*
50 *An licita ſit Communio quotidiana ad lucrandas indulgentias?*
51 *An ſæpius poſſit obtineri indulgentia, ſi ſæpiùs opus injunctum peragatur.*
52 *An quis per diverſos actus poſſit eodem tempore adipiſci diverſas indulgentias?*
53 *An recedente fictione, ſeu peccati obice indulgentia reviviſcat?*

## ASSERTIO III.

*Effectus indulgentiæ eſt remiſſio pœnæ temporalis ex peccatis quoad culpam dimiſſis reſiduæ, & reſtantis, quæ tamen vivis obvenit per modum abſolutionis habentis annexam ſolutionem, defunctis verò per modum ſuffragii, ſeu exhibita ſatisfactione: æqualiter participatur etiam ab inæqualiter diſpoſitis: uno & eodem opere nequit obtineri diverſarum indulgentiarum effectus.* Communis apud Layman, Gobat, Maſtrium, Henncx, & alios. 37

### §. I. *Effectus indulgentiæ eſt Remiſſio Pœnæ temporalis &c.*

I. SUppono cum communi DD. Sententia, indulgentiæ effectum non eſſe Remiſſionem peccati ſive mortalis, ſive venialis, ut patet ex definitione indulgentiæ ſuprà data, ſed Remiſſionem pœnæ temporalis ex peccatis quoad culpam jam dimiſſis reſiduæ & reſtantis. Ratio eſt: quia peccatum mortale non remittitor niſi per infuſionem gratiæ ſanctificantis, ac etiam Remiſſio peccati venialis de lege ordinaria fit per infuſionem alicujus gratiæ, ſed indulgentia non confert gratiam: ergo. Deinde Eccleſia concedit ſemper indulgentias fidelibus contritis, vel confeſſis: ergo præſupponitur deletio peccati quoad culpam ante indulgentiæ conſecutionem. Nec obſtat, quòd ſubinde in Bullis indulgentiarum dicant Pontifices, ſe fideles *à culpa & pœna* abſolvere; nam ut communiter Doctores advertunt, ly à *culpa*, idem ſignificat, quod ab effectu culpæ, ſcilicet pœna temporali ex culpa ſeu peccato relicta; nam etiam in Divinis litteris nomine peccati intelligitur interdum pœna temporalis debita pro culpis; ut conſtat *ex 2. Machab. 12. ſancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur*; & eſt Eccleſiæ praxis ſic vocare pœnarum reatus, ut patet ex pluribus collectis, quibus utitur in officio, & miſſis defunctorum. Ita Maſtrius *Theol. Moral. diſp. 23. q. 2. n.* 26. citans plures. Quia verò duplex pœna temporalis in homine ex condonatis pecca- 38

tis relicta conſiderari poteſt, una, ad quam perſolvendam homo obligatur ex ſacramentali pœnitentia à Sacerdote injuncta; altera ad quam in hac vita, vel in altera perſolvendam, eſt obligatus a Deo. Itaque quæritur de utraque, an per indulgentiam remittatur? Dico itàque

39 II. Per indulgentiam plenariam remittitur omnis pœna debita pro peccatis omnibus totius vitæ, ad quam in hac, vel altera vita perſolvendam quis eſt obligatus à Deo. Communis, & probabilior Scholaſticorum, & Summiſtarum apud Maſtrium *cit. num.* 32. Herincx *da pęnitent. diſp.* 4. *q.* 8. Ratio eſt I. Quia alias ſequeretur, nullam dari indulgentiam plenariam, quæ ſcilicet remitteret pęnam totalem reſtantem ex peccatis jam dimiſſis: ſed hoc eſt contra antiquam, & modernam praxim Eccleſiæ concedentis indulgentias plenarias: ergo. II. Papa virtute clavium habet poteſtatem remittendi omnem, & quamcumque pœnam ex eo, quòd Sixtus IV. damnaverit ſequentem Petri Oxomenſis Propoſitionem; *Papa non poteſt indulgere alicui vivo pęnam purgatorii;* ſed non eſt cur dicamus, in conceſſione indulgentiarum plenariarum, eam reſtringi ad pęnas dumtaxat debitas in foro ſacramentali, ergo per indulgentiam plenariam omnis omninò pœna in foro interno Dei perſolvenda remittitur. Dictum eſt, *omnis omninò pęna*, non tantùm illa, quæ in foro Sacramentali pęnitentiæ à Confeſſario injungitur, ſed etiam ipſa pęna, pro qua ſacramentalis pęnitentia eſt injuncta juxta communiſſimam Theologorum, quia ſi indulgentia ſolùm à pœnitentiis ſacramentaliter injunctis liberaret, & non à pęnis, pro quibus illæ ſunt injunctæ, Eccleſia concedendo indulgentias potiùs obeſſet, quàm prodeſſet fidelibus, quia tolleret pęnitentias, quibus homo ſatisfaceret pęnis pro peccatis contractis, & ſimul relinqueret pęnas et condonatis peccatis relictas, quæ tamen illis ſunt ſine dubio graviores. Hoc tamen verum eſt, quòd indulgentia non remittat pœnas ab Eccleſia injunctas in foro externo perſolvendas, quia tantùm remittit pœnas ex peccatis remiſſis relictas in foro conſcientiæ, non autem in foro contentioſo.

40 III. Quantùm ad pœnitentias in foro ſacramentali à Confeſſario impoſitas, docet Cardinalis de Lugo *diſp.* 27. *de pęnitentia, ſect.* 2. *n.* 22. *& ſeq.* apud Maſtrium *nu.* 29. citans D. Thomam, D. Bonaventuram, Alexandrum Alenſem, Valentiam, Vaſquez, Durandum, Paludanum, Adrianum, & alios, per indulgentias liberari penitentem ab obligatione implendi pęnitentias ſacramentales à Confeſſario injunctas, quod probat imprimis *ex cap. cùm ex eo, de Pœnit. & Remiſs.* ubi Innocentius III. dicit, *per indiſcretas, & ſuperfluas indulgentias ſatisfactiones ſacramentales enervari;* ergo quia aufertur obligatio implendi pœnitentias injunctas: alioquin ſi manet obligatio implendi illas, ſaltem qua medicinales, nihil prorſus enervabitur ſatisfactio. Deinde hoc idem probat ex Boniſacio VIII. qui ut refert Gloſſa *in Extravag. Antiquorum, de pœnit. & remiſs.* nolebat Confeſſarios imponere aliquam pœnitentiam iis, qui Jubilæum anni ſancti lucrabantur, quia nimirùm ſatisfactione alia non indigebant. Tandem probat ratione à priori, quia Confeſſarius imponit pęnitentiam, ut pęnam ad ſatisfaciendum pro peccato; ergo ſublato debito totius pœnæ, prout fit per indulgentiam, ceſſat omninò fundamentum illius obligationis, ſicut ſi condonaretur à Principe pęna debita pro aliquo crimine, de ipſo ceſſaret obligatio impoſita per ſententiam Judicis ad pęnam aliquam pro illo delicto ſubeundam. Nec obſtat fundamentum contrariæ opinionis, dicentis, in pęnitentia injuncta duplicem poſſe conſiderari rationem, ſatisfactionis ſcilicet, & medicinæ, & per conſequens per indulgentiarum lucrationem tolli obligationem perſolvendi pęnitentiam ſacramentalem injunctam, quatenus eſt ſatisfactoria pro peccatis præteritis, non verò quatenus eſt medicinalis ad præcavendum peccatum futurum. Non obſtat, inquam, hoc: quamvis enim pœnitentia ſubinde etiam imponatur ut medicina: Confeſſarius tamen illam imponere non poteſt, niſi in pęnam peccati, ſicut licèt Judex procurare debeat, quòd pęna delinquentis ſit talis, ut ſimul ſit medicina in futurum non tamen poſſet illam pœnam imponere, etiam ut medicinam, ſi illa pœna fuiſſet à Principe condonata: ergo ſi per indulgentias condonatur, & remittitur pęnitentia, ut ſatisfactoria, etiam tolletur ut medicinalis, nec Sacramentum Pęnitentiæ exigit pro parte integrali ſatisfactionem ſacramentalem, niſi ex ſuppoſito, quòd adhuc adſit pęna temporalis ſolvenda, cum ad hanc remittendam illa unicè injungi debeat à Confeſſario: ergo ſoluta omni pęna temporali reſtante, nec Sacramentum Pœnitentiæ, nec Confeſſarii præceptum obligabit ad pœnitentiam adimplendam. Quod hactenus diximus de effectu indulgentiæ plenariæ, hoc proportionaliter, & ſuo modo applicandum venit etiam indulgentiæ partiali,

41 IV. Nihilominùs in praxi tempore indulgentiæ etiam plenariæ, Confeſſarius ſemper imponat pœnitentiam ſaltem *medicinalem, & præſervativam*, quando judicat neceſſariam, eamque pœnitens admittat, eſto indulgentiam plenariam certo conſequatur, quia hoc neceſſarium judicat *Suarez apud Maſtrium cit. q.* 2. *n.* 29. & alii: imò tenetur Confeſſarius injungere *Pęnitentiam Medicinalem*. atque etiam *vindicativam, ſeu ſatisfactivam*, quando ipſi non eſt ſatis probabile, penitentem obtinuiſſe, vel mox obtenturum eſſe indulgentiam plenariam, teneturque pęnitens in tali caſu illam adimplere. Si tamen Confeſſarius probabiliter credat, pęnitentem jam conſecutum, aut mox conſecuturum indulgentiam plenariam, aut aliam æqualem pęnæ ab ipſo promeritæ, poteſt omnem pęnitentiam, in quantum eſt vindicativa, omittere, juxta Doctores Seraphicum, & Angelicum, & pleroſque Antiquiores, Recentioreſque apud *Tannerum, Dianam, & Gobat de Jubilæo c.* 25. ob rationes num. præced. à nobis inſinuatas. Ob Reverentiam tamen Sacramenti Pęnitentiæ convenit Confeſſario, levem ſaltem pęnitentiam injungere, v. g. preces pro lucrandis indulgentiis conſuetas. Quando verò ob indulgentiam à pęnitente lucrandam notabiliter minuitur pęnitentia à Confeſſario; debet hic pęnitentem monere, ipſi tam levem injungi pęnitentiam propter indulgentiam, quam meritò lucraturus credatur, ne fortè ob levitatem pęnitentiæ judicet ſua peccata eſſe levia, atque eò minùs ea devitet,

### §. II. *Indulgentiæ conceduntur vivis per modum Abſolutionis, defunctis verò per modum ſuffragii.*

42 I. Certa, & indubitata veritas eſt, indulgentias poſſe concedi defunctis, illiſque prodeſſe. Id equidem conſtat ex communi uſu, & praxi Eccleſiæ, in qua nihil tàm uſitatum eſt, quàm applicare indulgentias pro Defunctis, adeo ut Paſchalis I. (ut refert Bellarminus *l.* 1. *de Indulg. c.* 14.) qui ante ſeptingentos annos Apoſtolicam Sedem obtinebat, & plures alii Summi Pontifices, indulgentias pro defunctis applicandas conceſſerint: in quam veritatem omnes Scholaſtici conſpirant *in* 4. *d.* 20. & præſertim Doctor noſter Seraphicus S. Bonaventura *p.* 2. *art.* 1. *q.* 5. hac ratione, quia Fideles defuncti propter unionem charitatis cum Eccleſia militante, fidelibus viventibus ita conjuncti ſunt: ut unam cum illis Eccleſiam efficiant, ac proinde, ſicut particularibus ſuffragiis, & orationibus viventium juvari poſſunt, à fortiori poterunt per applicationes ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum ſublevari. Difficultas ſolùm eſt, quomodo id fieri poſſit? tota enim Pontificis Poteſtas illis verbis conceſſa: *Quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cęlis*, ad illos tantùm extendi videtur, qui ſunt adhuc in terra, & ſubditi ipſius Pontificis, quales non ſunt defuncti, qui jam non ſunt ſuper terram: ſed ſub terra, & omninò extra Pontificis Juriſdictionem. Pro qua difficultate reſolvenda dicimus.

43 II. Indulgentiæ conceduntur vivis per modum abſolutionis, habentis annexam tamen ſolutionem: defunctis verò conceduntur, & applicantur per modum ſuffragii, ſeu piæ ſolutionis, & exhibitæ ſatisfactionis, non per modum abſolutionis. Ita omnes ferè Theologi cum Doctore Seraphico *S. Bonaventura cit.* apud *Maſtrium l. c. q.* 4. *n.* 57. Ratio primæ partis eſt, quia indulgentias concedere per modum abſolutionis eſt, quando Superior ſibi ſubditum immediatè & directè liberat à pęna temporali, atqui ſummus Pontifex tamquàm Superior, & Miniſter à Deo conſtitutus immediatè, & directè liberat vivos tamquàm ſibi ſubditos à pęnis temporalibus relictis ex peccatis jam quoad culpam dimiſſis, per conceſſionem indulgentiarum, ut patet: ergo Pontifex vivis concedit indulgentias per modum abſolutionis, *habentis tamen annexam ſolutionem*, quia hæc abſolutio fit cum aliqua ſolutione, ſcilicet applicatione, & exhibitione ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum. Ratio ſecundæ partis eſt, quia animæ fidelium Defunctorum non ſunt ſubditæ ſummo Pontifici, nec Pontifex habet in eas Juriſdictionem: ſiquidem à Chriſto tantùm accepit poteſtatem ſolvendi *ſuper terram*, non *ſub terra*: ſed qui non habet Juriſdictionem in alium tamquàm ſibi ſubditum, nequit eidem concedere indulgentias per modum abſolutionis, quia concedere indulgentias per modum abſolutionis eſt actus juriſdictionis: ergo Papa nequit defunctis concedere indulgentias per modum abſolutionis, ſed tantùm *per modum ſuffragii*, & exhibitæ ſatisfactionis, offerendo nimirum Deo merita, & ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum, per modum condigni pretii pro eorum liberatione, ſuppoſitis bonis fidelium vivorum operibus tamquàm conditionibus, vel con-

Digitized by Google

concedendo fidelibus vivis: ut perſolutis bonis operibus, ipſimet indulgentiam applicent defunctis, offerendo ſcilicet ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum pro eorum liberatione: quod communiter ſolet declarari exemplo Regis habentis aliquos captivos ſub ſua poteſtate & in ſuis carceribus, alios ſub poteſtate Turcarum conſtitutos; quos habet ſub ſua poteſtate, illos poteſt liberare vi auctoritatis, & Juriſdictionis ſuæ propriæ, eos immediatè liberos dimittendo, etiam abſque eo, quòd rogetur; quos autem captivos habet apud Turcas, nequit liberare vi auctoritatis ſuæ, ſed tantùm per viam ſatisfactionis & redemptionis, offerendo Turcis pretium debitum pro liberatione Captivorum; ita in propoſito diſcurrendum eſt de ſummo Pontifice in conceſſione indulgentiarum reſpectu vivorum & defunctorum. Ex his

44 III. Sequitur, indulgentias pro defunctis conceſſas, infallibiliter ipſis prodeſſe, ſicut applicatæ pro vivis, eis infallibiliter proſunt. Ita apud noſtrum P. Herincx *diſp. 4. de Sacramento Pœnitentiæ, quæſt. 8. num. 66.* docent Suarez, Dominicus Soto, Navarrus, Dicaſtillus, Bellarminus, Arriaga, & Recentiores communiter contra Cajetanum, Petrum Soto, Canum, Cordubam, aliosque graves Auctores. Ratio eſt I. quia Leo X. in bulla: *Exurge Domine*, contra Lutherum, per indulgentias, abſolute & æqualiter, tum vivis, tum defunctis, promittere videtur liberationem à pœnis, dum dicit: *Omnes tam vivos, quàm defunctos. qui veraciter omnes indulgentias hujusmodi conſecuti fuerint, à tanta temporali pœna, ſecundùm Divinam Juſtitiam pro peccatis ſuis actualibus debita liberari, quanta conceſſa, & acquiſita Indulgentia æquivalent. Et ita ab omnibus teneri, & prædicari debere, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna &c. Auctoritate Apoſtolica decernimus.* Hucuſque Leo X. II. Quia licet DEUS non teneatur admittere applicationem indulgentiarum defunctis factam, ex eo, quaſi Papa haberet immediatè Juriſdictionem in defunctos, tamen ex eo tenetur DEUS admittere applicationem indulgentiarum defunctis factam à Papa; quia DEUS voluit in Eccleſia eſſe Communionem Sanctorum: quare ex Decreto hujus Communionis inter Eccleſiam Triumphantem, Militantem. atque etiam Purgantem, tenetur acceptare illas ſatisfactiones, ſive pro vivis, ſive pro defunctis oblatas.

45 *Nec obſtat*, quòd ſoleat ſæpiùs pro una, & eadem anima applicari indulgentia plenaria, vel in Altari privilegiato ſacrificari: *Nam id fit*, tùm quia non conſtat, an cauſa, ob quam Pontifex conceſſit indulgentiam, ſit ſufficiens; tum quia non conſtat, an & quomodo prior Sacerdos applicuerit ſuam intentionem; tum quia neſcitur, an, qui indulgentiam plenariam alicui animæ applicavit, omnes neceſſarias conditiones impleverit; tum quia noſtra Sententia nondum eſt omninò certa; quia in ſupradicta Bulla Leonis X. non eſt clarè poſitum, quòd indulgentiæ pro defunctis habeant *infallibiliter* ſuum effectum; ſed tantùm dicitur, quod indulgentiæ etiam reſpectu defunctorum habeant vim & efficaciam, quod adhuc verum eſſe poſſet, etiamſi non infallibiliter, & ſemper effectum illæ obtinerent. *Herincx cit. num. 66.* Tum quia ignoratur, an non pecculiarem ob cauſam velit DEUS circa hanc aut illam animam facere exceptionem à ſua generali promiſſione, ſcilicet ob rationes omninò peculiares, non permittendo, ut indulgentia in actu ſecundo proſit huic certæ animæ. Ita Gobat *tr. 5. de indulgentiis parte 2. cap. 22. n. 486.* Noſter Maſtrius *Theol. Moral. diſput. 24. de purgatorio, q. 3. art. 1. n. 49.* Reſpondet ad hanc difficultatem, quòd, quia plurimæ animæ veniunt in purgatorium cum peccatis venialibus nondum quoad culpam dimiſſis, ideò indulgentiæ etiam plenariæ nequeunt tollere pœnas à talibus animabus perſolvendas, cùm pœna non tollatur, niſi priùs remiſſa; culpa autem venialis nequit tolli per indulgentiam etiam plenariam (hæc enim tollit ſolam pœnam) ſed per ſatisſactionem propriam uſque ad noviſſimum quadrantem extingui debet in purgatorio, juxta Sententiam Doctoris Noſtri Subtilis *in 4. diſt. 21. q. 1.* & ſuorum apud Maſtrium *in 4. diſp. 4. q. 9.* & inde fit, quòd ſimilibus animabus nihil proſint indulgentiæ, donec ipſarum venialia peccata quoad culpam ſint deleta per ſatiſpaſſionem, & ideo ſubinde diu in purgatorio hærere debeant.

46 IV. Ut verò indulgentiæ proſint, & valeant pro defunctis, requiritur I. *Ex parte indulgentiæ*, ut à ſummo Pontifice ita conceſſa ſit, ut poſſit à fidelibus applicari vel donari defunctis; ſi enim conceſſa ſit indulgentia pro vivis, hæc nequit applicari pro defunctis, ſicut quando eſt conceſſa uni vivo, non poteſt ab eodem applicari alteri vivo, niſi expreſſè concedatur indulgentia libera, videlicet; ut quis eam vel pro ſe, vel pro aliis vivis, aut Defunctis poſſit applicare. Ita Diana, Cotonius, Burghaber, La Croix, Herincx *de Pœnit. diſp. 4. quæſt. 9.* & Alii. Ratio eſt; quia indulgentiæ tantum valent, quantum Bulla conceſſionis ſonat. Nihilominùs *Gobat de indulgentiis p. 2. cap. 21.* ait: etiamſi indulgentia ſit conceſſa pro te, potes tamen rogare DEUM, ut illam acceptet pro aliis, ſive vivis, ſive defunctis, cum hac tamen conditione: Si eam nolit acceptare pro iis pro quibus tu vis, tunc eam acceptet pro te ipſo. Scribit quoque apud Gobat *cit. cap. 24.* P. Jacobus Hautinus, eſſe majoris meriti, ſuas ſatisſactiones defunctis applicare, quàm ſibi ipſi reſervare. Requiritur II. *Ex parte Lucrantis*, ſeu applicantis indulgentiam pro defunctis, ut opus à Pontifice præſcriptum fiat cum expreſſa intentione applicandi indulgentiam pro defunctis, & quidem pro his determinatis; ſufficit tamen Intentio habitualis, id eſt, ſemel habita, & non revocata. La Croix *lib. 6. part. 2. numer. 1326.* Deinde requiritur, ut applicans indulgentiam ſit in ſtatu gratiæ; quod tamen alii negant, aſſerentes ſufficere, quod animæ defunctorum, quibus applicatur indulgentia, ſint in gratia. Herincx *cit. quæſt. 11. numer. 77.* La Croix *cit. numer. 1351.* Requiritur. III. *Ex parte Defunctorum*, ut ſint in ſtatu gratiæ: & habeant debitum pœnæ temporalis culpa jam dimiſſa. Hinc nec Beatis, nec damnatis proſunt indulgentiæ. Num verò Cathecumenis, & excommunicatis, in gratia tamen defunctis, proſint indulgentiæ, diſputant Doctores apud Gobat *de indulgentiis, parte 1. cap. 12.* probabiliter in utramque partem. Vide quæ diximus *quæſt. præced. num. 24. & 27.*

### §. III. *Indulgentia æqualiter participatur etiam ab inæqualiter* diſpoſitis.

HOc eſt, ſi verb. grat. concedatur indulgentia plenaria 47
jejunantibus in vigilia alicujus feſti, & unus jejunet jejunio communi Eccleſiaſtico, alter verò, in pane, & aqua, quamvis hæc jejunia, tanquam diſpoſitiones ad lucrandam indulgentiam, ſint inæqualia, quilibet ex his æqualiter conſequitur indulgentiam plenariam, & ſic æqualis eſt fructus in his duobus ex opere quaſi operato, ſcilicet indulgentia plenaria; ex opere tamen operantis, qui arctiori & rigidiori jejunio jejunavit, magis meretur quoad vitam æternam conſequendam, & præſtat opus ex opere operantis magis ſatisfactorium. Ita Maſtrius *Theol. Moral. diſp. 2. quæſt. 4. num. 64.* Faber, Gobat, *de indulgent. part. 1. cap. 19. num. 228.* & alii. Ratio eſt: quia jejunio communi Eccleſiaſtico, eſto minùs faciat, quàm alter jejunans in pane, & aqua, adhuc tamen facit opus à Papa præſcriptum, ideòque indulgentiæ fructum conſequitur, & illud plus, quod fecit alter in pane, & aqua jejunans, eſto ſit bonum, tamen non eſt à Papa requiſitum ad lucrandam indulgentiam, & ideo ad ejus conſecutionem non pertinet, ſed ad aliud, ſcilicet ad plures æternæ gloriæ gradus conſequendos. Nec obſtat, quod Bonifacius VIII. *In Extravag. Antiquorum, de Pœnit. & Remiſſ.* dicat: *unuſquiſque autem plus merebitur, & indulgentiam efficaciùs conſequetur, qui Baſilicas ampliùs, & devotiùs frequentabit*; non enim vult, quod plus orans, & frequentiùs, quàm præſcriptum erat, Eccleſias viſitans, plus accipiat de indulgentia, cùm ille tunc pro Anno Jubilæo 1300. conceſſerit omnibus indulgentiam *Pleniſſimam*; ſed vult dicere, quòd ex opere operantis plus merebitur, & quod certiùs magis in effectu opus injunctum adimplebit, propter quod indulgentia conceditur, ac proinde directiùs illi indulgentia applicabitur.

Hic per accidens nota, ſummum Pontificem in operibus 48
pro lucranda indulgentia præſcriptis, requirere communiter illam ſolùm devotionem, & fervorem, cum quo ſolent communiter opera præſcripta peragi à fidelibus, aliquo modo ſeriam ſalutis rationem habentibus. Ita cenſet Filliucius *tract. 8. n. 126.* Ratio deſumitur ex communi perſuaſione bonorum Chriſtianorum, & Confeſſariorum, qui cenſent communiter, obtineri totam indulgentiam, ut ſonat, etiam ab illis, qui non ſummo cum fervore, peragunt preces, peregrinationes, ſacras Communiones, Sacrificia, &c. quod etiam de tepidè obeuntibus cenſet Suarez, & Palaus poſt Sotum *in 4. diſt. 21. q. 2. art. 3. Concl.* 2. Quare communiter loquendo, qui opus præſcriptum obit cum fervore, bonitate, & diligentia mediocri, conſuetaque hominibus; ſuæ animæ curam aliquo modo ſeriam habentibus, conſequitur (modò aliunde non ſit defectus) totam indulgentiam propoſitam. Gobat *tract. 4. de Indulgent. cap. 19. num. 234. & tr. 3. de Jubilæo cap. 18. num. 119.*

### §. IV. *Diverſæ indulgentiæ nequeunt uno, & eodem opere obtineri.*

VErb. grat. Si quis habeat duo Medalia diverſis indul-
gentiis affecta, & uni ſit annexa indulgentia unius, 49
& alteri duorum annorum, obtinenda à recitantibus



Digitized by Google

orationem dominicam; hanc ſemel recitando, non lucrabitur tres annos indulgentiæ. Ita Suarez, Præpoſitus, & Alii communiùs apud *Herincx de Pœnit. Sacram. quæſt.* 11. Ratio eſt: Quia oratio directè præſcribitur tanquam partialis cauſa Indulgentiæ, & conſequenter diverſa pro diverſis indulgentiis præſertim, quia natum eſt fieri ut una oratio reddat cauſam uni indulgentiæ proportionatam, improportionatam tamen indulgentiæ duplici, niſi ipſa oratio duplicetur. *Aliud tamen eſt*, quando plures indulgentiæ, verb. grat. Stationum urbis Romæ conceduntur per modum unius, viſitantibus certam Eccleſiam: tunc enim patet, unica viſitatione omnes illas indulgentias poſſe obtineri. *Similiter aliud eſt*, quando unicus actus foret æque utilis ad finem diverſarum indulgentiarum. Denique quando conceditur indulgentia illis, qui poſt Confeſſionem & Communionem, viſitaverint Eccleſiam, ſufficit unica confeſſio, & communio ad lucrandum plures indulgentias, diverſis Eccleſiis, aut diverſis viis eodem die conceſſas: Tum quia illi, præſertim communio, non ſunt ita repetibiles; tum quia non videntur exigi directè, ſed præſuppoſitivè, ad majorem diſpoſitionem ſubjecti ad finem intentum. Unde idem eſſet, quamquam ſecunda indulgentia ſequenti die, aut intra debitam diſtantiam occurreret. Ita Herincx citatus. Poteſt tamen piis pœnitentibus permitti: ut utraque die communicent: ait Gobat *de Jubilæo, cap. 26. num.* 184. Pro quo hic per accidens occurrit.

50 II. Notandum, & dicendum cum Divo Thoma *quæſt.* 80. *artic.* 10. Soarez, *d. 69. ſect. 4.* Boſco *ſect. 10. concluſ.* 10. Aliique nunc communiter, quòd, quamvis unicuique expediat communio quotidiana, ſi adſit ſtatus gratiæ, actualis devotio, & debita reverentia: tamen quia difficile eſt ut omnes, præſertim ſæculares iſta quotidie habeant, hinc quotidiana communio, abſolutè loquendo, non expedit omnibus indifferenter, ſed hoc relinquendum eſt Judicio prudentis, & pii Confeſſarii, abſolutè autem omnibus adultis convenit valdè frequens communio, quæ omnia declaravit *Innocentius Undecimus* in Decreto circa communionem quotidianam, quod incipit; *Cùm ad aures*, *edito* 12. *Februarii* 1679. & videri poteſt apud La Croix *lib. 6. part.* 1. *num.* 665. ac etiam in Appendice Alphabetica Decretorum ac Bullarum infrà ſubjicienda, V. *communio quotidiana*, in quo Decreto Innocentius Undecimus ſic etiam præcipit Ordinariis: *Non permittant, ut venialium confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti non approbato.* Ex quo infert La Croix *lib. 6. parte 2. num.* 1289. Abſolutionem à venialibus, factam à ſimplici Sacerdote non approbato, eſſe ſaltem illicitam. An autem ſit valida; eſt incertum. Negant aliqui cum Platelio: ſed probabiliùs affirmant Cardenas *diſt. 2. capit. 6. artic. 9. & 10.* Sporer *de pœnitentia numer. 667.* quia ex hoc, quod Pontifex tantùm velit prohiberi, & non permitti, non ſequitur, tolli Juriſdictionem, vel irritari abſolutionem. *La Croix cit.*

51 III. An ſæpiùs poſſit obtineri indulgentiæ effectus, ſi ſæpiùs opus injunctum peragatur? Reſpondendum eſt cum diſtinctione; quando indulgentia eſt perpetua, & abſque temporis determinatione conceſſa, verb. grat. ſi in conceſſione indulgentiæ dicatur abſolutè: *Quicunque viſitaverint Eccleſiam cathedralem, conſequetur talem indulgentiam*, poterit ſæpiùs obtineri, ſi opus præſcriptum ſæpius peragatur. Herincx *diſput. 4. de pœnitentia quæſtion.* 11. Quando verò indulgentia conceditur pro tempore determinato verbi gratia pro tali die, negandum eſt cum Suarez, Lugo, Bonacina, & aliis, niſi adſit ſpeciale privilegium, quod addo ob indulgentiam portiunculæ, de qua infrà. Ratio eſt: Quia ideò breve tempus præſcribitur, ut oſtendatur, non poſſe ſæpiùs indulgentiam eamdem obtineri. Addit tamen *Lugo*, quòd, quando indulgentia conceditur pro pluribus diebus, ſi id fiat propter commoditatem fidelium, qui non poſſunt eadem die concurrere, non poſſit niſi ſemel obtineri; ſi verò hoc fiat ad fovendum populi concurſum in aliqua Eccleſia per totam, verbi gratia Octavam, veriſimile eſt, ſingulis ſaltem diebus poſſe de novo illam indulgentiam obtineri: quod eſt ſatis probabiliter dictum, ait Maſtrius *Theolog. Moral. diſput. 23. quæſtion. 4. artic. 2. num. 66.* ubi etiam providè monet, obſervandum eſſe, ad hoc, ut aliquis indulgentiam ſæpiùs lucretur, quando ſæpiùs obtineri poteſt, opera præſcripta *verbigratia, viſitationem Eccleſiæ* repetenda eſſe *moraliter, & modo humano*, quod *notanter* additur, quia ſi quis ingrediendo, & egrediendo centies, eamdem viſitaret Eccleſiam in uno continuo, non lucraretur centies indulgentiam: Non enim foret alia, & alia moraliter viſitatio Eccleſiæ, ſed eadem moraliter continuata; adeòque debet inter unam, & aliam viſitationem intercedere moralis interruptio.

52 IV. Poteſt quis per diverſos actus adipiſci eodem tempore diverſas indulgentias, ſi illi actus poſſint ſimul honeſtè & decenter exerceri. *Bonacina, Sanctarellus, Gobat de indulgentiis, parte prima, capite decimo octavo.* Ratio eſt, quia indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant. Hinc quando audientibus ſacrum, & recitantibus Roſarium, ſunt conceſſæ plures indulgentiæ, poteſt quis eaſdem adipiſci eodem tempore, ſi ſub ſacro recitet Roſarium. Secùs eſt, ſi iſti diverſi actus non poſſent ſibi debitè exerceri.

Quæres; *cùm ad obtinendum indulgentiæ effectum requiratur ſtatus gratiæ juxta ſuprà dicta, an recedente fictione, ſeu peccati obice indulgentia reviviſcat?* 53

Reſp. Henriquez *l. 2. c. 4.* Quintanadvennas, Paludanus, Granado, Diana, & alii apud *Paſqualigum quæſt.* 30. putant, eum, qui in ſtatu peccati mortalis omnia opera injuncta poſuit, deinde recedente fictione per contritionem, vel confeſſionem, effectum indulgentiæ, ac Jubilæi conſequi, eo modo, quo ſuſcipiens Baptiſmum in ſtatu peccati mortalis recedente fictione, effectum Baptiſmi, videlicet gratiam conſequitur, quia ſcilicet effectus indulgentiæ eſt infallibilis ex opere operato, & ſolùm impediri poteſt à peccato per accidens. Quare ſublato obice: hujus effectus poni debet. Sed communis *cum Suario, Sà, Fillincio, Soto, & Palao* hoc negat. Ratio eſt, quia indulgentiæ effectus pendet à voluntate concedentis: ergo cùm Pontifex velit tunc poni effectum indulgentiæ, ſeu remiſſionem pœnarum, quando primò poſita ſunt omnia opera injuncta, interjecto obice effectui, iſte nequit tunc poni, ut conſtat, nec poteſt poni recedente fictione, quia voluntas Pontificis, quæ eſt cauſa talis effectus, ſolùm vult illum cauſari, quando primò ſunt poſita opera injuncta, non verò deinceps: cùm enim tempori determinato, verbi gratia non ſancto indulgentiam Pontifex annectat, ſi quis poſt annum Jubilæi per contritionem, vel confeſſionem juſtificaretur, deberet indulgentiam lucrari poſt illud tempus, quod eſt contra mentem Pontificis, & verba Bullæ. Ita Dominicus Viva *de Jubil. q. 6. art.* 3.

## QUÆSTIO IV.

*De duratione, tranſlatione, revocatione, & interpretatione indulgentiarum, & modo eas impetrandi.*

### SUMMARIUM.

55 *Indulgentiæ durant pro tempore conceſſionis.*
56 *An indulgentia ceſſet ceſſante cauſa?*
57 *Quando incipiat, & finiatur tempus lucrandi indulgentias, & ſeqq.*
61 *An tranſlato feſto transferatur indulgentia?*
62 *Indulgentiæ poſſunt revocari.*
63 *Ad hoc tamen neceſſarium eſt, earum revocatio ſufficienter promulgetur.*
64 *An Romæ publicata indulgentiæ alicujus revocatione, hujus valor ſtatim deſinat apud nos.*
65 *An revocatis indulgentiis unius ordinis ſint etiam revocatæ, alteri Ordinis inſtar earum conceſſæ?*
66 *An indulgentiæ ſint ſtrictè, vel latè interpretandæ?*
67 *Sunt ſtrictè interpretandæ, quatenùs ſunt odioſæ.*
68 *& 69 Qualiter ſint intelligendæ duæ clauſulæ, quæ hodie in Bullis indulgentiarum apponuntur?*
70 *Quid in petitione indulgentiarum ſit exprimendum, & quæ, ac quales indulgentiæ Romæ peti, & impetrari queant?*
71 *An ſequens ſententiam probabilem in acquiſitione indulgentiæ, vel Jubilæi lucretur à parte rei indulgentiam, vel Jubilæum hujuſque favores, & gratias? & ſeqq.*
74 *Bonum conſilium pro omnibus.*
75 *Notabile pro Reſcribus Eccleſiarum.*

### ASSERTIO IV.

*INdulgentiæ durant pro eo tempore, pro quo ſunt conceſſæ, nec expirant per mortem concedentis. Non transferuntur tranſlato feſto, niſi adſit ſpeciale privilegium: revocari poſſunt, earum tamen revocatio ſufficienter promulgari debet, ut deſinat valor indulgentiarum. Harum interpretatio debet latè, & amplè fieri: ex ea parte, quæ continent favorem, ſtrictè verò ex ea parte, quæ continent odium.* Communis apud Herincx, Gobat, Viva, & Alios. 54

*§. 1. Duratio, & Tranſlatio indulgentiarum.*

1. CErtum eſt, indulgentias tacitè, vel expreſsè conceſſas pro certo tempore, pro illo toto tempore durante, & ex eo finito expirare, quia non poſſunt durare ultra intentionem concedentis. Si verò indulgentia ſit ſimpliciter, & abſolutè conceſſa, ſeu ſine appoſitione determinati temporis, durat perpetuò per ſe loquendo: 55

Nam

Nam tum Superior concedens eam non limitaverit, nec nos limitare debemus. Herincx *diſp. 4. de Pœnit. quæſt. 12. num. 87.* cum Communiſſima. Nec perit indulgentia per mortem concedentis, niſi in ipſamet conceſſione iſte terminus explicitè ponatur. Ratio eſt: Quia *decet conceſſum à Principe beneficium eſſe manſurum*, *ex Reg. 16. Juris in 6.* ita *Suarez diſput. 57. ſect. 2. numer. 2.* teſtans eſſe certum & utique poteſt valor indulgentiæ continuari præcisè propter voluntatem præteritam, ex vi cujus Pontifex, jam ab hinc 100. annis ſepultus, applicuit Theſaurum Eccleſiæ ad talem effectum ſuo tempore producendum. *Lugo de Pœnit. diſput. 37. num. 153.* Dixi: *Niſi in ipſamet conceſſione ponatur terminus mortis*; Si enim concedens indulgentiam dicat: *Concedimus hanc indulgentiam uſque ad beneplacitum noſtrum*, expirat indulgentia morte concedentis; Siquidem beneplacitum extinguitur extincto Privilegiante. Ita *Filliucius*, *Gobat de Indulg. part. 2. cap. 36. numer. 643. Contra Navarrum, Fabrum, Maſtrium cit. quæſt. 3. num. 91.*, Si verò Papa dicat: *concedimus hanc indulgentiam uſque ad beneplacitum ſedis Apoſtolicæ*, vel *donec revocaverimus*. eſt perpetua, nec perit morte concedentis. Communis DD. apud Gobat cit. quia ſedes Apoſtolica non perit mortuo Pontifice; nec hic cenſetur revocare indulgentiam per hoc, quòd ipſe à vita revocetur ad mortem. Et hæc Doctrina intelligenda eſt de omni indulgentia conceſſa, tum ab habente poteſtatem Ordinariam largiendi indulgentiam, tum ab habente ſolùm poteſtatem delegatam. Suarez *loc cit. num. 4.* Unde ſi contingeret Provincialem mendicantium diem extremum obire, aut officio cedere, poſtridiè, quàm ſuis impertivit indulgentiam plenariam ratione viſitationis, eam lucrifacere poſſent omnes biduo, triduo poſt. Gobat *num. 674.*

56 II. Dubitatur hìc, an indulgentia ceſſet ceſſante cauſa, propter quam conceſſa fuit, & ratio dubitandi eſt: quia ceſſante cauſa, ceſſat effectus: ergo ceſſante cauſa conceſſionis indulgentiæ, ipſa etiam indulgentia *ceſſat*. Communis tamen & vera Sententia apud Maſtrium *Theolog. Moral. diſput. 23. quæſt. 3. numer. 50.* Suarez, Filliucium, Gobat *cit. numer. 645.* negat ceſſare indulgentiam ceſſante cauſa, propter quam conceſſa fuit, ut verb. grat. ſi conceſſa fuit indulgentia perpetua pro converſione ad ſidem alicujus Provinciæ; & illa Provincia jam converſa fuit, non ob id tamen indulgentia ceſſat. Ratio eſt: quia cauſa non debet proportionari indulgentiæ quoad durationem; Nam indulgentia perpetua concedi poteſt ob cauſam temporalem; poteſt enim concedi indulgentia perpetua propter fabricam templi paucis menſibus abſolutam: ergo indulgentia non ceſſat ceſſante cauſa. Ad rationem dubitandi dicendum eſt, quòd ſi cauſa erat ab initio ſufficiens ad conceſſionem indulgentiæ perpetuæ, durabit etiam poſteà; quia cauſa Indulgentiæ non eſt perſeverantia illius neceſſitatis, ſed neceſſitas præterita, quæ ſufficiebat ad concedendam indulgentiam etiam pro tempore ſequenti; Illa vero neceſſitas præterita adhuc durat moraliter: cùm adhuc ſit præterita. Et ſic reſpondet etiam *Bonacina*, apud Maſtrium cit.

57 III. *Tempus lucrandi* indulgentias. I. In feſtis, (niſi aliter exprimatur) communiter nunc incipit à primis Veſperis; hoc eſt, eo tempore, quo primæ veſperæ dicuntur, videlicet Hora tertia pomeridiana, & durat uſque *ad ſolis occaſum diei ſeq.* hinc in die S. Joannis Baptiſtæ poſſes adhuc hora octava pomeridiana viſitare Eccleſiam pro lucrandis indulgentiis. *In Quadrageſima* tempus lucrandi indulgentias pro feſtis incipit Media decima antemeridiana; cùm eo tempore in Quadrageſima veſperæ dici poſſint. *In feriis verò, & non feſtis diebus* tempus lucrandi indulgentias incipit à nocte intempeſta uſque ad alteram noctem intempeſtam, hoc eſt, *ab hora 12. noctis, uſque ad horam 12. noctis ſequentis*. Ita Gobat *p. 2. de indulgentiis cap. 36.*

58 II. Quando in aliquo Brevi indulgentiarum ponitur hæc clauſula: *præſentibus ad ſeptennium, à die publicationis illarum computando dumtaxat valituris*, tempus lucrandi indulgentiam incipit à die publicationis factæ in loco, pro quo conceditur indulgentia; nam Romæ non fit publicatio ejuſmodi Brevium. Quando verò ponitur ſequens clauſula: *Præſentibus ad ſeptennium proximum valituris*, debet Breve indulgentiam continens publicari, & conſequenter indulgentiæ tempus inchoari illo ipſo anno, quo Romæ eſt acceptum Breve; quia ſi differatur ad unum alterumve annum peribit unus, alterve annus indulgentiæ. Ita Gobat *cit. numer. 659.* quod magis patet ex ſequenti Decreto S. Congregationis indulgentiis, & Reliquiis præpoſitæ, quod refert La Croix *lib. 6. part. 2. numer. 525.* & eſt ſequentis tenoris: *diſcuſſo dubio in S. Congreg. indulgentiis, & S. Reliquiis præpoſita: An attentis verbis, quæ in Brevibus indulgentiarum apponi ſolent. Præſentibus Supplem. Theol. Sacram.* *ad ſeptennium tantùm valituris, ſeptennii initium à die publicationis Brevis deſumendum ſit. Eadem S. Congregatio, die 18. Maii, 1711. declaravit, non à die publicationis, ſed à die datæ Brevis ſeptennii tempus incipere. Et facta relatione SS. Domino noſtro per me infra ſcriptum ſecretarium die 20. ejuſdem menſis, ſanctitas ſua Congregationis ſententiam approbabit, I. M Cardin. Gabrielius Præf. Raphael Coſmus de Hieronymis Secret. Romæ, Typis Cameræ Apoſtolicæ, 1711.* Porro licet in Brevi indulgentiarum contineatur iſta clauſula: *præſentibus ad ſeptennium à die publicationis computando, dumtaxat valituris*, videtur poſſe (ait *Gobat cit. numer. 661.*) ſaltem ex rationabili cauſa à Prælato, Parocho &c. publicatio differri ad unum, alterumve annum; & tunc primùm inchoabitur illud ſeptennium. Ratio eſt: quia ejuſmodi Breve non præcipit mox publicari, ſed tantùm inchoari ſeptennium poſt publicationem: ergo niſi obſtet ſtylus Curiæ Romanæ, poteſt publicatio, ſaltem ex juſta cauſa, validè prorogari ad biennium circiter. Singulariter autem ſcribit & tamquàm certum ſupponit P. Quintanadvennas apud *Gobat cit.* Brevia indulgentiarum, de quibus hic tractamus, non habere ullam vim ante notitiam earum ſactam illi, in cujus gratiam conceditur ſeptennii tempus; quia ignoranti non currit tempus. *L. Quamdiu Cod. qui admitti. Barboſa Axiom. 113. numer. 15.* Si igitur Breve pro Altari Privilegiato verb. grat. expeditum Romæ hoc anno 1723. pro Eccleſia B. perveniat ad hujus Rectorem primùm Anno 1725. vel 1726. poterit ſeptennium in eo expreſſum numerari ab Anno 2726. ad Annum 1733. ita Quintanadvennas cit.

59 III. Specialiter autem eſt contra Zypæum apud Dianam *pert. 9. tractat. 2. reſol. 10. & 11.* notandum, ſimilia Brevia neque cenſeri ſubreptitia ex eo, quòd ſint petita, atque impetrata aliquando ante finitum ſeptennium, cujus prorogatio petitur, eſto in illis ipſis Brevibus ponatur, ut ſolet, hæc clauſula: *Simili ad præſens Privilegio, ut accepimus, minimè decoratum*; neque etiam minui tempus ſequentis ſeptennii ex eo, quòd Breve pro illo advenerit ad oratorem aliquantò ante finitum primum ſeptennium: Nam & primam illam doctrinam Zypæi nimis ſcrupuloſam arbitrantur aliqui viri docti, teſtante, nec diſſentiente Diana *cit. reſol. 12.* & hanc ſecundam refellit hæc Ratio, quòd alioquin nimis ſæpe contigeret, ut haberentur duo, vel tres menſes vacui Privilegio Altaris, ut argumentatur cum Sylvio Diana *cit. reſ. 11.* Addente Cotonio *celebrior. Controv. Tom. 2. lib. 2. Controv. 11. cap. 3. numer. 95.* non per quodvis tempus, validè nondum elapſo primo ſeptennio, anticipari petitiones Confirmationis; ut ſi quis ſecundo, vel tertio anno primi, impetret pro ſecundo ſeptennio; ſed prudenter eſſe procedendum, penſata diſtantia loci à Curia Romana, & qualitate indulgentiatum. *Nam loquendo de ea, quæ conceditur pro anniverſario die alicujus ſancti: nimiam anticipationem exiſtimo, ſi petatur ante ultimam feſtivitatem; non, ſi ſtatim poſt illam. Si autem de Altari Privilegiato, quod valet hebdomadatim, puto peti poſſe eo tempore, ut ſecundæ litteræ perveniant in locum uno menſe ante completum ſeptennium; indulgentia vero ſeptem Altarium, quæ ſunt quotidianæ, ut proveniant quindecim ante diebus.* Ita *Cotonius*; cui ſubſcribo, (ait Gobat *citat. numer. 662.*) ut tamen nolim injicere ſcrupulum petentibus maturiùs, quam indicat Cotonius; quandoquidem ſum uſu doctus, tam crebrò ob varias cauſas deſerri contra omnem ſpem tum oblationem ſupplicum libellorum, tum horum placidationem, ut ſic loquar, aut in Cancellaria Apoſtolica expeditionem, tum delationem ad locum deſtinatum, ut judicem, non poſſe ſine multùm probabili metu ſperari gratiæ actualem in tempore opportuno obtentionem, ſi quis ſeſe conſtringat intra terminos tam arctos. Ita *Gobat cit.*

60 IV. Denique hic noto ex Quintanadvenna *tract. 2. Appendicis ad ſua ſingularia, dub. 3. numer. 5.* tum indulgentias ad ſeptennium datas durare à die, qua in primo anno inchoatum eſt id ſeptennium, uſque ad diem ei correſpondentem in ſeptimo anno; cum annos illos ex ejuſdem ſententia *numer. 5.* debere eſſe continuos, non autem interpolatos; ſic enim receptum eſt in praxi, ex qua Pontificis intentio apparet, & aliter maxima confuſio eſſet tum in annorum computatione, tum in indulgentiæ lucratione. Ita ille, cui adſtipulatur *Gobat cit. numer. 663.* Caſu, quo in Brevi ponitur hæc clauſula: *Ad proximum ſeptennium: proximos in annos &c. computandos*, ut jam ſcripſerat *tract. de Jubilæo cap. 10. numer. 56.* At ubi deeſt limitativa clauſula: *Proximum* (inquit *Gobat. cit.*) teneo conſtanter id, quod *tract. de Jubilæo numer. 55. & 56.* cum approbatione virorum ſapientum docui, ſcilicet illud ſe-



Digitized by Google

tennium, ſi occurrat cum Jubilæo anni ſancti, in quo ſuſpenduntur indulgentiæ (conceſſæ pro vivis, quia Altarium Privilegiatorum non ſuſpenduntur) Brevis, illa clauſula eatenus, poſſe gratiam Pontificiam extendi ad annum ab exordio octavum incluſivè. Ratio eſt: Quia Papa in Anno Jubilæi *ſuſpendit* quidem indulgentias pro vivis conceſſas, non tamen *extinguit* unum annum ex annis priùs disertè conceſſis in Brevis indulgentiarum. La Croia *lib. 6. part. 2. numer.* 1378. ait: ſi indulgentia plenaria conceſſa ſit verb. grat. ad 7. annos, non debet numerari annus Jubilæi, niſi additum eſſet: *ad ſeptem annos proximos*. Gobat *de Jubilæo, numer* 56. *& de indulgent. numer.* 663. Bellegambe *part.* 2. *ſect.* 4. *quæſt.* 6. & idem fortè eſt, ſi dicatur; *ad ſeptennium proximum*: ſi autem dicatur ſimpliciter: *ad ſeptennium*, Gobat & Viva *quæſt.* 4. *art.* 5. contra Paſqualigum putant durare ad ſeptem annos utiles.

61 IV. Quando transfertur feſtum aliquod, pro quo conceſſa eſt indulgentia, non transfertur ſimul indulgentia. Sic enim declaravit *Sacra Rituum Congregatio*, 10. Junii 1690. *translato feſto, in cujus die conceditur indulgentia, non transfertur etiam indulgentia, niſi ex conceſſione ſpeciali*. Ita habetur apud P. Claudium La Croia *tom. 7. lib. 6. parte 2. numer.* 1954. in *Decreto* 298. Quod etiam lego in Rubricis *noſtri Breviarii Franciſcani noviſſimi numer.* 109. hiſce verbis: *Per quod pariter fuit declaratum, quòd translato feſto, pro quo conceſſa eſt indulgentia, minimè transfertur ipſa indulgentia idque etiam habetur ex alio ejuſdem Congregationis Decreto, die 10. Junii, 1690. Quod intelligendum quoad feſtivitates, & Religiones, ſeu Eccleſias, nullum habentes Privilegium in contrarium, vel quorum Superiores locales Privilegii habiti uſui aliquando renunciaverint. Circa quod videnda eſt Conſtitutio Leonis X. quæ incipit: Expoſcit. die 23. Junii* 1518. *expedita, & paſſim executioni mandata*. Hucuſque Rubricæ particulares noſtri Breviarii Franciſcani.

## §. II. *Revocatio Indulgentiarum*.

62 I. OMnis omninò indulgentia poteſt revocari à ſuo concedente, vel ejus ſucceſſore, aut ſuperiore, antequàm ſuum ſortiatur effectum ita DD. Communiter. Nam omnis res, per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur. *Cap. omnis res, de Reg. Juris in* 6. Et patet ex praxi Pauli V. qui tam multas indulgentias à ſuis Anteceſſoribus conceſſas revocavit. Dixi: *Antequàm ſuum ſortiatur effectum*: Nam ſi ſit jam effectum conſecuta, non poteſt revocari quoad illum effectum; quia remiſſio pœnæ ſemel facta, non poteſt retractari, & *Divina Clementia, dimiſſa, in ultionem ulteriùs redire non patitur*, inquit Gelaſius Papa relatus *Cap. fin. de Pœnit. diſt.* 4. Quòd ſi Pontifex abſque juſta cauſa revocet indulgentiam valdè proficuam animabus, aut pro qua obtinenda jam ſunt facti aliqui ſumptus, peccabit quidem, valebit tamen revocatio, *Suarez. Tom. 4. in 3. part. diſput.* 57. *numer.* 7. *Lugo tom. 3. in 3. part. diſput.* 17. *numer.* 146. inſuper poſſe Pontificem per actum voluntatis merè internum, ſine ullo ſigno externo, revocare indulgentiam, cenſent poſt Cordubam, *Suarez. loc. cit. ſect. 2. numer.* 10. *& Fillincius tract. 8. num* 242. *Herincx diſput. 4. de Pœnit. quæſt.* 12. *numer.* 85. Ratio eſt: Quia valor indulgentiarum dependet eſſentialiter, etiam in conſervari, à perſeverante voluntate concedentis. Modus tamen ita revocandi eſſet peccaminoſus; quia fideles multùm deciperentur.

63 II. Juata DD. Communiter apud Herinex cit. eſt neceſſarium, ut indulgentiarum revocatio ſufficienter promulgetur, ſimili modo, quo promulgari debet revocatio Privilegiorum, imò *Suarez. cit. numer. 9. Bonacina, & Præpoſitus* probabile putant, ſi ignorans indulgentiam revocatam eſſe, utatur gratiis in ea conceſſis, id validè facere, verb. grat. ſi confiteatur caſum reſervatum, validè abſolvi, nec teneri poſteà caſum confiteri; & conſequenter lucraturum indulgentiam, ſi faciat opus præſcriptum. Hoc tamen pendet à voluntate Pontificis, quæ ſanè non ſatis apparet eſſe talis, ut rectè advertit *Suarez.*: cùm etiam leges irritantes poſt ſufficientem promulgationem habeant ſuum effectum in ignorantibus, juxta dicta *in ſupplemento Theologiæ Moralis Decalogalis, cap. 1. ſect. 3. de Promulgatione Legis Humanæ, & de lege irritante*, & tamen majora inde ſequi poſſint incommoda, quàm ex invaliditate ſolarum indulgentiarum. Et planè incredibile videtur (ait *Herincx cit.*) caſu ignorantem revocationem indulgentiarum etiam publicè in loco factam, poſteà adhuc eas lucrari, viſitando verb. grat. Eccleſiam ſtatis diebus.

64 III. Hoc certius eſt, quod, etſi revocatio indulgentiæ ſit facta publicè, & affixa Romæ Bulla revocatoria illius, non tamen ſtatim incipiat ubique deſinere valor ejus. *Navarrus de Jubilæo, Not. 31. numer.* 28. *Sà numer. 9. Gobat tr. 4. de indulg. part. 2. numer.* 666. & Alii Communiter, argum. *L. ſi procuratorem, ff. de Procur.* ſed tandiu ſingulis in Provinciis durat, donec communi, & morali modo ad eas potuerit pervenire revocatio, ut rectè addunt *Suarez. cit. ſect. 2. num. 9. & Fillincius numer.* 251. eo quòd alioquin orirentur nimis magna incommoda, & deceptiones.

IV. Porrò quando revocantur indulgentiæ alicujus Eccleſiæ, aut ordinis non cenſentur revocatæ indulgentiæ alteri loco, aut ordini inſtar earum conceſſæ. Ita *Navarrus de Jubilæo, Not. 26. numer.* 8. Nam etſi ejuſmodi indulgentiæ a prioribus pependerint quoad productionem, non tamen pendent quoad conſervationem. Imo revocatis indulgentiis omnibus, quæ alicui Eccleſiæ ſunt conceſſæ, non cenſentur revocatæ illæ, quas habet unum, alterumve illius Eccleſiæ Altare Privilegiatum. Nam non eſt ratio, cur nomine Eccleſiæ intelligantur in hac odioſa materia etiam Altaria. Ita *Gobat tractatu 4. de indulgentiis, cap. 37. num. 676. Lezana Verſ. Bulla Cruciata num.* 41. 65

Quænam verò indulgentiæ in ſpecie ſint revocatæ, dicemus ſectione ſeq. quæſt. 4.

## §. III. *Interpretatio Indulgentiarum*.

I. BUllæ Jubilæorum & indulgentiarum ex ea parte, qua continent favorem, latè ſunt interpretandæ, quoad patietur verborum proprietas: niſi in particulari caſu vel materia, communis praxis, vel ſtylus Curiæ Romanæ, aut omninò peculiaris ratio reſtrictionem perſuadeat. Ita ſentiunt Suarez *Tom. 4. in 4. part. d. 56. ſect. 2. & lib. 6 de Voto, cap. 16. num.* 3. Heutiquez *lib. 7. cap. 30. num.* 1. Sanctarellus *c. 8. d.* 12. Contra Navarrum, Sanchez, & Alios. Ratio eſt 1. quia ipſimet Pontifices condiderunt, & approbarunt notiſſimam *Regulam Juris in 6. odia reſtringi, favores autem convenit ampliari* 2. Quia *cap. quamvis de Præb. in 6.* admittitur Lex *Beneficium ff. de Conſtit. Principum*, quæ ita habet: *Beneficium Imperatoris* (& quidni Summi Pontificis?) *quod à Divina ſcilicet ejus indulgentia proficiſcitur, quàm ampliſſimè interpretari debemus* 3. Quia *in his, quæ ad Divinum cultum ſpectare dignoſcuntur, benigna eſt interpretatio facienda. Cap. in his de Privileg.* Idcirco videlicet; quia *ſumma eſt ratio, quæ pro Religione facit*; atqui conceſſio Jubilæi, ejuſque favores, ſicut & aliorum indulgentiarum, faciunt ad Divinum cultum; Etenim eorum uſus eſt populo Chriſtiano maximè ſalutaris, *ex Concilio Trident. ſeſſ. 25. in Decreto de indulgentiis*: Ergo indulgentiarum interpretatio eſt latè facienda, juxta Regulas tamen, quas paſſim DD. tradunt, cùm de legum interpretatione agunt, & nos dicemus *in Supplemento Theologiæ Moralis Decalogalis cap. 1. de Legibus, ſectione quarta*. Ex his infero duas Regulas ex *P. Dominico Viva de Jubilæo, q. 2. art. 1. &* 2. *Prima eſt*: Quando verba Jubilæi, aut alterius indulgentiæ ſunt dubia, quoad remiſſionem pœnæ, Bulla tamquam favorabilis latè interpretanda eſt. *Secunda eſt*: Quando dubium eſt circa favores, & gratias in Jubilæo conceſſas, lata etiam fieri debet interpretatio. *Nec dicas*, indulgentiam eſſe diſpenſationem in Jure à DEO acquiſito ad injuriam vindicandam; diſpenſationem autem ſtrictè interpretandam eſſe. Nam Reſp. per indulgentiam non diſpenſari in Jure Divino, ſed pretio ſoluto per Theſaurum Eccleſiæ, obtinetur remiſſio; Unde indulgentia privilegium potiùs eſt, quàm diſpenſatio. *Inſtabis*: Privilegium, & Beneficium Principis latè quidem interpretandum eſt, quando non eſt præjudicium tertii, *ex L. ultima, de Conſtitutionibus Principum*: In caſu autem noſtro lata interpretatio favorum Jubilæi eſſet in præjudicium tertii, videlicet Epiſcoporum, ſi ſcilicet latè interpretemur facultatem eligendi Confeſſarium, qui abſolvat à reſervatis Epiſcopo: Ergo favores Jubilæi latam interpretationem non patiuntur. Reſp. Quamvis afferatur aliquale præjudicium Epiſcopis, non per hoc ejuſmodi favores, tamquam odioſi, ſtrictè ſunt interpretandi: tum quia Pontifex ſuo exemplo docet, debere alios Superes libenter cedere ſuo Juri circa reſervata: tum etiam, quia hujuſmodi præjudicium eſt admodùm leve; & utilitas univerſalis, quæ ex ampla favorum interpretatione dimanat, abunde illud compenſat. Ita *Viva cit. & Gobat de Jubilæo cap. 5. num.* 26. 66

II. Bullæ Jubilæorum, & Indulgentiarum, ex ea parte qua continent odium, ſeu gravamen, ſtrictè ſunt interpretandæ, quoad patietur verborum proprietas; niſi latiorem interpretationem perſuadeat ſtylus Curiæ, vel praxis recepta, vel omninò peculiaris ratio in particulari aliqua materia, caſuve. *Gobat cit. n.* 27. Ratio eſt: quia illa Brevia, 67

ut ſic

Digitized by Google

ut ſic conſiderata, vel auferunt gratiam, vel inferunt pœnam, vel injungunt operationem? ſi primum: ſtrictam interpretationem ſuadet tum *Regula Juris in 6. odia reſtringi, favores autem convenit ampliari*; tum illa: *Indultum à Jure beneficium non eſt alicui auferendum*, eod. Si ſecundum; eamdem interpretationem perſuadet *Regula 49. eod. In pœnis benignior interpretatio eſt facienda*. Si tertium; pro eadem interpretatione facit *Lex 99. ff. de Verb. Signif.* quæ ita habet: *Quidquid adſtringendæ obligationis eſt, id, niſi palàm verbis exprimatur, omiſſum intelligendum eſt*. Ex his ſequitur, quòd Bullæ, quatenùs indulgentiam Plenariam, & favores eligendi Confeſſarium, qui abſolvat, & vota commutet, continent, latè ſunt interpretandæ; in quantum verò præcipiunt certa opera exequenda, vel indulgentias ſuſpendunt in anno ſancto &c. ſtrictè ſunt intelligendæ.

68 III. In explicatione, & interpretatione Brevium indulgentiarum, hodiè benè notandum eſt *Decretum Innocentii XI.* quod adducit *La Croix l. 6. parte 2. numer.* 1379. & eſt ſequentis tenoris: Cùm à S. Congregatione indulgentiis, ſacriſque Reliquiis Præpoſita, Cameracenſis Archi-Epiſcopus quæſiviſſet, quæ vis, & ſententia clauſulæ (quæ hodie Brevibus indulgentiarum apponi ſolet) *volumus autem, ut ſi aliàs Chriſti fidelibus dictam Eccleſiam qualibet Anni die viſitantibus aliqua alia indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapſum duratura, conceſſa fuerit, præſentes litteræ nullæ ſint*: S. Congregatio re diligenter examinata, clauſulam ſic explicandam cenſuit, ſi videbitur Sanctiſſimo Domino noſtro: Ea minimè contineri Altaria privilegiata pro defunctis; neque indulgentias, aut certo perſonarum generi conceſſas, ut Confraternitati, Regularibus, & Capitulo, aut certum pium opus in ipſa Eccleſia peragentibus, ut Litanias, aliaſve hujuſmodi preces recitantibus, ac iis, qui Chriſtiana Doctrina erudiuntur, vel alios erudiunt, & qui ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti expoſitioni cum oratione quadraginta horarum interſunt, neque ſtationum Urbis, & ſeptem Altarium indulgentias inſtar ſeptem Altarium Baſilicæ Vaticanæ conceſſas, neque demum, quæ pro unica vice conceduntur. Cæterùm, ſi alia indulgentia ſive plenaria, ſive non plenaria, in perpetuum, vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice, generatim Chriſti fidelibus Eccleſiam, vel aliquod ejus Altare, ſeu Cappellam viſitantibus, eodem anni die, vel diverſo conceſſa fuerit, de qua non fiat in litteris Apoſtolicis mentio, has litteras ob adjectam clauſulam eſſe prorsùs irritas, ac nullas. Datum die 23. Junii 1676. De his autem facta relatione ad Sanctiſſimum Dominum noſtrum die 18. Martii, 1677. Sententiam Congregationis approbavit. Affixum, & publicatum &c. *ſubjungit La Croix cit.* Dicta tamen clauſula non obſtat; ſi petatur, & detur prorogatio ante elapſum priùs ſeptennium; quia intalligitur non debere eſſe alias indulgentias, quando tempus prorogationis incipiet poſt elapſum ſeptennium.

69 IV. Quando in Bullis indulgentiarum inſerta eſt ſequens clauſula: *Volumus autem, ut, ſi pro impetratione, præſentatione, admiſſione, ſeu publicatione, aliquid vel minimum detur, vel ſponte oblatum accipiatur, præſentes nullæ ſint eo ipſo*; vel virorum gravium Romæ florentium opinio (ait *Gobat de indulgent. parte 2. numer.* 428.) non incurri illam pœnam, niſi quid detur ex pacto ſaltem virtuali: hoc enim videtur indicare illa particula: *pro*. Deinde hæc interpretatio benigna eſt, qualem decet eſſe in odioſis reſtringendis, & non repugnat prædictæ particulæ proprietati, & denique eſt omnino conformis conſtitutioni Gregorii XIII. *De datis pro gratia obtinenda*. Ad incurrendam tamen pœnam prædictæ nullitatis ſufficit, ſi reipſa aliquid pro impetratione, &c. detur ex pacto, etſi fortè non admittatur. Ratio eſt: quia Pontifex dicit ſub disjunctione: *Si detur, vel accipiatur*; Atqui ad veritatem disjunctivæ ſufficit, unam partem verificari, *Reg. 70. in 5. Ergo. Gobat cit. n. 429.*

### §. IV. *Modus impetrandi indulgentias.*

70 QUando quis Romæ petit indulgentias, debet in petitione indulgentiarum ſpecificare Titulum Eccleſiæ. Item an ſit Eccleſia Sæcularis, Filialis, Parochialis, Cathedralis, vel Regularium, & qualium. Item locus, Diœceſis, & dies, pro qua petuntur indulgentiæ, verb. gr. ſic: *Petitur indulgentia plenaria ad ſeptennium, pro Eccleſia Parochiali, (vel Filiali, vel regulari &c.) S. Petri, Civitatis, vel oppidi, vel pagi N. Diœceſis Ratisbonenſis vel N. in Feſto S. Sebaſtiani*. Ut autem ſciatur, quænam, & quot indulgentiæ Romæ peti, & obtineri queant, ſequentia ex *P. Claudio La Croix l. 6. p. 3. n.* 921. Notentur:

1. Regulariter cuivis Eccleſiæ, vel Cappellæ, quæ non ſit Regularium, unica tantùm conceditur indulgentia per annum ad ſeptennium durans: pro Eccleſiis tamen Cathedralibus, Collegiatis, ac Parochialibus poſſunt per Memoriale à Pontifice impetrari Binæ ad ſeptennium.

2. Cuivis Eccleſiæ ſive regularium, ſive non regularium dantur ad ſeptennium indulgentiæ pro comprecatione 40. horarum, & pro viſitantibus 7. altaria, & quidem ſine memoriali.

3. Pro Eccleſiis regularium, quæ habent indulgentias ordinis, poteſt ad ſeptennium per Memoriale impetrari unica tantùm indulgentia alia.

4. Pro unica vice, vel etiam pro Communione Generali, ad ſemel datur per Memoriale indulgentia cuivis Eccleſiæ tam regularium, quàm non regularium.

5. Sine Memoriali cuilibet Eccleſiæ datur indulgentia 200. dierum pro iis, qui interſunt Litaniis Lauretanis in Feſtis B. V. Mariæ, & ſemel in hebdomada.

6. Si ſit aliquis locus, qui ob Miraculoſam quandam ſtatuam, vel imaginem, à fidelibus ſoleat proceſſionaliter frequentari; poteſt quidem præpter ſolitas indulgentias, per memoriale impetrari una alia ad ſeptennium pro viſitantibus dictum locum ſemel in anno; ſed debet mitti atteſtatio ab Ordinario, vel ejus Vicario, vi cujus fides fiat, quòd reverà locus talis ſit.

7. Pro Monialibus dantur ſequentes indulgentiæ, ordinariè ad ſeptennium. Indulgentia una pro omnibus Chriſti fidelibus. Indulgentiæ quatuor pro Monialibus tantùm. Indulgentia 7. Altarium; ſi tot adſint. Indulgentia 7. Eccleſiarum. Indulgentia Scalæ ſanctæ. Indulgentia in articulo mortis: Et hæ omnes ſunt plenariæ. Indulgentia 100. dierum ſi interſint Litaniis Lauretanis, ut ſuprà. Altare privilegiatum pro animabus Monialium, fundatorum, & benefactorum.

8. Indulgentiæ perpetuæ via dantur, ſicut neque durantes ultra ſeptennium, niſi pro partibus valdè remotis, pro quibus dantur ad decennium, vel etiam ultrà.

9. Pro aliqua confraternitate jam erecta, vel erigenda petitur, & conceditur Breve perpetuum, & virtute hujus conceduntur ſequentes indulgentiæ perpetuæ pro confratribus, & conſororibus. Indulgentia plenaria in die ingreſſus. In articulo mortis. In Feſto Principali per annum. Indulgentia 7. annorum, & 7. quadragenarum pro 4. aliis Feſtis minùs principalibus per annum ſpecificandis in Brevi. Indulgentia 60. dierum pro omni opere pio ex iis, quæ in Brevi confraternitatis ſpecificantur.

### Quæſtio incidentalis.

*An ſequens Opinionem probabilem in Acquiſitione indulgentiæ, vel Jubilæi, lucretur à parte rei indulgentiam, vel Jubilæum, hujuſque favores, & gratias.*

71 I. BOſſius de *Jubilæo ſect. 4. caſu* 8. ex Bonacina, & Bartholomæus à ſancto Fauſto apud Dianam *parte 5. tr. 12. reſolut.* 32. putant, opinionem etiam probabiliorem non ſuffragari in ordine ad indulgentiam lucrandam, ſi reverà indulgentia non ſit conceſſa, aut ſi præſcriptum opus non præſtetur. Et ratio videtur eſſe, quia in indulgentiis obtinendis, ſicut, & in aliis omnibus, quæ pendent ex facto, non juvat error, aut opinio, niſi adſit veritas. Nec dici poteſt, Eccleſiam in hoc caſu ſupplere defectum, ſi adſit, ut ſupplet defectum Juriſdictionis ex *L. Barbarius, de Officio Prætoris*. Nam hic non agitur de bono publico, ſed de privato, & quoad forum tantùm interius.

72 II. E contra Paſqualigus *quæſt.* 60. Leander, Martinus à S. Joſepho, Diana *parte* 10. *tractatu* 11. *reſolut.* 34. Viva *q. 3. de Jubilæo, art.* 1. docent, probabilem eſſe, ad lucrandas indulgentias ſufficere opinionem probabilem tam circa conceſſionem indulgentiæ, quàm circa opera injuncta. Ratio eſt: 1. quia communiùs DD. docent cum Suarez *diſp. 32. de Pœnitentia, ſect. 5.* Sanchez *lib 3. diſput. 20.* Leſſio *capit. 29. numer.* 68. Papam in Sacramento Pœnitentiæ conferre Juriſdictionem, quando de ea habetur opinio probabilis: ergo, & in noſtro caſu confert indulgentiam, quando de ea lucranda habetur opinio probabilis. 2. Quilibet dicitur ſatisfacere Legi, ſi ponat opus præceptum juxta probabilem opinionem, quod etiam à Doctoribus communiter conceditur: Ergo injunctio operum in Bullis indulgentiarum, vel Jubilæi, eſt, ut ponatur juxta probabilem opinionem; atque adeò, qui juxta probabilem opinionem exequitur opera injuncta, exequitur quidquid intendit Pontifex, & fructum indulgentiæ aſſequitur. Ad rationes in contrarium, falſum eſt in iis, quæ pendent ex facto, nihil juvare opinionem probabilem, ſi factum pendeat ex voluntate *Superioris humani*, ut patet in eo, qui abſolvit cum Juriſdictione tantùm probabili. Deinde

ſicut Eccleſia ſupplet defectum Juriſdictionis ob bonum privatum pœnitentis, quando abſolvitur eum Juriſdictione tantùm probabili, ſic etiam hic ea præſumpta Summorum Pontificum benignitate cenſetur ſuppleri, ob bonum privatum lucrantis Indulgentias, defectus operum ſecundùm opinionem probabilem peractorum.

73 III. Similiter *Viva cit. art. 2. Diana, Gobat de Jubilæo, c. 44. num. 333.* Cum communiori docent, Jubilæi favores obtineri poſſe ſequendo opinionem probabilem, etiamſi à parte rei hæc ſit falſa: verb. grat. demus falsò, ſed probabiliter aſſeri, quòd quis lucretur Jubilæum extraordinarium, ponendo in una hebdomada jejunia, in alia communionem; quamvis in hoc caſu is, qui huic probabili opinioni ſe accommodat, reverà non lucraretur indulgentiam quoad remiſſionem pœnæ temporalis juxta ſententiam Boſſii, *ſuprà num. 71.* adductam, adhuc tamen favores Jubilæi probabiliſſimè aſſequitur, ita ut valeant abſolutiones à reſervatis, & commutationes votorum factę ex ſuppoſitione alicujus probabilis ſententiæ de Jubilæi conſecutione. Ratio eſt: Quia quando ob rationem, Doctorumve auctoritatem eſt probabile, quòd alicui Sacerdoti competat poteſtas abſolvendi, validè abſolvit, eſto opinio illa reipſa ſit falſa; quandoquidem ad præcavenda ingentia animarum damna, Eccleſia in eo caſu ſupplet defectum Juriſdictionis, tribuendo illam præcisè, quia prudenter judicatur, quod ſit conceſſa, ut plerique DD. docent cum *Lugo tom. 3. diſp. 10. ſect. 2. §. 1.* Ergo etiam in caſu noſtro probabiliſſimum eſt obtineri favores Jubilæi in ordine ad validè, ac licitè abſolvendum à reſervatis, & ad vota commutanda, quoties quis ſequitur probabilem ea de re opinionem, etiamſi illa reverà eſſet falſa. Nec dicas: in Sacramentis conferendis non licet ſequi ſententiam probabilem de eorum valore omiſſa tutiore, ut conſtat ea propoſitione prima ab Innocentio XI. damnata; ſed in caſu noſtro abſolutio à reſervatis pertinet ad valorem Sacramenti Pęnitentiæ: Ergo non licet à reſervatis abſolvere præcisè ex opinione probabili, quòd detur juriſdictio requiſita, & conſequenter favores Jubilæi non obtinentur ſequendo ſententiam de illa probabilem. Reſpondetur enim, quòd ſententia dicens licere abſolvere eum Juriſdictione probabili, licèt ex principiis directis ſit tantùm probabiliſſima, cùm non paucos, & graves Doctores habeat Adverſarios; tamen ex Principiis reflexis ſit moraliter certa, nimirum ex hoc: Certum eſt, quòd conſuetudo det Juriſdictionem certam, *ex capit. cùm contingat. de foro competenti;* Atqui etiam certum eſt, dari in Eccleſia conſuetudinem abſolvendi, eum Juriſdictione tantùm probabili, ut reſtatur Suarez *diſput. 17. de Pœnit. ſect. 1. num. 7.* Lugo *diſput. 19. num. 35.* Palao, & indubitatum eſſe, dicit Viva *cit.* Ergo abſolvens cum Juriſdictione directè, & ſpeculativè tantùm probabili, in actu exercito abſolvit cum Juriſdictione reflexè, & practicè certa, adeòque in Sacramento Pęnitentiæ non ſequitur ſententiam tantùm probabilem, ſed moraliter, & practicè certam, ita *Viva citatus.*

IV. Nihilominùs, qui ſibi conſultum vult, debet ſe
74 indulgentiarum obtinendarum ſtudio accommodare ſententiis tutioribus, ſive ſint magis, ſive minùs probabiles. Quare ad indulgentiarum acquiſitionem obſervet ſequentia: 1. *Omnes* à Pontifice præſcriptas conditiones pro lucrandis indulgentiis, obſervet religioſiſſimè, & integerrimè 2. *Antequàm* incipiat exequi opera, ponat ſe in ſtatum gratiæ, & formet intentionem, pro quo velit applicare, & lucrari indulgentias 3. *Tot indulgentias*, quot poteſt, applicet animabus purgatorii; quia ſic parabit aſſiduos apud DEUM pro ſe interceſſores; & quia nemo ſcire poteſt, an hæc determinata anima verb. grat. Pauli, ſit in purgatorio, applicet illi indulgentiam, ſub conditione, v.g. *Si hæc anima Pauli ſit in purgatorio, applico illi indulgentiam; ſi non ſit, alteri, vel animæ miſerrimæ, vel liberationi proximæ.* Denique optimum eſt, ſi Religioſus, vel quiſcunque manè faciat hanc intentionem: Domine DEUS, omnes indulgentias, quas hodie pro defunctis obtinere valeo, applico pro tali, vel tali anima, & ſi hæc non indigeat, pro alia, &c. *Gobat de indulg. p. 2. c. 39.*

Notabile.

*Pro Rectoribus, & ſuperioribus Eccleſiarum.*

75 ROgantur humaniſſimè, ut poſt elapſum terminum indulgentiarum temporalium v.g. altarium privilegiatorum, quadraginta horarum, pro feſto alicujus ſancti, vel aliorum ad certum tempus v.g. ad ſeptennium conceſſarum, citò, & tempeſtivè petant Romæ renovationem finitarum indulgentiarum; ne deinde fideles putantes adhuc valere ſimiles indulgentias, quarum tamen terminus jam eſt finitus, decipiantur in re gravi, ſicut etiam Confeſſarii ob putatum adhuc valorem ſimilium indulgentiarum injungentes Pœnitentias leviores, prout alicubi factum ſcio.

## SECTIO II.

*De indulgentiis in ſpecie.*

## QUÆSTIO I.

*De indulgentiis Regularibus in communi conceſſis.*

### SUMMARIUM.

77 *Paulus V. revocavit indulgentias Regularibus conceſſas,*
78 *Et loco earum alias iiſdem conceſſit, quæ enumerantur.*
79 *Quid ſint indulgentiæ ſtationum?*
80 *Circa eas obſervandum eſt Decretum Innocentii XI.*
81 *Recenſentur indulgentiæ ſtationum Urbis Romæ.*
82 *Quis poſſit lucrari indulgentias ſtationum, & an etiam defunctis poſſint applicari?*
83 *Circa indulgentias tria adhuc ſunt notanda Regularibus.*
84 *Quid ſentiendum de communicatione indulgentiarum inter Regulares?*
86 *Qualiter intelligenda ſit communicatio indulgentiarum*

### ASSERTIO I.

*PAulus V. Pontifex Romanus revocavit indulgentias Re-* 76
*gularibus conceſſas, & loco earum, alias ex integro eiſdem elargitus eſt, quas hic recenſebimus.* Certa.

*§. I. Paulus V. revocavit indulgentias Regularibus, & Monialibus*

DIrectè, & principaliter conceſſas. Ita conſtat ex hu- 77
jus Pontificis Bulla: *Romanus Pontifex, edita 23. Maji* 1606. quam in Appendice Alphabetica hujus Supplementi in terminis adducemus, *V. indulgentia.* Attamen loco revocatarum alias indulgentias Regularibus benignè conceſſit. Nihilominùs *certum eſt I.* ut, notant Peyrinus, Lezana, Quintanadvennas, Gobat *de indulgent. p. 2. c. 27.* & Alii Paulum V. non revocaſſe pro Regularibus, indulgentias Chriſti fidelibus indiſcriminatim conceſſas, unde adhuc iis frui poſſunt Regulares. *Nec II.* Paulus V. revocavit indulgentias Regularium Locales, ſeu Eccleſiis, & Cappellis Regularium conceſſas, ſed ſolùm perſonales, uti S. Congregatio declaravit 7. Septembris 1607. apud Vivam *in Appendice indulgentiarum, §. 1. numer. 6.* & Peyrinum *de privil. tr. 3. cap. 9. num. 82.* *Nec revocavit III.* indulgentias quæ impertitæ erant Parentibus, & cognatis, & ſervitoribus Religioſorum: Quintanadvennas apud Gobat *cit. n. 546.* vel ipſis Religioſis pro animabus purgatorii, ut v. g. poſſint tali die, orando, vel ſacrificando liberare animam è purgatorio. Idem Quintanadvennas cit. vel quas poterant regulares concedere tam regularibus, quàm ſæcularibus pro aliquo opere, ut eſt indulgentia, quam regulares concionatores dare poſſunt audientibus ipſorum conciones: aut plenaria, quam Provinciales ſuis largiuntur in fine viſitationis. *Gobat cit.* vide, quæ diximus *ſect. præced. quæſt. 2. n. 21.* *Nec revocavit.* IV. indulgentias etiam directè conceſſas Regularibus, vel agonizantibus, vel vita functis. Ita probabiliſſimè Lezana *V. indulgentia n. 11. & 12.* Diana *p. 4. tr. 9. Reſol. 21.* Pellizarius *tract. 8. capit. 6. n. 181.* referens etiam Peyrinum, & Alphonſum Leonem. Ratione aſſignat *Gobat cit. nu. 547.* Quia indulgentiæ pro articulo mortis, & defunctis ſunt ita favorabiles, ut non cenſeantur involvi etiam Bullis tametſi univerſaliſſimè ſuſpendentibus omnes indulgentias. Addit *Pellizarius numer.* 182. nec illas eſſe revocatas, quæ erant quidem directè datæ Regularibus vivis, ita tamen, ut poſſent eas applicare defunctis Religioſis, aut ſæcularibus; hoc enim ipſo, quòd poſſint applicari defunctis, gaudent privilegio datarum immediatè defunctis. *Nec revocavit* V. indulgentias conceſſas noſtris Tertiariis, ſubſtantialia Religionis vota non emittentibus, intra, vel extra clauſtra degentibus, ex declaratione Innocentii XI. Bulla: *Aliàs emanavit* 1686. vide *Rubricas noſtri Breviarii Franciſcani particulares, numer.* 173. Nihilominùs etiam certum eſt, indulgentias à Paulo V. revocatas, hodie non eſſe revalidatas, uti conſtat ex propoſitione 37. damnata ab Alexandro VII. quæ ſic ſonat: *indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. ho-*

Digitized by Google

*V. hodie ſunt revalidata*. Quare indulgentias, quas hodie tanquam adhuc validas conſequi poſſunt Regulares, non obſtante Bulla Paulina recenſebimus.

### §. II. *Indulgentia à Paulo V. conceſſa Regularibus in communi recenſentur.*

78 PAulus V. loco indulgentiarum revocatarum, in eadem Bulla citat. *Romanus Pontifex*, conceſſit perſonis Regularibus quibuſcunque quorumvis Ordinum tam Monaſteriorum, quàm Mendicantium, intra clauſtra, aut extra, cum licentia tamen ſuorum ſuperiorum, legitima de cauſa illis conceſſa, degentibus, ac etiam omnibus Monialibus cujuſvis Regulæ approbatæ, & intra clauſtra cum tribus votis ſolemnibus viventibus, & perpetuam clauſuram ſervantibus, tam Ordinariis locorum, quàm Regularibus cujuſcunque Ordinis, & Regulæ ſubjectis, ſequentes indulgentias in perpetuum videlicet.

I. Omnibus Chriſti fidelibus, qui canonicè, & juxta Conſtitutiones Apoſtolicas, habitum Regularem à legitimis ſuperioribus, cauſa profitendi in illo ſuſceperint, die primo eorum ingreſſus in ipſam Religionem, ſi verè pœnitentes, & confeſſi, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam.

II. Ac cuilibet Novitio, qui pœnitens, & confeſſus, ſacra communione refectus, poſt completum probationis annum profeſſionem emiſerit, etiam plenariam.

III. Nec non cuilibet Religioſo intra clauſtra ſui Monaſterii viventi (*qui ſcilicet ordinariè vivit in Monaſterio, Collegio, &c. etſi frequenter foris degat ex voluntate Superiorem, ut explicat Pellizarius in manuali Regular. tract. 8. capit. 5. ſect. num. 195.*) qui in feſto principali ſui Ordinis Confeſſus, & ſacra Communione refectus fuerit: aut Miſſam recitans, pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, & Romani Pontificis ſalute (*tam Spirituali, quàm Corporali, tam temporali, quam æterna, juxta Gobat de indulgentia part. 2. capit. 8.*) ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad DEUM preces effuderit, etiam plenariam.

IV. In cujuslibet verò mortis articulo, ſi pariter verè pœnitens, ac Confeſſus, & ſacra Communione refectus, vel quatenùs id facere nequierit, ſaltem contritus, Nomen JESU ore, ſi potuerit, ſin autem, corde devotè invocaverit, etiam plenariam.

V. Qui verò ad Presbyteratus Ordinem canonicè promotus, & confeſſus primam Miſſam celebrabit, nec non etiam iis Religioſis, qui pariter confeſſi, ac ſacra Communione refecti, eidem Miſſæ interfuerint, aut ipſo die Miſſam ſimiliter celebrant, etiam plenariam.

VI. Iis verò, qui de ſuorum Superiorum licentia à negotiis per decem dies (*Alexander VII. Bulla: cùm ſicut nobis 11. Junii 1659. apud Lantuſcam in theatro Regularium, V. exercitia Spiritualia, reduxit ad octo dies pro Fratribus minoribus Obſervantibus, & Reformatis*) alieni in cella commorabuntur, aut ab aliorum converſatione remoti, librorum Spiritualium Lectionibus operam dederint, addendo ſæpè conſiderationes, & meditationes Myſteriorum fidei Catholicæ, Divinorum Beneficiorum, quatuor Noviſſimorum, Paſſionis Domini noſtri JESU Chriſti, & aliorum exercitiorum, orationum Jaculatoriarum, aut vocalium, ſaltem per duas horas in diem, & noctem, orationibus mentalibus ſe exercendo, faciendo eodem tempore Confeſſionem generalem, aut annualem, aut ordinariam, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, aut Miſſam celebraverint, etiam plenariam omnium peccatorum indulgentiam. *Circa hanc indulgentiam notat Gobat, de indulgent. p. 2. cap. 32. ſi parùm omittatur, non nocebit indulgentia lucranda, poſſuntque hi dies juſta de cauſa interrumpi.*

VII. Præterea iidem Religioſi intra clauſtra viventes, qui ſuam Eccleſiam devotè viſitaverint: & ut præfertur oraverint, conſequuntur eaſdem indulgentias, quas viſitantes Eccleſias Urbis, & extra eam, diebus ſtationum conſequuntur, in omnibus diebus, perinde ac ſi ipſas Urbis Eccleſias perſonaliter viſitarent. *Circa hanc indulgentiam plura dicentur §. ſequenti.*

VIII. Omnibus item Religioſis intra clauſtra, ut ſuprà, viventibus, qui quinquies orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam, ante Altare eorum Eccleſiæ, in quolibet die recitaverint, quinque annos, & totidem quadragenas: Qui vero de ſuorum ſuperiorum licentia, in itinere exiſtentes, aut extra clauſtra degentes, tanquam Prædicatores, & Lectores, quinquies eamdem orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam, ante quodlibet altare ſimiliter dixerint, etiam quinque annos, & totidem quadragenas.

IX. Nec non etiam eiſdem Religioſis, qui per menſem integrum, ſingulis diebus, ſpatio mediæ horæ, orationem mentalem fecerint, ac confeſſi, & Sacra Communione, ultima Dominica menſis hujuſmodi refecti fuerint, ſexaginta annos, & totidem quadragenas.

X. Qui verò contrito corde, & Pœnitentes, ſuas culpas, & peccata, ac imperfectiones, in capitulis culparum accuſabunt, & ſpiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facient, tres annos, & totidem quadragenas.

XI. Qui de ſuorum ſuperiorum licentia miſſiones ad terras infidelium, aut Hæreticorum acceptant, ſi Pœnitentes, Confeſſi, & Communione refecti fuerint, vel Miſſam celebraverint, ut meliùs ſe ad hujuſmodi opus parare valeant, duabus vicibus, videlicet quando itineri ſe accingunt, & quando in Provincia, ubi Miſſionem exercere debent, ingreſſi fuerint, lucrantur indulgentiam plenariam.

XII. Qui orationibus 40. Horarum in viſitationibus generalibus, a ſuperioris, (ſi voluerint) inſtitutis pro bono viſitationis progreſſu, ſaltem ſpatio duarum horarum, in diverſo tempore interfuerint, ac confeſſi, communicatique, aut Miſſam celebrantes, pro Chriſtianorum Principum concordia, Hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione, nec non diſciplinæ, & obſervantiæ Regularis augmento pias ad DEUM preces effuderint lucrantur indulgentiam plenariam. Bullam Pauli V. indulgentias haſce concedentem referemus in terminis formalibus, *in hujus Supplementi Appendice V. indulgentia.*

### §. III. *Stationum indulgentia, quas Regulares lucrari poſſunt, enumerantur.*

INdulgentiæ *ſtationum* ſunt eæ, quæ conceduntur viſitan- 79
tibus certas quaſdam Romanas ſtationes id eſt, Romanas Eccleſias, quæ ſint inſtar ſtationum, ſeu præſidiorum, excubiarumque ſpiritualium, ut declarat *Cardinalis Toletus lib. 6. cap. 28.* ubi ſic loquitur: ut intelligas ſtationum originem, adverte ex Tertulliano, *capit. 29.* Apol. ex tempore perſecutionis ſolere Chriſtianos noctu convenire in Baſilicas Martyrum, tum ad laudes DEI, tum ad negotia circa Religionem tractanda, tum ad corrigendos fratres, qui non benè ambulabant. Poſteà perſecutione ceſſante, fideles remittebantur, & negligentes erant in ſtationibus continuandis. Proptereà Gregorius Magnus ad attrahendos animos fidelium, ne vacarent à Divinis laudibus, adjunxit magnas indulgentias viſitantibus Loca, ſeu ſtationes; nam Nomen *ſtationis* ſignificat Locum, in quo frequenter conveniri ſolet ad negotia tractanda. Ex quo colliges Authorem ſtationum fuiſſe S. Gregorium Magnum. Sunt autem Romæ talium ſtationum indulgentiæ maximæ, quas lucrari poſſunt omnes Regulares viri, & mulieres, qui ſuam Eccleſiam devotè viſitaverint, & ut præfertur (*hoc eſt pro Chriſtianorum Principum concordia, Hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, quinquies orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam, juxta Gobat de indulgent. p. 2. cap. 8. n. 340.*) oraverint, ut patet ex §. *præced. n. 7.*

Circa has ſtationum indulgentias notandum eſt Decre- 80
tum Innocentii XI. *Delata ſæpiùs, editum 7. Martii. 1678.* infrà *quæſt.* 4. in terminis adducendum, quod circà finem ſic ſtatuit: *indulgentias verò ſtationum Urbis, quæ à Romanis Pontificibus ſingulari quodam beneficio, vel communicata ſunt, vel communicabuntur interdum, aliquibus locis, ordinibus, aut perſonis, diebus tantùm ſtationum in Miſſali Romano deſcriptis ſuffragari poſſe declarat: Semel autem dumtaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies Eccleſiam viſitantibus conceſſam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri.* Dies autem ſtationum in Miſſali Romano deſcripti, & indulgentiæ in iiſdem lucrandæ ſunt ſequentes.

#### *IN JANUARIO.*

IN *Circumciſione Domini*, ſtatio ad S. MARIAM Trans 81
Tiberim; & indulgentia plenaria, & 25000. annorum.

*In Epiphania Domini*, ſtatio ad S. Petrum, indulgentia plenaria, & 18000. annor. & totidem quadragenarum.

#### *IN FEBRUARIO.*

DOminica *Septuageſima*, ſtatio ad S. Laurentium extra muros, & indulgentia plenaria.

*Dominica Sexageſima*, ſtatio ad S. Paulum, & indulgentia plenaria, & 10000. anni, & totidem quadragenæ.



Digitized by Google

*Dominica Quinquageſima*, ſtatio ad S. Petrum, & indulgentia plenaria, & 280000. anni, cum totidem quadragenis, & remiſſione tertiæ partis peccatorum.

## IN QUADRAGESIMA.

*Feria 4. Cinerum*, ſtatio ad S. Sabinam, & indulgentia plenaria, cum 3000. annis, & totidem quadragenis.

*Feria 5. poſt cineres*, ſtatio ad S. Gregorium, & indulgentia 10000. annorum.

*Feria 6.* ſtatio ad SS. Joannem, & Paulum, & indulgentia 10000. annorum.

*Sabbato poſt cineres*, ſtatio ad S. Tryphonem, & indulgentia 10000. annorum, & plenaria.

*Dominica 1. Quadrageſima*, ſtatio ad S. Joannem in Laterano; & indulgentia plenatia, cum 13000. annis, & liberatione animæ e purgatorio.

*Feria 2.* ſtatio ad S. Petrum ad vincula, & 10000. anni indulgentiarum, uti etiam indulgentia plenaria.

*Feria 3.* ſtatio ad S. Anaſtaſiam, & indulgentia 28000. annorum, cum totidem quadragenis, & liberatio animæ è purgatorio.

*Feria 4.* ſtatio ad S. MARIAM Majorem, & indulgentia 28000. annorum, & remiſſio tertiæ partis peccatotum.

*Feria 5.* ſtatio ad S. Laurentium in Paneperna, & indulgentia 1000. annor. uti etiam plenaria.

*Feria 6.* ſtatio ad SS. duodecim Apoſtolos, & indulgentia 12000. annorum, uti etiam plenaria.

*Sabbato*, ſtatio ad S. Petrum, & indulgentia 18000. annorum, & totidem quadragenarum, uti, & plenaria.

*Dominica 2. Quadrageſima*, ſtatio ad S. MARIAM Majorem, & indulgentia 18000. annorum, & totidem quadragenarum.

*Feria 2.* ſtatio ad S. Clementem, & indulgentia plenaria.

*Feria 3.* ſtatio ad S. Balbinam, & 10000. anni indulgentiarum.

*Feria 4.* ſtatio ad S. Ceciliam, & indulgentia 10000. annorum.

*Feria 5.* ſtatio ad S. MARIAM Trans Tyberim, & indulgentia 25000. annor.

*Feria 6.* ſtatio ad S. Vitalem, & indulgentia 10000. annorum.

*Sabbato*, ſtatio ad SS. Marcellinum, & Petrum, & indulgentia plenaria, item 10000. annorum, & liberatio animæ e purgatorio.

*Dominica 3. quadrageſima*, ſtatio ad S. Laurentium extra muros, & indulgentia 19000. annorum, & 43. quadragenarum, & liberatio animæ è purgatorio.

*Feria 2.* ſtatio ad S. Marcum, & indulgentia plenaria, ac 10000. annorum.

*Feria 3.* ſtatio ad S. Pudentianam, & indulgentia plenaria, & 10000. annorum.

*Feria 4.* ſtatio ad S. Xyſtum, & indulgentia plenaria, & 10000. annor.

*Feria 5.* ſtatio ad SS. Coſmam, & Damianum, & indulgentia 10000. annorum.

*Feria 6.* ſtatio ad S. Laurentium in Lucina, & indulgentia 10000. annorum.

*Sabbato* ſtatio, ad S. Suſannam, & indulgentia 13000. annorum.

*Dominica 4. Quadrageſime*, ſtatio ad S. Crucem in Jeruſalem, & indulgentia plenaria, & liberatio animæ è purgatorio.

*Feria 2.* ſtatio ad SS. quatuor Coronatos, & indulgentia 10000. annorum.

*Feria 3.* ſtatio ad S. Lautentium in Damaſo, & indulgentia 10000. annor. & Remiſſio tertiæ partis peccatorum.

*Feria 4.* ſtatio ad S. Paulum & indulgentia plenaria, ac 10000. annorum

*Feria 5.* ſtatio ad SS. Silveſtrum, & Martinum, & indulgentia 10000. annor.

*Feria 6.* ſtatio ad S. Euſebium, & indulgentia 10000. annor.

*Sabbato*, ſtatio ad S. Nicolaum in carcere, & indulgentia plenaria.

*Dominica Paſſionis*, ſtatio ad S. Petrum, & indulgentia 18000. annorum, totidem Quadragenarum, & Remiſſio tertiæ partis peccatorum.

*Feria 2.* ſtatio ad S. Chryſogonum, & indulgentia 10000. annorum.

*Feria 3.* ſtatio ad S. Cyriacum, & indulgentia 10000. annorum.

*Feria 4.* ſtatio ad S. Marcellum, & indulgentia 10000. annorum.

*Feria 5.* ſtatio ad S. Appollinarem, & indulgentia 10000. annorum.

*Feria 6.* ſtatio ad S. Stephanum in Cęlio Monte, & liberatio animæ è purgatorio.

*Sabbato*, ſtatio ad S. Joannem ante portam latinam, & indulgentia 13000. annorum, & liberatio animæ è purgatorio.

*Dominica Palmarum*, ſtatio ad S. Joannem in Laterano, & indulgentia plenaria, cum 25000. annis, & totidem quadragenis, ac liberatio animæ è purgatorio.

*Feria 2.* ſtatio ad S. Praxedem, & indulgentia plenaria, & 15000. annorum.

*Feria 3.* ſtatio ad S. Priſcam, & indulgentia plenaria, & 18000. annorum.

*Feria 4.* ſtatio ad S. MARIAM Majorem, & indulgentia plenaria, & 28000. annor.

*In Cæna Domini*, ſtatio ad S. Joannem in Laterano, indulgentia plenaria, 11000. an. 38. quadragenarum, & liberatio animæ è purgatorio.

*In Paraſceve*, ſtatio ad S. Crucem in Jeruſalem, & indulgentia plenaria.

*Sabbato Sancto*, ſtatio ad S. Joannem in Laterano, indulgentia plenaria, item 11000. an. 45. quadragenarum, & liberatio animæ è purgatorio.

*Dominica Reſurrectionis*, ſtatio ad S. MARIAM Majorem, indulgentia plenaria, & 28000. an. & totidem quadragenarum.

*Feria 2.* ſtatio ad S. Petrum, & indulgentia plenaria, & 28000. annorum.

*Feria 3.* ſtatio ad S. Paulum, & indulgentia plenaria, item 20000. annorum, & 28. quadragenarum.

*Feria 4.* ſtatio ad S. Laurentium extra muros, & indulgentia 28000. annorum, totidem quadragenarum, & remiſſio tertiæ partis peccatorum.

*Feria 5.* ſtatio ad SS. 12. Apoſtolos, & indulgentia plenaria, & 25000. annorum.

*Feria 6.* ſtatio ad S. MARIAM ad Martyres, & indulgentia 15000. annorum.

*Sabbato in albis*, ſtatio ad S. Joannem in Laterano, indulgentia plenaria, item 15000. annorum, & liberatio animæ è purgatorio.

*Dominica in albis*, ſtatio ad S. Pancratium, indulgentia plenaria, & 15000. annor.

## IN APRILI.

Die 25 *In Feſto S. Marci Evangeliſta*, ſtatio ad S. Petrum, indulgentia plenaria, item 15000. annorum, & totidem quadragenarum.

## IN MAJO.

*Feria 2. Rogationum*. ſtatio ad S. MARIAM Majorem, & indulgentia 6048. annorum, totidem quadragenarum, & remiſſio tertiæ partis peccatorum.

*Feria 3. Rogationum*, ſtatio ad S. Joannem in Laterano. & indulgentia plenaria.

*Feria 4. Rogationum*, ſtatio ad S. Petrum, & indulgentia plenaria.

*In Aſcenſione Domini*, ſtatio ad S. Petrum, & indulgentia plenaria, & 28000. annor.

## IN JUNIO.

*Sabbato in Vigilia Pentecoſtes*, ſtatio ad S. Joannem in Laterano, & indulgentia Plenaria, ac liberatio animæ è purgatorio.

*Dominica Pentecoſtes*, ſtatio ad S. Petrum, & indulgentia plenaria.

*Feria 2.* ſtatio ad S. Petrum ad Vincula, & indulgentia plenaria.

*Feria 3.* ſtatio ad S. Anaſtaſiam, & indulgentia 18000. annorum, & remiſſio tertiæ partis peccatorum.

*Feria 4.* ſtatio ad S. MARIAM Majorem, & indulgentia 6000. annorum, & totidem quadragenarum.

*Feria 5.* ſtatio id S. Laurentium extra muros, & indulgentia 28000. annorum, & remiſſio tertiæ partis peccatotum, & liberatio animæ è purgatorio.

*Feria 6.* ſtatio ad SS. 12. Apoſtolos, & indulgentia multorum annorum.

*Sabbato ante Feſtum SS. Trinitatis*, ſtatio ad S. Petrum, & indulgentia 6049. annorum, totidem quadragenarum, & remiſſio tertiæ partis peccatorum.

IN

*IN SEPTEMBRI.*

F*Eria 4. quatuor temporum Septembris*, Statio ad S. MARIAM Majorem, & indulgentia plenaria, item 2400. Annorum, & totidem Quadragenarum.

*Feria 6. quatuor temporum Septembris*, Statio ad SS. 12. Apoſtolos, & indulgentia plenaria, & 28000. Annorum.

*Sabbato quatuor temporum Septembris*, Statio ad S. Petrum, & indulgentia 28000. Annorum, & remiſſio tertiæ partis peccatorum.

*IN DECEMBRI.*

D*ominica 1. Adventus*, Statio ad S. MARIAM Majorem, & indulgentia plenaria, item 28000. Annorum, & totidem Quadragenarum, remiſſio tertiæ partis peccatorum.

*Dominica 2. Adventus*, Statio ad S. Crocem in Jeruſalem, indulgentia plenaria, & 200. Annorum.

*Dominica 3. Adventus*, Statio ad S. Petrum, indulgentia plenaria, & a8000. Annorum.

*Feria 4. quatuor temporum Adventus*, Statio ad S. MARIAM Majorem, indulgentia plenaria, item 28000. Annorum, totidem Quadragenarum, & remiſſio tertiæ partis peccatorum.

*Feria 6. quatuor temporum Adventus*, Statio ad SS. 12. Apoſtolos, indulgentia plenaria, & 10000. Annorum.

*Sabbato quatuor temporum Adventus*, Statio ad S. Petrum, indulgentia plenaria, & 28000. Annorum.

*Dominica 4. Adventus*, Statio ad SS. 12. Apoſtolos, & indulgentia plenaria.

*In Vigilia Nativitatis Domini*, Statio ad MARIAM Majorem, indulgentia plenaria, item 28000. Annorum, & totidem Quadragenarum.

*In Nativitate Domini ad primam Miſſam in Nocte*, Statio ad S MARIAM Majorem ad Præſepe, indulgentia plenaria, item 20000. Annorum, & totidem Quadragenarum.

*Ad ſecundam Miſſam in Aurora*, Statio ad S. Anaſtaſiam, indulgentia plenaria, item 280000. Annorum, & totidem Quadragentarum.

*Ad tertiam Miſſam in die Nativitatis Domini*, Statio ad S. MARIAM Majorem, & indulgentia plenaria.

*In Feſto S. Stephani proto-Martyris*, Statio ad S. Stephanum in Cœlio Monte, indulgentia plenaria, item 28000. Annorum, & totidem Quadragenarum.

In feſto S. Joannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ, Statio ad S. MARIAM Majorem, indulgentia plenaria, item 50000. Annorum, & liberatio animæ e purgatorio.

In Feſto SS. Innocentum, Statio ad S. Paulum, indulgentia plenaria, item 15000. Annorum, & totidem Quadragenarum.

Præfatæ Stationum indulgentiæ excerptæ ſunt ex Libro Regulæ tertii Ordinis S. P. N. Franciſci, Romę compoſito à R. P. Angelo Auda à Lantuſca Ordinis noſtri Seraphici, & approbato à R. P. Hyacintho Libelo, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, Ordinis Prædicatorum, Anno 1665. 11. Martii; qui liber poſteà fuit etiam Mediolani, Viennæ in Auſtria, & noviſſimè 1697. Friſingæ denuò approbatus.

82 Has Stationum indulgentias poſſunt in noſtris Eccleſiis, etiam lucrari noſtri Tertiarii ſæculares, & Chordigeri Archi-Confraternitatis S. P. N. Franciſci, ut infrà pluribus dicetur. Imò P. Gobat *tr. 8. de indulgentiis, part. 2. cap. 8. nu.* 345. habet ſequentia: P. Bonagratia Habſenſis *in ſummula ſelectarum Quæſtionum Regularium V. Privilegium, nu.* 412. *Edit.* 3. refert ſententiam Innocentii VIII. inſertam mari magno PP. Servitarum B. V. M. tam amplè extendentis ad omnes ſæculares viſitantes eorum Eccleſias, quaslibet indulgentias eiſdem Eccleſiis impertitas, ut nequeam ſine nota obſtinationis negare, illis ipſis verbis etiam contineri indulgentias Stationum, ac proinde poſſe quotidie eas lucrifieri à quibuslibet Chriſti fidelibus viſitantibus templa, oratoriave cujuſvis Ordinis Mendicantis, modo in iis Eccleſiis fundant preces, de quibus ſuprà, & ad præſcriptas intentiones, modò deinde ſint confeſſi, & ſacra communione refecti; id quippe à ſæcularibus exigit Innocentius XIII. in citata Bulla. Denique indulgentiæ ſtationum nequeunt applicari defunctis, niſi ab habentibus Bullam cruciatæ, item, niſi indulgentiæ ſtationum expreſſè ſint conceſſæ pro defunctis, ut eſt liberatio animæ è purgatorio. *Gobat cit. à num.* 346.

*§. IV. Circa Indulgentias Tria adhuc notanda ſunt Regularibus.*

83 I. QUòd omnes Regulares etiam conſequi poſſint omnes indulgentias, quas ſæculares conſequi poſſunt: quia non ſunt deterioris conditionis, quàm ſæculares. Ita Peyrinis, Lezana, Quintanadvennas, & alii cum communiſſima. II. Quod Religioſi aut infirmitate, aut itinere, aut undequaque impediti, ne poſſint Eccleſiam propriam adire ad recitandas preces injunctas pro cujuſcunque indulgentiæ conſecutione, poſſint illas ubilibet recitare, ut habetur in *compendio privilegiorum, V. indulgentia §. 2. & in ſummario privil S. Juſtina*. Ita Dominicus Viva *in Appendice indulgentiarum, §. 1. n. 9.* Addit tamen Sbogaa *tr. 97. c. 2. n. 24.* Religioſos infirmos poſſe conſequi indulgentias in ſuo lecto, ſi non poſſint adire Eccleſiam, dummodo ſatisfaciant operi à Pio Confeſſario ipſis impoſito. Ita declaravit *Paulus V. congregationi S. Mariæ ſuliſn. die* 14. *Nov.* 1609. III. Quantùm ad duodecimam indulgentiam à Paulo V. *ſupra §. 2. nu.* 78 Regularibus conceſſam ratione Viſitationis, ait *Viva citat* §. 3. Hujuſmodi indulgentiam Provinciales Societatis in Viſitatione largiuntur abſque hoc onere (intellige, inſtitutione comprecationis 40. horarum) ut notat *Lugo loc. cit.* §. 10. Ex conceſſione priùs Gregorii XIII. deinde Urbani VIII. poſt revocationem factam à Paulo V.

Petes: *Quid ſentiendum de communicatione indulgentiarum inter Regulares?*

84 Reſp. I. Clemens VII. Bulla: *dum fructus uberes*, 30. *Maii* 1525. referenda infrà in Appendice alphabetica Bullarum, *V. Privilegiorum communicatio*, noſtro Ordini Fratrum Minorum Regularis obſervantiæ, ac S. Claræ, & Tertio de Pœnitentia nuncupato, ac eorum perſonis Monaſteriis, Eccleſiis, domibus, & locis, communicavit omnes indulgentias conceſſas, & concedendas aliis Ordinibus mendicantibus, & non mendicantibus. Deinde Innocentius XI. *die Sept.* 1686. confirmavit communicationem privilegiorum, & indulgentiarum etiam plenariarum, uſque tunc non revocatarum, inter Eccleſias, Loca, Confraternitates, Congregationes, Ordines, & Perſonas utriuſque ſexus, obedientiæ, vel directioni Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci ſubjectas, à pluribus Romanis Pontificibus eiſdem per diverſa privilegia conceſſam: Ita *Rubrica particulares Breviarii noſtri Franciſcani ab Innocentio XII. approbata, n.* 182.

85 Reſp. II. Cæteri Ordines mendicantes, juxta *Gobat tr. 4. de Indul. p. 2. c. 27. n. 559.* habent etiam id privilegii, ut indulgentiæ, quæ Templis unius Ordinis ſunt conceſſæ, cenſeantur etiam ad aliorum mendicantium Ordinum Templa derivatæ, ſicut videre eſt etiam apud *Lezana, V. indulgentia n.* 8. Quòd tamen privilegium, & communicatio non debet extendi ad indulgentias datas pro feſtivitatibus Sanctorum cujuſvis Ordinis, ut ea Caſarubio notatur (*teſte Gobat citato*) in compendio privilegiorum Societatis JESU, *V. Indulgentia* §. 12. conſentiente *Peyrinis tom. 1. fol.* 142. Ubi indulgentias Templis Minimorum pro feſtis Pentecoſtes, Aſſumptionis, & Annuntiationis impertitas, poſſe in Eccleſiis aliorum Ordinum acquiri, negat. Conſentit etiam *Rodriquez tom. 1. q. 55. art.* 1. Quapropter prædictum Communicationis privilegium intelligendum eſt, *juxta Lezana citat. n.* 8. ſolùm, de indulgentiis, quæ in genere conceſſæ ſunt Eccleſiis Regularium, non autem de illis, quæ ſpecialiter pro aliqua Eccleſia in particulari datæ ſunt. Addit *Gobat loc. cit.* quod licèt indulgentia pro Feſto Portiunculæ ſit extenſa ad omnia Templa Ordinis S. Franciſci, praxis tamen oſtendit, illam non poſſe in templis noſtris, aut alterius Ordinis comparari. Idem docet *P. Reiffenſtuel lib. 3. Decret. tit. 33. §. 3. n.* 61. ubi imprimis dicit, indulgentias in honorem alicujus Sancti conceſſas ad tempus determinatum, v. g. ad tot, vel tot annos, non communicari aliis Regularibus juxta DD. communiter. Deinde idem dicit, de indulgentiis conceſſis ob aliquam ſpecialem rationem uni loco ſpeciali, v. g quia ibi eſt Imago B. V. Mariæ cum magna veneratione fidelium. Et ob hanc cauſam communiter tenent Doctores, vix uno, vel altero excepto, indulgentias Portiunculæ non communicari Eccleſiis aliorum Ordinum præter Ordinem S. P. N. Franciſci. Idem aſſerendum de *Altaribus privilegiatis*. Ita *Reiffenſtuel cit. n.* 62. Secundò prædictum communicationis privilegium intelligendum eſt juxta *Quintanadvennam, in Appendice ad ſua ſingularia, tr. 4. dub.* 9. quod omnes indulgentiæ conceſſæ immediatè, & directè Religioſis, vel eorum oblatis, Parentibus, Cognatis, Procuratoribus, Benefactoribus, Servitoribus, & ſimilibus perſonis ad Ordinem aliquem ſpectantibus, inter ipſos ita communicentur, ut Regularibus Prælatis, privatis Religioſis, eorum parentibus, &c. & ſimilibus perſonis cujusvis alterius Ordinis communicatione

gau-

gaudentibus intelligantur conceſſæ. Ita Julius II. Exſeribo Bullam Julii II. ſicut eamdem refert *Reiffenſtuel cit. n.59.*

86 *Venerabilibus Fratribus Salamantino Pacen. & Corduben. Epiſcopis, & eorum cuilibet. Julius Papa II. Venerabiles Fratres ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Alias ad ſupplicationem chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Ferdinandi Regis &c. & infrà, quodque in prædicta privilegiorum, gratiarum & indultorum præfatorum communicatione: tam univerſaliter per prędeceſſores noſtros toti Ordini Minorum, quàm etiam per nos particulariter prædictorum Regnorum Fratribus facta, ea, quæ ad Abſolutionem, Diſpenſationem, vel aliàs, ad Priorem generalem, ſeu Magiſtrum Ordinis Prædicatorum ſpectant, ad Miniſtrum, vel Vicarium Generalem Fratrum Minorum pertineant, & ea, quæ ad priores conventuales, ideſt, Prælatos ſingularum Domorum Ordinis Prædicatorum, & eorum Vicarios, ſimiliter ſpectent ad Guardianos, & eorum Vicarios Ordinis Minorum, & ea quæ ad Priores, ſeu Vicarios, vel ſub-Priores Vicarios, ideſt, Prælatos, qui medii ſunt, quocunque nomine cenſeantur, & vocentur, inter dictum generalem, ſeu Magiſtrum Ordinis, & Priores conventuales, eorumque Vicarios, ſimili modo ſpectent ad Miniſtros, & Vicarios provinciales, ac cuſtodes; qui etiam medii ſunt inter Miniſtrum, & Vicarium generalem, & Guardianos, eorumque Vicarios ſimiliter pertineant, & ſicut de poteſtate Prælatorum, ſcilicet de Prælatis ad Prælatos dictum eſt, ita de congregationibus unius ad congregationem alterius Ordinis, & de Fratribus privatis, ideſt ſine Prælatura, ad Fratres privatos, & de Feſtivitatibus ad Feſtivitates, in his caſibus, in quibus, congregationibus, vel Fratribus privatis, aut Feſtivitatibus unius Ordinis aliquid conceditur, congregationibus, Fratribus privatis, aut Feſtivitatibus alterius Ordinis, nunc, & pro tempore reſpectivè conceſſa intelligantur. Ita, quòd ea, quæ in honore Sanctorum Dominici, Petri Martyris, Thomæ de Aquino, Catharinæ de Senis Fratribus, vel locis Prædicatorum ſunt conceſſa, omnia illa Fratribus Minoribus præfatis, eorumque locis, in Feſtivitatibus Sanctorum Franciſci, Antonii, Ludovici, Bernardini, Bonaventuræ, quinque Martyrum dicti Ordinis, qui apud Marochium Martyrii Coronam adepti ſunt, & S. Claræ, & in aliis Feſtivitatibus dicti Ordinem Minorum, licèt ſint in majori numero, quàm Feſta ipſorum Fratrum Prædicatorum, ſint & intelligantur conceſſa ad tollendam quamcunque hæſitationem, & indè fortè ortum ſcrupulum, auctoritate, & tenore præfatis declaramus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris: die prima Junii. 1509. Pontificatus noſtri anno ſexto.*

Plura de hac re vide *in Supplem. Theol. Decalogalis cap. 1. 86 ſect. 4. n. 427.* circa communicationem privilegiorum.

## Q U Æ S T I O II.

*De indulgentiis conceſſis Tribus SS. Ordinibus S. P. N. Franciſci, eorum Eccleſiis, Benefactoribus, confraternitati Chordigerorum, &c.*

## S U M M A R I U M.


88 & 89 *Indulgentia Stationi Sanctiſſimi Sacramenti.*

90 & 91 *Indulgentia Coronæ de ſeptem Gaudiis Beatiſſimæ V. M.*

92 *Indulgentia Orationis Mentalis, & Doctrinæ Chriſtianæ.*

93 Uſque ad n. 97. *Indulgentia noſtris Eccleſiis conceſſa.*

97 *Indulgentia portiunculæ, & ſeqq.*

102 *Indulgentiæ Clariſſarum, & ſeqq.*

104 *Indulgentia noſtrorum Tertiariorum, & ſeqq.*

107 *Indulgentia conceſſa Benefactoribus Ordinis noſtri Seraphici, & ſeqq.*

111 *Indulgentia Archi-Confraternitatis S. P. N. Franciſci, & ſeqq.*

114 *Quid agere debeant Chordigeri ad lucrandas indulgentias eis conceſſas?*

115 *Quid notandum circa indulgentias aliarum confraternitatum?*

116 *Indulgentia conceſſa obeuntibus viam Crucis à nobis erectam.*

117 *Quid requiratur ad eas lucrandas?*

118 *Quot indulgentiæ obtineri poſſint?*

119 *Indulgentia Crucum, & Roſariorum Jeroſolymitanorum recenſentur, & ſeqq.*

123 & 124 *Indulgentia conceſſa occaſione canonizationis S. Catharinæ Bononienſis Clariſſæ.*

125 *Explicatur Decretum Alexandri VII.*


## A S S E R T I O II.

87 *SUmmi Pontifices pro ſuo Paterno in Tres SS. Ordines S. P. N. Franciſci Seraphici amore, ac Pontificali munificentia, multas, magnas, & eximias eiſdem, utrumque Eccleſiis, Benefactoribus &c. elargiti ſunt indulgentias, quas hic breviter recenſebimus. Certa.*

### §. I. *Indulgentia ſtationis Sanctiſſimi Sacramenti.*

LEo X. conceſſit omnibus Fratris Minoribus Regularis 88
obſervantiæ, ac Monialibus Sanctæ Claræ, & Tertii Ordinis, quod dicendo quinquies Pater noſter cum Ave Maria, & in fine cujuslibet Gloria Patri, & pro Sanctitate ſua, unum Pater noſter cum Ave Maria, ſimiliter cum Gloria Patri, lucretur Stationes, indulgentias, & remiſſionem tam Urbis, quàm etiam portiunculæ, ſive Hieruſalem, ac S. Jacobi in Compoſtella, & quod, quacunque hora diei, vel noctis, prædicta 6. Pater noſter, Ave Maria, & Gloria Patri &c. dicant, lucrentur illas. Ita *Caſarubios in compendio noſtrorum privilegiorum, V. indulgentia ſtationum, §. 15. & P. Rodriquez in nova Collatione Bullarii, Fol. 318. n. 24. Lantuſca in libro Regulæ Tertis Ordinis S. P. N. Franciſci ſuprà ante n. 82. citato.* Hæ indulgentiæ non fuere revocatæ in illa Generali indulgentiarum Regularibus conceſſarum revocatione facta à Paulo V. cujus ratio eſt: quia juxta dicta *quæſt. præced. §. 1. n. 77.* Paulus V. non revocavit indulgentias Regularium Eccleſiis conceſſas, ſeu locales, ſed tantùm perſonaliter; jam autem hæ ſtationum indulgentiæ primitùs non fuere conceſſæ Regularibus, ſed certis Eccleſiis, adeòque cùm indulgentiæ Eccleſiis conceſſæ non ſint revocatæ, nec hæc erunt revocatæ; ſiquidem in hoc caſu Summus Pontifex tantùm diſpenſavit in modo lucrandi prædictas indulgentias, videlicet, ut prædictæ perſonæ, abſque eo, quòd ſe Romam conferrent, & ibidem perſonaliter Eccleſias viſitarent, præfatas indulgentias lucrari poſſent, ſicuti Romæ etiam ſæculares lucrantur indulgentias, ſtationum Eccleſias viſitantes. Ita *Lantuſca citatus.* Quia verò Innocentius XI. in ſuo Decreto. *Delata ſæpiùs*, ſuprà n. 80. adducto declaravit, quòd *indulgentiæ ſtationum Urbis*, diebus tantùm ſtationum in Miſſali Romano deſcriptis obtineri valeant ab illis, quibus communicatę ſunt, & quidem ſemel duntaxat in die indulgentia plenaria lucrifieri poſſit à viſitantibus Eccleſiam, ut aliud pium opus peragentibus; hinc Fratres, & Sorores Trium Ordinum S. P. N. Franciſci poſſunt indulgentias ſtationum Urbis, ſcilicet Romæ, tantùm diebus ſtationum in Miſſali Romano deſcriptis lucrari, quas præcedenti qu. n. 81. enumeravimus; quantùm verò attinet ad ſtationes, & indulgentias portiunculæ, Jeroſolymitanas, ac compoſtellanas, cùm Innocentius XI. in præfato Decreto nullam de illis mentionem fecerit, remanet dicendum, quod Fratres, & Sorores trium Ordinum S. P. N. Franciſci adhuc poſſint obtinere omnes indulgentias ſingulis diebus, quæ Portiunculæ, Jeroſolymis, & Compoſtellæ obtineri queunt.

Hoc Authenticè confirmatur ex *Rubricis particularibus* 89
*noſtri Breviarii Franciſcani noviſſimi*, confirmatis ab Innocentio XII. quæ *num. 88.* ſic habent: *Circa ſtationem Sanctiſſimi Sacramenti ex ſex Pater-noſter, & Ave Maria, cum totidem Gloria Patri, &c. coaleſcentem, quotidiè, & præſertim die Sabbati, obſervandum eſt ſtatutum Julii III. c. 5. ſic decernens (in omnibus etiam Conventibus ſtatim poſt Ave Maria, Fratres omnes ad Eccleſiam vadant, & ante Sanctiſſimum Sacramentum dicant Brachiis extenſis ſex Pater noſter, & totidem Ave Maria, & Gloria Patri, ultimum pro eodem Sanctiſſimo D. N. Papa pro lucranda indulgentia plenaria, & num. 89. cui ſtatuto conſonat omninò aliud hujus tenoris: Et quia indulgentia ſtationis Sanctiſſimi Sacramenti revocata non ſunt (ipſius Recitatio quotidiana omnibus tam Fratribus, quàm monialibus, & tertiariis ſæcularibus enixè commendatur) quod adeſt inſertum, & ſpecificè confirmatum in Brevi, cujus initium: Debitum paſtoralis, à Sanctiſſimo Domino noſtro Innocentio XII. die 19. Maii 1694. benignè conceſſo.* Hucuſque Rubricæ noſtri Breviarii cit. dicitur autem hæc *ſtatio Sanctiſſimi Sacramenti*: quia prædicta indulgentia obtinetur, recitando præfata ſex Pater noſter, totidem Ave Maria, & Gloria Patri, ante Venerabile Altaris Sacramentum.

Indulgentia ſtationis SS. Sacramenti confirmata ab In- 90
nocentio XI. in Brevi: *Univerſis* 30. Septembris 1681. Ita ut tam Fratres noſtri, quàm noſtræ Moniales, & Tertiarii utriuſque ſexus, etiam in domibus ſuis viventes, ac Chordigeri, viſitantes Altare SS. Sacramenti, & recitantes ſexies Pater noſter, & Ave Maria, cum totidem Gloria Patri, ſecundùm intentionem Papæ, conſequantur indulgentiam plenariam. Et licèt aliàs requirebatur, ut prędicta ſex Pater, & Ave, & Gloria Patri recitarentur *Brachiis extenſis*, tamen, cùm Summi Pontifices ſubſtantiam precum dicendarum extenderint, & non modum orandi, non videntur ex hoc fine irritæ indulgentiæ futuræ, ſi dicta exten-

ſio

Digitized by Google

ſio brachiorum omitteretur, aut ſi preces præſcriptæ legerentur abſque Brachiis extenſis, præſertim cùm recentiores Pontifices de iſta brachiorum extenſiones mentionem con faciant. Ita P. *Engelbertus Panck modo citat.* & patet ex Brevi Innocentii XI. *Exponi Nobis* 15. Maii 1688. infrà in Appendice alphabetica, verbo: *Indulgentia confratrum chorda S. Franciſci*, allegando.

### §. II. *Indulgentia Corona de ſeptem Gaudiis Beatiſſima Virginis MARIÆ.*

PRimam originem piæ in Ordine noſtro Seraphico conſuetudinis, recitandi Coronam Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, referunt noſter *Vvadingus, Arturus, & Fortunatus Huber in Menologio Magno S. P. N. Franciſci, ad diem* 23. *Novembris*, nimirùm, quòd ipſamet Cœli, & Terræ Regina, Beatiſſima Virgo MARIA edocuerit noſtrę Religionis Novitium. I. *Decies recitare Salutationem Angelicam, & ſemel Orationem Dominicam in memoriam Gaudii, quo ipſa Virgo concepit Chriſtum*. II. *Eadem repetere in honorem Gaudii, quo viſitavit Eliſabetham ſuam cognatam*. III. *Eadem repetere in honorem Gaudii, quo Virgo peperit Chriſtum*. IV. *in honorem Gaudii, quo Magos Chriſtum adorantes excepit*. V. *in honorem Gaudii, quo JESUM duodennem in templo invenit*. VI. *in honorem Gaudii, quod habuit in reſurrectionem Chriſti*. VII. *in honorem Gaudii, quod habuit in ſua ad Cœlos Aſſumptione*, & ex hiſce precibus eidem Coronam longè pulchriorem, quàm ex marceſcentibus roſis, & liliis offerre. Exinde mos inolevit in ordine noſtro Franciſcano recitandi hanc Coronam ſeu Roſarium Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, cum intermixtis ſeptem ejuſdem ſupradictis Gaudiis, in honorem eorundem 7. Gaudiorum, ac 72. annorum, quibus Beatiſſima Virgo vixiſſe creditur, ita nimirùm, ut in prima decade hujus Coronæ, in ſalutationibus Angelicis, poſt dulciſſimum Nomen JESU, addatur: *Quem Virgo concepiſti*, in ſecunda: *Quem viſitando Eliſabet portaſti*, in tertia: *Quem Virgo genuiſti*, in quarta: *Cui Reges munera obtulerunt*, in quinta: *Quem in templo inveniſti*, in ſexta: *Qui reſurgens tibi apparuit*, in ſeptima: *Qui te in Cœlum aſſumpſit*.

Hic mos ſalutandi Beatiſſimam Virginem MARIAM adeò placuit Sedi Apoſtolicæ, ut ad inſtantiam noſtrorum Patrum, nobis recitantibus prædictam de 7. Gaudiis B. V. MARIÆ Coronam, videlicet ex 72. Ave Maria, & 7. Pater noſter, cum adhuc uno Pater, & Ave pro ſummo Pontifice, imprimis Leo X. conceſſerit indulgentiam plenariam, quam Paulus V. poſt generalem indulgentiarum Regularibus conceſſarum revocationem, de novo conceſſit 8. Junii 1608. ac demum Innocentius XI. confirmavit. Ita *Caſarubios, Portel. Sbogar, Sannig, Lanuſca in Theatro Regularium, V. indulgentia, Engelbertus Panck*, poſt indulgentias Regularibus in communi conceſſas. Quod certum eſſe, patet ex Rubricis particularibus noſtri Breviarii Franciſcani noviſſimi, quæ *n.* 90. Ita habent: *Sabbato præſertim, & ſingulis aliis hebdomada diebus privatim recitanda eſt à noſtratibus ex devotione Corona Beatiſſima Virginis MARIÆ Domina noſtra, approbata à San. Mem. Leone X. in Brevi: Exponi Nobis, die* 14. *Septemb.* 1517. *conceſſo, & per aliud ejuſdem Pontificis Breve, quod incipit: Dum præexcelſa, die* 19. *Junii*, 1516. *ea indulgentia decorata, quam Paulus V. poſt generalem indulgentiarum revocationem benignè innovavit, & Innocentius XI. per ſuas etiam in forma Brevis litteras, ſimiliter incipientes: Exponi Nobis, die* 25. *Maii*, 1678. *firmam eſſe voluit, atque ſancivit.*

### §. III. *Indulgentia Orationis mentalis, & Doctrina Chriſtiana.*

PRo exercitio orationis mentalis à Seraphico Patre noſtro Franciſco, & Capitulis Ordinis noſtri pluries impoſito, & commendato, ſequens adeſt conceſſio: *Innocentius Papa XII ad perpetuam rei memoriam.*

*Ad ea, per qua animarum Chriſti fidelium ſalus procuratur; libenter intendimus: & eorundem Chriſti fidelium devotionem, ut ſpiritualibus exercitiis ferventiùs incumbant, cœleſtium munerum elargitione libenter fovemus, & incitamus. Itaque de Omnipotentis DEI Miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus Authoritate Confiſi—— Omnibus, & ſingulis fratribus, & monialibus, ac aliis utriuſque ſexus Perſonis Ordinum, & congregationum obedientia, ſeu directionis Miniſtri Generalis Fratrum Minorum S. Franciſci de obſervantia, nunc, & pro tempore ſubjectis, ac etiam Chriſti fidelibus confratribus, & conſororibus, quarumlibet confraternitatum, & ſocietatum, ſive ſub immaculata Conceptionis B. M. V. ſive ſub alio quolibet titulo, ſeu invocatione, tam hactenus in eorundem Fratrum, & Monialium Eccleſiis canonicè erectarum, quàm impoſterum canonicè pariter erigendarum, qui per quadrantem hora orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice, centum dies: Qui per duos quadrantes continuatos, vel ſaltem per quadrantem hora ſingulis diebus, & per totum menſem dabunt operam, & verè pœnitentes, & confeſſi, ſanctiſſimum Euchariſtia Sacramentum ſumpſerint, ac pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sancta Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad DEUM preces effuderint, plenariam ſemel quolibet menſe ſuorum peccatorum omnium indulgentiam, & Remiſſionem, quam per modum ſuffragii animabus Chriſti fidelium, qua DEO in charitate conjuncta, ab hac luce migraverint, applicare poſſint, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium miſericorditer in Domino concedimus.* Ita Rubricæ Particulares Breviarii noſtri Franciſcani *n.* 177. *&* 178.

Fratres Minores Regularis obſervantiæ docentes Doctrinam Chriſtianam, & eiſdem in hoc pio opere cooperantes lucrantur eximias indulgentias, ut videre eſt in conſtitutione Innocentii XI. *Pietatis* 30. Maii 1686. infrà in appendice alphabetica, verbo, *Indulgentia Doctrina Chriſtiana*, in formalibus allegandâ.

### §. IV. *Indulgentia noſtris Eccleſiis conceſſa.*

I. OMnes Eccleſiæ noſtræ, ac monialium noſtri inſtituti 93
(*juxta calendarium Franciſcanum à P. Auguſtino, de Luca, Romana Provincia Reformata Franciſcano, Anno* 1720 *compoſitum, Roma approbatum, & impreſſum*) gaudent indulgentiis plenariis perpetuis, conceſſis pro omnibus Chriſti fidelibus, incipientibus à primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis feſti, *diebus ſequentibus*.

9. *Martii, in Feſto S. Catharina Virginis de Bononia*, Ordinis S. Claræ, conceſſa à Clemente XI. 1714. die 21. Martii, Bulla: *Redemptoris*.

17. *Maji, in Feſto S. Paſchalis Baylon*, Confeſſoris noſtri Ordinis, conceſſa ab Alexandro VIII. die 7. Decembris, 1690. Bulla: *Redemptoris*, videnda in appendice Alphabetica, *V. indulgentia*.

20. *Maji, in Feſto S. Bernardini Senenſis*, Confeſſoris noſtri Ordinis Seraphici, conceſſa à Sixto V. Bulla: *cum à primava* 28. *Sept.* 1585. quæ Bulla in terminis adducetur in appendice alphabetica Bullarum, *V. indulgentia*.

13. *Junii, in Feſto ſancti Antonii de Padua*, Thaumaturgi, & primi Lectoris noſtri Ordinis Franciſcani, conceſſa à Sixto V. *Bulla citata: cùm à primava*.

14. *Julii, in feſto S. Bonaventura*, S. R. E. Cardinalis, Seraphici Doctoris Eccleſiæ, Epiſcopi Albanenſis, noſtri Ordinis Seraphici Miniſtri Generalis VIII. conceſſa à Sixto V. Bulla cit. *cùm à primava*.

2. *Auguſti, in Feſto portiuncula*, de quo plura dicemus §. ſequenti.

12. *Auguſti, in Feſto S. Clara Virginis*, Clariſſarum inſtitutricis, conceſſa à Sixto V. Bulla: *cum à primava*, citata.

19. *Auguſti, in Feſto S. Ludovici Epiſcopi* Toloſani ex Ordine noſtro, Caroli ſecundi Regis utriuſque Siciliæ, Jeruſalem, & Hungariæ, Filii, conceſſa à Sixto V. *Bulla cit.*

4. *Septembris, in Feſto Tranſlationis S. Roſa Virginis* Viterbienſis, ex Tertio Ordine S. P. N. Franciſci, conceſſa à Clemente XI. die 14. Januarii, 1701. in Brevi: *Agni immaculati*.

4. *Octobris, in Feſto S. P. N. Franciſci*, fundatoris trium Ampliſſimorum Ordinum, videlicet Fratrum Minorum, Clariſſarum, & Tertiariorum, conceſſa à Sixto V. Bulla: *cùm à primava, cit.*

19. *Octobris, in Feſto S. Petri de Alcantara*, eximii pœnitentiæ ſpeculi, & Confeſſoris noſtri Ordinis, conceſſa à Clemente IX. 2. Octobris, 1669. in Bulla Cannonizationis.

23. *Octobris, in Feſto S. Joannis Capiſtrani* glorioſiſſimi Turcarum Triumphatoris ex Ordine noſtro, conceſſa ab Alexandro VIII. Bulla: *Redemptoris*. 7. Decembris, 1690.

12. *Novembris, in Feſto S. Didaci confeſſoris* Mirifici, Ordinis noſtri, conceſſa à Clemente VIII. die 26. Martii, 1598.

8. *Decembris, in Feſto immaculata Conceptionis Beatiſſima Virginis MARIÆ*, quam Vir Venerabilis Joannes Duns Scotus ex Ordine noſtro ante 300. ampliùs annos ſubtiliſſimè propugnavit, & contra adverſarios defendit, & ideò ab univerſitatibus Pariſienſi, & Colonienſi titulum, & Nomen *Doctoris Subtilis* jure merito obtinuit: Conceſſa à Clemente XI. ad ſeptem annos, quibus elapſis renovari ſolet.

Pro Feſto B. Ludovicæ Albertoniæ. 31. Januarii conceſſa eſt pro omnibus Chriſti fidelibus confeſſis, & communicatis, viſitantibus Eccleſias Fratrum Minorum de obſervantia, & Reformatorum, & ibidem orantibus ad tres conſuetas Sum-

mi

Digitized by Google

mi Pontificis intentiones indulgentia plenaria incipiens à primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis diei ſequentis, à Clemente XI. 22. Decembris 1714. ad annos 14. Similis Indulgentia plenaria conceſſa eſt pro Feſto BB. Marvrum Gorcomienſium 9. Julii, ad ſeptennium à Clemente XI. 1711. in Brevi: *Ad augendam*. Utraque renovari ſolet poſt elapſum tempus. Ita P. Engelbertus Pauck *in tertia Seraphica Vinea cap.4. n.* 12.

93 Ad has tamen lucrandas indulgentias requiritur in diebus prædictis *confeſſio, communio, & Religioſa prædictarum Eccleſiarum Viſitatio, cum devotis, & piis precibus* pro extirpatione Hæreſum, concordia Principum Chriſtianorum, exaltatione S. M. Eccleſiæ; has equidem conditiones Bullæ prædictas indulgentias concedentes exigunt. Communis eſt autem DD. Sententia docens, eum qui 6. Pater, & Ave, & 6. Gloria Patri, & ſemel Credo recitavit pro intentionibus præmemoratis, ſufficienter poſſe dici pias ad DEUM preces effudiſſe ad intentiones prædictas. Quamvis in quibusdam Brevibus, & Bullis Pontificiis, indulgentiæ conceſſæ Eccleſiis Fratrum Minorum, expreſsè, directè, & immediatè non extendantur ad Eccleſias Monialium: indirectè tamen, & virtualiter per communicationem factæ ſunt communes Eccleſiis noſtrarum Monialium, & Tertiariorum noſtrorum, uti de omnibus privilegiis, & gratiis Spiritualibus, pari modo, indubitanter tenet P. Gaudentius Kerckhove *in Commentariis in ſtatuta noſtra Generalia, c.7. § 25.* ideò recedendum eſt ab opinione P. Matthæuci, *in Officiali curiæ quoad indulg. c.26.* Ita P. Engelbertus Pauck, *in tertia Seraphica Vinea, cap.22. n.109.* & patet etiam ex Bullis Innocentii XI. *Exponi nobis*, 5. Septemb. 1686. infra in Appendice alphabetica, verbo: *Indulgentiarum communicatio*, afferenda, & Innocentii XII. *ſua nobis* infrà in Appendice alphabetica: *Indulgentia viæ Crucis*, alleganda.

94 II. Omnes fideles aſſiſtentes Divinis Officiis in noſtris Eccleſiis, *in feſto Corporis Chriſti* lucrantur indulgentias *ex conceſſione Martini V.* pro Miſſa 200. dies, pro Matutino 200. dies, pro qualibet Veſp. 200. dies, pro qualibet hora parva 80. dies. Infra Octavam verò pro ſingulis Matut. Miſſ. & Veſp. 100. dies; pro horis ſimul 50. Eugenius verò IV. Bulla: *Excellentiſſimum* ſupradictas indulgentias duplicavit tam pro feſto, quàm pro Octava.

*Sixtus IV.* Bulla: *cùm Præcelſa*, 1476. Indulgentias modò dictas, pro feſto Corporis Chriſti conceſſa; conceſſit *pro feſto, & Octava Immaculatæ Conceptionis Beatiſſimæ Virginis MARIÆ*. Ita *Rubricæ particulares noſtri Breviarii Franciſcani num.*51.

*Clemens VIII.* Bulla: *Sacratiſſimi Nominis*, 158. Eaſdem indulgentias conceſſit *pro feſto dulciſſimi Nominis JESU*, (quod feſtum Ordo noſter Seraphicus celebravit ante hac 14. Januarii; jam autem cum univerſa Eccleſia celebrat Dominica ſecunda poſt Epiphaniam) ſi tamen aſſiſtenter Divinis Officiis dicant 5. Pater, & Ave, pro felici ſtatu Romani Pontificis, & S. R. Eccleſiæ, adverſùs Mahumeticam, & Lutheranam perfidiam, ac univerſali Principum, & aliorum fidelium pace. Ita *Rubricæ cit. n.*53.

*Bonifacius IX.* 1390. *pro die Viſitationis B. V. MARIÆ* conceſſit eaſdem indulgentias, quæ ſunt conceſſæ in feſto Corporis Chriſti ſuprà.

*Caliſtus III.* 1457. conceſſit *pro feſto Transfigurationis D. N. JESU Chriſti*, aſſiſtentibus Divinis in noſtris Eccleſiis, eaſdem indulgentias, quæ ſunt conceſſæ pro feſto Corporis Chriſti ſuprà.

*Hucuſque Calendarium Franciſcanum ſuprà cit.*

95 III. *Ex compendio privilegiorum Fratrum Minorum P. Alphonſi de Caſarubios, V. indulgentia, quoad ſæculares*, *Gregorius IX.* conceſſit omnibus viſitantibus Eccleſias Fratrum Minorum in feſtivitatibus Principalibus *Domini noſtri*, ac in feſtivitatibus, & commemorationibus *Dominæ noſtræ*; *ac Joannis Baptiſtæ, & omnium Sanctorum, ac S. Franciſci, & S. Antonii, ac S. Eliſabeth* centum annos, & totidem Quadragenas ingulgentiæ: *In die verò ſtigmatum S. P. N. Franciſci* dedit de indulgentia annos triginta.

*Alexander IV.* conceſſit omnibus viſitantibus Eccleſias noſtras in *feſtivitatibus*, *& Translationibus Beatorum Franciſci, & Antonii, atque Claræ* de indulgentia annos quinquaginta.

*Clemens IV.* conceſſit viſitantibus Eccleſias Fratrum Minorum *in feſtivitatibus Domini noſtri SESU. Chriſti, & B. M. V. & Apoſtolorum, ac B. Joannis Baptiſtæ, & B. Franciſci indulgentiam* 46. annorum; Gregorius X. Indulgentiam 30. annorum, & Nicolaus III. 30. annorum, & Urbanus V. 40. annorum.

*Martinus V.* Conceſſit omnibus viſitantibus Eccleſias Fratrum Minorum in feſtivitatibus *Nativitatis Domini, circumciſionis, Epiphaniæ, Purificationis, & Annuntiationis B. V. M. reſurrectionis, & Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes, B. Joannis Baptiſtæ, Apoſtolorum Petri, & Pauli, Aſſumptionis, & Nativitatis B. V. MARIÆ, ac omnium Sanctorum, item Beatorum Franciſci, Antonii, Claræ Eliſabeth, nec non in Tranſlationibus Eorumdem* indulgentiam annorum quinquaginta, & duodecim Quadragenarum. Nicolaus IV. confirmavit Ordini Fratrum Minorum omnes indulgentias datas à ſuis Prædeceſſoribus, & extendit eas ad feſtivitates *Angelorum*, & illorum Sanctorum, *in quorum honorem ſunt ædificatæ Eccleſiæ prædictorum fratrum, vel quorum reliquiæ ibidem habentur*.

96 IV. *Alexander IV. Nicolaus III. Innocentius IV. & Benedictus XI.* conceſſerunt a feria quarta Cinerum uſque ad Paſcha Reſurrectionis incluſivè viſitantibus Eccleſias Fratrum Minorum ſemel in die, cauſa devotionis, de indulgentia annos univerſim 122. & dies 576. viſitantibus autem, quandu ibidem prædicatur feria 2. 4. & 6. additur indulgentia annorum 6. & dierum 26. *Urbanus* verò IV. Conceſsit omnibus viſitantibus Eccleſias Fatrum Minorum in Quagrageſima indulgentiam 40. annorum.

*Alexander IV.* conceſsit viſitantibus Eccleſias Fratrum Minorum cauſa devotionis, qualibet hora diei indulgentiam 40. dierum: *Innocentius IV.* conceſsit ſimiliter 40. dies, *Clemens IV.* conceſsit 100. dies: *Nicolaus III.* 100. dies; ſicut etiam *Urbanus V.* conceſsit 100. *Nicolaus IV.* conceſsit indulgentiam unius anni, & 40. dierum. Idem *Alexander IV* conceſsit omnibus venientibus ad Horas Canonicas in Eccleſiis Fratrum Minorum infra annum, ſingulis diebus, vel ad audiendam Miſſam, vel concionem, indulgentiam 101. dierum, qualibet vice.

*Gregorius IX.* Conceſsit audientibus prędicationes fratrum Minorum quindecim annos indulgentiæ. *Alexander IV.* conceſsit accedentibus ad Eccleſias fratrum Minorum, cauſa audiendi ſermones, vel Miſſas, quocunq; tempore, pro qualibet vice, indulgentiam 100. dierum. *Hucuſque compendium noſtrorum privilegiorum citatum P. Alphonſi de Caſarubios*.

### §. V. *Indulgentia portiunculæ*.

97 I. NOtandum *ex portiuncula Theologica, & Hiſtorica noſtri P. Andreæ Mohr*, nomine *portiunculæ* venire *Eccleſiam, aliàs S. Mariæ Angelorum* dici ſolitam, non procul ab Aſsiſio S. P. N. Franciſci patria diſsitam, quam adhuc incolunt noſtri Patres Regularis obſervantiæ, tamquàm *primam noſtri Ordinis Seraphici Matrem*. Non ergo per portiunculam intelligitur *aliquis ſanctus frater, aut ſoror* noſtri Ordinis, ut ſubinde quidam ſimplices arbitrantur. Huic igitur Eccleſiæ (dictæ *portiunculæ*, quia erat *parva, & paupercula*) conceſsit ipſemet Chriſtus Dominus, Anno 1222. ad interceſsionem ſuæ dilectiſsimæ Matris B. V. MARIÆ, & Seraphici Patris noſtri Franciſci indulgentiam plenariam omnium peccatorum, id eſt, *omnium iis, qui à Veſperis Calendarum Auguſti, uſque ad Veſperas ſequentis diei, qui eſt anniverſarius dies conſecrationis ſupradictæ Eccleſiæ, eamdem religioſè viſitaſſent, & veram ſuorum peccatorum Confeſſionem Sacerdoti feciſſent, & hoc in perpetuum*. Ita Breviarium noſtrum Franciſcanum *ad diem 2. Auguſti* hinc.

II. Indulgentia portiunculæ Aſsiſiatenſis eſt immediatè à Chriſto Domino conceſſa. Ita *Benedictus XII. apud Caſarubios V. Ingulgentia quoad ſæculares t. Gobat part.2. de indulgentia c.9. P. Morch. cit. P. Matthaucci in Officiali Curiæ regularis cap. 19. n.*15. & alii. Ratio eſt: Quia Chriſtus Dominus S. P. N Franciſco hanc indulgentiam pro totius mundi ſalute petenti, reſpondit, *ſe petitionem ejus admittere*, juxta Piſanum *lib.2. c onform. fructu 2. p.* 2. & Vvadingum *ad Annum* 1221. *n.*22. Vel *eam ſibi placere*, juxta Breviarium noſtri Ordinis: At imprimis *admittere petitionem alicujus*, eſt petitum ei, quantùm eſt in ſe, concedere; deinde *placere*, ſeu *placitum Principis* importat conceſsionem, & Decretum Principis ergo. II. Quia nullus Pontifex hucuſq; (ut verbis utar Joannis XXII. & Urbani VIII. Summorum Pontificum) ad indulgentiam illam *ponere os ſuum*, nullus eam *revocare*, nullus in *Bullis Jubilæi ſuſpendere*, aut quomodovis tangere, aut infirmare auſus eſt: Ergo. III. Quia S. Franciſcus pro hac Indulgentia *non requiſivit à ſummo Pontifice Bullam*; imò *cùm Papa ei diploma dare vellet, ille ſibi ſatis eſſe dixit verbum ipſius: Dominum enim opus ſuum per ſeipſum divulgaturum, ac magnificaturum; quod quidem mirabiliter eveniſſe cernimus*. Ita Breviarium noſtrum. 2. *Auguſti*: Ergo. Nec obſtat, quòd hæc indulgentia ſubinde dicatur ab Honorio III. conceſſa; nam ideò ſic dicitur: quia ex voluntate Chriſti fuit ab Honorio III. *aprobata, & authenticè promulgata*, non verò *immediatè conceſſa*. Quare.

98 III. Indulgentia Portiunculæ Aſsiſiatenſis non tantùm eſt *pleniſſima*, ut conſtat ex prædictis, ſed etiam *certiſſima*,

ac

Digitized by Google

ac *eminentiſſima*: Quia *à Chriſto ipſo immediatè eſt conceſſa*, & quidem omnibus fidelibus, ac in perpetuum; reliquæ autem ſunt tantùm immediatè à ſummis Pontificibus conceſſæ: Item eſt *facillima*, quia ad eam lucrandam in Portiuncula Aſſiſiatenſi, nihil requiritur, niſi Religioſa ejuſdem viſitatio 2. Auguſti, & confeſſio ſuorum peccatorum, ut patet ex dictis *ſuprà n. 97.* Denique eſt *Eccleſiæ Catholicæ Romanæ utiliſſima*: quia per indulgentiam Portiunculæ (uti pulchrè docet Cardinalis Bellarminus *l. 2. de indulgentiis, cap. 20.*) *Tria fidei, & Eccleſiæ Catholicæ Dogmata confirmantur*, utpotè primùm, *de indulgentiarum exiſtentia*: Alterum de *Romani Pontificis authoritate*: quia Chriſtus Dominus præcepit S. P. N. Franciſco, ut ejus Vicarium adiret, & ab eo ſuo Nomine hanc indulgentiam poſtularet. Ac tertiam de *confeſſionis auricularis neceſſitate*: quia ad eandem lucrandam requiritur confeſſio peccatorum Sacerdoti facta, ut paret ex ſupradictis. Ergo indulgentia Portiunculæ eſt *Eccleſiæ Catholicæ Romanæ utiliſſima.* Inſuper Innocentius XII. Bulla: *Redemptoris*, 18. *Auguſti*, 1695. conceſſit omnibus Chriſti fidelibus, ſi prædictam Portiunculæ Aſſiſiatenſis Eccleſiam, confeſſi, & communicati piè viſitent *quocunque anni die*, & ibidem pro concordia Principum Chriſtianorum, hæreſum extirpatione, ac S. M. Eccleſiæ exaltatione devotè oraverint, indulgentiam Plenariam in perpetuum. Ita *Matthæucci, in Officiali Curiæ regularis, cap. 19.* Ulteriùs

100 IV. Gregorius XV. Bulla: *Splendor paternæ Gloriæ* (infrà in Appendice alphabetica Bullarum, in terminis referenda) *die 4. Julii*, 1622. conceſſit in perpetuum, ut omnes utriuſque ſexus fideles verè pœnitentes, & confeſſi, ac S. communione refecti, qui aliquam Eccleſiam Fratrum Minorum S. Franciſci de obſervantia ubique exiſtentem, *ſecunda die Auguſti*, à primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi, ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad DEUM preces effuderint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam, & remiſſionem conſequantur. Inſuper Innocentius XI. Bulla: *Alias felicis*. 22. Januarii 1677. in perpetuum conceſſit, ut hæc indulgentia à Gregorio XV. conceſſa, etiam animabus fidelium defunctorum per modum ſuffragii applicari poſſit, ſi prædicta opera peragantur. Ita Matthæucci cit.

101 Quia verò ante aliquot annos revocabatur in dubium, nimirùm poſt editum Decretum Innocentii XI. *Delata ſæpiùs*, 7. Martii, 1678. (quod *infrà qu. 4.* in formalibus adducemus) an indulgentia Portiunculæ ſecunda die Auguſti, tantùm ſemel, vel ſæpiùs obtineri poſſit? ideò S. Congregatio Cardinalium deſuper conſulta, per ſpeciale Breve (quod infrà in Appendice alphabetica Bullarum in terminis adducemus) 17. Julii, 1700. benignè declaravit ad conſolationem fidelium, quòd indulgentia Portiunculæ (non tantùm in Eccleſia Portiunculæ Aſſiſiatenſi, ſed etiam in noſtris Eccleſiis extra illam Aſſiſiatenſem) ſecunda die Auguſti, ab omnibus Chriſti fidelibus, non tantùm ſemel, ſed *toties, quoties* Eccleſiam PP. Franciſcanorum viſitant, & conſuetas preces pro ſupradictis *num. 100.* intentionibus poſt confeſſionem, & communionem unicam in ſtatu gratiæ perficiunt, obtineri queat; nempè ſemel pro ſeipſo, & aliis vicibus pro animabus in purgatorio. Ita ſuo Seraphico firmamento, ſecunda die Auguſti, *R. P. Hermannus Born, noſtri Ordinis Seraphici SS. Theologiæ Lector Jubilatus Provinciæ Colonienſis*; *item noſtrum Martyrologium Franciſcanum ſecunda die Auguſti. P. Matthæucci in Officiali Curiæ Eccleſiaſticæ*, verſ. *Indulgentia, c. 26. n. 5. Engelbertus Pauk in Vinea Seraph. Tertia c. 28. nu. 136.* Denique apud *Gobat tr. 4. de Indulgentiis, p. 8. c. 9 n. 351.* ſcribit Rodriquez, cum hac indulgentia Portiunculæ extra Aſſiſium non eſſe conjunctam poteſtatem abſolvendi à reſervatis, aut commutandi vota. Idem repetit *Rodriquez in QQ. regul. tom. 2, qu. 88. art. 6.* apud *Gobat tr. 4. de Jubilæo c. 26. n. 182.*

## §. IV. *Indulgentia Clariſſarum.*

102 PRæſciendum, quòd Seraphicus S. P. N. Franciſcus non contentus, inſtituiſſe Ord. Fratr. Min. pro ſexu maſculino, cupiebat etiam ſexum fœmininum DEO lucrari, atque ideò prænobili Virgini Claræ de Aſſiſio, cooperante Spiritus ſancti gratia, perſuaſit verbis, ac exemplo, ut relicto mundo, & quæ mundi ſunt Chriſto ſe totum conſecraret, ei in perpetua paupertate, caſtitate, obedientia, ac clauſura ſerviens, Ordinem Pauperum Dominarum, ſeu Clariſſarum inchoaret, in quo, benedicente Domino, innumeræ hucuſque Virgines, etiam Baroniſſæ, Comitiſſæ, Principiſſæ, Duciſſæ, Reginæ, imò, & Imperatrices, DEO in omni ſanctitate ſervierunt, ac eximiis miraculis, & prodigiis claruerunt, atque ideò à Summi Pontificibus hic Clariſſarum ordo eximiis gratiis, & privilegiis Apoſtolicis, atque indulgentiis meruit condecorari, quas hic breviter indicabimus. Itaque

Moniales Ordinis S. Claræ fruuntur imprimis omnibus indulgentiis regularibus in communi conceſſis, de quibus dictum *Quæſt. præced.* deinde, ſi ſubditæ ſint Ordini noſtro Seraphico, & Generali noſtro Miniſtro, fruuntur ipſæ, & earum Eccleſiæ omnibus Indulgentiis, nobis, & noſtris Eccleſiis conceſſis, de quibus modo §§. *præcedentibus* diximus, & adhuc dicemus, prout apud *Matthæucci in Officiali Curiæ regularis c. 25. nu. 20. & in Rubricis noſtri Breviarii Franciſcani nu. 182.* in terminis diſpoſuit Innocentius XI. & conſtat ex narrativis conſtitutionibus Innocentii VII. prout ſequitur: *Sua Nobis, & infrà, quòd aliàs ad ipſius inſtantiam à felic. record. Innocentio Papa XI. Prædeceſſore noſtro litteræ in forma Brevis ſub die 5. Septembris, de Anno Domini* 1686. *emanarunt, in quibus confirmata reperitur communicatio privilegiorum, & indulgentiarum, etiam plenariarum, uſque tunc non revocatorum, inter Eccleſias, loca, confraternitates, Congregationes, Ordines, & perſonas utriuſque ſexus, obedientiæ, vel directioni Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci ſubjectos, à pluribus Romanis Pontificibus, ipſius Innocentii, & noſtris etiam Prædeceſſoribus, eidem per diverſa privilegia conceſſa, &c.* quæ Bulla in totum adducetur infrà in Appendice alphabetica, ver. *Indulgentia.* 103

## §. VII. *Indulgentia noſtrorum Tertiariorum.*

SAnctus P. N. Franciſcus non contentus inſtituiſſe Ordinem Fratrum Minorum, & Monialium Clariſſarum, a mundo, & mundanis penitus excluſorum, adhuc alium *Ordinem Tertium* inſtituit, quem appellavit *Pœnitentium*, juxta illam Antiphonam Eccleſiæ, quam cantamus in Feſto S. P. N. Franciſci: *tres Ordines hic ordinat primumque Fratrum nominat Minorum, pauperumque fit Dominarum medius, ſed pœnitentum tertius ſexum capit utrumque.* Hunc Tertium Ordinem inſtituit S. P. N. Franciſcus pro illis, qui ad ſtatum Religioſum non ſunt vocati, ſed in mundo, vel matrimonio juncti, vel cœlibes vivunt, aut Sacerdotio initiati, extra Religionem ſuam ſalutem operari deſiderant. Hic Ordo (ſic enim rectè vocatur: quia eſt certus vivendi modus juxta Regulam à Sede Apoſtolica approbatam) fuit approbatus ab Honorio III. Gregorio IX. & Nicolao IV. Bulla: *Super montem.* Hunc Ordinem Profeſſi ſunt Principes, Duces, Epiſcopi, Patriarchæ, Cardinales, Reges, Imperatores &c. Genuitque hic Ordo jam plurimos Sanctos, ac Beatos, ut S. Ludovicum IX. Regem Francorum, S. Elzearium Comitem Arriani, S. Ivonem Presbyterum Juriſtarum Patronum, S. Conradum Nobilem Placentinum, S. Eliſabetham Reginam Hungariæ, & aliam S. Eliſabetham Reginam Portugalliæ, S. Roſam Virginem Viterbienſem, &c. Et quamvis S. P. N. Franciſcus Ordinem iſtum tantùm inſtituerit pro ſæcularibus, ſucceſſu tamen temporis aliquæ hujus Tertii Ordinis Perſonæ, ardentiori Spiritus Sancti flamma ſuccenſæ, cœperunt collegialiter cohabitare in privatis domibus, & denique etiam publicè in Monaſteriis tria ſubſtantialia Religionis vota, videlicet paupertatem, caſtitatem, & obedientiam ſolemniter profiteri, quibus etiam Leo X. peculiarem Regulam præſcripſit, ſicuti videri poteſt apud noſtrum P. Sannig *in Cronicis Ordinis noſtri Seraphici, part. 2. lib. 4. cap. 4.* Itaque 104

Quod attinet Fratres, & Sorores Tertii Ordinis S. P. N. Franciſci, emiſſis tribus ſubſtantialibus Religionis votis collegialiter viventes, certum eſt, eos gaudere omnibus indulgentiis, quibus gaudent Regulares in communi; cùm veri Religioſi, & Religioſæ exiſtant. Deinde ſi prædicti Tertiarii, & Tertiariæ noſtro Ordini Seraphico ſubdantur, gaudent ipſi, & ipſorum Eccleſiæ omnibus indulgentiis, quibus nos Franciſcani, noſtræ Eccleſiæ, gaudemus, ut patet *ex §. præced. n. 103. ex verbis Innocentii XI. & XII.* 105

Quantùm ad Tertiarios noſtri Ordinis ſæculares, in propriis domibus habitantes imprimis fruuntur ex conceſſione Gregorii XV. Bulla: *Injunctis nobis. 1621. tertio nonas Junii*, apud Lantuſcam *in Regula Tertiariorum* omnibus Indulgentiis Regularibus in communi conceſſis, quas quæſtione præced. recenſuimus. II. Ex conceſſione Leonis X. Pauli V. Innocentii XI. & XII. fruuntur omnibus indulgentiis noſtro Ordini Seraphico elargitis, modò noſtræ directioni ſubdantur, & denuò patet ex *§. præced. n. 103.* ex verbis Innocentii XI. & XII. 106

III. Paulus V. Bulla: *cùm certas*: data Romæ, apud S. Petrum, 107

Digitized by Google

trum, die 11. Martii, 1607. Pontificatus ſui anno ſecundo, (quæ Bulla adeſt Romæ impreſſa in Archivio Conventus S. Franciſci trans tyberim) conceſſit etiam ſequentes indulgentias Tertiariis directè, & ſpecificè, etiam in propriis domibus viventibus.

I. Die, quo recipiunt habitum, vel chordam benedictam à Superiore Ordinis in memoriam S. Franciſci; ſi contriti, & confeſſi Euchariſtiam ſumpſerint, indulgentiam plenariam lucrantur.

II. Eodem modo in Feſto primario Ordinis lucrantur indulgentiam plenariam.

III. In articulo mortis, invocato Nomine JESU plenariam.

IV. Qui aſſiſtunt, & ſequuntur proceſſionem chordæ, omni menſe fieri ſolitam, lucrantur indulgentiam 3. annorum, & totidem Quadragenarum. Si autem confeſſi communicaverint, plenariam.

V. Qui confeſſi, & ſancta Communione refecti, viſitaverint Eccleſias Fratrum Minorum in Feſtis S. Franciſci, S. Antonii de Padua, S. Ludovici, S. Bernardini, S. Bonaventuræ, S. Claræ, lucrantur indulgentias ſeptem annorum, & totidem Quadragenarum; præter indulgentias plenarias à Sixto V. conceſſas.

VI. Qui aſſiſtunt officio B. MARIÆ Virginis, dum legitur in Oratorio, lucrantur indulgentias 100. dierum.

VII. Qui comitantur Sanctiſſimum Sacramentum, dum portatur ad infirmos, lucrantur indulgentiam quinque annorum, & totidem Quadragenarum:

VIII. Qui comitantur ſepulturam mortuorum, dant Eleemoſynam pauperi, concilians pacem inter inimicos, toties, quoties: pro quolibet iſtorum operum, impetrant indulgentias centum dierum.

IX. Conceditur, quòd Fratres prædicti, & Sorores poſſint has gratias ſpirituales conſequi, & illas applicare animabus in purgatorio per modum ſuffragii.

Ita IV. Engelbertus Pauck *in tertia Seraphica Vinea, cap. 25. num. 122.* citans etiam P. Angelum Lantuſcam *fol. 86. in Idiomate Italico.*

V. Fratres, & Sorores Tertii Ordinis S. P. N. Franciſci de pœnitentia in menſe ſemel lucrantur indulgentias 560. dierum, dum conveniunt ad Congregationem Menſtruam, & ibidem audiunt legi ſuam Regulam, vel ejuſdem explicationem. Ita conceſſit Clemens V. Bulla: *Cùm Illuminatum.* 8. Maii 1305. invenienda in Appendice Alphabetica infrà, verbo *Indulgentia Tertiariorum.* Inſuper Innocentius XI. in Brevi: *Eccleſia Catholica* die 28. *Jun.* 1686. plura ſpecificè pro Tertio Ordine confirmavit, hoc ibidem expreſſu motivo, nimirùm, *ut præfatus de pœnitentia venerabilis Ordo à S. P. N. Franciſco pro perſonis utriuſque ſexus in ſæculo viventibus inſtitutus, & à Clemente VII. ac Paulo III. in tres ſtatus ſub uno, eodemque Tertii Ordinis appellatione, atque eorundem privilegiorum, gratiarum, conceſſionum, indulgentiarum, & favorum communicatione, ut ſolùm ſub diverſis ſtatutis, ſecundùm cujuslibet ſtatus exigentiam diviſus, magis in dies augeatur, & illi ſancti, qui ut ab eodem Paulo III. in ſuo Brevi: Trium Statum, incipiente refertur, pro ſanctis dicti Ordinis recenſentur, ſequacibus in Indiarum, totius orbis Chriſtiani partibus non careant, ut ut exemplo perſonarum ſub Regula præfati Ordinis viventium, fidelium mores reformentur.* Vide Rubricas particulares noſtri Breviarii Franciſcani *num.* 171. 172. 173. & 181. juxta Rubricas particulares Breviarii noſtri Franciſcani approbati ab Innocentio XII. etiam præſcribitur forma DEO perſolvendi laudes, & ordinandi Divinum Officium *tit.* 12. *Rubricarum particularium*, quæ forma ab omnibus Fratrum Ordinibus, & Congregationibus obedientiæ Miniſtri Generalis Fratrum Minorum S. Franciſci ſubjectis, nec non à monialibus Conceptioniſtis, Coletanis, de Annuntiata, & aliorum inſtitutorum, quæ ſub eadem obedientia præſtans altiſſimo obſequium. & famulatum, omninò tenenda aſt ex *Decreto dato 7. Auguſti* 1694. Perſonæ etiam tertii Ordinis S. Franciſci, noſtræ directioni ſubjectæ, eodem poterunt uti Breviario: Quia id præſcribunt Rubricæ noſtri Breviarii Franciſcani particulares *n.* 1. 2. 3. 4. 21. & 22. Ita Engelbertus Pauck *cit. cap.* 23. *num.* 110.

### §. VIII. *Indulgentia conceſſa Benefactoribus Ordinis noſtri Seraphici.*

507 I. Clemens VII. Bulla: *Dum conſideramus.* 16. *Aprilis*, 1526. apud Matthæucci, *in Officiali Curiæ Regularis. c.* 31. reperienda, ſic loquitur: *Dum conſideramus aſſiduos labores, & vigilias, quos dilecti filii Syndici, & Procuratores domorum, & Monaſteriorum Fratrum Minorum Sancti Franciſci regularis obſervantia, & Monialium S. Claræ, Conceptionis, Annuntiationis, Ordinum, & Sororum tertiæ Regulæ Sancti Franciſci ſuſtinere non ceſſant, meritò nos obligant, ut animarum ſuarum ſaluti conſulamus; idcirco uni ſyndico, & Procuratoribus hujuſmodi, cum illius uxore; & liberis, præſenti, & futuro, ſingula Domui, & Monaſterio prædictis, pro tempore ſervientibus, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus, ipſi, & eorum quilibet, omnibus, & ſingulis indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus, favoribus, & gratiis, quibus fratres Ordinis obſervantiæ prædictorum utuntur, potiuntur, & gaudent, ſeu uti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere poſſint; & valeant, auctoritate Apoſtolica concedimus, & indulgemus.* Hucuſque clementiſſimè Clemens VII.

508 II. *Innocentius IV.* conceſſit omnibus porrigentibus manus adjutrices Fratribus Minoribus (per quamcunque Eleemoſynam juxta declarationem Julii II.) ubicunque. 40. dies Indulgentiæ. Nicolaus IV. totidem. Clemens IV. dies 100. item Alexander IV. conceſſit omnibus recipientibus Fratres minores Viatores in ſuis domibus, & miniſtrantibus eis alimenta, ac alia pietatis obſequia dictis Fratribus exhibentibus, indulgentiam 40. annorum. Martinus IV. conceſſit cunctis fidelibus, qui manus adjutrices porrexerint ad conſtruendas Eccleſias, vel Monaſteria Ordinis Fratrum Minorum, ac omnibus, qui ſepulturam elegerint in cœmeteriis, aut clauſtris præfatorum Fratrum, indulgentiam 40. annorum. Ita Caſarubios *in Compendio noſtrorum privilegiorum*, ver. *Indulgentia, quoad ſæculares.* Denique ſæculares facientes celebrari Miſſas in Eccleſiis Fratrum Minorum, & alia Divina Officia, lucrantur mille dies indulgentiam. Ita Emanuel Rodriquez *q.* 95. apud Sannig *de Sacramentis diſt.* 13. *qu.* 3. *num.* 8.

509 III. Leo X. conceſſit indulgentiam plenariam omnium peccatorum morientibus, & ſepeliendis in habitu Fratrum Minorum, vel ſororum tertiæ Regulæ S. Franciſci ſub obedientia ejuſdem Ordinis degentium (quæ indulgentia etiam extenſa eſt ad mulieres in habitu S. Claræ morientes, & ut ſuprà ſepultas. Ita P. Engelbertus Pauck *in tertia Seraphica Vinea c.* 5. *n.* 16.) qui Pontifex etiam declaravit, ſufficere habitum prædictum petere: & ſuper ſe uſque ad mortem habere, atque in eodem ſepeliri, etiamſi ante mortem illo non induatur, ſic, ut non ſufficiat, quòd cadaver induatur dicto habitu, ſed neceſſarium ſit, quòd homo vivus illum petat, & ponatur ſaltem ſuper ipſum agonizantem. Poſſunt autem talem habitum ad ſepeliendum in eo ſæculares, concedere tantùm Guardiani, & cæteri prælati Superiores, vel illi, quibus ab ipſis fuerit commiſſum. Ita *Leo X. in Bulla aurea.* Unde prædictum habitum dare non poteſt ſubditus, neque Confeſſarius Monialium, neque quivis alius, niſi id ſibi à Prælato concedatur. *Kerckhove in Statuta Generalia noſtra c.* 4. §. 3. *n.* 5. *& ſeqq.* Addit Rodriquez apud modò citat Kerckhove, quòd ſuſcipientes dictum habitum, poſſint quidem dare Eleemoſynam nobis pro habitu Religioſo ipſo, non tamen pro ipſa indulgentia conſequenda; aliàs hæc eſſe revocata per conſtitutionem S. Pii V. revocantis omnes indulgentias, ratione quarum aliqua Eleemoſyna tribuitur. Denique tantam habuere Romani Pontifices erga Religioſorum habitum reverentiam, ut oſculantibus eum conceſſerint nonnullas indulgentias. Sic Joannes XXII. conceſſit omnibus Chriſti fidelibus, oſculantibus habitum Ordinis S. Dominici, quinque annos, & totidem Quadragenas, de injunctis pœnitentiis, quam indulgentiam etiam lucrantur oſculantes habitum aliorum mendicantium, ratione Communicationis privilegiorum. Ita Kerckhove *cit. n.* 8. Rodriquez *tom.* 1. *q.* 77. *art.* 11. Portal. verſ. *Habitus, in addit nu.* 4. Ex Collect. Privil. ver. *Indulgentia quoad ſæculares*, §. 9. *n.* 6. Lantuſca *in Theatro Regularium*, ver. *Habitus n.* 10. Quam indulgentiam iidemmet Regulares lucrari poterunt: quia conceditur omnibus Chriſti fidelibus habitum oſculantibus, inter quos Fratres deterioris conditionis eſſe non debent. Nec indulgentia hæc revocata eſt per *Paulum V.* quia non eſt conceſſa Regularibus immediatè, ſed omnibus etiam ſæcularibus. Vide, quàm uberem cœleſtes lucrandi Theſaurus materiam, nobiſcum quotidie, & perpetuò habemus; ait *Lantuſca cit.*

510 IV. Urbanus V. per Bullam conceſſit, ut Generales, & Provinciales totius Ordinis Minorum poſſint communicare Suffragia, indulgentias, Orationes, & bona Spiritualia Benefactoribus Ordinis. Ita *Caſarubios in Compendio privilegiorum noſtrorum* ver. *Indulgentia quoad Sæculares.* Quæ facultas non eſt revocata à Paulo V. hodièque adhuc viget teſtes *Lezana, & Gobat de indulgentiis p.* 1. *c.* 9. *n.* 110. *atque Lantuſca in Theatro regularium.* ver. *Bona Spiritualia.*

§. IX.

Digitized by Google

### §. IX. *Indulgentiæ Archi Confraternitatis S. P. N. Franciſci.*

111 I. ARchi-Confraternitas S. P. N. Franſciſci ſeu Chordigerorum (à *Chordagerenda ſic dicta*) à Sixto V. *Anno* 1585. 29. *Nov.* per Bullam: *Superna*, Aſsiſii in Eccleſia S. Franciſci Patris noſtri Seraphici (in qua ſanctiſsimum ipſius Corpus Sacris Chriſti ſtigmatibus inſignitum; hodie adhuc mirabiliter ſtando requieſcit) conceſsis multis, & magnis indulgentiis fuit inſtituta. Ad cujus normam reliquæ per totum mundum, apud Fratres Minores inſtitutæ Chordigerorum Confraternitates, iiſdem fruuntur indulgentiis, ex ejuſdem Sixti V. Bulla: *Divina Charitatis*, & Pauli V. Bulla: *Nuper Archi-Confraternitati*: quam ultimam Bullam, cùm in eadem contineantur indulgentiæ hodiè adhuc validæ, & conceſſæ Archi-Confraternitati Chordigerorum S. P. N. Franciſci, in terminis adducemus, quæ ſic ſonat.

## P A U L U S P A P A V.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

112 *NUper Archi-Confraternitati Chordigerorum in Eccleſia domus Fratrum S. Franciſci, Aſſiſienſi Ordinis Minorum Conventualium canonicè erecta, & illius Confratribus certas indulgentias, & gratias ſpirituales conceſſimus per noſtras in forma Brevis litteras hujus tenoris, videlicet: cùm certas unicuique Confraternitati indulgentias, & gratias ſpirituales, quibus impoſterum fruantur, duximus præſcribendas; idcircò omnes, & ſingulas indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes Archi-Confraternitatis Chordigerorum in Eccleſia Domus Fratrum S. Franciſci Aſſiſien. Ordinis Minorum Conventualium canonicè erecta, & illius Fratribus, hactenus per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros conceſſas revocantes, & annullantes, ac nullius roboris, & momenti poſthac, data Præſentium fore declarantes, de Omnipotentis DEI miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus Auctoritate confiſi.*

*I. Omnibus utriuſque Sexus Chriſti fidelibus, qui in memoriam ejuſdem S. Franciſci chordam benedictam, ab ejuſdem Ordinis Superioribus ſuſcipientes, prædictam Archi-Confraternitatem de cætero ingredientur, die prima eorum ingreſſus, ſi verè pœnitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam.*

*II. Ac tam ipſis pro tempore deſcribendis, quàm jam deſcriptis in dicta Archi-Confraternitate Confratribus, & conſororibus, etiam verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra communione refectis, qui prædictæ Archi-Confraternitatis Eccleſiam, ſeu Oratorium, in Feſto principali ejuſdem Archi-Confraternitatis, à primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis ejuſdem Feſti, ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Principum Chriſtianorum concordia, hæreſum extirpatione, & S. Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad DEUM preces effuderint, etiam plenariam.*

*III. In mortis quoque articulo ejuſdem confratribus, & conſororibus, qui pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenùs id facere nequiverint, ſaltem verè pœnitentes, Nomen JESU, ore, ſi potuerint, ſin autem, corde devotè invocaverint, plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus.*

*IV. Nec non ipſis Confratribus, & conſororibus, qui prædictæ Archi-Confraternitatis Proceſſioni, ſingulis Menſibus fieri ſolitæ interfuerint, tres annos, & totidem Quadragenas, & ſi fuerint confeſſi, ac Sacra communione refecti, ibique pias ad DEUM preces effuderint, etiam plenariam.*

*V. Qui verò Officio Beatæ Mariæ Virginis, ab ejuſdem Archi-Confraternitatis Confratribus pro tempore celebrando, & recitando, aut cuivis alteri officio pariter interfuerint, centum dies.*

*VI. Inſuper eiſdem, qui Sanctiſſimum Sacramentum, quando ad infirmos defertur, comitati fuerint, quinque annos, & totidem Quadragenas.*

*VII. Qui verò pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra communione refecti aliquam ex Eccleſiis dicti Ordinis Minorum Conventualium, S. Franciſci, S. Antonii de Padua, S. Bonaventuræ, S. Ludovici Epiſcopi, S. Bernardini, S. Claræ, ac S. Didaci feſtivitatibus, ſingulis annis viſitaverint, & oraverint, ut præfertur, quo die feſtivitatum hujuſmodi id egerint, ſeptem annos, & totidem Quadragenas.*

*VIII. Quoties verò corpora defunctorum tam confratrum, quàm aliorum ad ſepulturam comitati fuerint, aut alicui pauperi Perſonæ, in ejus neceſſitatibus ſubvenerint, aut pacem inter inimicos compoſuerint, toties pro quolibet prædictorum operum, centum de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis, in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus.*

*IX. Inſuper eiſdem confratribus, & conſororibus, ut ſupradictas indulgentias, & gratias ſpirituales conſequi, & illas animabus defunctorum per modum ſuffragii applicare poſſint, per præſentes concedimus, & indulgemus &c. Cùm autem ex conceſſione fel. record. Sixti Papæ V. Prædeceſſoris noſtri, dilectis filiis Miniſtro Generali, & commiſſario Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia, in Eccleſiis eorum Ordinis, in locis videlicet, in quibus Eccleſia, vel Conventus Fratrum Conventualium non exiſterent, hujuſmodi Confraternitatem Chordigerorum erigendi, & inſtituendi facultas impartita fuerint; nos eidem Miniſtro Generali, & Commiſſario Generali ſpecialem gratiam facere, & Chriſti fidelium ſpirituali conſolationi proſpicere volentes, de Omnipotentis DEI miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus Auctoritate confiſi, eiſdem Miniſtro Generali, & Commiſſario Generali, & eorum cuilibet, ut in Eccleſiis eorum Ordinis tantùm, ac in locis, in quibus non exiſtent Conventus, vel Eccleſiæ Ordini Minorum Conventualium S. Franciſci, Confraternitates Chordigerorum S. Franciſci, utriuſque ſexus exigere, & inſtituere, illiſque ſic erectis, & inſtitutis, indulgentias, & gratias ſpirituales ſupradictas communicare, liberè, & licitè poſſint, & valeant, ſervata tamen forma in prædictis conſtitutionibus Sixti V. & Clementis VIII. tradita, ut in præinſerto Brevi pro iiſdem Conventualibus expedito, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, facultatem, & Auctoritatem perpetuò duraturam concedimus, & impartimur. Non obſtantibus &c.* Hanc Bullam, ſicut, & Clementis VIII. *Quæcunque à Sede*, concernentem inſtitutionem Confraternitatum, dabimus ex integro infrà *in Appendice alphabetica, V. Indulgentia, & V. Confraternitas.*

II. Prætereà Gregorius XV. in Brevi: *Pias Chriſti*, 10. 113
*Nov.* 1622. conceſſit Chordigeris, quòd poſſint lucrari etiam illas indulgentias, quas Paulus V. Bulla: *Romanus Pontifex*, Regularibus conceſſit, *Anno* 1606. 23. *Maji*, quas recenſuimus quæſtione præcedenti; ait enim Præfatus Papa in Rubricis particularibus *noſtri Breviarii Franciſcani n.* 167. de Chordigeris: *eiſdem Confratribus, & conſororibus, quòd omnibus, & ſingulis indulgentiis, ac peccatorum remiſſionibus, & pœnitentiarum relaxationibus, quibus iidem Fratres, vel Regulares fruuntur, & gaudent; ſimiliter frui; & gaudere &c. concedimus, & indulgemus.* Ulterius Chordigeri lucrari poſſunt omnes indulgentias Fratribus Minoribus directè, & in ſpecie conceſſas, & non revocatas (non idem alias eis per extenſionem, vel communicationem, quomodovis competentes) ita Clemens VIII. Bulla: *Quæcunque à Sede* 1604. 7. Decembris, teſte Lantuſca *in Theatro Regularium. V. Confraternitas nn.* 4. & 5. Ex quo ſequitur, quod Chordigeri lucrari poſſint indulgentias *Stationis Sanctiſſimi Sacramenti*, ſupra *hac quæſtione* §. 1. indulgentias *Coronæ de ſeptem Gaudiis B. V. M.* §. 2. & indulgentias *orationis mentalis* §. 3. ita Engelbertus Pauck in *tertia Seraphica Vinea* c. 21. *n.* 93. Denique Chordigeri gaudent in articulo mortis *privilegio abſolutionis generalis*, ex Bulla Clementis VIII. *Quæcunque à Sede*; Pauli V. *cùm certas*, & Gregorii XV. *injuncti nobis*. Ita Lantuſca in Regula Tertiariorum de quo plura *q. ſeq.* §. 4. item *communicatione meritorum noſtri Ordinis.*

III. Ut autem prædictas indulgentias lucrentur Chor- 114
digeri, *debent eſſe legitimè inſcripti Albo hujus Archi-Confraternitatis*; poſſunt autem Candidati, ſeu aſpirantes ad hanc Archi-Confraternitatem admitti non ſolùm à Prælatis noſtri Ordinis Seraphici, ſed etiam ab ipſo Patre Spirituali hujus Confraternitatis, v. g. Concionatoribus noſtris, legitimè à Superioribus deputato. II. *Debent portare chordam*, à ſolis Prælatis Generali, Provinciali, Guardiano, ejuſque in abſentia à Vicario, aliove præſidente ritè benedictam, circa lumbos. III. *Debet in dies* 5. *Pater, & Ave, cum totidem Gloria Patri* recitare pro exaltatione S. Matris Eccleſiæ, & adhuc *unum Pater, & Ave*, cum *uno Gloria Patri*, & *Credo*, pro Summo Pontifice. IV. *Ad Proceſſiones Menſtruas* diligenter, ubi poſſunt, compareant, & comitentur, & miſſæ mortuali, die ſequenti, vel alio devotè interſint, & pro defunctis Confratribus, & Conſororibus orent. V. *Feſta præcipua noſtri Ordinis* ſpeciali cum devotione obeant confitendo, & communicando. VI. *Indulgentiis, aliiſque Gratiis* ſpiritualibus lucrandis ſolicitè invigilent, quas etiam domi, ſi infirmitate, vel in Eccleſiis ſæcularium, ſi itinere impediti. 5. Pater, & Ave, cum totidem Gloria Patri recitantes obtinere poſſunt: quia hoc eſt conceſſum Fratribus Minoribus infirmis ab Innocentio VIII. *in Compendio noſtrorum privilegiorum Patris Caſarubios V. infirmi Fratres, n.* 3. *& V. itinerantes Fratres, n.* 5. VIII. *Sciant tamen* omnes Confratres, & Conſorores, ſe ad ipſorum Statutorum obſer-

van-

Digitized by Google

vantiam ſub nullo peccato vi ipſorum Statutorum obligari; meritorum tamen participatione, omni indulgentiarum lucro, aliiſque gratiis ſpiritualibus deſtitui, niſi penſum Confraternitatis, aliaque præſtanda præſtiterint.

115 IV. Quod attinet ad indulgentias aliarum Confraternitatum, ſcient ipſi, quorum intereſt. Hoc ſolùm adnoto, quod ſcribit *P. Gobat de indulgen. p.2. c.23.* Omnes Confraternitates, quantum ex Cherubini Bullario, & Confraternitatum ſingularum libellis diſco, in hoc conveniunt, quòd indulgentiam plenariam obtineant non ſolùm eo die, quo in Confraternitatem admittuntur, ſed etiam in mortis articulò, ſi tamen conſtanter maneant Confratres, & exequantur opera præſcripta. Cæterùm, *pergit Gobat citat. n.640. loquens de Congregatione Virginis Annuntiatæ*, etſi quis legitimam ob cauſam perpetuò abſit à Conventibus, ſicut v. g. abſunt plerique habitantes extra urbem, in qua Congregatio ſuum habet Oratorium, poteſt nihilominùs eſſe omnium ejus indulgentiarum, itemque meritorum, & orationum pro ſodalibus fuſarum particeps, ſi & eſſe velit, & ſe gerat, ut membrum Congregationis, ejus ſcilicet ſtatuta ſervando, tolerabili cum ſatisfactione, prout occaſio tulerit.

### §. X. *Indulgentia Viæ Crucis.*

116 NOtum eſt univerſo orbi Chriſtiano, Salvatorem noſtrum Chriſtum Dominum, noſtræ ſalutis amore, *varias obiviſſe vias*; de cœlo equidem deſcendit in Virgineum Beatiſſimæ Virginis MARIÆ uterum, ex utero exivit in præſepe, ex hoc perrexit in templum Jeroſolimitanum: Ex templo fuit in Ægyptum, ex Ægypto rediit in Nazareth, ex Nazareth obivit Samariam, Judæam, & Galilæam, à Galilæa aſcendit in Jeruſalem, ex hac ivit ad montem Calvariæ bajulans ſibi Crucem. Quia vero *Via ultima*, quam Salvator noſter dilectiſſimus obivit à domo Pilati cum Cruce, uſque ad Calvariæ montem, fuit eidem doloroſiſſima, & nobis fructuoſiſſima, ideò etiam à nobis jugiter, ac ſummoperè eadem eſt veneranda, meditanda, ac recolenda. Hanc Crucis viam Doloroſiſſima Virgo, & Mater Chriſti MARIA, poſt ejus mortem ſæpiſſimè inviſit, & reinviſit, & aduſque ſuum Beatiſſimum ex hac vita tranſitum inviſere non deſtitit. Hanc Crucis viam obeundi erat flagrantiſſimum primorum Chriſtianorum ſtudium. Hanc viam Crucis jam pluribus ſæculis, noſtri in Palæſtina ac Jeroſolymis habitantes Patres, & Fratres, non ſine maxima animi conſolatione inviſerunt, & hodiernum jugiter inviſunt. Quia verò non omnibus datum eſt, adire Jeroſolymam, & ibidem hanc Crucis viam obire, & eam obeuntibus conceſſas maximas lucrari indulgentias; hinc Sanctiſſimi Summi Pontifices Innocentius XI. 5. Septembris, 1686. & Innocentius XII. Bulla: *Sua nobis, decimo ſeptimo Calendas Januarii*, 1695. (juxta Rubricas noſtri Breviarii Franciſcani particulares, *num.*182. & ſeqq. ubi Bulla præfata, ſicut etiam infrà, in Appendice alphabetica Bullarum, *V. Indulgentia*, de verbo ad verbum refertur) ad inſtantiam noſtri Ordinis Seraphici, & ad inflammandas fidelium mentes, ad jugem Dominicæ Paſſionis, ac mortis Chriſti memoriam, clementiſſimè conceſſerunt nobis Fratribus Minoribus Regularis obſervantiæ, quia inhabitamus Jeroſolymis montem Calvariæ, ut *ubique terrarum exiſtentes poſſimus erigere viam Crucis, quam ivit Chriſtus bajulans ſibi Crucem, ſeu Montem Calvariæ, id eſt, Stationes ad eum modum, quo de facto Jeroſolymis extant, videlicet à domo Pilati uſque ad montem Calvariæ, locum Crucifixionis, & ſepulchrum Domini noſtri JESU Chriſti, iiſque Stationibus à noſtro Ordine erectis, conceſſerunt eaſdem indulgentias, quas habent Stationes Jeroſolymitanæ.* Hinc.

117 Omnes Chriſti fideles, obeuntes viam Crucis à nobis erectam, poſſunt ſingulis diebus, modò ſint in ſtatu gratiæ, & obeundo viam Crucis devotè recolant Paſſionem, ac mortem Chriſti (hoc enim Bulla citata requirit, & non requirit confeſſionem, aut communionem) lucrari eaſdem indulgentias, quas Jeroſolymis obeuntes viam Crucis lucrantur, vel qui hoc non poſſunt, dicant apud quamlibet Stationem 3. Pater, & Ave in honorem Dominicæ Paſſionis, & poſt ultimam Stationem dicant 6. Pater, & Ave, cum totidem Gloria Patri coram venerabili Sacramento, videlicet quinquies in honorem 5. Vulnerum Chriſti, & ſtigmatum S.P.N. Franciſci: ſemel verò, ſeu pro ſexta vice ad intentionem Summi Pontificis, qui dictas indulgentias conceſſit. Ita P. *Engelbertus Panck cit. in via ſacra, n.11. 19. & 39.*

Etiam viæ Crucis erectæ à noſtris Fratribus in locis ad Fratres Minores non ſpectantibus gaudent indulgentiis ad inſtar terræ ſanctæ, ſicut illæ viæ Crucis erectæ à noſtris in locis ad nos ſpectantibus. Ita *P. Engelbertus Panck citat. in via Sacra n.11.* Ratio eſt: quia Innocentius XII. in Brevi: *Alias à felicis*, 5. Decemb. 1696. non requirit alias conditiones ad acquirendas iſtas indulgentias, quàm ut ſint Stationes erectæ à Fratribus Minoribus Regularis obſervantiæ, adeoque ſufficit, quod loca viæ Crucis ſpectent ad noſtrum Ordinem per ſolam erectionem.

*Circa numerum autem indulgentiarum etiam præ oculis habendum Decretum præſcribens non poſſe fideles pro ſe plusquam unam indulgentiam plenariam quotidie lucrari pro uno exercitio* (hoc eſt, una viſitatione Stationum) *niſi clauſulam de toties, quoties, apud Jeroſolymam conceſſio habeat, prout contingit in quotidiana indulgentia plenaria ſanctiſſimi ſepulchri. Pro animabus tamen purgatorii poterit à noſtratibus applicari, quidquid majoris lucri ſpiritualis fuerit apud DEUM ex ſemel peracto vel iterato qualibet die ad lucrandas indulgentias opere, ſeu exercitio requiſito.* Ita P. Bernardus ab Eccleſia, Provinciæ S. Jacobi, Ordinis Fratrum Minorum de obſervantia in Hiſpania Pater, ac Terræ ſanctæ in Romana Curia Commiſſarius, in inſtructione Romæ impreſſa, & nobis tranſmiſſa, ex Conventu Ara-Cælitano, 2. Auguſti 1719. 118

### §. XI. *Indulgentia Crucum, & Roſariorum Jeroſolymitanorum.*

SAn. Mem. Innocentius XI Pontifex Maximus, ad accendenda Chriſtianorum Corda, amoris igne erga amariſſimam JESU Chriſti Salvatoris noſtri Paſſionem, mortem, ac ſacratiſſima Terræ ſanctæ loca, ejuſdem nativitate, converſatione, paſſione, ac morte conſecrata, (*quæ nos Fratres Minores. S. P. N. Franciſci, Regularis obſervantiæ, jam à 400. & ampliùs inhabitamus, ac Divina officia celebrando, prædicando, Sacramenta adminiſtrando &c. Eiſdem debitum etiam inter barbaras nationes cultum exhibemus, & conſervamus*) conceſſit in Brevi: *Unigeniti Filii DEI*, 18. *Januar.* 1688. in perpetuum Crucibus, Coronis, ac Roſariis (*quæ attigerunt ſacratiſſima Terræ ſancta loca, & ſacras ibidem exiſtentes reliquias*) eximias indulgentias (*revocando, & anullando omnes alias, quæ dicuntur eiſdem fuiſſe conceſſa ab aliis Summis Pontificibus*) Breve modò dictum Innocentii XI. infrà in Appendice alphabetica Bullarum, *V. Indulgentia* ex integro videri poteſt. Itaque 119

Indulgentiæ Crucibus, Coronis, & Roſariis Jeroſolymitanis conceſſæ ſunt ſequentes: I. Quicunque apud ſe habuerit talem Crucem, vel Coronam, vel Roſarium, & ſaltem ſemel per ſeptimanam Coronam Domini, vel B. Virginis, aut Roſarium, aut ejus tertiam partem, aut officium defunctorum, vel 7. Pſalmos pœnitentiales, vel graduales recitare, vel ignorantes erudire in fide Chriſtiana, vel captivos in carcere, aut infirmos in hoſpitalibus viſitare, vel pauperibus Eleemoſyna, aut alio miſericordiæ opere ſubvenire, vel miſſam audire, vel ſi Sacerdos, miſſam celebrare conſueverit, ſi verè pœnitens confeſſus, & communicatus, & ſequentibus diebus (videlicet Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, & Pentecoſtes, SS. Trinitatis, Corporis Chriſti, Purificationis, Annuntiationis, Aſſumptionis, & Nativitatis Beatiſsimæ Virginis MARIÆ, S. Joannis Baptiſtæ, SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Philippi, & Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & Judæ, Matthiæ, & omnium Sanctorum) DEUM pro extirpatione hæreſum, ſchiſmatum, augmento fidei Catholicæ, pace, & concordia Principum Chriſtianorum, ac pro cæteris neceſsitatibus S. Romanæ Eccleſiæ devotè oraverit, conſequitur in ſingulis prædictis diebus plenariam indulgentiam. 120

II. Qui in articulo mortis ſuam animam DEO commendaverit, & dulciſsimum Nomen JESU, ſi ore non potuerit, ſaltem corde devotè invocaverit, & confeſſus, ac communicatus, & ſi hoc fieri nequeat, toto corde de ſuis peccatis contritus fuerit, lucratur indulgentiam plenariam.

III. Qui opera ſuprà *num.* 1. ſpecificata aliis diebus feſtivis (ibi non ſpecificatis) Chriſti Domini, vel Beatiſsimæ Virginis perfecerit, conſequitur quolibet tali die 7. annos indulgentiarum, & totidem Quadragenas; ſi autem die Dominica, vel alio anni feſto perfecerit, lucratur 5. annos indulgentiarum, & totidem Quadragenas; aliis autem omnibus diebus totius anni, ſi perfecerit, lucratur 100. dies indulgentiarum.

IV. Qui ad pulſum campanæ in Eccleſiæ, manè, meridie, aut veſperi conſuetam Antiphonam: *Angelus Domini &c.* cum tribus Ave Maria, vel ſi hanc neſciat, unum Pater, & Ave recitaverit, lucratur centum dies indulgentiarum. Item qui dato ſigno orandi pro defunctis, pſalmum *De profundis*, aut ſi hunc neſciat, orationem Dominicam,

Digitized by Google

nicam, & ſalutationem Angelicam devotè recitaverit, lucratur centum dies indulgentiarum.

V. Qui pro agonizantibus in hora mortis ad minimum, unum Pater, & Ave oraverit, lucratur 50. dies indulgentiarum. Item qui captivos in carcere, vel infirmos in hoſpitalibus viſitaverit, & ipſis aliquo miſericordiæ opere ſubvenerit, vel ignorantes in myſteriis fidei erudierit, conſequitur 200. dies indulgentiarum, &c.

121 Has indulgentias quilibet pro ſe lucrari poteſt, vel per modum ſuffragii fidelibus defunctis applicare. Ubi ſciendum *ex Gobat de indulg. p.2. c.18.* quòd ille dicatur *conſuevisse* quot ſeptimanis ſemel recitare Roſarium &c. qui 40. circiter hebdomadis diſcretis illud recitat, eſto omittat 10. aut 12. intra annum ſeptimanis.

122 Ulteriùs hic occurrit notandum Decretum noviſſimum Innocentii XIII. quod incipit. *Nuper Sacra 5. Junii 1725.* quod infrà in Appendice alphabetica Bullarum. *V. Indulgentia*, ex integro referemus. Hoc Decretum inter cetera declaravit, geſtantes Cruces, & Coronas, quæ loca Terræ ſanctæ, & ſacras reliquias ibi exiſtentes tetigere, illas dumtaxat indulgentias lucrari poſſe, quas San. Mem. Innocentius XI. Litteris in forma Brevis emanatis, *die 28. Jan. Anno* 1688. prædicta geſtantibus, & pia opera in eodem Brevi pręſcripta devotè peragentibus conceſſit. Inſuper ſtrictè prohibuit, ne impoſterum prędictæ Cruces, Coronę, & Roſaria aut publicè, aut ſecretò vendantur, vel quomodocumque commutentur: addita etiam declaratione, non tranſeant Perſonam illorum, quibus prima vice diſtribuuntur, & quòd neque commodari, aut precariò dari poſſint, & quòd aliqua re ex prædictis deperdita, pro ea ſubrogari altera non valeat. Quod ſi ſecùs fiat, prædictæ Cruces, & Coronæ careant indulgentiis jam conceſſis. Ita Decretum cit. cujus decreti clauſulam vide pleniùs explicatam in *fine §. ſequentis*.

§. XII. *Indulgentia conceſſa occaſione Canonizationis S. Catharinæ de Bononia Virginis ex Ordine S. Claræ.*

123 SOlet Sedes Apoſtolica pro ſua Paterna in Regulares elementia, eò præſertim tempore, Eccleſiaſticos indulgentiarum theſauros, in orbem effundere univerſum, quo aliquos DEI ſervos, vel famulos, in ſtatu Religioſo, heroicæ virtutum, Sanctimoniæ, ac Miraculorum gloria pręfulgentes, ac in cęlis regnantes, Sanctorum Catalogo inſcribit in terris: Quam Apoſtolicam elementiam etiam Clemens XI. Papa, imitatus, dum nuper Anno 1712. *Pium V. Andream Avellinum, Felicem à Cantalicio, & Catharinam de Bononia Virginem* canonizavit, multa millia Roſariorum, ac Medaliorum benedixit, eiſque magnas impertivit indulgentias, quæ, ſicuti in formula harum indulgentiarum lego, *quantum ad plenarias in feſtis, & articulo mortis*, ſunt eædem cum illis, quas §. præced. diximus habere Roſaria Jeroſolimytana, cum iiſdem operibus præſcriptis, *exceptis ſequentibus*. I. Quòd in formula harum indulgentiarum inter feſta, §. præced. num.1. ſpecificata, etiam apponantur Feſta Reſurrectionis, S. JOSEPHI Sponſi B.V. MARIÆ, & quatuor modò Canonizatorum. II. Quòd qui in Vigilia cujuslibet iſtorum quatuor Canonizatorum jejunaverit, & confeſſus in ipſius feſto communicaverit, oraveritque DEUM, ut §. præc. num.1. ſpecificatum eſt, toties indulgentiam plenariam conſequatur.

*Indulgentia verò partiales* ſunt ſequentes. I. Qui peccata ſua verè deteſtabitur cum firmo propoſito non peccandi, vel prædictorum quatuor Sanctorum imitatione, aliquem virtutis actum exercebit, toties lucratur indulgentiam ſeptem annorum, & 7. Quadragenarum. II. Qui aliquid pauperibus elargitur, vel eos in fide ac bonis moribus inſtruit, vel manè, meridiè, aut veſperis, ad pulſum ſalutationis Angelicæ recitabit conſuetas preces; lucratur indulgentiam 500. dierum. III. Adduntur adhuc multæ aliæ indulgentiæ partiales.

124 *In fine additur*: Omnes ſupradictæ indulgentię fidelibus defunctis applicari poſſunt per modum ſuffragii. Item pro eiſdem percipiendis ſatis eſt privatim apud ſe habere aliquam Coronam, vel Crucem, &c. cum prædictis indulgentiis à Sanctitate ſua benedictam, & quæ ſuperiùs præſcripta ſunt, adimplere; licèt etiam illa alio nomine impleri fortè debuerint. Item in diſtribuendis hujuſmodi Coronis, Crucibus, &c. earumque uſu Sanctiſſimus ſervare jubet Decretum felicis record. Alexandri VII. editum 6. Febr. 1657. *Nimirum, ut Corona, Cruces, Roſaria, numiſmata &c. cum præfatis indulgentiis benedicta: non tranſeant perſonam illorum, quibus à Sanctitate ſua conceſſa ſunt, aut quibus ab his prima vice diſtribuuntur, neque commodari, aut precariò dari poſſint, alioquin careant indulgentiis jam conceſſis, & aliqua re ex prædictis deperdita, pro ea ſubrogari altera nullo modo poſſit; quacumque conceſſione, vel privilegio in contrarium non obſtante.*

Hoc Decretum explicans *Gobat de indulg. par.2. c.37.* ait. 125
I. Quòd etiam prohibeat donationem ſimilium rerum, ſicut prohibet commodationem, *n. 691.* II. Quod hoc Decretum etiam comprehendat *intentiones*, quas quis accipit à Summo Pontifice, applicandi videlicet indulgentias Coronis, Numiſmatibus &c. *n. 683.* III. Quòd hoc Decretum Alexandrinum etiam afficiat indulgentias Pontificum ejus Succeſſorum, ſi hi confirment Decretum Alexandrinum: At verò, ſi indulgentiæ poſteriorum Pontificum ſint novę, adeòque nova utantur formula, videtur hoc Decretum utpotè valdè odioſum non debere iis applicari; verum quia Pontifices cenſentur in dubio veſtigia ſuorum ſequi Anteceſſorum, & verbum *declaratio* præpoſitum Decreto Alexandrino extendatur etiam ad futura, ideircò inclino in partem ſeveriorem, *Idem n.695.* IV. Poteſt quis duo numiſmata iiſdem indulgentiis affecta retinere, ut ſi aliquo caſu unum amiſerit, habeat aliud, vi cujus poſſit indulgentias lucrari: quia hoc non eſt ſubſtitutio, vel ſubrogatio. *Idem n.696.* V. Quando quis habuit à Summo Pontifice intentiones, ſeu facultatem applicandi indulgentias Roſariis, numiſmatibus &c. & ſemel applicavit indulgentiam alicui rei verb. gr. Roſario communi, nequit poſteà eandem indulgentiam iterum ab iſta re transferre in aliam, verb. gr. in Roſarium elegantius. Idem *Gobat tract.4. de indulgentiis, p.2. cap.14. n.405.*

## QUÆSTIO III.

*De Indulgentiis conceſſis omnibus Chriſti fidelibus.*

## SUMMARIUM.

127 *Indulgentia omnibus Chriſti fidelibus indifferenter conceſſa recenſentur, & ſeqq.*
131 *Indulgentia Altarium privilegiatorum explicantur.*
132 *& ſeqq. Explicantur clauſula in Brevibus Altarium privilegiatorum contenta.*
136 *An pro omnibus Eccleſiis impetrari poſſit Altare privilegiatum?*
137 *An Sacerdos, qui accepto ſtipendio, ut celebret in Altari privilegiato pro defuncto, in alio communi Altari celebrat, peccet mortaliter?*
138 *Quales indulgentia ſint conceſſa Roſariis Birgittanis?*
139 *Indulgentia conceſſa pro articulo mortis qualiter applicanda, & ſeqq.*
142 *De abſolutione Generali in articulo mortis.*

## ASSERTIO III.

*SUmmi Pontifices pro ſuo Papali in omnes Chriſti fideles* 126
*affectu, multas, & magnas eiſdem conceſſere indulgentias, quarum aliquas hic enumerabimus.* Certa.

§. I. *Indulgentia omnibus Chriſti fidelibus indifferenter conceſſa.*

SIxtus V. Bulla: *Reddituri*, ita loquitur: *Quia non* 127
*eſt aliud Nomen ſub Cælo, in quo nos oporteat ſalvos fieri niſi Nomen JESU, idcirco omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus, qui hoc modo ſalutaverint alios, nempe ſuo vulgari, ſeu latino ſermone:* Laudetur JESUS CHRISTUS, *& his, qui ſic reſponderint:* in ſæcula, vel *Amen*, aut ſemper, *utique tam ſalutantibus, quàm reſpondentibus, quinquaginta, ubicunque id factum fuerit: Qui autem Nomen JESU nominaverint reverenter, vel Nomen MARIÆ, viginti quinque dies: Qui verò in mortis articulo, ore, vel corde (ſi ore non potuerint) idem Nomen invocaverint, dummodo ante habuerint conſuetudinem ſic ſalutandi, vel nominandi idem Nomen JESU, plenariam omnium peccatorum indulgentiam, & remiſſionem: quique Litanias ejuſdem ſanctiſſimi Nominis recitaverint, trecentos: Qui Litanias ejuſdem Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, ducentos: nec non prædicatoribus verbi DEI, qui inter prædicandum ad hunc modum ſalutandi, invocandi, vel recitandi, ſeu nominandi Nomen JESU, & MARIÆ auditores monuerint, & quicumque hanc ſalutationis formam uſui eſſe curaverint, eaſdem indulgentias, ac peccatorum remiſſiones conſequantur, auctoritate, & tenore præmiſſis concedimus & largimur. Volumus autem, ut prædicta Litania Nominis JESU, & B. Mariæ juxta morem, & conſuetudinem in Romana Curia, & domo Beatiſſimæ MARIÆ Virginis uſitatum recitentur.* Ita Sixtus V. Bulla: *Reddituri*, quam refert Rodriguez *in Bul-*



Digitized by Google

*l. tr. io fol.* 488. ac etiam ex parte Gobat *de indulgent. p. 1. cap.* 31. *num.* 603.

128 II. Quicunque ſacrum audit, aut celebrat, trium millium annorum indulgentiam lucratur ex conceſſione Innocentii VI. nec non aliorum octies centum annorum ex conceſſione Urbani IV. Martini V. Eugenii IV. & Sixti V. quorum ſinguli bis centum annorum indulgentiam largiti ſunt. Ita *P. Natalis c.* 13. *n.* 108. *apud P. Dominicum Viva, in Appendice indulgentiarum §. ult.* Item quinquies Pater & Ave recitantes in honorem Paſſionis Domini, & B. Virginis amaritudinum, decies millium dierum Indulgentiam nanciſcuntur ex conceſſione Leonis X. omnibus fidelibus facta ad inſtantiam Fratrum Minorum, apud *Caſarrubinm V. Indulgentia, quoad ſaculares, & Vivam cit.* Item qui tertiam Roſarii partem, id eſt, 5. Pater noſter, & 50. Ave Maria recitaverint, quinque annorum, & totidem Quadragenarum indulgentiam lucrantur a Sixto IV. conceſſam apud Navarrum. Ita Viva cit. & Gobat *de indulg. p.* 2. *cap.* 31.

129 III. Recitantibus *Ave Maria*, Indulgentia triginta dierum conceditur à Joanne XXII. ac totidem aliorum dierum ab Urbano IV. Quadraginta dierum recitantibus *Salve Regina*; Viginti dierum caput inclinantibus ad veneranda *Nomina JESU, & MARIÆ*: triginta dierum inclinantibus caput ad *Gloria Patri*: bis centum dierum genuflectentibus coram SS. Sacramento: Quadraginta dierum *ſanctam Crucem oſculantibus* ab eodem Joanne XXII. & unius anni à Clemente IV. Ita Viva cit.

130 IV. Sacerdotibus ante celebrationem Sacri recitantibus: *Ego volo celebrare Miſſam, &c.* quinquaginta dierum indulgentiam conceſſit Gregorius XIII. Recitantibus in fine horarum Canonicarum, ad quas tenentur, orationem à S. Bonaventura Doctore noſtro Seraphico compoſitam, videlicet *Sacroſanctæ, & Individuæ Trinitati, &c. cum Pater, & Ave*, Leo X. conceſſit remiſſionem culparum in recitatione ex humana fragilitate contractarum. Comitantibus ſacrum Viaticum infirmis deferendum conceſſit Innocentius XII. 1695. Indulgentiam 5. annorum, & 5. Quadragenarum; ſi cum luminari id præſtetur. Quòd ſi quis id præſtare nequeat, recitando ſemel Pater, & Ave, centum dierum indulgentiam lucrabitur. Ita *Viva cit.*

§. II. *Indulgentia Altarium Privilegiatorum.*

131 HOdiè petentibus indulgentiam pro aliquo Altari, tale Breve ordinariè à Papa conceditur:

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram Rei Memoriam.

V*Olentes Eccleſiam veſtram, in qua aliud Altare privilegiatum non eſt erectum, dummodo in ea ſeptem Miſſa quotidiè celebrentur, & in ea ſit Altare Sancti, vel Sancta NN. nuncupatum, hoc ſpeciali dono illuſtrare, DEI miſericordia confiſi, ut quandocumque Sacerdos aliquis miſſam defunctorum, in die commemorationis Defunctorum, & ſingulis diebus infra Octavam illius, ac feria 6. cujuslibet hebdomada, pro anima cujuſcumque fidelium defunctorum, ad præfatum Altare celebrabit, anima ipſa de Theſauro Eccleſia per modum ſuffragii indulgentiam conſequatur, ita ut D. N. JESU Chriſti ſuffragantibus meritis à purgatorii pœnis liberetur, concedimus, præſentibus ad ſeptennium tantùm valituris. Datum Roma &c.* Quando igitur pro aliquo Altari conceſſa eſt ſimilis indulgentia, dicitur *privilegiatum*, de quo breviter aliqua dicenda ſunt. Itaque

132 I. Si Breve Pontificium ſit ejus tenoris, cujus eſt prædictum, tunc, ut quis iſtam indulgentiam lucretur, debet I. in Altari privilegiato celebrare miſſam de Requiem, quando hoc non eſt prohibitum per Rubricas Miſſalis: quia in prædicto Brevi Apoſtolico requiritur *Miſſa Defunctorum*, quæ non eſt alia, quàm *de Requiem*: Aliàs pro anima defuncta non obtinebitur indulgentia. Quando verò Rubricæ Miſſalis prohibent celebrare miſſam de Requiem, ſufficit dicere miſſam currentem. Ita declaravit Clemens IX. 23. *Septemb.* 1669. Bulla: *Cùm fel. rec.* (quæ videri poteſt apud Lantuſcam, *in Supplemento Theatri Regularium. V. Altaria privilegiata*, & infrà in Appendice alphabetica Bullarum *V. Altare privilegiatum* ea integro adducetur) de omnibus Altaribus privilegiatis in perpetuum, vel ad tempus, & in futurum ſic privilegiandis, pro uno, vel aliquibus hebdomadæ diebus, ac de miſſis ſive ex obligatione, ſive ea ſola devotione in eis celebrandis pro lucrando privilegio. Deinde Innocentius XI. conſtit. *Aliàs poſtquam*, 14. *Maii*, 1688. Confirmavit Decretum S. Rituum Congregationis, editum 3. *Apr. ejuſdem anni*, occaſione dubii, *an videlicet Alexand. VII. & Clem. IX. declarationes ſibi pariter locum vendicarent etiam in diebus Dominicis, infra octavas Paſchatis, Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti, aliiſque diebus, in quibus, licet feſto duplici non impediantur, adhuc tamen miſſa defunctorum juxta ritum, & uſum Eccleſia celebrari nequeunt? Qua reſpondit, præfatas Alexandri, & Clementis declarationes intelligendas eſſe pro omnibus diebus, quibus juxta Rubricas, miſſa defunctorum celebrari non poſſunt.* Ita Matthæucci *in Cautela Confeſſarii lib.* 1. *c.* 6. *n.* 23. II. Quando conceditur ut anima liberetur etiam per aliam miſſam, quàm de Requiem, addenda eſt collecta pro defuncto, exceptis feſtis primæ claſſis. Ita La Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 520. ex Gobat *in Alphabeto Sacrificantium n.* 651. eſtque probabilius, non ſufficere commemorationem pro defuncto ſub ſolo *Memento*, quamvis id putent Navarrus, Bellarminus, Garzias, Caſtro Palaus, & alii apud *Gobat cit. n.* 652. *& La Croix citat.* Ego in Bulla Clementis IX. ſupracit. quæ incipit: *Cùm fel. record.* & quæ infrà in Appendice alphabetica Bullarum ex toto afferetur, nihil lego de commemoratione, vel collecta ſumenda pro defuncto in Miſſa currenti; ſed hæc ſunt Bullæ formalia: *Et proinde, ut Miſſa, qua ibidem de feſto currenti, in quo Miſſæ Defunctorum celebrari non poſſunt, ſive ex obligatione, ſive ex ſola fidelium devotione celebrabuntur, ſuffragentur, ita ut anima Chriſti fidelium, pro quibus celebrata fuerint, Indulgentias per privilegia hujuſmodi conceſſas, conſequantur in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi Miſſa Defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebrata fuiſſent, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus.* III. Celebrans debet hujus miſſæ, per quam in Altari privilegiato vult liberare animam, *fructum Miniſterialem* applicare pro illa anima, cui vult lucrari indulgentiam; aliàs non valet privilegium: quia in Brevi dicitur: *Qui pro anima Miſſam celebrabit*. Gobat *de indulg. p.* 2. *cap.* 26. *n.* 529. addens haud puto tamen, quidquam obuturum, ſi Sacerdos *non conductus ſtipendio*, ſuum ſacrum, qua eſt impetratorium, & Euchariſticum, applicet ſibi, aut aliis vivis, vel defunctis, dummodò quà eſt ſatisfactorium, applicet illi animæ, quam vult liberare. IV. Debet tantùm pro una anima legere Sacrum, uti patet *ex Brevi ſupra deſcripto*; conſequenter debet celebrare vel *pro Defuncto*, vel *pro Defuncta*; non enim valet privilegium *pro Defunctis*, etiamſi quis tantùm uni ex illis vellet applicare privilegium: fructum tamen Miniſterialem vellet applicare pluribus. Ita Gobat *cit. n.* 529.

II. Clauſula in Brevi ſupra deſcripto: *in qua aliud Altare privilegiatum non eſt erectum*, ſic intelligenda eſt, ut quando illud, jam antea decoratum eſt alio Altari privilegiato pro animabus generatim, ſeu pro quibuſcumque defunctis, poſterior conceſſio facta etiam pro animabus generatim nihil valeat, ſed ſit ſubreptitia. Sin verò poſterior conceſſio impetrata ſit pro una, aut pluribus Confraternitatibus, omnino valet, eſto in petitione non ſit facta mentio induti pro animabus generatim conceſſi. Ita Gobat *cit. n.* 519. 133

III. Clauſula in Brevi ſupra adducto: *dummodo in ea ſeptem Miſſa quotidiè celebrentur*, intelligenda eſt: dummodò ſoleant (à cujuſcumque tandem Eccleſiæ Sacerdotibus) ſeptem Miſſæ quotidiè in ea Eccleſia, in qua eſt Altare privilegiatum, celebrari, adeòque hæc conditio non deficit, ſi quandoque contingat, tot celebrari fortuitò, non communiter, etenim ſimiles locutiones accipiendæ ſunt non in rigore Grammaticali, ſed Morali; unde ſi ob hoſtilem incurſum contingat, non fieri uno integro Menſe, niſi unum quotidiè Sacrum, aut etiam nullum, non tamen idcirco corruet indulgentia. Ita Gobat *cit. n.* 521. Hic etiam notanda occurrunt Reſponſa S. Congregationis (quæ refert Matthæucci in Cautela Confeſſarii *lib.* 1. *c.* 27. *n.* 57.) ad dubia ſupra ſuper numero Miſſarum celebrandarum in Eccleſia, in qua eſt Altare privilegiatum. Petebatur itaque 134

Primò: *An abſentibus Religioſis ex cauſa prædicationis, tempore Quadrageſima, & adventus, vel quando occaſione feſtivitatum, vel funerum aut ſimilium, à Superioribus ad celebrandum alibi tranſmittuntur, indulgentia conceſſa cum certo numero Miſſarum, qui ob dictas cauſas adimpleri non poteſt, prorſus ceſſent, vel pro eo tempore, quo dictus numerus Miſſarum non fuerit adimpletus, ſint ſuſpenſa, vel potiùs remaneant in ſuo robore?*

Secundò: *An idem ſit ſtatuendum, deficiente præfixo numero Miſſarum, ob infirmitatem Sacerdotum, tam Regularium, quàm Sacularium?*

Tertiò: *An pariter idem ſit ſtatuendum, deficiente prædicto numero Miſſarum, ob abſentiam ab Eccleſiis Sacularibus Canonicorum, & Sacerdotum per aliquos dies, & menſes.*

Horum dubiorum reſolutionem Summus Pontifex remiſit Sacræ Congregationi Concilii, quæ Anno 1701. 30. Julii reſpondit.

Ad primùm: *Quoad primam partem, pro tempore Adventus, & Qua-*

Digitized by Google

*& Quadrageſimæ remanere ſuſpenſas, non autem in reliquis, dummodò raro contingat.*

Ad ſecundum: *Non remanere ſuſpenſas.*

Ad tertium: *Proviſum in primo.*

135 IV. Clauſula: *In die Commemorationis defunctorum*, indicat, non eſſe Legem Eccleſiæ: ut eo die omnia Sacra offerantur pro defunctis in genere, & hinc etiam Gobat *tr. 4. de indulg. c. 26. n. 525. & in Alphabeto ſacrificantium*, *caſu 19. n. 653.* cum Tamburino *lib. 3. c. 3. §. 1. n. 10.* negat eſſe obligationem, eo die omnia Sacra applicandi pro defunctis in genere; cùm enim eo die quis poſſit lucrari hoc privilegium, intendens vero lucrari hoc privilegium debeat celebrare pro una anima exiſtente in purgatorio, ſequitur eo ipſo, poſſe aliquem Sacrum offerre in die Commemorationis defunctorum pro una anima exiſtente in purgatorio. Quare etiam Sacra Rituum Congregatio 4. *Aug.* 1663. declaravit, Miſſas in die Commemorationis defunctorum poſſe applicari ad libitum celebrantium; Regulares tamen tenentur eas applicare ad intentionem ſuorum Superiorum. La Croix *lib. 6. p. 2. n. 2054. Decreto 244.*

Denique qualiter intelligenda ſit illa clauſola: *præſentibus ad ſeptennium tantùm valituris*, diximus *Sect. præced. q. 4. nu. 58. & ſeqq.* Et an *indulgentiæ Altarium privilegiatorum in Anno ſancto ſuſpendantur*, dicemus infra de Jubileo.

136 Petes I. *An pro omnibus Eccleſiis impetrari poſſit Altare privilegiatum.*

Reſp. Altare privilegiatum ad ſeptennium poteſt impetrari iis Eccleſiis tantùm, in quibus quotidiè per annum dicuntur 7. vel ſaltem 5. miſſæ: & quidem (præter diem Commemorationis omnium fidelium defunctorum, ac infra ejus Octavam) pro unica feria in hebdomada: ſi verò quotidiè dicantur miſſæ 14. vel ſaltem 10. pro duabus feriis & ſic deinceps. Pro Confratribus autem, & conſororibus alicujus Confraternitatis poteſt impetrari Altare privilegiatum, etiamſi unica tantùm Miſſa hebdomadatim dicatur, modò dicatur illa die, cui affixa ſunt ſuffragia. Modus petendi Altare privilegiatum eſt v. gr. hic: *Petitur Altare privilegiatum ad ſeptennium pro Eccleſia S. Petri (ſive ſit Regularium, ſive non Regularium) civitatis N. Diœceſis N: & in ea ſito Altari S. Antonii de Padua, pro ſingulis Feriis ſextis, dicuntur in ea quotidie 7. vel 5. miſſæ.* Si petatur pro Confraternitate, debet ſpecialiter hoc exprimi. Ita La Croix *l. 6. p. 3. n. 931.* Pro monialibus, & eorum conſanguineis, ac Benefactoribus poteſt etiam obtineri Altare privilegiatum in ipſarum Eccleſia, in qua una miſſa quotidiè dicitur. Vide dicta ſect. *præc. q. 4. n. 70.*

137 Petes II. *An Sacerdos, qui accepto ſtipendio, ut in Altari privilegiato celebret pro aliquo v. gr. defuncto, ad lucrandam ei indulgentiam plenariam ſeu liberationem è purgatorio, in alio Altari, vel in alia die, qua non eſt conceſſum privilegium, celebrat, peccet mortaliter, & teneatur ad reſtitutionem?* Affirmant Navarrus *c. 25. num. 134.* Azorius &c. apud Sannig, *diſt. 5. de miſſa q. 8. n. 6.* Quia talis Sacerdos non lucraretur defuncto indulgentiam plenariam ſeu liberationem è purgatorio, & conſequenter in re gravi non ſervaret promiſſum, ſervaretque ſtipendium invito Domino: tenetur itaque hoc compenſare aliis proportionatis precibus. Herincx *diſp. 8. de Sacrificio Miſſæ, qu. 15. nu. 187.* ait: præterea ratio dictat, faciliùs perveniri poſſe ad gravitatem materiæ, ſi obligatus celebrare in Altari privilegiato, celebret alibi, quàm ſi ſit obligatus in alio communi Altari celebrare. Vide tamen, quæ habet P. Sporer *Theol. Sacram. p. 2. c. 5. n. 353.* de omittente legere unam miſſam pro accepto ſtipendio.

## §. III. *Indulgentia Roſariis Birgittanis conceſſa.*

138 QUod attinet indulgentias Roſariis, ſeu Coronis, quas *S. Birgittæ* vocant, à Summis Pontificibus conceſſas, accepi Romæ ſequens Summarium.

San. Mem. Leo X. Summus Pontifex per litteras ſuas incipientes: *Ex clementi*: datas 6. idus Jul. 1515. concedit omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui per, & ſuper Roſaria ſeu Coronas S. Birgittæ devotè oraverint, pro qualibet oratione Dominica, centum dies, & totidem pro ſalutatione Angelica, & pro quolibet ſymbolo, ſi dixerint, vel recitaverint, etiam centum dies indulgentiarum, nec non pro quolibet Pſalterio (id eſt, Roſario, aut Corona quindecim decadum B. Mariæ V.) ſuper illis integrè per eoſdem Chriſti fideles, per ſeipſos, aut cum ſocio, vel familiari, qui eandem indulgentiam conſequatur, dicto vel recitato, ſeptem annos, & totidem Quadragenas.

Sanctiſſimus D. N. Clemens XI. Summus Pontifex in ſuo Brevi, incipiente: *de ſalute Gregis Dominici*, *dato 22. Septembris 1714.* concedit omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus confeſſis, & communicatis, ac pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione orantibus, qui quotidiè per integrum annum Coronam S. Birgittæ, dummodò ſit ſaltem 5. Decadum, recitaverint, ſemel in anno, die per unumquemque Chriſti fidelem eligenda, plenariam indulgentiam omnium peccatorum, cum facultate etiam eandem plenariam indulgentiam applicandi animabus in purgatorio exiſtentibus. Ad lucrandum hujuſmodi indulgentias requiritur, ut Coronæ à Patribus Superioribus Monaſteriorum, aut ab aliis Religioſis Ordinis Sanctiſſimi Salvatoris, ſeu S. Birgittæ ad id ſpecialiter deputatis ſint benedictæ.

Sacra Congregatio indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſita, die 26. Nov. 1714. cenſuit, permitti poſſe impreſſionem præſentis Summarii indulgentiarum conceſſarum Coronis, quas vocant S. Birgittæ, addita declaratione, quòd omnes aliæ indulgentiæ, quæ in præſenti Summario non continentur expreſsè, ſint à SS. D. N. Clemente XI. revocatæ per ſupradictum Breve datum die 22. Septembris 1714.

Prohibet inſuper eadem Sacra Congregatio, ne hujuſmodi Coronæ vendantur, aut alteri commodentur, & ſi secùs fiat, declarat ſupradictas indulgentias ceſſare, & nullius eſſe roboris, vel momenti. Datum die 4. Decembris 1714.

*L. Card. Picus Præfectus.*

(Loco ✠ Sigilli.)

*Raphael Coſmus de Hieronymis*
*Secret.*

Aliqui prædictas indulgentias nominant *S. Brigidæ*. Hoc decretum etiam Lector benevolus videre poteſt in *Tertia Seraphica Vinea* Reverendi Patris Engelberti Pauck c. 32.

## §. IV. *Indulgentia conceſſa pro Articulo Mortis.*

I. CUm ex dictis ſupra hac Sect. qu. t. omnes Religio- 139
ſi gaudeant indulgentia plenaria in Articulo Mortis, ſicut etiam multi alii fideles ob Confraternitates, vel Numiſmata à Romano Pontifice benedicta, aut alias cauſas; item quia Religiones, ac etiam aliquæ Confraternitates fruuntur privilegio conferendi abſolutionem generalem ſuis Religioſis, ac Confratribus, quali in ſpecie gaudet *noſter triplex Ordo S. P. N. Franciſci, & Archi-Confraternitas noſtra Chordigerorum*; hinc inquiritur, qualiter iſta indulgentia pro Articulo Mortis ſit applicanda, & obtinenda? pro qua quæſtione reſolvenda dicimus.

II. Indulgentia pro Articulo Mortis conceſſa quandoque 140
debet applicari per Confeſſarium, quandoque verò per intentionem conſtituti in Mortis Articulo. Tunc autem non eſt opus interventu Confeſſarii, quando in formula indulgentiarum non ſit expreſſa illius mentio. Gobat *de indulg. p. 2. cap. 34.* ſive autem applicetur per Confeſſarium, ſive per conſtitutum in Mortis Articulo, tantùm validè applicatur in vero Mortis Articulo, juxta *Bonacinam, & Dianam* apud Gobat cit. quia hæc videtur eſſe mens concedentis pro tunc indulgentiam; eamque conſequitur moribundus juxta aliquos in eo inſtanti, in quo eſt ita viribus deſtitutus, ut mortem naturaliter evitare nequeat; ſecundùm alios verò in eo inſtanti, in quo moritur: quia tunc, licèt non ſit ampliùs capax gratiæ, adhuc tamen eſt capax indulgentiæ, ut patet in animabus purgantibus. *Bonacina* apud *Gobat cit. n. 620.*

III. Eugenius IV. & Pius II. conceſſere Fratribus Mino- 141
ribus maximum Privilegium abſolutionis generalis, & indulgentiæ plenariæ pro Articulo Mortis, mediante confeſſario deputato, & ab infirmo electo obtinendæ, cum hoc onere, ut qui legere ſciunt, per annum ſemel in hebdomada, recitent 7. *Pſalmos Pœnitentiales cum Litaniis de omnibus Sanctis*; neſcientes verò legere illud peragant, quod à confeſſario illis fuerit injunctum: qui autem legitimè impediti fuerint, vel ex inadvertentia, prædicti oneris memores non erunt, in alia ſeptimana ſequentis anni ſupplere poſſunt. Ita Compendium Privilegiorum noſtrorum, *V. Abſolutio extraordinaria quoad Fratres, nn. 4.* Et licèt Regulares alia privilegia habeant dictam indulgentiam concedentia abſque onere prædicto, nihilominùs prima opinio eſt ſequenda; quia eſt ſecurior. Ita *Breviarum noſtrum Franciſcanum Coloniæ impreſſum, 1695.* Attamen Pius II. Congregationi S. Juſtinæ, & Julius II. Congregationi Montis Oliveti conceſſerunt, ut hoc privilegium lucrari queant, etiamſi præfatos Pſalmos, & Litanias inſimul dicant, toties tamen, quot ſunt ſeptimanæ in anno. Ita *Compendium privileg. noſtrorum V. Indulgentiæ plenaria quoad Fratres, in annotatione Capuccini.*

142 IV. Poteſt indulgentia pro articulo mortis conceſſa, & per confeſſarium applicanda, à confeſſario etiam illo, qui non audivit confeſſionem moribundi, imò etiam ab abſente, juxta *Dianam p.5. tr.12. reſ.46.* impertiri homini omnibus ſenſibus deſtituto, non modò, ſi petivit confeſſarium, ſed etiam, ſi non petivit; nec opus eſt ulla certa verborum formula uti, ſed ſufficit voluntas applicandi indulgentias, modò exprimatur ſigno aliquo externo, quam ſufficienter exprimit Sacerdos, dum pronuntiat formam Abſolutionis cum intentione abſolvendi, in quantum poteſt; etſi neque ipſe, neque æger quidquam ſciant de indulgentia. *Gobat cit. c. 34.* conſultum tamen eſt, ut confeſſarius dicat ad moribundum: *concedo tibi Auctoritate Apoſtolica mihi in hac parte commiſſa, talem aut talem indulgentiam*; quod ordinarie fit per *Abſolutionem Generalem*, quæ (juxta Rodriguez *tom.1. q 20. art.26.* apud noſtrum P. Kerkhove *in ſtatuta noſtra Generalia c.6. §.22. num 161.* loquentem de abſolutione Generali, quam dant Prælati Regulares in fine viſitationis, vel in Profeſtis Feſtivitatum) non eſt *Sacramentalis Abſolutio*, nec per eam quis abſolvitur a culpa peccati, cùm tunc non fiat confeſſio ſpecifica peccatorum, ſed eſt quædam abſolutio deprecativa, per quam ſubditus, vel infirmus abſolvitur ab *omnibus cenſuris &c. & à pœna debita pro peccatis jam quoad culpam dimiſſis, adhuc in hac, vel altera vita exſolvenda*. Nec id alienum eſt à Sacris Litteris, ubi ſubinde peccatum pro pœna illi debita accipitur, juxta illud *2. Machab. 12. Sancta, & ſalubris eſt cogitatio, pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur*, id eſt, à pœnis debitis pro peccatis; adeoque quando Confeſſarius in Abſolutione Generali dicit: *Ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis, &c.* idem eſt, ac *ab omnibus pœnis debitis pro iiſdem*. Similiter dicendùm de Abſolutione Generali, quam dant Prælati Regulares *in fine viſitationis*. Vide *Kerckhove cit.* ubi per accidens notandum occurrit, quòd per Abſolutionem Generalem, quam Prælati Regulares in fine Viſitationis, aut alias dare conſueverunt, tollantur omnes excommunicationes, & ſuſpenſiones, & diſpenſentur ſubditi in irregularitatibus (ſuppono, quòd hæ exprimantur in Abſolutione Generali a Prelatis) quas fortè ignoranter contraxerunt, ſic ut ſi poſteà recordentur, ſe aliquam cenſuram, vel pœnam reſervatam incurriſſe, non teneantur ampliùs pro abſolutione ab illis cenſuris vel pœnis, recurrere ad Superiorem habentem facultatem, ſed ſufficiat, quod confiteantur communi confeſſario peccata, ob quæ illas incurrerunt: nam illa peccata, ut ſuppono, tantùm erant reſervata ratione cenſuræ, qua ſublata, ceſſat reſervatio peccati. *Kerckhove cit.*

## QUÆSTIO IV.

*De indulgentiis revocatis, & Apocryphis.*

### SUMMARIUM.

144 *Indulgentia revocata à S. Pio V.*
145 *Indulgentia revocata à Paulo V.*
146 *Indulgentia revocata ab Innocentio XI. recenſentur, & ſeqq.*
151 *An indulgentia vivæ vocis oraculo conceſſa ſint revocata?*

### ASSERTIO IV.

143 *SUmmi Pontifices plures indulgentias revocarunt, & multas declararunt eſſe falſas, conſictas, & Apocryphas, quas hic recenſebimus.* Certa.

#### §. I. *Indulgentia revocata à S. Pio V.*

144 S. Pius V. Pontifex Maximus, conſtitutione: *Etſi Dominici*. Sexto Calend. Febr. 1567. (quæ habetur *in Bullario Cherubini tom.2. pag.213.*) revocavit omnes indulgentias, quæ quæſtum continebant. Vide etiam Concilium Trid. de hac re, *ſeſſ.25. in Decreto de indulgentiis, & ſeſſ.21. cap.9. de reform.*

#### §. II. *Indulgentia revocata à Paulo V.*

145 PAulus V. Pontifex Summus revocavit omnes indulgentias per ſuos Prædeceſſores Summos Pontifices conceſſas quibuslibet Regularibus cujusvis Ordinis, ut jam diximus hac ſectione, quæſtione I. & loco revocatarum alias conceſſit, quas loc. cit. enumeravimus.

#### §. III. *Indulgentia revocata ab Innocentio XI.*

146 INnocentius XI. Pontifex Maximus, Anno 1678. 7. Martii, in Decreto, quod incipit: *Delatæ ſæpiùs* (& habetur apud Gobat *de indulgentiis p.2. c.37. n.709. littera D.* La Croix *l.6. p.2. n.1367.* Sbogar *Theol. Sac. tr.98. nu. 25.* & alios) multas indulgentias revocavit, & ut falſas, confictas, Apochyphaſque declaravit, & ideò ipſum Decretum de verbo ad verbum huc ponendum duximus.

### DECRETUM.

*DElatæ ſæpiùs fuere ad Sacram Congregationem indulgentiis Sacriſq; Reliquiis præpoſitam, indulgentiæ quædam conſictæ, & omnino falſæ, quæ per diverſas Orbis Chriſtiani partes circumferantur; aliæ verò examinandæ, quæ adhibito ſtudio inventæ ſunt vel Apocryphæ, vel à Romanis Pontificibus revocatæ, vel nullæ, quòd datum eis tempus præteriiſſet: quarum quidem plurimæ, cùm non facilem cognitionem habeant, Chriſti fideles harum rerum minùs peritos fallunt, qui ſpe indulgentiæ, remiſſioniſque peccatorum ſuorum conſequendæ fruſtrantur. Quamobrem eadem Sacra Congregatio vehementer cupiens huic malo magis indies ſerpenti occurrere, animarum profectui, & indulgentiarum dignitati conſulere, plures illarum ſingulari diligentia colligi, & in indicem referri curavit.* 147

*Tales imprimis ſunt illæ, uti aſſerunt, conceſſæ à Joanne II. & Sixto IV. recitantibus orationem charitatis JESU Chriſti Domini noſtri, Precor te piiſſime Domine &c. ab Urbano II. Eccleſiæ S. Mariæ, ut vulgò dici ſolet, Campagnola, & S. Victoria, ab Eugenio III revelationi de plaga in humero JESU Chriſti, facta S Bernardo, ab Innocentio III. Archi-Confraternitati, & Ordini Redemptionis a Bonifatio IX. Viſitantibus Capellam S. Nicolai de Tolentino in ejus die Feſto, à Joanne XXII. Oſculantibus Menſuram Plantæ Pedis Beatæ Mariæ Virginis, ab Alexandro VI. Imagini B. Mariæ, vulgò dicta, Laghetti, à Leone X. geſtantibus funiculum S. Franciſci, primum in Urbe impreſſæ, deinde Mediolani Anno 1665. (ſuas tamen habent, & veras, Confratres Archi-Confraternitatis Chordigerorum S. Franciſci) recitantibus ſalutationem Angelicam ad pulſum Horologii, & Imagini Conceptionis Mariæ Virginis immaculatæ in circulo depicta, cujus pedibus Luna ſubjecta eſt, à Pio IV. vel Pio V. Principi Senarum, à Clemente VIII. dicentibus orationem, O Magnum Myſterium &c. & Eccleſiæ S. Mariæ, quam vocant, Montis Serrati, Avenione impreſſæ, tùm aliæ pro animabus Chriſti fidelium defunctorum impreſſæ Matriti, 20. Julii 1606. à Paulo V. cantantibus Hymnum, Te Matrem DEI laudamus, Te Mariam Virginem confitemur, &c. vel ſi die Sabbati interfuerint, dum id canitur, & Coronis, Roſariis, imaginibus, & Numiſmatibus, quæ Medalias appellant, ab ea benedictis, Federico Cardinali Borromæo ſupplicante, Anno 1611. dum Eccleſia Romæ in honorem S. Caroli ædificaretur, & ab eodem Paulo, & Gregorio XV. dicentibus, Sia lodato il ſantiſſimo Sacramento, Laus ſanctiſſimo Sacramento, ab Urbano VIII. in honorem ejuſdem Sacramenti, precibus Cardinalis Magalotti, & Sacerdotibus celebrata Miſſa dicentibus, Ave filia DEI Patris, Ave Mater DEI Filii, &c. à Clemente X. Recitantibus manè, meridie, ac Veſpere conſuetam Antiphonam, Angelus Domini &c. & in fine, DEO gratias, & Mariæ: Ac demùm aliæ à nonnullis Romanis Pontificibus tributæ, ut ajunt, Coronis Myſteriorum Paſſionis Domini Noſtri JESU Chriſti prece Magni Ducis Etruriæ.*

*Talis indulgentia Sodalitatis S. Nicolai, quæ repetita quinquies Oratione Dominica & ſalutatione Angelica, unam liberari animam quolibet die à Purgatorii pœnis affirmant. Tales aliæ Peruſii Confraternitatis ſanctorum Sebaſtiani, & Rochi, & Romæ Societatis S. Bernardi ad Columnam Trajani; Tales demum aliæ Cruce ſignatorum S. Euſtorgii Mediolani, Arimini, & Bononiæ.*

*Ejus generis ſunt, & illæ conceſſæ, ut ajunt, Capellæ Roſarii in Eccleſia S. Antonii de Rovigo, ſeu Rodigii, vel Eccleſiæ Sanctiſſ. Trinitatis Bergomi, aut S. Petri Montis Todoni, die Feſto Inventionis Sanctiſſ. Crucis, vel geſtantibus funiculum S. Franciſci de Paula, vel Celebrantibus Miſſas S. Auguſtini, aut aliæ quinque in honorem quinque Feſtivitatum B. V. vel recitantibus Officium S. Franciſcæ Romanæ, aut Antiphonam, O Paſſio Magna &c. in Memoriam Paſſionis JESU, aut Roſarium S. Annæ (quod Congregatio ſacrorum Rituum non probat) aut Orationem, quæ impreſſa cum imagine S. Annæ circumferri ſolet, Ave gratia plena &c. (quæ Oratio prohibetur) aut Officium Conceptionis B. V. Immaculatæ, quod aſſerunt à Paulo V. probatum fuiſſe, aut Orationem, DEUS, qui nobis in S. Syndone &c. (excipitur indulgentia centum dierum Anno 1671. conceſſa precibus Duciſſæ Sabaudiæ ad Annos 25. cunctis in illius Ditione degentibus) aut aliam, Ave Filia DEI &c. poſt Communionem recitandam, vel aliquo conſpicuo venerantibus ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti Nomen; indulgentia rurſus Octoginta millium annorum veteri de Tabula exſcripta, quam in Baſilica Lateranenſi aſſervari affirmant, præ*

dicen-

Digitized by Google

*dientibus orationem illam verè piam, Deus, qui pro Redemptione Mundi, &c. tùm quæ impreſſa fuerunt Papiæ Anno 1670. ab hoc titulo, ſummario delle indulgenze conceſſe dalla Santità di Noſtro Sig. Papa Leone X. alla Imagine della Concezione della glorioſa Vergine Maria, vel Piſauri ſub nomine B. Joannæ Anno 1608. evulgato, vel Barletto, ſeu Baruli à Recitantibus quaſdam non ſanè malas Orationes, lucranda, vel Parmæ Viſitantibus per quadrageſima dies Eccleſias tertii Ordinis S. Franciſci, vel Piſtorii, & Vaſtallæ à recitantibus Orationem, Ave Sanctiſſima Maria, Mater Dei, Regina Cœli &c. & alia in peculiari impreſſo libro deſcripto, quibus frui dicunt Devotos Seraphicos, & Benefactores.*

*His enumeranda ſunt, quæ Crucibus Caravacenſibus tributa dicuntur, vel Coronæ ſive Stellario Conceptionis Virginis Immaculatæ, quod ex duodecim globulis precariis conſtat, vel Granis, Crucibus, & coronis Aloyſiæ ab Aſcenſione Hiſpanæ Monialis Ordinis S. Claræ, vel Menſuræ Altitudinis Jeſu Chriſti Domini Noſtri, vel Imagini, aut Menſuræ vulneris Lateri ejus inflicti, vel orationi, ut ajunt, in ſepulchro Domini Noſtri reperta, & indulgentia, ut ajunt innixa Revelationi factæ S. Birgittæ, Mechtildi, & Eliſabeth, vel B. Joanno de Cruce, & conceſſo, ut aſſerunt, granis, quæ aliquod ex tribus granis tetigerint, extantibus penes Romanum Pontificem, Hiſpaniarum Regem, & Miniſtrum Generalem Fratrum Minorum Obſervantiæ S. Franciſci.*

*Omnes verò & ſingulas jamdictas indulgentias Sacra Congregatio partim eſſe confictas, & planè falſas declarat, partim Apocryphas, vel ex alio capite nullas, quæ nemini ſuffragari poſſunt, eaſque in futurum ullo in loco, ut veras publicari, & lucrandas Chriſti fidelibus proponi vetat; foliaque & libros, ubi ſic proponuntur, ſeu afferuntur, omninò præcipit aboleri, niſi prædictæ indulgentiæ fuerint diligenter expunctæ: Nec ideo tamen vult alias, quas hoc Decretum non continet, pro veris, & legitimis, taciteque probatis haberi.*

*Ac demùm omnes indulgentias conceſſas ante Decretum Clementis Octavi latum die 9. Januarii 1587. Coronis, Roſariis, granis, ſeu calculis, Crucibus, & Imaginibus Sacris, vel ante Breve Pauli V. quod incipit: Romanus Pontifex &c. editum 23. Maii, Anno 1606. Perſonis Regularibus quarumcumque Religionum & Ordinum, etiam mendicantium, vel ante Conſtitutionem 115. Clementis Octavi, cujus initium: Quæcunque &c. & 68. Pauli V. incipientem: Quæ ſalubriter &c. habitas per Aggregationem, vel aliam communicationem ab Archi-Confraternitate ulla, Ordine, Congregatione, Societate etiam Jeſu, Capitulo, vel cætu quocunque, vel ab eorum Officialibus, Superioribus, aliiſque perſonis, vel perſona, etiamſi earum, vel ejus mentio ſpecialis, & individua facienda eſſet, niſi fuerint deinde Romani Pontificis Auctoritate innovata, aut confirmata, nullius eſſe roboris, & momenti pariter declarat.*

*Porrò Summaria indulgentiarum pro Congregationibus Doctrinæ Chriſtianæ, Confraternitatibus Sanctiſſimæ Trinitatis, & Redemptionis captivorum, Nominis Dei, Roſarii, B. Mariæ de Mercede, & Redemptionis captivorum, B. Mariæ de Monte Carmelo, Cincturæ S. Auguſtini, & S. Monicæ, niſi ab eadem congregatione recognita, non permittuntur.*

*Indulgentias verò Stationum Urbis, quæ à Romanis Pontificibus ſingulari quodam Beneficio, vel communicatæ ſunt, vel communicabuntur interdum, aliquibus locis, Ordinibus, aut perſonis, diebus tantùm Stationum in Miſſali Romano deſcriptis ſuffragari poſſe declarat. Semel autem dumtaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies Eccleſiam viſitantibus conceſſam, vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri.*

*De quibus relatione facta per Secretarium ad Sanctiſſimum, cuncta Sanctitas ſua probavit, & inviolatè ſervari juſſit. Datum Romæ, die 7. Martii 1678.*

148 Circa præfatas annullatas indulgentias, in ſpecie *circa officium Conceptionis B. V. Immaculatæ*: Notat Pater Gobat *de indulgent. p.2. cap.47. num.709.* quòd Innocentius XI. non prohibuerit *Officium de Immaculata Conceptione B. V. Mariæ, conceſſum ab Eccleſia*, ſed quod prohibuerit tantùm Breve quoddam Officium de Immaculata Conceptione impreſſum Mediolani cum titulo: *Officium de Immaculata Conceptione ſanctiſſimæ Virginis Dominæ Noſtræ, approbatum à Summo Pontifice Paulo V. quod devota mente recitanti conceduntur centum dies indulgentiarum*: Cujus prohibitionis ratio non erat, quòd in illo officio contineretur aliquid minùs orthodoxum, ſed quia verba illa: *Approbatum à Summo Pontifice Paulo V.* &c. falsò addita fuere: Cùm Paulus Quintus, nec tale Officium approbaverit, nec tales indulgentias conceſſerit.

149 Circa indulgentias Crucum Caravacenſium notandum eſt Decretum Innocentii Decimi Tertii Summi Pontificis, quod incipit: *Nuper Sacra*. editum 5. Junii 1721. (& infra in Appendice alphabetica Bullarum, V. *Indulgentia* in ter-*Supplem. Theol. Sacram.* minis ponetur) quod ſic habet: *Cùm etiam Sacræ Congregationi indulgentiarum innotuerit, evulgatum fuiſſe alterum Summarium indulgentiarum Germanico pariter idiomate conſcriptum, abſque loco Editionis, & Nomine impreſſoris, cujus initium latinè redditum eſt: indulgentiæ, quæ Crucibus Caravacenſibus conceſſæ fuerunt à Romanis Pontificibus Pio V. Gregorio XV. & Clemente X. denuò confirmatæ ab Innocentio Duodecimo, & excipit: Pro conſolatione Chriſti fidelium, & S. Crucis amatorum. In quo multæ indulgentiæ penitùs confictæ, Apocryphæ, & falſæ deprehenſæ fuerunt. Eadem Sacra Congregatio dicti Summarii impreſſionem, & uſum, ſub iiſdem pœnis in indice Librorum prohibitorum contentis interdixit.*

Denique apud Gobat *cit. num. 703.* ſcribit P. Bonagratia 150 Habſenſis, etiam eſſe declaratas à Sacra Congregatione, ut Apocryphas indulgentias, quæ dicuntur *Granorum de Mille Ave Maria.*

### §. IV. *Indulgentia vivæ vocis oraculo conceſſa.*

SCiendum, quòd licèt Gregorius XV. Anno 1622. & Urba- 151 nus VIII. Anno 1631. 20. Decembris, per Bullam: *Alias felic. record.* (quam infra in Appendice alphabetica Bullarum *V. Privilegia*, per extenſum dabimus) revocaverint omnia privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa, nihilominùs magni Doctores (inquit Gobat *in experient. Theolog. tr.9. n. 730.* Eſcobar, Peyrinis, & Bordonus, quorum ſententiam probabilem cenſet Lezana) putant, indulgentias vivæ vocis oraculo conceſſas, non eſſe propterea revocatas: quia applicatio indulgentiarum non eſt propriè privilegium. Sed (ait *La Croix lib.1. n.861.* oppoſitum ſuadent verba Pontificum; nam Gregorius XV. dicit, ſe revocare *omnia, & ſingula indulta, facultates, privilegia, gratias, & conceſſiones quaſcunque ſpirituales, & Eccleſiaſticas, & tam ad forum interius, & exterius ſpectantes*: Urbanus VIII. addit: *Omnia, & ſingula privilegia, facultates, licentias, & gratias quaſcunque*, & repetit totam Bullam Gregorii XV. videtur verò indulgentia contineri nomine gratiæ conceſſionis ſpiritualis.

## SECTIO III.

*De jubilæo Eccleſiaſtico, & conditionibus ad illud lucrandum requiſitis.*

## QUÆSTIO I.

*De jubilæo, & ejus Accidentibus.*

### SUMMARIUM.

153 *Quid ſit jubilæum quoad Nomen?*
154 *Quid ſit quoad rem?*
155 *Jubilæum eſt triplex.*
156 *Quid ſit jubilæum ordinarium, & extraordinarium?*
157 *Quoties jubilæum obtineri poſſit?*
158 *An pro defunctis applicari poſſit?*
159 *An expiret jubilæum mortuo Pontifice?*
160 *Qualiter interpretandæ ſint Bullæ jubilæorum.*
161 *Quænam indulgentiæ, & facultates abſolvendi, & commutandi vota in anno ſancto ſuſpendantur? & ſeq.*
165 *Quando incipiat, & deſinat hæc ſuſpenſio.*

### ASSERTIO I.

J*Ubilæum Eccleſiaſticum eſt indulgentia plenaria à Sum-* 152 *mo Pontifice conceſſa, cum quadam univerſalitate, & appendice favorum ſpiritualium, iis, qui perficiunt opera præſcripta: Eſt triplex, videlicet jubilæum anni ſancti, jubilæum ordinarium, & jubilæum extraordinarium: ſemel tantùm obtineri poteſt, & tantùm pro vivis. Durante Anno Sancto ſuſpenduntur extra Romam indulgentiæ omnes plenariæ conceſſæ pro vivis.* Communis Doctorum apud Herincx *de pœnitentia diſputatione quarta, quæſtione duodecima.* Gobat *tr.3. de jubil.* La Croix *lib 6. p.2. n.1392. & ſeqq.* Layman *lib.1. tr.7. c.8.* Viva *de jubil.* & alii.

### §. I. *Jubilæi natura, & definitio.*

J*Ubilæum* quoad Nomen derivatur à voce Hebraica *Jobel*: 153 quod apud Hebræos ſignificabat *Annum Remiſs.* qui erat quinquageſimus, ut videre eſt *Levit. 25.* Illo enim anno ceſſabant labores agriculturæ: poterantque omnes commodè ſuſtentari ex fructibus anni ſuperioris. Divina largitate triplo pluribus: reſtituebantur agri, & domus venditæ priſtinis



Digitized by Google

dominis, ſervique libertate donabantur. Hinc annus celebris quo Romæ viſitantibus limina SS. Apoſtol. Petri & Pauli, aliaſque Eccleſias in Bulla Pontificia determinari ſolitas conceduntur maximæ remiſſiones, & gratiæ, vocatur *annus Jub.* à Sixto IV. extrav. *Quemadmodum de pœn. & remiſs.* Et quidem Bonifacius VIII. *Extrav. Antiquorum, eod. t.* centeſimo quolibet anno iſtam remiſſionem conceſſerat: Clemens verò VI. *Extrav. Unigenitus de pœnitentiis, & remiſſionibus* exemplo Jubilæi Hebræorum ad annum quinquageſimum reduxit. Tandem Paulus II. & Sixtus IV. ad ſingulos viginti quinque annos eamdem reduxerunt. Ità Herincx *cit. n.90.* Viva *tit. q.1. art.2.* & alii. Hęc de Nomine Jubilęi. Quoad rem verò.

154 Jubilæum eſt *indulgentia plenaria à Summo Pontifice, conceſſa perficientibus opera præſcripta, cum quadam univerſalitate, & appendice favorum ſpiritualium. Favores* qui in Jubilæis concedi ſolent, adducemus, & explicabimus ſectione ſequenti; opera verò ad lucrandum Jubilęum præſcribi ſolita, examinabimus in quæſtionibus ſequentibus.

### §. II. *Jubilæum eſt triplex.*

155 Videlicet *Jubilæum anni ſancti*, Jubilæum *ordinarium*, & Jubilæum *extraordinarium*. *Annus Sanctus, ſeu Jubilæus*, ut mox ſuprà dictum, eſt *vigeſimus quintus quiſque annus*, quo Romæ viſitantibus deſignatas Eccleſias conceduntur maximæ indulgentiæ, & favores. *Incipit* autem Annus Sanctus à primis veſperis Nativitatis Domini, ante quas Summus Pontifex ſe confert ad Eccleſiam S. Petri clauſam, ejuſque portam muratam, quæ dici ſolet *Porta Sancta*, ter malleo argenteo percutit, tum à fabris murariis disjicitur murus foribus Eccleſiæ S. Petri oppanſus, cujus lapides, & cœmentum magna cum devotione accipiunt populus Romanus, ac Peregrini. Deinde Papa Eccleſiam S. Petri ingreditur, intereſtque veſperis. *Deſinit* verò Annus Sanctus in primis Veſperis Nativitatis Domini, anni ſequentis, poſt quas Summus Pontifex in medium liminis ipſius portæ ſanctæ trulla argentea facit calcem, ternoſque ponit lapides, tum enim mox in altum, latumque murus erigitur à fabris murariis, manetque integer, donec redeat alius Annus Sanctus.

156 *Jubilæum ordinarium* eſt, quod poſt Annum Sanctum conceditur Provinciis extra Italiam, duratque per bimeſtre. *Jubilęum extraordinarium* eſt, quod poſt Coronationem Neo-electi Summi Pontificis pro exorando à Deo felici regimine vel quando Eccleſia gravi neceſſitate premitur, concedi ſolet, duratque per duas ſeptimanas, hoc eſt: *Quindecim dies, ita ut includat tres Dominicas, & duodecim dies feriales*: Patet ex praxi. *La Croix l.6.p.2. n.1397.*

### §. III. *Quoties, & pro quibus Jubilæum obtineri queat?*

157 I. Jubilæum ordinarium ſemel tantum acquiri poteſt: quia in illius Bulla additur: *ſemel tantum*. Jubilęum verò extraordinarium, ait P. Herincx *de Pœnit. diſp. 4. q.13. n.98.* juxta veriorem opinionem (etſi plurimi contrarium ſentiant) etiam nonniſi ſemel obtineri poteſt juxta Reſponſum Clementis VIII. & Congregationis Cardinalium de Jubilæo Anni Sancti; quod planè videtur inſinuare ipſa formula disjunctiva, qua ſolet concedi. Non nocet tamen iterum præſtare opera præſcripta, animo lucrandi Jubilæum, vel ſi in præcedenti vice defectus fuerit, lucrandi primò Jubilæum, vel ut valeat, quantum valere poteſt: quamquàm enim aliàs probabilitas ſententiæ: ſi ei non ſubſit veritas, non ſuppleat valorem indulgentiæ juxta communem Doctorum, facit tamen probabilitas ſententiæ valere poſt repetita opera præſcripta iteratam abſolutionem à reſervatis ratione probabilis juriſdictionis; quamvis reverà juxta ſolidiorem opinionem hujuſmodi abſolutioni non ſit locus poſt Jubilæum ſemel lucratum, in ordine ad quod lucrandum facultas illa abſolvendi conceditur. Ita *Herincx cit.* Porrò *Gobat de Jubilæo, c. 14.* inquit, probabile, imò probabilius eſſe, quòd quis bina vice lucrari queat Jubilæum extraordinarium, ſi repetat opera præſcripta. Et vel maximè hæc ſententia vera eſt in caſu quo obtento in tua patria Jubilæo, accedens ad alium locum, in quo adhuc celebratur Jubilæum, denuò perficis opera præſcripta, quamvis id quoque neget *Lugo*.

158 II. Jubilæum nequit obtineri pro defunctis. Ita Gobat *de indulg. p.5. c.22. n.266.* Quia Bulla Jubilaris tantùm pro vivis, non verò pro defunctis concedit lucrandum Jubilæum, adeoq; quilibet tantùm pro ſeipſo poterit lucrari Jubilęum.

159 III. Gratia Jubilęi non expirat per mortem Papæ, qui conceſſit, dummodò cauſa perſeveret: quæ tamen non perſeverat, ſi præcisè fuit, ut hic Papa obtineret gratiam benè regendi. Attamen probabile eſt etiam in hoc caſu valituras abſolutiones, & commutationes votorum intra tempus, quo ignoratur mors: quia ubi eſt error publicus cum aliquo titulo, Eccleſia confert juriſdictionem juxta communem Doctorum. Ita La Croix *lib.6. part.2. num.1396.* Addunt Boſſius, Paſqualigus, Viva *citatus qu.2. art.3. num.10.* Quando Papa dicit, *ut impetretur gratia ad bene regendam Eccleſiam*, eſſe ſenſum, ut Eccleſia bene regatur, non, ut ipſe præcisè Papa benè regat, adeoque etiam mortuo iſto Papa manebit cauſa finalis.

IV. Qualiter Bullæ Jubilæorum ſint interpretandæ, diximus *hoc capite, ſect.1. nu.66. & ſeqq.* Item an ſequens ſententiam probabilem in acquiſitione Jubilæi conſequatur à parte rei Jubilæum, hujuſque favores, diximus *hoc capite ſect.1. n.71. & ſeqq.* Item an recedente fictione Jubilæum reviviſcat, dictum eſt *hoc cap. ſect.1. n.53.* 160

### §. IV. *Suſpenſio indulgentiarum in Anno Sancto.*

I. Durante Anno Sancto Jubilæi ſuſpenduntur omnes indulgentiæ plenariæ conceſſæ vivis extra Urbem Romam conſtitutis, & facultates abſolvendi, diſpenſandi earumdem occaſione datæ, quæ tamen completo Anno Sancto Jubilæi abſque nova renovatione manent in ſuo robore. Ita communis Doctorum apud Herincx citatum, Gobat, *de Jubilæo cap. 10.* Dominicum Viva *de Jubilæo qu.4.* & alios. Patet ex Bullis Pontificum promulgantibus, & indicentibus Annum Sanctum Jubilæi. Non tamen I. In Anno Sancto ſuſpenditur *indulgentia, & Jubilæum Compoſtellanum* ex Brevi Apoſtolico Sixti V. ut tradit Caſtro-Palaus apud noſtrum P. Herincx *diſp. 4. de pœnitent. qu. 13.* Nec II. Suſpenditur indulgentia ab ipſo Chriſto Domino conceſſa *Eccleſiæ Portiunculæ prope Aſſiſium*, ut declaravit Urbanus Octavus anno Jubilæi 1625. Innocentius Decimus anno Jubilæi 1650. 5. Julii, Bulla: *Cùm ob ſacri jubilæi*, & pro ultimo anno Jubilæi 1700. Innocentius Duodecimus, Bulla: *Cùm ob ſacri*, 21. Auguſti, 1699. quam infrà in Appendice alphabetica Bullarum. V. *Indulgentia*, in terminis referemus. Quod tamen intelligendum eſt de *proprio loco*, hoc eſt, *illo Templo Portiunculæ Aſſiſiatenſi*. Non autem extra illum locum de aliis Eccleſiis, ad quas à Summis Pontificibus fuit extenſa, & communicata, ut notat Rodriquez. Nec III. Suſpenditur indulgentia conceſſa *Domui Auguſtiſſimæ Lauretanæ B. V. Mariæ*, uti declaravit Gregorius Decimus Tertius *teſte Benzonio l.4. c.7.* 161

II. Indulgentiæ etiam plenariæ pro Defunctis conceſſæ non ſuſpenduntur Anno Sancto Jubilæi, nam in his ceſſat finis ſuſpenſionis indulgentiarum, quia eſt, ut omnes Romam conveniant, & vel maximè, cùm Jubilæum tantùm poſſit obtineri pro vivis. Quare (*teſte Herincx cit. num.91.*) Romæ declaratum fuit anno 1625. Altaria privilegiata pro defunctis, anno Jubilæi retinere ſuum vigorem: unde in Brevibus iſtorum Altarium, quæ dantur ad ſeptennium continuò ſubſequens, non fit exceptio Anni Sancti Jubilæi intercurrentis, prout fit in Brevibus indulgentiarum ſeptennalium quæ conceduntur pro aliquo feſto, vel oratione 40. horarum. Vide dicta *hoc cap. ſect. 1. num.60.* Idem proinde eſt de medaliis, Crucibus, Roſariis, &c. quibus annexa eſt indulgentia pro defunctis. *Herincx cit.* Notat autem Gobat *de jubilæo cap.9. in Appendice prima*. Viva *de jubil. q. ult. art.2.* La Croix *lib.6. p.2. n.1401.* Clementem Decimum declaraſſe, quod in Anno Sancto Jubilæi ſuſpenſæ ſint illæ indulgentię, quas poſſunt vivi lucrari ſibi, vel etiam defunctis applicare per modum ſuffragii: non tamen aliæ, quæ ſolis defunctis ſunt applicabiles, & non vivis: Hæ enim non ſuſpenduntur in anno Jubilęi. 162

III. In Anno Sancto Jubilęi etiam non ſuſpenduntur indulgentiæ Epiſcopales: Cùm Bullæ indulgentiarum ſuſpenſivæ ſolùm loquantur de indulgentiis per Romanos Pontifices conceſſis. Imò idem cenſent plurimi Doctores (etiam, qui Romæ ſcripſerunt, ait *Herincx cit. num. 94.*) de cæteris indulgentiis non plenariis: Nam Gregorius Decimus Tertius, & alii Pontifices ante ipſum, expreſsè loquuntur de ſolis plenariis, in quibus etiam ſalvatur finis ſuſpenſionis, nempe, ut fideles Romam conveniant: Cùm aliàs Epiſcopi poſſint concedere indulgentias partiales toties, quoties libet: unde cùm hoc pendeat ex mente Papæ quouſque clarè non manifeſtaverit ſuam mentem, poteſt hoc rationabiliter teneri. Item docent Filliucius, Lezana, Caſtro-Palaus, Dicaſtillus, Quintanadvenas, Gobat, Viva, contra Tannerum apud La Croix *l.6. par. 2. num 1401.* Ulteriùs ex præſumptione benignæ voluntatis Pontificiæ in favorem extremæ neceſſitatis, imò etiam ex declaratione Clementis X. apud Gobat *de jubilæo, cap. 9. in Appendice prima*, non cenſentur ſuſpenſæ indulgentiæ plenariæ conceſſę pro articulo mortis. Hæ enim ſpeciali nota dignæ videntur, ceſſatque in ipſis finis, & ratio ſuſpendendi indulgentias 163

tias, qui eſt, ut in Anno Sancto omnes Romam conveniant ibidem lucraturi indulgentias: agonizantes autem Romam venire non poſſunt: ergo. Denique bene docet *Gobat cit. n.* 41. quod licet in Anno Sancto non ſuſpendantur indulgentiæ conceſſæ Baſilicis, & Eccleſiis Romanæ urbis, tamen ſuſpenſæ ſint indulgentiæ Eccleſiarum Regularium extra Romam ſitarum, quæ habent participationem, & communicationem indulgentiarum conceſſarum Eccleſiis urbis Romæ. Ratio eſt, quia ſuſpenſio talium indulgentiarum eſt ferè neceſſaria ad finem, ob quem in Anno Sancto ſuſpendi ſolent indulgentiæ: ſiquidem multi milliones hominum ſunt inſcripti Confraternitatibus, & Ordinibus Religioſis, habentibus indulgentiarum communicationem cum una, aut pluribus Baſilicis, vel Eccleſiis Romanæ Urbis, quos proinde indulgentia Anni Sancti non pelliceret ad inviſenda limina Apoſtolorum, ſi domi poſſent frui indulgentiis hujuſmodi.

164 IV. Quod attinet ad facultates, non ſuſpenduntur in Anno Sancto facultates abſolvendi à caſibus Epiſcopalibus, ut ex tenore Bullarum ſuſpenſivarum eſt evidens: imò idem dicendum eſt de facultatibus abſolvendi à caſibus reſervatis Papæ, quæ non ſunt conceſſæ occaſione indulgentiarum ſeu cauſa illas conſequendi, ſed ob alios fines, prout ſunt illæ, quæ conceſſæ ſunt Regularibus in ipſorum privilegiis quibus poterunt uti etiam in Anno Sancto. Herinex *cit. nu.* 96. Gobat *de Jubilæo c.* 10. *n.* 49. Layman *lib.* 5. *tr.* 7. *cap.* 8. *num.* 4. Paulus, Tannerus, & alii. Idemque à fortiori dicendum eſt de poteſtate ſuper caſus Papales occultos conceſſa Epiſcopis in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *c.* 6. de reformatione: id enim expreſſum eſt in Bulla Gregorii XIII. *Herinex cit.*

165 Incipit autem ſupenſio ſupradictarum indulgentiarum, & facultatum in primis Veſperis Nativitatis Domini, nimirùm quando incipit annus Jubilæus juxta ſuprà dicta, & deſinit eadem ſuſpenſio, quando deſinit Annus Sanctus, videlicet finitis primis Veſperis Nativitatis Domini anni ſequentis. Ita Gobat *cit. cap.* 9. *n.* 50. *& ſeqq.*

## QUÆSTIO II.

*Qualia opera requirantur ad lucrandum Jubilæum, in ſpecie qualis oratio, proceſſio, viſitatio Eccleſiæ, jejunium & Eleemoſyna?*

## SUMMARIUM.

167 *Jubilæum lucrari poteſt, qui lucrari poteſt indulgentiam plenariam.*
168 *An Amentes, Peregrini, Advenæ poſſint conſequi Jubilæum?*
169 *Ad lucrandum Jubilæum requiritur, ut quis præſtet opera præſcripta.*
170 *Et ſeqq. Enumerantur opera ordinariè præſcripta pro lucrando Jubilæo.*
173 *Qualiter opera præſcripta ſint perficienda?*
174 *Qualis Oratio requiratur ad lucrandum Jubilæum, & ſeqq.*
176 *Qualis viſitatio Eccleſiæ?*
177 *Qualis Proceſſio?*
178 *Qualia jejunia, & quibus diebus?*
179 *Qualis Eleemoſyna?*
180 *An etiam Religioſi, & pauperes debeant dare Eleemoſynam?*
181 *Qualibus pauperibus danda ſit Eleemoſyna?*

## ASSERTIO II.

166 *JUbilæum lucrari poteſt, qui lucrari poteſt indulgentiam plenariam, modò, etiam præſtet opera à Summo Pontifice præſcripta, videlicet Orationem, Viſitationem Eccleſiæ, jejunium, Eleemoſynam &c.* Certa

### §. I. *Jubilæum lucrari poteſt, qui lucrare poteſt indulgentiam plenariam.*

167 PAtet, quia Jubilæum eſt indulgentia plenaria. Hinc quia *ſect.* 1. *hujus capitis qu.* 2. *n.* 23. *& ſeqq.* diximus: indulgentias lucrifieri poſſe à ſolis hominibus baptizatis, non excommunicatis, ſubditis, debitoribus pœnarum temporalium, exiſtentibus in ſtatu gratiæ, & habentibus intentionem eaſdem lucrandi, hæc omnia etiam dici debent de Jubilæo, quòd poſſit lucrifieri à ſolis hominibus baptizatis, non excommunicatis, &c. adeòque dicta loco citato de indulgentiis, huc ad lucrantes Jubilæum referri, & applicari debent cum debita proportione.

168 Duo tamen addenda occurrunt. I. Quòd licèt carentes



uſu rationis, defectu ætatis, v. gr. infantes, vel ratione perpetuæ amentiæ, ſint incapaces indulgentiæ, & Jubilæi: quia nequeunt perficere opera præſcripta, nec ſint debitores pœnarum temporalium ex dimiſſis peccatis perſonalibus reſtantium, cùm ob defectum rationis perſonaliter peccare non potuerint: tamen ſi aliqui careant uſu rationis propter morbum, vel ſomnum, vel habeant lucida intervalla, & perfecerint opera præſcripta, lucrabuntur indulgentiam, ac etiam Jubilæum: nam ſi quis omnia opera in Jubilæo duarum hebdomadarum præſcripta, impleat prima hebdomada, & dormiat media nocte Sabbati, qua jejunium expletur, dormiens Jubilæum lucrabitur, ſi cætera non deſint. Secundum eſt, quod omnes peregrini & advenæ potiri poſſint Jubilæo conceſſo Urbi, aut Regno in quo verſantur, idque probat praxis, & docet Lugo apud Gobat de *Jubilæo, cap.* 13. Longe tamen certius eſt, Jubilæum Urbi alicui impertitum extendi ad omnes ejus Urbis Clericos, & Religioſos. Quare ſi iter faciens pervenias ad locum, in quo Jubilæum celebratur, frueris illo æquè, ac incolæ, ſive perveneris illuc ante, ſive primùm poſt publicationem. Unde ſi tantùm per dimidium diem alicubi tamquam peregrinus, aut viator vixeris, partem præſcriptorum operum potes ibidem perficere, v. gr. viſitare Eccleſias, dare Eleemoſynam, &c. partem alibi, aut petere commutationem, ſi impedimentum occurrat. *Lugo, & Layman apud Gobat citat. n.* 90. qui ſubdit: Non teneris ratione Jubilæi differre iter aliquod in aliud tempus: nam Bulla jubilaris ſine diſtinctione offert Jubilæi gratiam iter agentibus.

### §. II. *Modò etiam præſtet opera à Summo Pontifice præſcripta.*

RAtio eſt: quia gratia conditionatè conceſſa nonniſi impleta conditione ſuum ſortitur effectum: Ergo nec Jubilæum quis lucrabitur, ejuſque conſequetur effectum, niſi impletis operibus ad illud obtinendum à Summo Pontifice requiſitis, & præſcriptis. Jam verò 169

I. *Ad lucrandum Romæ in Anno Sancto Jubilæum*, ordinariè præſcribitur, ut poſt peractam confeſſionem, & communionem viſitentur ab inquilinis quatuor Eccleſiæ urbis Romæ videlicet BB. Apoſtolorum Petri & Pauli, Lateranenſis, & S. Mariæ Majoris, ſemel ſaltem in die, per triginta continuos, aut interpolatos dies, à peregrinis verò per quindecim dies, & oretur pro fidelium, & totius Chriſtiani populi ſalute, pace, & concordia. 170

II. *Ad lucrandum Jubilæum ordinarium*, quod poſt Annum Sanctum conceditur Provinciis extra Italiam, communiter præſcribitur confeſſio, communio, quindecim viſitationes quatuor Eccleſiarum, ac devota in eis fuſa oratio pro remiſſione ſuorum peccatorum, pro concordia Principum Chriſtianorum, extirpatione Hæreſum, ac S. Matris Eccleſiæ neceſſitatibus. 171

III. *Ad lucrandum denique Jubilæum extraordinarium*, quod poſt Coronationem Neo-electi Summi Pontificis pro exorando à Deo felici regimine, vel quando Eccleſia gravi neceſſitate premitur, concedi ſolet, ordinariè præſcribitur confeſſio, communio, certarum Eccleſiarum viſitatio, ac in iiſdem fuſa oratio pro exaltatione S. Matris Eccleſiæ, hæreſum extirpatione, Principumque Chriſtianorum concordia, Eleemoſynæ datio, jejunium feria quarta, ſexta, & Sabbato in una ex duabus hebdomadis. Subinde etiam præſcribitur proceſſio, vel ejus comitiva. Quod ſi aliquis ob infirmitatem, aut aliam cauſam rationabilem, nequeat prædicta exequi, conceditur facultas confeſſario, omnia & ſingula in opus pium, prout ſibi viſum fuerit, commutandi. 172

IV. Opera præſcripta pro lucrando Jubilæo juxta tutiorem ſententiam debent præſtari in una hebdomada. Ita Henriquez, Sanctarellus, Herinex *cit. num.* 99. Gobat *de Jubilæo cap.* 11. & alii apud ipſum *cit. num.* 72. de jejuniis hoc videtur eſſe certum. Attamen qui deſignatas Eccleſias viſitavit in loco, verb. gr. ſui domicilii, in quo Jubilæum eſt publicatum, poteſt alibi implere reliqua opera: quia favor Jubilæi non localis, ſed perſonalis eſt. *Herinex cit. num.* 100. Item opera præſcripta debent impleri integrè, ipſis diebus, quibus mandantur, ad intentionem Summi Pontificis, ab ipſo, qui lucraturus eſt Jubilæum, in ſtatu gratiæ, &c. quæ omnium fuſiùs deducta ſuprà *ſect.* 1. *hujus ca. qu.* 2. *nu.* 33. *& ſeqq.* huc applicanda ſunt. 173

### §. III. *Orationem, Viſitationem Eccleſiæ, Proceſſionem.*

I. QUando præſcribitur oratio, requiritur *Vocalis* ſecundùm tutiorem ſententiam: putat tamen *Gobat de Jubilæo c.* 21. etiam ſufficere mentalem, quia etiam hæc eſt propriè oratio, & Eccleſia non rarò dat indulgentiam 174

pro actu merè interno. Si tamen præſcribatur Oratio Dominica, vel ſalutatio Angelica, debet eſſe vocalis Oratio: quia communis uſus Eccleſiæ habet, ut quando quis jubetur dicere, aut recitare orationem Dominicam, aut ſalutationem Angelicam, utatur voce, ſicuti patet ex præcepto de Horis Canonicis. Quando præſcribitur Oratio *indeterminatè*, ſufficit communiter *dicere 6. Pater, & Ave, cum totidem Gloria Patri, & unum Credo*, etiamſi in Bulla Jubilæi dicatur: *ibique per aliquod temporis ſpatium devotè oraverint*. Communis apud *Gobat cit. c.21.*

175 II. Oratio fundenda eſt ad intentionem, quam Bulla Jubilæi præſcribit. Patet ex Bulla Jubilari, & vide dicta ſuprà *ſect.1. hujus capitis n.31.* Ex quo ſequitur, quod Oratio pro lucrando Jubilęo requiſita, nequeat inſervire pro impletione voti, aut Pęnitentiæ Sacramentalis, cùm hæc aliam intentionem requirant: eadem autem Oratio non valeat tantum fuſa pro duabus intentionibus, quàm pro una ſola. Item Oratio fundenda eſt cum attentione externa, (quod certum eſt, cùm ſine hac non conſiſtat vera Oratio) ac etiam cum interna, ut docet Gobat cit. Quia Oratio cum voluntariis diſtractionibus internis non impetrat à Deo concordiam verb. gr. Principum Chriſtianorum, &c. ad quam tamen impetrandam præſcribitur à Summo Pontifice, & ſic non ſatisfit ejuſdem intentioni. Denique Oratio debet fieri in Eccleſia, quam viſitare debes: quare

176 III. Viſitatio Eccleſiæ I. debet eſſe *Religioſa, & Devota*, quod fiet, ſi in Eccleſia viſitata exerceatur actus Religionis, v. gr. genuflexio, Oratio, &c. II. Debet eſſe *totuplex*, quotuplex eſt præſcripta. III. Debet eſſe *earum Eccleſiarum, quæ ſunt determinatæ:* neque enim licet alias pro præſcriptis viſitare. *Gobat cit. c.20.* vide dicta ſect. 1. hujus capitis, num.13.

177 IV. Quando etiam præſcribitur *Proceſſio*, debet quis I. devotè, & modeſtè comitari Proceſsionem. II. Nihil tamen intereſt, ſive præcedas, ſive ſequaris Crucem, & Clerum, modò moraliter loquendo facias unum Corpus cum proceſsione. III. Satisfacit etiam, ſive in prima, ſive in ſecunda platea, te modò aſſocies proceſsioni, vel ab ea paulò ante finem recedas. Communis apud *Layman, Gobat, La Croix.*

### §. IV. *Jejunium, Eleemoſyna.*

178 I. JEjunia præſcribi ſolita pro Jubilæo ſufficiunt, etſi obſervata in occurrentibus diebus, in quibus aliquis jam eſt obligatus ad jejunium ex Lege Eccleſiæ, aut voto, vel regula, ut eſt certum ex praxi Eccleſiæ. Sufficit autem jejunium juxta conſuetum Eccleſiæ morem ſervari ſolitum. Si quis in prima Jubilæi hebdomada ſemel, & in ſecunda bis jejunaret, non potiretur Jubilæo juxta Gobat, *de Jubilæo, c.28. n.212.* Quia Bullæ Jubilæi inſinuant, jejunia debere ſervari in una, eademque hebdomada. Similiter ſi quis jejunaret die Lunæ, Martis, & Jovis, etſi in una hebdomada, non acquireret Jubilæum, juxta Navarrum, Reginaldum, Rodriquez, Gobat *cit. n.* 213. Quia non jejunaret præſcriptis à Papa diebus, ſcilicet feria quarta, ſexta, & Sabbato. Porrò in Jubilæo omnes, etiam pueri, & puellæ, ſi velint illud lucrari, jejunare debent: nec ideò præcisè debet eis commutari jejunium in alia opera: quia non dum impleverunt annum ætatis vigeſimum primum; nam difficultas, quam ſentiunt in jejunando, non eſt communiter gravis, & exiſtimat Rodriquez *in ſumma cap.*184. *num.* 50. non poſſe iis commutari jejunium, niſi ex eo timeatur notabile detrimentum. Aliis tamen infirmis, & iis, qui ex neceſsitate graviter laborant, poteſt Confeſſarius jejunium in alia pietatis opera commutare. Navarrus, Rodriquez apud *Gobat cit. n.* 215.

179 II. Eleemoſyna pro Jubilæo requiſita debet eſſe *corporalis*. Gobat *cit. c.29. n.*218. ſiquidem uſus fidelium Bullas Jubilæorum de Eleemoſyna loquentes interpretatur de Eleemoſyna corporali: ſufficit tamen, ſi quis unum ex ſeptem miſericordiæ corporalis operibus erga indigentem gratis exerceat, quia ſingula ex ſeptem operibus miſericordiæ corporalis ſunt propriè dictæ Eleemoſynæ, teſte *D. Thoma.* 2. 2. *q.32. ar.3.* Poteſt verò Eleemoſyna dari ante vel poſt communionem, etſi hæc ſumatur die Dominico, nec debet eſſe neceſſariò proportionata facultatibus erogantis, niſi hoc in Bulla Jubilari exprimatur: ſed fideles erogare poſſunt, quantum pro ſuo quiſque arbitrio judicaverit.

180 III. Porrò etiam Religioſi habentes bona communia tenentur dare Eleemoſynam: hinc Prælati Regularium, qui tempore Jubilæi ſolent, & debent largiri Eleemoſynas pro ſuis Religioſis, hos de hac ſua voluntate maturè præmoneant. Idem dicendum de parentibus reſpectu prolium, marito reſpectu uxoris, Dominis reſpectu ſervorum. Docet tamen Cardinalis *de Lugo tom.3. in 3. p. diſp.17.* Contra Suarez, ſi Prælatus Regularis ex bonis communibus eroget Eleemoſynam pro omnibus ſubditis, ipſis id ignorantibus, fore ſatis, dummodò ipſi ſaltem intra unam hebdomadam Jubilæi id legitimè ſcientes ratum habeant. Putat quoque Lugo, quod etiam Fratres Minores teneantur dare Eleemoſynam, eo quòd licet non habeant bona communia, ſed ſimpliciſſimum uſum facti rerum omnium, tamen hunc uſum in alios transferre poſſunt, à quibus dominium acquiritur. Alii verò putant, quòd Eleemoſyna in Fratribus Minoribus debeat commutari in aliud opus pium. Porrò pauperes ſummè indigentes poſſunt ſibi ipſis dare Eleemoſynam, quamvis etiam *Lugo* velit, hos teneri dare Eleemoſynam verb. gr. unius oboli, vel procurare, ut ab aliis detur pro ipſis Eleemoſyna, vel debere petere commutationem. Denique ſatisfacit Dominus, ſi det Eleemoſynam per famulum (quamvis, qui vult lucrari Jubilæum, aut indulgentiam, debeat per ſeipſum, & non per alium, alia præſcripta opera adimplere) modò famulus verè eroget Eleemoſynam à ſuo Domino deputatam, ſi enim famulus eam non erogaret, Dominus non lucraretur Jubilæum. Ita *Lugo cit. & alii apud Dianam*. Ratio eſt: quia dare Eleemoſynam eſt transferre dominium illius in pauperem: atqui ſi famulus Eleemoſynam à Domino deputatam non eroget in pauperem non transfert ejus dominium in pauperem: ergo Dominus non dedit Eleemoſynam. Hæc tamen ratio non evincit, (ait *Gobat cit. cap.*30.) quominùs practicè probabilis, & tuta ſit opinio Sà. *V. Indulgentia*, & Lezanæ, *V. Jubilæum*, tenentium oppoſitum; eo quòd quantùm eſt ex parte Domini, jam dederit, tradideritque Eleemoſynam.

IV. Nomine *Pauperum*, quibus tempore Jubilæi oportet dare Eleemoſynam; intelliguntur tum veri pauperes: tum deinde pauperes ſecundùm ſuum ſtatum: tum inſuper illi quoque, qui fingunt ſe pauperes, cùm reverà non ſint. Quis enim credat, quòd Papa velit, ut mendicos interrogemus, an ſint verè pauperes, an verò mentiantur ſe eſſe tales? cùm præſertim regulariter in his minutis Eleemoſynis dandis adſit animus transferendi dominium etiam in falſum mendicum, ut ex *Leſſio* notat *Lugo cit.* 181

## QUÆSTIO III.

*De Confeſſione, & Communione ad lucrandum Jubilæum requiſita.*

### SUMMARIUM.

183 *Ad lucrandum Jubilæum requiritur confeſſio,*
184 *Eaque valida, nec ſufficit ſacrilega.*
185 & 186 *reſolvuntur circa hoc aliqui caſus.*
187 *Quid ſuadendum, & faciendum in praxi?*
188 *Quando confeſſio pro lucrando Jubilæo ſit peragenda?*
189 *Qualis communio requiratur ad lucrandum Jubilæum?*
190 *An ad lucrandum Jubilæum etiam pueri, & aliàs impediti communicare debeant?*

### ASSERTIO III.

*AD lucrandum Jubilæum requiritur confeſſio, & quidem valida, nec ſufficit ſacrilega. Idem de communione dicendum.* Communiſſima DD. 182

### §. I. *Ad lucrandum Jubilæum requiritur confeſſio.*

PAtet ex Bullis Jubilæorum præſcribentibus confeſſionem ſacramentalem peccatorum pro obtinendo Jubilæo. 183 Si tamen quis non haberet conſcientiam peccati mortalis, quod nondum ſit confeſſus, non teneretur confiteri pro lucrando Jubilæo, etiam in caſu, quo Auctor Jubilæi expreſsè dixiſſet, ſe non impertiri Jubilæum, niſi verè pænitentibus, & confeſſis. Ita Lugo, Comitolus, & alii apud, & cum Gobat de *Jubilæo cap.23. n.158.* Ratio hujus communis ſententiæ eſt, quòd uſus Eccleſiæ habeat, ut quando loquitur de confeſſione, intelligat confeſſionem peccatorum mortalium, ut conſtat *ex cap. omnis utriuſque ſexus de pænitentia, & remiſſione*, in quo utrique non præcipitur, niſi confeſsio mortalium: cùm non poſsit præcipi ab Eccleſia confeſsio omnium venialium, utpotè multis moraliter impoſsibilis. Si verò aliquis foret ſibi conſcius peccati mortalis, licèt eliceret contritionem perfectam, & tamen non confiteretur, non conſequeretur Jubilæum. Ita Lezana *V. Jubilæum num.15.* conſentientibus Suarez, Filliucio, & aliis apud *Gobat citatum numero centum, & quinquagintaduo.*

Ra-

Digitized by Google

Ratio eſt, quia in Bulla Jubilari Papa exigit, non tantùm, ut diſpoſitionem, ſed ut opus injunctum. Quando tamen quis non poſſet confiteri ob defectum Confeſſarii, vel bona fide exiſtimavit, non requiri confeſſionem, probabile eſt, talem, ſi reliqua præſtet, obtinere indulgentiam. Ita cenſet Navarrus *de Jubilæo*, *Not.* 18. & conſentiunt Fernandez, Zanardus, Diana, Sanctarellus; quamvis oppoſita ſententia ſit probabilior, Judice *Gobat. num.* 159. quia magis congruit verbis Bullarum abſolutè confeſſionem exigentium.

### §. II. *Et quidem valida, nec ſufficit ſacrilega.*

184 I. ITa Cardinalis de Lugo, Suarez, Filliucius, Sanctarellus, & Alii apud Gobat *num.* 156. Ratio eſt, quia nec præcepto Eccleſiaſtico de confeſſione annua ſatisfit per confeſſionem ſacrilegam, ſiquidem contrarium damnavit Alexander VII. *propoſ.* 14. Nec per ejuſmodi confeſſionem obtinetur finis à Papa intentus, ſcilicet plena cum Deo reconciliatio. Si tamen pœnitens ſine ſua culpa pro Jubilæo faceret confeſſionem invalidam, tamen eſſet perfectè contritus, lucraretur Jubilæum. Ratio eſt, quia Papa pro jubilæo requirit confeſſionem eo modo, quo eſt poſſibilis pœnitenti: ſed in hoc caſu confeſſio valida non eſt ei poſſibilis cùm ſine ſua culpa confeſſio ſit invalida: ergo talis pœnitens adhuc lucraretur jubilæum. Idem ob eamdem rationem dicendum de eo, qui conſtitutus in peccato mortali, hujus tamen inculpabiliter oblitus: ideò non confiteretur, & tamen eſſet de omnibus ſuis peccatis perfectè contritus. Ita Dominicus Viva *de Jubil. q.* 8. *art.* 3.

185 II. Qui prima hebdomada Jubilæi fecit confeſſionem præſcriptam, etſi, antequam reliqua opera perficiat, labatur in peccatum mortale, non tamen neceſſarium eſt; ut iterum confiteatur pro lucrando jubilæo, ſed ſufficit, ſi per contritionem perfectam ſe reponat in ſtatum gratiæ. *Gobat cit. nu.* 157. Ratio eſt, quia Bullæ jubilæi, ut ſummùm, exigunt unam legitimam confeſſionem, & nullo verbo indicant plurium neceſſitatem. Si tamen talis nondum communicaſſet pro lucrando jubilæo, utique teneretur illud peccatum mortale confiteri, nec ſufficeret ſuper eo elicere contritionem perfectam; ſi quidem ad ſumendam Sanctiſſimam Euchariſtiam prærequiratur confeſſio ſacramentalis peccati mortalis, etiam in perfectè contritis, uti patet ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 13. *cap.* 7.

186 III. Ille, qui in caſu, quo exigitur in jubilæo actualis confeſſio, fecit quidem confeſſionem formaliter integram, non autem materialiter, quia ſcilicet fuit oblitus peccati mortalis, non tenetur (ſi jam communicavit) *pro jubilæo lucrando* iterum confiteri illud peccatum oblitum, etſi illius recordetur intra tempus lucrandi jubilæi; tum quia, ut diximus, Bullæ jubilares non exigunt niſi unam confeſſionem; tum quia qui in paſchate oblitus eſt confiteri peccatum mortale, non tenetur vi præcepti Eccleſiaſtici (ſi jam peregit Communionem Paſchalem) ampliùs illo anno confiteri: licèt interim maneat obligatio peccatum mortale oblitum confitendi, quando aliàs primò confitebitur iterum. Imò in caſu præſato talis, qui fuiſſet oblitus peccati mortalis in confeſſione pro jubilæo facta, non teneretur elicere contritionem, quia jam eſſet in ſtatu gratiæ per priorem confeſſionem & conſequenter reliqua opera verb. grat. jejunia, Eleemoſynas, & præſertim ultimum poſſet ritè perficere. Ita Gobat *cit. nu.* 157. Viva *de jubilæo*, *q.* 8 *art.* 3. & Alii apud ipſum.

187 IV. In praxi ſuadendum eſt 1. Ut confeſſio ſit primum opus factum ad lucrandum jubilæum, ut ſic cætera opera ſequentia fiant in ſtatu gratiæ, ſintque meritoria, & ſatisfactoria de condigno; reddantque certiorem de lucrato jubilæo. 2. Ut fiat confeſſio unius ſaltem peccati venialis, ſi quis non haberet peccatum mortale, quia in jubilæo etiam præſcribuntur jejunia ſenibus excedentibus ſexageſimum, & juvenibus nondum attingentibus vigeſimum primum annum, quæ tamen ab Eccleſia aliàs ipſis præcepta non ſunt ergo idem videtur dicendum de Confeſſione venialium. 3. Si poſt factam primam confeſſionem laberetur quis in peccatum mortale, vel peccati mortalis in confeſſione obliti recordaretur, iterum confiteatur, quia hoc neceſſarium eſſe, judicant aliqui Doctores.

### §. III. *Quando Confeſſio ſit peragenda pro lucrando jubilæo?*

188 COnfeſſio pro lucrando jubilæo poteſt peragi Sabbato ante Dominicam primam, in quo modò incipit Jubilæum imò etiam feria ſexta ante Dominicam primam jubilæi poteſt fieri confeſſio pro jubilæo (idem dicendum de confeſſione pro alia indulgentia lucranda) Ita Layman *lib.* 5. *tr.* 7. *c.* 8. *de jubilæo*, *num.* 6. dicens, de hoc nullum eſſe dubium: tum quia ſic eſt praxis: tum quia confeſſio probabiliter non eſt neceſſaria ei, qui non habet peccatum mortale, qualis foret, qui confiteretur feria ſexta, vel Sabbato ante Dominicam primam jubilæi. Item confeſſio, & communio poteſt differri, & fieri in tertia Dominica, ſeu decimo quinto, hoc eſt; ultimo die Jubilæo, quia ſic eſt conſuetudo Eccleſiarum, *Layman citatus*, *Navarrus*, *Henriquez* apud ipſum. Quando tamen in Bulla Jubilæi poſita forent hæc verba: *Ante omnia confiteantur*, putat Navarrus, confeſſionem neceſſariò eſſe præmittendam reliquis operibus, quamvis *Heriquez* non improbabiliter exiſtimet, hac ipſa phraſi ſolùm indicari, quòd confeſſio tanquam res præcipua imperetur, cui conſentit *Sà V Indulgentia num.* 13. ita loquens; *Cùm dicitur in jubilæo, ut quiſque ante omnia confiteatur, ſufficit confiteri intra tempus jubilæi*. Denique confeſſio pro jubilæo non neceſſariò debet eſſe generalis, cùm hoc non præſcribatur in Bullis jubilæorum, ſed ſufficit ordinaria.

### §. IV. *Communio pro lucrando jubilæo requiſita*.

EST illa, quæ in ſuſcipiente ſufficit ad cauſandam gra- 189
tiam ſanctificantem, qualis juxta probabilem plurimorum Theologorum doctrinam eſt communio ejus, qui oblitus peccati mortalis, quod commiſit, ad illam accedit attritus, in quo caſu communio per accidens cauſat gratiam primam ſanctificantem. Si verò communio ſcienter fiat in peccato mortali, non ſufficit ad lucrandum jubilæum, quia per talem communionem ſacrilegam etiam non ſatisfit præcepto communionis annuæ, ut patet ex propoſitione 55. damnata ab Innocentio XI. Ratio eſt, quia mens Eccleſiæ, & Papæ eſt, ut pro ſatisfactione præcepti annuæ communionis Paſchalis, & lucratione jubilæi non tantùm communio quoad ſubſtantiam ponatur, ſed etiam quoad talem modum, videlicet, ut ſit operativa, & cauſativa gratiæ, & remiſſionis peccatorum: eò quòd ad hos fines obtinendos inſtituatur. Ita La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *numero* 1519. cum Aliis. Hinc etiam Viva *de jubilæo q.* 8. *artic* 4. cum Paſqualigo probabiliùs negat ſufficere pro lucrando jubilæo communionem ejus, qui invincibiliter oblitus peccati mortalis à ſe poſt ultimam confeſſionem commiſſi, bona fide, nulla prævia contritione, vel attritione ſumit Euchariſtiam: cùm talis communio non ſit digna Sacramenti ſumptio, nec animi refectiva, prout videtur exigi à Pontifice.

Quantùm ad pueros, ſicut & alios, qui communicare non 190
poſſunt, debet communio in aliud pium opus commutari. Ita Diana, Fauſtus, Gobat *de jubil. cap.* 26. *num.* 176. Quia aliàs non implerent omnes præſcriptas conditiones. Unde Layman *l.* 5. *tr.* 4. *cap.* 5. *num.* 3. poſt Herinquez monet, pueros tempore jubilæi faciliùs admittendos eſſe ad ſacram communionem, quàm extra.

## QUÆSTIO IV.

*Qualiter opera pro lucrando jubilæo præſcripta, obſtante impedimento, in alia à Confeſſario commutari, vel prorogari poſſint?*

## SUMMARIUM.

192 *Nullus poteſt propria auctoritate aliquod ex præſcriptis pro lucrando jubilæo operibus prorogare, aut commutare, etiam in melius.*
193 *Sed Confeſſarius poteſt præſcripta opera commutare, vel prorogare, ſubſiſtente impedimento:*
194 *Et quidem omnia.*
595 *Qualiter, & quando facienda ſit prædicta commutatio, & prorogatio?*

## ASSERTIO IV.

*NUllus propria auctoritate, poteſt ex præſcriptis pro* 191
*lucrando Jubilæo operibus aliquod commutare in melius, ſed Confeſſarius poteſt obſtante impedimento, opera pro lucrando jubilæo præſcripta prorogare, vel commutare in alia opera moraliter æqualia.* Communis DD.

### §. I. *Nullus poteſt propria auctoritate aliquod commutare.*

EX præſcriptis pro lucrando Jubilæo operibus proroga- 192
re, vel commutare in aliud etiam præſente impedimento. Gobat *tract.* 3. *de jubilæo*, *capit.* 15. *numer.* 79. Ratio eſt, quia nemo ad hoc faciendum dedit ipſi poteſtatem. Nec obſtat, quòd poſſit quis ſuum votum mutare

in opus

in opus melius, aut etiam æquale; nam id fieri poteſt; quia Deus admittit talem commutationem: *Non enim propoſitum, aut promiſſum infringit, qui in melius mutat*, ut dicitur *capit. pervenit 2. de Jurejurando*: At eam non admittit Pontifex, ut patet partim ex Bullis Jubilæorum, partim ex praxi.

§. II. *Sed Confeſſarius poteſt prædicta opera commutare, & prorogare.*

193 PAtet ex Bullis Jubilæorum: ſi tamen adſit impotentia phyſica, vel moralis, ſeu gravis, & notabilis difficultas exequendi opera prædicta: adeò, ut ſi Confeſſarius commutaret opera præſcripta, non exiſtente gravi difficultate eadem exequendi, commutatio foret invalida, & obeſſet acquiſitioni jubilæi juxta Gobat *cit. cap.* 14. *numer.* 100. & alios. Quia Bullæ jubilares ad commutationem, vel prorogationem requirunt notabilem difficultatem in executione operum præſcriptorum. Si tamen Confeſſarius bona fide ratus adeſſe ſufficientem commutationis faciendæ rationem, commutat tunc, cùm à parte rei non eſt ſufficiens, videtur nihilominùs valere commutatio, nec periclitari jubilæum. Gobat *cit. cap.* 15. *numer.* 103. Ratio eſt, quia non videntur aliter ſedari poſſe conſcientiæ Confeſſariorum, & pœnitentium præſertim, quando his impertienda eſt abſolutio à reſervatis, aut cenſuris. Si verò Confeſſarius ſciens non adeſſe ſufficiens impedimentum operis exequendi, faciat commutationem, non obtinetur Jubilæum, quia invalidè commutavit: adeòque non adimplentur opera ad lucrandum jubilæum requiſita.

§. III. *Et quidem omnia*

194 PRæſcripta opera, ne excepta quidem Confeſſione, & Communione, Confeſſarius prorogare, & commutare poteſt in alia opera iis, qui impotentia morali, ſeu notabili difficultate prohibentur ab executione operum præſcriptorum, niſi in Bulla jubilæi aliter exprimatur. Gobat *cit. cap.* 16. *numer.* 106. Inſuper in caſu, quo quis ſponte & ſcienter opera præſcripta non implevit, & adveniente ultima die jubilæi, adhuc optaret lucrari jubilæum, poteſt Confeſſarius opera præſcripta commutare in alia opera pia: quamvis enim malitia fuerit prævia, jam tamen pœnitens eſt reverà impotens, eſtque impedimentum ex ſuppoſitione neceſſarium. Ita Filliucius *tract.* 8. *numer.* 268. Sanctarellus, Diana, & Alii apud Gobat *cit. cap.* 17. *num.* 113. quamvis valdè dubium cenſeat hoc noſter Pater Herincx *diſp.* 4. *de pœnitent. quæſt.* 13. *numer.* 101. eò quod Bulla videatur loqui de iis, qui fuerunt legitimè impediti. Addit tamen Herincx citatus, aliud eſſe de eo, qui jubilæo ferè tranſacto ex mera ignorantia, & bona fide omiſiſſet opera præſcripta; talis enim poſſet confiteri, & ultima die dominica communicare: cætera autem opera poſſent per Confeſſarium prorogari in ſequentem ſeptimanam. Similiter ſi quis opera impleſſet excepta communione, & die dominica inadvertenter aliquid cibi, vel potus ſumpſiſſet, poſſet communio commutari in aliud opus pium, vel differri in diem proximum. Ita *Herincx cit. Diana*, *Sanctarellus*, *Gobat cit. numer.* 112. Denique quando pœnitens omnibus reliquis perfectis venit ultimo Sabbato ad confeſſionem, dubitat tamen rationabiliter Confeſſarius, an ſit, ſi eum abſolvat, permanſurus in proxima peccandi occaſione, poteſt differre abſolutionem, & communionem per aliquot hebdomadas, ut eruat illum ab occaſione peccandi, & poſteà illum abſolvat ab omnibus peccatis, etiam reſervatis, & cenſuris, quæ tempore jubilæi durantis, non verò poſt illud incurrerat. Quia Confeſſarius per dilationem abſolutionis, non acquiſivit majorem juriſdictionem, quàm anteà habuerat: ſicut ergo tempore jubilæi non potuit abſolvere à peccatis, & cenſuris poſt jubilæum incurrendis, ita neque ab incurſis poſt illud, virtute jubilæi abſolvere poterit. Idem eſt de commutatione votorum. Ita Lugo, Sanctarellus, Gobat *de Jubil. c.* 17. & 34.

§. IV. *Qualiter, & quando facienda ſit commutatio, ac prorogatio?*

195 COmmutatio operum pro lucrando jubilæo præſcriptorum debet fieri in opera moraliter æqualia. Rodriquez, Navarrus, Layman, & Alii apud *Gobat num.* 109. Ratio eſt, quia aliàs non foret pura commutatio, ſed partialis diſpenſatio. Item debet fieri prædicta commutatio, ac prorogatio intra tempus jubilæi: aliàs hæc poteſtas commutandi, & prorogandi expirabit, expirante tempore jubilæi. Filliucius *tract.* 8. *numer.* 270. Poteſt tamen commutatio, & prorogatio operum fieri, vel ante, vel in, vel poſt confeſſionem, imò etiam extra confeſſionem à Confeſſario approbato ab Ordinario, etiam ab abſente tali Confeſſario, cui proinde non cogitas confiteri, modò fiat intra tempus jubilæi. Ita Lugo, Sanchez, Henriquez, Gobat *de Jubil. cap.* 17. *num.* 150.

## SECTIO IV. & Ultima.

*De Gratiis, & Favoribus conceſſis, lucrantibus jubilæum.*

## QUÆSTIO I.

*Qualis Confeſſarius, & à quibus poſſit eligi in jubilæo?*

### SUMMARIUM.

197 *Enumerantur gratiæ lucrantibus jubilæum conceſſæ.*
198 *Quivis ſæcularis in Jubilæo poteſt eligere Confeſſarium,*
199 *Etiam Regulares,*
200 *Si Bulla jubilaris habeat certas clauſulas.*
201 *Qualis Confeſſarius eligi poſſit pro jubilæo?*
202 *Qualis debeat eſſe Confeſſarius à ſæcularibus eligendus in jubilæo? & ſeqq.*
206 *Qualis Confeſſarius eligi poſſit à Regularibus in jubilæo?*

### ASSERTIO I.

*IN jubilæo quilibet ſibi poteſt eligere Confeſſarium, modò* 196
*ſit ab Ordinario loci approbatus, qui gratias, & favores jubilares impertiatur.*

§. I. *Quinam in jubilæo ſibi poſſint eligere Confeſſarium?*

I. GRatiæ, quæ à Summo Pontifice in jubilæis, ſub- 197
inde, licèt non ſemper, conceſſi ſolent lucrantibus jubilæum, præter pleniſſimam indulgentiam ſunt ſequentes; I. *Facultas eligendi Confeſſarium*, II. *cui confertur poteſtas abſolvendi à caſibus, & cenſuris reſervatis*, III. *commutandi vota*, & IV. *componendi ſuper male ablatis ſimpliciter incertis*. De quibus in ſequentibus.

II. Sæcularis quiſcumque poteſt pro jubilæo lucrando, 198
ſibi eligere Confeſſarium aliquem ad libitum, quia non ſolùm in Bullis nominantur univerſi, & ſinguli utriuſque ſexus tam Laici, quàm Eccleſiaſtici ſæculares, ſed etiam non eſt ulla ratio, quare hac gratia privati dicantur nonnulli ex ſæcularibus.

III. Regulares, etiam Moniales, ſine licentia ſuorum 199
ſuperiorum poſſunt ſibi eligere idoneum Confeſſarium tam ſæcularem, quàm regularem alterius ordinis, & ab eo à caſibus reſervatis abſolvi, virtute ſibi facta in *jubilæis, prout modò conceduntur*. Ita docet noſter Pater Gaudentius Kerckhove *in commentariis in ſtatuta noſtra Generalia cap.* 6. §. 22. *numer.* 109. Quod etiam fusè probat Bordonus *reſol.* 35. *à num.* 45. Unde dum Clemens VIII. uti & Urbanus VIII. declararunt, non poſſe Regulares eligere Confeſſarium, vel ab eo abſolvi à reſervatis ſine licentia ſuorum Superiorum virtute Bullæ cruciatæ, *aut quorumcunque ſimilium indultorum*, noluerunt comprehendere Jubilæa, quæ ſunt gratia ampliſſima, & habet communis opinio teſte *Boſſio ſection.* 4. *de jubilæo, caſu* 4. *num.* 15. & *Pellizario tract.* 8. *cap.* 2. *nu.* 5. & meritò, quia jubilæum tantùm datur pro uno actu, & eſt quid tranſiens, & extraordinarium, ex quo tantum damnum Religionibus oriri natum non eſt, imo ſæpè eum fructu fieri ſolet ad ſubveniendum forte alicui, qui ob nimiam verecundiam, aut pravam conſuetudinem, oneratam conſcientiam intra ordinem exonerare non audet. Bulla cruciatæ verò eſt quid permanens, & perpetua, nam ſingulis annis renovari ſolet, ex cujus proinde uſu daretur proxima occaſio diſſolutionis, & relaxationis vitæ Religioſæ; & ideò declararunt Pontifices, mentem ſuam non eſſe, ut regulares ex indulto cruciatæ eligant Confeſſarium, vel à reſervatis abſolvantur: Gregorius autem XIII. ut refert Coriolanus apud *Tamburinum tom.* 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 7. *numer.* 5. declaravit in Conciſtorio die 10. *Decemb.* 1581. *Tempore jubilæi poſſunt omnes regulares confiteri peccata ſua Sacerdotibus etiam ſæcularibus, approbatis ab Ordinario ad audiendas confeſſiones*. Hucuſque Kerckhove cit. Idem docet La Croix *lib.* 6. *p.* 2. *numer.* 1464. citatque Navarrum, Suarez, Filliucium.

IV. Dictum eſt ſuprà: *in jubilæis, prout modò conce-* 200
*duntur* poſſunt regulares eligere Confeſſarium, &c. hoc eſt, in Jubilæis, quorum Bullæ habent ſequentes Clauſulas: *Cupientes autem omnes Chriſti fideles participes fieri hujus pro-*

Digitized by Google

*pretioſiſſimi Theſauri, univerſis, & ſingulis utriuſque ſexus tam Laicis, quàm Eccleſiaſticis, ſæcularibus, & regularibus cujuſvis Ordinis, Congregationis, & inſtituti, licentiam concedimus, & facultatem damus, ut ſibi ad hunc effectum eligere poſſint quemcumque Presbyterum Confeſſarium, tam ſæcularem, quàm cujuſvis Ordinis Regularem ex approbatis à locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationibus, nec non ab omnibus peccatis, exceſſibus, criminibus, & delictis quomodocunque reſervatis &c. in foro conſcientiæ, & hac vice tantùm abſolvere, & liberare valeant &c.* Non *obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quorumcunque Ordinum, & Congregationum, ſive inſtitutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, & quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis eiſdem Ordinibus, & Congregationibus, atque Inſtitutis quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, &c.* Has clauſulas in ſuis Jubilæorum Bullis habuere Summi Pontifices *Paulus V. Gregorius XV. Urbanus VIII.* & Alii ſubſequentes uſque ad *Innocentium XII.* teſte Kerckhove cit. eaſdem clauſulas etiam ipſemet legi in Bulla Jubilæi, quod modernus Sanctiſſimus in Chriſto Pater *Innocentius XIII.* Anno 1721. poſt ſuam Papalem Coronationem, pro felici à DEO exorando regimine, orbi conceſſit univerſo.

### §. II. *Qualis Confeſſarius eligi poſſit pro Jubilæo?*

201 COnfeſſarius ut eligi poſſit pro Jubilæo, debet non eſſe degradatus, non depoſitus, non excommunicatus, non ſuſpenſus, nec irregularis quoad Juriſdictionem. Gobat *de Jubilæo cap. 35. num. 236. & ſeqq.* Ratio eſt; quia cenſuræ, irregularitas, & pleræque reliquæ inhabilitates, quæ licitè aut validæ adminiſtrationi Sacramenti Pœnitentiæ ſuapte natura obſunt, ex ſacrorum Canonum Decretis tolli ſolent, ac debent per ſententiam Judicis in foro interno, vel externo atqui Pontifices, dum Bullas jubilæi promulgant, non exercent Officium Judicum, nec quemquam abſolvunt, aut ſuo gradui reſtituunt: ergo cenſuratis, & aliis hujuſmodi, nil patrocinantur generalia illa verba. *Confiteantur cuilibet approbato Confeſſario*. Ulteriùs Confeſſarius pro Jubilæo lucrando eligibilis debet eſſe *approbatus*; à quo autem debeat eſſe approbatus, dicemus *in ſequentibus §§.* Duo interim adnotare volui. I. Quòd in Jubilæo nequeat eligi pro Confeſſario complex criminis, ſi illi aliàs ſit adempta poteſtas abſolvendi complicem, vel per approbationem reſtrictam, vel per Juriſdictionem reſtrictam, ut fit in aliquibus Diœceſibus. Ita Gobat *cit. cap. 31. num. 236.* Bonacina, Averſa, Viva de Jubilæo *quæſt. 15. art. 3. num. 4.* La Croix *lib. 6. p. 2.* 1468. Ratio eſt: quia talis Confeſſarius non eſt approbatus reſpectu talis pœnitentis, nec accepit Juriſdictionem in illum: ergo. II. Quando aliquis eſt approbatus ſolùm ad audiendas confeſſiones certi generis hominum, aut certi oppidi perſonarum, verior eſt ſententia Filliucii, Dianæ, & aliorum apud Gobat *cit. num. 233.* contra Boſſium, & alios apud Dianam, talem nec licitè, nec valide poſſe eligi in Confeſſarium ab aliis, pro quibus non eſt approbatus; eò quòd ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita ſecundùm quid, ad ſecundùm quid; ſicuti ergo nullum peccato mortali infectum validè abſolvit Sacerdos nullo modo approbatus: ita etiam ſecundùm quid approbatus invalidè abſolvet illos, reſpectu quorum non fuit approbatus. Et hæc Doctrina tunc maximè eſt probabilior, quando ob Doctrinæ defectum non indiſcriminatim fuit approbatus; nam tempore Jubilæi ſolent proponi caſus intricatiſſimi de reſtitutione, matrimonio, ſimonia, veneficiis &c. Quare etiam Fauſtus, Pellizarius, Molſeſius, aliique apud Viva de *Jubilæo quæſt. 9. art. 2.* docent, Moniales in Jubilæo debere eligere Confeſſarium approbatum pro Monialibus; Bonacina verò *diſput. 7. de Sacramentis*, Boſſius *ſect. 7. punt. 4.* Peyrinis *tract. 5. cap. 4.* Paſqualigus, *quæſt.* 210. & alii apud Viva citat. putant, poſſe Moniales in Jubilæo quemcumque Confeſſarium approbatum eligere. Ratio horum Doctorum eſt, quia Bulla permittit omnibus utriuſque ſexus fidelibus, etiam regularibus, quòd poſſint eligere Confeſſarium approbatum ab Ordinario locorum abſolutè: ergo non eſt ratio, cur requiratur approbatio ſpecialis relatè ad Moniales. Addunt, quod Urbanus VIII. in Bulla: *Pontificia ſolicitudo §. 5. tom. 4. Bullarii conſtit. XVI.* expreſsè conceſſerit Monialibus, quòd poſſent in Jubilæo eligere quemcumque ex approbatis ab Ordinario; Quod etiam præſtitit Innocentius X. in Jubilæo 1650. ut refert Paſqualigus. Unde colligunt eam eſſe univerſim Pontificum mentem in conceſſione Jubilæorum.

### §. III. *Confeſſarius eligendus in Jubilæo à Sæcularibus.*

I. SI ſit Sacerdos ſæcularis, debet eſſe approbatus ab Epiſcopo loci, in quo fit confeſſio. Ita Vaſquez, Layman, Bonacina, Barboſa cum communiori apud Viva *quæſt. 9. artic. 3. numer. 2.* Ratio eſt: quia talis Confeſſarii Juriſdictio tum ex Eccleſiæ conſuetudine, & tacita Epiſcoporum conſenſu, tum à Summo Pontifice, in Jubilæo extenditur ad Diœceſanos loci, in quo fit confeſſio, ac etiam ad extraneos; Nam talis Confeſſarius poſita approbatione Epiſcopi habet à Summo Pontifice in omnes ad ipſius Diœceſim advenientes Juriſdictionem delegatam in jubilæo; præterquam quod tempore Jubilæi approbatio Epiſcopi non requiritur ut dans Juriſdictionem, ſed ſolùm tamquam conditio requiſita, ut à Papa juriſdictio conferatur, & conſequenter non eſt coarctata ad terminos ullos ſive loci, ſive perſonarum: 202

II. Sufficit etiam, ſi talis Confeſſarius ſæcularis ſit ſolùm approbatus ab Epiſcopo pœnitentis, ita ut ſic approbatus poſſit eligi in quocumque loco ab eodem. Ita communior cum Suarez *diſput. 28. ſect. 6.* Sanchez *lib. 3. diſp. 34.* Ledeſma, Reginaldo, Sylveſtro, Molſeſio, & aliis contra Rodriquez, Guttierez, Layman *lib. 5. tract. 7. cap. 11.* apud Viva de *Jubilæo, quæſt. 9. artic 3.* Ratio eſt: quia approbatus ab Ordinario Pœnitentis habet juriſdictionem in illum in quocunque loco, quæ tamquam *Voluntaria*, etiam extra territorium exerceri poteſt: ergo. Et licèt Clemens X. Bulla: *Superna* 2. Auguſt. 1670. decreverit, *Regularem ab Epiſcopo approbatum ad audiendas ſæcularium Confeſſiones in ſua Diœceſi, non poſſe in alia Diœceſi audire Pœnitentes ſubditos eidem Epiſcopo, circa approbationem Epiſcopi Diœceſis, ubi eſt*; Hoc Decretum tamen non tangit Confeſſarios ſæculares, ſed tantùm regulares, ut patet ex ipſo Decreto. Hinc apud La Croix *lib. 6. part. 2. numer.* 1516. dicunt Illſung *tr. 6. d. 6 numer.* 177. & Alii multi, ſaltem Parochum hujus Diœceſis non indigere alia approbatione ad alibi audiendam Confeſſionem ſui ſubditi; & idem videtur dicere Lugo *d. 21. num.* 42. de quocumque ſæculari Sacerdote approbato retinente domicilium in hac Diœceſi, ſi cum ſubdito hujus Diœceſis peregrinetur in alia Diœceſi: Et ideò etiam Sanchez & Alii apud La Croix citat. docent, ſi Parochus alteri approbato non Parocho deleget juriſdictionem in ſuos, hunc delegatum poſſe iſtos Parochianos audire etiam extra Diœceſim, cujus eſt Parochus delegans; ſicuti enim hic Parochus poſſet audire ſuos in alia Diœceſi, ita poterit habens delegatam ab illo poteſtatem. Denique ſubjungit *La Croix num.* 1517. Quod dictum eſt de Parocho ſæculari, videtur dicendum etiam de Regulari habente verum Beneficium Parochiale; quia ſimili modo ſupponitur jam approbatus in hac Diœceſi pro ſua Parochia, cui affixus eſt. 203

III. Non verò ſufficit approbatio facta ab Epiſcopo ſolius Confeſſarii. Ita Bonacina, Ugolinus, Molſeſius, Barboſa apud Viva *cit. artic. 4. numer.* 4. Contra Suarez, & Alios. Ratio eſt: Quia univerſim approbatio, quæ fit ab Epiſcopo fit relatè ad ſuos ſubditos: ergo relatè ad pœnitentes non ſubditos Epiſcopo approbanti Confeſſarius ſe habet perinde, ac ſi non eſſet approbatus. Confirmatur: Quia ad ſolum paſtorem ſpectat conſulere ſuis ovibus; ergo approbatio non debet fieri, niſi relatè ad oves proprias, aut quæ ratione loci fiunt propriæ, & Epiſcopo ſubjectæ. Denique non ſufficit (quod docet Henriquez *lib. 3. cap. 10. Portel. Ledeſma, &* Alii apud Viva *cit. num. 3.*) approbatio facta à quocumque Epiſcopo, cujoſcumque loci ſit. Ita Viva cit. Lugo, La Croix *l. 6. p. 2. num.* 1516. & Alii. Ratio eſt. I. Quia aliàs ſequeretur, quòd unus Epiſcopus poſſet approbare omnes Confeſſarios totius mundi pro omnibus fidelibus, quod nemo dicet. II. Quia unus Ordinarius non tenetur ſtare judicio alterius Ordinarii quoad approbationem Confeſſarii pro ſuis ovibus; ergo. 204

IV. Confeſſarius eligendus pro Jubilæo à ſæcularibus, ſi ſit *Sacerdos Regularis*, debet eſſe approbatus ab Epiſcopo loci, in quo fit conceſſio; nec ſufficit, ſi ſit approbatus ab Epiſcopo pœnitentis, vel Ordinario proprio, vel ab Epiſcopo quocumque; ſiquidem ita clarè decesnit Clemens X. Bulla: *Superna* cit. infrà in *Appendice alphabetica Bullarum Verſ. Privilegiorum Declaratio* in terminis referenda, §. 4. his verbis: *Ad hæc Religioſos ab Epiſcopo ad Confeſſiones ſæcularium in ſua Diœceſi audiendas approbatos, non poſſe in alia Diœceſi eos abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione audire, quamvis pœnitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi, à quo ipſi Religioſi jam fuerant approbati.* 205

§. IV.

Digitized by Google

§. IV. *Confeſſarius eligendus in Jubilæo à Regularibus.*

206 Regularis tempore Jubilæi, ſi intra ſuum Ordinem confiteri velit, poteſt eligere quemlibet Sacerdotem à Prælato Regulari approbatum ad excipiendas Confeſſiones Fratrum, licèt is nec ſit deputatus pro aliqua communitate, nec ab aliquo Epiſcopo approbatus; non poteſt autem eligere Sacerdotem necdum pro Fratribus approbatum, licèt admiſſus ſit, ut certo tempore Epiſcopis præſentari valeat pro approbatione ad excipiendas confeſſiones ſæcularium. Si verò regularis velit extra ſuum Ordinem confiteri, vel Sacerdoti ſæculari, vel Regulari, debet is eſſe approbatus ab aliquo Epiſcopo. Quòd ſi in Bulla Jubilæi non exprimantur Regulares, non poterunt ſine licentia Superiorum extra Ordinem confiteri, quia Papa non cenſetur id Regularibus concedere, niſi exprimat. Ita *Bordonus reſol.* 34. *num.* 57. cum aliis, quos citat. Quæ omnia etiam ſervanda ſunt, dum Moniales virtute Jubilæi eligunt Confeſſarium. Ita noſter P. *KerchKove cit. numer.* 110. quem in facti occurrentia inſpice.

## QUÆSTIO II.

*Qualem poteſtatem habeat Confeſſarius pro Jubilæo electus circa abſolutionem à peccatis, & cenſuris reſervatis, circa injunctionem Pœnitentiæ, compoſitionem ſuper malè ablatis, & irregularitate?*

### SUMMARIUM.

208 *Confeſſarius pro lucrando jubilæo electus poteſt abſolvere à peccatis reſervatis.*
209 *Etiam quæ fuerunt commiſſa ſpe indicendi jubilæi, aut poſt hujus publicationem.*
210 *Tempore jubilæi non licet ſacramentaliter abſolvere dimidiatè tantùm confeſſos.*
211 *An quis tempore jubilæi bina vice poſſit abſolvi à reſervatis?*
212 *Confeſſarius jubilaris poteſt etiam abſolvere à cenſuris reſervatis.*
213 *An etiam ab Hæreſi?*
214 *Quomodo perſonaliter cenſurati poſſint abſolvi?*
215 *Quando, & ubi poſſit dari abſolutio à peccatis, & cenſuris in jubilæo?*
216 *Subinde etiam Confeſſarius poteſt facere compoſitionem ſuper malè ablatis incertis.*
217 *Non tamen diſpenſare in ulla irregularitate.*
218 *Qualis pœnitentia in jubilæo ſit injungenda à Confeſſario?*

### ASSERTIO II.

207 *Confeſſarius pro jubilæo electus poteſt abſolvere à peccatis, & cenſuris reſervatis, & ſubinde facere compoſitionem ſuper malè ablatis incertis, non tamen diſpenſare in ulla irregularitate.* Communiſſima DD.

§. I. *Confeſſarius pro jubilæo electus poteſt abſolvere à peccatis reſervatis.*

208 Patet ex Bullis jubilaribus id concedentibus. Hoc tamen facere nequit extra Sacramentum Pœnitentiæ. Ita cum communi Lugo *tom.* 3. *in* 3. *parte diſput.* 20. *num.* 115. Gobat *de jubilæo cap.* 36. *num.* 279. quia hoc Bullę Jubilares non concedunt. Poteſt verò in Sacramento Pœnitentiæ abſolvere à caſibus, & cenſuris Epiſcopo reſervatis, quia hæc facultas expreſsè conceditur in jubilęis. Si tamen expreſsè non concederetur, modò concedatur facultas abſolvendi ab omnibus cenſuris etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, Confeſſarius jubilaris adhuc poſſet abſolvere à caſibus, & cenſuris Epiſcopo reſervatis. Ita Gobat *de jubilæo cap.* 33. *numer.* 147. citans Suarezium cum plurimis contra non paucos. Item Viva *de jubilæo, quæſt.* 11. *artic.* 2. citans Vaſquezium, Layman, Fauſtum, & alios communiſſimè. Ratio eſt: tum quia ita habet communis praxis; tum quia favor jubilæi demonſtrat, hìc habere locum *Regulam* 53. *juris in* 6. *cui licet, quod eſt plus, licet utique, quod eſt minus.* Nec obſtat hic, quòd X. Bulla, *Superna* ſuprà citata, §. 7. dicat: *Et habentes facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non ideò à caſibus Epiſcopo reſervatis poſſe abſolvere.* Et quòd Alexander VII. damnaverit ſequentem propoſitionem in Ordine 12. quæ ſic ſonat; *Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis non obtenta ad id Epiſcoporum facultate,* quia loquuntur de privilegiis, & facultatibus particularibus Regularium, non verò de jubilæo univerſali, & univerſali diſpenſatione pro abſolutione à reſervatis; quæ pro unica vice dantur ex cauſa urgentiſſima, & animabus maximè favorabili; unde debet eſſe ampliſſima.

II. Confeſſarius jubilaris poteſt etiam illum abſolvere, 209 qui ſpe jubilæi indicendi incidit in reſervata. Suarez, Sanchez, Navarrus, Boſſius, & alii communiſſimè apud *Viva cit. quæſt.* 11. *art.* 3. *numer.* 1. Ratio eſt, quia tale peccatum non habet ſpecialem reſervationem, nec eſt exceptum in Bulla jubilæi. Item Confeſſarius jubilaris poteſt abſolvere non ſolùm à commiſſis ante jubilæi publicationem, ſed etiam à reſervatis poſt jubilæi publicationem commiſſis. Communis apud *Viva cit. num.* 2. Ratio eſt, quia in jubilæo datur facultas ampliſſima abſolvendi à reſervatis, quouſque durat jubilæi tempus.

III. Tempore jubilæi non licet ſacramentaliter abſolve- 210 re dimidiatè tantùm confeſſos, ob propoſitionem 59. damnatam ab Innocentio XI. quæ ſic ſonat: *Licet ſacramentaliter abſolvere dimidiatè tantùm confeſſos ratione magni concurſus pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ alicujus feſtivitatis, aut indulgentiæ.* Et vel maximè ex eo, quia ſi quis confeſſionem tempore jubilæi inceptam non poſſet perficere, & complere, poſſet Confeſſarius eamdem, ſicut & communionem prorogare in aliud tempus, & conſequenter talis non fraudaretur jubilæo, licèt non abſolveretur à ſuis peccatis tempore jubilæi, eo quòd non omnia mortalia potuiſſet confiteri.

IV. Si quis fuerit lucratus jubilæum, & deinde tempore 211 jubilæi adhuc durante incidat in reſervata, poteſt ab iis iterum abſolvi, ſi præſcripta opera repetat. Ita La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1450. citans Navarrum, Henriquez, Rodriguez, Reginaldum, Dianam, Gobat, Viva, *quæſtione undecima, articulo tertio.* Quod etiam tenent Caſtropalaus & Dicaſtillo à *numer.* 256. quamvis dicant eumdem non poſſe bis lucrari jubilæum: imò poſſe abſolvi: quamvis non repetat opera præſcripta, docent Rodriguez, Sà, Diana, Lohner, quod probabile eſſe dicunt Bonacina, Caſtropalaus, Dicaſtillo. Hinc dicit Sanchez, multò magis poſſe abſolvi ſæpiùs intra tempus primæ ſeptimanæ, qua peragit prima vice opera præſcripta. Quæ tenent, etiamſi primis diebus ſeptimanæ abſolviſſet omnia opera, quia pro favoribus aſſignatur tota ſeptimana. Caſtropalaus, Lugo, & probabile dicit Dicaſtillo. Verba autem illa; *Pro hac vice tantùm,* non videntur referri ad actum abſolvendi, ſed ad tempus jubilæi. *Viva num.* 2. Quæ hic diximus de peccatis reſervatis, etiam intelligenda ſunt de cenſuris reſervatis.

§. II. *Et à cenſuris reſervatis.*

I. In jubilæo poteſt electus Confeſſarius abſolvere à cen- 212 ſuris Papæ reſervatis extra, & intra Bullam Cœnæ, ſi tamen hoc in Bulla jubilari exprimatur, aliàs ſi tantùm in Bulla jubilæi dicatur, Confeſſarium poſſe abſolvere ab omnibus cenſuris Papæ reſervatis, nec addatur; *Etiam in Bulla cœnæ Domini,* Confeſſarius jubilaris nequibit abſolvere à cenſuris Bullæ Cœnæ, Gobat *de jubilæo c.* 33. *nu.* 247. citans Navarrum, Covarruviam, Suarez, &c. Ratio eſt, quia cenſuræ Bullæ Cœnæ Domini ob ſuam reſervationem, gravitatem, & ſpecialem rationem, non cenſentur in generali conceſſione contineri, niſi exprimantur. Datur tamen poteſtas abſolvendi à cenſuris Epiſcopo reſervatis, etſi hæ non exprimantur in Bulla jubilari, modò hæc concedat licentiam abſolvendi ab omnibus cenſuris etiam Sedi Apoſtolicę reſervatis. Ita Gobat *cit. num.* 247. Vide dicta §. *præced. num.* 208.

II. Similiter quando datur poteſtas abſolvendi *à cenſuris* 213 *Bullæ cœnæ,* dari etiam poteſtatem abſolvendi ab hęreſi, niſi hęc diſtinctè excipiatur, docet Gobat *de jubilæo cap.* 33. *nu.* 248. & apud ipſum citatum, Azorius, Filliucius, Sanctarellus, Coronius, Lugo, Hauckius. Item Sotus, Corduba, Reginaldus, Fagundez, Boſſius, & alii Recentiores apud Viva *de jubilæo quæſt.* 11. *numer.* 4. inter quos Filliucius *tract.* 8. *numer.* 266. refert ita in Sacra Pœnitentiaria fuiſſe reſolutum Anno 1617. occaſione jubilęi à Paulo V. conceſſi, & ita ſervari in praxi. Ratio videtur eſſe, quia cùm compertum ſit, plures graves Doctores ſtare pro hac ſententia, & in praxi à plurimis Confeſſariis huic opinioni inhęrentibus conferri tempore jubilęi abſolutionem ab hęreſi, ſi Pontifex vellet illam excipere, exciperet expreſsè, ex *cap.* 2. *de Tranſlat. Epiſc.* ut olim ſępè factitatum eſt; ergo cùm id non exprimat, ſignum eſt velle ampliſſimam conferre facultatem abſolvendi ab omnibus omnino reſervatis; id enim congruit fini conceſſionis, ut ſcilicet poſſit quilibet jubilęum lucrari, & ex pinguibus, ac emphaticis Bullę clauſulis id videtur non obſcurè colligi. Nihilominus contrariam ſententiam ſuſtinent plurimi Doctores. Inſuper quando in Bulla jubilæi hęreſis excipitur,

non

non ideò cenſendi ſunt excepti alii caſus hæreſim ſapientes, ut eſt lectio librorum Hæreticorum, & cæteri poſiti in Articulo primo Bullæ Cœnæ, quia hujuſmodi delicta non ſunt hæreſis. Ita Gobat *citat. numer.* 250. & apud ipſum Cotonius, Diana, Sanchez. Item Viva *citat. numer.* 6. citans Suarezium, Henriquez, Boſſium. Denique quando conceditur poteſtas abſolvendi ab hæreſi, poteſt abſolvi hæreticus, & ſchiſmaticus etiam ſpecialiter denuntiatus, vel damnatus, vel publicus, quia ubi jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, ait Gobat citatus numero 251. Sic etiam in Jubilæo poteſt abſolvi nominatim excommunicatus, notorius percuſſor Clerici, &c. Gobat *citat. numer.* 252. Viva *citat. numer.* 5. & alii; quia nec hic videtur, cur, jure non diſtinguente, nos diſtinguamus. Nota tamen quod ſequitur.

214 III. In Jubilæo nequeunt abſolvi perſonaliter cenſurati, vel publicè denunciati, niſi *ſatisfacta parte læſa* (per quam intelligitur ille, ob cujus læſa bona aliquis fuit excommunicatus: non autem intelligitur ipſe judex excommunicans) adeò, ut Confeſſarius talem abſolvens nondum ſatisfacta parte læſa, cùm potuerit ei ſatisfieri, non tantùm graviter peccet, ſed etiam probabiliùs invalidè abſolvat. Ita Viva *de Jubilæo quæſt.* 10. *artic.* 2. *numer.* 9. citans Suarez, Vaſquez, Gobat, Coninch. Filliucius contra Avilam, Rodriguez, Bonacinam, & alios. Ratio eſt, quia cùm facultas abſolvendi concedatur ſub hac conditione, quòd parti ſit ſatisfactum, tali conditione non purificata facultas non conceditur, & conſequenter abſolutio eſt nulla. Qui tamen impotens eſt ſatisfacere, poteſt validè, & licitè abſolvi à cenſuris, etiamſi dicatur in Bulla, quòd non abſolvatur, niſi præmiſſa ſatisfactione partis. Ita *Viva citat. numer.* 4. Suarez, Layman, Bonacina, & alii communiùs. Ratio eſt, quia etiam in foro externo, quando excommunicatus probat coram judice, ſe non eſſe ſatisfaciendo, debet abſolvi *ex cap. quâ fronte, de appellationibus*; ergo à fortiori in foro interno. Et ratio à priori eſt, quia cenſura eſt pœna medicinalis, quæ tolli debet, quoties cenſuratus paratus eſt ſatisfacere, quantùm poteſt. Quod etiam verum eſt, quamvis in quibuſdam excommunicationibus præſcribatur, quòd nemo abſolvatur, niſi in ſolo mortis articulo, non præmiſſa ſatisfactione partis, juxta Molinam *diſputat.* 716. Henriquez, Sanchez, apud Viva *citat. numer* 5. Item dicendum, quòd virtute jubilæi poſſit abſolvi etiam excommunicatus denuntiatus, & publicus Clerici percuſſor, ſi impotens ſit ad ſatisfaciendum. Ita *Viva citat. numer.* 8. citans Sanchez, Sayrum, Bardi, Lezanam, & alios, quia in his omnibus militat ratio ſupradata, quod cenſura ſit pœna medicinalis, quæ tolli debet, quoties cenſuratus paratus eſt ſatisfacere, quantùm poteſt. Ex quibus infert *Viva cit. num.* 6. quòd taliter impotens ad ſatisfaciendum poſſit *in foro conſcientiæ* abſolvi etiam invito judice, & parte, item non data cautione pignoratitia, fidejuſſoria, aut juratoria; etenim hujuſmodi cautiones exiguntur ſolùm pro foro externo ex Navarro, Layman, Boſſio, Suarez *diſput.* 7. *de cenſuris ſect.* 10. *numer.* 4. Henriquez, & aliis apud Viva citat. In foro autem interno, quod eſt forum veritatis, in quo pœnitenti creditur tam pro ſe, quàm contra ſe, ſatis eſt firmum propoſitum ſatisfaciendi, conſultius tamen eſt, & Sacrorum Canonum verbis, & communiori Doctorum ſenſui accommodatius, etiam pro foro interno cautionem ſaltem juratoriam à pœnitente ante abſolutionem exigere, ut ad ſatisfaciendum fortiùs adigatur. *Utrum autem reincidat in cenſuras, qui potens deinde ſatisfacere, non ſatisfacit?* affirmat Navarrus, Rodriguez, Vega. Sed probabiliùs negandum cum Sà, Gobat, Boſſio, Paſqualigo, *Viva citat. num.* 7. Quia facultas abſolvendi in Jubilæo non limitatur ad reincidentiam, ſed eſt abſoluta; ergo poteſt abſolutio conferri abſolutè: præſertim, quia ea cap. *ad reprimendam. De Officio Ordinarii*, reincidentia non habetur, niſi in jure exprimatur. Denique noto ea *Viva citato quæſt.* 11. *artic.* 1. *numer.* 1. facultatem abſolvendi à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, involvere facultatem abſolvendi à cenſuris, quæ iiſdem caſibus ſunt annexæ: item facultatem abſolvendi à caſibus Epiſcopo reſervatis extendere etiam ſe probabiliter ad abſolvendum ab iis, qui habent annexam cenſuram. *Ratio primi eſt*, quia caſus Papales univerſim ſunt reſervati ratione cenſurarum, non ratione ſui; ergo facultas abſolvendi à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis intelligi debet de cenſuris reſervatis. *Ratio ſecundi eſt*, quia licèt multi caſus ſint Epiſcopis reſervati, qui non habent annexam cenſuram, tamen ea recepto, & uſitato more loquendi, nomine caſuum reſervatorum comprehenduntur etiam cenſuræ illis annexæ, ergo facultas abſolvendi à caſibus Epiſcopo reſervatis extendit etiam ſe ad abſolvendum ab iis, qui cenſuram habent annexam, quod etiam docuit Suarez *tom.* 5. *in* 3. *parte diſput.* 7. *ſect.* 4. *num.* 13. Texeda apud Dianam *part.* 10. *tr.* 14. *reſol.* 4.

IV. Abſolutio à cenſuris poteſt dari extra confeſſionem, 215
adeòque ab illo, cui non cogitas confiteri. Sanchez *lib.* 8. *de matrimonio diſput.* 34. *numer.* 30. Avila, & alii permulti. *Gobat capite* 34. *numer.* 157. imò etiam ab abſente Confeſſario. La Croix *lib.* 7. *numer.* 161. citans Suarez, Layman, Bonacinam, Gobat, Sporer de pœnitentia numero 617. quæ vera ſunt etiamſi Bulla habeat: *auditis confeſſionibus*. Ita Sanchez *de matrimonio lib.* 8. *diſtinct.* 24. Bardi, Avila, & alii cum Diana *parte* 1. *tom.* 11. *reſolut.* 250. Quia verba, *Auditis confeſſionibus*, debent referri ad abſolutionem à peccatis, non ad abſolutionem à cenſuris. Ulteriùs abſolutio à peccatis, & cenſuris poteſt dari in confeſſione pro Jubilæo facta, antequàm pœnitens ullum aliud opus ex præſcriptis obeat, modo habeat verum propoſitum, opera præſcripta exequendi, & Jubilæum lucrandi. *Gobat cit. cap.* 34. *num.* 261. Et ſi talis poſteà etiam ex mera pigritia, opera præſcripta non perficiat, manebit abſolutus, nec reincidet in reſervationem, aut cenſuram. Idem dic de commutatis votis, quæ commutata manebunt. Ratio eſt, quia abſolutio jubilæi datur, & dari debet purè, & ſimpliciter, non autem ſub conditione de futuro. Ita Suarez, Sanchez; apud Gobat *citat. numer.* 262. qui addit ſequentia: Eſt autem mihi probabiliſſimum non peccare mortaliter, qui poſt acceptam abſolutionem à cenſuris reſervatis, & cætera, mutat ex mera pigritia propoſitum, non perficiens reliqua opera præſcriptæ, adeoque indulgentiam jubilæi non conſecutus; nam talis non peccat graviter contra Fidelitatem, Juſtitiam, Pietatem, Conſcientiam. Et ita etiam ſentit Cardinalis de Lugo *de Pœnitentia dub.* 20. *numer.* 100. Sanchez *cap.* 54. *num.* 54. Contra Suarez, Vaſquez, Filliucium, Viva *quæſt.* 11. *art.* 5. *numer.* 2. docentes, talem mortaliter peccaturum, quorum ratio eſt, quia Papa in jubilæo concedit Confeſſario facultatem abſolvendi à reſervatis, ad hoc, ut pœnitens poſſit indulgentiam jubilæi lucrari: atque adeò concedit facultatem illam tamquàm medium ad talem finem: ergo pœnitens acceptans hæc media conſentit tacitè in finem unde videtur intervenire tacitum pactum inter Pontificem & pœnitentem, ita ſcilicet, ut Pontifex concedat hujuſmodi media, & Pœnitens ea acceptet, obligando ſe ad finem ponendum: ergo ſi abſque cauſa omittat deinde ponere opera injuncta, & lucrari jubilæum, violabit pactum tacitum in re gravi, & conſequenter peccabit graviter.

### *§. III. Et ſubinde facere compoſitionem ſuper malè ablatis incertis.*

QUando in jubilæo conceditur per Bullam jubilarem 216
Confeſſario poteſtas, ſeu facultas componendi ſuper incertis malè ablatis (*quod tamen rarò fit*) ita intelligi debet: ut ſi pœnitens oneratus multis debitis, quæ per uſuram, rapinam, furtum, aliave illicita ratione contraxit, non ſciat, quibuſnam idcircò ſit obligatus, poſſit à Confeſſario jubilari impetrare condonationem illorum debitorum, vel totaliter, vel ex parte, prout Confeſſarius judicaverit ejus animæ ſaluti expedire: cùm cæteroqui ex diſpoſitione *c. cùm tu, de uſuris*, deberet tantumdem dare pauperibus, quantùm debet creditoribus. Ratio hujus explicationis eſt; quia eam ſatis indicant verba *extravag. quemadmodum*, in quantum exprimunt, in anno ſancto extra urbem ſuſpendi facultates *ſuper malè ablatis incertis, aut per uſurariam pravitatem, vel alium illicitum modum extortis, componendi, aut illa ſub certo modo remittendi*. Ita Gobat *de Jubilæo cap.* 4. *num.* 14. Addens: nec dubito, quin hæc facultas extendatur etiam ad ſimoniacos propter generalem clauſulam; *vel alium illicitum modum*: item etiam ad res alienas, quas fur adhuc habet in ſpecie. Supponitur autem ſemper in prædictis, quòd *malè ablata ſint ſimpliciter incerta*, quorum Dominus ſimpliciter ignoratur: aliàs ſi dominus ſciret, utique domino reſtitui deberent, ſiquidem Papa non vult, imò non poteſt dominos per jubilæum privare ſuis bonis juſtè poſſeſſis. Subdit tamen *Gobat cit. numer.* 15. Si fur ſciat quidem dominum, at neque ipſi, neque hæredibus poſſit facere reſtitutionem propter diſtantiam loci, aut juſtum metum gravis infamiæ, etiam videtur in hoc caſu poſſe componere Confeſſarius: nam ubi eſt eadem ratio, ibi debet eſſe etiam eadem legis diſpoſitio, *L. idem, digeſti, ad legem aquilin.* præſertim in materia favorabili.



Digitized by Google

§. IV. *Non tamen diſpenſare in ulla irregularitate.*

217 CONfeſſarius jubilaris in nulla irregularitate vi Jubilæi diſpenſare poteſt. Ratio eſt, quia in Bulla jubilæi expreſsè dicitur, quòd nemini liceat ſuper ulla irregularitate diſpenſare: unde cùm non diſtinguat Bulla inter irregularitatem ex delicto, & irregularitatem ex defectu, nec nos diſtinguere debemus. Ita Suarez, Mólina, Filliucius, Reginaldus &c. qui apud Viva de *Jubilæo quæſtion.* 10. *artic.* 1. cenſent, oppoſitam ſententiam carere quavis probabilitate.

218 Quæres. *An, & qualis Pœnitentia à Confeſſario tempore Jubilæi injungenda ſit?*

Reſpondeo tempore jubilæi eſt cuivis injungenda aliqua pœnitentia ſaltem levis à Confeſſario, ſi non vindicativa, certè medicinalis, quæ tollat peccatorum reliquias, lapſuſque futuros præcaveat. Ratio eſt: tum quia Bullæ jubilares abſolutè imperant eſſe injungendam pœnitentiam ſalutarem: tum quia pœnitentia eſt pars ſaltem integralis Sacramenti pœnitentiæ, qua non debet tam facilè deſtitui. Non diſſimulandum tamen, tempore Jubilæi (quando probabiliter creditur pœnitens lucratutus jubilæum) per ſe loquendo, niſi ſtatus pœnitentis exigat medicinam acriorem pro peccatis etiam gravibus, injungi poſſe pœnitentias leviores: tum quia opera præſcripta pro lucrando jubilæo obeunt vicem pœnitentiæ majoris: tum quia pœnitentes ſic alliciuntur ad alacriùs obeunda opera imperata. Communis Doctorùm cum Gobat de *Jubilæo cap.* 25. Plura de hac re diximus *hoc capite ſuprà ſection. prima, quæſtion. tertia, num.* 41.

## QUÆSTIO III.

*Qualem poteſtatem habeat Confeſſarius pro Jubilæo electus circà commutationem. Votorum?*

## SUMMARIUM.

220 *Confeſſarius virtute Jubilæi nequit diſpenſare in votis.*
221 *Benè verò ea commutare poteſt, etiam extra confeſſionem.*
222 *Etiam in opera aliquantò minoris valoris.*
223 *Qualis cauſa ad commutandum requiratur?*
224 *Quando poſſit fieri commutatio?*
225 *An etiam juramenta commutari poſſint?*
226 *An etiam pœna ob votifragium incurſa commutari poſſit?*
227 *An etiam promiſſiones facta ſanctis.*
228 *Recenſentur plura vota commutabilia per Jubilæum.*
229 *Quænam vota ſint Pontifici reſervata?*
230 *In Jubilæo nequit commutari votum caſtitatis, & quale debeat eſſe.*
231 & 232 *Similiter nequit commutari in jubilæo votum Religionis, & quale debeat eſſe.*
233 *Nec in jubilæo commutari poſſunt vota, vel juramenta, quæ cedunt in præjudicium tertii.*

## ASSERTIO III.

219 C*Onfeſſarius pro Jubilæo electus, non poteſt diſpenſare, benè verò commutare omnia vota, exceptis votis caſtitatis integræ & perpetuæ, & Religionis ab Eccleſia approbatæ, & quæ cedunt in præjudicium tertii.* Communiſſima apud citandos Doctores.

§. I. *Confeſſarius pro Jubilæo electus non poteſt diſpenſare.*

220 VI Jubilæi in votis. Patet ex bulla Jubilæi, in qua non datur poteſtas diſpenſandi in votis, ſed tantùm commutandi; jam autem valdè diverſa ſunt *commutare votum, & diſpenſare in voto:* ſiquidem diſpenſare in voto, eſt nomine Dei abſolutè condonare obligationem voti: commutare verò eſt condonare cum onere, nempe, ut loco prioris obligationis ſuſcipiatur alia. Cùm igitur in Bullis Jubilæorum ordinariè dicatur: Poterunt eligere Confeſſarium, qui vota quæcunque ab eis emiſſa (Caſtitatis, & Religionis duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutet, Confeſſarius jubilaris non habebit poteſtatem diſpenſandi in votis, ſed tantùm commutandi. Gobat de *Jubil. cap.* 37.

§. II. *Benè verò commutare.*

I. VOta in jubilæo, etiam extra confeſſionem, imò 221
etiam abſens, & cui pœnitens non cogitat confiteri, etiamſi in Bulla jubilæi dicatur: *Eorum Confeſſionibus diligenter auditis.* Henriquez, Sanchez, Diana, aliique plures cum Gobat citat. *numer.* 283. Quia iſta clauſula; *Eorum confeſſionibus diligenter auditis*, refertur tantùm ad abſolutionem à peccatis reſervatis, non verò ad abſolutionem à cenſuris, aut ad commutationem votorum. Item commutatio fieri poteſt in jubilæo à Confeſſario, antequàm quis ullum ex præceptis operibus exequatur, dummodò verum habeat exequendi animam, & efficax propoſitum. Ita plerique teſte Gobat *citat. cap.* 39. *numer.* 303. Nam Pontifices poteſtatem commutandi nullo vocabulo reſtringunt ad opera jam perfecta: Et proinde poteſt etiam fieri ante confeſſionem, & quidem ab illo, cui non cogitas confiteri; ut docet Henriquez *lib.* 7. *cap.* 30. *numer.* 6. Sanchez *de voto, cap.* 54. *numer.* 15. Contra Sayrum, Bejam, Sorbum. Ratio eſt quia actus commutationis non habet ullam ab actu confeſſionis dependentiam: ergo non eſt opus, ut fiat à Confeſſario, ut Confeſſario. Nec verum eſt, quod aliqui docent, ſcilicet votorum obligationem reviviſcere, ſi contingat; vel ex inconſtantia; vel ex impotentia omitti prædictorum operum executionem, quia commutatio communiter fit abſolutè, & non ſub conditione de futuro. Gobat *citat. numer.* 303. qui anteà *numer.* 296. præmiſerat; commutatio votorum facienda eſt abſolutè, non autem ſub conditione de futuro. Licèt enim poteſtas commutandi vota in hoc etiam differat à poteſtate abſolvendi à cenſuris, & reſervatis, quòd graviter peccaret Confeſſarius, qui diceret: *Abſolvo te ab hac cenſura, & ab hoc peccato, dummodò reipſa exequaris opera præſcripta:* non autem per ſe loquendo peccaret, qui diceret: *commuto tua vota, dummodò reipſa exequaris opera in Bulla præſcripta.* Melius tamen eſt, ſi commutatio fiat abſolutè, quia melius eſt non facere reſtrictionem, ubi non facit Papa. Et ſingulariter notat Suarez *lib.* 6. *de Voto, cap.* 6. *numer.* 10. Cavendum, ne unquam Confeſſarius commutet ſub conditione, *Si ipſammet indulgentiam fueris reipſa conſecutus:* quis enim ſciet unquam, ſe reipſa potitum eſſe indulgentia?

II. In jubilæo commutatio votorum poteſt fieri in opera 223
aliquantò minoris valoris, quàm fuerit opus voto promiſſum. Leſſius *lib.* 2. *de Juſtit. cap.* 40. *num.* 109. cum permultis, quos ſequitur Diana *part.* 1. *tom.* 11. *Reſolut.* 40. Contra Sanchez, & alios. Ratio eſt, quia probabiliſſimum eſt, quòd quis propria Auctoritate poſſit ſuummet votum commutare in rem evidenter æquè bonam: ergo Confeſſarius poteſt in aliquantò minorem commutare vi jubilæi, ne cæteroqui Privilegium ſit fruſtra, contra rationem *cap. ſi Papa de Privileg. in* 6. Et expedit, ut votum commutetur in res, quas vovens ſolebat ex devotione facere: At non eſt facienda in res, jam aliunde ex gravi obligatione præſtandas, quia talis commutatio cederet in imminutionem cultus Divini: nam unum bonum opus loco duorum obiretur. *Gobat cit. num.* 302.

III. Si pœnitens petat commutationem voti, non adſe- 224
rens ullam aliam ſuæ petitionis cauſam, niſi quia ita ipſi placet, oportet ei acquieſcere, modò habeat veram intentionem opera præſcripta exequendi; nam illorum executio eſt vice juſtæ cauſæ. Ita ſentiunt Sanchez de *Voto, capite* 50. *num.* 19. & Suarez *lib.* 6. *de Voto cap.* 19. *numer.* 10. loquentes quidem de commutatione in rem æqualem: poteſt tamen rationabiliter extendi hæc doctrina ad commutationem in rem aliquantò minorem, quia Bullæ jubilares abſolutè, & ſine ulteriori exactione dicunt: *Qui opera præſcripta fecerit, poterit eligere Confeſſarium, qui vota commutet.*

IV. Poteſt commutatio voti intra tempus jubilæi ita fie- 225
ri, ut tamen tunc non fiat actualis ſubrogatio in locum materiæ voto promiſſæ, nam poteſt Confeſſarius dicere pœnitenti: *Ex nunc commutò tuum votum in illam rem, quam tibi deſignabo poſt tres, vel quatuor hebdomadas:* ſic docet Sanchez *lib.* 4. *de Voto, cap.* 54. *numer.* 32. poſt Rodriguez, & alios. Ratio eſt, quia ut dicetur quæſtione ſequenti: poſſet Confeſſarius poſt decem annos deſignare illam rem, etiamſi tempore jubilæi nihil audiſſet de tuo voto: quantò magis, ſi illud ei expoſuiſti? imò poterit Confeſſarius dicere: *commuto tuum votum in rem illam, quam talis aut talis vir doctus à te conſultus judicaverit prudenter ſubſtituendam.* Leſſius apud *Gobat citatum numer.* 304 Ratio eſt quia ille, qui præcisè ſubſtituet aliam rem, non exercebit ullum actum juriſdictionis; ergo ei poterit dari poteſtas ſubſtituendi. Si autem antequàm ab illo viro docto fiat a-

ctualis ſubrogatio, occurrat occaſio voti obſervandi, non peccabit pœnitens illud non obſervando; nam revera jam eſt facta commutatio; adeoque ceſſat voti obligatio, & adeſt jam alia: ſcilicet acceptandi onus, quod ab illo viro docto imponetur pro toto voto. Ita Sanchez, Leſſius, Portel. Gobat *citat. numer.* 306. ſimiliter Confeſſarius poteſt commutationem ipſammet differre in unam, vel alteram hebdomadam poſt jubilæum dicendo pœnitenti: *Ego commutabo tuum votum, ubi maturiùs cogitavero, quid ad animæ tuæ ſolatium, & profectum maximè expediat*. Suarez *lib. 6. de Voto, cap.* 16. *num.* 15. Sanchez, Portel. Gobat *num.* 307. & quidem poteſt hoc facere Confeſſarius, etſi nullum in ſpecie votum intelligat: ſi enim pœnitens dicat, ſe habere plura vota, quorum commutationem petat, poteſt Confeſſarius impeditus aliis negotiis ei reſpondere; *Illa vota mihi poſt exactum jubilæum indica, & commutabo*. Sic Sanchez, & Palaus cum Gobat citat. & extendit hanc doctrinam Sanchez ad vota reſervata Pontifici extra jubilæum.

## §. III. *Omnia Vota.*

225 I. NOmine *Voti* in Jubilæo commutabilis, intelliguntur etiam juramenta ſoli Deo facta circa eam materiam, circa quam verſantur ipſa vota per Jubilæum commutabilia. Suarez *lib. 6. de Voto, cap.* 14. *num.* 6. Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 53. *num.* 8. Tannerus *tom.* 3. *diſput.* 5. *quæſt.* 5. *numer.* 38. contra Leſſium, Azorium, & alios. Ratio eſt: quia quando Papa dat poteſtatem commutandi vota; habet rationem ſolius juris, quòd Deus per votum acquiſivit: nam ſuum favorem impertit intentione relaxandi aliquatenus illud jus; idem autem jus acquiſivit DEUS, per votum, quod per juramentum: Ergo. Proinde intelliguntur quoque Vota juramento firmata, ſive illud juramentum non ſit emiſſum ad ea vota firmanda, ſed tantùm concomitanter ſe habeat ad illa, ſive ſit emiſſum ad eadem novo robore firmanda. Suarez *citat. cap.* 14. *numer.* 19. Diana *part.* 1. *tom.* 11. *Reſolut.* 43. Gobat *cit. numer.* 287. Contra Leſſium, & alios; Ratio eſt, quia juramentum voto firmando ſuperadditum, non parit Deo majus jus, quàm ſi votum firmaretur per ſui renovationem; ſicut igitur votum millies renovatum poteſt per Bullam Jubilæi commutari, ita & firmatum per mille juramenta.

226 II. Nomine *Voti* per jubilæum commutabilis venit etiam conſequenter ipſa pœna, quam promiſeras te perſoluturum ſi votum tranſgredereris, eſto teipſa jam incurreris illam pœnam. Suarez *cit. lib. 6. cap.* 20. *numer.* 19. Sanchez *lib.* 4. *Moral. cap.* 52. *num.* 10. Contra Navarrum, & alios. Ratio eſt, quia votum quodammodò magis obligat ad directam materiam, in quàm cadit, quàm ad pœnam. Si ergo poſſum commutare illud quoad materiam, cur non quoad pœnam?

227 III. Etſi promiſſio facta alicui Sancto non ſit propriè votum, *niſi quatenus homo vovet Deo, ſe impleturum, quod Sancto promiſit*, juxta Sanctum Thomam 2. 2. *quæſt.* 88. *artic.* 5. *ad* 3. ſi tamen quis vovit, ſeu promiſit quidpiam alicui Sancto; non cogitans de Deo, poteſt Confeſſarius tempore jubilæi; tale votum, ſeu potiùs talem promiſſionem commutare: licèt enim non ſit propriè votum, ſolet tamen à vulgo votum nuncupari: & proinde poteſt ad illam extendi privilegium commutandi *quæcumque vota*, quandoquidem ſaltem in favorabilibus verba accipienda ſunt ſecundùm communem uſum. Itaque vi hujus privilegii poteſt commutari tum illa promiſſio, quam facis dicendo: *Voveo Deo, & Beatiſſimæ Virgini; me in hujus honorem ter recitaturum Roſarium*: tum illud, quo: *Sanctiſſima Virgo tibi promitto, me omnibus diebus Sabbatinis jejunaturum in tuum honorem*. Ita Suarez *libro ſexto, capite decimo quinto, numero decimo*. Gobat *cit. num.* 289.

228 IV. In Jubilæo poſſunt etiam commutari vota. 1. Quorum commutationem ſe non petiturum quis vovit. 2. Quæ quis emiſit poſt Bullam jubilæi jam publicatam. 3. Quæ quis edidit ob ſpem, & confidentiam obtinendæ brevi commutationis, Gobat *de Jubilæo cap.* 38. *numer.* 291. Ratio eſt, quia vota præfata non ſunt excepta in Bulla jubilari. 4. Quando pœnitens dicit, ſe feciſſe quidem votum, ſed non ſciviſſe, quod pareret gravem obligationem, non eſt opus commutatione, quia votum eſt nullum ob errorem ſubſtantialem, Gobat *cit. numer.* 293. 5. Quando quis verè dubitat, utrum aliquod votum emiſerit, ſeu utrum verè promiſerit Deo, an tantùm propoſuerit, locum non habet commutatio, ſed declarare oportet, quòd non ſit votum. Ita Suarez *lib. 4. de Voto, cap.* 5. cum pleriſque contra Vaſquez. Ratio eſt, quia *in dubio melior eſt conditio poſſidentis*, ſuam libertatem à voto. 6. Si quis petat commutationem voti ante pubertatem emiſſi, debet ei potiùs dici, ut à Patre, aut iis, qui ipſius perſonæ curam gerunt, petat irritationem omnimodam, quàm ut admittat commutationem; quamquàm hæc ei neganda non ſit, ſi irritationem petere non velit. Gobat *numer.* 295. 7. Vota perſonalia accommodè commutantur in perſonalia, realia in realia: non tamen eſt neceſſe obſervare hunc modum, ſed potiùs attendendum, quid ſit conducibilius ſaluti pœnitentis: ut providè notat Leſſius apud Gobat *citat. cap.* 39. *numer.* 301. Quomodo autem, vel in quæ, & qualia opera vota commutanda ſint, docet fusè P. Sporer *tr.* 3. *in* 2. *præcept. Decal. cap.* 3. *ſect.* 4. *à numer.* 121. quem vide.

## §. IV. *Exceptis Votis caſtitatis integræ, & perpetuæ, & Religionis ab Eccleſia approbatæ, & iis, quæ cedunt in præjudicium tertii.*

229 I. SUppono ex Patre Sporer tract. 3. in 2. præcept. Decalogi, cap. 3. ſect. 3. numer. 56. Vota Summo Pontifici reſervata jure communi eſſe tantùm quinque, nimirum Votum Religionis approbatæ ab Eccleſia Catholica Romana; Votum caſtitatis, ſeu continentiæ integræ, & perpetuæ: & vota trium peregrinationum Hieroſolymitanæ ad Sanctum Sepulchrum; Romanæ ad limina Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Compoſtellanæ ad Divum Jacobum, quæ quinque vota ita ſunt reſervata, ut eorum diſpenſatio, vel commutatio per nullam Bullam cenſeatur conceſſa, niſi exprimatur, & ita quidem, ut ſi in Bulla ponantur hæc præcisè verba; *Damus poteſtatem commutandi omnia vota, etiam triplicis peregrinationis*, non intelliguntur vota caſtitatis, & Religionis. At quando Bulla habet, ſicut communes Bullæ jubilæi: *Damus poteſtatem commutandi omnia Vota, exceptis votis caſtitatis, & religionis*, hoc ipſo dari poteſtatem commutandi votum triplicis peregrinationis, docet uſus, teſte Gobat *de Jubilæo cap.* 40. *numer.* 310. Si tamen Bulla jubilæi ſolùm diceret, *conceditur poteſtas commutandi omnia vota*, non cenſeretur conceſſa poteſtas commutandi quinque vota Papæ reſervata: quia hæc quinque vota ſpeciali nota digna ſunt, adeòque exprimi debent. Communis Doctorum, Suarez, & plurimis citatis Sanchez *lib.* 3. *cap.* 40. *numer.* 6. His ſuppoſitis, cùm vota caſtitatis, & religionis in omni jubilæo reſerventur, & excipiantur, videndum eſt, quale votum caſtitatis, & religionis ſit reſervatum. Itaque

230 II. Ut Votum *caſtitatis* in jubilæo ſit reſervatum, debet eſſe votum propriè dictum, perfectum, determinatum, abſolutum, caſtitatis integræ, & perpetuæ, hoc eſt, perpetuæ inſtitutum abſtinentiæ ab omni voluntaria delectatione venerea, tàm extra, quàm intra conjugium. Ita Doctores communiter apud Gobat *citat. numer.* 312. & P. Sporer *citat. numer.* 57. Ratio eſt, quia cùm reſervatio ſit odioſa, strictè interpretanda eſt, ut ſolùm comprehendat *Votum propriè dictum, perfectum, determinatum, abſolutum, caſtitatis integræ, & perpetuæ*, quas particulas benè, & ſufficienter explicat P. Sporer *cit. num.* 58. *& ſeqq.* quo lectorem remittimus. Unum tamen vel alterum addere placuit. 1. Quando Votum caſtitatis integræ, & perpetuæ eſt emiſſum cum animo ſe obligandi ſolùm ſub veniali, eſt diſpenſabile in jubilæo. Sanchez, & Gobat *citat. numer.* 316. 2. In jubilæo commutari poſſunt omnia vota partialia caſtitatis ſeorſim emiſſa, etiamſi collectim ſumpta compleant integrum votum caſtitatis. Ita Sanchez *lib.* 4. *cap.* 40. *num.* 68. & alii apud Viva *de jubilæo, quæſt.* 12. *art.* 2. *num.* 10. Quia nullum ex his eſt votum caſtitatis perfectum, quod unicè eſt reſervatum; & quamvis ultimum ex illis ex ſuppoſitione præcedentium, inducat obligationem ad caſtitatem perfectam, hoc non habet per ſe, quia ratione ſui obligat tantùm ad partem caſtitatis, ſed per accidens, quatenus ſupponit in vovente obligationem ad alias partes caſtitatis. Secus foret ſi ultimum votum emitteretur cum poſitiva intentione ſe obligandi ad caſtitatem perfectam.

231 III. Ut Votum *Religionis* ſit reſervatum in Jubilæo, debet eſſe votum propriè dictum, perfectum, determinatum, abſolutum, Religionis ab Eccleſia approbatæ, ob eamdem rationem, ob quam numero præcedenti diximus, votum caſtitatis, ut ſit reſervatum in jubilæo, debere eſſe votum propriè dictum, perfectum, determinatum, abſolutum, &c. quas particulas Vide apud Patrem Sporer *loco citato* explicatas, præſertim *numero* 68. Per votum ingrediendi aliquam religionem, tum etiam ipſa tria vota ſubſtantialia, per quæ quis ſit verè Religioſus. Ita ſupponunt paſſim Doctores, confirmatque uſus perpetuus, & docet in terminis Suarez *tomo tertio, de Religione libro quarto, capite ſeptimo, numero ſecundo*. Intelliguntur quoque non incongruè illa vota, quæ nonnullæ Religiones ſolent tribus ſubſtantialibus addere, ut eſt verbi gratia Votum Fratrum Minimorum

de

de Vita quadrageſimali, Monialium S. Claræ de clauſura, &c. Gobat *cit. cap.* 31. *num.* 318.

232 Uno verbo poteſt Confeſſarius vi Jubilæi commutare vota caſtitatis, & religionis in omnibus caſibus, in quibus poteſt ipſe Epiſcopus extra Jubilæum ex ſua poteſtate ordinaria. Ita Gobat *cit. num.* 320. Ratio eſt, quia tunc jam deſinunt per ſe reſervata eſſe Pontifici.

An Juramenta caſtitatis, vel Religionis vi Jubilæi commutari poſſint, colliges ex Patre Sporer *tractatu tertio, in ſecundum præceptum Decalogi, capite tertio, ſectione quarta, numero* 97.

233 IV. Denique in Jubilæo commutari nequeunt vota, quorum commutatio cederet in præjudicium tertii, ut verbi gratia quando jam ſunt acceptata. Suarez *lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 11. Gobat *cit. cap.* 38. *num.* 290. Idem eſt de Juramentis. Et hæc poteſtas ſemper tacitè negatur, quando ſolùm dicitur: *Do tibi poteſtatem commutandi quælibet Vota.* Suarez ibidem. Ratio eſt: Pontifex per Bullam Jubilæi nec vult, nec poteſt lædere Jus tertii. De hac re plura videnda ſunt apud Patrem Sporer *tract. tertio, in ſecundum præceptum Decalogi capite tertio, ſectione quarta, numero* 94. & *ſeqq. item num.* 112. & *ſeqq.*

## QUÆSTIO IV.

### & Ultima.

*Quas gratias etiam diu poſt lucratum Jubilæum quis obtinere valeat vi lucrati Jubilæi?*

### SUMMARIUM.

235 *Jubilæum ſemel obtentum quales favores poſt ſe trahat, etiam poſt elapſum Jubilæi tempus?*
236 *Poſt obtentum, & tranſactum Jubilæum poteſt quis adhuc abſolvi à caſibus reſervatis.*
237 *Et ejus vota commutari.*
238 *Etiamſi Bulla Jubilæi dicat.* Hac vice tantùm.
239 *Modò iſti caſus reſervati tempore Jubilæi jam fuerint incurſi, & vota jam emiſſa.*
240 *An peccet, qui conceſſum jubilæum non lucratur.*

### ASSERTIO IV.

234 *JUbilæum ſemel obtentum dat Jus omni tempore, etiam poſt Jubilæum, eligendi Confeſſarium pro iis gratiis acquirendis, quæ tempore jubilæi obtineri poterant, & tamen obtenta non fuerunt. Hinc poteſt aliquis poſt obtentum, & tranſactum jubilæum à caſibus reſervatis abſolvi, & ejus vota commutari, modò iſti tempore jubilæi jam fuerint incurſi, & hæc jam emiſſa.* Doctores citandi.

### §. I. *Jubilæum ſemel obtentum.*

235 DAt Jus omni tempore etiam diù poſt Jubilæum, eligendi Confeſſarium, pro illis gratiis acquirendis, quæ tempore Jubilæi obtineri poterant, & tamen obtentæ non fuerunt. Ita Navarrus, Layman, Coronius, Lugo, Gobat de *Jubilæo cap.* 31. *num.* 242. Viva *de jubilæo, quæſt.* 5. *art.* 4. & alii. Ratio eſt, quia Bulla Jubilæi non dicit: *Qui intra duas hebdomadas jejunaverit &c. poterit eligere Confeſſarium qui intra illas duas hebdomadas abſolvat &c.* Sed ſimpliciter, & ſine limitatione dicit: *Poterit eligere Confeſſarium, qui illum abſolvat &c.* Et licèt in Bulla Jubilæi fiat mentio Confeſſarii in ſingulari numero, attamen poteſt quis favores jubilæi petere à diverſis, ſingulos à ſingulis. Ita Lugo *tom.* 3. *in* 3. *part. diſput.* 27. *num.* 120. Sanchez *lib.* 4. *Moral. cap.* 64. *num.* 17. Ratio eſt, quia Bullæ Jubilæi, quas noviſſimi Pontifices ediderunt, non indicant ullam neceſſitatem petendi hos favores ab uno, & eodem Confeſſario: Ergo poſſunt peti à diverſis, ſinguli à ſingulis.

### §. II. *Hinc poteſt aliquis poſt obtentum, & tranſactum Jubilæum.*

236 ABſolvi à caſibus reſervatis, quorum manifeſtationem omiſit in confeſſione tempore Jubilæi facta, vel ex oblivione inculpabili, vel alia juſta de cauſa, quæ excuſet ab integritate materiali confeſſionis. Idem dicendum de abſolutione à cenſuris reſervatis, & hoc ab omni Confeſſario; dummodò habeat Juriſdictionem in communia peccata mortalia, Gobat *citatus numero* 143. Layman *libro quinto, tractatu ſeptimo, capite octavo, numero nono.* Navarrus *in Manuali cap.* 26. *numer.* 13. Viva *cit.* & alii. Ratio ulterior eſt: Quia abſolvens in Jubilæo voluit abſolvere, à quibus potuit, ſed ab his, videlicet à reſervatione, & cenſuris reſervatis abſolvere potuit: ergo abſolvit. Si tamen tempore Jubilæi facta confeſſio fuerit formaliter ſacrilega, tunc poſt Jubilæum nequit communis Confeſſarius abſolvere talem pœnitentem à caſibus, & cenſuris reſervatis tempore Jubilæi confeſſis, vel oblitis, quia, ut ſupradictum, talis non fuit lucratus Jubilæum: cùm ad hoc obtinendum non ſufficiat confeſſio ſacrilega. Idem dicendum de commutatione votorum. Inſuper ſi quis tempore Jubilæi legitimè confeſſus ſit cum intentione perficiendi opera præſcripta, & mutata intentione non perfecit, vel ex impotentia, vel ex ſua culpa, poterit quidem poſt Jubilæum accipere abſolutionem à reſervatis tunc inculpabiliter oblitis, vel ex juſta cauſa omiſſis à communi Confeſſario habente Juriſdictionem in communia peccata mortalia, ſed non commutationem votorum; cùm nullum jus, vel privilegium ejuſmodi commutationi ſuffragetur; benè verò abſolutioni à reſervatione, & cenſuris, quia Confeſſarius tempore Jubilæi electus ab his potuit abſolvere, & abſolvit, vota verò non commutavit pro tunc, & nec etiam nunc commutare poteſt, quia pœnitens non eſt lucratus jubilæum, adeòque non habet jus ad petendam votorum commutationem. Ita Sanchez, Henriquez, Boſſius, Viva *de Jubilæo, quæſtione undecima, articulo quarto, numero quarto,* & *alii.*

### §. III. *Et ejus Vota commutari.*

QUi fecit omnia ad lucrandum jubilæum requiſita, po- 237
teſt multis etiam annis poſt jubilæi tempus tranſactum, obtinere à quovis id temporis approbato Confeſſario commutationem votorum omnium, quorum commutationem tempore jubilæi petere potuiſti, & petere oblitus es, vel etiam noluiſti, exceptis Votis caſtitatis, & religionis. Ita Thomas, Sanchez *libro quarto de Voto cap.* 54. *numer.* 39. & 41. Leſſius *libro ſecundo, de Juſtitia cap.* 40. *numer.* 109. Sanctarellus de *jubilæo, capite decimo tertio, numero primo.* Portel. de *Dubiis Regularibus V. Indulgentia pro jubilæo numero ſeptimò.* Palaus *parte quarta, tractatu vigeſimo quarto, puncto duodecimo.* Gobat *de jubilæo cap.* 32. *numer.* 243 citans adhuc plures. Ratio ſuprà §. 1. jam data eſt.

Porrò prædictis gratiis frui poteſt, qui lucratus eſt jubi- 238
læum, etiamſi in Bulla jubilæi dicatur: *Hac tantùm vice* abſolvat, &c. quia ſenſus horum verborum eſt, non, quòd ſolo tempore jubilæi quis poſſit abſolvi, &c. ſed quòd hoc ſolo tempore, quo durat favor jubilæi adepti, vel adipiſcendi, poſſit obtineri abſolutio, commutatio, &c. Durat autem favor jubilæi etiam poſt jubilæum obtentum, & tranſactum, ut conſtat ex dictis ſuprà §. 1. *numer.* 235. ita Gobat *de jubil. cap.* 34. *numer.* 266.

### §. IV. *Modò iſti caſus reſervati tempore jubilæi jam fuerint incurſi, & Vota jam emiſſa.*

RAtio eſt, quia Bulla jubilæi nuſquam concedit, quòd 239
aliquis à peccatis, aut cenſuris poſt jubilæum jam tranſactum, & finitum incurſis poſſit abſolvi, ſicuti nec concedit, quòd alicujus vota poſt tempus jubilæi jam elapſum emiſſa poſſint commutari, ut patet legenti Bullas jubilæorum: ergo peccata, & cenſuræ, à quibus quis poſt jubilæum tranſactum, vi lucrati jubilæi abſolvi poteſt, debent tempore, quo jubilæum obtentum fuit, jam fuiſſe contracta: ſicut etiam Vota, quæ poſt jubilæum, vi jubilæi commutari poſſunt, debent tempore jubilæi jam fuiſſe emiſſa.

Quæres: *An peccet, qui conceſſum jubilæum non lu-* 240
*cratur?*

Reſpondeo: Per ſe loquendo, ſecluſo contemptu, ſcandalo, &c. non eſt peccatum ſaltem grave omittere occaſionem lucrandi jubilæum: omni tamen culpa vix abſolvendus erit, qui ex mera pigritia, & incuria negligit acquirere jubilæum. Gobat *de jubilæo, capite* 40. Itaque conemur jubilæum Eccleſiaſticum lucrari in terris, ut aliquando conſequamur jubilæum æternum in Cœlis. Amen.



Digitized by Google

# APPENDIX.

## De Suffragiis.

## SUMMARIUM.

241 *Quid ſit ſuffragium?*
242 *Opus bonum ab homine juſto factum habet fructum meritorium, ſatisfactorium, & impetratorium.*
243 *Datur communicatio ſuffragiorum inter fideles.*
244 *Etiam per modum ſatisfactionis.*
245 *Suffragia etiam poſſunt applicari Defunctis.*
246 *Qualiter hæc applicatio fieri debeat?*
247 *An ſuffragia certò exhibenda proſint, antequam exhibeantur.*
248 *An teſtatori proſit reſtitutio injuſtè ablatorum; & executio aliorum bonorum operum in teſtamento conſtituta?*
249 *An Defunctis proſit pulſus campanarum, accenſio cereorum, ſepultura in loco Sacro? & ſeqq.*
251 *Tres conditiones requiruntur in eo, pro quo offertur Suffragium.*
252 *Et tres ex parte offerentis ſuffragium, & ſeqq.*
255 *& ſeqq. Quid ſentiendum de communicatione bonorum operum & indulgentiarum facta à Regularibus?*

### §. I. *Fideles poſſunt ſe invicem Vivos juvare Suffragiis.*

241 I. S*Uffragium* hic accipitur pro auxilio, quod unus fidelis alteri præbet ad conſequendam pœnæ temporalis remiſſionem. Tale ſuffragium eſt triplex; Primum eſt Sacrificium Miſſæ, de quo ſatis egit P. Sporer in ſua Theologia Sacramentali. Secundum eſt indulgentiæ, de quibus ſatis diximus in præcedentibus. Tertium tandem ſunt operationes propriæ pœnales, & ſatisfactoriæ, ut orationes, jejunia, eleemoſynæ, &c. Perſonæ verò fideles, quibus hæc ſuffragia applicari poſſunt, ſunt duplicis tantùm generis, nimirùm fideles vivi, & fideles defuncti in purgatorio exiſtentes; nam beati non egent ſuffragiis, & damnatis non proſunt. Igitur hic agimus de ſuffragiis ex opere operantis, ſeu de ſuffragiis bonorum operum, quæ fideles aliis communicant.

242 II. Suppono, quodlibet opus bonum ab homine juſto factum, triplicem habere fructum, nimirum *meritorium*, *ſatisfactorium*, *& impetratorium*. Fructus meritorius eſt, per quem meretur de condigno augmentum gratiæ ſanctificantis, & gloriæ, & hic fructus juxta Doctores communiſſimè omnes, nequit alteri communicari, ſed eſt proprius operanti opus de condigno meritorium. La Croix *l.6. p.2. n.*1327. fructus ſatisfactorius eſt, per quem ſatisfit pro pœnis temporalibus; ex peccatis quoad culpam jam dimiſſis, reſtantibus. Impetratorius eſt, per quem à Deo impetratur beneficium aliquod ad animæ, corporiſque ſalutem conducens. Jam

243 III. Certum eſt de fide dari ſuffragiorum communicationem inter fideles, hoc eſt, communicationem bonorum operum, quibus mutuo ſe juvant: id enim apertè aſſeritur in ſymbolo Apoſtolorum, ut notat Maſtrius noſter, *Theol. Moral. diſp.* 23. *quæſt.* 5. *art.* 1. *num.* 72. dum dicimus: *Credo Sanctorum communionem*. Cujus articuli ſenſus eſt, ut docent Theologi omnes, in Eccleſia eſſe communionem bonorum operum inter homines juſtos, quatenus ſe invicem juvare poſſunt bonis operibus; nam homines juſti ſunt membra unius Corporis Eccleſiæ ſub uno capite Chriſto: unde *Epheſ.* 4. comparat Apoſtolus Eccleſiam corpori humano, in quo ſicut unum membrum alteri præbet auxilium, ita etiam in corpore Eccleſiæ unus juſtus alteri auxilium præbere poterit per bona opera, & hoc etiam expreſſè deducitur ex illo *Jacobi* 5. *orate pro invicem, ut ſalvemini*, & *Rom.* 15. *obſecro vos fratres per Dominum Jeſum Chriſtum, & charitatem Spiritus Sancti, ut adjuvetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum*. Ergo Fideles juſti poſſunt ſe invicem juvare, & ſuffragari. Eſt autem duplex ſuffragandi modus inter fideles, ſcilicet *per modum ſatisfactionis*, *& per modum impetrationis*. Suffragari per modum ſatisfactionis eſt aliquam pœnam, pro alio, ſeu pro pœna, quam alter fidelis ſolvere deberet, perſolvere. Suffragari verò per modum impetrationis eſt, precibus abſque ulla ſolutione pœnæ alterius, liberationem ab illa pœna alteri impetrare, ſive ut Deus immediatè gratis condonet pœnam propter orationes alterius, ſive mediatè, ut nimirùm Deus det aliquod auxilium propter eaſdem orationes, quo alter operetur ad talem remiſſionem obtinendam. Et hæretici quidem etiam nobiſcum conveniunt, quòd fideles ſe invicem Vivos poſſint juvare, & ſuffragari per modum impetrationis, convicti nimirùm ex textibus Sacræ Scripturæ ſupra adductis: negant verò, quòd fideles ſe invicem juvare poſſint per modum ſatisfactionis. Contra quos dicimus.

*Supplem. Theol. Sacram.*

IV. Fideles poſſunt ſe invicem vivos juvare etiam ad ſa- 244
tisfaciendum pro pœnis temporalibus debitis pro peccatis quoad culpam jam dimiſſis. Ita Theologi communiter, Doctor noſter Seraphicus Sanctus Bonaventura *part.* 2. *art.* 1. Doctor Angelicus Divus Thomas, Doctor Subtilis *quodl.* 20. *art.* 1. Doctor irrefragabilis noſter Alexander Alenſis 4. *parte*, *quæſt.* 24. *memb.* 4. *art.* 4. Hoc expreſſè docet Catechiſmus Sancti Pii V. *in fine de Sacramento Pœnitentiæ:* dicens: *in eo ſumma Dei bonitas, & Clementia maximis laudibus, & gratiarum actionibus prædicanda eſt, qui humanæ imbecillitati hoc condonavit, ut unus pro alio ſatisfacere poſſit*. Ratio eſt, quia opera juſti de ſe habent æqualitatem in ratione ſatisfactionis cum pœna illa temporali, pro qua offeruntur: ergo juſtus per illa poterit pro alterius pœna temporali ſatisfacere, alioquin neque pro ſe poſſet condignè ſatisfacere. Accedit, quia ſi impetratione poſſunt juſti aliis obtinere remiſſionem pœnæ, tantò magis poterunt oblatione pœnæ æqualis: cùm facilius ſit apud homines æquali, vel condigno pretio aliquid obtinere, quàm gratis, & ſolis precibus. Nec obſtat, quòd juſtus nequeat alteri communicare fructum meritorium ſui boni operis, & tamen poſſit ſatisfactorium, ac impetratorium, diſparitas equidem eſt, quia quilibet tenetur plus ſe diligere quoad bona ſpiritualia gratiæ ſanctificantis, & gloriæ, quàm alium: ſiquidem quilibet tenetur plus velle diligere Deum, quàm alios, ſi autem alteri communicaret ſuum meritum gratiæ ſanctificantis, & gloriæ, talis non vellet Deum plus diligere in via, ac patria, quàm alios. Aliud fuit in Chriſto, qui nobis etiam de condigno meruit gratiam, & gloriam, quia merita Chriſti ſunt infinita; noſtra autem ſunt finita, & adæquatè compenſantur à Deo per gratiam, & gloriam nobis dandam, & decederet nobis, quidquid gratiæ, & gloriæ alteri meremur de condigno. Nihilominùs poſſumus etiam aliis mereri de congruo, puta peccatoribus juſtificationem, lapſis reparationem, juſtis perſeverantiam, ut docet communis Doctorum in materia de merito. Sic Sanctus Stephanus meruit orando converſionem Saulo, & S. Monica ſuo filio Auguſtino priùs Manichæo: intellige tamen *mediatè*, quatenus meruit gratiam efficacem, mediante qua converſio ſecuta fuit.

### §. II. *Fideles poſſunt ſuffragari, & juvare ſuis bonis operibus etiam defunctos.*

I. Q*Uoad Remiſſionem pœnæ temporalis in purgatorio* 245
aliàs exſolvendæ, eſt de fide. Patet ex 2. *Matth.* 12. ubi dicitur; *Sancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur*. Veritas hæc definita eſt in pluribus Conciliis, quæ refert Maſtrius *cit. diſp.* 23. *qu.* 5. *art.* 1. *nu.* 78. ac noviſſimè in Tridentino *ſeſſ.* 25. *in Decreto de purgatorio*; ita docente: *Cùm Eccleſia Catholica Spiritu ſancto edocta, ex ſacris litteris, & antiqua Patrum Traditione, in ſacris Conciliis, & noviſſimè in hac Oecumenica Synodo docuerit, purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis, potiſſimum vero acceptabili Altaris ſacrificio juvari*. Idem docuere Sancti Patres. Et quidem ſecundùm legem Dei ordinariam fideles poſſunt ſuffragari defunctis *per modum ſatisfactionis* tantùm, quia Juſtitia Divina poſtulat, ut nullum peccatum remaneat impunitum, & jus Divinum læſum reſarciatur: adeòque qui peccavit, vel debet à Deo puniri, vel ipſe debet compenſare pœnam per operationes ſatisfactorias, vel alius pro illo. Attamen ſecundùm legem Dei extraordinariam fideles vivi poſſunt ſuffragari defunctis etiam *per modum impetrationis* ſine ulla ſolutione: ſiquidem etiam Principes terreni, extraordinariè quandoque, ad inſtantiam charorum Amicorum, gratis, & ex mera liberalitate, ſine ulla ſolutione dimittere ſolent injurias, & offenſas: ergo etiam idem Deus quandoque facere credendus erit.

II. *Navarrus* apud La Croix *l.* 6. *p.* 2. *nu.* 1332. puta- 246
vit eum, qui indiget ſatisfactione pro ſe, invalidè applicare alteri, ſed communiter contradicunt omnes. Eſſet tamen contra charitatem propriam juxta Raynaudum apud La Croix citatum. Si quis multo reatu onuſtus morti proximus alteri applicaret omnes ſatisfactiones ſuas, niſi adverteret ſe facere per actum, qui meritò, & dignitate ſua damnum illud compenſaret: nam ex charitate trans-



Digitized by Google

ferens augeret ſuam gratiam, quæ eſt fructus æternus longè pretioſior. Hoc tamen benè obſervandum, quod nihil proſit, ſi quis opera ſatisfactoria, quæ antecedenter fecit, velit poſteà tranſcribere animabus purgantibus, vel alicui alteri; nam ſatisfactiones tales non manſerunt ſuſpenſæ, ſed vel ſtatim applicatæ ſunt, vel repoſitæ in Theſauro Eccleſiæ; quia eſt communis ſententia *Gabrielis*, & aliorum apud La Croix *cit. num.* 1330. quòd, ſi ille, pro quo fructus Satisfactionis offertur, ſit illius incapax, vel non indigeat; vel nulli ſit applicatus, proſit facienti tale opus, & ſi hic non indigeat, reponatur in communem Eccleſiæ Theſaurum. Ulteriùs, ſi quis vivens applicet animabus purgantibus omnia ſacrificia, & preces pro ſe defuncto fundendas, Raynaudus apud La Croix *cit. num.* 1334. dicit hoc etiam invalidè fieri; quia applicatio operis non eſt in poteſtate illius, pro quo offertur, ſed pendet ab intentione operantis; operans autem qui ſuo tempore offeret pro me, non offeret ad hanc meam intentionem, ſed offeret, ut proſit mihi; ideòque ſi tunc mihi prodeſſe poterit, proderit; ſi autem prodeſſe non poterit, & operans non ſubſtituat aliam intentionem, tunc vel proderit ipſi operanti, vel reponetur in communem Theſaurum Eccleſiæ juxta ſupradicta.

247 III. Suffragia nondum exhibita, etiamſi certò ſint exhibenda, nunc non proſunt animabus in purgatorio, uti habet communis apud La Croix *lib. 6. part. 2. num.* 1340. Ratio eſt, quia etiamſi DEUS prævideat aliquid faciendum, non ideò antequàm præſtetur, rependit præmium, niſi accedat ſpecialis miſericordia, qualis fuit, quod ob præviſa Chriſti merita dederit gratias Adamo, & antiquis Patribus; pro hoc enim dicendo habemus ſpeciale fundamentum in Sacra Scriptura, & SS. Patribus; quia redemptio omnium hominum erat tribuenda Chriſto.

248 IV. Reſtitutio eorum, quæ defunctus abſtulerat, aut expletio votorum, quæ neglexerat, quamvis per accidens poſſint prodeſſe ratione piorum actuum, quos hæredes nunc eliciunt pro defuncto, tamen de ſe nihil operantur ad liberationem animæ. Ita *S. Thomas*, *Navarrus*, *Sotus*, *Bellarminus*, *Suarez*, *Molina*, *Valentia*, *Raynaudus* apud La Croix *cit. n.* 1345. Ratio eſt; quia ſi defunctus ante mortem fecit, quod potuit, non ideo diutiùs patietur; ſi id neglexit, patietur, quantum promeritus eſt ipſius negligentia, hæredum autem negligentia non eſt culpa ad ipſum pertinens; cùm ipſe illius cauſa per ſe non fuerit. Idem eſt dicendum de ablatione ſcandali, quod defunctus poſuerat, dum viveret. Nihilominùs alii apud noſtrum Maſtrium *Theol. Moral. diſp. 24. qu. 3. art. 3. nu. 69.* affirmant, dilationem reſtitutionis à teſtatore relictæ, obeſſe ejus animæ in purgatorio exiſtenti, & eſſe cauſam longioris dilationis in illis pœnis. Ratio eſt: quia ipſa actualis reſtitutio eſt opus bonum, & per ſe ſatisfactorium, & ideò, cùm fit reſtitutio, accedit hoc opus ſatisfactorium ad ſatiſpaſſionem, quam faciunt animæ illæ per ſe in illis pęnis, & ſic citiùs ab illis pęnis abſolvuntur. Si autem reſtitutio non fiat, coguntur animæ illæ integrè per ſe ſatisfacere pęnis illis debitis, quæ proinde longiùs protrahuntur, nec ab eis abſolvuntur, donec per ſe ſolvant uſque ad minimum quadrantem. Cui opinioni etiam favent revelationes quædam animarum defunctarum, quæ vivis apparuerunt, & ab hæredibus ſuorum debitorum reſtitutionem fieri petierunt, ut à purgatorio liberarentur. Unde S. Birgitta l. 6. Revelationum, capit. 66. affirmat, tamdiu animam cruciari in purgatorio, donec reſtituatur ablatum. Ita Richardus 4. *diſt.* 45. *qu.* 4. *art.* 5. Gabriel, Aſteſſanus, Faber. Ulteriùs dicendum, Eleemoſynas, & alia pia opera, quæ fiunt ex voluntate teſtatoris, ab hæredibus, vel aliis commiſſariis, juvare teſtatores in purgatorio exiſtentes pro pœnarum ſatisfactione, non ſolùm quando hæredes vel commiſſarii in ſtatu gratiæ ea exequuntur, ſed etiam quando hæredes vel commiſſarii ſunt in pecato mortali, dum dictam teſtatoris voluntatem exequuntur. Ita Doctor noſter Seraphicus D. Bonaventura 4. *diſt.* 45. *art.* 2. *qu.* 2. ubi in Corpore quæſtionis inquit, diſtinguendum eſſe, quòd ſuffragia facta pro defunctis, aut ſunt opera Sacramentalia, ut celebratio Miſſæ, & tunc, quia opera DEI ſunt, ratione contenti proſunt, ſive fiant à bonis, ſive à malis; aut ſunt alia opera, & hoc dupliciter: aut enim fiunt purè à malis, ſicut ſi aliquis malus orat, vel ſe affligit pro aliquo, & tunc inquit, non valere defunctis; aut fiunt à malis ad imperium alicujus boni, ut verb. grat. ipſius defuncti de re, quæ illius eſt in Eleemoſyna, & tunc valent ratione doni charitatis homini ſcilicet teſtatori, conjunctæ. Ita etiam diſcurrit D. Thomas 4. *de* 45. *qu.* 2. *art.* 1. Ex quibus deducitur, quòd licèt hæc ſuffragia valeant pro defunctis, quamvis illi, per quos fiunt, in peccato mortali exiſtant; tamen non valeant ſi teſtator, quando ea conſtituit in teſtamento v. g. non fuit in gratia, vel ſaltem ſuum teſtamentum ante mortem, dum rediit in DEI gratiam, ſua voluntate non confirmavit, ut prædicta opera, & ſuffragia ab homine juſto procedere dici poſſint. Maſtrius *cit. diſp.* 24. *qu.* 3. *num.* 67.

Quæres: *An defunctis proſit Campanarum pulſus, uſus cereorum ardentium, ſepulchra in loco Sacro?*

249 Reſpond. I. *Campanarum pulſus* non juvat defunctos, niſi indirectè, quatenus movet audientes ad benè precandum defuncto. La Croix *lib. 6. part. 2. numer.* 1347. Raynaudus &c. *Conſepelire defunctis* res pretioſas, imagines &c. nullum etiam ipſis adfert ſubſidium. *La Croix cit.*

250 Reſp. II. *Uſus cereorum ardentium* prodeſt defunctis, in quantum amici nomine defuncti proteſtantur, ſe confiteri Chriſtum eſſe verum lumen mundi, & ex ejus meritis ſperare miſericordiam. Raynaudus apud *La Croix cit. nu.* 1346. *ſepultura in loco Sacro* eis prodeſt partim, quia fideles illic convenientes excitantur ad orandum pro defunctis; quia preces publicę, quæ in tali loco funduntur, extenduntur etiam ad inibi ſepultos. *Aſperſio Aquæ benedictæ* prodeſt propter preces Eccleſiæ: nam benedicens petit prodeſſe etiam ad condonationem pęnarum. *Incenſatione Thuris* orat Eccleſia, ut anima paſcatur odore cęleſti. Raynaudus apud La Croix cit.

## §. III. *Conditiones requiſitæ ad Applicationem Suffragiorum.*

251 I. DOctores communiter docent, tres conditiones requiri in eo, pro quo ſuffragium offertur, ut ei proſit. *Prima eſt*, ut indigeat ſuffragio, hoc eſt, ut ſit debitor alicujus pœnæ temporalis; ſi enim nulla talis pęna ſolvenda reſtet, etiam per ſuffragium exſolvi non poterit. *Secunda eſt*, ut ſit in ſtatu gratiæ, quia qui non exiſtit in gratia, non habet communicationem cum aliis membris vivis, cùm ſit mortuum, ideò recipere non poteſt influxum ab altero membro, cui non eſt conjunctum. Accedit, quod in peccato mortali exiſtens ſit dignus pœna æterna: ergo non eſt dignus remiſſione pęnæ temporalis. *Tertia conditio eſt*, ut peccata, pro quibus ſatisfactio, ſeu ſuffragium exhibetur, jam ſint deleta quoad culpam; quia nequit remitti pęna antequàm culpa remittatur; cùm manente culpa ſemper remaneat dignitas, & obligatio ad pęnam. Ex quo fit, ut ſatisfactio exhibita ab homine juſto pro ſe habente peccatum veniale, vel pro alio item habente culpas veniales nondum remiſſas, non proſit pro venialibus nondum remiſſis. Ita Suarez, Valentia, Nugnus, Coninck, Lugo, Bonacina, & alii communiter apud Maſtrium *cit. diſput.* 23. *num.* 80. Aliam conditionem addunt aliqui, quòd ille, pro quo ſuffragium offertur, illud acceptet. Sed hæc conditio ſuperflua cenſetur; quoniam ſufficit generalis voluntas, quam unuſquiſque juſtus habet, ut ſolvatur à pęna temporali debita, & uſu Eccleſiæ receptum eſt, ut offerantur ſuffragia pro amicis quoque abſentibus, & ignorantibus ſibi ſuffragia offerri.

252 II. Conditiones ex parte offerentis ſuffragium, ut hoc ſuum habeat effectum, etiam requiruntur tres: *Prima eſt*, ut offerens ſuffragium ſit in ſtatu gratiæ. Quia exiſtens in peccato mortali, indignus eſt remiſſione tam culpæ, quàm pœnæ, & conſequenter eſt etiam impotens ad obtinendam alteri remiſſionem pœnæ temporalis per applicationem ſuffragii. Hoc autem intelligendum eſt de ſuffragio ſatisfactorio ex opere operantis, ut ſunt jejunia, orationes, Eleemoſynæ &c. de quo in hac Appendice tantùm eſt ſermo, non de ſuffragio ſatisfactorio ex opere operato, ut eſt verb. grat. Sacrificium Miſſæ, & indulgentia &c. de quibus alibi. Hoc etiam intelligendum eſt de ſuffragio facto ab aliquo in Perſona propria; nam ſi preces offerantur à Sacerdote in Perſona Eccleſiæ, quales ſunt, quæ fiunt in Miſſa, & Divino Officio; hæ orationes dictæ etiam à Miniſtro peccatore adhuc valent per modum ſatisfactionis, vel ſaltem per modum impetrationis, juxta diverſitatem opinionum; quatenus Eccleſia per os illius miniſtri ſuas preces, & vota DEO repręſentat. Ita Communis DD. apud *Maſtrium cit. nu.* 82. *Sed quid dicendum, ſi Dominus præcipiens fieri opus bonum per famulum, vel teſtator per executorem Teſtamenti, ſit quidem in ſtatu gratiæ: famulus verò, vel executor Teſtamenti non ſint in ſtatu gratiæ, dum opus præceptum exequuntur? Reſpondent DD. cum diſtinctione*: opera quæ per alium fiunt, duobus modis fieri poſſe: primò enim fieri poſſunt per alium, tamquàm per *Inſtrumentum*, Secundo per alium, tamquàm *per cauſam propriam, & proximam illorum operum*. Quando fiunt per alium tamquàm per inſtrumentum, ſunt ſatisfa-

ctoria,

Digitized by Google

ctoria, quamvis ille; qui ea facit, ſit in peccato mortali: & Ratio eſt: quia opus eſt ſatisfactorium, quatenus provenit à principali agente: quare, ſi præcipiens, qui eſt agens principale, ſit in gratia, opus valet, & prodeſt ad ſatisfactionem, ut ſi dominus in gratia exiſtens præcipiat per famulum, ſuo nomine eleemoſynam fieri. Si verò exequens non ſit cauſa merè inſtrumentalis, ſed proxima, & principalis illius operis, opus ab eo præſtitum in peccato mortali, non prodeſt, nec eſt ſatisfactorium; unde ſi Prælatus ſubdito præcipiat orare, vel jejunare in aliorum ſatisfactionem, ſi hæc opera pœnalia ſubditus exequatur in ſtatu peccati mortalis, voluntas Prælati eſt quidem DEO accepta, ſed opera illa non ſunt ſatisfactoria: quia Jejunium, & Oratio ſunt merè perſonales, quorum cauſa propria, & proxima eſt orans, vel jejunans, & ab eo exequuntur in ſtatu peccati mortalis, ut ſupponitur. Ita Bonacina plures alios citans apud Maſtrium *citatum numero* 83. Hæc doctrina applicari etiam debet teſtatori pro ſe in Teſtamento conſtituenti dationem eleemoſynarum, & executionem aliorum piorum operum, & ſic eſt intelligendum, quod *ſuprà numer.* 248. de teſtatore dictum eſt.

253 III. *Secunda Conditio* ex parte offerentis ſuffragium eſt ut offerens habeat intentionem offerendi pro eo, cui prodeſt, illique ſuffragium applicare intendat: & hæc intentio opus bonum antecedere debet, non ſubſequi: quia offerens, ſeu operans ſuæ ſatisfactionis fructum ſuſpendere nequit: nam ut *Coninch. diſputatione undecima, dubio ſeptimo* advertit, omnes hujuſmodi ſatisfactiones hoc ipſo, quòd nec ipſe operans iis indiget, nec, dum operatur, eas alicui indigenti applicat, in Theſauro Eccleſiæ reponuntur, quem extrà collationem ſacramenti nemo diſpenſare poteſt, niſi qui poteſt indulgentias concedere. Hæc verò intentio applicandi pro aliis ſuffragia, ex communiori, & probabiliori ſententia apud *Maſtrium citatum numero* 84. ſufficit, ſi ſit habitualis, nimirum ſemel habita, & non retractata, ſicuti ad applicationem Sacrificii per alio ſufficit intentio habitualis, ſemel videlicet habita, & non retractata, ut docet Doctor noſter Subtilis *quodlib.* 20. Centinus, Gavatius, Brancatus, Sporer *Theologia Sacramentali parte ſecunda, capite quinto, numero* 340. *Tertia Conditio* eſt, ut ſuffragium ſit opus, quod ex ſe vim habeat ſatisfaciendi, hoc eſt, habeat valorem, & pretium ad ſolvendum debitum illius, pro quo ſatisfacit. Opera autem hujuſmodi reducuntur ad *orationem, Jejunium, & Eleemoſynam*, ſub quibus omnes aliæ operationes pœnales, & ſatisfactoriæ comprehenduntur. Ratio hujus conditionis eſt: quia debitum nemo ſolvere poteſt, niſi ſolvendo pretium illi æquivalens: ergo quod datur alicui in debiti ſolutionem, debet in ſe priùs valorem pretii habere, & tunc datio illius pro debito eſt vera ſolutio, & compenſatio.

254 IV. Hic adhuc aliqua occurrunt notanda. I. Quòd Suffragium pro pluribus ſive vivis, ſive defunctis oblatum non habeat in ſingulis tantum valorem, quantum haberet, ſi pro uno ſolo offerretur. Ita Doctores Seraphicus, Angelicus, & Subtilis, & alii antiquiores, & Recentiores paſſim apud Maſtrium *Theologia Morali, diſputatione vigeſima quarta, numero* 60. Ratio eſt; quia fructus ſatisfactorius ſuffragii eſt finitus: ergo dividitur inter plures ſecundùm diverſas portiones, ita ut quilibet participans minùs accipiat, quo ſunt plures participantes. Deinde idem probat *Doctor noſter Subtilis* apud Maſtrium citatum ex hoc: quia ſi ſuffragia æquè prodeſſent multis, ac uni ſoli, ſequeretur, quemlibet Sacrificium facientem, vel orationes fundentem, aut eleemoſynas largientem, teneri applicare pro omnibus: alioquin contra Charitatem faceret: cùm uno, & eodem actu poſſet plures animas ſimul liberare, & earum pœnas minuere: ſed hoc eſt falſum: quia Eccleſia non ſolùm id non facit, ſed etiam omninò prohibet, ne quis pro pluribus miſſam applicet, quam pro uno applicare tenetur. II. Suffragia pro aliis oblata non proſunt offerenti quoad fructum ſatisfactorium, & impetratorium: quia opus bonum non habet fructum ſatisfactorium, aut impetratorium infinitum, ſed limitatum: adeòque ſi hic alteri applicetur, prodeſt illi, cui applicatur, non verè applicanti: & quidem tantum prodeſt illi, cui applicatur, quantùm prodeſſet applicanti, ſi ſibi ipſi applicaret. Maſtrius *citatus diſputatione vigeſima tertia, numero* 77. Quia verò fructus meritorius de condigno, alteri applicari non poteſt juxta ſupradicta: ideò hic ſemper remanet facienti opus bonum meritorium de condigno. III. Si ſubditus applicet ſatisfactiones ſuas contra applicationem Superioris, poterit peccare contra obedientiam, ſed prævalebit ſubditi applicatio; ut à pari docuit Pater Sporer *Theologia Sacramentali, parte ſecunda, capite quarto, numero* 289. *de Sacrificio Miſſæ*, docetque cum Durando, Suarez, & aliis *La Croix libro ſexto, parte ſecunda, numero* 1335. Actio enim talis cum omni ſuo fructu ſubeſt immediatè ſoli dominio operantis, cujus intentionem non poteſt ſupplere, aut mutare Superior.



### §. Ultimus.

*Communicatio bonorum Operum, & Suffragiorum facta aliis, per Filiantias, ſeu Litteras filiationis.*

I. EX prædictis conſequitur, validam, & licitam 255
eſſe praxim in Religionibus aliquibus conſuetam, per quam Litteræ filiationis, ſeu communicatoriæ bonorum operum, à Religionum Prælatis, quibuſdam perſonis, Ordini, ſeu Religioni benè affectis, ſpecialibuſque benefactoribus, & Patronis exhibentur, pro quibus intelligendis, notandum, quod docet Suarez, Corduba, Henriquez, Rodriguez apud Layman *libro quinto, tractatu ſeptimo, capite quarto, numero quinto*, per ejuſmodi generalem bonorum ſpiritualium communicationem, *directè, & immediatè* non applicari ſatisfactiones ſubditorum. Ratio eſt, quia cujuſque hominis, etiam Religioſi, opera bona, & fructus eorum, ſubjacent particulari dominio ipſius operantis: ergo non debent cenſeri bona communia, quæ à Prælato communitatis applicari poſſint, cui ipſe velit, nec obſtat, quod dicitur *in capite: Non dicatis. 12. quæſtione prima. Religioſos non tantùm propriis facultatibus, ſed etiam voluntatibus renuntiaſſe*: non enim ſenſus eſt: quòd ſicuti terrenarum ſubſtantiarum, ita etiam ſuorum liberorum actuum domini eſſe deſinant: ſed quòd per obedientiæ votum ita ſuam voluntatem Superioris imperio ſubjecerint, ut contra ejus juſtum imperium nihil licitè velle poſſint. Dictum eſt: *directè, & immediatè*; ſiquidem fructus ſatisfactionum adſcitis in communicationem bonorum operum Religionis, prodeſſe poteſt *mediatè*, interveniente videlicet ipſorum ſubditorum applicatione generali, vel ſpeciali, nam imprimis, ſi ſubditi ſua opera ſatisfactoria generatim applicent Religioni, vel omnibus ejus membris, participabunt etiam ii, qui per litteras filiationis, ſeu filiantias in Religionem, ab hujus Prælatis aſſumpti fuerint. Deinde ſi Prælatus ordinis juſtam ob cauſam præcipiat Religioſo, ut huic perſonæ in particulari opus ſatisfactionis applicet, ſubditus obedire debet, ita ut ſi contra juſtum ſui ſuperioris præceptum alteri applicet, peccet quidem, ſed applicatio ipſius operantis efficax ſit, non obſtante contraria applicatione Prælati; quippe quæ vim nullam habet, niſi interveniente voluntaria applicatione ipſius operantis, ſive generali, ſive ſpeciali, ſicut etiam docet Sotus, & Suarez apud *Layman cit. numer.* 6.

II. Fructus, qui aſſumptis in participationem meri- 256
torum alicujus Religionis provenit, præcipuè eſt per modum impetrationis, & meriti de congruo. Ita Adrianus, & Suarez apud Layman citatum. Poſſumus verò hoc loco diſtinguere duplicis impetrationis fructum, *directè, & indirectè*. *Directa impetratio* requirit intentionem & applicationem eorum, qui pro aliis orant, vel ad impetrandum alia opera bona de congruo meritoria exercent. Hæc autem intentio poteſt eſſe, vel ſpecialis, ut ſi Religioſi opera ſua, & orationes ſpecialiter DEO offerant pro perſonis ſuæ Congregationi conjunctis: tunc orationes hæ propter charitatis, & amicitiæ unionem, majorem vim habent ad impetrandum à DEO, quàm ſi fierent pro extraneis. Vel poteſt eſſe generalis tantùm intentio, ut ſi opera meritoria, & orationes inſtituantur univerſim pro Religione, & membris ejus: tunc participes eſſe poſſunt illi omnes, qui in communicationem meritorum de congruo aſſumpti fuerint. *Indirecta verò impetratio*, non requirit ullam intentionem, vel applicationem, ſed hoc ipſo, quòd in aliqua Religione bona opera juſtorum fiunt, valent apud Deum de congruo, ut eorum ratione, & intuitu propitius, & ſpeciali auxilio protegat illos, qui mem-

bra ſunt hujus Communitatis. Etenim ratio amicitiæ poſtulare videtur, ut Deus propter amicos ſuos, etiam aliis benefaciat: qui illis amicitia conjuncti ſunt.

257 III. Licèt verò Corduba, & Rodriquez apud *Layman citatum*, dicant, per ejuſmodi communicationem bonorum operum, ac meritorum factam aliquibus perſonis, ac ſi membra eſſent alicujus Religionis, nihil ipſis Religioſis decedere, hoc tantùm verum eſt, quatenus opera habeſit vim impetrandi à DEO indirectè: etenim, quo major eſt numerus juſtorum in aliqua congregatione eò magis inclinatur DEUS ad benefaciendum ſingulis. Sed aliter ſentiendum eſt, ſi loquamur de impetratione directa: quia orationes, quantò pro pluribus perſonis DEO offeruntur tantò minorem vim habent impetrandi ſingulis, id quod petitur *Layman citat.*

IV Denique poſſunt Generales, & Provinciales totius Ordinis Fratrum Minorum, communicare Suffragia, Orationes, bona Spiritualia, ac indulgentias Ordinis, benefactoribus Ordinis ex conceſſione Urbani Quinti per Bullam, ut jam ſupra dictum fuit. Ita Caſarubios. V. *Indulgentia quoad ſaculares 4. numer.* 4. quæ facultas non eſt revocata à Paulo Quinto: hodieque adhuc viget, teſtibus Lezana, apud *Gobat tractatu quarto, de Indulgentiis, parte prima, capite nono, numero* 110. *& Lantuſcam in Theatro Regularium. V. Bona Spiritualia, num.* 1. 258

*Finis Supplementi Theologiæ Sacramentalis.*

# ACCESSIT APPENDIX DUPLEX. CENTIFOLIA ET ALPHABETICA.

## *PRÆFATIO.*

CUm Theologiæ Moralis fundamentum, & baſis ſit Theologia Polemica, & Scholaſtica, ac Definitiones Summorum Pontificum; ideò placuit Theologiæ Morali ſubnectere duas Appendices, *Centifoliam*, & *Alphabeticam*; *Centifoliam* quidem, hoc eſt, *Centum Aſſertiones ex Theologia Scholaſtica*, & *Polemica ſelectas, breviter probatas, & ab objectionibus defenſas*, ut Theologus Moralis in caſu occurrente, data occaſione ſciat ſaltem aliquid Scholaſticè, & Polemicè diſcurrere, & non planè obmuteſcat. *Alphabeticam verò Appendicem, continentem Bullas, & Conſtitutiones Pontificum per extenſum poſitas*, & in noſtris Supplementis Theologiæ Moralis hinc inde citatas; quia plus movet animum tota aliqua Bulla per extenſum poſita, & lecta, quàm aliqua tantùm verba ex eadem citata, atque magis intellectum illuminat, ac confirmat Decretum aliquod Pontificium in terminis formalibus ex integro perlectum, quàm ſi tantùm aliquas lineas ex eodem depromptas perceperit. Tu, bone Lector, interim fruere, & vale, & pro me ora.

## APPENDIX CENTIFOLIA, SEU CENTUM ASSERTIONES *SELECTÆ* EX UNIVERSA THEOLOGIA.

*Ex I. Libro Sententiarum de DEO Uno, & Trino, ac Beatitudine.*

### ASSERTIO I.

E*Xiſtentia DEI à poſteriori demonſtrari poteſt.* Communiſſima contra Atheos. Probatur I. Demonſtratione in prima figura in tertio modo perfecto ſcilicet *Darii.* Omnis ille, qui omnes res contingentes determinavit ad exiſtendum, & tamen à nulla re contingenti determinatur ad exiſtendum, eſt DEUS; atqui aliquis exiſtens eſt, qui omnes res contingentes determinavit ad exiſtendum (quia res contingens ab alio determinari debet ad exiſtendum, cùm ex ſe ſit indifferens ad exiſtendum, & non exiſtendum) & qui à nulla re contingenti eſt determinatus ad exiſtendum (quia nihil poteſt determinare ad exiſtendum id, à quo fuit ipſum determinatum ad exiſtendum) ergo aliquis exiſtens eſt DEUS. II. Omnis qui poteſt producere creaturas, ſi nulla de facto exiſteret, eſt DEUS; atqui exiſtens eſt aliquis, qui poteſt creaturas producere, ſi nulla de facto exiſteret, cùm adhuc forent producibiles: ergo exiſtens eſt DEUS. III. Ens optimum eſt exiſtens, ſi enim non exiſteret, non foret optimum; atqui DEUS eſt ens optimum: ergo DEUS eſt exiſtens.

*Objicitur I.* Inter Objectum demonſtrandum, & potentiam cognoſcentem debet eſſe proportio: ſed inter DEUM, & intellectum noſtrum nulla eſt proportio: *quia finiti ad infinitum nulla eſt proportio*: ergo R.D. Debet eſſe aliqua proportio in cognoſcendo C. in eſſendo N. II. DEUS nequit demonſtrari ex creaturis contingentibus. R. D. quà contingentes ſunt. C. quà neceſſariæ ſunt ex ſuppoſitione, quòd exiſtant. N. III. Non datur creatura perfectiſſima: ergo nec ens optimum. R. N. Conſ. diſparitas eſt; quia creatura perfectiſſima implicat in terminis contradictionem; non ſic ens optimum. IV. Si daretur calor infinitus, præter illum non daretur alius calor, & nullum comparеretur frigus: ergo etiam ſi daretur ens optimum, & infinitum, præter illud non daretur aliud ens, & nullum compareretur malum. R. N. conſ. diſparitas eſt; quia calor infinitus formaliter contineret omnes calores, & naturaliter ageret, non ſic eſt in DEO.

### ASSERTIO II.

R*Atio ultimò conſtitutiva, & diſtinctiva eſſentia Divina eſt ipſius exiſtentia eſſentialis.* Ita docet Doctor Subtilis Joannes Duns Scotus in 1. *diſt.* 1. *q.* 2. & Scotiſtæ communiter contra Thomiſtas, & Recentiores.

*Probatur. Exod.* 3. DEUS ſeipſum definiens ait: *Ego ſum, qui ſum.* Ratio eſt; quia ſola eſſentialis exiſtentia primo diſtinguit Eſſentiam Divinam ab omni alio, ipſaque eſt radix omnium perfectionum Divinarum. Cur enim DEUS eſt infinitus, à ſe, æternus, immutabilis &c. niſi quia eſt eſſentialiter exiſtens? ergo.

*Objicitur I.* DEUS in ratione exiſtentiæ convenit cum omnibus aliis rebus exiſtentibus. R. D. DEUS convenit cum omnibus aliis rebus in ratione exiſtentiæ eſſentialis, à qua omnia profluunt. N. in ratione exiſtentiæ ut ſic C. II. infinitas diſtinguit ab omni alio. R. D. diſtinctione quidditativa, & primaria N. ſecundaria C. III. Vita eſt de eſſentia DEI. R. D. vita radicalis C. formalis N. IV. exiſtentia non eſt de eſſentia creaturæ: ergo nec de eſſentia DEI. R. N. Conſ. diſparitas eſt; quia creatura eſt indifferens ad exiſtendum, non ſic DEUS.

### ASSERTIO III.

I*Nter eſſentiam Divinam, & attributa Divina datur diſtinctio Scotiſtica.* Scotus 1 *d.* 2. *q.* 7. & Scotiſtæ contra Thomiſtas, & Recentiores.

*Probatur.* A parte rei, independenter à noſtris conceptibus, actualiter, formaliter, *DEUS eſt Trinus in Perſonis, Pater non eſt Trinus.* Eſſentia Divina eſt una in Tribus Sanctiſſimis Perſonis, Relatio verò Perſonalis non eſt una, *ex* 1. *Joan.* 5. Pater generat, eſſentia non generat, *ex Concil. Lateranenſi:* eſſentia eſt communicabilis Filio, non Paternitas, *ex Concil. Flor.* Verbum Divinum caro factum eſt, non eſſeotia, *ex Concil. Tolet.* Filius procedit per intellectom, non immediatè per eſſentiam: Spiritus Sanctus procedit per voluntatem, non per intellectum: ergo Scotiſticè diſtinguuntur.

*Objicitur I.* Concilia, & SS. Patres aſſerunt eſſentiam, & attributa differre ſola ratione. R. Per Diſtinctionem rationis intelligunt illam, quæ non eſt realis II. Damnata eſt Sententia Gilberti diſtinguentis eſſentiam Divinam ab attributis. R. Quia diſtinxit realiter, ut teſtantur DD. Seraphicus, Angelicus, & eximius Suarez. III. Eſſentia Divina foret in potentia ad attributa. R. D. in potentia paſſiva N. emanativa C. IV. Eſſentia Divina perficeretur ab attributis. R. D. per informationem N. per identitatem perfectam. C.

### ASSERTIO IV.

I*Mmutabilitas Divina excludit à DEO receptionem relationis realiter diſtinctæ*. Communiſſima Theologorum.

*Probatur. Malachiæ 3. Ego DEUS, & non mutor. S. Auguſt. l. 1. de Trinit. cap. 5. nullam habere mutabilitatem ſolius eſt creatoris*. Ratio eſt: quia receptio relationis realis dicit potentialitatem, compoſitionem, & imperfectionem; atqui hæc Deo repugnant: ergo.

*Objicitur I.* DEUS dicitur de novo creator. R. D. per relationem realem in ſe receptam. N. per terminationem dependentiæ creaturæ ad ipſum. C. II. Per dependentiam creaturæ ad DEUM creatura dicitur creata: ergo per ejuſdem terminationem DEUS nequit dici creator. R. D. conſ. intrinſecè C. extrinſecè N. conſ. III. Verbum Divinum intrinſecè dicitur homo, & unitum humanitati. R. D. quaſi in ſe reciperet humanitatem, vel unionem hypoſtaticam. N. quia Perſonalitas Verbi Perſonat Naturam humanam. C. IV. Relatio producentis, & producti eſt mutua: ergo DEUS per relationem in ſe receptam debet dici creator. R. D. ant. in creatis C. ant. in Divinis N. ant. cum conſ. V. DEUS Gen. 6. dixit *pœnitet me feciſſe eos;* ſcilicet homines: ergo contigit mutatio. R. D. conſ. effectu producto C. in affectu producentis N. conſ.

### ASSERTIO V.

R*Es temporales non coextiterunt phyſicè æternitati DEI. Scotus* 1. d. 39. *q. un.* SS. ac RR. contra Thomiſtas.

*Probatur*. Implicat aliquid coexiſtere alteri phyſicè, quod in ſe phyſicè non exiſtit, quia coexiſtere phyſicè dicit relationem realem, quæ exigit extrema phyſicè exiſtentia; atqui res temporales ab æterno phyſicè non extiterunt in ſe; ergo nec phyſicè coextiterunt æternitati DEI; ſicut loca de facto exiſtentia non fuerunt ab æterno phyſicè præſentia immenſitati DEI.

*Objicitur I.* Sacra Scriptura, & Sancti Patres docent omnia in æternitate eſſe DEO præſentia. R. D. Objectivè C. phyſicè N. II. Æternitas DEI continet omne tempus. R. D. continentia formali, & actuali N. eminentiali, & virtuali C. III. Res temporales coexiſtunt toti æternitati. R. D. & totaliter N. Secùs C. IV. Æternitas eſt indiviſibilis, & tota ſimul, nullas habens partes R. D. Nullas habens partes formaliter, & entitativè C. eminentialiter, & virtualiter N. V. DEUS ab æterno non cognoſceret creaturas exiſtentes: ergo non cognoſceret eas intuitivè. R. N. conſ. quia cognoſceret eas in ſua eſſentia, qua eas perfectiſſimè continet in *eſſe*, in *cauſare*, & in *cognoſci*.

### ASSERTIO VI.

I*Deæ Divinæ ſunt ipſæmet creaturæ à DEO præconceptæ ut factibiles. Scotus* 1. d. 35. & Scotiſtæ contra Thomiſtas.

*Probatur*. Idea eſt illud exemplar, ad quod artifex aſpicit, ut ad ejus ſimilitudinem faciat opus externum, & cui artifex comparat artefactum, & quod ab eſſe objectivo in mente artificis, tranſit per hujus operationem, ad eſſe exiſtentiale ad extra; atqui hæc non conveniunt eſſentiæ Divinæ, nec intellectioni Divinæ, ut patet, ſed ſolis creaturis à DEO præconceptis ut factibilibus: ergo hæ, & non eſſentia Divina, vel intellectio Divina erunt Ideæ Divinæ.

*Objicitur I.* Ideæ Divinæ ſunt in mente Divina. R. D. objectivè C. formaliter N. II. Ubi ergo ſunt formaliter? R. formaliter nondum exiſtunt, ſed ſunt poſſibiles. III. Ideæ ſunt DEO conſubſtantiales; quales non ſunt creaturæ. R. D. ſunt conſubſtantiales ut ſunt in ſeipſis N. ut ſunt in mente Divina C. IV. Inter creaturas factibiles, & factas non eſt ſimilitudo. R. D. imitationis C. univocationis N. V. Idea eſt cauſa ideati. R. D. in DEO N. in creaturis ſubd. eſt phyſica N. moralis C.

### ASSERTIO VII.

D*EUS novit futura libera abſoluta in ſua eſſentia, ſuppoſito ſuo libero Decreto de eorum futuritione. Scotus* 1. *d.* 39. *cum ſuis*.

*Probatur. Eph. 1. DEUS operatur omnia ſecundùm Conſilium voluntatis ſuæ. S. Auguſt. in Enchir. c. 95. Divinum decretum eſt principium eſſendi omnium futurorum contingentium*. Ratio eſt; quia nulla creatura poteſt produci, niſi dependenter ab actuali concurſu DEI: ergo nec eſſe actu futura, niſi dependenter ab actuali decreto Divino.

*Objicitur I.* Si DEUS certò præſciat noſtros actus liberos futuros: ergo ſunt neceſſariò futuri. R. D. ſeq. neceſſitate abſoluta, & antecedente N ſeq. hypothetica, & conſequenter C. ſeq. II. Decretum DEI præcedit noſtros actus liberos in tempore factos, eſtque immutabile: ergo noſtri actus liberi ſunt futuri neceſſariò neceſſitate abſoluta. R. D. ant. Præcedit æternitate C. ant. præcedit determinationem futuram noſtræ voluntatis ad eos. N. ant. quia hanc concomitatur, & N. conſeq. *Non enim antecedit voluntates noſtras, ne lædat arbitrium noſtrum*, ait *S. Chryſoſtomus hom.* 12. *in ep. ad Hebr.*

### ASSERTIO VIII.

D*Ictum Decretum non eſt phyſicè prædeterminans. Scotus* 2. *d.* 37. *q.* 2. SS. & RR. contra Thomiſtas.

*Probatur*. Decretum prædeterminans non eſt in poteſtate voluntatis creatæ, eamdemque in determinando præcedit, & infert neceſſariò actum futurum à creata voluntate, cùm per dictum decretum, tamquàm *medium à quo ſciat* DEUS noſtros actus futuros; atqui ſcientia eſt cognitio evidens per medium habens neceſſariam connexionem cum objecto cognito; ergo Decretum prædeterminans tollit libertatem voluntatis creatæ, adeoque non datur.

*Objicitur I.* Cauſa ſecunda non agit niſi ut mota à prima. R. D. motione prædeterminante N. concomitante C. II. Cauſa prima priùs agit, quàm voluntas creata. R. D. Prioritate dignitatis, & *à quo* C. prioritate naturæ, & *in quo* N. III. DEUS cauſat determinationem voluntatis creatæ. R. D. ſimul cum voluntate creata C. ſecùs N. IV. Cauſa eſt prior effectu: ergo Decretum DEI eſt prius noſtra determinatione, quia illud eſt cauſa hujus. R. D. eſt cauſa noſtræ determinationis formalis C. Fundamentalis N. V. Cauſa ſecunda dependet à prima etiam in operando. R. D. hoc eſt, actio creaturæ dependet à DEO ut effectus, & ſimul à creatura ut actio. C. ſecùs N.

### ASSERTIO IX.

D*Ictum Decretum eſt concomitans voluntatem creatam in determinando. Scotus* 3. *d.* 17. *q. un.* & Scotiſtæ contra Thomiſtas, & RR.

*Probatur*. Dictum Decretum non eſt antecedens in determinando voluntatem creatam, ut modò dictum: nec eſt ſubſequens, cùm ſicut voluntas creata nequit operari in tempore ſine concomitante concurſu DEI, ſic nequit etiam eſſe ſe ab æterno determinatura ſine concomitante Decreto Divino: ergo erit concomitans, coincidendo in eamdem prorsùs determinationem cum voluntate creata, ac ſi ab æterno coexiſteret DEO; cùm voluntas Divina in genere cauſæ volitivæ eminenter contineat creatam.

*Objicitur I.* Nihil volitum, quin præcognitum; atqui DEUS vult determinationem voluntatis creatæ futuram: ergo eam jam ante ſuum decretum debet præcognoſcere. R. D. min. futuram ſpecificativè C. reduplicativè N. quia per ſuum decretum cum voluntate creata, eam modò facit futuram. II. Ideo DEUS vult, quia ego voliturus ſum. R. D. ut ly *quia* ſit nota cauſalitatis N. concomitantiæ voluntatis Divinæ cum creata C.

### ASSERTIO X.

N*On datur in DEO Scientia Media*. Ita Schola Angelica, & Subtilis contra RR.

*Probatur*. Scientia Media eſt, qua DEUS antecedenter ad omne decretum ſuæ voluntatis, in ipſa determinata veritate objectiva futurorum contingentium in ſeipſis, videt certò, quid quælibet cauſa libera eſſet actura, ſi poneretur in his circumſtantiis cum his auxiliis; atqui DEUS nullum futurum conditionatum videt ante ſuum decretum: ergo. Probatur min. futura libera conditionata non ſunt à ſeipſis futura, aliàs eſſent naturaliter futura: ergo à cauſa ſecunda extrinſeca: atqui hæc actu operari nequit ſine prima ſecum cooperante, ergo etiam nequit intelligi operatura ſine actuali decreto, quo velit ei cooperari.

*Objicitur I.* Decretum Divinum eſt ponendum, ſi conditio talis futuri conditionati poneretur: v. g. DEUS dicit, ego volo creare Petrum, & ponere in his circumſtantiis cum hac gratia, & offero ipſi meum concurſum paratum, & ſi voluero, tunc eliciturus eſt amorem. R. Contra eſt 1. effectus in actu ſupponit cauſam actualiter poſitam; atqui futurum conditionatum in eſſe talis eſt effectus in actu, id eſt, eſt actualiter conditionatè futurum, & non poſſibiliter tantùm: ergo requirit decretum Divinum actu poſitum. 2. DEUS habet decretum actuale ſalvandi omnes homines; atqui hoc decretum in reprobis eſt circa objectum conditionatè futurum: ergo DEUS habet actuale Decretum. 3. Stantibus his omnibus, poteſt etiam DEUS dicere: *Si non voluero, non eſt eliciturus amorem:* ergo amor non eſt magis conditionatè futu-

tu-

Digitized by Google

turus, quàm non futurus. 4. Si apud Tyrios fuiſſent facta miracula, certum eſt, quod eliciturì fuiſſent pœnitentiam, & Deus hanc voliturus fuiſſet. In quo autem Deus hoc ſciviſſet? 5. Futurum liberum conditionatum dicit duo, ſcilicet cooperationem noſtram futuram, & decretum Dei ponendum, in quo autem hæc duo videntur, niſi in decreto actuali?

II. Ante decretum Dei inter duas propoſitiones contradictorias de futuro contingenti v. gr. Petrus amabit Chriſtum, Petrus non amabit Chriſtum, una debet eſſe vera, & altera falſa: ergo ante decretum divinum datur veritas objectiva rerum, & propoſitionum; adeoque in ea poterit Deus videre futura libera ante ſuum decretum. R. n. ſuppoſitum antecedentis; quòd ante decretum Dei poſſint formari propoſitiones *de futuro contingenti*, quia ante decretum Dei nihil eſt futurum: cùm per decretum fiant modò futura: Quare ante decretum Dei omnes propoſitiones ſunt in materia neceſſaria, adeoque illa: *Petrus amabit Chriſtum*, eſt neceſſariò falſa. Quando verò Scotus dixit: Propoſitiones de futuro contingenti ante decretum eſſe *neutras* voluit, quòd ante decretum Dei non dentur propoſitiones de futuro contingenti, & conſequenter nec ſint veræ, nec falſæ. Ita Maſtrius *diſp. 9. Logica, qu. 1. art. 2. num. 19. & 20.*

## ASSERTIO XI.

O*Mnipotentia Divina eſt ipſa voluntas Divina volitioni Divina efficaci ſubordinata. Scotus quæſt. 4. Prologi*, Scotiſtæ, & Recentiores.

*Probatur. I. Pſalmo 13. Omnia quæcunque voluit, fecit. S. Auguſtinus lib. de ſpeculo, c. 7. de Deo inquit: Qui omnia, quæ ex nihilo creaſti, ſola voluntate feciſti.* II. Voluntas eſt potentia proxima ſpirandi ad intra: ergo etiam erit potentia proxima producendi ad extra. III. Quia intellectus divinus eſt infinitus in genere potentiæ cognoſcitivæ, non compatitur ſecum aliam potentiam cognoſcitivam ad extra; ergo, cùm voluntas divina ſit etiam infinita in genere potentiæ volitivæ, & activæ, non compatietur ſecum aliam potentiam activam ad extra.

*Objicitur I.* Eſſentia Divina continet virtualiter, & eminenter omne factibile: ergo eſt potens facere omne factibile. R. d. c. radicaliter, & remotè c. immediatè, & proximè neg. II. Voluntas divina eſt potentia productiva ad intra, omnipotentia verò eſt potentia productiva ad extra; ergo ab invicem diſtinguuntur. R. d. c. quoad principale ſignificatum n. quoad connotatum c. conſ. III. Ergo etiam volitio divina erit omnipotentia. R. n. quia hæc convenit Deo naturaliter, illa liberè.

## ASSERTIO XII.

D*Eus habet veram, & ſincerum voluntatem ſalvandi omnes homines*. Ita Sacra Scriptura, Sancti Patres, & Theologi. *Probatur I. Timoth. 2. Deus vult omnes homines ſalvos fieri. S. Leo ſerm. 11. de Paſſione Domini. Pro omnibus impiis mortuo Domino, etiam Judas in eo potuiſſet conſequi remedium, ſi non feſtinaſſet ad laqueum.* Ratio eſt, quia ideò, ut ſalvaret, Deus creavit homines, pro iiſdem dedit ſuum Unigenitum filium, pro iiſdem creavit Cœlum, & terram, inſtituit Sacramenta, confert omnibus gratias actuales, & omnia media ad ſalutem neceſſaria: ergo verè, & ſincerè vult ſalutem omnium.

*Objicitur I.* Deus in Sacra Scriptura dicitur aliquos deſerere, deſpicere, excæcare, obdurare. R. d. non dando omnibus gratiam ſufficientem, N. efficacem c. II. Si Deus efficaciter vult omnes homines ſalvos fieri, cur non dat omnibus talem gratiam? Reſp. Quare illi homines, quibus Deus dat gratiam ſufficientem ad conſequendam beatitudinem non cooperantur huic gratiæ? III. Cur tot parvuli cœlum non intrant ex defectu baptiſmi, & tot gentiles ex defectu veræ fidei pereunt? R. Deus parvulis providit de baptiſmo, ad quem de lege ordinaria pervenire poſſunt: ſi non perveniant, eſt per accidens. Gentiles accipiunt gratiam ad ſervandam legem naturalem, qua obſervata Deus ipſos illuminabit ad fidem veram.

## ASSERTIO XIII.

P*Rædeſtinatio efficax electorum ad gloriam facta eſt ex prævifis eorum meritis.* Ita Vaſquez, Leſſius, Becanus, Amicus, Molina, &c. ex noſtris Faber, Pontius, Cavellus, Fraſſen, Boyvin, &c. contra plurimos Thomiſtas, & Scotiſtas.

*Probatur I.* Ex Sacra Scriptura *Matth. 25. Venite Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi; eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare &c. item* vita æterna dicitur *Merces Matth. 5. Bravium 1. Corinth. 9. corona juſtitiæ 2.* Timoth. 4. *II. Ex S. Ambroſio l. 5. de fide c. 3. in c. 20. Matth. Deus perſonarum acceptor non eſt: unde Apoſtolus ait: Quos præſcivit, & prædeſtinavit, non enim ante prædeſtinavit, quam præſciret, ſed quorum merita præſcivit, eorum præmia prædeſtinavit. III. Ratione.* Si electi fuiſſent ſine meritis prædeſtinati ad gloriam, tunc præſciti ante præviſa demerita fuiſſent negativè reprobati: Sequela nequit admitti: ergo. Major eſt adverſariorum: minor probatur. Si præſciti ante præviſa demerita fuiſſent negativè reprobati, ſequeretur, quod neceſſariò ſint damnandi, conſequens non admittitur: ergo nec antecedens. Probatur ſequela majoris: Illi neceſſario damnantur, qui non poſſunt facere, ut prædeſtinentur ad gloriam: quia in cujus poteſtate non eſt medium: in ejus poteſtate etiam non eſt finis: atqui præſciti non poſſunt facere, ut prædeſtinentur ad gloriam, quia hoc non poſſent facere per ſua merita, cùm prædeſtinatio ſecundùm Adverſarios non fiat dependenter à meritis: ergo neceſſariò damnantur. IV. Admiſſa prædeſtinatione efficaci ad gloriam ante præviſa merita, gignitur in electis ſocordia, & in reprobis deſperatio: nam quilibet cum Calvino ſic poſſet argumentari: *vel ſum prædeſtinatus, vel non ſum? ſi ſum prædeſtinatus, infallibiliter ſalvabor, quidquid egero: quid igitur opus magno labore, & ſtudio? ſi non ſum prædeſtinatus, infallibiliter damnabor, quidquid egero: ad quid ergo bona opera?*

*Objicitur I. Eph. 1. Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu ejus in charitate &c.* ergo. Reſpondetur, Apoſtolum loqui de electione ad gratiam gratuita per excluſionem operum elicitorum viribus naturæ; quod exinde patet, quia alloquitur omnes Epheſios, qui tamen non omnes erant prædeſtinati. *II. S. Auguſt. l. de fide ad Petrum c. 3. Illi cum Chriſto regnabunt, quos Deus gratuita ſua bonitate prædeſtinavit ad Regnum.* Reſp. quòd S. Auguſtinus velit, Deum nos ſine meritis ſolius liberi arbitrii prædeſtinaſſe, non tamen ſine meritis fundatis in gratia. III. Omnis ordinatè volens priùs vult finem, quàm media: atqui Deus eſt ordinatiſſimè volens: ergo priùs vult finem ſcil. gloriam, quàm media ſcilicet merita. R. diſt. maj. omnis ordinatè volens finem ſibi, vel alteri abſque dependentia à libera cooperatione alterius, priùs vult finem, quàm media c. m. omnis ordinatè volens finem alteri ſub formali ratione præmii per liberam ejus cooperationem aſſequendi, priùs vult finem, quàm media, ſubdi efficaciter, & abſolute tamquàm cauſa, quæ ſe ſola ſit adæquata reſpectu intentionis finis, & electionis mediorum efficacium n. m. inefficaciter, & inadæquate alterius cauſalitatem ſupponendo conc. maj. & conceſſa minori, ſimiliter diſt. conſ. IV. Deus ad gratiam finalem prædeſtinat ſine meritis de condigno: ergo etiam ad gloriam. R. n. c. diſparitas eſt, quia Deus decernit dare gratiam finalem, non tamquàm præmium ſed tamquàm puram gratiam: at gloriam decrevit conferre tamquàm præmium. V. Chriſtus eſt exemplar noſtræ prædeſtinationis, ſed Chriſtus fuit prædeſtinatus ante præviſa merita: ergo etiam nos. Reſp. diſt. maj. Chriſtus eſt exemplar noſtræ prædeſtinationis ad gratiam conc. maj. ad gloriam neg. maj. quia aliàs nobis in executione etiam daretur gloria ſine meritis, ſicut Chriſto, quod nullus admittit. Nihilominùs etiam eſt communis ſequens

## ASSERTIO XIV.

P*Rædeſtinatio ad gloriam ordine intentionis facta eſt ante præviſa merita, ordine tamen executionis præſupponit merita.* Ita Doctores Seraphicus, Angelicus, & Subtilis, Suarez, Bellarminus, Arriaga, & plurimi alii contra multos.

Probatur *I. Eph. 1. Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti, & immaculati. II. S. Auguſt. l. de fide ad Petr. c. 3. Illi cum Chriſto regnabunt, quos Deus gratuita ſua bonitate prædeſtinavit ad regnum. Conc. Valent. ſub Benedicto XIII. c. 3. Fidenter fatemur, in prælectione Electorum ad vitam, miſericordiam præcedere meritum bonum. III. ratione Scoti:* Omnis ordinatè volens, priùs vult finem, quàm media, quia finis eſt cauſa mediorum: atqui Deus eſt ordinatiſſimè volens: ergo priùs vult finem, ſcilicet gloriam, quàm media, ſcilicet merita. IV. DEUS, ſine meritis aliquos prædeſtinat ad gratiam finalem efficacem, etiam ſecundùm Adverſarios: ergo etiam ſine meritis eoſdem prædeſtinat ad gloriam: cùm ad prædeſtinationem ad gratiam finalem, infallibiliter ſequatur prædeſtinatio ad gloriam. Denique myſterium prædeſtinationis non eſſet inſerutabile, quia poſſet dari ratio, cur ſanctus Petrus fuerit prædeſtinatus, & non Judas: quia videlicet DEUS,

prævidit merita Petri, & non Judæ: ergo ut hoc myſterium ſit inſcrutabile, debet dici, quòd prædeſtinatio facta fuerit ante præviſa merita.

*Objicitur* I. S. Scriptura, & Sancti Patres dicunt propter merita decerni gloriam electis. Reſp. diſt. ordine intentionis nego, executionis in, & externæ concedo. II. Decretum intentivum ſe ſolo eſt efficax. Reſp. diſting. radicaliter concedo, proximè nego. III. Vi Decreti intentivi datur gloria gratis. Reſpondeo, diſtinguo ex parte actus concedo, ex parte objecti nego. IV. Prædeſtinatio ante merita eſt ſuppoſitio voluntatem creatam antecedens. Reſpondeo, diſtinguo. Duratione concedo cauſalitate, ponendo in voluntate creata aliquid neceſſitas eandem ad ſuos actus, nego. V. Hæc ſententia gignit in electis ſocordiam, & reprobis deſperationem: nam quilibet cum Calvino ſic poſſet argumentari: *Vel ſum prædeſtinatus, vel non ſum? ſi ſum prædeſtinatus, infallibiliter ſalvabor, quidquid egero: quid igitur opus magno labore, & ſtudio? ſi non ſum prædeſtinatus, infallibiliter damnabor, quidquid egero: ad quid ergo bona opera?* Reſp. nego ſequelam. Quia Deus, quos prædeſtinavit ex parte actus liberaliter, in ſuo Decreto intentivo implicitè, & virtualiter ex parte objecti, & in Decreto executivo formaliter, & explicitè etiam voluit, ut per bona opera merentur gloriam.

## A S S E R T I O XV.

R*Eprobatio poſitiva facta eſt propter præviſa demerita.* Communiſſima Theologorum.

*Probatur. Oſeæ 13. Perditio tua ex te Iſrael. Concilium Valentinum ſub Benedicto XIII. cap. 3. ait, in damnatione periturorum meritum malum præcedere juſtum Dei judicium.* Ratio eſt quia damnare aliquem ſine præviſis demeritis foret contra ſummam Dei Bonitatem, nec Chriſtus pro omnium ſalute mori potuiſſet; ergo.

*Objicitur* I. *Roman. 9.* dicitur; *cùm nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni, aut mali egiſſent, Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Reſpondeo S. Paulum loqui de reprobatione negativa, quæ eſt odium, non poſitivè, ſed negativè, ſeu minor dilectio, ſicut *Geneſ. 29.* dicitur; *Videns Dominus, quòd odio haberetur Lia*, hoc eſt minùs diligeretur, quàm Rachael. II. DEUS eſt ſupremus Dominus creaturarum, & beatitudo ſupernaturalis non eſt debita homini: ergo Deus poteſt hominem ſine peccatis reprobare. Reſpondeo diſtinguo conſequentiam, poſitivè nego, negativè concedo conſequentiam. III. Deus poteſt hominem annihilare ſine culpa: ergo etiam damnare ſine culpa. Reſp. nego conſeq. quia in annihilatione nihil eſt de crudelitate, ſicut eſt in damnatione hominis ſine culpa.

## A S S E R T I O XVI.

P*Roceſſiones Divinæ non ſunt intellectio, & volitio eſſentialis, ſed actus notionales ſcilicet Dictio Verbi, & ſpiratio activa Spiritus Sancti. Scotus 1. diſt. 28. qu. 3.* cum ſuis contra Thomiſtas.

*Probatur.* Actio generativa Filii eſt merè relativa, & propria ſoli Patri: actio ſpirativa Spiritus ſancti eſt merè relativa, & propria ſoli Patri, & Filio: atqui intellectio, & volitio eſſentialis non ſunt relativæ, ſed abſolutæ, & communes omnibus tribus Sanctiſſimis perſonis; ergo intellectio eſſentialis non eſt actio generativa Filii, ſed *Dictio*, & volitio eſſentialis non eſt actio productiva Spiritus ſancti, ſed *ſpiratio activa*.

*Objicitur* I. Dictio eſt intellectio. Reſpondeo, diſtinguo, formaliter nego, radicaliter concedo. II. Intellectus habet tantùm unicum actum. Reſpondeo, diſtinguo, operativum concedo: ita ut præter illum non poſſit habere alium productivum nego. III. In creatis intellectio eſt verbum mentis: ergo etiam in Divinis intellectio erit verbum Divinum. Reſpondeo, nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia intellectio in creatis producitur à memoria fœcunda, & ab hac realiter diſtinguitur, non ſic eſt in Divinis. IV. Intellectus Divinus, ut eſt in Patre, eſt Principium Filii: ergo intellectio ut in Patre, eſt productio Filii. Reſpondeo, nego conſequentiam, quia intellectio non eſt relativa, intellectus verò in Patre eſt fœcundus.

## A S S E R T I O XVII.

P*Erſonæ Divinæ formaliter conſtituuntur, & diſtinguuntur per proprietates perſonales relativas. Scotus 1. diſt. 26.* & Scotiſtæ contra Thomiſtas.

*Probatur*, *ex cap. firmiter de Summa Trinitate* dicente. *Hæc Sancta Trinitas ſecundùm communem eſſentiam individua, & ſecundùm perſonales proprietates eſt diſcreta.* Ratio eſt, quia in Divinis omnia abſoluta ſunt communia tribus Sanctiſſimis Perſonis; ergo Perſonæ Divinæ debent diſtingui per proprietates perſonales relativas, quia hæ non ſunt abſolutæ, nec communes.

*Objicitur* I. Quod refertur per relationem, eſt prius illa: atqui Pater refertur ad Filium per paternitatem; ergo eſt prior paternitate, adeoque per eandem non conſtituitur. Reſp. diſt. maj. in creatis Conc. Maj. in Divinis Neg. Maj. Diſparitas eſt, quia relatio in creatis eſt accidens inhærens fundamento, nec conſtituit Perſonam, in Divinis autem relatio Paternitatis eſt ſubſtantialis, conſtituens cum eſſentia Divina Perſonam Patris, adeoque hac nequit eſſe poſterior. II. Relationes Divinæ ſunt reales: ergo ſupponunt extrema conſtituta realiter diſtincta. Reſp. diſting. conſeq. niſi ipſæmet conſtituerent Perſonas, & facerent realiter diſtinctas Conc. Conſ. ſecùs Neg. conſequentiam. III Relatio non terminatur ad ſuam correlationem, ſed ad abſolutum; ergo paternitas nequit terminari ad filiationem, ſed ad abſolutum Filii, & conſequenter filius conſtituetur in eſſe Perſonæ per aliquid abſolutum. Reſp. diſt. anteced. in creatis Conc. in Divinis Neg. diſparitas eſt, quia in creatis relationes ſunt accidentia, & terminus relationis v.g. *homo genitus*, eſt natura prior paternitate & filiatione: in Divinis autem relationes ſunt ſubſtantiales, & ſubſiſtentiæ, ubi terminus, v.g. *Filius Divinus*, non eſt natura prior filiatione, ſed per eam conſtituitur in eſſe Perſonæ, & Filii.

## A S S E R T I O XVIII.

P*Rater paternitatem, filiationem, & ſpirationem paſſivam in Sanctiſſima Trinitate datur etiam ſpiratio activa. Scotus 1. d. 2. q. 7.* cum communiſſima Theologorum.

*Probatur* I. *Conc. Lugd. c. fideli, de Summa Trinitate in 6.* definit, quòd *Spiritus ſanctus ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus Principiis, ſed tanquam ex uno principio, non duabus ſpirationibus, ſed una ſpiratione procedat.* II. Generatio paſſiva, in filio coexigit generationem activam in Patre, ergo etiam ſpiratio paſſiva in Spiritu Sancto coexigit ſpirationem activam in Patre, & Filio.

*Objicitur* I. Sancti Patres non faciunt mentionem de ſpiratione activa. Reſp. diſt. explicitam T. implicitam N. II. Si daretur quarta relatio originalis in Divinis, darentur etiam quatuor Perſonæ. Reſp. diſt. ſi quarta relatio conſtitueret Perſonam Conc. ſecùs N. ſpiratio enim activa, cùm ſupponat Patrem, & Filium, in ratione perſonarum conſtitutos: hinc nequit conſtituere perſonam diſtinctam à Patre, & Filio: quia ſpiratio activa non eſt relatio oppoſita paternitati, & filiationi, ideòque eis identificatur.

## A S S E R T I O XIX.

R*Elationes originis formaliter non dicunt perfectionem ſimpliciter ſimplicem, Scotus quodlibeto 5.* & Scotiſtæ communiter contra recentiores.

*Probatur.* Si v. g. *Paternitas* eſſet perfectio ſimpliciter ſimplex, eſſet in Patre formaliter perfectio infinita, quæ formaliter non foret in Filio, & è contrà: Item plus perfectionis eſſet formaliter in tribus ſanctiſſimis perſonis, quàm in una, contra *S. Auguſt. 7. Trinit. 7. dicentem: in Summa Trinitate tantum eſt una, quantum tres ſimul.* Item v g. *Pater* non foret infinitus, quia ſibi non identificaret omnem perfectionem: videlicet *filiationem &c.* Item paternitas eſſet melior filiatione, cùm perfectio ſimpliciter ſimplex ex *S. Anſelmo Mon. c. 15. ſit melior ipſa, quàm non ipſa.* Atqui: ergo.

*Objicitur* I. Concilia, & Sancti Patres aſſerunt relationes originis, eſſe ſubſiſtentias perfectiſſimas. Reſpond. diſt. realiter Conc. formaliter Neg. II. Relationes originis, formaliter ſunt incomprehenſibiles. Reſp. diſt. ratione ſuorum terminorum Conc. ſecùs Neg. III. Adorantur. Reſp. diſt. ut objectum formale, & motivum N. materiale, & terminativum conc. IV. Sine relationibus originis Deus foret imperfectus. Reſp. diſt. ideò, quia relationes perficerent eſſentiam Divinam neg. ideò, quia eſſentia Divina non eſſet fœcunda conc. V. Relatio creata dicit perfectionem; ergo multo magis relatio Divina. R. N. C. Diſparitas eſt, quia relatio creata eſt ens accidentale realiter diſtinctum ab extremis, habens propriam exiſtentiam, nec eſt ultimò conſtitutiva, & diſtinctiva ſuppoſiti: nihil tale habet relatio Divina.

## A S S E R T I O XX.

D*Atur in Divinis etiam ſubſiſtentia abſoluta naturæ Div. conveniens, ut præſcindit à perſonalitatibus. D. Subtilis cum ſuis 3. diſt. 4. qu. 2.*

Pro-

Digitized by Google

*Probatur I. Agatho Papa in Epiſtola Decretali contenta in 6. Synodo ait: Confitemur trium ſubſiſtentiarum unam ſubſiſtentiam. S. Auguſt. l. 7. Trin. c. 4. Omnis res ad ſeipſam ſubſiſtit, quantò magis DEUS*. II. Eſſentia Divina ut prior perſonalitatibus Divinis, eſt ſubſtantia completa, independens, & incommunicabilis ſuppoſito realiter diſtincto à ſe; ſed hoc eſt habere ſubſiſtentiam abſolutam: ergo.

*Objicitur I.* Sancti Patres agnoſcunt in DEO tres tantùm ſubſiſtentias. Reſp. diſt. Relativas Conc. ita ut præter has non ſit ſubſiſtentia abſoluta Neg. II. Si natura Divina præciſa à perſonalitatibus haberet ſubſiſtentiam, foret perſona, & ſic quatuor eſſent perſonæ. Reſp. diſt. Si haberet ſubſiſtentiam relativam Conc. abſolutam Neg. quia hæc non facit perſonam, cùm eſſentiam Divinam non reddat omninò incommunicabilem, ſed facit ipſam eſſe, & dici *individuum Deitatis*.

## ASSERTIO XXI.

P*Roceſſiones Divinæ non præſupponunt cognitionem creaturarum. Scotus 1. diſt. 30. qu. 2.* Scotiſtæ, & recentiores contra Thomiſtas.

*Probatur*. Naturaliter prior eſt motio intellectus Divini, & voluntatis ad terminum infinitum, ſummè neceſſarium, & increatum, utpote objectum dignius, quàm ad terminum finitum, creatum, & non ità ſummè neceſſarium; atqui Verbum Divinum, & Spiritus Sanctus ſunt terminus infinitus, increatus, & ſummè neceſſarius; non ſic creaturæ: ergo prior eſt generatio Verbi Divini, & ſpiratio Spiritus Sancti, quàm cognitio, & amor creaturarum.

*Objicitur I. S. Auguſt. l. 15. Trinit. c. 13.* ait: *Verbum natum eſt de his omnibus, quæ ſunt in ſcientia Patris*. Reſp. diſt. pro ſigno priori ad generationem Verbi Conc. pro ſigno poſteriori N. II. Verbum procedit ex cognitione comprehenſiva omnipotentiæ Divinæ. Reſpond. diſt. Omnipotentiæ, ut eſt perfectio abſoluta Conc. ut terminatur ad creaturas Neg. III. creaturæ jam ſunt poſſibiles ante proceſſiones Divinas. Reſp. diſt. poſſibiles fundamentaliter Conc. formaliter Neg. IV. Pater dedit Filio, quæcunque habet Filius: atqui Filius habet cognitionem creaturarum: ergo hanc habet à Patre. Reſp. diſt. min. Pro ſigno poſteriori ad ſuam generationem Conc. pro priori Neg. min. diſt. etiam Conſ. immediatè Neg. Conſ. mediatè C. Conſ.

## ASSERTIO XXII.

P*Roceſſio Filii eſt generatio, & non proceſſio Spiritus Sancti, quia Filius procedit per intellectum naturaliter, & Spiritus Sanctus per voluntatem liberè, libertate eſſentiali, non contingentiæ. Scotus 3. diſt. 8. q. un.* Scotiſtæ contra Thomiſtas, & recentiores.

*Probatur I.* Auctoritate S. Auguſtini *lib. 5. Trin. c. 9. & 14.* ubi inveſtigans diſcriminis rationem, cur Spiritus Sanctus non ſit Filius, & tamen Verbum ſit Filius? ſic reſpondet; *Spiritus Sanctus exit à Patre, non quomodo natus, ſed quomodo datus*; ideſt, non per intellectum naturaliter, ſed per voluntatem liberè. II. Proceſſio Verbi Divini eſt naturalis proceſſio viventis à vivente, mediante principio conjuncto, in ſimilitudinem, imò identitatem naturæ Divinæ, quia eſt per intellectum utpote potentiam naturalem: ergo erit generatio: non ſic proceſſio Spiritus Sancti, cùm non ſit naturalis proceſſio, utpote, quæ eſt per voluntatem, potentiam eſſentialiter liberam libertate eſſentiali, non contingentiæ, cùm non per hanc, ſed per illam differat à potentia naturali eſſentialiter.

*Objicitur I.* Per intellectum creatum non generatur Filius: ergo nec per intellectum Divinum. Reſp. Neg. Conſ. quia verbum creatum eſt accidens, nec vivit; Verbum verò Divinum eſt ſubſtantia vivens intellectualis naturaliter producta à vivente Patre in identitatem naturæ II. Proceſſio Spiritus Sancti eſt univoca cum proceſſione Verbi Divini: ergo ſi illa non ſit generatio neque hæc erit. Reſp. Neg. conſ. quia proceſſiones Divinæ dicuntur univocæ tantùm propter eandem eſſentiam Divinam, nam ut productio ſit univoca, ſufficit, quòd terminus formalis productionis ſit ejuſdem naturæ in producto, non perſonalis, ſeu individualis. Jam autem terminus formalis Proceſſionum Divinarum eſt ipſa eſſentia Divina. III. Spiritus Sanctus procedit ſummè neceſſariò: ergo non liberè. Reſp. diſt. Conſeq. libertate contingentiæ Conc. Conſ. eſſentiali Neg. Conſ. Hæc enim eſt inſeparabilis à voluntate, juxta *S. Aug. Enchir. c. 105.* dicentem *aut voluntas non eſt, aut libera dicenda eſt*.

## ASSERTIO XXIII.

F*iliatio, & non ſpiratio activa eſt ratio formalis prima, & eſſentialis diſtinctiva Filii à Spiritu Sancto. Scotus 1. d. 11. qq. 2.* Scotiſtæ contra Thomiſtas, & recentiores.

*Probatur* Sanctus Anſelmus *Epiſt. de proceſſione Spiritus Sancti c. 1.* ait: *Si per aliud non eſſent plures Filius, & Spiritus Sanctus, per hoc ſolùm eſſent diverſi, quòd alter naſcendo, alter procedendo habent eſſe à Patre*. Ratio eſt, quia Pater in eſſe Patris conſtituitur per ſolam paternitatem: ergo etiam filius in eſſe filii per ſolam filiationem. Item filius, etſi non ſpiraret adhuc eſſet productus per intellectum, & Spiritus Sanctus per voluntatem; atqui idem realiter terminus nequit produci duabus productionibus totalibus, & eſſentialiter diverſis: ergo filius adhuc eſſet realiter perſonaliter diſtinctus à Spiritu Sancto, etſi non ſpiraret.

*Objicitur I. Concil. Trid. XI. de perſonis Divinis* ait: *hoc ſolo numero inſinuant, quod ad invicem ſunt*. Reſp. ideſt, quòd habent relationes incompoſſibiles. II. Juxta *S. Anſelmum. Omnia in Divinis ſunt idem, ubi non obviat Relationis oppoſitio*. Reſp. Filiatio, & ſpiratio paſſiva adhuc forent relationes oppoſitæ, ſeu incompoſſibiles (ſicut Paternitas, & ſpiratio paſſiva,) etſi filius non ſpiraret. III. Eadem perſona poteſt eſſe generans, & ſpirans: ergo etiam eadem poteſt eſſe genita, & ſpirata. Reſp. neg. conſ. quia eadem perſona nequit bis produci; poteſt tamen habere duas potentias productivas.

## ASSERTIO XXIV.

O*Culus corporeus nequit elevari ad videndum DEUM. Scotus 1. diſt. 3. q. 3.* & Communis Theologorum.

*Probatur I. Concil. Trid. ſeſſ. 26.* inquit: *Doceatur populus, non propterea Divinitatem figurari, quaſi oculis corporeis conſpici poſſit. S. Cyrillus Hieroſoly. Catech. 9. Carnis quidem oculis contemplari DEUM eſt impoſſibile*. II. Nulla potentia poteſt verſari extra ſuum objectum adæquatum; atqui potentiæ viſivæ corporeæ objectum adæquatum, eſt ens materiale videlicet Lux, Lumen, & Color, non autem DEUS: ergo implicat potentiam viſivam corpoream videre DEUM.

*Objicitur I. Job. c. 19.* ait, ipſius oculos fore conſpecturos DEUM. Reſp. loquitur de DEO, non ſecundùm ſe, ſed de DEO homine conſpiciendo in die judicii univerſalis. II. *Vidi DEUM facie ad faciem*, inquit Jacob *Gen. 32.* Reſp. ſermo eſt de viſione DEI, vel Angeli repræſentantis DEUM in forma corporea aſſumpta. III. S. Auguſtinus ait, DEUM videri poſſe oculis corporeis, *quaſi ſpiritualizatis*. Reſp. loquitur tantùm diſputativè, non aſſertivè, quia contrarium docuit *Epiſt. 3. ad Fortunatum*.

## ASSERTIO XXV.

P*Oſſibilis eſt ſpecies impreſſa Divinæ eſſentiæ. Scotus 2. diſt. 3. q. 9.* Scotiſtæ contra Thomiſtas.

*Probatur*. Poſſibilis eſt ſpecies expreſſa Divinæ eſſentiæ: ergo etiam impreſſa. Probatur antecedens: Viſio beata eſt ſpecies expreſſa Divinæ eſſentiæ, cùm ſit ejus ſimilitudo formalis, juxta *S. Auguſt. l. 14. Trinit. c. 17. dicentem. Tunc perfecta erit DEI ſimilitudo, quando perfecta erit DEI viſio, juxta illud 1. Joan. 3. cùm apparuerit, ſimiles ei erimus*: Ergo.

*Objicitur I.* Si foret poſſibilis ſpecies impreſſa, & expreſſa eſſentiæ Divinæ, deberet repræſentare eſſentiam Divinam ſecundùm omnem perfectionem. Reſp. diſt. modo infinito, & quantùm repræſentabilis eſt Neg. modo finito, ideſt, totam quidem, at non totaliter Conc. II. Talis ſpecies foret infinita. Reſp. diſt. entitative Neg. objectivè Conc. III. Quò perfectius eſt objectum, eò perfectior debet eſſe ſpecies illius repræſentativa: ergo cùm eſſentia Divina ſit infinita entitativè, etiam ſpecies ejus repræſentativa debet eſſe infinita entitativè. Reſp. diſt. antec. eò perfectior arithmeticè debet eſſe &c. N. Ant. geometricè Conc. Ant. & N. Conſ. IV. Species impreſſa contineret virtualiter cognitionem DEI. Reſp. diſt. tanquàm medium cognitum Neg. tanquàm ratio cognoſcendi Conc. V. Nullum objectum, quod eſt per ſuam eſſentiam intelligibile, repræſentari poteſt per ſpeciem impreſſam; atqui DEUS per ſuam eſſentiam eſt intelligibilis: ergo non per ſpeciem impreſſam. Reſp. diſt. maj. ſi non poſſit ſuſpendere concurſum ſuæ intelligibilitatis Conc. maj. ſi poſſit ſuſpendere neg. maj. DEUS autem poteſt ſuſpendere concurſum eſſentiæ ſuæ per modum objecti, ne concurrat cum intellectu creato ad ſuæ eſſentiæ Divinæ cognitionem: cùm ſit objectum voluntarium.



Digitized by Google

### ASSERTIO XXVI.

L*Umen gloriæ de facto I. neceſſariò requiritur in Beatis ad eliciendam viſionem beatam, de potentia tamen abſoluta DEI. II. Poteſt intellectus creatus ſine lumine gloriæ ſibi intrinſeco elevari ad viſionem beatam per ſolum concurſum DEI extrinſecum. Scotus 3. diſt. 14. q. 1. & 2.* Scotiſtæ contra Thomiſtas quoad ſecundam partem.

*Probatur prima pars ex Conc. Vien. in Clem. de hæret.* damnante hunc Beguardorum articulum quintum ſcilicet, *naturam intellectualem creatam non indigere lumine gloriæ ipſam elevante ad videndum DEUM.* Ratio eſt, quia viſio beata eſt ſupernaturalis: ergo nequit elici à principio merè naturali, quale eſt intellectus creatus ſine lumine gloriæ.

*Probatur ſecunda pars.* Quidquid DEUS poteſt cum cauſis ſecundis, in genere cauſæ efficientis, poteſt etiam ſe ſolo efficere; atqui DEUS cum lumine gloriæ tanquam cauſa ſecunda efficiente producit viſionem beatam: ergo hanc etiam poterit ſine lumine gloriæ producere cum intellectu creato.

*Objicitur I. contra primam partem.* Actus vitalis, qualis eſt viſio beata, debet procedere à principio vitali; ſed lumen gloriæ non eſt principium vitale: ergo ad viſionem beatam non requiritur lumen gloriæ. Reſp. diſt. maj. à principio vitali, quod eſt totaliter vitale, Neg. maj. quod ſaltem ſecundùm unam cauſam partialem eſt vitale, Conc. maj. diſt. etiam min. ſed lumen gloriæ non eſt principium vitale, & eſt principium totale viſionis beatæ: neg. min. partiale C. Min. & neg. conſ. II. *Contra ſecundam partem.* Si intellectus creatus non haberet in ſe lumen gloriæ, foret inſufficiens ad eliciendam viſionem. Reſp. diſt. foret inſufficiens ab intrinſeco, C. ab extrinſeco propter concurſum DEI ſpecialem, N. III. implicat intellectum intelligere abſque virtute intrinſeca intelligendi; ſed intellectus creatus ex ſe caret virtute intelligendi, & videndi DEUM: ergo implicat ipſum poſſe videre DEUM, abſque virtute intrinſeca ſibi ſuperaddita. Reſp. diſt. min. caret virtute proxima, & completa videndi DEUM Conc. min. remota, & incompleta N. min. cum Conſ.

### ASSERTIO XXVII.

P*Er potentiam DEI abſolutam poteſt videri eſſentia Divina ſine perſonalitatibus, & attributis. Scotus 1. diſt. 1. q. 2.* Scotiſtæ contra Thomiſtas.

*Probatur.* Eſſentia Divina communicatur tribus perſonis Divinis, non ſic perſonalitates: Eſſentia Patris non terminat unionem hypoſtaticam, benè verò Perſonalitas Verbi Divini: Eſſentia non eſt principium proximum Filii, & Spiritus Sancti, ſed intellectus, & voluntas: ergo etiam eſſentia poterit videri ſine perſonalitatibus, & attributis: maximè cùm formaliter inter ſe diſtinguantur; & viſio ſit extrinſeca eſſentiæ, ac attributis, & DEUS liberè moveat ad ſui viſionem.

*Objicitur I. Joan. 14.* ait Chriſtus: *Qui videt me, videt & Patrem; quia ego in Patre, & Pater in me eſt*: ergo nequit videri una perſona ſine alia. Reſp. Textum loqui de facto, non de poſſibili. II. Si eſſentia Divina poſſet videri ſine perſonalitatibus, idem videretur, & non videretur; atqui hoc nequit admitti: ergo. Reſp. diſt. ſequelam maj. idem videretur, & non videretur ſecundùm diverſas formalitates, Conc. ſeq. maj. ſecundùm eandem formalitatem, Neg. ſeq. maj. III. Viſio intuitiva eſt rei exiſtentis ut eſt in ſe; ſed eſſentia Divina eſt in tribus ſanctiſſimis perſonis: ergo intuitivè nequit videri ſinè ipſis. Reſp. diſt. maj. ſecundum omnia, quæ realiter includit, Neg. maj. ſecundùm prædicata, quæ ſunt de ejus ratione formali, Conc. maj. & Conc. min. ſimiliter diſt. Conſ. IV. eſſentia debet videri ut fons attributorum. Reſp. diſt. ut fons formaliter emanans attributa, Neg. ut radicaliter continens, Conc. V. Viſio eſſentiæ ſine attributis non ſatiaret intellectum Beati. Reſpond. diſt. ſatietate eſſentiali neg. accidentali, Conc.

### ASSERTIO XXVIII.

B*Eatitudo formalis conſiſtit eſſentialiter in viſione, & fruitione beatifica, principaliùs tamen in fruitione. Scotus 4. diſt. 49. quæſt. 3.* Scotiſtæ contra Thomiſtas, & recentiores.

*Probatur I. Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipſi DEUM videbunt. Matth. 25. Euge ſerve bone, intra in gaudium Domini tui. Benedictus XII. in Extravag. Benedictus DEUS,* definit, *Animas Sanctorum, viſione, & fruitione eſſe verè beatas; & Catech. Rom. in explicatione ultimi articuli Symboli* dicit: *Beatitudo, quam eſſentialem communi nomine licet vocare, in eo ſita eſt, ut DEUM videamus, ejus pulchritudine perfruamur &c.* ergo. II. Illæ operationes eſſentialiter conſtituunt Beatitudinem, quibus DEUS immediatè, & perfectè attingitur in ratione objecti Beatifici; atqui tam per viſionem, quàm per fruitionem ſic attingitur DEUS: ergo. III. Beatitudo eſt perfecta ſatietas naturæ intellectualis quoad omnes ejus potentias beatificabiles; ſed tam ſecundùm intellectum (cujus ſatietas eſt viſio) quàm per voluntatem (cujus ſatietas eſt fruitio) eſt beatificabilis: ergo beatitudo eſſentialiter conſiſtit in viſione, & fruitione DEI. Quòd autem beatitudo principaliùs conſiſtit in fruitione: ratio eſt, quia fruitio, utpote actus voluntatis, Reginæ potentiarum, eſt viſione perfectior, cùm nos magis uniat DEO; nam *S. Dionyſius c. 7. de Angelica Hierarchia* dicit: *Voluntas ſic attingit amatum, ſic illi ſe copulat, unit, & appretiat, ut veriùs ſit amans amatum, quam ipſe, unum facit cum amante.* Fruitio etiam à nobis magis exigitur, & ad ipſam viſio ordinatur.

*Objicitur I. Contra primam partem: Sanctus P. Auguſtinus, l. 1. Trinit. c. penult.* ait: *Viſio eſt tota merces.* Reſp. viſio eſt tota merces intellectus, non totius hominis. II. Beatitudo eſt unica, & ſimplex forma: ergo nequit eſſentialiter conſiſtere in pluribus actibus. Reſp. Neg. ant. quia beatitudo perfecta, & adæquata non eſt aliquid unum per ſe, ſicut nec potentia beatificabilis eſt una, ſed duplex ſcilicet intellectus, & voluntas. III. Beatitudo objectiva eſt unica: ergo etiam formalis eſt unica operatio. Reſp. neg. conſeq. quia beatitudo objectiva eſt DEUS utique immultiplicabilis, attamen aſſequibilis duplici operatione. IV. Beatitudo formalis eſt conjunctio perfectiſſima, & ultimata cum objecto beatifico, qualis non eſt viſio beata. Reſp. diſt. eſt perfectiſſima, & ultimata ſimpliciter, & in omni genere, neg. in ſuo genere, & quantùm ad potentias, conc. V. *Contra ſecundam partem.* Summa infelicitas damnatorum eſt pœna damni; ſed hæc eſt carentia viſionis DEI: ergo viſio DEI eſt ſumma felicitas, & principalis beatitudo. Reſp. diſt. maj. ſumma infelicitas eſt pœna damni, ita ut ſub pœna damni principaliter includatur carentia fruitionis, Conc. maj. ita ut pœna damni importet ſolam carentiam viſionis, Neg. maj. diſt. etiam min. ſed hæc pœna damni inadæquatè ſumpta eſt carentia viſionis Conc. min. adæquatè ſumpta, Neg. min. cum Conſ.

*Ex II. Libro ſententiarum, de Angelis, ſtatu innocentiæ, peccatis, gratia, juſtificatione, merito, & legibus.*

### ASSERTIO XXIX.

N*On repugnat dari plures Angelos ſolo numero differentes, Scotus 2. d. 3. q. 2.* cum ſuis.

*Probatur. Concil. Florent. ſeſſ. 20.* docet: *Angelos omnes, ut appellationis unius, ſic etiam ejuſdem naturæ eſſe inter ſe, S. Athanaſius q. 4. ad Antiochum* ait: *una, & eadem eſt eſſentia Angelorum, ſicut etiam una tantùm eſt eſſentia hominum.* Ratio eſt; quia nulla quidditas creata eſt eſſentialiter hæc, & ſingularis ſicut eſſentia Divina; cùm quælibet quidditas creata ſine contradictione poſſit intelligi univerſalis; non ſic eſſentia Divina: ergo etiam eſſentia Angelica eſt numero plurificabilis.

*Objicitur I.* Principium numericæ multiplicationis eſt materia; ſed in Angelis non eſt materia: ergo Angeli nequeunt numero multiplicari. R. D. maj. materia partis N. maj. materia, ideſt differentia individualis, quæ ſimilitudinariè dicitur materia C. maj. & diſt. min. Neg. Conſ. II. Angelus eſt forma pura ſimplex: Reſp. D. hoc eſt ſola ſpecies continens etiam differentiam individualem, C.

### ASSERTIO XXX.

A*Ngeli non ſunt in loco per ſuam operationem.* Ita *Doctores Seraphicus, & Subtilis, 2. d. 2. q. 6.* Nominales, & recentiores contra Thomiſtas.

*Probatur I.* Angelus exiſtens in loco, ob denegatum à DEO concurſum poteſt ceſſare ab omni operatione: atqui tunc Angelus adhuc foret formaliter in loco, quia eſſet formaliter indiſtans a loco, & tamen non per ſuam operationem, ut patet: ergo. II. Quia Angelus non eſt ibi, ubi eſt ejus operatio tranſiens; nec eſt neceſſariò ibi, ubi vult eſſe, ut patet in dæmonibus: ergo Angelus non eſt in loco per operationem tranſeuntem, aut immanentem.

*Objicitur I.* Angelus, ut ſit in loco, debet hunc tangere; atqui nequit locum tangere contactu mathematico: ergo virtuali, ſeu per operationem. Reſpondeo diſt. maj. Angelus debet locum tangere, vel contactu entitativo, vel mathematico C. ſemper mathematico, vel virtuali Neg. maj. II. Si Angelus per ſuam ſubſtantiam eſt fundamentaliter in loco: ergo ſemper erit in loco æquali. Reſpond. Neg. ſequ.

quia

quia Angelus formaliter eſt in loco, per præſentiam effectivè cauſatam ab ejus virtute motiva, applicata à voluntate imperante locum ad beneplacitum.

## ASSERIO XXXI.

A*Ngeli juxta ſuam puram naturam conſiderari, potuiſſent peccare in primo inſtanti ſuæ creationis. Scotus 2. d.5. qu.2.* cum ſuis.

*Probatur.* Angelus in primo inſtanti ſuæ creationis habuit omnia requiſita ad peccandum, ſcilicet perfectum uſum rationis, perfectam libertatem, & concurſum DEI paratum: ergo potuit peccare, cùm cauſa non neceſſariò, tempore ſed natura, debeat præcedere ſuum effectum, ut patet de ſole illuminante. Deinde Angelus in primo inſtanti potuit mereri: ergo etiam peccare; cùm tamen plus requiratur ad meritum, quàm ad demeritum; *Bonum enim ex integra cauſa, malum verò ex quolibet defectu.*

*Objicitur I.* Peccatum debet præcedere error in intellectu: atqui Angelus non potuit habere errorem in primo inſtanti creationis: ergo nec peccatum. Reſp. Neg. maj. cùm peccatum poſſit fieri ex ſola libertate, & malitia voluntatis. II. Si Angelus peccaret in primo inſtanti, hoc peccatum imputaretur DEO: cùm operatio incipiens cum eſſe rei inſit ei ab agente. Reſp. Neg. ſequ. & diſt. prob. operatio incipiens cum eſſe rei, ineſt ei ab agente, in effectibus liberis. Neg. in effectibus naturalibus. Tranſeat.

## ASSERTIO XXXII.

A*Ngeli naturaliter poſſunt cognoſcere ſecreta cordium. Scotus 2.d.9.q.2.* cum ſuis contra Thomiſtas, & recentiores.

*Probatur.* Actus interni voluntatis & intellectus, actu exiſtentes, ſunt entia naturalia, finita, pertinentia ad ordinem univerſi ſufficienter præſentia, & proportionata intellectui Angelico: ergo ab eodem naturaliter cognoſci poterunt. Deinde quilibet Angelus naturaliter intuetur ſubſtantiam, & proprietates alterius Angeli, & cur non etiam ejus cogitationes, & volitiones?

*Objic. I. Sacra Script. & ſancti Patres* cognitionem ſecretorum ſoli DEO adſcribunt. R. D. ſoli DEO tanquam judici, cognitionem ſecretorum præſentium, præteritorum, & futurorum infallibilem, & independentem adſcribunt. C. ſecùs Neg. II. Si paterent ſecreta cordium, nulla poſſet eſſe ſocietas. Reſp. inter homines pro ſtatu iſto non datur illa ſecretorum intuitio; quia nihil eſt in intellectu, quod non priùs fuit in ſenſu. In ſtatu vero Patriæ, cùm beati nil niſi bonum cogitent, & velint, non eſt, cur ex cognitione ſecretorum lædatur ſocietas; in damnatis verò, ubi nullus ordo, nec ſocietas neceſſaria eſt.

## ASSERTIO XXXIII.

P*Otuit DEUS Adamum creare in ſtatu naturæ puræ.* Ita Doctores Angelicus, & Subtilis, contra Calviniſtas, Lutheranos, Janſeniſtas, & Bajum.

*Probatur I.* Quia *S. Pius V. Gregor. XIII. Urbanus VIII. & Alexander VIII.* damnarunt ſequentem Baji propoſitionem 97. *Falſa eſt Doctorum ſententia primum hominem potuiſſe à DEO creari, & inſtitui ſine juſtitia originali.* II. Quia ſtatus naturæ puræ dicit *tria*: pollere facultatibus naturalibus ad operandum expeditis cum concurſu naturali DEI ut Authoris naturæ. 2. Non eſſe ordinatum ad finem ſupernaturalem, nec habere dona ſupernaturalia, ſed tantùm ad finem naturalem eſſe ordinatum. III. Eſſe immunem à peccato originali; atqui DEUS *hæc tria* potuit facere circa Adamum, cùm nequeat afferri implicantia: ergo.

*Objicitur.* Si Adam in ſtatu naturæ puræ creatus fuiſſet mortuus, veniſſet in cœlum, vel in infernum, vel in purgatorium. Reſp. neg. quia hæc tria ſunt condita pro homine ad finem ſupernaturalem ordinato; ſed ipſius anima manſiſſet in hac terra, & habuiſſet cognitionem abſtractivam DEI, ejuſque amorem naturalem.

## ASSERTIO XXXIV.

A*Dam in ſtatu innocentiæ priùs potuit peccare venialiter quàm mortaliter Scotus 2.d.21 q.1.* cum ſua ſchola contra Thomiſtas.

*Probatur.* Gratia ſanctificans poteſt ſtare cum peccato veniali: ergo etiam juſtitia originalis: cùm hæc ſit illa præſtantior. Item Adam habuit libertatem ad peccandum venialiter, aliàs in evitando veniali non habuiſſet meritum: ergo potuit peccare venialiter in ſtatu innocentiæ. Denique Proto parentes priùs peccarunt venialiter fructum vetitum curioſè aſpiciendo, odorando, decerpendo, attrectando &c. quàm mortaliter: ergo.

*Objicitur I.* Cum ſtatu innocentiæ nequit ſtare pænalitas, ſed hanc intuliſſet veniale: ergo. R. diſt. maj. pænalitas gravior inferens mortem, Conſ. maj. levior neg. maj. & ſimiliter diſt. min. neg. conſ. II. Peccatum veniale debet deleri per pœnitentiam; Sed hæc repugnat ſtatui innocentiæ: ergo. Reſp. neg. min. nec enim repugnaſſet ſtatui innocentiæ, ſi Adam eliciuſſet amorem DEI, vel contritionem perfectam deletivam venialis. III. Adam debuiſſet peccare ex malitia; ſed hoc eſt ſemper mortale: ergo non potuit peccare venialiter. Reſpond. T. maj. & neg. min. quia verbum otioſum ex malitia prolatum non eſt mortale. IV. Peccatum mortale eſt malum gravius morte: ergo repugnat ſtatui innocentiæ. Reſp. diſt. antec. ſecundùm ſe abſolutè C. reſpectivè ad ſtatum innocentiæ N.

## ASSERTIO XXXV.

C*Um ſolo originali peccato defuncti non patiuntur pœnam ſenſus.* Ita Doctores Seraphicus, Angelicus, & Subtilis, eſtque Communiſſima.

*Probatur: Concil. Florent.* ait: *peccatum originale, & actuale pœnis diſparibus punienda eſſe. Innocentius III. C. majores,* de Bapt. *pœna originalis peccati eſt carentia viſionis DEI, actualis verò peccati pœna eſt gehenna perpetua cruciatus.* Ratio eſt, quia decedentes cum ſolo peccato originali non commiſerunt peccatum perſonali; ergo nec merentur pœnam ſenſus, quę ſoli peccato perſonale correſpondet juxta illud *Apoc.* 18. *quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.*

*Objicitur I. Sacra Scriptura, & Sancti Patres* aſſerunt, poſt Extremum judicii diem eos, qui non veniunt in cœlum, æterni ignis ſupplicio puniendos eſſe. R. loquuntur de adultis, vel ſi loquantur de parvulis nondum baptizatis, uti loquitur *Auguſtinus Enchir. c.* 23. per *Ignem æternum* intelligunt tantum *pœnam damni*; quia loquuntur contra hæreticos dicentes, parvulos nullam culpam, & pœnam habere, uti explicant Doctores Seraphicus, & Subtilis. II. Saltem tales parvuli triſtabuntur, quod non intrent in cœlum R. N. quia erunt ſuo ſtatu contenti.

## ASSERTIO XXXVI.

B*Eatiſſima Virgo MARIA eſt concepta ſine peccato originali.* Ita *S. Scriptura, Concilia, Sancti Patres, Summi Pontifices integra Religiones, Univerſitates, &* Communis fidelium ſenſus.

*Probatur. Cantic.* 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*; Eccleſia celebrat feſtum Immaculatæ Conceptionis Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, & quidem de præcepto Clementis XI. Summi Pontificis, lato 1708. Bulla: *Commiſſi Nobis.* Infra in appendice alphabetica. ꝟ *Feſtum* videnda. Ratio vero eſt illud Doctoris Subtilis Enthymema: *DEUS potuit* Beatiſſimam Virginem præſervare à peccato originali, cùm Adamum, & Evam ſine illo creaverit: *Decuit*, ut eam præſervaret; quia eſt Filia DEI Patris, Mater Filii DEI, Sponſa Spiritus Sancti, Regina Angelorum, & Domina univerſorum: ergo eandem etiam *præſervavit à peccato originali*; hoc enim evincit amor DEI in ſuam Filiam, Matrem, & Sponſam.

*Objicitur I.* Sacra Scriptura aſſerit omnes in Adam peccaſſe. R. *omnes in ſenſu accommodo*, excepta privilegiata Beatiſſima Virgine MARIA; *non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt. Eſther* 15. cùm eadem ratione etiam adverſarii Beatiſſimam Virginem excipiant ab hac locutione univerſali *Jac.* 3. *in multis offendimus omnes.* II. Beatiſſima Virgo fuit a Chriſto redempta. Reſp. diſt. præſervativè, conc. curativè neg.

## ASSERTIO XXXVII.

BEatiſſima Virgo MARIA non habuit debitum proximum contrahendi peccatum originale. Communior Doctorum.

*Probatur I.* Beatiſſima Virgo MARIA non fuit comprehenſa in lege, ſeu pacto facto cum Adamo de tranſfuſione peccati originalis ex illo *Eſther* 15. *non pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt*: Nec in illa lege comprehendi debuit: ergo. *Probat.* anteced. voluntas Matris DEI, Reginæ omnium, creaturæ nobiliſſimæ non debuit ſubjici voluntati ſui ſervi, & famuli: ergo Beatiſſima Virgo MARIA non debuit habere Adamum pro ſuo capite mortali, etſi habuerit ipſum pro ſuo capite phyſico. II. DEUS *potuit*

*potuit*

Digitized by Google

*nuit* ſacere, & *decuit*, ut Beatiſſima Virgo non haberet debitum proximum incurrendi peccatum originale: Ergo etiam non *habuit*. III. Si Chriſtus non à debito Virgiueam ſuam Matrem præſervxſſet, non eſſet perfectiſſimus mediator; quia non habuiſſet perfectiſſimum modum mediandi poſſibilem: ergo ut ſit perfectiſſimus mediator, à debito ſuam Matrem præſervavit.

*Objicitur*. Beatiſſima Virgo fuit comprehenſa in illa lege generali de transfuſione peccati: ergo. *Prob. antec.* Si non fuiſſet comprehenſa, hoc factum fuiſſet ex prævifis meritis mortis Chriſti, atqui hoc non; quia mors Chriſti eſt poſterior præviſione lapſus Adæ, & poſterorum iu ipſo tanquam capite morali; Beatiſſima Virgo autem jam aute lapſum Adæ debuiſſet excipi ab illa lege generali: ergo Beatiſſima Virgo ab illa lege generali non fuit excepta ob merita mortis Chriſti. Reſpond. *P. Herincx*, diſt. anteced. Beatiſſima Virgo fuit comprehenſa abſolutè neg. conditionatè *niſi pro ſequentibus* ſignis excipiatur, uti factum eſt. Concedo.

## ASSERTIO XXXVIII.

*De ratione peccati eſt, eſſe contra legem.* Scotus 2. d. 37. Scotiſtæ, & Thomiſtæ communiter.

*Probatur*. *Rom. 4. ubi non eſt Lex, nec prævaricatio.* Ratio eſt: quia tunc quis committit peccatum, quando facit contra ſuam obligationem; ſed non eſt obligatio, niſi à lege: ergo etiam non eſt peccatum niſi contra Legem.

*Objicitur I. Rom. 2. qui ſinè lege peccaverunt, ſinè lege peribunt*. Reſp. Sanctum Paulum loqui non de omni lege, ſed ſolùm de Moſaica, com quo ſtat, quòd tales peccaverint contra legem naturalem. II. Odium DEI eſt probibitum, quia malum: ergo ante legem jam eſt peccatum, ſeu malum. Reſp. diſt. conſ. jam eſt malum in genere naturæ Conc. in genere moris neg. conſ. III. Ergo DEUS potuiſſet odium DEI non probibere cùm ſit liber ad extra. Reſp. diſt. illatum, potuiſſet non prohibere per legem poſitivam Conc. per legem naturalem neg. illatom. IV. DEUS nihil prohibet, niſi ob malitiam moralem: ergo jam antecedenter odium DEI debuit habuiſſe malitiam moralem. Reſp. neg. ant. quia etiam DEUS in genere naturæ odit malitiam naturalem odii DEI, & propter eandem, neceſſariò prohibet odium DEI. Deinde Adamo prohibuit eſum pomi, qui antecedenter non erat malus.

## ASSERTIO XXXIX.

*Formalis malitia peccati actualis eſt privatio debitæ rectitudinis*. Doctor Subtilis 2. *d.* 37. cum ſuis.

*Probatur I.* Quia in Sacra Scriptura peccatum vocatur *nihilum*. *Amos 6. Tenebra, Joan. 3. cæcitas. Iſaia 42. vanitas, Pſalmo 4.* II. Quia *ſanctus Auguſtinus l. 11. civ. 9.* ait: *mali nulla natura eſt, ſed omiſſio boni mali nomen accepit*, & *S. Greg. Naz. orat. 40.* inquit: *crede, nullam mali eſſentiam eſſe*. III. Quia omnis defectus formaliter eſt privatio debitæ rectitudinis; atqui peccatum eſt defectus: ergo. IV. Malitia moralis nequit eſſe à DEO, ex *Concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 6.* atqui ſi foret entitas poſitiva, eſſet à DEO: ergo eſt privatio; non quidem *gratiæ ſanctificantis*, aliàs peccata non diſtinguerentur ſpecie, imò peccatum veniale non eſſet peccatum, quia non privat gratia ſanctificante: ergo eſt privatio debitæ rectitudinis.

*Objicitur I.* Peccatum in Sacra Scriptura dicitur *tranſgreſſio, mendacium &c.* quæ ſunt quid poſitivum. R. diſt. peccatum pro materiali C. formali neg. II. Odium DEI non eſt capax rectitudinis. Reſp. D. ſubjectivè, & phyſicè C. objectivè, & moraliter neg. III. Implicat, ut odium DEI ſit objectivè rectum, & honeſtum: ergo. R. diſt. ant. implicat, ut odium DEI ſit objective honeſtum, hoc eſt, ut ſit objectum honeſtum in genere moris C. ant. hoc eſt, ut odium DEI, quatenus potuit non elici, antequam eliciebatur, non fuerit capax rectitudinis. N. ant. IV. Privatio eſt in ſubjecto exiſtente; ſed odium DEO exiſtens non eſt capax rectitudinis: ergo odium exiſtens non habet privationem rectitudinis. R. D. maj. Peivatio phyſica C. moralis N.

## ASSERTIO XL.

*Peccatum habituale eſt reatus, ſeu dignitas ad pœnam, ut orta immediatè ex peccato actuali. Scotus 4. d. 14. qu. 1.* cum ſuis contra Thomiſtas, & recentiores.

*Probatur I. Exodi* 22. dicitur: *Percuſſit Dominus populum pro reatu vituli*. II. Meritum habituale eſt dignitas ad præmium; contractus habitualis eſt obligatio inde conſurgens; ſicut & votum habituale: ergo etiam peccatum habituale eſt reatus, ſeu dignitas, & obligatio ad pœnam. III. Peccatum habituale non eſt privatio gratiæ ſanctificantis; aliàs omnia peccata habitualia eſſent eadem ſpecie: nec eſt peccatum præteritum cum duplici negatione retractationis, & condonationis, nam peccatum habituale deſtrui poteſt; non tamen hoc, quòd peccatum ſit præteritum: Deinde peccatum habituale eſt objectum retractationis, & condonationis, & non retractationis, & non condonationis: ergo non eſt ipſa negatio retractationis, & condonationis, ſed reatus pœnæ, qui retractari, & condonari poteſt.

*Objicitur I.* Hæc Baji propoſitio eſt damnata. *In peccato duo ſunt, actus, & reatus: tranſeunte actu nihil remanet, niſi reatus, ſeu obligatio ad pœnam*. Reſp. Nos dicimus etiam remanere privationem gratiæ ſanctificantis, quam negavit Bajus *in propoſitione* 70. II. Dimiſſo peccato mortali remanet obligatio ad pœnam. Reſp. diſt. ad pœnam damnationis neg. ſatisfactionis C. III. Peccatum habituale eſt mors animæ: ergo conſiſtit in privatione gratiæ ſanctificantis. Reſpond. diſt. antec. eſt mors animæ cauſaliter C. formaliter neg. ant. IV. Dignitas ad pœnam ſopponit peccatum habituale, ergo nequit eſſe ipſum peccatum habituale. Reſp. diſt. ant. dignitas ad pœnam proveniens immediatè ex ipſo peccato neg. antec. proveniens ab actu divinæ voluntatis vindicantis peccatum, ſupponit peccatum habituale C. ant. & N. conſequentiam.

## ASSERTIO XLI.

*Poſſibilis eſt omiſſio pura libera. Scotus 2. d. 42. q. 4.* & communis Scotiſtarum nominalium, & recentiorum contra Thomiſtas.

*Probatur*: Voluntas, quia libera eſt libertate contrarietatis, poteſt immediatè ſine omni alio actu voluntatis amare, & odiſſe: ergo etiam, cùm æquè libera ſit libertate contradictionis, poterit immediatè ſinè omni alio actu voluntatis amare, & non amare, adeòque non amando omittet purè liberè.

*Objicitur I.* Omiſſio verb. grat. Sacri nunquam poteſt eſſe ſine actu externo verb. grat. ſtatione, ſeſſione, vel cubatione. Reſp. diſt. ſine actu externo formaliter, & expreſsè imperato N. virtualiter, & interpretativè imperato C. II. Pura omiſſio nequit eſſe exercitium potentiæ vitalis liberæ. Reſp. diſt. exercitium poſitivum, C. privativum III. Potentia libera ut libera, eſt vitalis; ſed omne exercitium potentiæ vitalis eſt poſitivum: ergo pura omiſſio nequit eſſe exercitium potentiæ liberæ vitalis. R. diſt. maj. poteutia libera ut libera ad operandum, eſt vitalis C. maj. ad non operandum, ſubdiſt. eſt vitalis iu actu primo C. in actu ſecuudo, hoc eſt, vitaliter operatur neg. & ſimiliter diſt. min. IV. Voluntas omittens purè liberè debet habere motivum. Reſp. diſt. formale N. interpretativum C.

## ASSERTIO XLII.

*Omiſſio pura libera poteſt eſſe peccaminoſa*. Eſt Scotiſtarum contra Thomiſtas.

*Probatur*. Omiſſio v. gr. Sacri die feſto ſinè omni actu Interno voluntatis, ac etiam externo, formaliter, & expreſsè imperato, eſt omiſſio pura libera; atqui hæc omiſſio eſt peccaminoſa, cùm ſit contra legem Eccleſiæ, die feſto obligantem ad audiendam miſſam: ergo omiſſio Sacri pura libera die feſto, eſt peccaminoſa.

*Objicitur I.* Peccatum eſt averſio à DEO, & converſio ad creaturam; ſed talis nequit eſſe pura omiſſio: ergo. Reſp. diſt. maj. eſt converſio, vel formalis, vel virtualis, vel interpretativa C. maj. ſemper formalis Neg. maj. II. Peccatum debet eſſe voluntarium ſaltem indirectè; atqui pura omiſſio non eſt indirectè voluntaria; aliàs eſſet volita in ſua cauſa, ac eo ipſo non foret pura omiſſio: ergo nec poteſt eſſe peccatum. Reſp. C. min. non eſt indirectè voluntaria, ſi indirectè voluntarium ſumatur pro eo, quod eſt voluntarium in cauſa C. min. ſi indirectè voluntarium ſumatur pro eo, quod æquivalet actui explicito neg. min. III. Peccatum actuale eſt actus. Reſp. diſt. peccatum commiſſionis eſt actus C. omiſſionis, ſubdiſt. eſt actus formalis neg. interpretativus C.

## ASSERTIO XLIII.

*Si tempore omiſſionis actus præcepti ſit impotentia illum faciendi, peccatum omiſſionis contrahitur tunc, quando liberè ponitur ejus cauſa, cum præviſione ſecutura omiſſionis*. Ita *Doctores Seraphicus, & Subtilis*, 2. *d.* 40. Scotiſtæ, & recentiores contra Thomiſtas.

Pro-

Digitized by Google

*Probatur*. Quia in hoc caſu omiſſio v. g. Sacri in ſomno, vel ebrietate facta, non eſt in ſe formaliter libera; cùm non adſit potentia Sacrum præceptum audiendi: ergo non eſt in ſe formaliter peccatum; adeòque tunc contrahetur peccatum omiſſionis, quando liberè ponitur ejus cauſa; quia tunc ponitur impedimentum ad audiendum Sacrum, quod tamen removeri deberet, cùm obligatus ad finem teneatur etiam ad media.

*Objicitur* I. Omiſſio Sacri in ſomno facta eſt libera indirectè, & interpretativè: ergo eſt in ſe formaliter peccatum. Reſpond. neg. antec. quia ad liberum etiam indirectè, & interpretativè, requiritur potentia expedita ad faciendum opus præceptum. II. Præceptum audiendi Sacrum obligat tempore ſomni: ergo tunc modò violatur. Reſpond. diſt. ant. obligat in ſe, neg. obligavit in cauſa ante ſomnum C. ant. & N. Conſ.

## ASSERTIO XLIV.

P*Eccatum mortale, in ratione offenſæ DEI non eſt intrinſecè, & ſimpliciter infinitum, ſed tantùm extrinſecè, & ſecundùm quid*. *Scotus 2. diſt.* 37. 1. cum ſuis contra Thomiſtas.

*Probatur*. Tum, quia unum peccatum mortale eſt altero majus, etiam in ratione offenſæ: cùm in ratione malitiæ moralis, quæ eſt radix offenſæ, unum ſit altero majus: atqui infinito ſimpliciter, non datur majus: ergo. Tum quia unum peccatum mortale non continet omnes offenſas; quod tamen deberet eſſe, ſi foret ſimpliciter infinitum: Denique peccatum veniale etiam eſt offenſa DEI infiniti, nec tamen eſt ſimpliciter infinitum in ratione offenſæ: ergo nec mortale.

*Objicitur I.* Quò major eſt Perſona offenſa, eò major eſt offenſa; ſed Perſona offenſa per peccatum mortale eſt Perſona ſimpliciter infinita: ergo etiam offenſa eſt ſimpliciter infinita. Reſp. diſt. maj. eò major geometricè eſt offenſa C. arithmeticè N. aliàs retorqueri poſſet de peccato veniali. II. Peccatum mortale infinitè excedit veniale. Reſp. diſt. in malitia morali N. in cauſalitate pœnæ C. III. Ergo cùm mortale cauſet pœnam infinitam, erit infinitum. R. D. ſi cauſaret pœnam categorematicè infinitam, C. ſecùs N.

## ASSERTIO XLV.

P*Eccatum veniale conjunctum mortali non punitur in inferno pœna æterna*. *Scotus 4. d. 21. q. 1.* Scotiſtæ, ac multi recentiores contra Thomiſtas.

*Probatur*. Peccatum veniale etiam conjunctum mortali, non meretur pœnam æternam, cùm veniale etiam conjunctum mortali, non accipiat majorem malitiam: ergo nec punietur pœna æterna, aliàs damnatus ob unum mortale, & plura venialia, graviùs punietur in inferno ob venialia, quàm ob mortale; cùm ob venialia puniretur pœna æterna intenſiori; ob mortale verò pœna æterna non ita intenſa.

*Objicitur I.* In inferno manet ſemper culpa venialis: ergo etiam dignitas ad pœnam. Reſp. diſt. Conſ. ad pœnam ſolutam, C. ſolvendam ſemper, neg. Conſ. II. Debitum pœnæ non extinguitur, niſi per voluntariam pœnæ tolerantiam, quod non fit in inferno. Reſp. diſt. debitum pœnæ non extinguitur &c. per modum ſatisfactionis C. ſatiſpaſſionis neg. III. *Ex inferno nulla redemptio*. R. quia nulla ſpes eſt liberationis ex inferno. IV. Damnati ſucceſſu temporis acciperent mitigationem in pœnis. R. D. in pœnis promeritis per peccatum mortale N. per venialia C.

## ASSERTIO XLVI.

S*Ine fide, gratia habituali, & actuali poteſt homo lapſus facere aliqua opera moraliter bona ordinis naturalis*, Communiſſima contra Huſſium, Janſenium, Bajum, Queſnellum, & alios.

*Probatur I.* Quia à S. Pio V. & aliis Summis Pontificibus damnata eſt ſequens Baji propoſitio 25. *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia*. Et 35. *Omne, quod agit peccator, aut ſervus peccati, peccatum eſt*. II. Quia *Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 7.* definit, non omnia quæ ante juſtificationem fiunt ab homine, eſſe peccata. III. Quia intellectus ſine fide, & gratia, poteſt cognoſcere verb. gr. honeſtum eſſe, honorare parentes; ergo etiam voluntas ſinè fide, & gratia poteſt velle honorare parentes, & ipſos actu honorare.

*Objicitur I. Matth. 7. Non poteſt arbor mala bonos fructus facere*. R. D. bonos bonitate ſupernaturali, & meritoria de condigno C. ſecùs Neg. II. Opera infidelium moraliter bona placerent DEO. R. D. in ordine ad præmium ſupernaturale, Neg. naturale, C. nam *S. Auguſtinus 19. civ. 15.* docet, Romanos ob exercitium virtutum moralium meruiſſe imperium, & obſtetrices Ægyptiacas meruiſſe ſibi domos ædificari.

## ASSERTIO XLVII.

H*Omo poteſt cum gratia Divina, quæ nulli deeſt, omnia DEI præcepta obſervare*. Contra hæreticos noſtri temporis.

*Probatur I. Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*, ait Chriſtus *Matth. 11. Mandata ejus gravia non ſunt*, ait S. Joannes *1. Joannis 5. Omnia poſſum in eo, qui me confortat*, ait S. *Paulus*, *Phil. 4. Erant juſti ambo ante DEUM, incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini*, ait de Zacharia, & Eliſabeth *S. Lucas c. 1.* ergo. II. Quia DEUS eſſet inſipiens, & crudelis, ſi ſub pœna æterna obligaret nos ad impoſſibile, atqui: ergo.

*Objicitur I. In multis offendimus omnes*. *Jacob. 3.* R. leviter, & venialiter, non mortaliter; quia omne peccatum mortale cum gratia Divina evitare poſſumus. II. *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum, non invenio*, ait *S. Paulus Rom. 7.* R. S. Paulum voluiſſe carere motibus concupiſcentiæ, ſed non potuiſſe efficere, ut illis careat, quamvis potuerit illis non conſentire. III. *S. Petrus Act. 15.* Legem Moſaicam vocat *jugum importabile*. R. Loquitur non de Lege Morali, ſed cæremoniali, ſervabili quidem, ut patet in Zacharia, & Eliſabeth, ſed difficulter.

## ASSERTIO XLVIII.

D*EUS dat omnibus hominibus gratiam ſufficientem ad ſalutem*. Ita S. Scriptura, Sancti Patres, & Theologi.

*Probatur I. Rom. 8. Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? S. Fulgentius Ep. 7. ad ven. c. 8.* ait. *Nec in aliquo vulnere, nec in aliquo tempore cœleſtis poteſt deficere medicina*. II. *DEUS vult omnes homines ſalvos fieri*, *1. Timot. 2.* ergo etiam vult ipſis dare media ad ſalutem; quia ſinè mediis finis obtineri non poteſt; atqui ad ſalutem conſequendam medium eſt gratia, ergo ſi vult ſalutem, vult etiam gratiam. III. Omnes homines quocunque modo excæcati, obdurati, & reprobi tenentur obſervare præcepta Divina, ſed præcepta Divina ſinè gratia non poſſunt obſervari; quia tendunt in finem ſupernaturalem: ergo ut poſſint obſervari, neceſſaria eſt illis gratia; DEUS autem non deeſt in neceſſariis.

*Objicitur I.* Sacra Scriptura, & Sancti Patres aſſerunt, peccatoribus obduratis non dari gratiam, DEUM nolle ipſis remittere peccata, eos non poſſe ſe convertere: ergo. Reſp. Sacra Scriptura, & Sancti Patres intelligi debent; quod DEUS peccatoribus obduratis non quidem det gratiam effecacem; attamen det ſufficientem: & quòd DEUS ipſis nolit remittere peccata, quia nolunt ea deteſtari, & vitare; & quòd peccatores obdurati difficulter ſe poſſint convertere ad meliorem vitam, quamvis tamen cum Divina gratia poſſint; aliàs certè non peccarent, ſi non haberent gratiam ad evitanda peccata. II. S. Auguſtinus *lib. de bono perſever. c. 11.* ait: *Plerumque feſtinantibus parentibus, & paratis miniſtris, ut Baptiſmus parvulo detur, DEO tamen nolente non datur, cùm repente, antequam detur, expirant, quo, ut reciperent, currebant:* ergo DEUS parvulis non dat gratiam ſufficientem, quia non vult applicari Baptiſmum. R. S. Auguſtinum eſſe intelligendum, quòd DEO nolente perturbare ordinem cauſarum ſecundarum naturalium, conſervando parvulis vitam contra curſum, vel exigentiam ordinis naturalis, non detur Baptiſmus, non autem, quòd DEO nolente voluntate antecedenti non detur Baptiſmus parvulis. III. Melius eſſet ſalvari parvulum, quàm non perturbari curſum cauſarum naturalium. Reſp. diſt. abſolutè, & ſecúndùm ſe C. reſpectivè ad DEI voluntatem neg. IV. Fides eſt prima gratia; ſed infideles non habent fidem: ergo nullam gratiam. A. D. maj. fides perfecta, ſeu habitus ille infuſus, quo fideles dicimur, eſt prima gratia neg. maj. fides inchoata, ſeu cognitio illa prima ſupernaturalis DEI, qua ſcilicet creditur in DEUM C. maj. & diſt. min. fides perfecta non datur omnibus infidelibus, C. min. fides inchoata, N. minor. & Conſ.

## ASSERTIO XLIX.

G*Ratia Divina non neceſſitat voluntatem humanam ad bonum, nam voluntas gratiæ reſiſtere poteſt*. Contra Calviniſtas, Lutheranos, & Janſeniſtas.

*Proba-*

Digitized by Google

*Probatur I. Vocavi, & renuiſtis. Prov. 1. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum Gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Matth. 23. Exhortamur, ne in vacuum DEI gratiam recipiatis. 2. Corinth. 8. Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Geneſ. 4. Qui potuit transgredi, & non eſt transgreſſus. Eccl. 31. Optio vobis datur, eligite, quod vobis placet. Joſue 24.* II. Quia ſi homo non foret liber, non poſſet mereri, nec demereri, nec præmiari, nec puniri, nec laudari, nec vituperari; Quare Doctor Subtilis 1. d. 39. inquit: *negantes libertatem exponendos eſſe tormentis, quouſque credant poſſibile eſſe, eos non torqueri.*

*Objicitur I.* Sacra Scriptura aſſerit, DEUM opera noſtra operari: ipſumque corda noſtra efficaciter tangere, & inclinare. R. Nobis tamen liberè cooperantibus. II. *S. Auguſtinus Enchir. cap.* 30. ait: *libero arbitrio malè utens homo, & ſe perdidit, & ipſum.* Reſp. non quoad ſubſtantiam, ſed quoad bona ſupernaturalia, per Chriſtum tamen iterum reparata.

## ASSERTIO L.

*Gratia, & charitas habitualis ſunt idem realiter habitus. Scotus 2. d. 27. quæſt. un.* Cum ſuis contra Thomiſtas, & recentiores.

*Probatur.* Omnes excellentiæ, & effectus, qui à Sacra Scriptura tribuuntur gratiæ ſanctificanti, conveniunt etiam charitati habituali, ait enim Scotus cit. *ex Aug. 15. civ. 18. Utraque æqualiter dividit inter Filios Regni, & perditionis: utraque etiam eſt forma virtutum, & neutra poteſt eſſe informis; utraque conjungit ultimo fini:* ergo gratia ſanctificans, & charitas ſunt idem realiter habitus.

*Objicitur I.* Sacra Scriptura diſtinguit gratiam à charitate. R. diſt. gratiam actualem C. habitualem N. II. Concilia diſtinguunt gratiam à virtutibus; ſed charitas eſt virtus: ergo. Reſp. D. maj. à virtutibus, ſcilicet fide, & ſpe C. à charitate N. maj. quia non omnes effectus competentes gratiæ, conveniunt fidei, & ſpei ſicut charitati. III. *Concil. Trident. ſeſſ. 6. can.* 11. damnat aſſerentem, juſtificationem fieri excluſa *gratia, & charitate.* R. At ſtatim ſubdit *in ſingulari: quæ* in cordibus eorum *diffunditur*, vel Concilium diſtinguit gratiam à charitate entitativè neg. connotativè C. IV. Gratia dat eſſe ſupernaturale: ergo nequit eſſe principium proximum operativum. R. N. Conſ. quia etiam calor dat eſſe calidum, & ſimul calefactivum.

## ASSERTIO LI.

*Juſtificatio eſt effectus formalis gratiæ ſanctificantis non ex natura rei, ſed ſolùm moralis, & ex ordinatione Divina. Scotus 2. diſt. 17. & 4. diſt. 16. quæſt.* 1. cum ſuis contra Thomiſtas.

*Probatur I.* Peccatum ex natura ſua phyſica non reddit hominem indignum amicitia DEI; ergo nec gratia ſanctificans reddit ex natura ſua hominem dignum amicitia DEI. Probat. antec. peccatum eſt tranſgreſſio legis, ita, ut implicante lege, etiam implicet peccatum; atqui lex habet tantùm ſuam vim dependenter à decreto DEI, ita ut ſecluſa lege, ejuſque tranſgreſſione, nullus dicatur indignus amicitia, & gloria DEI: ergo. II. Gratia dat tale jus ad gloriam homini, ita ut DEUS non poſſit illi negare gloriam; atqui tale jus nequit conferre connaturaliter ulla creatura, quia poſita quacunque creatura DEUS poteſt non agere ad ipſius exigentiam connaturalem: ergo nulla creatura ex natura ſua poteſt hominem ſanctificare. III. Character Baptiſmi non ex natura rei, ſed ex ordinatione Divina conſtituit formaliter hominem Chriſtianum: ergo etiam gratia ſanctificans non ex natura rei, ſed ex ordinatione Divina conſtituit formaliter hominem Filium DEI. Denique actus perfectæ dilectionis DEI ex natura rei non facit hominem DEO gratum, & ſanctum: ergo nec habitus charitatis, ſeu gratia ſanctificans.

*Objicitur I.* Sequeretur, quòd gratia non eſſet unica cauſa formalis noſtræ juſtificationis, ſed partim qualitas inhærens, partim etiam ordinatio extrinſeca favorabilis DEI, quod eſt contra Concilium Tridentinum. Reſpondeo neg. ſequelam; quia qualitas inhærens, ſeu habitus charitatis, & ordinatio, ſeu favor DEI conſtituunt integraliter unam cauſam formalem noſtræ juſtificationis, & Concilium Tridentinum potiùs eſt pro hac aſſertione; quia juſtificationem noſtram ſingulariter attribuit DEO, *qui gratuitò abluit, & ſanctificat.* II. Lumen gloriæ ex natura ſua facit hominem videre DEUM: ergo, & gratia ex natura ſua facit hominem amicum DEI. Reſpond. neg. Conſ. diſparitas eſt; quia viſio beatifica ideò connaturalis dicitur lumini gloriæ, quia lumen gloriæ eſt principium phyſicè effectivum viſionis beatificæ, & non habet ullum alium effectum quem præſtaret ex natura ſua: econtra gratia ex natura ſua eſt principium phyſicè effectivum amoris DEI, ſeu diligendi DEUM; reliquos autem effectus ipſi ex natura ſua competere, non poteſt probari. III. Gratia eſt participatio Divinæ naturæ, quæ ex natura ſua excludit omne peccatum. Reſp. diſt. ex ordinatione Divina Conc. ſecluſa ordinatione Divina, ſubdiſt. eſt participatio perfecta neg. imperfecta Conc.

## ASSERTIO LII.

*Gratia ſanctificans materialiter ſpectata, & peccatum mortale poſſunt ſtare ſimul de potentia DEI abſoluta. Scotus 1. d. 17.* cum ſuis.

*Probatur:* Si eſſet aliqua repugnantia quòd gratia materialiter ſpectata, & peccatum mortale non poſſent ſimul ſtare, eſſet oppoſitio phyſica inter gratiam, & peccatum; atqui inter gratiam, & peccatum non eſt oppoſitio phyſica: ergo. Probatur min. imprimis inter illa non eſt oppoſitio relativa; quia gratia, & peccatum, relationes non ſunt: nec contradictoria, quia peccatum non eſt pura negatio gratiæ, cùm ſit in ſubjecto gratiæ capaci: nec contraria; quia hæc oppoſitio eſt inter formas poſitivas: peccatum autem non eſt forma poſitiva: nec denique privativa: quia peccatum actuale non conſiſtit in privatione gratiæ, nec habituale, conſiſtit in privatione gratiæ, ſed in reatu, ſeu dignitate ad pœnam: ergo inter gratiam, & peccatum non eſt oppoſitio phyſica.

*Objicitur I.* Si gratia, & peccatum poſſent ſimul ſtare, idem homo eſſet amicus, & inimicus DEI; ſed hæc ſunt contradictoria: ergo. Reſp. neg. ſeq. Quia gratia materialiter ſumpta ex natura ſua non facit hominem DEI amicum, ſed tantùm ex ordinatione Divina, à qua præſcinditur. II. Saltem talis ſimul eſſet averſus à DEO per peccatum, & converſus ad DEUM per gratiam: ergo: Reſp. diſt. antec. eſſet converſus ad DEUM habitualiter, hoc eſt, haberet habitum charitatis infuſæ inclinantem ipſum ad amandum DEUM, qui tamen non tribueret jus ad gloriam, Conc. antec. eſſet converſus ad DEUM, hoc eſt, haberet jus ad gloriam, N. antec. III. Peccatum comparatur tenebris, & gratia luci, juxta illud Apoſtoli, *Eph. 5. Eratis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino;* ſed lux, & tenebræ ex natura rei ſibi opponuntur privativè: ergo etiam peccatum, & gratia. Reſp. Illam comparationem eſſe tantùm metaphoricam, & tropicam; dicitur enim gratia lux, quatenùs, ſicut lux aerem illuminat, ita, & gratia animam, quam peccatum obſcurat, non formaliter ex natura rei, ſed demeritoriè, gratiam tollendo.

## ASSERTIO LIII.

*Peccatum mortale poteſt DEUS, de ſua potentia abſoluta, remittere ſine infuſione alicujus qualitatis. Scotus 1. d. 17. q. 2.* cum ſuis contra Thomiſtas.

*Probatur.* Poteſt homo remittere alteri offenſam, & injuriam ſine collatione alicujus doni intrinſeci: ergo etiam DEUS. Item poteſt DEUS hominem conſtituere Regem, vel Pontificem ſine infuſione qualitatis, item relaxare vota, & condonare pœnas abſque impreſſione qualitatis: ergo etiam poterit alicui condonare ſua peccata, & eum recipere in amicum ſine infuſione qualitatis.

*Objicitur I. Ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap.* 4. Juſtificatio impii eſt translatio à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ: ergo nequit remitti peccatum ſine gratia. Reſp. diſt. Conſ. de facto Conc. de abſoluta DEI potentia neg. Conſ. quia DEUS abſolutè loquendo, poſſet alicui dimittere peccatum, nec tamen conferre jus ad gloriam. II. Saltem DEUS homini non poteſt conferre jus ad gloriam ſine infuſione qualitatis. Reſp. neg. ſi enim DEUS homini poteſt conferre jus ad regnum temporale ſine infuſione qualitatis; cur non etiam ad regnum cœlorum? III. Nequit fieri tranſitus de contradictorio in contradictorium ſine mutatione ſaltem uni intrinſeca. Reſpond. diſt. ſi ſit tranſitus phyſicus Conc. moralis neg.

## ASSERTIO LIV.

*Sola fides non juſtificat.* Contra Lutheranos, & Calviniſtas.

*Probatur I.* Quia S. Script. ad juſtificationem etiam requirit aliarum virtutum actus, ut *Eccl. 1. Qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari. Pſal. 36. Salvabit eos, qui ſperaverunt in eo. 1. Joan. 3. Qui non diligit, manet in morte.* Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis,* vita vivet,

vet, & non morietur. II. Quia 1.*Corinth.*13. ait Apoſtolus: *ſi habuero omnem fidem, ita, ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Jac.*2.*Videtis, quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantùm:* ergo ſola fides non juſtificat.

*Probatur I. Epheſ.*2. *Gratia eſtis ſalvati per fidem, non ex operibus. Rom.* 3. *Arbitramur, juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.* Reſp. loquitur Apoſtolus de operibus Legis Moſaicæ, & aliis ſine fide factis. II. *Luc.* 8. *Crede tantùm, & ſalva eris.* Reſp. Chriſtus non loquitur de fide remittente peccata, ſed de fide miraculorum; quia non exegit fidem à puella, quam ſoſcitare volebat, ſed a Patre pro Filia ſua deprecante. III. *Gal.*2. Non juſtificatur homo, niſi per fidem. Reſp. ſed non ſolam.

## ASSERTIO LV.

C*Ontritio, & Amor DEI ſuper omnia non juſtificant formaliter, ſed tantum diſpoſitivè. Scotus* 4.d.4.q.2. cum ſuis contra Vaſquez, & alios recentiores.

*Probatur. Concil. Trident. ſeſſ.*6.*cap.*9. docet, unicam eſſe cauſam formalem noſtræ juſtificationis, videlicet juſtitiam inhærentem, qua etiam parvuli baptizati adhuc proprii actus incapares juſtificantur, & *ſeſſ.* 14. *capit.* 4. aſſerit, contritionem ad remiſſionem peccatorum præparare: ergo Contritio, & Amor DEI formaliter non juſtificant.

*Objicitur I.* Si homo immediate aſſumeretur ad beatitudinem, juſtificaretur per actum dilectionis in patria: ergo etiam juſtificabitur formaliter per actum dilectionis in via. Reſp. N. Conſ. Diſparitas eſt; quia actus dilectionis in patria eſt ipſa gloria, adeòque habens gloriam, utique etiam habebit jus ad gloriam; ſecùs eſt de dilectione in via. II. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, Joann* 14. Reſp. diſt. ita, ut dilectio ſit cauſa formalis, quare DEUS diligit hominem Neg. ita ut ſit diſpoſitio, Conc. III. Actus eſt perfectior habitu: ergo ſi habitus charitatis ſeu gratiæ ſanctificantis formaliter juſtificat, multo magis actus charitatis ſic juſtificabit. Reſp. Neg. Conſ. quia ſtatus ſanctitatis eſt permanens etiam in dormientibus, non ſic actus charitatis.

## ASSERTIO LVI.

U*Ltima diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem, non procedit effectivè ab eadem.* Scotus 4. *diſt.* 4. *quæſt.*2. *contra Thomiſtas.*

*Probatur, juxta Concil. Trident. ſeſſ.*6.*cap.*7. diſpoſitionem ad juſtificationem impii, modo conſequitur juſtificatio; atqui juſtificatio formaliter fit per gratiam ſanctificantem: ergo etiam gratia ſanctificans conſequitur diſpoſitionem ad juſtificationem; atqui prius nequit effectivè procedere à poſteriori: ergo neque diſpoſitio ad gratiam poteſt effectivè procedere à gratia.

*Objicitur I.* Diſpoſitio ad gratiam eſt prior gratia in genere cauſæ materialis, at poſterior in genere cauſæ efficientis. Reſpond. in illo priori naturæ ad gratiam, vel intelligitur ultima diſpoſitio ad gratiam, exiſtere, vel non? Si non intelligitur exiſtere, quomodo in genere cauſæ materialis poterit diſponere non exiſtens? Si intelligitur exiſtere: quomodo in inſtanti naturæ poſteriori poterit modò effectivè produci à gratia? Cùm rem exiſtere ſit eam poſitam eſſe extra omnes ſuas cauſas. II. Sacra Scriptura, & ſancti Patres ajunt, contritionem procedere à gratia. Reſp. diſt. à gratia actuali, Conc. habituali, ſubd. præcedente, Conc. ſubſequente neg.

## ASSERTIO LVII.

O*Pera bona ſunt vitæ æternæ meritoria, & ad eam conſequendam adultis neceſſaria.* Contra Lutherom, & Calvinum.

*Probatur I.* Quia vita æterna datur adultis tanquam *Merces. Matth.* 5. tanquam *Corona* 2. *Timoth.*4. tanquam *Bravium.* 1. *Corinth.* 9. tanquam *Denarius* dari ſolitus operario *Matth.*20. tanquam *effectus* bonorum operum *Matth.* 25. *Venite Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum; Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare;* atqui *merces, corona, Bravium &c.* non dantur, niſi propter præcedentia merita: ergo. II. Propter demerita infligitur pœna æterna reprobis: ergo propter merita confertur vita æterna electis; nam *Rom.* 2. *DEUS reddet unicuique ſecundùm opera ſua.*

*Objicitur I. Rom.*6. *Gratia DEI Vita æterna.* Reſp. radicaliter eſt gratia, quia datur propter merita, quorum radix eſt gratia; non formaliter. II. *Non ex operibus, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, ad Tit.* 3. Reſp. loquitur Apoſtolus de operibus fidem, & gratiam præcedentibus. III. *Servi inutiles ſumus, Luc.*17. ergo nihil meremur. Reſp. diſt. Conſ. ex viribus propriis naturalibus Conc. cum gratia Divina neg. Conſ.

## ASSERTIO LVIII.

E*Ccleſia habet poteſtatem Legiſlativam ad condendas Leges in conſcientia obligantes, poteſtque judicare, ac punire tranſgreſſores.* Contra Vvaldenſes, Vvicleff, Huſſ, Lutherum, & Calvinum.

*Probatur:* Quia Chriſtus *Joan.*21. dixit Petro: *Paſce oves meas, & Matt.*18. *Si Eccleſiam non audierit; ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus; & S. Paulus* Hebr. 13. inquit: *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete illis, & Rom.*13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non enim eſt poteſtas, niſi à DEO; quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt; itaque qui poteſtati reſiſtit, DEI ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt, ideòque neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam:* Ergo Eccleſia habet poteſtatem legiſlativam &c.

*Objicitur I.* Chriſtus *Marc.*7. damnat præcepta hominum. Reſpond. diſt. adverſantia præceptis Divinis Conc. conformia iiſdem Neg. II. *Gal.*2. ait S. Paulus: *Vos in libertatem vocati eſtis.* Reſp. diſt. à ſervitute peccati, & diaboli Conc. Legis Neg. III. *Juſto non eſt lex poſita.* Reſp. quia obſervat eam amore honeſtatis, non timore pœnæ.

*Ex III. Libro Sententiarum de Incarnatione Verbi Divini, ac virtutibus Theologicis, & Moralibus.*

## ASSERTIO LIX.

U*Nio Hypoſtatica eſt realiter diſtincta à Verbo Divino, & Humanitate.* Ita Doctor Subtilis cum ſua ſchola, & multis recentioribus, ac Thomiſtis.

*Probatur.* Quæ ſunt ab invicem ſeparabilia, ſunt realiter ab invicem diſtincta; atqui Verbum Divinum, & natura humana Chriſti ſunt ab unione Hypoſtatica ſeparabilia, cùm Verbum Divinum, & natura humana potuiſſent eſſe ſine unione Hypoſtatica, imò per abſolutam DEI potentiam, Verbum Divinum, & natura humana poſſunt eſſe ſine unione Hypoſtatica: ergo unio Hypoſtatica eſt realiter diſtincta à Verbo Divino, & humanitate Chriſti.

*Objicitur I.* Unio Hypoſtatica non eſt ſeparabilis à Verbo Divino, & natura Humana *unitis*. R.D. unitis ſpecificativè N. unitis reduplicativè C. II. Ergo non eſt realiter diſtincta ab illis, *ut unitis* reduplicativè. Reſp. neg. illatum: quia albedo etiam non eſt ſeparabilis à muro, *ut albo* reduplicativè, & tamen eſt realiter diſtincta à muro, quia eſt ſeparabilis à muro ſpecificativè albo. Idem dicendum de unione Hypoſtatica, maximè, cùm Decreto DEI volentis unire naturam humanam Verbo Divino, nequeat aſſignari aliud objectum, quàm unio Hypoſtatica realiter diſtincta.

## ASSERTIO LX.

V*Erbum Divinum fuit immediatè unitum ſanguini exiſtenti in Corpore Chriſti, & effuſo in triduo mortis ejus.* Communis.

*Probatur I. Clemens VI. Extrav. Unigenitus de pœnit. & remiſſ. ait, Guttam ſanguinis Chriſti modicam propter unionem ad verbum pro redemptione totius humani generis ſuffeciſſe.* II. *Quia Conc. Trid. ſeſſ.*13. *cap.*3. definit, ſub ſpeciebus vini conſecratis, vi verborum per ſe primò poni ſanguinem Chriſti, & concomitanter Divinitatem: ergo ſanguis erit immediatè unitus Verbo Divino. III. Quia ſanguis non eſt purum alimentum; aliàs non reſurgeret in corporibus glorioſis, contra *Conc. Trid.* cit. ergo ſanguis ſpectat ad veritatem corporis humani, cùm ſit inſtrumentum neceſſarium ad multas operationes vitales, adeoque erit immediatè unitus Verbo Divino.

*Objicitur I.* Sanguis non eſt pars corporis: Reſp. diſt. eſſentialis Conc. Integralis neg. II. Sanguis etiam non eſt pars integralis corporis. Reſpond. diſt. primaria Conc. ſecundaria N. III. Sanguis effuſus in triduo mortis Chriſti perdidit ſuam formam ſubſtantialem. Reſp. Neg. quia fuit miraculosè præſervatus à corruptione, juxta illud *Pſalm.* 15. *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.*

AS-

Digitized by Google

### ASSERTIO LXI.

H*Umanitas Chriſti exiſtit exiſtentia propria creata. Scotus 2. diſt.6. quaſt.*1. cum ſuis, & recentioribus, contra Thomiſtas.

*Probatur.* Humanitas Chriſti pro ſui cauſa efficiente habet DEUM, & Beatiſſimam Virginem MARIAM; atqui cauſalitas cauſæ efficientis terminatur ad exiſtentiam humanitatis, non increatam, hæc enim efficienter cauſari nequit: ergo ad creatam. Item exiſtentia increata Verbi Divini in Chriſto eſt æterna, neceſſaria, independens, & immutabilis; atqui exiſtentia humanitatis Chriſti eſt temporalis, contingens, dependens, & mutabilis; ergo humanitas Chriſti non exiſtit per exiſtentiam increatam Verbi Divini, ſed per creatam, & propriam.

*Objicitur.* Sancti Patres in Chriſto agnoſcunt unicam exiſtentiam ſcilicet increatam Verbi Divini: ergo humanitas Chriſti per eam formaliter exiſtet. Reſp. Sanctos Patres accepiſſe exiſtentiam pro ſubſiſtentia Perſonæ, non pro exiſtentia naturæ, cùm enim Chriſtus ſit una perſona, unam tantùm habet ſubſiſtentiam; at verò, quia in Chriſto ſunt duæ naturæ, Divina, & humana, ita quoque duas habet exiſtentias, Divinam, & humanam.

### ASSERTIO LXII.

C*Hriſtus ut homo eſt verus Filius Beatiſſimæ Virginis Mariæ per Filiationem creatam. Scotus 3. diſt. 8. unica*, Scotiſtæ ac recentiores paſſim contra Thomiſtas.

*Probatur:* Filiatio, qua Chriſtus ut homo dicitur Filius Beatiſſimæ Virginis, eſt temporanea, accidentalis, & terminata ad Beatiſſimam Virginem; atqui Filiatio increata Chriſti non eſt temporanea, ſed æterna, non accidentalis, ſed ſubſtantialis, non terminata ad Beatiſſimam Virginem, ſed ad Patrem æternum: ergo Chriſtus ut homo non dicitur Filius Beatiſſimæ Virginis per Filiationem increatam, ſed creatam, cùm ſit intrinſece Filius; Deinde ſi pater, vel Spiritus Sanctus fuiſſent incarnati, etiam dicerentur Filii Beatiſſimæ Virginis, non per Filiationem increatam, quam non haberit: ergo idem dicendum de Chriſto.

*Objicitur.* Subjectum Filiationis eſt ſolùm ſuppoſitum: atqui Chriſtus eſt tantùm unicum ſuppoſitum; ſcilicet Divinum, quod eſt incapax Filiationis creatæ recipiendæ: ergo Chriſtus Filiationem creatam non habet, adeoque per increatam dicetur Filius Beatiſſimæ Virginis. Reſpond. diſt. maj. ſubjectum denominationis eſt ſuppoſitum; Conc. maj. inhæſionis neg. maj. nam natura humana in Chriſto eſt ſubjectum inhæſionis Filiationis creatæ, & ſubjectum denominationis eſt Chriſtus.

### ASSERTIO LXIII.

A*Nima Chriſti per ſcientiam beatam cognovit ſaltem habitualiter omnia in Verbo Divino, quæ novit Verbum Divinum. Scotus 3. diſt. 14. quaſt. 2.* cum ſuis contra Thomiſtas.

*Probatur. Potuit Verbum Divinum* animæ Chriſti oſtendere omnia ſaltem habitualiter, quæ novit Verbum Divinum, *Decuit* inſuper, ut oſtenderet, quia Chriſtus eſt Filius DEI, Caput, Judex, & Finis univerſorum: ergo *oſtendit* omnia ſaltem habitualiter, quatenus Verbum Divinum paratum eſt, omnia, quæ novit, ſucceſſivè repræſentare animæ Chriſti; videtur enim implicare, quòd anima Chriſti, actu ſimul omnia videat, quæ videt Verbum Divinum, cùm ad hoc requiri videatur infinitus intellectus; & infinita viſio, ac attentio.

*Objicitur I.* Doctor ſubtilis cit. probabilem judicavit ſententiam docentem, quòd anima Chriſti defacto ſimul omnia videat in verbo Divino, quæ videt Verbum Divinum: ergo. Reſpond. Scotum hanc ſententiam judicaſſe probabilem ea reverentia, & devotione erga Chriſtum; non tamen ut probabiliorem, cùm loco citato ſubjungat: *Quod ſi hic dicendi modus non placet, poteſt dici, quòd videat omnia, ſi non actualiter, ſaltem habitualiter.* II. Si anima Chriſti non vidit omnia ſimul: ergo habuit aliquorum ignorantiam. Reſp. neg. ſeq.

### ASSERTIO LXIV.

A*Nima Chriſti fuit ſancta formaliter per gratiam habitualem ſanctificantem creatam. Scotus 3.d.13.q.1.& 2.* cum ſuis, contra Thomiſtas, & recentiores.

*Probatur.* Juxta *Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7.* reddere ſanctum eſt effectus formalis primarius gratiæ habitualis creatæ; atqui etiam juxta Adverſarios, anima Chriſti hab gratiam habitualem creatam; ergo per hanc erit formaliter ſancta, & non per unionem hypoſtaticam; cùm idem effectus formalis in eodem ſubjecto nequeat à duplici cauſa totali procedere. Deinde effectus formalis unionis hypoſtaticæ, tantùm eſt unire humanitatem Chriſti Verbo Divino; ſed hoc non eſt eſſe formaliter ſanctum; ſeu habere jus proximum ad gloriam, cùm etiam natura humana in puris naturalibus potuiſſet hypoſtaticè uniri Verbo Divino, quæ tamen non fuiſſet formaliter ſancta: ergo non unio hypoſtatica, ſed gratia ſanctificans tribuit ſanctitatem formalem creatam.

*Objicitur I.* Sancti Patres aſſerunt animam Chriſti fuiſſe ſanctificatam per unionem hypoſtaticam. Reſp. diſt. ſanctitate perſonali, & ſubſtantiali C. accidentali neg. II. Unio hypoſtatica tribuit jus ad gloriam. Reſp. D. Jus radicale, & remotum C. formale, & proximum Neg.

### ASSERTIO LXV.

G*Ratia ſanctificans animam Chriſti, fuit ſumma de potentia DEI ordinaria; potuiſſet tamen de potentia DEI abſoluta adhuc intendi. Scotus 3. diſt. 13. qu. 1.2.3. & 4.* cum Scotiſtis.

*Probatur. Potuit* DEUS animæ Chriſti conferre ſummam gratiam, qua excederet omnium hominum, & Angelorum collectivè ſumptorum gratias, quia omnipotens eſt; *Decuit* talem conferre Chriſto, quia erat Filius DEI, & Caput omnium: ergo eidem *fuit collata* gratia ſumma de potentia DEI ordinaria; quia verò qualitas in infinitum intendi poteſt, ſicut quantitas poteſt augeri in infinitum, ideò gratia habitualis Chriſti abſolutè adhuc intendi poſſet.

*Objicitur. Scotus 3. diſt. 13. quaſt. 2. ait: probabile eſt dicere, DEUM tantam gratiam contuliſſe animæ Chriſti, quantam potuit; potuit autem conferre tantam, quantam creare potuit, potuit autem creare ſummam*: ergo ſummam contulit. Reſp. Doctorem Subtilem hæc non protuliſſe ut certa, ſed ut probabilia, quia expreſsè ait: *probabile eſt dicere, ſecundùm Magiſtrum.* Ita autem locutus eſt præciſè per exceſſum ex reverentia erga Chriſtum, nam *quaſt. cit.* ait: *in commendando Chriſtum malo excedere, quàm deficere à laude ſibi debita, ſi propter ignorantiam oporteret in alterum incidere.*

### ASSERTIO LXVI.

C*Auſa phyſica proxima impeccabilitatis Chriſti fuit ejus Beatitudo.* Schola Subtilis cum ſuo Doctore. *3. diſt. 2. q.1.* contra Thomiſtas, & recentiores.

*Probatur.* Beati ſunt phyſicè, & proximè impeccabiles propter Beatitudinem, ob quam eiſdem denegatur concurſus ad peccandum: ergo etiam anima Chriſti (quæ ab inſtanti conceptionis ſuæ fuit beata) erit phyſicè, & proximè impeccabilis propter ſuam beatitudinem. Deinde unio hypoſtatica non eſt forma ſanctificans formaliter, ac peccatum excludens, ut dictum *Aſſertione* 64. nec habet annexam inſeparabiliter beatitudinem, cùm unio hypoſtatica ſit realiter diſtincta à Beatitudine, atque prior: ergo non unio hypoſtatica reddit animam Chriſti *phyſicè*, & *proximè* impeccabilem, ſed ejus beatitudo.

*Objicitur I.* Sancti Patres impeccabilitatem Chriſti referunt in unionem hypoſtaticam. Reſpond. diſt. tanquàm in cauſam radicalem, & remotam Conc. formalem, & proximam Neg. II. Si ſtante unione hypoſtatica anima Chriſti poſſet peccare, etiam Chriſtus, vel Verbum Divinum poſſet dici, poſſe peccare. Reſpond. diſt. Chriſtus, vel Verbum Divinum poſſet dici poſſe peccare per communicationem idiomatum, ſicut dicitur mortuum Conc. intrinſecè Neg.

### ASSERTIO LXVII.

M*Eritum Chriſti non fuit ſimpliciter, & intrinſecè infinitum, ſed tantùm extrinſecè, & ſecundùm quid. Scotus 3. diſt. 19. q. unica* cum ſuis, contra Thomiſtas, & recentiores.

*Probatur I.* Ad meritum Chriſti concurrit voluntas humana Chriſti finita, gratia finita, bonitas moralis, & cognitio finita, & ſola Perſona, quæ denominatur merens, eſt infinita: ergo, cùm effectus ſequatur partem debiliorem ſuæ cauſæ, meritum Chriſti nequit eſſe ſimpliciter infinitum, ſed tantùm extrinſecè ob dignitatem infinitam Perſonæ merentis. II. Chriſtus non potuit plus mereri, quàm DEUS præmiare; atqui DEUS nequit dare præmium intrinſecè infinitum: ergo nec meritum Chriſti po-

potui

tuit eſſe intrinſecè infinitum. III. Infinitum Categorematicum creatum implicat: ergo etiam implicat meritum ſimpliciter infinitum.

*Objicitur I.* Suppoſitum Chriſti merens eſt intrinſecè infinitum: atqui actiones ſunt ſuppoſitorum: ergo. Reſp. Diſt. Min. elicitivè Neg. denominativè Conc. Min. II. Actiones Chriſti ſunt *Theandricæ*. Reſp. Diſt. ideò, quia procedunt] à natura humana perſonata à Verbo Divino Conced. ideò, quia ſunt intrinſecè infinitæ. Neg. III. Meritum creſcit ex dignitate Perſonæ merentis. Reſp. Diſt. arithmeticè Neg. geometricè ſubd. in rigore Neg. ſecus Conc.

## ASSERTIO LXVIII.

*Chriſti ſatisfactio pro noſtris peccatis erat actus juſtitiæ, non tamen rigoroſæ. Scotus 3. diſt.* 19 *&* 20. Scotiſtæ, contra Thomiſtas, & Recentiores.

*Probatur*. Chriſtus pro noſtris peccatis exhibuit DEO condignam ſatisfactionem ex motivo reſarciendi injuriam ipſi per noſtra peccata illatam: ergo ſatisfactio Chriſti fuit actus juſtitiæ, non tamen rigoroſæ: hæc enim requirit, ut ſatisfactio fiat ea bonis debito, is, in quæ creditor nullum jus in re, & poſſeſſionem habet: atqui ſatisfactio à Chriſto facta eſt ex bonis, in quæ DEUS habuit jus, & dominium perfectiſſimum; ergo non erat actus juſtitiæ rigoroſæ.

*Objicitur I.* Satisfactio Chriſti fuit ſuperexcedens debitum: ergo fuit ex rigore juſtitiæ. Reſp. Neg. Conſ. Quia Chriſtus ſolvit ea bonis, in quæ Deus jus in re, & poſſeſſionem habuit. II. Si creditor donet debitori 100. florenos ad ſolvendum debitum, & debitor per 100. florenos, dono acceptos, ſolvat creditori debitum, facit actum rigoroſæ juſtitiæ; ergo, licèt Deus Chriſto donaverit gratiam, & merita, & per hæc Chriſtus ſolverit noſtrum debitum, etiam Chriſtus fecit actum rigoroſæ juſtitiæ. Reſp. Neg. conſ. quia in humanis per donationem transfertur jus in donatarium, non ſic fit apud Deum.

## ASSERTIO LXIX.

*Chriſtus adhuc veniſſet vi præſentis Decreti, etiamſi Adam non peccaſſet.* Ita Doctor noſter Subtilis 3. *diſt.* 7. *q.* 3. cum tota ſua Schola, contra Thomiſtas, & Recentiores.

*Probatur I.* Chriſtus fuit decretus ad exiſtendum ante Adamum, & ejus poſteros, *Col.* 1. *Qui eſt primogenitus omnis creaturæ, omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes*: quem textum *Conc. Epheſinum tom.* 1. *cap.* 4. *& Sadircenſe* intelligunt *de Chriſto ut homine*: ergo. II. Deus utpote ordinatiſſimè volens, priùs vult finem, ſcilicet ſuam gloriam, & ad hanc priùs, medium perfectiſſimum, ſcilicet incarnationem, quàm Adamum: ergo. III. Aliàs Incarnatio fuiſſet tantùm bonum occaſionatum à peccato, & Chriſtus fuiſſet debitor peccato Adami, fuiſſentque homines in ſtatu innocentiæ deterioris conditionis, quàm in ſtatu naturæ lapſæ: ergo Chriſtus fuit decretus ante peccatum Adami, adeòque veniſſet, etiamſi Adam non peccaſſet.

*Objicitur I.* Sacra Scriptura, & ſancti Patres aſſerunt, Chriſtum veniſſe, ut ſalvum faceret, quod perierat, genus humanum. Reſp. diſt. Chriſtum in carne paſſibili ut redemptorem veniſſe &c. conc. ut ſanctificatorem in carne impaſſibili. Neg.

II. Incarnatio habuiſſet duos fines totales. R. d. incarnatio ſecundùm idem N. ſecundùm diverſa conc. Nam *Incarnationis quoad ſubſtantiam* finis totalis fuit *Excellentia Miſterii*: quoad *modum paſſibilitatis* verò finis, & motivum totale fuit *redemptio generis humani*. *Dices*: Etiam incarnatio quoad ſubſtantiam fuit medium neceſſarium ad redemptionem generis humani: ergo etiam incarnatio quoad ſubſtantiam fuit decreta propter redemptionem generis humani. Reſp. d. conſequens: fuit decreta decreto *primo intentivo*, neg. conſeq. Decreto *Executivo*, hoc eſt, fuit à Deo ordinata poſt prævisum peccatum originale ad redemptionem generis humani, ſeu ejus fructus, & merita relata ad ſatisfaciendum pro peccato originali conc. conſ.

III. In ſtatu innocentiæ Chriſtus habuiſſet carnem paſſibilem: ergo non veniſſet impaſſibilis. Reſp. diſt. anteced. Chriſtus habuiſset carnem intrinſecè paſſibilem, prout paſſibilitas intrinſeca eſt proprietas corporis humani c. ant. paſſibilem ab extrinſeco, neg. ant. cum conſ. ſiquidem Chriſtus in ſtatu innocentiæ habuiſset carnem (non quidem *glorioſam*, qualem de facto habet in cœlo: nam debuiſset concipi, generari, nutriri, augmentari, & eſse viator in ſtatu innocentiæ) ſed impaſſibilem ab extrinſeco, qualem habuit Adam in ſtatu innocentiæ. *Dices*: Deus non habuit Decretum de impaſſibilitate carnis Chriſti: aliàs de facto veniſſet in carne impaſſibili: ergo. Reſp. diſt. ant. Deus non habuit Decretum *abſolutum* de impaſſibilitate carnis Chriſti conc. ant. *Conditionatum* neg. ant. cum conſeq. cùm enim Deus evidenter ſciverit, Chriſtum, ſi Adam non eſſet peccaturus, venturum in carne impaſſibili, ideò etiam debuit habuiſſe Decretum ex parte actus abſolutum, & ex parte objecti conditionatum, quo decrevit, Chriſto, ſi Adam non eſſet peccaturus, dare carnem impaſſibilem: cùm futura etiam conditionata videat Deus in Decretis ex parte actus abſolutis, ut ſuprà dictum, & conditionatis ſolùm ex parte objecti: quæ deinde purificata conditione, ſeipſis, etiam ea parte objecti tranſeunt in abſoluta.

IV. *Juxta Scotiſtas*, in ſtatu innocentiæ, ſi Adam non peccaſſet, non fuiſſet inſtituta Euchariſtia: ergo nec Chriſtus veniſſet in ſtatu innocentiæ, ſi Adam non peccaſſet. Neg. conſeq. Diſparitas eſt, quia incarnatio quoad ſubſtantiam fuit opus Dei excellentiſſimum, & nobiliſſimum ad extra, adeòque non debebat intendi propter peccatum, ſed propter ſe, etiamſi nullum fuiſſet peccatum. E contra inſtitutio Euchariſtiæ non fuit opus Dei excellentiſſimum, & conſequenter jam poterat eligi à Deo tamquam medium ad ſubveniendum naturæ per peccatum originale corruptæ; hoc autem ſcilicet peccatum originale, non fuiſſet, ſi Adam non peccaſſet, adeòque nec tunc fuiſſet inſtituta Euchariſtia. Quod ulteriùs colligitur ea eo, quia in Patria erit incarnatio quoad ſubſtantiam, & Chriſtus: non tamen ibi erit Euchariſtia, adeòque hæc non eſt intenta propter ſe, ſicuti incarnatio quoad ſubſtantiam, ſed præcisè ad ſubveniendum naturæ per peccatum corruptæ, ſicuti etiam propter hoc motivum eſt decreta paſſibilitas, & mors Chriſti.

## ASSERTIO LXX.

*Unica tantùm fides eſt ſalvifica.* Ita docet Eccleſia Catholica contra Libertinos, & indifferentiſtas.

*Probatur*. Quia *Eph.* 4. ait S. Paulus: *unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma*, & Chriſtus *Matth.* 17. *Si Eccleſiam non audierit; ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*. Ratio eſt, quia Deus nequit revelare contradictoria, cùm nec falli, nec fallere poſſit: atqui ſi duæ diverſæ fides eſſent veræ, Deus revelaſſet contradictoria; ergo unica tantùm fides eſt vera, & ſalvifica.

*Objicitur*. Multi infideles inculpabiliter putant, ſuam fidem eſſe ſalvificam: ergo ſaltem tales ſalvabuntur. Reſp. diſt. conſ. vi ſuæ ſectæ n. propter ſuam ignorantiam inculpabilem, modò tamen credant articulos fidei Catholicæ neceſſarios neceſſitate medii, ſperent, & ament Deum, & eliciant contritionem perfectam, ſi ſint in peccato mortali c. conſ.

## ASSERTIO LXXI.

*Deus ſub ratione primæ Veritatis in revelando eſt objectum formale fidei Divinæ. Scotus q.* 1. *Prologi*, cum ſuis, & Thomiſtis.

*Probatur*. Ultima ratio, cur fide Divina credamus articulos fidei infallibiliter, eſt hæc, quia Deus, qui eſt prima veritas in revelando, ſeu qui nec falli, nec fallere poteſt, eoſdem revelavit: ergo Deus ſub ratione primæ veritatis in revelando, eſt objectum formale fidei divinæ.

*Objicitur I.* Veritas divina ulteriùs reſolvitur in Deitatem. R. d. tamquàm in rationem aſſentiendi n. eſſendi c. I. Veritas Divina reſolvitur in atteſtationem Eccleſiæ tamquam in rationem aſſentiendi. R. d. à priori n. à poſteriori c. III. Ipſa Veritas Divina in revelando etiam creditur fide Divina: atqui non propter ſeipſam: ergo propter aliud objectum formale. R. n. min. quia quod eſt alteri ratio eſſendi tale, ſeipſo eſt tale. IV. Ratio aſſentiendi debet eſſe notior ipſo objecto, cui aſſentimur; atqui veritas Divina non eſt notior objectis revelatis: ergo non eſt ratio aſſentiendi. Reſpondeo diſtinguo majorem, in aſſenſu ſciéntifico concedo, in aſſenſu obſcuro nego majorem. V. etiam ipſa revelatio determinat intellectum ad aſſenſum Fidei. Reſpondeo diſtinguo ratione ſui nego, ratione veracitatis divinæ c.

## ASSERTIO LXXII.

*Cum evidentia revelantis poteſt conſiſtere fides infuſa circa rem revelatam. Scotus* 3. *d.* 24. *qu. unica* cum ſuis, ac pluribus Recentioribus contra alios.

*Probatur*. De eſſentia fidei eſt, ut oitatur auctoritate dicentis, ſive evidenter conſtet de dicente, ſive non, ut patet in fide humana: ergo, licèt alicui evidenter conſtet de revelante DEO, poterit tamen elicere actum fidei Divinæ circa rem revelatam, quæ manet adhuc obſcura; aliàs primus Angelus in via non habuiſſet fidem, cùm eidem DEUS revelans fuerit evidens.

*Objicitur I.* Stante evidentia revelantis DEI, veritas rei revelatæ eſt evidens. R. D. per medium intrinſecum, & ex natura rei connexum cum re revelata N. per medium *extrinſecum rei revelata*, nec cum ea ex natuca connexum C. II. Per Creaturas DEUS eſt evidens, etiamſi Creaturæ DEO ſint extrinſecæ R. D. Creaturæ ſunt DEO extrinſecæ in eſſendo C. In cognoſcendo Neg. quia Creaturæ productæ habent intrinſecam, & neceſſariam connexionem cum DEO tamquàm ſua cauſa. III. Cum evidentia revelantis DEI, aſſenſus fidei non foret liber circa rem revelatam. Reſp. Neg. quia intellectus non neceſſitatur, quoad exercitium actus, niſi circa objectum intrinſecè evidens.

## ASSERTIO LXXIII.

*SAcra Scriptura continens libros à Concilio Tridentino ſeſſ. 4. ſpecificatos, in veteri vulgata latina editione eſt verum verbum DEI.* Contra Calviniſtas, Lutheranos, & alios Hæreticos.

*Probatur I.* Quia Ecclesia Catholica habet, & jam à mille ferè annis habuit pro Canonicis, libros Sacræ Scripturæ à Concilio Tridentino ſpecificatos, nam Innocentius I. *epiſt. 3. ad Exuperium c. 7. anno* 402. Libros vulgatæ editionis jam habuit pro Canonicis. II. Quia una eſt vera fides in Ecclesia Chriſti: ergo etiam una vera Sacra Scriptura, at non alia, quàm vulgatæ editionis, utpote à tot SS. Patribus approbata: ergo.

*Objicitur I.* Judæi non habent omnes libros veteris Teſtamenti ſpecificatos pro Canonicis; ergo non ſunt Canonici. R. N. conſ. quia Ecclesia Chriſti in fide infallibilis, hos declaravit ut Canonicos. II. In libris Sacræ Scripturæ ſpecificatis reperiuntur contradictiones: ergo non ſunt verum verbum DEI. R. D. Ant. reperiuntur contradictiones veræ N. apparentes C. Ant. & N. conſequent. nam ubi in Sacra Scriptura apparet contradictio, explicanda eſt, quòd vel loquatur de alia perſona, vel de alio loco, vel de tempore, vel in alio ſenſu &c.

## ASSERTIO LXXIV.

*PRæter Verbum DEI ſcriptum datur etiam Verbum DEI non ſcriptum, ſeu traditum.* Contra Lutheranos, & Calviniſtas.

*Probatur I. Joan. 21. Sunt autem, & alia multa, quæ fecit JESUS, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros 2. Theſſ. 2. Tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.* II. Credimus fide Divina ſcripturam veteris, & novi Teſtamenti eſſe verum Verbum DEI; atqui hoc non credimus, quia ſcriptum eſt; in qua enim ſcriptura ſcriptum hoc eſt? ergo propter Verbum DEI traditum.

*Objicitur I. Deuter. 4. Non addetis ad Verbum, quod vobis loquor.* Reſp. Non addetis quidquam ei contrarium. II. *Matth. 15. Quare, & vos tranſgredimini Mandatum DEI propter traditionem veſtram?* Reſp. ſcilicet humanam, & vanam, non Divinam, aut Apoſtolicam. III. Traditiones non poſſunt tamdiu conſervari. Reſp. Diſt. per providentiam humanam C. Divinam N. IV. 2. *Timoth. 3. Omnis ſcriptura Divinitùs inſpirata utilis eſt ad docendum*. Reſp. ſed non ſola utilis eſt, nec ſola ſufficiens ad docendum ſine Verbo DEI tradito.

## ASSERTIO LXXV.

*SOla Romana Eccleſia eſt Vera DEI, & Chriſti Eccleſia.* Contra omnes infideles.

*Probatur*. Sola Romana Ecclesia habet notas veræ Ecclesiæ, nam eſt *Una*. 1. Quia habet unum caput, ſcilicet Romanum Pontificem. 2. Quia eſt una in credendis fidei articulis: eſt *Sancta*. 1. Sanctitate Doctrinæ. 2. Vitæ. 3. Et Miraculorum. Eſt *Catholica*. 1. Quia per totum orbem diffuſa. 2. Et per omnes nationes. 3. Quia fuit omni tempore, nimirum à tempore Chriſti uſque nunc, & erit uſque ad finem mundi: Eſt *Apoſtolica*. 1. Quia in Apoſtolis habuit initium. 2. Per eoſdem fuit propagata. 3. Tenet eorum Doctrinam. 4. Quia retinet non interruptam Epiſcoporum ſucceſſionem ad ſua uſque tempora; quæ adeò vera ſunt, ut etiam oculis conſpici, & manibus palpari queant; atqui nulla alia Ecclesia habet has quatuor notas, ut iterum manifeſtum eſt: ergo ſola Romana Ecclesia eſt vera DEI, & Chriſti Ecclesia.

*Objicitur I.* Catholicorum Doctrina non eſt Una. Reſp. D. in iis, quæ ſunt de fide N. in aliis, C. II. Catholici ſunt mali. Reſp. D. vitio fidei, & Religionis, N. vitio proprio T. III. Ecclesia Romana eſt Ecclesia particularis. Reſp. D. ut eſt ſub Epiſcopo Romano tamquam ſpeciali Paſture ſuo C. ut eſt ſub Epiſcopo Romano tamquam Paſtore univerſali. N.

## ASSERTIO LXXVI.

*VEra Chriſti Eccleſia debet eſſe viſibilis.* Contra Lutherum, & alios Hæreticos.

*Probatur I.* Quia Chriſtus ſuam Ecclesiam comparat *civitati ſupra montem poſita, Matth. 5. Sagenæ miſſa in mare*, & ex omni genere piſcium congreganti. *Matth. 13. Convivio nuptiali*, ad quod boni, & mali vocati ſunt, *Matth. 22.* ſed hæc ſunt viſibilia: ergo etiam Ecclesia. II. Chriſtus *Matth. 18.* ait; *Dic Eccleſiæ. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi, ſicut Ethnicus, & Publicanus*; ſed quomodo Ecclesiæ poterit aliquid dici, aut ab illa audiri, ſi viſibilis non ſit? III. In Ecclesia Chriſti Epiſcopi, & Paſtores viſibiliter gubernant, & docent ſuos ſubditos, Sacramenta adminiſtrant, celebrant Concilia: ergo eſt viſibilis.

*Objicitur I.* Fide credimus Ecclesiam: ergo non ex viſibilis. Reſp. D. ant. Fide credimus Ecclesiam, id eſt, homines profitentes Fidem Chriſti ſub Romano Pontifice N. ant. id eſt, credimus veram eſſe doctrinam Chriſti, quæ in Ecclesia traditur C. ant. II. *Non venit Regnum DEI cum obſervatione. Luc. 17.* Reſp. Sermo eſt de Regno DEI in juſtis per Gratiam, quod eſt inviſibile; non de Regno Ecclesiæ, quod eſt viſibile; *quia non eſt ſub modio Eccleſia, ſed ſupra candelabrum. Ait S. Aug. l. de unit. Eccl. c. 16.*

## ASSERTIO LXXVII.

*VEra Chriſti Eccleſia durabit uſque ad finem Mundi.* Eſt de fide.

*Probatur.* Quia *Matth. 16.* ait Chriſtus: *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et Matth. 24. prædicabitur hoc Evangelium Regni in univerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio, & Matth. 28. Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*, & *Eph. 4.* ait S. Paulus: *ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, Paſtores, Doctores &c. ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei &c.* Ergo Chriſti Ecclesia durabit uſque ad finem Mundi.

*Objicitur I.* Synagoga defecit: ergo etiam Ecclesia deficere poterit. R. D. ant. Synagoga defecit, quantùm ad figuras C. ant. quantùm ad figuratum. N. ant. quia Synagoga fuit figura Ecclesiæ, adeòque hac præſente, illa ceſſare debuit, neque illi promiſſa perpetuitas, ſicut Ecclesiæ. II. Ecclesia comparatur Lunæ; atqui hæc deficit: ergo etiam Ecclesia. R. D. Maj. in omnibus N. in uno, ſcilicet quòd à Chriſto habeat ſuum lumen ſpirituale, ſicut luna à ſole habet lumen corporale C.

## ASSERTIO LXXVIII.

*VEra Eccleſia Chriſti eſt infallibilis in decidendis fidei Articulis.* Contra Lutheranos.

*Probatur.* Quia Chriſtus *Joan. 14.* inquit: *Ego rogabo patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis. Et Matth. 28. Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* S. Paulus 1. *Timoth. 3.* ait: *Eccleſia DEI vivi eſt Columna, & Firmamentum veritatis*: ergo Ecclesia in fide errare non poteſt: accedit ratio, quia ſi Ecclesia errare poſſet, nihil poſſet certò, & infallibiliter credi; quia ſine declaratione, & Auctoritate Ecclesiæ non conſtat nobis infallibiliter, quænam Scriptura ſit verum DEI Verbum; ſed conſequens nequit admitti: ergo nec antecedens, ex quo etiam infertur, Concilia generalia à Summo Pontifice confirmata errare non poſſe in decidendis fidei controverſiis, cùm repræſentent totam Ecclesiam.

*Objicitur. Concilium* Ariminenſe erravit in ſubſcriptione hæreſis Arianæ, & Epheſinum II. in recipiendo Euthyche: ergo Ecclesia non eſt infallibilis. Reſp. N. conſ. quia fuerunt Concilia *Acephala*, non approbata à Summo Pontifice Romano.

AS-

## ASSERTIO LXXIX.

P*Ontifex Romanus eſt verus Chriſti Vicarius ſucceſſor Petri, & caput viſibile veræ Eccleſiæ Dei, & Chriſti*. Contra Hæreticos.

*Probatur*. S. Petrus fuit verus Chriſti Vicarius, & caput viſibile militantis Eccleſiæ, *Matth. 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Joann. 21. Paſce oves meas*: atqui Pontifex Romanus eſt in officio paſtorali ſucceſſor ſancti Petri; ergo Pontifex Romanus eſt verus Chriſti vicarius, & caput Eccleſiæ. Prob. min. 1. Quia S. Petrus Romæ cathedram Pontificalem tenuit uſque ad mortem. 2. Quia Concilium Florentinum ſtatuit; *Definimus, ſanctam Apoſtolicam ſedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput*. 3. Quia Pontifex Romanus à nemine poteſt judicari teſte *Concilio Synueſſano*. Quia Epiſcopi ad Romanum Pontificem poſſunt appellare, ab ejus verò ſententia, nulla ampliùs datur appellatio ex *Concilio Sardicenſi*: ergo.

*Objicitur*. Sanctos Petrus etiam Anthiochiæ fuit Epiſcopus. Reſpond. Sed ibi ſuam ſedem ſtabiliter non fixit uſque ad mortem.

## ASSERTIO LXXX.

S*Ummus Pontifex eſt ſupra Concilium*. Ita Catholici.

*Probatur*. Ex *Conciliis Florentino part. 2. collat. 22.* & *Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ.* 11. definientibus *ſolum Romanum Pontificem tanquàm auctoritatem ſuper omnia Concilia habentem &c.* Idem patet propoſitione 29. damnata ab Alexandro VIII. *Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Romani Pontificis ſuprà Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate*: Ratio eſt: I. Quia Chriſtus Petro tamquàm capiti diſtincto à reliquo corpore Eccleſiæ dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam Matth.* 16. II. Quia paſtor eſt ſupra oves, & ovile. III. Quia in ſynodo Synueſſana, & Romana prohibetur *ſumma, & prima Sedes judicari*. IV. Quia non datur appellatio à Papa ad Concilium, benè verò è contra. V. Quia nullum Concilium valet, niſi convocatum, & confirmatum à Summo Pontifice. VI. Denique non poteſt eſſe minor auctoritas ſummi Pontificis in lege Evangelica, quàm fuerit ſummi Sacerdotis in lege Moſaica, ſed ſumma poteſtas erat penes ſummum Sacerdotem, qui in Pontificali officio erat conſtitutus, quantumvis ferret ſententiam in magno Concilio Judæorum, nec à ſummo Sacerdote dabatur appellatio ad Concilium, ut conſtat *Deut.* 17. ubi dicitur: *qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto judicis, morietur homo ille*: Ubi non dicitur: Qui noluerit obedire *Sacerdotum Concilio*, ſed *Sacerdotis ſummi imperio*: ergo non minoris auctoritatis erit ſummus Sacerdos in lege Evangelica, quæ longè excedit Moſaicam: & conſequenter etiam erit ſuprà Concilium.

*Objicitur I.* Concilium Conſtantienſe definit, quòd Concilium univerſale habeat immediatam poteſtatem a Chriſto, cui quilibet cujuſcunque dignitatis, & conditionis ſit, etiamſi Papalis, obedire teneatur: ergo. Reſp. Concilium velle, quòd tempore ſchiſmatis, quale tunc erat, quando non conſtat certè de vero ſummo Pontifice poſſint prætendentes Papatum cogi ad eum deponendum. II. Concilium Baſileenſe *ſeſſ.* 2. expreſsè definit: *Concilium eſſe ſuprà Papam*. Reſp. Hoc Concilium non fuiſſe validum: nam licèt hoc Concilium ab initio legitimè congregatum fuerit, tamen poſtquam ab Eugenio Papa ſe ſeparavit, & contra ipſum inſurrexit, in *Schiſmaticum, & Acephalum conciliabolum declinavit*: ideoque ab Eugenio meritò diſſolutum omnique valore exutum, eique aliud Concilium Florentinum ſubſtitutum fuit. III. Ergo fruſtra erunt Concilia, ſi non haberent majorem, vel æqualem auctoritatem, quàm ipſe Papa. Reſp. N. illatum quia habent adhuc maximam vim, auctoritatem, & utilitatem, cùm plurimi viri ſanctitate, ſapientia, & experientia præſtantiſſimi ex toto orbe terrarum in Conciliis conveniant, quorum communia ſuffragia ad refellendas noxias opiniones, abuſus, & hæretica dogmata tollenda plurimùm conducunt. IV. Summus Pontifex eſt membrum Eccleſiæ: ergo non eſt major Eccleſia. R. D. Summus Pontifex eſt membrum Eccleſiæ quodcumque N. principale, & caput in cæteris membris influens in quo eſt plenitudo poteſtatis, à quo cæteri Prælati ſibi propriam participant, omnibuſque fidelibus veram fidei, & morum doctrinam proponit C. Quinimò falſum eſt Eccleſiam, ut contra diſtinctam à Papa eſſe totum: nam Eccleſia eſt corpus: corpus autem Membris conſtat, & capite, quod eſt ſummus Pontifex.

## ASSERTIO LXXXI.

S*Ummus Pontifex ex Cathedra loquens eſt infallibilis in ſuis definitionibus circa materiam fidei, & morum etiam extra Concilium*. Eſt tota Catholica.

*Probatur I.* Si ſummus Pontifex non eſſet infallibilis in ſuis definitionibus, Eccleſia poſſet errare contra promiſſionem Chriſti: *portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Matth. 16. ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Luc.* 22. II. Si ſummus Pontifex non eſſet infallibilis, Eccleſia non foret ſancta contra ſymbolum Apoſtolicum, cùm falſa pro veris, inhoneſta pro honeſtis poſſet recipere ex definitione ſummi Pontificis. III. Chriſtus Dominus ſoli Petro extra Concilium dixit, *Joann. ult. paſce oves meas*: ergo tota Eccleſia illum audire, & ſequi tenetur: adeòque ſi ille erraret, vel errare poſſet, tota Eccleſia poſſet errare. IV. Quid ſi in Concilio generali Epiſcopi diſſiderent à Papa circa articulum fidei definiendum, quid tunc fieret? non eſſet ullum remedium, niſi pro tunc aliquis judex infallibilis eſſet, non autem in eo caſu Concilium eſſet judex, quia Concilia à Papa diſſidentia errare poſſunt, & errarunt; reſtat igitur, ut Papa ſit judex infallibilis, & errare non poſſit. V. Multi Papæ ſine Concilio canonizarunt ſanctos; ſed in hoc nec errarunt, nec errare poſſunt: ergo ſi Papa in uno non poteſt errare extra Concilium, nec poterit in alio: & per conſequens ſummus Pontifex eſt infallibilis, etiam extra Concilium, cùm Concilium convocare ſemper ſit impoſſibile: & à Pontificibus ſine Concilio damnati ſint errores *Pelagii, Priſcilliani, Joviniani, Vigilantii, &c.* qui hòc ipſo habiti ſunt pro hæreticis à tota Eccleſia, ut refert Bellarminus *l.* 4 *c.* 3. ergo.

*Objicitur I.* Omnis homo mendax. Reſp. D. cui non eſt promiſſa aſſiſtentia Spiritus ſancti C. cui eſt promiſſa, ſicuti Papæ N. II. Papæ errarunt. Reſp. D. qua privati Doctores C. qua paſtores univerſales ex cathedra loquentes N. III. Papa qua Perſona privata poſſet fieri hæreticus: ergo poſſet aliquid hæreticum definire. Reſp. N. ant. quia Chriſtus *Luc.* 22. illis verbis: *ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu confirma fratres tuos*: non ſolùm Petro, & ejus ſucceſſoribus impetravit, ut tamquàm Pontifex, & ex cathedra docens nihil contra fidem proponeret Eccleſiæ, ſed ut nec ipſe perſonaliter in fide erraret, nam ſi erraſſet, jam ipſius fides defeciſſet, & falſa fuiſſet oratio Chriſti, quòd nemo, niſi blaſphemus dixerit. Et hoc patet ex *S. Auguſtino de corrept. & grat. c.* 8. ibi; *Quando rogavit ergo, ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit; niſi, ut haberet, in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem*.

## ASSERTIO LXXXII.

E*St de fide, Innocentium XIII. eſſe verum Summum Pontificem*. Ita Catholici.

*Probatur*. Ex Bulla Martini V. decernentis, ut hæretici revertentes interrogentur, *utrùm credant, quòd Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expreſſo, ſit ſucceſſor Beati Petri, habens ſupremam auctoritatem in Eccleſia Dei?* Ratio eſt: quia de fide eſt hanc numero Eccleſiam Romanam eſſe veram Eccleſiam, ergo etiam de fide erit hunc numero Romanum Papam eſſe verum ſummum Pontificem. II. Quia hæc propoſitio: *Innocentius Decimus Tertius eſt verus ſummus Pontifex*, continetur immediatè in hac propoſitione revelata: *Omnis Pontifex à tota Eccleſia pacificè receptus eſt verus Papa*. III. Definitiones Innocentii XIII. ex cathedra loquentis ſunt de fide, atqui non eſſent de fide, niſi eſſet de fide Innocentium XIII eſſe verum Papam: ergo.

*Objicitur I.* Non eſt revelatum Innocentium XIII. eſſe validè baptizatum, canonicè electum, &c. Reſpondeo, diſtinguo, non eſt revelatum explicitè Conc. implicitè per pacificam Eccleſiæ univerſalis receptionem Neg. II. Non eſt de fide in hac numero conſecrata hoſtia eſſe corpus Chriſti: ergo. Reſpond. Neg. conſequentiam, diſparitas eſt: quia non eſt certum, an hæc hoſtia ſit validè conſecrata, ſecùs eſt de acceptatione Papæ.

## ASSERTIO LXXXIII.

A*Mor viæ, & Amor patriæ differunt ſpecie. Scotus 3. diſt. 31. quæſt. unic.* cum ſuis, & aliquibus Thomiſtis, & Recentioribus.

*Probatur I.* Quia amor Patriæ eſſentialiter prærequirit cognitionem claram, & intuitivam DEI, non ſic amor viæ. II. Amor Patriæ eſſentialiter prærequirit objectum præſens in ſe, non item amor viæ. III. Quia amor Patriæ facit hominem beatum, non ſic amor viæ. IV. Cognitio DEI intuitiva, in Patria differt ſpecie à cognitione DEI abſtractiva in via: ergo etiam amor patriæ ſpecie differt ab amore viæ.

*Objicitur I. Corinth.* 13. *Charitas numquam excidit.* Reſp. explico: charitas infuſa habitualis C. charitas actualis, Subdiſt. numquam excidit, quia erit in Patria eadem ſpecie ſubalterna cum amore viæ C. quia erit idem ſpecie infima amor in via, & patria N. II. In patria non erit charitas habitualis ſpecie diſtincta à charitate viæ: ergo nec actualis. R. N. conſ. diſparitas eſt; quia habitus ſupernaturales, cùm dent ſimpliciter poſſe, habent ſe inſtar potentiarum, quæ poſſunt diſtinctos ſpecie actus producere, cùm tales habitus non generentur ex actibus: non ſic de actibus. III. Amor viæ & patriæ habent idem objectum formale. R. D. diverſimodè tamen applicatum C. ſecùs N.

## ASSERTIO LXXXIV.

*Non dantur virtutes Morales per ſe infuſa. Scotus* 2. *d.* 36. *quæſt. unic.* Scotiſtæ, contra Thomiſtas.

*Probatur I.* Quia *Concilium Tridentinum ſeſſ.* 6. agens de juſtificatione impii, non facit mentionem de aliis virtutibus infuſis, quàm de fide, ſpe, & charitate. II. Quia non eſt neceſſitas admittendi virtutes morales per ſe infuſas; cùm actus virtutum moralium poſſint ordinari ad finem ſupernaturalem, fierique ſupernaturales, ac meritorii mediantibus virtutibus Theologicis, & gratia actuali. III. Quia nulla virtus moralis per ſe ordinat hominem immediatè ad Deum ſub ratione Deitatis beatificè attingendum; ergo nulla eſt per ſe infuſa.

*Objicitur I. Concilium Viennenſe* dicit, in Baptiſmo infundi gratiam, & virtutes. Reſp. per virtutes intelligit Theologicas. *Innocentius* autem *III. c. majores, de Baptiſmo* tantùm ait, *quòd non concedatur abſolutè, à pleriſque, fidem, aut charitatem, aliaſque virtutes parvulis non infundi.* II. Actus virtutum moralium ſunt ſupernaturales, ac meritorii. Reſp. D. ab extrinſeco C. ab intrinſeco N. III. Virtutes Theologicæ ſunt per ſe infuſæ; ergo etiam morales. Reſp. N conſ. quia de Theologicis ſic aſſerit Concilium Tridentinum, non ſic de moralibus. Et quia Theologicæ ordinant hominem immediatè ad DEUM; non ſic morales.

## ASSERTIO LXXXV.

*Duorum in ſolidum dominium eſſe non poteſt.* Ita plerique Theologi, & Juriſperiti.

*Probatur.* Quia ſequeretur contradictio, videlicet, quòd primus Dominus citra injuriam poſſet alterum impedire à diſpoſitione illius, rei cujus eſt Dominus in ſolidum, quia eſt plenus Dominus illius rei, & etiam non poſſet impedire alterum, cùm, & alter foret plenus Dominus illius rei: ergo.

*Objicitur I.* In inſtanti donationis donatarius eſt plenus Dominus; atqui etiam donans: ergo. *Prob. min.* Donans juſtè diſponit de re, quam donat: ergo. R. N. min. & D. prob. ant. donans juſtè diſponit per actum deſtructivum dominii C. conſervativum N. ant. II. Donatio eſt actus dominii: ergo. R. D. ant. dominii immediatè præexiſtentis C. adhuc exiſtentis N. quia eſt deſtructio dominii. III. Donans habet poteſtatem donandi: ergo etiam dominium. Reſp. N, ant. cum conſ. ſed præſupponit dominium. Inſtatur; Actus ſecundus præſupponit actum primum: ergo actualis donatio ſupponit poteſtatem donandi. R. D. ant. ſi non ſit deſtructivus actus primi C. ſi ſit deſtructivus neg. ant. IV. *Nemo dat, quod non habet*: ergo cùm donans det alteri dominium, habet dominium. R. D. ant. quod non habet ante dationem conſummatam Conc. conſummata datione neg. V, In V. T. plures uxores habebant dominium in idem corpus mariti, R. D. Dominium plenum N. ſecùs C.

## ASSERTIO LXXXVI.

*Simplex uſus facti nullum eſt dominium.* Ita *Nicolaus III. c. exiit, qui ſeminat, de verb. ſign. in* 6. Clemens V. *in Clem. exivi, de Paradiſo, de verb. ſign.* Martinus V. Nicolaus V. Gregorius XIII. & alii.

*Probatur I.* Simplex uſus facti eſt uſus conceſſus, aſſiduè revocabilis: atqui talis non eſt dominium, cùm talis non poſſit alterum obligare in ſuum commodum: ergo. II. Religioſus incapax dominii in particulari, adhuc tamen in particulari poteſt habere licentiam utendi rebus, ſive uſu ſint conſumptibiles, ſive non: ergo ſimplex uſus facti non eſt dominium.

*Objicitur. I.* Joannes XXII. *in extrav. ad conditorem,* declaravit contrarium. R. D. Definitivè, ut Pontifex N. purè aſſertivè, ut privatus Doctor C. quia hæc quæſtio non eſt dogmatica fidei, vel morum. Deinde idem Papa, hanc ſuam aſſertionem in fine vitæ revocavit, ut teſtatur Emanuel Rodriguez *tom.* 3. II. Franciſcanus utens pane, ſi non habet uſum juris; ergo utitur injuſtè. Reſp. D. ſeq. ſi Dominus ſit invitus C. ſi non ſit invitus N. III. Si Dominus non ſit invitus, juſtè utitur pane: ergo jure. R. D. ſeq. ergo jure legali, & politico N. jure politico, & naturali C. IV. Franciſcanus poteſt uti pane quomodocumque vult. Reſp. Diſt. de licentia Domini, & revocabiliter Conc. ſecùs, N.

*Ex IV. Libro ſententiarum, de Sacramentis in genere, & ſingulis in ſpecie.*

## ASSERTIO LXXXVII.

*In ſtatu Innocentia, ſi perſeveraſſet, non fuiſſent inſtituta Sacramenta. Scotus* 4. *d.* 1. *q.* 3. cum ſuis.

*Probatur I.* Sacramenta inſtituta ſunt ad ſubveniendum naturæ per peccatum originale infirmatæ; atqui in ſtatu innocentiæ natura humana fuiſſet ſana per juſtitiam originalem: ergo. II. Secundùm ſanctos Patres omnia Sacramenta fluxerunt è latere Chriſti mortui; atqui: ergo. III. Pro noſtris Protoparentibus, quamdiu fuerunt in Paradiſo, non fuerunt inſtituta Sacramenta; ergo nec pro eorum poſteris in Paradiſo; cùm Protoparentes magis indiguiſſent Sacramentis, quàm eorum poſteri.

*Objicitur I.* In ſtatu innocentiæ fuiſſent ſacrificia: ergo etiam Sacramenta. Reſp. N. conſ. quia Sacrificia non ſunt inſtituta ad ſubveniendum naturæ corruptæ, ſicut Sacramenta. II. Si fuiſſent Sacrificia: ergo fuiſſet Sacerdos. Reſp. D. ſeq. conſignati per characterem ordinis N. publico ritu electi, ſicut in veteri teſtamento C. III. Fuiſſet ibi Sacrificium Miſſæ: ergo etiam Sacramenta Euchariſtiæ, & Ordinis. Reſp. N. ant. quia ibi Chriſtus non fuiſſet mortuus, & ideò nec fuiſſet ſacrificium Miſſæ ibi, nec Euchariſtia, nec Ordo.

## ASSERTIO LXXXVIII.

*Remedium legis natura contra peccatum originale erat Sacramentum propriè dictum. Scotus* 4. *q.* 1. *q.* 7. Cum communi Theologorum.

*Probatur.* Remedium legis naturæ erat ſignum ſenſibile, videlicet actus externus proteſtativus fidei in Meſſiam venturum directus à voluntate miniſtri ad infantem *juxta S. Auguſt. lib.* 2. *de nuptiis, & concup. c.* 12. quia conjungebat parvulos tamquàm membra Eccleſiæ viſibilis. deinde erat ſignum à DEO inſtitutum, quia, cùm DEUS velit omnes homines ſalvos fieri, debuit pro omnibus etiam parvulis inſtituiſſe remedium ſufficiens ad ſalutem, applicabile ab aliis; cùm parvuli per ſeipſos non poſſint procurare ſibi ſalutem: Denique efficaciter conferebat gratiam ſanctificantem, cùm deleverit peccatum originale, quod nequit ſine infuſione gratiæ deleri: & quidem ex opere operato, cùm parvuli per actus bonos nequeant ſe diſponere ad gratiam: ergo erat verum Sacramentum.

*Objicitur.* Deus in lege naturæ non inſtituit remedium pro parvulis in utero materno decedentibus: ergo nec pro parvulis natis. R. N. conſ. diſparitas eſt; quia parvulis nondum natis remedium non eſt applicabile humano modo; ſecùs eſt de natis.

## ASSERTIO LXXXIX.

*Circumciſio erat propriè dictum Sacramentum.* Ita Doctores Seraphicus, Subtilis 4. *d.* 1. *qu.* 6. Irrefragabilis, Scotiſtæ, & Recentiores.

*Probatur.* Circumciſio erat ſignum ſenſibile, ut patet: deinde erat à DEO inſtituta, & præcepta Abrahæ, & poſteris ejus, non ſolùm ad diſtinguendos eos à gentibus, ſed etiam ad delendum peccatum originale, juxta illud ſancti Auguſtini *libr.* 3. *contra Julianum. capit.* 18. dicentis: *Ex quo inſtituta eſt Circumciſio in populo DEI, ad purgationem veteris peccati valebat magnis, & parvulis, ſicut Baptiſmus*; Idem docent ſancti Patres *Proſper, Beda, Fulgentius &c.* Ex quo etiam ſequitur contuliſſe gratiam ſanctificantem ex opere operato; ergo erat verum Sacramentum.

Obji-

Digitized by Google

*Objicitur I.* Sanctus Paulus *Gal.* 4. Sacramenta veteris legis appellat *infirma, & egena elementa*; col. 2. *umbram futurorum bonorum*. *Conc. Florentinum* ait Sacramenta veteris legis non contuliſſe gratiam. Reſp. Iſta omnia verificari de Sacramentis veteris legis, quæ erant talia ex lege; at Circumciſio erat ex Patribus, 400. annis ante legem; hinc quatenùs erat inſerta legi non conferebat gratiam, ſed quatenus erat ex Patribus, & determinatio remedii legis naturæ. II. Circumciſio non erat remedium pro omnibus. Reſp. ſufficit, quòd pro parte nobiliori Eccleſiæ.

## ASSERTIO XC.

S*Acramenta novæ legis cauſant gratiam Sanctificantem, non phyſicè, ſed moraliter*. *Scotus* 4. *d.* 1. *q.* 5. cum ſuis, contra Thomiſtas, & Recentiores.

*Probatur I.* Quia nec merita Christi phyſicè cauſant gratiam, cùm ampliùs phyſicè non exiſtant; ſed tantùm moraliter, cùm ſint tantùm cauſa meritoria ex *Concil. Trident. ſeſſ.* 6. *cap.* 7. II. Sacramenta in uſu conſiſtentia utpote entia ſucceſſiva non ampliùs exiſtunt phyſicè, quando producitur gratia, cùm non cauſent, niſi eſſentialiter completa: ergo phyſicè cauſare nequeunt gratiam. III. Baptiſmus reviviſcens non exiſtit phyſicè, quando producit gratiam: ergo. IV. Sacramenta non habent virtutem inchoatam ad cauſandam phyſicè gratiam, aliàs daretur potentia quodlibetica; ergo non phyſicè cauſant gratiam; ſed moraliter, quatenus ob ſuam honeſtatem moralem conjunctam cum meritis Christi tamquàm cauſa principali movent DEUM ad producendam phyſicè gratiam in ſubjecto illa ſuſcipiente ſinè obice.

*Objicitur:* Sacra Scriptura, Sancti Patres, & Concilia aſſerunt Sacramenta verè cauſare gratiam. R. D. phyſicè N. moraliter C. etenim cauſa moralis eſt etiam vera cauſa ex *Ariſtotele* 2. *&* 5. *Metaphyſ.*

## ASSERTIO XCI.

S*Acramentum Euchariſtiæ formaliter, & in recto ſolas ſpecies importat, connotat tamen corpus, & ſanguinem Christi ſub ipſis contenta*. Ita Doctores Seraphicus, & Subtilis 4. *d.* 8. *q.* 8. cum ſuis.

*Probatur I.* Ex Sequentia Eccleſiæ: *fracto demum Sacramento &c.* atqui ſpecies tantùm franguntur, & non contentum, ex eadem Sequentia, *ſigni tantùm fit fractura, qua nec ſtatus, nec ſtatura ſignati minuitur*: ergo. II. Solæ ſpecies continentes corpus, & ſanguinem Christi ſunt ſignum ſenſibile divinitus inſtitutum ad cauſandam gratiam; ergo.

*Objicitur I.* Corpus, & ſanguis Christi ſunt etiam ſenſibilia per ſpecies. Reſp. Diſt. ex natura rei N. ſecùs. C. II. Species Euchariſtiæ nequeunt adorari Latria. Reſp. Diſt. tamquam ratio formalis motiva adorationis C. tamquam objectum materiale N. III. Sacerdos non conficit ſpecies. Reſp. D. ſecundùm ſuam entitatem C. ut continentes corpus, & ſanguinem Christi N. IV. Christus in Euchariſtia cauſat gratiam in ſuſcipientibus. Reſp. Diſt. ut cauſa meritoria principalis C. ut cauſa inſtrumentalis, & Sacramentalis N. V. Sacramentum Euchariſtiæ eſt cibus ſpiritualis animarum; atqui corpus Christi eſt cibus ſpiritualis: ergo. Reſp. Diſt. maj. ratione contenti C. maj. ſecùs N. maj.

## ASSERTIO XCII.

A*Qua vino mixta in calice, mediatè tantùm convertitur in ſanguinem Christi*. Ita Doctores Seraphicus, Angelicus, & Subtilis 4. *d.* 11. *q.* 7. cum ſua Schola Angelica, & Subtili.

*Probatur I.* Ex *Conc. Florentino* ſolum vinum eſt materia valida conſecrationis calicis: ergo non aqua. II. Illud ſolùm eſt immediatè conſecrabile in ſanguinem Christi, ſub cujus accidentibus, facta conſecratione, remanentibus, continetur ſanguis Christi; atqui hoc tantùm verum eſt de ſpeciebus vini ex *Conc. Trident. ſeſſ.* 13. *can.* 2. definiente *Tranſubſtantiationem eſſe converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & vini in ſanguinem, manentibus duntaxat ſpeciebus panis, & vini*, nulla prorſus facta mentione alterius materiæ tranſubſtantiatæ, aut aliarum ſpecierum: ergo.

*Objicitur I.* Sancti Patres aſſerunt, aquam conſecrari, & in ſanguinem verti. Reſp. D. immediatè N. mediatè C. II. Saltem aqua, mixta vino, per accidens erit immediatè conſecrabilis. Reſp. N. quia etiam, ſi hoſtiæ admiſceatur pars non triticea, hæc nec per accidens eſt conſecrabilis. III. Si Sacerdos conſecraret vinum, in quod aqua nondum foret converſa, quid fieret? Reſp. conſecratio eſſet valida; quia ſola materia idonea conſecraretur, & adoraretur.

## ASSERTIO XCIII.

A*Ctio tranſubſtantiativa eſt ſolùm adductiva, non productiva*. *Scotus* 4. *d.* 11. *q.* 3. cum ſuis contra Thomiſtas & Recentiores.

*Probatur I.* Verba conſecrationis non ſignificant productionem corporis Christi, ſed tantùm ejus præſentiam ſub ſpeciebus; atqui ad hanc ſufficit actio adductiva, ut patet de replicatione in Phyſica: ergo. II. Corpus Christi utpote jam exiſtens, & productum nequit de novo fieri de nihilo ſui; aliàs dependeret eſſentialiter ab eadem cauſa totali, & non ſic dependeret; nec Christus in Euchariſtia foret Filius Beatiſſimæ Virginis, cùm non foret ab ea productus: ergo tranſubſtantiatio non eſt productiva.

*Objicitur I.* Sancti Patres dicunt in Euchariſtia corpus Christi fieri, & confici. Reſp. D. ſecundùm ſuam entitatem N. ſecundùm ſuam novam præſentiam C. II. Tranſubſtantiatio eſt actio ſubſtantialis; ſed actio ſubſtantialis debet producere terminum ſubſtantialem, ergo tranſubſtantiatio debet producere terminum ſubſtantialem, non alium, quàm corpus, & ſanguinem Christi. Reſp. D. maj. eſt actio ſubſtantialis productiva N. converſiva. C. maj. ad hanc autem ſufficit, quod termino *à quo* ſuccedat ſubſtantia, etſi hæc non producatur; quia terminus *ad quem* ſolùm debet dici *ſuccedens*, non productus.

## ASSERTIO XCIV.

C*Hriſtus abſolutè potuiſſet priùs exiſtere in Sacramento Euchariſtiæ definitivè, quàm in utero Beatiſſimæ Virginis MARIÆ circumſcriptivè*. Ita Scotus 4. *d.* 19. *q.* 4. cum ſuis, & Recentioribus, contra Cajetanum, & Thomiſtas.

*Probatur*. Corpus Christi eſt indifferens ad exiſtentiam definitivè, vel circumſcriptivè in loco; cùm nec præſentia definitiva, nec circumſcriptiva ſit de ejus eſſentia; nec exiſtentia definitiva dependeat à circumſcriptiva: cùm nec ſit ejus effectus, nec proprietas, nec accidens: ergo DEUS abſolutè potuiſſet Christum priùs ponere in Sacramento Euchariſtiæ definitivè, quàm in utero Beatiſſimæ Virginis MARIÆ circumſcriptivè, maximè, cùm non appareat implicantia.

*Objicitur I.* Implicat corpus Christi exiſtere definitivè ſinè exiſtentia ejus naturali. Reſp. D. quæ eſt intrinſeca, & realiter identificata, & per quam ponitur extra cauſas, C. ſine exiſtentia circumſcriptiva, quæ eſt accidens connaturale corpori quanto N. II. Corpus Christi nequit eſſe in Sacramento ante incarnationem. Reſp. Diſt. ante incarnationem ſimpliciter, & abſolutè ſumptam C. modo circumſcriptivo factam N. III. Sacramentum Euchariſtiæ fit per verba conſecrationis in Perſona Christi jam præexiſtentis prolata. Reſp. Diſt. de facto Conc. de poſſibili Neg.

## ASSERTIO XCV.

L*Aicis non debetur ex præcepto Christi communio ſub utraque ſpecie*. Contra Petrum Dresdenſem, Jacobellum Miſnenſem, Calvinum, Lutherum, Kemnitium, & alios Hæreticos.

*Probatur I.* Quia Christus promiſit vitam æternam communicantibus ſub una tantùm ſpecie: ergo non eſt neceſſaria utraque. Prob. ant. Christus ait *J.* 6. *v.* 52. *ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, &. v.* 59. *qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. II. Christus ſub una panis ſpecie ſe præbuit diſcipulis in Emmaus. *Luc.* 24. Item *Actor.* 2. dicitur: *erant autem perſeverantes in Doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis* & *Act.* 20. *una autem Sabbati, cùm conveniſſemus ad frangendum panem*: ergo.

*Objicitur I.* Christus dixit: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. *Joan.* 6. Reſp. Præceptum eſſe, ut accipiamus carnem, & ſanguinem Christi, quod etiam fit in una ſpecie, cùm Christus totus utpote vivens ſit in qualibet ſpecie. II. *Bibite ex hoc omnes*. *Matth.* 26. Reſp. *Et biberunt ex eo omnes*. *Marc.* 10. adeòque ſolis Apoſtolis hoc dictum erat.

### ASSERTIO XCVI.

P*Eccatum mortale de abſoluta Dei potentia poteſt remitti ſine pœnitentia. Scotus 4. d. 14. quæſt.* 5. cum ſuis contra aliquos Thomiſtas, & Recentiores.

*Probatur I.* Homo offenſus, ex charitate poteſt remittere offenſam, etſi offendens illam non retractet; ergo etiam Deus poterit peccatori remittere peccata mortalia, etſi ea non retractet, nec de iis pœnitentiam agat. II. Pœnitentia eſt tantùm diſpoſitio ad juſtificationem: ergo de abſoluta Dei potentia poterit peccatori non pœnitenti infundi gratia juſtificans: cùm abſolutè loquendo forma ſine diſpoſitione introduci poſſit in ſubjectum, uti etiam de facto peccatum originale deletur ſine prævia pœnitentia in parvulis per Baptiſmum.

*Objicitur I.* Quamdiù culpa à peccatore non retractatur, tamdiù eſt ei voluntaria. Reſp. D. voluntaria actualiter, virtualiter, vel interpretativè ſemper. N. caſualiter, & habitualiter C. II. Deus peccatori nequit remittere peccatum actuale abſque pœnitentia: ergo nec habituale. R. N. conſ. diſparitas eſt, quia in primo caſu in eodem inſtanti foret peccatum, quia eſt actuale, & non foret, quia remitteretur: non ſic in caſu ſecundo.

### ASSERTIO XCVII.

J*Ure Divino ad remiſſionem peccatorum mortalium poſt Baptiſmum commiſſorum neceſſaria eſt eorum ſpecifica, & numerica confeſſio Sacerdoti facienda.* Contra Montaniſtas, Novatianos, Vvicleffiſtas, Calviniſtas, Lutheranos.

*Probatur I. Chriſtus Joann.* 20. dixit Apoſtolis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt:* atqui Sacerdotes non poſſunt ſolvere, aut ligare peccata, niſi ipſis à pœnitentibus aperiantur: ergo Chriſtus etiam voluit confeſſionem peccatorum fieri Apoſtolis, & eorum in Sacerdotio ſucceſſoribus. II. S. Joannes 1. *Joann.* 1. ait. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra. Actor.* 19. dicitur: *Multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus ſuos:* ergo

*Objicitur I.* Nectarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus confeſſionem abrogavit. Reſp. diſt. privatam neg. publicam C. II. Confeſſio omnium peccatorum eſt impoſſibilis. Reſp. diſt. omnium mortalium memoriæ occurrentium neg. venialium, T. III. Chriſtus *Luc.* 7. abſolvit mulierem ſpecificè non confitentem. Reſp. diſt. ante inſtitutionem Sacramenti pœnitentiæ, & ut Deus C. ſecus N.

### ASSERTIO XCVIII.

D*Atur purgatorium.* Contra Vualdenſes, Albigenſes, Huſſium, Vvicleffum, Lutherum, Calvinum, Zuvinglium, & alios hæreticos.

*Probatur I.* Sanctus Paulus 1. *Corinth.* 3. ait; *Ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen, quaſi per ignem.* 2. *Machab.* 12. *ſancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* II. Quia inter peccata, alia ſunt mortalia, alia venialia, ut patet *Prov.* 24. *ſepties cadet juſtus, & reſurget, & Jac.* 3. *in multis offendimus omnes*, & remiſſis peccatis mortalibus quoad culpam non ſemper remittitur pœna temporalis, ut patet in Davide 2. *Reg.* 12. Aarone, & Moyſe, *Deut.* 32. ergo poteſt homo cum ſolis venialibus, vel nondum ſoluta pœna temporali pro mortalibus, mori: ſed talis non veniet in cœlum: quia in illud nihil coinquinatum intrabit, *Apoc.* 21. nec deſcendet in infernum, ut patet: ergo in Purgatorium.

*Objicitur* 1. *Eccleſiaſt.* 11. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Reſp. hoc eſt, qui deceſſit in gratia, æternùm manebit in ea, & è contrà. II. *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini. Pſ.* 126. Reſp. diſt. ſi nihil purgandum habeant conc. ſecùs neg.

### ASSERTIO XCIX.

M*Iniſtri vera Chriſti Eccleſia debent vocari, & ordinari à Summo Pontifice, vel ab Epiſcopis, non à Laicis.* Contra Huſſitas, Vvicleffiſtas, Calviniſtas, & Lutheranos.

*Probatur.* Quia in veteri Teſtamento *Lev.* 8. Aaron, & Filii ejus ex mandato Dei fuerunt conſecrati à ſolo Moyſe Sacerdote, & Pontifice, *pſ.* 98. *Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus ejus.* II. Quia Chriſtus in novo Teſtamento ſe ſolo, ſine conſenſu Laicorum vocavit, & ordinavit ſuos Apoſtolos, & Diſcipulos. III. *Act.* 14. Presbyteri Lyſtræ, Iconii, & Antiochiæ, conſecrati ſunt à Paulo, & Barnaba; uti & Timotheus per Epiſcopos conſecratus eſt 1. *Timoth.* 4. *noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii.* Et S. Paulus ſcribit Tito Epiſcopo, *cap.* 1. *Reliqui te Cretæ, ut conſtituas per civitates Presbyteros.* IV. Nemo dat, quod non habet; atqui Laici non habent poteſtatem Ordinis: ergo nec eam dare poſſunt.

*Objicitur Act.* 1. Matthias, & Barſabas fuerunt electi à tota multitudine. Reſp. non ex neceſſitate, ſed ex mera libertate, hoc Sanctus Petrus conceſſit iſti toti ſanctæ multitudini.

### ASSERTIO C.

V*Inculum Matrimoniale quà tale poteſt independenter à conſenſu viri, & fœminæ induci auctoritate Divina inter ipſos.* Ita Soto, Amicus, Hiquæus, Maſtrius, Boſco, & plures alii contra Sanchez, & alios.

*Probatur.* Vinculum matrimoniale quà tale, conſiſtit in mutuo dominio corporum inter virum, & fœminam: atqui Deus poteſt tradere mutuum dominium corporum inter virum, & fœminam in ordine ad uſum conjugalem independenter à conſenſu eorumdem: cùm ſit abſolutus corporum noſtrorum Dominus: ergo

*Objicitur* I. Conſenſus conjugum eſt de eſſentia vinculi matrimonialis: ergo. Reſp. Neg. anteced. ſed eſt ejus cauſa efficiens creata, quam utique Deus ſupplere poteſt. II. Nequit facere meritum abſque conſenſu voluntatis creatæ: ergo nec vinculum matrimoniale. Reſpond. Neg. conſeq. diſparitas eſt, quia ad meritum eſſentialiter requiritur libertas voluntatis creatæ: non ſic ad vinculum matrimoniale. III. In noſtro caſu vir, & fœmina non acceptarent dominium in mutua corpora: ergo nec haberent dominium. Reſpond. Neg. conſequentiam. Quia ſicut Deus pro ipſis traderet dominium, ſic etiam pro ipſis acceptaret dominium.

CO-

# CORONIS APPENDICIS CENTIFOLIÆ, SEU RATIONES, ET MOTIVA QUINQUAGINTA

Cur quis tuta, & ſecuriſſima Conſcientia debeat Catholicus permanere, & in fide Romano-Catholica vivere, & mori; Item cur quis omnes alias Sectas deſerere, & ad fidem Romano-Catholicam ſolùm ſalvificam converti, illamque amplecti debeat.

RATIO, ET MOTIVUM I.

Quia non videtur ratio, cur ſoli Lutherani vocent ſe *Evangelicos*, & Calviniſtæ ſe *Reformata Religionis*, & cur non etiam debeant ſic vocari Anabaptiſtæ, & novi Ariani, ſeu Unitarii? Ab iis ſiquidem non adfertur tale argumentum hujus denominationis, quod ab his non poſſit æquè, ac eodem jure pro ſuis Sectis applicari. Cùm igitur non ſit major ratio pro Lutheranis, vel Calviniſtis, quàm pro Anabaptiſtis, & Arianis, vel quibuſvis modernis Sectariis, quos Lutherani, & Calviniſtæ excludunt ab his novis titulis, ipſi quoque Lutherani, & Calviniſtæ nec *quoad rem*, nec *quoad denominationem* poſſunt *dici Evangelici*, vel *Reformata Religionis*: ergo meritò hæ omnes Sectæ: utpote earumdem quiſquiliarum rejiciuntur.

II. Quia conſtat multos, qui in fide Romano-Catbolica vixerunt, & mortui ſunt, ſalvaros eſſe, ut ipſimet adverſarii fatentur. An autem aliquis ſalvatus ſit ex Sectariis modernis, nequidem ipſis Acatbolicis conſtat: ſecurior igitur via præſertim in negotio æternæ ſalutis eſt eligenda juxta illud Chriſti Domini, *Matth.16. v. 26. Quid enim prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, anima verò ſua detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?*

III. Imò hinc infertur, vel ex eo Romano-Catbolicam fidem eſſe veram: nam *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo: Ad Heb. 11. v. 6.* omnis autem, qui ſalvatur, eſt in gratia Dei, amicus Dei, & placet Deo: ergo cùm multi ſalvati ſint in fide Romano-Catholica, eam verã fidem, & ſalvificã eſſe oportet.

IV. Inde ulteriùs deducitur, quòd cùm Romano-Catholica fides ſit ſalvifica, adeòque vera, omnes ab ea diverſæ Religiones ſint falſæ: ſiquidem teſte Apoſtolo *ad Eph. 4. v. 5. & 6. unum* eſt tantùm *Baptiſma, una* tantùm *fides* vera ac ſalvifica, ſicut *unus* eſt tantùm verus *Deus*, ac *Dominus* noſter.

V. Quia Catholicos poſſe ſalvari in ſua Religione non ſolùm ipſi Catholici conſtanter aſſerunt, ſed Acatholici etiam ultrò concedunt. In alia autem Religione aliquem ſalvari poſſe, ſoli Acatholici, idque ſinguli de ſuis Sectis ominantur, & dicunt, quod Catholici abſolutè negant. Id verò, quod utraque pars etiam ſibi adverſa concedit, certius eſt, quàm id, quod una tantùm aſſerit, alter autem negat omninò: ergo ſecuriùs operari volens rationabiliter facit, quod fidem Romano-Catholicam cæteris omnibus præferat, illamque ſequatur.

VI. Quia conſulendo veterum, ac primitivæ Eccleſiæ SS. PP. ſcripta, ab iiſdem ſola fides Romano-Catholica intelligitur extolli, ſuaderi, laudari: reliquas verò omnes ab ea alienas rejici, & damnari. Horum igitur prudentiſſimum conſilium, ac Judicium ſequi optimè ſtatuitur.

VII. Quia omnes ſancti, & ſanctæ Dei, qui, & quæ fuerunt ab inſtituta Eccleſia à Chriſto uſque ad præſens tempus; fuerunt, ac vixerunt in Eccleſia Romano-Catholica.

VIII. Quia in Teſtimonium veritatis hujus Religionis ſubierunt tot millia Martyrum duriſſimam mortem, ac ſanguinem ſuum profuderunt præſertim in urbe Romana, uti in Catacumbis illius loci ad S. Pancratium, ad S. Sebaſtianum, & alibi videre eſt.

IX. Quia omnes, qui ab hac Eccleſia receſſerunt, ac eam impugnarunt, ut Arius, Mahometes, Pelagius, Marcion, Macedonius &c. æternis ignibus addicti ſunt, uti, & eorum ſequaces. Tales autem Hæreſiarchæ fuerunt etiam Lutherus, & Calvinus, ac alii inventores modernarum ſectarum. Proinde conſultum non eſt, æterno damnationis periculo illos ſequendo ſe ſe exponere; neq; enim videtur potior ratio, cur Pelagius & Arius ſint hæreſiarchæ, & cur non etiam Lutherus, & Calvinus.

X. Quia Romana fides fuit eadem cum fide S. Pauli, ipſo S. Apoſtolo atteſtante, *ad Rom. 1. v. 12.* cur igitur deberet quæri alia fides, quàm quæ fuit S. Pauli!

XI. Quia ſi Romano-Catholica fides non præeligitur, numquàm electionum inter alias Religiones fidei finis cum animæ quiete obtinebitur: ſemper enim dubitari poſſet, quænam ex tot, & tam variis Sectis ſit vera fides, ac ſalvifica.

XII. Quia Doctrinæ aliarum Religionum continent plurima Paradoxa, incredibilia, & rectæ rationi prorſus difformia v.g. docent inter alia, quod *omnia peccata ſint æqualia, nec ullum detur peccatum, quod ſit veniale:* unde ſic arguitur: verbum otioſum eſt peccatum, cùm Chriſtus Dominus minetur de omni verbo otioſo dandam eſſe à nobis in die Judicii rationem, *Matt. 12. v. 36.* ergo ſecundùm hoc dogma Novatorum eſt æquale reliquis peccatis; ergo & peccato blaſphemiæ, & peccato incredulitatis, & peccato Apoſtaſiæ à fide Chriſti. Si eſt æquale his peccatis peccatum otioſi verbi: ergo eſt etiam æqualis culpæ. Si eſt æqualis culpæ, etiam æqualem meretur pœnam, ſi æqualem meretur pœnam, etiam æqualem habet remiſſibilitatem, vel itremiſſibilitatem, & per conſequens æquè difficulter remittitur, ac alia peccata; & tamen Chriſtus de pœnis & remiſſibilitate peccatorum longè aliud docuit: nam *Matt. 5. v. 22.* dicit: *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit Judicio. Qui dixerit Raca, reus erit concilio. Qui dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis*: ergo iræ affectus erga proximum meretur quidem aliquam pœnam, ſed majorem verbum acerbum, & adhuc majorem verbum contumelioſum. Deinde 1. *Joan. 5. v. 16.* dicitur: *eſt peccatum ad mortem*: ergo eſt peccatum aliquod, quod non ſit ad mortem: ergo non omnia peccata ſunt æqualia. Demum *Prov. 24. v. 16.* habetur; *Septies enim cadet juſtus, & reſurget; impii autem corruent in malum*: ergo ſunt aliqua peccata, quæ non tollunt habitualem Juſtitiam, & ſunt alia, quæ eandem tollunt, conſequenter omnia peccata non ſunt æqualia.

Item docent, *omnia noſtra bona opera eſſe peccata*: & juxta eoſdem omnia peccata ſunt æqualia: ergo omnia noſtra bona opera ſunt peccata æqualia peccatis reliquis: igitur orare Deum erit æquale peccatum, ac blaſphemare contra Deum, & eleemoſynam dare pauperibus erit æquale peccatum, ac eumdem ſpoliare, & injuſtè poſſeſſam rem reſtituere proprio illius Domino, erit æquale peccatum, ac eamdem apud ſe invito Domino retinere. En! *Paradoxa incredibilia, & dogmata prorſus irrationabilia.*

XIII. Quia omnes modernæ Religiones diverſæ à Religione Romano-Catholica ſunt novæ, & tales, quas nemo tenuit, docuit, aut ſecutus eſt ante annum 1517. *Omnis autem plantatio, quam non plantavit Pater meus cœleſtis, eradicabitur, Matth. 15. v. 13.*

XIV. Quia omnes hæ novæ Religiones ſunt tantùm ex antiquis hæreſibus jam pridem ab Eccleſia diverſis temporibus condemnatis conſarcinatæ, & quidem ineptiſſimè.

XV. Quia ſoli Eccleſiæ Romano-Catholicæ conveniunt & quidem aptiſſimè notæ veræ Chriſti Eccleſiæ, nempe quòd ſit *Una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica.*



Digitized by Google

XVI. Quia ad hanc ſolam converſæ ſunt, & de facto convertuntur omnes nationes, gentes, & populi ex gentiliſmo, & paganiſmo. Ad hanc enim ex illo converſi ſunt ſequentes *Conſtantinus Chinenſium Imperator in Aſia. 2. Dominicus Imperator Monomotapæ in Africa. 3. Carolus ultimus Imperator in America. 4. Helena legitima Imperatrix Sinenſium. 5. Ludovica Imperatrix Monomotapæ. 6. Michael Primogenitus Imperatoris Monomotapæ Filius. 7. Ottomanus Turcarum Imperatoris Ibrahimi Filius. 8. Anna Imperatoris Conſtantini Regia Avia. 9. Maria legitima uxor Joulia Imperatoris. 10. Balthaſar de Mendez Regni Fezzani, & Marocani Princeps Hæreditarius. 11. Dominicus Amathes Rex Tunetanus. 12. Adiam Saghed Jaſu Imperator Æthiopię, aliàs intitulatus, Presbyter Joannes, Rex Abyſſinorum, qui in manibus R. P. Joſephi à Jeruſalem Ordinis Fratrum Minorum Reformatæ Provinciæ Romanæ, Miſſionis Apoſtolicæ à Summo Pontifice Innocentio XII. erectæ, & in Æthiopiam deſtinatæ Præfecti, 2. Februarii, 1702. ſolemnem Profeſſionem fidei Catholicæ depoſuit, & ſub actuali Sacroſ. Miſſæ Sacrificii celebratione ſacra ſynaxi refectus fuit.* Nunquid hæc meſſis multa, magna, & copioſa eſt? nec pauciores operarii, ſed quàm plurimi ſunt, & fuerunt, imo milleni, & milleni, qui per mare, per terras, per tot diſcrimina rerum ad remotiſſimas orbis plagas excurrentes, & in vinea Domini inſatiabili animarum zelo, & maximo illarum lucro operantes ejuſmodi gentiles, & infideles tamquàm errantes oves ad gremium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac verum ovile cum propriæ etiam vitæ diſpendio reducere laborarunt, & uſque in hodiernum diem indeſeſſi elaborant.

XVII. Quia anteſignani modernarum Religionum nullo ſigno, ſeu miraculo probarunt, vel probare poterant, ſe à Deo miſſos ad Reformationem Eccleſiæ.

XVIII. Quia iidem anteſignani fuere homines carnales, votifragi, Apoſtatæ, Impii, blaſphemi, ac Scurriles, &c.

XIX. Quia hæ Religiones nihil, vel certè parum laborant in gentilium ad Chriſti fidem converſione, ſed ſolùm in tepidorum Catholicorum perverſione.

XX. Quia in Romano-Catholica Eccleſia multæ Perſonæ ex utroque ſexu, etiam maximi Stemmatis, & ſummarum divitiarum, ſe obſequiis Divinis ultrò conſecrant, vitamque ſuam *in prompta obedientia, in paupertate voluntaria, & in caſtitate perpetua* tranſigunt; in aliis verò Religionibus fidei, nemo magnarum fortunarum, ſtatum prędicantium aſſumere dignatur, nemo ex his ſe ad continentiam reſolvit, unde conſtat horum pleroſque ex ſola neceſſitate munus hoc obire: illos verò ex amore ſolius Dei, & ſalutis animę ſuæ, & fidei veritate ad tales ſtatus ſe Deo conſecrare.

XXI. Quia continentia, quæ eſt Donum Dei, *ſap. 8. v. 21.* Prædicantibus à Deo non confertur; cùm tamen in Religione Romano-Catholica tot ſint Religioſi, & Religioſæ, quæ non tantùm continentiam, ſed incontaminatam virginitatem per Dei gratiam uſque ad finem vitæ conſervant.

XXII. Quia Scriptores Acatholici pleriſque argumentis ſuis, dùm oppugnant Catholicos, ea impugnant, quæ illi non negant (ut ſic eos in odium apud plebem inducant) & ipſam Catholicam Doctrinam, prout ea apud Catholicos docetur, vix attingunt, aut attingere audent.

XXIII. Quia Scriptores Acatholici contra Catholicos magis calumniis, & manifeſtis mendaciis àgunt, quàm ſolidis argumentis.

XXIV. Quia è contrà Acatholici Catholicorum contra ſe argumenta, vel non ſolvunt, vel ſtatim ad aliam controverſiſticam materiam tranſeunt, & extravagantur.

XXV. Quia novæ hæ Religiones pro libito ſuo ſacræ Scripturæ libros è Canone ſacrorum Librorum eliminant, & alios pro ſuo arbitrio vertunt, & interpretantur, & quidem unoſquoſque juxta proprium ſuum ſenſum: cùm tamen apud Catholicos ubique locorum idem ſit ſacræ Scripturæ Librorum Canon, eadem verſio, idem ſenſus, & eadem interpretatio.

XXVI. Quia novæ hæ Religiones in ipſis articulis fidei plurimùm inter ſe differunt, etiam ii, qui ſub eodem nomine continentur, imò, & in ipſis Catechiſmis, quibus rudimenta fidei pueris traduntur.

XXVII. Quia ipſæ Auguſtanæ Confeſſiones, quas pro fundamento ſuæ Religionis Lutherani habent, maximè inter ſe differunt, & à prima illa originali Auguſtana Confeſſione diſcrepant.

XXVIII. Quia novæ hæ Religiones aperiunt latam, ac ſpatioſam viam ad omnem licentiam carnis, & voluptatum, cùm tamen Chriſtus docuerit *arctam eſſe, & anguſtam viam ad Cęlum, Matth. 7. v. 13. & 14.*

XXIX. Quia Acatholici plurima ſacræ Scripturæ loca, ac textus detruncant, aliqua addunt, quæ placent, & ea ex proprio ſenſu ſuo interpretantur; Inſuper aliqua depravant; & corrumpunt, quæ diſplicent; imò in ipſa ſacræ Scripturæ interpretatione ipſimet inter ſeſe diſcrepant, & diſconveniunt.

XXX. Quia omnes res vetuſtæ, omnia Veterum Scripta, omnia Antiquorum documenta ſolam Romano-Catholicam Eccleſiam fuiſſe in Chriſtianitate radicatam teſtantur.

XXXI. Quia Romana Eccleſia, eſto hactenus fuerit jam inde à ſui initio oppugnata, & impugnata à diverſis Tyrannis, Ethnicis, Paganis, & Hæreticis, ſemper tamen manſit inconcuſſa, & etiamnum inconcuſſa manet, cùm tamen hæreſes aliæ ſicut extortæ ſunt, ſic etiam interierint.

XXXII. Quia apud Acatholicos nulla, vel certè modica eſt *Doctrina Aſcetica*, hoc eſt, talis, quæ tractaret *de perfectione, & exercitio virtutum Chriſtianarum*, uti & *modica ſcientia de rebus moralibus, ſeu obſervatione legum Divinarum*: ſed potiora permittuntur deſideriis, & concupiſcentiis depravatiſſimæ naturæ humanæ.

XXXIII. Quia *Conciliabula Acatholicorum* etiam illa, in quibus modernarum Religionum cuſæ ſunt confeſſiones, ſeu Profeſſiones, ut erant *Auguſtana, Helvetica, Genevenſis, Anglicana &c.* nec minimam quidem comparationem habere poſſunt, ſive quoad doctrinam, ſive quoad ſanctitatem, ac virtutes, ſive quoad nationum varietatem cum Conciliis Generalibus Eccleſiæ Romano-Cathnlicæ, & Patribus, qui eiſdem interfuerunt. De ejuſmodi Acatholicorum Conciliabulis, & falſis ſynodis jam olim Romanophilus poeta ita cecinit: eſt ſynodus *Nodus*, Cœtum Patrum integer *Æger*: Conventus *Ventus*, Seſſio *Stramen*, Amen.

XXXIV. Quia principia Acatholicorum non ſunt apta ad formandam conſcientiam bonam homine Chriſtiano dignam, benè autem Catholicorum principia, qualia ſunt ſequentia: *Omne peccatum eſt cavendum, & in liber arbitrio hominis eſt, adjuvante Dei gratia, ut peccet, vel non peccet. Omne peccatum mortale meretur pœnam æternam, & unum illorum ſufficit ad æternam damnationem. Peccatum pro nulla re totius mundi eſt faciendum, ita ut præſtet millies mori, quàm unicum peccatum committere, etiam minimum. De omni peccato etiam leviſſimo ac verbo otioſo danda eſt Deo ratio. Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Poſt grave peccatum commiſſum nihil reſtat, quàm vel infernus, vel pœnitentia. Nullum opus honeſtum ſupernaturale eſt, quod non meretur gloriam, & gratiam ſupernaturalem, aut illius augmentum. Omnia peccata mortalia ſunt in confeſſione aperienda, ac Sacerdoti manifeſtanda, & plura his ſimilia.* Acatholicæ autem Doctrinæ hęc ſunt Conſcientię dictamina: *Præcepta Dei impoſſibile eſt obſervare. Unuſquiſque tenetur ſe credere ſalvandum, vel prædeſtinatum. Talibus, qui hæc credunt, Deus non imputat ullum peccatum. Propter nullum peccatum damnatur homo, niſi propter peccatum infidelitatis. Bona opera non ſunt meritoria vitæ æternæ. Pœnitentia pro noſtris peccatis non eſt neceſſario agenda, ſiquidem Chriſtus jam ſua morte, & ſanguine ſatisfecit pro nobis. Non eſt in noſtra poteſtate peccata cavere. Nemo obligatur ad ſua peccata confitenda. Sola fides ſufficit ad ſalutem.* Jam conſideret aliquis, & perpendat, his principiis qualiſnam Conſcientia formabitur ad evitandum malum, & faciendum bonum? cùm tamen principia Doctrinæ Catholicę id unicum prȩſtare conentur, & prȩſtare poſſint.

XXXV. Quia Prȩdicantes Acatholicorum ſolùm ea proferunt, quȩ ſunt in contemptum Religionis Catholicȩ: alia autem, quȩ ſunt in ſua Religione graviſſima, & in perditionem manifeſtam animarum illis ſubjectarum, penitùs diſſimulant, tacent, & obmuteſcunt.

XXXVI. Quia ii, qui inter Catholicos judicantur eſſe peſſimi, & tepidiſſimi, inter Acatholicos judicantur eſſe optimi, & ferventiſſimi. Sed nunquid *à fructibus eorum cognoſcetis eos? Matth. 7. v. 16.* & planè *qui fuit hic corvus, non ibi Cygnus erit.*

XXXVII. Quia nemo eſt, qui à fide Romano-Catholica apoſtatet, & deficiat ad alienas Religiones modernas ex eo, ut in iis fiat melior, & ſanctior, ſed ut ibi laxiùs, voluptuoſiùs, & licentioſiùs vivere poſſit: nam *vinum, & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes. Eccleſiaſtici 19. v. 2. & initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à DEO. Eccleſiaſtici 10. v. 14.*

XXXVIII. Quia etiam pertinaciſſimi hęretici ſępiùs deſiderant mori in fide Catholica, ac etiam in illa moriuntur. Nullus autem Catholicorum optat mori in fide à Romano-Catholica aliena: utique hi ob confidentiam in ſuam fidem, illi autem ob diffidentiam illius. Quia benè vident, & norunt, imò utraque manu palpant, ſuam Religionem eſſe falſam, & incertam, dubiam, & erroneam, periculoſam, & animę ſaluti damnoſam. Sed proh dolor! *Proprium intereſſe, reſpectus humanus, & vita voluptuoſa, ac licentioſa, quæ non mortalia cogis pectora?*

XXXIX.

Digitized by Google

XXXIX. Quia cum tàm clara ſint teſtimonia Sacræ Scripturæ de ſpe, charitate, penitentia, eleemoſyna, & operibus miſericordiæ, quòd ſint proficua ad vitam æternam obtinendam, ac de ipſa fide. Hæc tamen omnia contemnunt moderni Novatores, & ſolùm fidem ad ſalutem ſufficientem eſſe docent.

XL. Quia Prædicantes Sectariorum dum merita Chriſti, ac ſatisfactionem merè extollunt, imitationem vitæ illius auditoribus ſuis proponere, aut ſuadere penitùs negligunt, quin eiſdem prætenſionem, & anſam præbent, ut de cavendis peccatis, & pœnitentia agenda pro commiſſis minimè ſint ſolliciti, uti nec de exercitio virtutum, ac bonorum operum, id pro ſe allegando, quòd Chriſtus Dominus abundè jam ſua morte ſanctiſſima pro peccatis noſtris ſatisfecerit, & Regnum Cęlorum nobis promeritus ſit, atque ſic paſſionam, ac mortem Chriſti, nec non illius ſatisfactionem in vitæ licentiam aſſumunt. Orthodoxa autem doctrina eſt : Chriſti quidem mortem, ac paſſionem eſſe ſufficientiſſimam ex ſe pro peccatis noſtris, & totius humani generis, ac infiniti prorsùs meriti extandentis ſe ad omne omninò præmium poſſibile : nihilominùs Chriſtum voluiſſe illius fructum applicare nobis ita, ut & nos imitando virtutes illius, ejuſdem Paſſioni cooperemur. Duplex ſiquidem fuit finis Adventus Chriſti Domini in hunc mundum : *Primus* erat, ut pro peccatis noſtris ſatisfaceret, & ab æterna damnatione nos eriperet : *Alter* verò, ut perfectiſſimum omnium virtutum exemplar nobis daret, & ad ſui imitationem nos adduceret. Quem finem ipſemet Chriſtus his verbis declarat : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis, Joan.* 13. *v.* 15. & apud *Matth.* 11. *v.* 29. *diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*, & S. Petrus 1. *c.* 2. *v.* 21. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.*

XLI. Quia omnes Acatholicorum fidei opiniones in dubio ſunt conſtitutæ, & in facilè fallibili : ac minimè tuto principio *Dici* ſunt fundatæ : quia Acatholici non ſunt certi, quòd veram ſacram Scripturam habeant, quia idipſum ex Bibliis non poſſunt probare, cùm in Bibliis non ſit ſcriptum, quòd hæc Biblia ſint verum verbum Dei. Traditiones autem non admittunt : adeòque ſolummodò credunt hoc, quia ita à Catholicis *Dici* audiunt, qui tamen (*Acatholicorum opinione*) in rebus fidei potuerunt errare, & errant, quin (*ut Acatholici quidem ajunt*) de facto, & actu errarunt.

XLII. Quia multa docent Acatholici, quæ ſacræ Scripturæ immediatè, & è diametro ſunt oppoſita, ut I. quòd per Baptiſmum *peccatum originale* non totaliter *deleatur*, ſed tantùm *obtegatur*, quod eſt contra illud *Joan.* 1. *& ad Epheſ.* 4. II. Quod præcepta Dei impoſſibilia ſint ſervatu, quod eſt contra *Ezech.* 34. & contra 1. *Joan.* 5. III. Quòd nihil ſit eredendum, niſi quod eſt ſcriptum, quod eſt contra 2. *Theſ.* 2. IV. Quòd Eccleſia Chriſti poſſit errare, quod eſt contra *Matth.* 16. *v.* 18. & contra *Joan.* 24. *v.* 16. V. Quòd Matrimonium prævaleat *Statui virginali*, quod eſt contra 1. *Cor.* 7. *v.* 28. VI. Quòd *Jurata DEO vota ſervandi* non ſit obligatio, quod eſt contra *num.* 30. & contra *Pſ.* 75. VII. Quòd Scriptura ſacra facilis ſit intellectu, quod eſt contra 2. *Pet.* 3. VIII. Quòd homo probus ſit æternæ ſalutis certiſſimus, quod eſt contra *Eccleſ* 9. & contra 1. *Cor.* 4. IX. Quòd bona opera non ſint meritoria ad ſalutem, quod eſt contra *Matth.* 25. & contra 2. *Pet.* 1. Quia, inquam Acatholici hæc, & plura ſimilia ſacræ Scripturæ immediatè contraria docent, rationabiliter credi non poteſt, quòd habeant *fidem ſalvificam*, &, quæ neceſſariò requiritur, *in rebus fidei veritatem.*

XLIII. Quia Deus tantùm fidem Romano-Catholicam hucuſque evidentiſſimis Miraculis confirmavit, quæ Miracula à nulla ſimplici creatura fieri poſſunt. Accedit, quòd Dæmones tantùm à Catholicis expellantur, & exorcizentur, *Martino Luthero notam illam perſonam energumenam fruſtra, ſine effectu, fructu, olim Vuistemberga in Saxonia exorcizante.*

XLIV. Quia apud Catholicos tantùm *Caput viſibile Eccleſiæ ab ipſomet Chriſto Domino denominatum* in continua, & nunquàm interrupta ſucceſſione 248. Summorum Pontificum, ſeu Romanorum Epiſcoporum miraculosè conſervatum, ſemper agnitum eſt, & tamquàm Chriſti in terris Vicarii, ac Succeſſores Petri in ſumma, & publica veneratione habiti ſunt Romani Pontifices.

XLV. Quia Acatholici dicunt Papam Romanum eſſe Anti-Chriſtum, quod eſſe falſum, clarius eſt luce meridiana, ſiquidem ſacræ Scripturæ clarè prædicunt, quòd Anti-Chriſtus ſe Chriſto opponet, & ſupra Deum ſe elevare præſumet. 2. *Theſ.* 2. tollet Sacræ Miſſæ Sacrificium. *Danielis* 12. Adorabitur à Judæis tamquàm Meſſias : unus ſolùm homo erit, ſedebit in templo Dei Jeroſolymis, tribus & medio ſolùm anno regnabit, & ſimilia : Quæ omnia ne in minimo quidem Papæ conveniunt, utpotè qui omnibus viribus contendit, ut ſanctiſſimum Jeſu Chriſti nomen ubique terrarum perfectiſſimo modo ſanctificetur, & ut amandiſſimum Salvatorem noſtrum quam optimè omnes homines colant, ament, laudent, adorent, & glorificent, pro cujus confeſſione 56. Pontifices Romani glorioſe Martyrium ſubierint. Quomodo ergo hi *Anti-Chriſti* id eſt, *Inimici, & Adverſarii Chriſti* cum veritate appellari poſſunt?

XLVI. Quia Catholici pluſquam 1500. Annis ante Lutheranos, & Calviniſtas in poſſeſſione veræ fidei perſtiterunt, pro Catholicis ſtant omnes præſumptiones, & omnia præjudicia, videlicet promiſſio Chriſti, infallibilia ſigna veræ Eccleſiæ, indubitata prodigia, & miracula, converſio infidelium, & gentilium, ſanguis Martyrum pro fide prodigè effuſus, & alia quàm plurima. Nihil horum pro fide Lutherana, aut Calviniſtica.

XLVII. Quia Acatholici fatentur, Eccleſiam Catholicam olim fuiſſe veram Chriſti Eccleſiam, & tamen non poſſunt dicere. 1. Qua in re à puro Dei verbo receſſerit, & quid ſacræ Scripturæ contrarium docuerit? 2. Quinam ſuppreſſores puri verbi Dei, deſtructores Eccleſiæ, & ſeductores populi Dei fuerint? quando vixerint, & qualiter nominati fuerint? 3. An univerſa Catholica Chriſtianitas una vice, & ſimul ac ſemel tam enormiter peccarit? vel an innocens eum nocente ſit rejectus? 4. quo anno Chriſti, ſub quo Pontifice, vel Cæſare hoc peccatum ſit commiſſum, ob quod Chriſtus Catholicam Eccleſiam rejecerit, & Sponſam ſuam non ampliùs agnoverit? 5. An tot centenis annis nulla planè Chriſti Eccleſia in toto orbe fuerit reperibilis? 6. Ubi illis temporibus Judæi, & Ethnici veram fidem amplecti volentes ſe inſinuare debuiſſent.

XLVIII. Quia nullo modo eſt credibile, quòd Spiritus ſanctus univerſalem, & Catholicam Eccleſiam penitùs ita deſeruerit, ut Eccleſia in tantos, & etiam horribiles errores (*ſicuti Acatholici aſſerunt*) lapſa ſit, & quidem poſt tantam infidelium populorum converſionem, ita ut ſolùm in *novo orbe, ſeu partibus Americanis ultra centum millia Catholicorum Templorum* ſint ædificata, ut vel ex hoc ſolo capite à Spiritu ſancto deſertam tantopere fuiſſe Eccleſiam Chriſti præſumi non poſſit. Benè enim ponderanda, ac ruminanda ſunt verba Sancti Auguſtini aſſerentis : ſi Adverſariorum opiniones concederentur : Spiritum ſanctum, *aut non voluiſſe, aut non potuiſſe* diutiùs, quàm 600. Annis Sponſam Chriſti, quæ eſt ejus Eccleſia, regere, cujus utrumque, vel alterutrum aſſerere, foret ſumma in Spiritum ſanctum blaſphemia.

XLIX. Quia Avi, & Proavi, & Atavi, &c. Catholicorum in ſignum zeloſiſſimum Catholicæ veritatis tam celebres fundarunt Eccleſias, Monaſteria, & Canonicatus, Epiſcopatus, & alias fecere piiſſimas fundationes, ob quas etiam ab optimo Deo largis benedictionibus ſunt donati, in Catholica fide ſanctè vixerunt, & pie in Domino ſunt defuncti. Qui ſi à mortuis reſurgerent, & modernam Templorum, ac Monaſteriorum devaſtationem, ſuarumque fundationum fruſtrationem intuerentur, haud dubiè illud triſte lachrymabundi ingeminarent : *Quas Sacras Ædes pietas exſtruxit Avorum, Has nunc devaſtant hæredes more Luporum*, qui ſunt hæretici.

L. Quia non tantùm in Patria noſtra Germania, ſed etiam in toto orbe terrarum à temporibus Apoſtolorum tantus accurſus infidelium, & gentilium, tantùm ad Catholicam, & Romanam fidem factus eſt. In qua fide etiam omnes ſancti Dei, veteris, & novi Teſtamenti vixerunt, & mortui ſunt : imò pro qua tot millia Sanctorum Martyrum id eſt, *undecim Sanctorum Martyres milliones* ſanguinem ſuum profuderunt, illiuſque veritatem glorioſa ſua morte confirmarunt.

*Propter has, & alias rationes plurimùm urgentes, & planè convincentes*, plures Sereniſſimæ, Illuſtriſſimę, perilluſtres, & Excellentiſſimæ utriuſque ſexus Perſonæ à Calviniſmo, & Lutheraniſmo ad fidem Romano-Catholicam ſe converterunt, quarum aliquas breviter ſubjiciemus : *Eliſabetha Chriſtiana Duciſſa Brunſvicenſis. Vuolfenbutelana moderna Auguſtiſſima Romanorum Imperatrix. Henricus Quartus Rex Galliæ, & Navarræ. Carolus Secundus, & Jacobus Secundus Reges Angliæ, & Fratres : Chriſtina Alexandra olim regnans Regina Sueciæ. Fridericus Auguſtus Primus modernus Rex Poloniæ, & Elector Saxoniæ. Fridericus Auguſtus II. Princeps Electoralis Saxoniæ, & Regius Poloniæ. Chriſtianus Auguſtus Dux Saxoniæ. Zeitanus Archi-Epiſcopus Strigonienſis, primas Ungariæ S. R. E. Cardinalis, & ad comitia Imperialia Ratiboneniſia S. C. M. Legatus Plenipotentiarius actualis. Antonius*

*Udal-*

Digitized by Google

*Udalricus Dux Brunſvicenſis-Guelpherbytanus, vulgò Vvolfenbutelanus. Albertus Dux Saxo. Vveiſſenfeldenſis. Henricus Julius, & Franciſcus Carolus Duces Saxo Lauenburgici. Chriſtianus Vvilhelmus Marchio Brandenburgicus Adminiſtrator Magdeburgenſis. Rupertus, Eduardus, & Mauritius Comites Palatini Rheni. Aloyſia Comitiſſa Palatina Rheni. Vvolfgandus Guilielmus Comes Palatinus Rheni, Juliaci, Cliviæ, Montium, & Neoburgenſium Dux. Chriſtianus Auguſtus Comes Palatinus Rheni Dux Sulzbacenſis. Antonius Udalricus Dux Brunſvicenſis. Vvolfenbutelanus Avus Auguſtiſſima Regnantis. Joannes Fridericus Dux Brunſviſcenſis, Hannoveranus, Parens Auguſtiſſima Vidua Vvilhelmina Amalia. Carolus Alexander Dux Vvirtemberg. Stutgardienſis S. C. M. Supremus Campi Mareſcalus actualis. Eliſabetha Amalia Landgravia Haſſo Darmſtadienſis Electrix Palatina, Duciſſa Neoburgenſis. Mater Defuncta Imperatricis Coronata Eleonora Magdalena Thereſia. Chriſtianus Dux Megapolitano Soverinenſis. Fridericus Landgravius Haſſo-Darmſtadienſis Epiſcopus Uratislavienſis, S. R. E. Cardinalis. Fridericus Vvilhelmus Dux Holſatiæ Bekenſis S. C. M. Generalis. Joannes Ludovicus Princeps Naſſavio-Hadamarenſis. Ferdinandus Dux Curlandiæ. Leopoldus à Kolonitſch S. R. E. Cardinalis, Archi-Epiſcopus Strigonienſis, Primas Hungariæ. Godefridus Langvverth à Simeren Epiſcopus Tentraniæ Eccleſiæ Cathedralis Ratisbonenſis Canonicus, illiuſque Diœceſis in ſpiritualibus Suffraganeus, & Adminiſtrator. Comes de Goz, Comes de Schulz, Comes de Harſch Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Generales, Godefridus Adolphus Voluſius SS. Theologiæ Doctor Suffraganeus Moguntinus, Petrus, & Adrianus de Vvallenburg, Doctrina Controverſiſtica, & Stemmate admodùm Nobiles.*

Omitto Perſonas plurimas, quæ exemplum cæteris dedere Acatholicis, ut quemadmodum ipſæ fecerunt, ita, & reliqui faciant; dependet equidem à vera fide ſalus æterna hominis: nequit autem eſſe vera fides niſi in vera Chriſti Eccleſia, quam non eſſe aliam quàm Romano-Catholicam convincunt certè rationes, & motiva ſuprà adducta: *itaque quicumque vult habere Deum tamquàm Patrem, habeat Eccleſiam Catholicam tamquàm Matrem.*

*Gloria ſit JESU, ſit Laus Æterna Mariæ, ſit ſine Principio, ſit ſine fine Deo.*



Digitized by Google

# APPENDIX ALPHABETHICA,

### *IN QUA*

**Bullas, & Conſtitutiones Pontificum in Supplementis Theologiæ Sacramentalis, & Decalogalis R. P. Patritii Sporer, à nobis breviter citatas, per extenſum, & in terminis ſecundùm Alphabethi ordinem referimus.**


| | |
|---|---|
| ALtare Privilegiatum. | Pag. 299 |
| Beati. | 360 |
| Bulla Cęnæ Domini. | 305 |
| Caſus reſervati Regularium. | 304 |
| Clauſura Monialium. | 304 |
| Communio quotidiana. | 305 |
| Confraternitas. | 305 |
| Decreta Sacræ Congregationis Rituum. | 307 |
| Eccleſiarum Ornamenta. | 311 |
| Exercitia Spiritualia. | 315 |
| Feſtum Immaculatæ Conceptionis B. Virginis MARIÆ. | 311 |
| Immunitas Eccleſiaſtica Localis, ſeu Jus Aſyli. | 312 |
| Indulgentiæ Regularium. | 313 |
| Indulgentiæ Archi-Confraternitatis Chordigerorum S. P. N. Franciſci. | 314 |
| Indulgentię Feſtorum noſtri Ordinis Seraphici. | 315 |
| Indulgentia Portiunculæ: Hæc non ſuſpenditur in anno Jubilæi: Poteſt applicari pro defunctis, & obtineri toties, quoties. | 3.5 |
| Indulgentiæ pro Feſtis SS. Joannis à Capiſtrano, & Paſchalis Baylon noſtri Ordinis Seraphici. | 316 |
| Indulgentiæ Viæ Crucis. | 316 |
| Indulgentiæ terræ Sanctæ. | 317. & 318 |
| Indulgentiæ Crucum, & Roſariorum Jeroſolymitanorum: Declaratio earundem, ſicut etiam Crucum Caravacenſium. | 318 |
| Indulgentiarum & privilegiorum communicatio. | 342 |
| Indulgentiæ confratrum Chordæ S. Franciſci, & Fratrum Tertii Ordinis de Pęnitentia. | 341 |
| Indulgentia Doctrinæ Chriſtianæ. | 341 |
| Indulgentiæ Tertiariorum. | 340 |
| Libri ex Bibliotheca. | 319 |
| Litteræ Pęnitentiariæ. | 319 |
| Matrimonium Clandeſtinum. | 320 |
| Miſſæ Defunctorum. | 320 |
| Miſſa in Eccleſiis Regularium. | 320 |
| Miſſa in Oratoriis privatis. | 321 |
| Parochus. | 321 |
| Privilegiorum Communicatio, Confirmatio, Conceſſio, Declaratio, Revocatio. | 322 |
| Profeſſio Fidei Catholicæ. | 327 |
| Propoſitiones Damnatæ ab Alexandro VIII. Bajanę, Janſenianæ, Queſnellianæ, &c. | 328 |
| Regularium Reformatio. | 336 |
| Regularium Novitiorum Receptio. | 338 |
| Tertiariorum habitus. | 340 |


## APPENDIX ALPHABETHICA.

### *Altare Privilegiatum.*

*Declaratio Alexand. VII. Circa Altaria privilegiata, extenditur à Clem. IX. ad Altaria temporaneo privilegio decorata.*

CUm dubitatum fuerit, utrùm Altaria temporaneo privilegio decorata, ad ſeptennium nimirum, nec omnibus hebdomadæ diebus, gauderent iiſdem privilegiis indulgentiarum, & prerogativis editis in declaratione Alexand. VII. fel. rec. Papæ circa Altaria perpetuò privilegiata, Clemens IX. glorioſæ mem. Pontifex declarationem præfatam ex voto S. R. E. Cardinalium Sac. Ritibus præpoſitorum, extendit ad Altaria prædicta ad tempus privilegiata: & non omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus hebdomadę diebus, nunc, & in futurum quandocumque decorata, & in iis plenarium locum habere pronunciavit, tenore Brevis ſequentis per extenſum poſiti, videlicet.

### CLEMENS PAPA IX.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

CUm fel. rec. Alexander Papa VII. Prædeceſſor noſter, dubia in diverſis mundi partibus, occaſione decreti congregationis tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum, die 5. Auguſti, 1662. emanati, & ab ipſo Alexandro Prædeceſſore approbati de non celebrandis miſſis defunctorum in feſtis ritus duplicis, exorta, dirimere cupiens, aliud ejuſdem congregationis decretum, in una Novarien: die 22. Novembris, 1664. editum approbaverit, quo declaratum fuerat, Anniverſaria, & miſſas defunctorum cantu ex diſpoſitione teſtatorum, quot annis recurrente ipſorum obitus dia celebrandas, tametſi dies obitus hujuſmodi in feſtum Ritus duplicis majoris incideret, non comprehendi in primo dicto decreto: ac ulteriùs quoad Altaria privilegio Apoſtolico pro animabus fidelium defunctorum in perpetuum decorata, & in quibus proinde quotidiè etiam in feſtis Ritus duplicis, celebrandæ eſſens miſſæ defunctorum ex obligatione declaraverit per celebrationem miſſarum de feſto Currenti, ſatisfieri injunctis obligationibus, & indulgentias per ejuſmodi privilegia Apoſtolica conceſſas animabus fidelium defunctorum in purgatorio exiſtentibus ſuffragari, perinde ac ſi celebratæ fuiſſent miſſæ defunctorum ad formam dictorum privilegiorum, & aliàs prout in ejuſdem Alexandri prædeceſſoris litteris deſuper in ſimili forma Brevis, die 22. Januarii 5667. expeditis, quarum tenorum præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſo, & inſerto habere volumus, uberiùs continetur. Cùmque (ſicut ad aures noſtras pervenit) etiam dubitetur, utrum dictarum litterarum diſpoſitio quoad Altaria pariter quidem privilegiata ſed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadæ diebus, & ad quæ miſſæ non ex obligatione, ſed ex ſola fidelium devotione celebrantur, locum habeat. Hinc eſt, quòd nos dubitationes hujuſmodi ea injunctæ nobis cælitùs Paſtoralis ſolicitudinis munere dirimere pariter, atque decidere cupientes, de Venerabilium Fratrum noſtrorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum, qui rem maturè perpenderunt, Conſilio declarationem à memorato Alexandro prædeceſſore, ſicut præmittimus editam, ad Altaria, ut præfertur, non in perpetuum, ſed ad ſeptennium, ſeu aliud brevius, vel longius tempus, ac non omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus tantùm hebdomadæ diebus, nunc, & in futurum quandocumque privilegiata auctoritate Apoſtolica tenore præſentium extendimus. Et proinde, ut miſſæ, quæ ibidem de feſto Currenti, in quo miſſæ defunctorum celebrari non poſſunt, ſive ea obligatione, ſive ex ſola fidelium devotione celebrabuntur, ſuffragentur, ita ut animæ Chriſti fidelium, pro quibus celebratæ fuerint, indulgentias per privilegia hujuſmodi conceſſas, conſequantur in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi miſſæ defunctorum ad formam eorundem privilegiorum celebratæ fuiſſent, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus. Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſi-

mè

*Probatur*. De eſſentia fidei eſt, ut nitatur auctoritate dicentis, ſive evidenter conſtet de dicente, ſive non, ut patet in fide humana: ergo, licèt alicui evidenter conſtet de revelante DEO, poterit tamen elicere actum fidei Divinæ circa rem revelatam, quæ manet adhuc obſcura; aliàs primus Angelus in via non habuiſſet fidem, cùm eidem DEUS revelans fuerit evidens.

*Objicitur I.* Stante evidentia revelantis DEI, veritas rei revelatæ eſt evidens. R. D. per medium intrinſecum, & ex natura rei connexum cum re revelata N. per medium *extrinſecum rei revelatæ*, nec cum ea ex natura connexum C. II. Per Creaturas DEUS eſt evidens, etiamſi Creaturæ DEO ſint extrinſecæ R. D. Creaturæ ſunt DEO extrinſecæ in eſſendo C. in cognoſcendo Neg. quia Creaturæ productæ habent intrinſecam, & neceſſariam connexionem cum DEO tamquàm ſua cauſa. III. Cum evidentia revelantis DEI, aſſenſus fidei non foret liber circa rem revelatam. Reſp. Neg. quia intellectus non neceſſitatur, quoad exercitium actus, niſi circa objectum intrinſecè evidens.

## ASSERTIO LXXIII.

*SAcra Scriptura continens libros à Concilio Tridentino ſeſſ. 4. ſpecificatos, in veteri vulgata latina editione eſt verum verbum DEI*. Contra Calviniſtas, Lutheranos, & alios Hæreticos.

*Probatur I.* Quia Eccleſia Catholica habet, & jam à mille ferè annis habuit pro Canonicis, libros Sacræ Scripturæ à Concilio Tridentino ſpecificatos, nam Innocentius I. *epiſt. 3. ad Exuperium c. 7. anno* 402. Libros vulgatæ editionis jam habuit pro Canonicis. II. Quia una eſt vera fides in Eccleſia Chriſti: ergo etiam una vera Sacra Scriptura, at non alia, quàm vulgatæ editionis, utpote à tot SS. Patribus approbata: ergo.

*Objicitur I.* Judæi non habent omnes libros veteris Teſtamenti ſpecificatos pro Canonicis; ergo non ſunt Canonici. R. N. conſ. quia Eccleſia Chriſti in fide infallibilis, hos declaravit ut Canonicos. II. In libris Sacræ Scripturæ ſpecificatis reperiuntur contradictiones: ergo non ſunt verum verbum DEI. R. D. Ant. reperiuntur contradictiones veræ N. apparentes C. Ant. & N. conſequent. nam ubi in Sacra Scriptura apparet contradictio, explicanda eſt, quòd vel loquatur de alia perſona, vel de alio loco, vel de tempore, vel in alio ſenſu &c.

## ASSERTIO LXXIV.

*PRæter Verbum DEI ſcriptum datur etiam Verbum DEI non ſcriptum, ſeu traditum*. Contra Lutheranos, & Calviniſtas.

*Probatur I. Joan. 21. Sunt autem, & alia multa, quæ fecit JESUS, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros 2. Theſſ. 2. Tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.* II. Credimus fide Divina ſcripturam veteris, & novi Teſtamenti eſſe verum Verbum DEI; atqui hoc non credimus, quia ſcriptum eſt; in qua enim ſcriptura ſcriptum hoc eſt? ergo propter Verbum DEI traditum.

*Objicitur I. Deuter. 4. Non addetis ad Verbum, quod vobis loquar*. Reſp. Non addetis quidquam ei contrarium. II. *Matth. 15. Quare, & vos tranſgredimini Mandatum DEI propter traditionem veſtram?* Reſp. ſcilicet humanam, & vanam, non Divinam, aut Apoſtolicam. III. Traditiones non poſſunt tamdiu conſervari. Reſp. Diſt. per providentiam humanam C. Divinam N. IV. 2. *Timoth. 3. Omnis ſcriptura Divinitùs inſpirata utilis eſt ad docendum*. Reſp. ſed non ſola utilis eſt, nec ſola ſufficiens ad docendum ſine Verbo DEI tradito.

## ASSERTIO LXXV.

*SOla Romana Eccleſia eſt Vera DEI, & Chriſti Eccleſia*. Contra omnes infideles.

*Probatur*. Sola Romana Eccleſia habet notas veræ Eccleſiæ, nam eſt *Una*. 1. Quia habet unum caput, ſcilicet Romanum Pontificem. 2. Quia eſt una in credendis fidei articulis: eſt *Sancta*. 1. Sanctitate Doctrinæ. 2. Vitæ. 3. Et Miraculorum. Eſt *Catholica*. 1. Quia per totum orbem diffuſa. 2. Et per omnes nationes. 3. Quia fuit omni tempore, nimirum à tempore Chriſti uſque nunc, & erit uſque ad finem mundi: Eſt *Apoſtolica*. 1. Quia in Apoſtolis habuit initium. 2. Per eoſdem fuit propagata. 3. Tenet eorum Doctrinam. 4. Quia retinet non interruptam Epiſcoporum ſucceſſionem ad ſua uſque tempora; quæ adeò vera ſunt, ut etiam oculis conſpici, & manibus palpari queant; atqui nulla alia Eccleſia habet has quatuor notas, ut iterum manifeſtum eſt: ergo ſola Romana Eccleſia eſt vera DEI, & Chriſti Eccleſia.

*Objicitur I.* Catholicorum Doctrina non eſt Una. Reſp. D. in iis, quæ ſunt de fide N. in aliis, C. II. Catholici ſunt mali. Reſp. D. vitio fidei, & Religionis, N. vitio proprio T. III. Eccleſia Romana eſt Eccleſia particularis. Reſp. D. ut eſt ſub Epiſcopo Romano tamquam ſpeciali Paſtore ſuo C. ut eſt ſub Epiſcopo Romano tamquam Paſtore univerſali. N.

## ASSERTIO LXXVI.

*VEra Chriſti Eccleſia debet eſſe viſibilis*. Contra Lutheranos, & alios Hæreticos.

*Probatur I.* Quia Chriſtus ſuam Eccleſiam comparat *civitati ſupra montem poſitæ, Matth. 5. Sagenæ miſſæ in mare*, & ex omni genere piſcium congreganti. *Matth. 13. Convivio nuptiali*, ad quod boni, & mali vocati ſunt, *Matth.* 22. ſed hæc ſunt viſibilia: ergo etiam Eccleſia. II. Chriſtus *Matth.* 18. ait; *Dic Eccleſiæ. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi, ſicut Ethnicus, & Publicanus*; ſed quomodo Eccleſiæ poterit aliquid dici, aut ab illa audiri, ſi viſibilis non ſit? III. In Eccleſia Chriſti Epiſcopi, & Paſtores viſibiliter gubernant, & docent ſuos ſubditos, Sacramenta adminiſtrant, celebrant Concilia: ergo eſt viſibilis.

*Objicitur I.* Fide credimus Eccleſiam: ergo non ex viſibilis. Reſp. D. ant. Fide credimus Eccleſiam, id eſt, homines profitentes Fidem Chriſti ſub Romano Pontifice N. ant. id eſt, credimus veram eſſe doctrinam Chriſti, quæ in Eccleſia traditur C. ant. II. *Non venit Regnum DEI cum obſervatione. Luc.* 17. Reſp. Sermo eſt de Regno DEI in juſtis per Gratiam, quod eſt inviſibile; non de Regno Eccleſiæ, quod eſt viſibile; *quia non eſt ſub modio Eccleſia, ſed ſupra candelabrum. Ait S. Aug. l. de unit. Eccl. c.* 16.

## ASSERTIO LXXVII.

*VEra Chriſti Eccleſia durabit uſque ad finem Mundi*. Eſt de fide.

*Probatur*. Quia *Matth.* 16. ait Chriſtus: *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et Matth. 24. prædicabitur hoc Evangelium Regni in univerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio, & Matth. 28. Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*, & *Eph.* 4. ait S. Paulus: *ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, Paſtores, Doctores &c. ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei &c.* Ergo Chriſti Eccleſia durabit uſque ad finem Mundi.

*Objicitur I.* Synagoga defecit: ergo etiam Eccleſia deficere poterit. R. D. ant. Synagoga defecit, quantùm ad figuras C. ant. quantùm ad figuratum. N. ant. quia Synagoga fuit figura Eccleſiæ, adeòque hac præſente, illa ceſſare debuit, neque illi promiſſa perpetuitas, ſicut Eccleſiæ. II. Eccleſia comparatur Lunæ; atqui hæc deficit: ergo etiam Eccleſia. R. D. Maj. in omnibus N. in uno, ſcilicet quòd à Chriſto habeat ſuum lumen ſpirituale, ſicut luna à ſole habet lumen corporale C.

## ASSERTIO LXXVIII.

*VEra Eccleſia Chriſti eſt infallibilis in decidendis fidei Articulis*. Contra Lutheranos.

*Probatur*. Quia Chriſtus *Joan.* 14. inquit: *Ego rogabo patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis. Et Matth. 28. Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* S. Paulus 1. *Timoth.* 3. ait: *Eccleſia DEI vivi eſt Columna, & Firmamentum veritatis*: ergo Eccleſia in fide errare non poteſt: accedit ratio, quia ſi Eccleſia errare poſſet, nihil poſſet certò, & infallibiliter credi; quia ſine declaratione, & Auctoritate Eccleſiæ non conſtat nobis infallibiliter, quænam Scriptura ſit verum DEI Verbum; ſed conſequens nequit admitti: ergo nec antecedens, ex quo etiam infertur, Concilia generalia à Summo Pontifice confirmata errare non poſſe in decidendis fidei controverſiis, cùm repræſentent totam Eccleſiam.

*Objicitur*. *Concilium* Ariminenſe erravit in ſubſcriptione hæreſis Arianæ, & Epheſinum II. in recipiendo Euthyche: ergo Eccleſia non eſt infallibilis. Reſp. N. conſ. quia fuerunt Concilia *Acephala*, non approbata à Summo Pontifice Romano.

## ASSERTIO LXXIX.

P*Ontifex Romanus eſt verus Chriſti Vicarius ſucceſſor Petri, & caput viſibile veræ Eccleſiæ Dei, & Chriſti.* Contra Hæreticos.

*Probatur*. S. Petrus fuit verus Chriſti Vicarius, & caput viſibile militantis Eccleſiæ, *Matth.* 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Joann.* 21. *Paſce oves meas*: atqui Pontifex Romanus eſt in officio paſtorali ſucceſſor ſancti Petri; ergo Pontifex Romanus eſt verus Chriſti vicarius, & caput Eccleſiæ. Prob. min. 1. Quia S. Petrus Romæ cathedram Pontificalem tenuit uſque ad mortem. 2. Quia Concilium Florentinum ſtatuit; *Definimus, ſanctam Apoſtolicam ſedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput.* 3. Quia Pontifex Romanus à nemine poteſt judicari teſte *Concilio Synueſſano.* Quia Epiſcopi ad Romanum Pontificem poſſunt appellare, ab ejus verò ſenteutia, nulla ampliùs datur appellatio ex *Concilio Sardicenſi*: ergo.

*Objicitur*. Sanctus Petrus etiam Anthiochiæ fuit Epiſcopus. Reſpond. Sed ibi ſuam ſedem ſtabiliter non fixit uſque ad mortem.

## ASSERTIO LXXX.

S*Ummus Pontifex eſt ſupra Concilium*. Ita Catholici.

*Probatur*. Ex *Conciliis Florentino part.* 2. *collat.* 22. & *Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ.* 11. definientibus *ſolum Romanum Pontificem tanquàm auctoritatem ſuper omnia Concilia habentem &c.* Idem patet propoſitione 29. damnata ab Alexandro VIII. *Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Romani Pontificis ſuprà Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate*: Ratio eſt: I. Quia Chriſtus Petro tamquàm capiti diſtincto à reliquo corpore Eccleſiæ dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam Matth.* 16. II. Quia paſtor eſt ſupra oves, & ovile. III. Quia in ſynodo Synueſſana, & Romana prohibetur *ſumma, & prima Sedes judicari*. IV. Quia non datur appellatio à Papa ad Concilium, bene verò è contra. V. Quia nullum Concilium valet, niſi convocatum, & confirmatum à Summo Pontifice. VI. Denique non poteſt eſſe minor auctoritas ſummi Pontificis in lege Evangelica, quàm fuerit ſummi Sacerdotis in lege Moſaica, ſed ſumma poteſtas erat penes ſummum Sacerdotem, qui in Pontificali officio erat conſtitutus, quantumvis ferret ſententiam in magno Concilio Judæorum, nec à ſummo Sacerdote dabatur appellatio ad Concilium, ut conſtat *Deut.* 17. ubi dicitur: *qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto judicis, morietur homo ille*: Ubi non dicitur: Qui noluerit obedire *Sacerdotum Concilio*, ſed *Sacerdotis ſummi imperio*: ergo non minoris auctoritatis erit ſummus Sacerdos in lege Evangelica, quæ longè excedit Moſaicam: & conſequenter etiam erit ſuprà Concilium.

*Objicitur I.* Concilium Conſtantienſe definit, quòd Concilium univerſale habeat immediatam poteſtatem à Chriſto, cui quilibet cujuſcunque dignitatis, & conditionis ſit, etiamſi Papalis, obedire teneatur: ergo. Reſp. Concilium velle, quòd tempore ſchiſmatis, quale tunc erat, quando non conſtat certè de vero ſummo Pontifice poſſint prætendentes Papatum cogi ad eum deponendum. II. Concilium Baſileenſe *ſeſſ.* 2. expreſsè definit: *Concilium eſſe ſuprà Papam*. Reſp. Hoc Concilium non fuiſſe validum: nam licèt hoc Concilium ab initio legitimè congregatum fuerit, tamen poſtquam ab Eugenio Papa ſe ſeparavit, & contra ipſum inſurrexit, in *Schiſmaticum, & Acephalum conciliabolum declinavit*: ideoque ab Eugenio meritò diſſolutum omnique valore exutum, eique aliud Concilium Florentinum ſubſtitutum fuit. III. Ergo fruſtra erunt Concilia, ſi non haberent majorem, vel æqualem auctoritatem, quàm ipſe Papa. Reſp. N. illatum quia habent adhuc maximam vim, auctoritatem, & utilitatem, cùm plurimi viri ſanctitate, ſapientia, & experientia præſtantiſſimi ex toto orbe terrarum in Conciliis conveniant, quorum communia ſuffragia ad refellendas noxias opiniones, abuſus, & hæretica dogmata tollenda plurimùm conducunt. IV. Summus Pontifex eſt membrum Eccleſiæ: ergo non eſt major Eccleſia. R. D. Summus Pontifex eſt membrum Eccleſiæ quodcumque N. principale, & caput in cæteris membris influens in quo eſt plenitudo poteſtatis, à quo cæteri Prælati ſibi propriam participant, omnibuſque fidelibus veram fidei, & morum doctrinam proponit C. Quinimò falſum eſt Eccleſiam, ut contra diſtinctam à Papa eſſe totum: nam Eccleſia eſt corpus: corpus autem Membris conſtat, & capite, quod eſt ſummus Pontifex.

## ASSERTIO LXXXI.

S*Ummus Pontifex ex Cathedra loquens eſt infallibilis in ſuis definitionibus circa materiam fidei, & morum etiam extra Concilium.* Eſt tota Catholica.

*Probatur I.* Si ſummus Pontifex non eſſet infallibilis in ſuis definitionibus, Eccleſia poſſet errare contra promiſſionem Chriſti: *portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Matth.* 16. *ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Luc.* 22. II. Si ſummus Pontifex non eſſet infallibilis, Eccleſia non foret ſancta contra ſymbolum Apoſtolicum, cùm falſa pro veris, inhoneſta pro honeſtis poſſet recipere ex definitione ſummi Pontificis. III. Chriſtus Dominus ſoli Petro extra Concilium dixit, *Joann. ult. paſce oves meas*: ergo tota Eccleſia illum audire, & ſequi tenetur: adeòque ſi ille erraret, vel errare poſſet, tota Eccleſia poſſet errare. IV. Quid ſi in Concilio generali Epiſcopi diſſiderent à Papa circa articulum fidei definiendum, quid tunc fieret? non eſſet ullum remedium, niſi pro tunc aliquis judex infallibilis eſſet, non autem in eo caſu Concilium eſſet judex, quia Concilia à Papa diſſidentia errare poſſunt, & errarunt; reſtat igitur, ut Papa ſit judex infallibilis, & errare non poſſit. V. Multi Papæ ſine Concilio canonizarunt ſanctos; ſed in hoc nec errarunt, nec errare poſſunt: ergo ſi Papa in uno non poteſt errare extra Concilium, nec poterit in alio: & per conſequens ſummus Pontifex eſt infallibilis, etiam extra Concilium, cùm Concilium convocare ſemper ſit impoſſibile: & à Pontificibus ſine Concilio damnati ſint errores *Pelagii, Priſcilliani, Joviniani, Vigilantii, &c.* qui hoc ipſo habiti ſunt pro hæreticis à tota Eccleſia, ut refert Bellarminus *l.* 4 c. 3. ergo.

*Objicitur I.* Omnis homo mendax. Reſp. D. cui non eſt promiſſa aſſiſtentia Spiritus ſancti C. cui eſt promiſſa, ſicuti Papæ N. II. Papæ errarunt. Reſp. D. quà privati Doctores C. quà paſtores univerſales ex cathedra loquentes N. III. Papa quà Perſona privata poſſet fieri hæreticus: ergo poſſet aliquid hæreticum definire. Reſp. N. ant. quia Chriſtus *Luc.* 22. illis verbis: *ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu confirma fratres tuos*: non ſolùm Petro, & ejus ſucceſſoribus impetravit, ut tamquàm Pontifex, & ex cathedra docens nihil contra fidem proponeret Eccleſiæ, ſed ut nec ipſe perſonaliter in fide erraret, nam ſi erraſſet, jam ipſius fides defeciſſet, & falſa fuiſſet oratio Chriſti, quòd nemo, niſi blaſphemus dixerit. Et hoc patet ex *S. Auguſtino de corrept. & grat.* c. 8. ibi; *Quando rogavit ergo, ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit; niſi, ut haberet, in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem.*

## ASSERTIO LXXXII.

E*St de fide, Innocentium XIII. eſſe verum Summum Pontificem.* Ita Catholici.

*Probatur*. Ex Bulla Martini V. decernentis, ut hæretici revertentes interrogentur, *utrùm credant, quòd Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expreſſo, ſit ſucceſſor Beati Petri, habens ſupremam auctoritatem in Eccleſia Dei?* Ratio eſt: quia de fide eſt hanc numero Eccleſiam Romanam eſſe veram Eccleſiam, ergo etiam de fide erit hunc numero Romanum Papam eſſe verum ſummum Pontificem. II. Quia hæc propoſitio: *Innocentius Decimus Tertius eſt verus ſummus Pontifex*, continetur immediatè in hac propoſitione revelata: *Omnis Pontifex à tota Eccleſia pacificè receptus eſt verus Papa*. III. Definitiones Innocentii XIII. ex cathedra loquentis ſunt de fide, atqui non eſſent de fide, niſi eſſet de fide Innocentium XIII eſſe verum Papam: ergo.

*Objicitur I.* Non eſt revelatum Innocentium XIII. eſſe validè baptizatum, canonicè electum, &c. Reſpondeo, diſtinguo, non eſt revelatum explicitè Conc. implicitè per pacificam Eccleſiæ univerſalis receptionem Neg. II. Non eſt de fide in hac numero conſecrata hoſtia eſſe corpus Chriſti: ergo. Reſpond. Neg. conſequentiam, diſparitas eſt: quia non eſt certum, an hæc hoſtia ſit validè conſecrata, ſecùs eſt de acceptatione Papæ.

## ASSERTIO LXXXIII.

A*Mor viæ, & Amor patriæ differunt ſpecie. Scotus* 3. *diſt.* 31. *quæſt. unic.* cum ſuis, & aliquibus Thomiſtis, & Recentioribus.



Digitized by Google

*Probatur I.* Quia amor Patriæ eſſentialiter prærequirit cognitionem claram, & intuitivam DEI, non ſic amor viæ. II. Amor Patriæ eſſentialiter prærequirit objectum præſens in ſe, non item amor viæ. III. Quia amor Patriæ facit hominem beatum, non ſic amor viæ. IV. Cognitio DEI intuitiva, in Patria differt ſpecie à cognitione DEI abſtractiva in via: ergo etiam amor patriæ ſpecie differt ab amore viæ.

*Objicitur I. Corinth.* 13. *Charitas numquam excidit.* Reſp. explico; charitas infuſa habitualis C. charitas actualis, Subdiſt. numquam excidit, quia erit in Patria eadem ſpecie ſubalterna cum amore viæ C. quia erit idem ſpecie infima amor in via, & patria N. II. In patria non erit charitas habitualis ſpecie diſtincta à charitate viæ: ergo nec actualis. R. N. conſ. diſparitas eſt; quia habitus ſupernaturales, cùm dent ſimpliciter poſſe, habent ſe inſtar potentiarum, quæ poſſunt diſtinctos ſpecie actus producere, cùm tales habitus non generentur ex actibus: non ſic de actibus. III. Amor viæ & patriæ habent idem objectum formale. R. D. diverſimodè tamen applicatum C. ſecùs N.

## ASSERTIO LXXXIV.

NOn dantur virtutes Morales per ſe infuſæ. *Scotus 2. d. 36. quæſt. unic.* Scotiſtæ, contra Thomiſtas.

*Probatur I.* Quia *Concilium Tridentinum ſeſſ. 6.* agens de juſtificatione impii, non facit mentionem de aliis virtutibus infuſis, quàm de fide, ſpe, & charitate. II. Quia non eſt neceſſitas admittendi virtutes morales per ſe infuſas; cùm actus virtutum moralium poſſint ordinari ad finem ſupernaturalem, fierique ſupernaturales, ac meritorii mediantibus virtutibus Theologicis, & gratia actuali. III. Quia nulla virtus moralis per ſe ordinat hominem immediatè ad Deum ſub ratione Deitatis beatificè attingendum; ergo nulla eſt per ſe infuſa.

*Objicitur I. Concilium Viennenſe* dicit, in Baptiſmo infundi gratiam, & virtutes. Reſp. per virtutes intelligit Theologicas. *Innocentius* autem *III. c. majores, de Baptiſmo* tantùm ait, *quòd non concedatur abſolutè, à pleriſque, fidem, aut charitatem, aliaſque virtutes parvulis non infundi.* II. Actus virtutum moralium ſunt ſupernaturales, ac meritorii. Reſp. D. ab extrinſeco C. ab intrinſeco N. III. Virtutes Theologicæ ſunt per ſe infuſæ; ergo etiam morales. Reſp. N. conſ. quia de Theologicis ſic aſſerit Concilium Tridentinum, non ſic de moralibus. Et quia Theologicæ ordinant hominem immediatè ad DEUM; non ſic morales.

## ASSERTIO LXXXV.

DUorum in ſolidum dominium eſſe non poteſt. Ita plerique Theologi, & Juriſperiti.

*Probatur.* Quia ſequeretur contradictio, videlicet, quòd primus Dominus citra injuriam poſſet alterum impedire à diſpoſitione illius, rei cujus eſt Dominus in ſolidum, quia eſt plenus Dominus illius rei, & etiam non poſſet impedire alterum, cùm, & alter foret plenus Dominus illius rei: ergo.

*Objicitur I.* In inſtanti donationis donatarius eſt plenus Dominus; atqui etiam donans: ergo. *Prob. min.* Donans juſte diſponit de re, quam donat: ergo. R. N. min. & D. prob. ant. donans juſtè diſponit per actum deſtructivum dominii C. conſervativum N. ant. II. Donatio eſt actus dominii: ergo. R. D. ant. dominii immediatè præexiſtentis C. adhuc exiſtentis N. quia eſt deſtructio dominii. III. Donans habet poteſtatem donandi: ergo etiam dominium. Reſp. N. ant. eum conſ. ſed præſupponit dominium. Inſtatur; Actus ſecundus præſupponit actum primum: ergo actualis donatio ſupponit poteſtatem donandi. R. D. ant. ſi non ſit deſtructivus actus primi C. ſi ſit deſtructivus neg. ant. IV. *Nemo dat, quod non habet*: ergo cùm donans det alteri dominium, habet dominium. R. D. ant. quod non habet ante dationem conſummatam Conc. conſummata datione neg. V. In V. T. plures uxores habebant dominium in idem corpus mariti. R. D. Dominium plenum N. ſecùs C.

## ASSERTIO LXXXVI.

SImplex uſus facti nullum eſt dominium. Ita *Nicolaus III. c. exiit, qui ſeminat, de verb. ſign. in 6.* Clemens V. *in Clem. exivi, de Paradiſo, de verb. ſign.* Martinus V. Nicolaus V. Gregorius XIII. & alii.

*Probatur I.* Simplex uſus facti eſt uſus conceſſus, aſſiduè revocabilis: atqui talis non eſt dominium, cùm talis non poſſit alterum obligare in ſuum commodum: ergo. II. Religioſus incapax dominii in particulari, adhuc tamen in particulari poteſt habere licentiam utendi rebus, ſive uſu ſint conſumptibiles, ſive non: ergo ſimplex uſus facti non eſt dominium.

*Objicitur. I.* Joannes XXII. *in extrav. ad conditorem*, declaravit contrarium. R. D. Definitivè, ut Pontifex N. purè aſſertivè, ut privatus Doctor C. quia hæc quæſtio non eſt dogmatica fidei, vel morum. Deinde idem Papa, hanc ſuam aſſertionem in fine vitæ revocavit, ut teſtatur Emanuel Rodriguez *tom. 3.* II. Franciſcanus utens pane, ſi non habet uſum juris; ergo utitur injuſtè. Reſp. D. ſeq. ſi Dominus ſit invitus C. ſi non ſit invitus N. III. Si Dominus non ſit invitus, juſtè utitur pane: ergo jure. R. D. ſeq. ergo jure legali, & politico N. jure politico, & naturali C. IV. Franciſcanus poteſt uti pane quomodocumque vult. Reſp. Diſt. de licentia Domini, & revocabiliter Conc. ſecùs, N.

*Ex IV. Libro ſententiarum, de Sacramentis in genere, & ſingulis in ſpecie.*

## ASSERTIO LXXXVII.

IN ſtatu Innocentiæ, ſi perſeveraſſet, non fuiſſent inſtituta Sacramenta. *Scotus 4. d. 1. q. 3.* cum ſuis.

*Probatur I.* Sacramenta inſtituta ſunt ad ſubveniendum naturæ per peccatum originale infirmatæ; atqui in ſtatu innocentiæ natura humana fuiſſet ſana per juſtitiam originalem: ergo. II. Secundùm ſanctos Patres omnia Sacramenta fluxerunt è latere Chriſti mortui; atqui: ergo. III. Pro noſtris Protoparentibus, quamdiu fuerunt in Paradiſo, non fuerunt inſtituta Sacramenta; ergo nec pro eorum poſteris in Paradiſo; cùm Protoparentes magis indiguiſſent Sacramentis, quàm eorum poſteri.

*Objicitur I.* In ſtatu innocentiæ fuiſſent ſacrificia: ergo etiam Sacramenta. Reſp. N. conſ. quia Sacrificia non ſunt inſtituta ad ſubveniendum naturæ corruptæ, ſicut Sacramenta. II. Si fuiſſent Sacrificia: ergo fuiſſet Sacerdos. Reſp. D. ſeq. conſignati per characterem ordinis N. publico ritu electi, ſicut in veteri teſtamento C. III. Fuiſſet ibi Sacrificium Miſſæ; ergo etiam Sacramenta Euchariſtiæ, & Ordinis. Reſp. N. ant. quia ibi Chriſtus non fuiſſet mortuus, & ideò nec fuiſſet ſacrificium Miſſæ ibi, nec Euchariſtia, nec Ordo.

## ASSERTIO LXXXVIII.

REmedium legis naturæ contra peccatum originale erat Sacramentum propriè dictum. *Scotus 4. q. 1. q. 7.* Cum communi Theologorum.

*Probatur.* Remedium legis naturæ erat ſignum ſenſibile, videlicet actus externus proteſtativus fidei in Meſſiam venturum directus à voluntate miniſtri ad infantem *juxta S. Auguſt. lib. 2. de nuptiis, & concup. c.* 12. quia conjungebat parvulos tamquàm membra Eccleſiæ viſibilis. deinde erat ſignum à DEO inſtitutum, quia, cùm DEUS velit omnes homines ſalvos fieri, debuit pro omnibus etiam parvulis inſtituiſſe remedium ſufficiens ad ſalutem, applicabile ab aliis; cùm parvuli per ſeipſos non poſſint procurare ſibi ſalutem: Denique efficaciter conferebat gratiam ſanctificantem, cùm deleverit peccatum originale, quod nequit ſine infuſione gratiæ deleri; & quidem ex opere operato, cùm parvuli per actus bonos nequeant ſe diſponere ad gratiam: ergo erat verum Sacramentum.

*Objicitur.* Deus in lege naturæ non inſtituit remedium pro parvulis in utero materno decedentibus; ergo nec pro parvulis natis. R. N. conſ. diſparitas eſt; quia parvulis nondum natis remedium non eſt applicabile humano modo; ſecùs eſt de natis.

## ASSERTIO LXXXIX.

CIrcumciſio erat propriè dictum Sacramentum. Ita Doctores Seraphicus, Subtilis *4. d. 1. qu. 6.* Irrefragabilis, Scotiſtæ, & Recentiores.

*Probatur.* Circumciſio erat ſignum ſenſibile, ut patet: deinde erat à DEO inſtituta, & præcepta Abrahæ, & poſteris ejus, non ſolùm ad diſtinguendos eos à gentibus, ſed etiam ad delendum peccatum originale, juxta illud ſancti Auguſtini *libr. 3. contra Julianum. capit.* 18. dicentis: *Ex quo inſtituta eſt Circumciſio in populo DEI, ad purgationem veteris peccati valebat magnis, & parvulis, ſicut Baptiſmus*; Idem docent ſancti Patres *Proſper, Beda, Fulgentius &c.* Ex quo etiam ſequitur contuliſſe gratiam ſanctificantem ex opere operato; ergo erat verum Sacramentum.

*Obji-*

*Objicitur I.* Sanctus Paulus *Gal.* 4. Sacramenta veteris legis appellat *infirma, & egena elementa*; col. 2. *umbram futurorum bonorum*. *Conc. Florentinum* ait Sacramenta veteris legis non contuliſſe gratiam. Reſp. Iſta omnia verificari de Sacramentis veteris legis, quæ erant talia ex lege; at Circumciſio erat ex Patribus, 400. annis ante legem; hinc quatenùs erat inſerta legi non conferebat gratiam, ſed quatenus erat ex Patribus, & determinatio remedii legis naturæ. II. Circumciſio non erat remedium pro omnibus. Reſp. ſufficit, quòd pro parte nobiliori Eccleſiæ.

## ASSERTIO XC.

S*Acramenta novæ legis cauſant gratiam Sanctificantem, non phyſicè, ſed moraliter.* *Scotus* 4. *d.* 1. *q.* 5. cum ſuis, contra Thomiſtas, & Recentiores.

*Probatur I.* Quia nec merita Chriſti phyſicè cauſant gratiam, cùm ampliùs phyſicè non exiſtant; ſed tantùm moraliter, cùm ſint tantùm cauſa meritoria ex *Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap.* 7. II. Sacramenta in uſu conſiſtentia utpote entia ſucceſſiva non ampliùs exiſtunt phyſicè, quando producitur gratia, cùm non cauſent, niſi eſſentialiter completa: ergo phyſicè cauſare nequeunt gratiam. III. Baptiſmus reviviſcens non exiſtit phyſicè, quando producit gratiam: ergo. IV. Sacramenta non habent virtutem inchoatam ad cauſandam phyſicè gratiam, aliàs daretur potentia quodlibetica; ergo non phyſicè cauſant gratiam; ſed moraliter, quatenus ob ſuam honeſtatem moralem conjunctam cum meritis Chriſti tamquàm cauſa principali movent DEUM ad producendam phyſicè gratiam in ſubjecto illa ſuſcipiente ſinè obice.

*Objicitur:* Sacra Scriptura, Sancti Patres, & Concilia aſſerunt Sacramenta verè cauſare gratiam. R. D. phyſicè N. moraliter C. etenim cauſa moralis eſt etiam vera cauſa ex *Ariſtotele* 2. & 5. *Metaphyſ.*

## ASSERTIO XCI.

S*Acramentum Euchariſtiæ formaliter, & in recto ſolas ſpecies importat, connotat tamen corpus, & ſanguinem Chriſti ſub ipſis contenta.* Ita Doctores Seraphicus, & Subtilis 4. *d.* 8. *q.* 8. cum ſuis.

*Probatur I.* Ex Sequentia Eccleſiæ: *fracto demum Sacramento &c.* atqui ſpecies tantùm franguntur, & non contentum, ex eadem Sequentia, *ſigni tantùm fit fractura, qua nec ſtatus, nec ſtatura ſignati minuitur*: ergo. II. Solæ ſpecies continentes corpus, & ſanguinem Chriſti ſunt ſignum ſenſibile divinitus inſtitutum ad cauſandam gratiam: ergo.

*Objicitur I.* Corpus, & ſanguis Chriſti ſunt etiam ſenſibilia per ſpecies. Reſp. Diſt. ex natura rei N. ſecùs. C. II. Species Euchariſtiæ nequeunt adorari Latria. Reſp. Diſt. tamquam ratio formalis motiva adorationis C. tamquam objectum materiale N. III. Sacerdos non conficit ſpecies. Reſp. D. ſecundùm ſuam entitatem C. ut continentes corpus, & ſanguinem Chriſti N. IV. Chriſtus in Euchariſtia cauſat gratiam in ſuſcipientibus. Reſp. Diſt. ut cauſa meritoria principalis C. ut cauſa inſtrumentalis, & Sacramentalis N. V. Sacramentum Euchariſtiæ eſt cibus ſpiritualis animarum; atqui corpus Chriſti eſt cibus ſpiritualis: ergo. Reſp. Diſt. maj. ratione contenti C. maj. ſecùs N. maj.

## ASSERTIO XCII.

A*Qua vino mixta in calice, mediatè tantùm convertitur in ſanguinem Chriſti.* Ita Doctores Seraphicus, Angelicus, & Subtilis 4. *d.* 11. *q.* 7. cum ſua Schola Angelica, & Subtili.

*Probatur I.* Ex *Conc. Florentino* ſolum vinum eſt materia valida conſecrationis calicis: ergo non aqua. II. Illud ſolùm eſt immediatè conſecrabile in ſanguinem Chriſti, ſub cujus accidentibus, facta conſecratione, remanentibus, continetur ſanguis Chriſti; atqui hoc tantùm verum eſt de ſpeciebus vini *ex Conc. Trident. ſeſſ.* 13. *can.* 2. definiente *Tranſubſtantiationem eſſe converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & vini in ſanguinem, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis, & vini,* nulla prorſus facta mentione alterius materiæ tranſubſtantiatæ, aut aliarum ſpecierum: ergo.

*Objicitur I.* Sancti Patres aſſerunt, aquam conſecrari, & in ſanguinem verti. Reſp. D. immediatè N. mediatè C. II. Saltem aqua, mixta vino, per accidens erit immediatè conſecrabilis. Reſp. N. quia etiam, ſi hoſtiæ admiſceatur pars non triticea, hæc nec per accidens eſt conſecrabilis. III. Si Sacerdos conſecraret vinum, in quod aqua nondum foret converſa, quid fieret? Reſp. conſecratio eſſet valida; quia ſola materia idonea conſecraretur, & adoraretur.

*Supplem. Theol. Sacram.*

## ASSERTIO XCIII.

A*Ctio tranſubſtantiativa eſt ſolùm adductiva, non productiva.* *Scotus* 4. *d.* 11. *q.* 3. cum ſuis contra Thomiſtas & Recentiores.

*Probatur I.* Verba conſecrationis non ſignificant productionem corporis Chriſti, ſed tantùm ejus præſentiam ſub ſpeciebus; atqui ad hanc ſufficit actio adductiva, ut patet de replicatione in Phyſica: ergo. II. Corpus Chriſti utpote jam exiſtens, & productum nequit de novo fieri de nihilo ſui; aliàs dependeret eſſentialiter ab eadem cauſa totali, & non ſic dependeret; nec Chriſtus in Euchariſtia foret Filius Beatiſſimæ Virginis, cùm non foret ab ea productus: ergo tranſubſtantiatio non eſt productiva.

*Objicitur I.* Sancti Patres dicunt in Euchariſtia corpus Chriſti fieri, & confici. Reſp. D. ſecundùm ſuam entitatem N. ſecundùm ſuam novam præſentiam C. II. Tranſubſtantiatio eſt actio ſubſtantialis; ſed actio ſubſtantialis debet producere terminum ſubſtantialem, ergo tranſubſtantiatio debet producere terminum ſubſtantialem, non alium, quàm corpus, & ſanguinem Chriſti. Reſp. D. maj. eſt actio ſubſtantialis productiva N. converſiva. C. maj. ad hanc autem ſufficit, quod termino *à quo* ſuccedat ſubſtantia, etſi hæc non producatur; quia terminus *ad quem* ſolùm debet dici *ſuccedens*, non productus.

## ASSERTIO XCIV.

C*Hriſtus abſolutè potuiſſet priùs exiſtere in Sacramento Euchariſtiæ definitivè, quàm in utero Beatiſſimæ Virginis MARIÆ circumſcriptivè.* Ita Scotus 4. *d.* 19. *q.* 4. cum ſuis, & Recentioribus, contra Cajetanum, & Thomiſtas.

*Probatur.* Corpus Chriſti eſt indifferens ad exiſtentiam definitivè, vel circumſcriptivè in loco; cùm nec præſentia definitiva, nec circumſcriptiva ſit de ejus eſſentia; nec exiſtentia definitiva dependeat à circumſcriptiva; cùm nec ſit ejus effectus, nec proprietas, nec accidens: ergo DEUS abſolutè potuiſſet Chriſtum priùs ponere in Sacramento Euchariſtiæ definitivè, quàm in utero Beatiſſimæ Virginis MARIÆ circumſcriptivè, maximè, cùm non appareat implicantia.

*Objicitur I.* Implicat corpus Chriſti exiſtere definitivè ſinè exiſtentia ejus naturali. Reſp. D. quæ eſt intrinſeca, & realiter identificata, & per quam ponitur extra cauſas, C. ſine exiſtentia circumſcriptiva, quę eſt accidens connaturale corpori quanto N. II. Corpus Chriſti nequit eſſe in Sacramento ante incarnationem. Reſp. Diſt. ante incarnationem ſimpliciter, & abſolutè ſumptam C. modo circumſcriptivo factam N. III. Sacramentum Euchariſtiæ fit per verba conſecrationis in Perſona Chriſti jam præexiſtentis prolata. Reſp. Diſt. de facto Conc. de poſſibili Neg.

## ASSERTIO XCV.

L*Aicis non debetur ex præcepto Chriſti communio ſub utraque ſpecie.* Contra Petrum Dresdenſem, Jacobellum Miſnenſem, Calvinum, Lutherum, Kemnitium, & alios Hæreticos.

*Probatur I.* Quia Chriſtus promiſit vitam æternam communicantibus ſub una tantùm ſpecie: ergo non eſt neceſſaria utraque. Prob. ant. Chriſtus ait *J.* 6. *v.* 52. *ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, & *v.* 59. *qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. II. Chriſtus ſub una panis ſpecie ſe præbuit diſcipulis in Emmaus. *Luc.* 24. Item *Actor.* 2. dicitur: *erant autem perſeverantes in Doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis* & *Act.* 20. *una autem Sabbati, cùm conveniſſemus ad frangendum panem*: ergo.

*Objicitur I.* Chriſtus dixit: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* *Joan.* 6. Reſp. Præceptum eſſe, ut accipiamus carnem, & ſanguinem Chriſti, quod etiam fit in una ſpecie, cùm Chriſtus totus utpote vivens ſit in qualibet ſpecie. II. *Bibite ex hoc omnes.* *Matth.* 26. Reſp. *Et biberunt ex eo omnes.* *Marc.* 10. adeòque ſolis Apoſtolis hoc dictum erat.

## ASSERTIO XCVI.

*Peccatum mortale de abſoluta Dei potentia poteſt remitti ſine pœnitentia. Scotus 4. d. 14. quaſt.* 1. cum ſuis contra aliquos Thomiſtas, & Recentiores.

*Probatur I.* Homo offenſus, ex charitate poteſt remittere offenſam, etſi offendens illam non retractet; ergo etiam Deus poterit peccatori remittere peccata mortalia, etſi ea non retractet, nec de iis pœnitentiam agat. II. Pœnitentia eſt tantùm diſpoſitio ad juſtificationem: ergo de abſoluta Dei potentia poterit peccatori non pœnitenti infundi gratia juſtificans: cùm abſolutè loquendo forma ſine diſpoſitione introduci poſſit in ſubjectum, uti etiam defacto peccatum originale deletur ſine prævia pœnitentia in parvulis per Baptiſmum.

*Objicitur I.* Quamdiù culpa à peccatore non retractatur, tamdiù eſt ei voluntaria. Reſp. D. voluntaria actualiter, virtualiter, vel interpretativè ſemper. N. caſualiter, & habitualiter C. II. Deus peccatori nequit remittere peccatum actuale abſque pœnitentia: ergo nec habituale. R. N. conſ. diſparitas eſt, quia in primo caſu in eodem inſtanti foret peccatum, quia eſt actuale, & non foret, quia remitteretur: non ſic in caſu ſecundo.

## ASSERTIO XCVII.

*Jure Divino ad remiſſionem peccatorum mortalium poſt Baptiſmum commiſſorum neceſſaria eſt eorum ſpecifica, & numerica confeſſio Sacerdoti facienda.* Contra Montaniſtas, Novatianos, Vvicleffiſtas, Calviniſtas, Lutheranos.

*Probatur I. Chriſtus Joann.* 20. dixit Apoſtolis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt:* atqui Sacerdotes non poſſunt ſolvere, aut ligare peccata, niſi ipſis à pœnitentibus aperiantur: ergo Chriſtus etiam voluit confeſſionem peccatorum fieri Apoſtolis, & eorum in Sacerdotio ſucceſſoribus. II. S. Joannes 1. *Joann.* 1. ait. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra. Actor.* 19. dicitur: *Multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus ſuos:* ergo

*Objicitur I.* Nectarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus confeſſionem abrogavit. Reſp. diſt. privatam neg. publicam C. II. Confeſſio omnium peccatorum eſt impoſſibilis. Reſp. diſt. omnium mortalium memoriæ occurrentium neg. venialium, T. III. Chriſtus *Luc.* 7. abſolvit mulierem ſpecificè non confitentem. Reſp. diſt. ante inſtitutionem Sacramenti pœnitentiæ, & ut Deus C. ſecus N.

## ASSERTIO XCVIII.

*Datur purgatorium.* Contra Vvaldenſes, Albigenſes, Huſſium, Vvicleffum, Lutherum, Calvinum, Zuvinglium, & alios hæreticos.

*Probatur I.* Sanctus Paulus 1. *Corinth.* 3. ait; *Ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen, quaſi per ignem.* 2. *Machab.* 12. *ſancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* II. Quia inter peccata, alia ſunt mortalia, alia venialia, ut patet *Prov.* 24. *ſepties cadet juſtus, & reſurget, & Jac.* 3. *in multis offendimus omnes,* & remiſſis peccatis mortalibus quoad culpam non ſemper remittitur pœna temporalis, ut patet in Davide 2. *Reg.* 12. Aarone, & Moyſe, *Deut.* 32. ergo poteſt homo cum ſolis venialibus, vel nondum ſoluta pœna temporali pro mortalibus, mori: ſed talis non veniet in cœlum: quia in illud nihil coinquinatum intrabit, *Apoc.* 21. nec deſcendet in infernum, ut patet: ergo in Purgatorium.

*Objicitur* 1. *Eccleſiaſt.* 11. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Reſp. hoc eſt, qui deceſſit in gratia, æternùm manebit in ea, & è contrà. II. *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini. Pſ.* 126. Reſp. diſt. ſi nihil purgandum habeant conc. ſecùs neg.

## ASSERTIO XCIX.

*Miniſtri veræ Chriſti Eccleſiæ debent vocari, & ordinari à Summo Pontifice, vel ab Epiſcopis, non à Laicis.* Contra Huſſitas, Vvicleffiſtas, Calviniſtas, & Lutheranos.

*Probatur.* Quia in veteri Teſtamento *Lev.* 8. Aaron, & Filii ejus ex mandato Dei fuerunt conſecrati à ſolo Moyſe Sacerdote, & Pontifice, *pſ.* 98. *Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus ejus.* II. Quia Chriſtus in novo Teſtamento ſe ſolo, ſine conſenſu Laicorum vocavit, & ordinavit ſuos Apoſtolos, & Diſcipulos. III. *Act.* 14. Presbyteri Lyſtræ, Iconii, & Anthiochiæ, conſecrati ſunt à Paulo, & Barnaba; uti & Timotheus per Epiſcopos conſecratus eſt 1. *Timoth.* 4. *noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii.* Et S. Paulus ſcribit Tito Epiſcopo, *cap.* 1. *Reliqui te Cretæ, ut conſtituas per civitates Presbyteros.* IV. Nemo dat, quod non habet; atqui Laici non habent poteſtatem Ordinis: ergo nec eam dare poſſunt.

*Objicitur Act.* 1. Matthias, & Barſabas fuerunt electi à tota multitudine. Reſp. non ex neceſſitate, ſed ex mera libertate, hoc Sanctus Petrus conceſſit iſti toti ſanctæ multitudini.

## ASSERTIO C.

*Vinculum Matrimoniale quà tale poteſt independenter à conſenſu viri, & fœminæ induci auctoritate Divina inter ipſos.* Ita Soto, Amicus, Hiquæus, Maſtrius, Boſco, & pluresalii contra Sanchez, & alios.

*Probatur.* Vinculum matrimoniale quà tale, conſiſtit in mutuo dominio corporum inter virum, & fœminam: atqui Deus poteſt tradere mutuum dominium corporum inter virum, & fœminam in ordine ad uſum conjugalem independenter à conſenſu eorumdem: cùm ſit abſolutus corporum noſtrorum Dominus: ergo

*Objicitur* I. Conſenſus conjugum eſt de eſſentia vinculi matrimonialis: ergo. Reſp. Neg. antecced. ſed eſt ejus cauſa efficiens creata, quam utique Deus ſupplere poteſt. II. Nequit facere meritum abſque conſenſu voluntatis creatæ: ergo nec vinculum matrimoniale. Reſpond. Neg. conſeq. diſparitas eſt, quia ad meritum eſſentialiter requiritur libertas voluntatis creatæ: non ſic ad vinculum matrimoniale. III. In noſtro caſu vir, & fœmina non acceptarent dominium in mutua corpora: ergo nec haberent dominium. Reſpond. Neg. conſequentiam. Quia ſicut Deus pro ipſis traderet dominium, ſic etiam pro ipſis acceptaret dominium.



Digitized by Google

# CORONIS APPENDICIS CENTIFOLIÆ,

SEU

# RATIONES,

ET

# MOTIVA QUINQUAGINTA

Cur quis tuta, & ſecuriſſima Conſcientia debeat Catholicus permanere, & in fide Romano-Catholica vivere, & mori; Item cur quis omnes alias Sectas deſerere, & ad fidem Romano-Catholicam ſolùm ſalvificam converti, illamque amplecti debeat.

## RATIO, ET MOTIVUM I.

Quia non videtur ratio, cur ſoli Lutherani vocent ſe *Evangelicos*, & Calviniſtæ ſe *Reformata Religionis*, & cur non etiam debeant ſic vocari Anabaptiſtæ, & novi Ariani, ſeu Unitarii? Ab iis ſiquidem non adfertur tale argumentum hujus denominationis, quod ab his non poſſit æquè, ac eodem jure pro ſuis Sectis applicari. Cùm igitur non ſit major ratio pro Lutheranis, vel Calviniſtis, quàm pro Anabaptiſtis, & Arianis, vel quibuſvis modernis Sectariis, quos Lutherani, & Calviniſtæ excludunt ab his novis titulis, ipſi quoque Lutherani, & Calviniſtæ nec *quoad rem*, nec *quoad denominationem* poſſunt *dici Evangelici*, vel *Reformata Religionis*: ergo meritò hæ omnes Sectæ: utpote earumdem quiſquiliarum rejiciuntur.

II. Quia conſtat multos, qui in fide Romano-Catholica vixerunt, & mortui ſunt, ſalvatos eſſe, ut ipſimet adverſarii fatentur. An autem aliquis ſalvatus ſit ex Sectariis modernis, nequidem ipſis Acatholicis conſtat: ſecurior igitur via præſertim in negotio æternæ ſalutis eſt eligenda juxta illud Chriſti Domini, *Matth.16. v. 26. Quid enim prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, anima verò ſua detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?*

III. Imò hinc infertur, vel ex eo Romano-Catholicam fidem eſſe veram: nam *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo: Ad Heb. 11. v. 6.* omnis autem, qui ſalvatur, eſt in gratia Dei, amicus Dei, & placet Deo: ergo cùm multi ſalvati ſint in fide Romano-Catholica, eam verã fidem, & ſalvificã eſſe oportet.

IV. Inde ulteriùs deducitur, quòd cùm Romano-Catholica fides ſit ſalvifica, adeòque vera, omnes ab ea diverſæ Religiones ſint falſæ: ſiquidem teſte Apoſtolo *ad Eph. 4. v. 5. & 6. unum* eſt tantùm *Baptiſma, una* tantùm *fides* vera ac ſalvifica, ſicut *unus* eſt tantùm verus *Deus, ac Dominus* noſter.

V. Quia Catholicos poſſe ſalvari in ſua Religione non ſolùm ipſi Catholici conſtanter aſſerunt, ſed Acatholici etiam ultrò concedunt. In alia autem Religione aliquem ſalvari poſſe, ſoli Acatholici, idque ſinguli de ſuis Sectis ominantur, & dicunt, quod Catholici abſolutè negant. Id verò, quod utraque pars etiam ſibi adverſa concedit, certius eſt, quàm id, quod una tantùm aſſerit, alter autem negat omninò: ergo ſecuriùs operari volens rationabiliter facit, quòd fidem Romano-Catholicam cæteris omnibus præferat, illamque ſequatur.

VI. Quia conſulendo veterum, ac primitivæ Eccleſiæ SS. PP. ſcripta, ab iiſdem ſola fides Romano-Catholica intelligitur extolli, ſuaderi, laudari: reliquas verò omnes ab ea alienas rejici, & damnari. Horum igitur prudentiſſimum conſilium, ac Judicium ſequi optimè ſtatuitur.

VII. Quia omnes ſancti, & ſanctæ Dei, qui, & quæ fuerunt ab inſtituta Eccleſia à Chriſto uſque ad præſens tempus; fuerunt, ac vixerunt in Eccleſia Romano-Catholica.

VIII. Quia in Teſtimonium veritatis hujus Religionis ſubierunt tot millia Martyrum duriſſimam mortem, ac ſanguinem ſuum profuderunt præſertim in urbe Romana, uti in Catacumbis illius loci ad S. Pancratium, ad S. Sebaſtianum, & alibi videre eſt.

IX. Quia omnes, qui ab hac Eccleſia receſſerunt, ac eam impugnarunt, ut Arius, Mahometes, Pelagius, Marcion, Macedonius &c. æternis ignibus addicti ſunt, uti, & eorum ſequaces. Tales autem Hæreſiarchæ fuerunt etiam Lutherus, & Calvinus, ac alii inventores modernarum ſectarum. Proinde conſultum non eſt, æterno damnationis periculo illos ſequendo ſe ſe exponere; neq; enim videtur potior ratio, cur Pelagius & Arius ſint hæreſiarchæ, & cur non etiam Lutherus, & Calvinus.

X. Quia Romana fides fuit eadem cum fide S. Pauli, ipſo S. Apoſtolo atteſtante, *ad Rom. 1. v. 12.* cur igitur deberet quæri alia fides, quàm quæ fuit S. Pauli!

XI. Quia ſi Romano-Catholica fides non præeligitur, numquàm electionum inter alias Religiones fidei finis cum animæ quiete obtinebitur: ſemper enim dubitari poſſet, quænam ex tot, & tam variis Sectis ſit vera fides, ac ſalvifica.

XII. Quia Doctrinæ aliarum Religionum continent plurima Paradoxa, incredibilia, & rectæ rationi prorſus difformia v.g. docent inter alia, quod *omnia peccata ſint æqualia, nec ullum detur peccatum, quod ſit veniale*: unde ſic arguitur; verbum otioſum eſt peccatum, cùm Chriſtus Dominus minetur de omni verbo otioſo dandam eſſe à nobis in die Judicii rationem, *Matt. 12. v. 36.* ergo ſecundùm hoc dogma Novatorum eſt æquale reliquis peccatis; ergo & peccato blaſphemiæ, & peccato incredulitatis, & peccato Apoſtaſiæ à fide Chriſti. Si eſt æquale his peccatis peccatum otioſi verbi: ergo eſt etiam æqualis culpæ. Si eſt æqualis culpæ, etiam æqualem meretur pœnam, ſi æqualem meretur pœnam, etiam æqualem habet remiſſibilitatem, vel irremiſſibilitatem, & per conſequens æquè difficulter remittitur, ac alia peccata; & tamen Chriſtus de pœnis & remiſſibilitate peccatorum longè aliud docuit: nam *Matt. 5. v. 22.* dicit: *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit Judicio. Qui dixerit Raca, reus erit concilio. Qui dixerit, fatue, reus erit gehenna ignis*: ergo iræ affectus erga proximum meretur quidem aliquam pœnam, ſed majorem verbum acerbum, & adhuc majorem verbum contumelioſum. Deinde 1. *Joan. 5. v. 16.* dicitur: *eſt peccatum ad mortem*: ergo eſt peccatum aliquod, quod non ſit ad mortem: ergo non omnia peccata ſunt æqualia. Demum *Prov. 24. v. 16.* habetur; *Septies enim cadet juſtus, & reſurget; impii autem corruent in malum*: ergo ſunt aliqua peccata, quæ non tollunt habitualem Juſtitiam, & ſunt alia, quæ eandem tollunt, conſequenter omnia peccata non ſunt æqualia.

Item docent, *omnia noſtra bona opera eſſe peccata*: & juxta eoſdem omnia peccata ſunt æqualia: ergo omnia noſtra bona opera ſunt peccata æqualia peccatis reliquis: igitur orare Deum erit æquale peccatum, ac blaſphemare contra Deum, & eleemoſynam dare pauperibus erit æquale peccatum, ac eumdem ſpoliare, & injuſtè poſſeſſam rem reſtituere proprio illius Domino, erit æquale peccatum, ac eamdem apud ſe invito Domino retinere. En! *Paradoxa incredibilia, & dogmata prorſus irrationabilia.*

XIII. Quia omnes modernæ Religiones diverſæ à Religione Romano-Catholica ſunt novæ, & tales, quas nemo tenuit, docuit, aut ſecutus eſt ante annum 1517. *Omnis autem plantatio, quam non plantavit Pater meus cæleſtis, eradicabitur. Matth. 15. v. 13.*

XIV. Quia omnes hę novę Religiones ſunt tantùm ex antiquis hæreſibus jam pridem ab Eccleſia diverſis temporibus condemnatis conſarcinatæ, & quidem ineptiſſimè.

XV. Quia ſoli Eccleſiæ Romano-Catholicæ conveniunt & quidem aptiſſimè notæ veræ Chriſti Eccleſiæ, nempe quòd ſit *Una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica.*



Digitized by Google

XVI. Quia ad hanc ſolam converſæ ſunt, & de facto convertuntur omnes nationes, gentes, & populi ex gentiliſmo, & paganiſmo. Ad hanc enim ex illo converſi ſunt ſequentes *Conſtantinus Chinenſium Imperator in Aſia. 2. Dominicus Imperator Monomotapa in Africa. 3. Carolus ultimus Imperator in America. 4. Helena legitima Imperatrix Sinenſium. 5. Ludovica Imperatrix Monomotapa. 6. Michael Primogenitus Imperatoris Monomotapa Filius. 7. Ottomanus Turcarum Imperatoris Ibrahimi Filius. 8. Anna Imperatoris Conſtantini Regia Avia. 9. Maria legitima uxor Jvulia Imperatoris. 10. Balthaſar de Mendez Regni Fezzani, & Maroccani Princeps Hæreditarius. 11. Dominicus Amathei Rex Tunetanus. 12. Adiam Saghed Jaſu Imperator Æthiopię, aliàs intitulatus, Presbyter Joannes, Rex Abyſſinorum, qui in manibus R. P. Joſephi à Jeruſalem Ordinis Fratrum Minorum Reformata Provincia Romana, Miſſionis Apoſtolica à Summo Pontifice Innocentio XII. erecta, & in Æthiopiam deſtinata Præfecti, 2. Februarii, 1702. ſolemnem Profeſſionem fidei Catholica depoſuit, & ſub actuali Sacros. Miſſæ Sacrificii celebratione ſacra ſynaxi refectus fuit.* Nunquid hæc meſſis multa, magna, & copioſa eſt? nec pauciores operarii, ſed quàm plurimi ſunt, & fuerunt, imo milleni, & milleni, qui per mare, per terras, per tot diſcrimina rerum ad remotiſſimas orbis plagas excurrentes, & in vinea Domini inſatiabili animarum zelo, & maximo illarum lucro operantes ejuſmodi gentiles, & infideles tamquàm errantes oves ad gremium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac verum ovile cum propriæ etiam vitæ diſpendio reducere laborarunt, & uſque in hodiernum diem indefeſſi elaborant.

XVII. Quia anteſignani modernarum Religionum nullo ſigno, ſeu miraculo probarunt, vel probare poterant, ſe à Deo miſſos ad Reformationem Eccleſiæ.

XVIII. Quia iidem anteſignani fuere homines carnales, votifragi, Apoſtatæ, Impii, blaſphemi, ac Scurriles, &c.

XIX. Quia hæ Religiones nihil, vel certè parum laborant in gentilium ad Chriſti fidem converſione, ſed ſolùm in tepidorum Catholicorum perverſione.

XX. Quia in Romano-Catholica Eccleſia multæ Perſonæ ex utroque ſexu, etiam maximi Stemmatis, & ſummarum divitiarum, ſe obſequiis Divinis ultrò conſecrant, vitamque ſuam *in prompta obedientia, in paupertate voluntaria, & in caſtitate perpetua* tranſigunt; in aliis verò Religionibus fidei, nemo magnarum fortunarum, ſtatum prędicantium aſſumere dignatur, nemo ex his ſe ad continentiam reſolvit, unde conſtat horum pleroſque ex ſola neceſſitate munus hoc obire: illos verò ex amore ſolius Dei, & ſalutis animę ſuæ, & fidei veritate ad tales ſtatus ſe Deo conſecrare.

XXI. Quia continentia, quæ eſt Donum Dei, *ſap. 8. v. 21.* Prædicantibus à Deo non confertur; cùm tamen in Religione Romano-Catholica tot ſint Religioſi, & Religioſæ, quæ non tantùm continentiam, ſed incontaminatam virginitatem per Dei gratiam uſque ad finem vitæ conſervant.

XXII. Quia Scriptores Acatholici pleriſque argumentis ſuis, dùm oppugnant Catholicos, ea impugnant, quæ illi non negant (ut ſic eos in odium apud plebem inducant) & ipſam Catholicam Doctrinam, prout ea apud Catholicos docetur, vix attingunt, aut attingere audent.

XXIII. Quia Scriptores Acatholici contra Catholicos magis calumniis, & manifeſtis mendaciis agunt, quàm ſolidis argumentis.

XXIV. Quia è contrà Acatholici Catholicorum contra ſe argumenta, vel non ſolvunt, vel ſtatim ad aliam controverſiſticam materiam tranſeunt, & extravagantur.

XXV. Quia novæ hæ Religiones pro libito ſuo ſacræ Scripturæ libros è Canone ſacrorum Librorum eliminant, & alios pro ſuo arbitrio vertunt, & interpretantur, & quidem unuſquiſque juxta proprium ſuum ſenſum: cùm tamen apud Catholicos ubique locorum idem ſit ſacræ Scripturæ Librorum Canon, eadem verſio, idem ſenſus, & eadem interpretatio.

XXVI. Quia novæ hæ Religiones in ipſis articulis fidei plurimùm inter ſe differunt, etiam ii, qui ſub eodem nomine continentur, imò, & in ipſis Catechiſmis, quibus rudimenta fidei pueris traduntur.

XXVII. Quia ipſæ Auguſtanæ Confeſſiones, quas pro fundamento ſuæ Religionis Lutherani habent, maximè inter ſe differunt, & à prima illa originali Auguſtana Confeſſione diſcrepant.

XXVIII. Quia novæ hæ Religiones aperiunt latam, ac ſpatioſam viam ad omnem licentiam carnis, & voluptatum, cùm tamen Chriſtus docuerit *arctam eſſe, & anguſtam viam ad Cęlum, Matth. 7. v. 13. & 14.*

XXIX. Quia Acatholici plurima ſacræ Scripturæ loca, ac textus detruncant, aliqua addunt, quæ placent, & ea ex proprio ſenſu ſuo interpretantur; Inſuper aliqua depravant; & corrumpunt, quæ diſplicent; imò in ipſa ſacræ Scripturæ interpretatione ipſimet inter ſeſe diſcrepant, & diſconveniunt.

XXX. Quia omnes res vetuſtæ, omnia Veterum Scripta, omnia Antiquorum documenta ſolam Romano-Catholicam Eccleſiam fuiſſe in Chriſtianitate radicatam teſtantur.

XXXI. Quia Romana Eccleſia, eſto hactenus fuerit jam inde à ſui initio oppugnata, & impugnata à diverſis Tyrannis, Ethnicis, Paganis, & Hæreticis, ſemper tamen manſit inconcuſſa, & etiamnum inconcuſſa manet, cùm tamen hæreſes aliæ ſicut extortæ ſunt, ſic etiam interierint.

XXXII. Quia apud Acatholicos nulla, vel certè modica eſt *Doctrina Aſcetica*, hoc eſt, talis, quæ tractaret *de perfectione, & exercitio virtutum Chriſtianarum*, uti & *modica ſcientia de rebus moralibus, ſeu obſervatione legum Divinarum:* ſed potiora permittuntur deſideriis, & concupiſcentiis depravatiſſimæ naturæ humanæ.

XXXIII. Quia *Conciliabula Acatholicorum* etiam illa, in quibus modernarum Religionum cuſæ ſunt confeſſiones, ſeu Profeſſiones, uti erant *Auguſtana, Helvetica, Genevenſis, Anglicana &c.* nec minimam quidem comparationem habere poſſunt, ſive quoad doctrinam, ſive quoad ſanctitatem, ac virtutes, ſive quoad nationum varietatem cum Conciliis Generalibus Eccleſiæ Romano-Catholicæ, & Patribus, qui eiſdem interfuerunt. De ejuſmodi Acatholicorum Conciliabulis, & falſis ſynodis jam olim Romanophilus poeta ita cecinit: eſt ſynodus *Nodus*, Cœtum Patrum integer *Æger:* Conventus *Ventus*, Sellio *Stramen*, Amen.

XXXIV. Quia principia Acatholicorum non ſunt apta ad formandam conſcientiam bonam homine Chriſtiano dignam, benè autem Catholicorum principia, qualia ſunt ſequentia: *Omne peccatum eſt cavendum, & in liber arbitrio hominis eſt, adjuvante Dei gratia, ut peccet, vel non peccet. Omne peccatum mortale meretur pœnam æternam, & unum illorum ſufficit ad æternam damnationem. Peccatum pro nulla re totius mundi eſt faciendum, ita ut præſtet millies mori, quàm unicum peccatum committere, etiam minimum. De omni peccato etiam leviſſimo ac verbo otioſo danda eſt Deo ratio. Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Poſt grave peccatum commiſſum nihil reſtat, quàm vel infernus, vel pœnitentia. Nullum opus honeſtum ſupernaturale eſt, quod non meretur gloriam, & gratiam ſupernaturalem, aut illius augmentum. Omnia peccata mortalia ſunt in confeſſione aperienda, ac Sacerdoti manifeſtanda, & plura his ſimilia.* Acatholicæ autem Doctrinæ hęc ſunt Conſcientię dictamina: *Præcepta Dei impoſſibile eſt obſervare. Unuſquiſque tenetur ſe credere ſalvandum, vel prædeſtinatum. Talibus, qui hæc credunt, Deus non imputat ullum peccatum. Propter nullum peccatum damnatur homo, niſi propter peccatum infidelitatis. Bona opera non ſunt meritoria vitæ æternæ. Pœnitentia pro noſtris peccatis non eſt neceſſario agenda, ſiquidem Chriſtus jam ſua morte, & ſanguine ſatisfecit pro nobis. Non eſt in noſtra poteſtate peccata cavere. Nemo obligatur ad ſua peccata confitenda. Sola fides ſufficit ad ſalutem.* Jam conſideret aliquis, & perpendat, his principiis qualiſnam Conſcientia formabitur ad evitandum malum, & faciendum bonum? cùm tamen principia Doctrinæ Catholicę id unicum pręſtare conentur, & pręſtare poſſint.

XXXV. Quia Prędicantes Acatholicorum ſolùm ea proferunt, quę ſunt in contemptum Religionis Catholicę: alia autem, quę ſunt in ſua Religione graviſſima, & in perditionem manifeſtam animarum illis ſubjectarum, penitùs diſſimulant, tacent, & obmuteſcunt.

XXXVI. Quia ii, qui inter Catholicos judicantur eſſe peſſimi, & tepidiſſimi, inter Acatholicos judicantur eſſe optimi, & ferventiſſimi. Sed nunquid *à fructibus eorum cognoſcetis eos? Matth. 7. v. 16.* & planè *quę fuit hic corvus, non ibi Cygnus erit.*

XXXVII. Quia nemo eſt, qui à fide Romano-Catholica apoſtatet, & deficiat ad alienas Religiones modernas ex eo, ut in iis fiat melior, & ſanctior, ſed ut ibi laxiùs, voluptuoſiùs, & licentioſiùs vivere poſſit: nam *vinum, & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes. Eccleſiaſtici 19. v. 2. & initium ſuperbia hominis apoſtatare à DEO. Eccleſiaſtici 10. v. 14.*

XXXVIII. Quia etiam pertinaciſſimi hęretici ſępiùs deſiderant mori in fide Catholica, ac etiam in illa moriuntur. Nullus autem Catholicorum optat mori in fide à Romano-Catholica aliena: utique hi ob confidentiam in ſuam fidem, illi autem ob diffidentiam illius. Quia benè vident, & norunt, imò utraque manu palpant, ſuam Religionem eſſe falſam, & incertam, dubiam, & erroneam, periculoſam, & animę ſaluti damnoſam. Sed proh dolor! *Proprium intereſſe, reſpectus humanus, & vita voluptuoſa, ac licentioſa, quæ non mortalia cogit pectora?*

XXXIX.

XXXIX. Qnia cum tàm clara ſint teſtimonia Sacræ Scripturæ de ſpe, charitate, penitentia, eleemoſyna, & operibus miſericordiæ, quòd ſint proficua ad vitam æternam obtinendam, ac de ipſa fide. Hæc tamen omnia contemnunt moderni Novatores, & ſolùm fidem ad ſalutem ſufficientem eſſe docent.

XL. Quia Prædicantes Sectariorum dum merita Chriſti, ac ſatisfactionem merè extollunt, imitationem vitæ illius auditoribus ſuis proponere, aut ſuadere penitùs negligunt, quin eiſdem prætenſionem, & anſam præbent, ut de cavendis peccatis, & pœnitentia agenda pro commiſſis minimè ſint ſolliciti, uti nec de exercitio virtutum, ac bonorum operum, id pro ſe allegando, quòd Chriſtus Dominus abundè jam ſua morte ſanctiſſima pro peccatis noſtris ſatisfecerit, & Regnum Cœlorum nobis promeritus ſit, atque ſic paſſionem, ac mortem Chriſti, nec non illius ſatisfactionem in vitæ licentiam aſſumunt. Orthodoxa autem doctrina eſt: Chriſti quidem mortem, ac paſſionem eſſe ſufficientiſſimam ex ſe pro peccatis noſtris, & totius humani generis, ac infiniti prorsùs meriti extendentis ſe ad [illegible] omninò præmium poſſibile: nihilominùs Chriſtum voluiſse illius fructum applicare nobis ita, ut & nos imitando virtutes illius, ejuſdem Paſſioni cooperemur. Duplex ſiquidem fuit finis Adventus Chriſti Domini in hunc mundum: *Primus* erat, ut pro peccatis noſtris ſatisfaceret, & ab æterna damnatione nos eriperet: *Alter* verò, ut perfectiſſimum omnium virtutum exemplar nobis daret, & ad ſui imitationem nos adduceret. Quem finem ipſemet Chriſtus his verbis declarat: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis, Joan.* 13. *v.* 15. & apud *Matth.* 11. *v.* 29. *diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*, & S. Petrus 1. *c.* 2. *v.* 21. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.*

XLI. Quia omnes Acatholicorum fidei opiniones in dubio ſunt conſtitutæ, & in facilè fallibili: ac minimè tuto principio *Dici* ſunt fundatæ: quia Acatholici non ſunt certi, quòd veram ſacram Scripturam habeant, quia idipſum ex Bibliis non poſſunt probare, cùm in Bibliis non ſit ſcriptum, quòd hæc Biblia ſint verum verbum Dei. Traditiones autem non admittunt: adeòque ſolummodò credunt hoc, quia ita à Catholicis *Dici* audiunt, qui tamen (*Acatholicorum opinione*) in rebus fidei potuerunt errare, & errant, quin (*ut Acatholici quidem ajunt*) de facto, & actu errarunt.

XLII. Quia multa docent Acatholici, quæ ſacræ Scripturæ immediatè, & è diametro ſunt oppoſita, ut I. quòd per Baptiſmum *peccatum originale* non totaliter *deleatur*, ſed tantùm *obtegatur*, quod eſt contra illud *Joan.* 1. & *ad Epheſ.* 4. II. Quod præcepta Dei impoſſibilia ſint ſervatu, quod eſt contra *Ezech.* 34. & contra 1. *Joan.* 5. III. Quòd nihil ſit credendum, niſi quod eſt ſcriptum, quod eſt contra 2. *Theſ.* 2. IV. Quòd Eccleſia Chriſti poſſit errare, quod eſt contra *Matth.* 16. *v.* 18. & contra *Joan.* 24. *v.* 16. V. Quòd Matrimonium prævaleat *Statui virginali*, quod eſt contra 1. *Cor.* 7. *v.* 28. VI. Quòd *Jurata DEO vota ſervandi* non ſit obligatio, quod eſt contra *num.* 30. & contra *Pſ.* 75. VII. Quòd Scriptura ſacra facilis ſit intellectu, quod eſt contra 2. *Pet.* 3. VIII. Quòd homo probus ſit æternæ ſalutis certiſſimus, quod eſt contra *Eccleſ.* 9. & contra 1. *Cor.* 4. IX. Quòd bona opera non ſint meritoria ad ſalutem, quod eſt contra *Matth.* 25. & contra 2. *Pet.* 1. Quia, inquam Acatholici hæc, & plura ſimilia ſacræ Scripturæ immediatè contraria docent, rationabiliter credi non poteſt, quòd habeant *fidem ſalvificam*, &, quæ neceſſariò requiritur, *in rebus fidei veritatem.*

XLIII. Quia Deus tantùm fidem Romano-Catholicam hucuſque evidentiſſimis Miraculis confirmavit, quæ Miracula à nulla ſimplici creatura fieri poſſunt. Accedit, quòd Dæmones tantùm à Catholicis expellantur, & exorcizentur, *Martino Luthero notam illam perſonam energumenam fruſtra, ſine effectu, fructu, olim Vviſtemberga in Saxonia exorcizante.*

XLIV. Quia apud Catholicos tantùm *Caput viſibile Eccleſiæ ab ipſomet Chriſto Domino denominatum* in continua, & numquàm interrupta ſucceſſione 248. Summorum Pontificum, ſeu Romanorum Epiſcoporum miraculosè conſervatum, ſemper agnitum eſt, & tamquàm Chriſti in terris Vicarii, ac Succeſſores Petri in ſumma, & publica veneratione habiti ſunt Romani Pontifices.

XLV. Quia Acatholici dicunt Papam Romanum eſſe Anti-Chriſtum, quod eſſe falſum, clarius eſt luce meridiana, ſiquidem ſacræ Scripturæ clarè prædicant, quòd Anti-Chriſtus ſe Chriſto opponet, & ſupra Deum ſe elevare præſumet. 2. *Theſ.* 2. tollet Sacræ Miſſæ Sacrificium. *Danielis* 12. Adorabitur à Judæis tamquàm Meſſias: unus ſolùm homo erit, ſedebit in templo Dei Jeroſolymis, tribus & medio ſolùm anno regnabit, & ſimilia: Quæ omnia ne in minimo quidem Papæ conveniunt, utpote qui omnibus viribus contendit, ut ſanctiſſimum Jeſu Chriſti nomen ubique terrarum perfectiſſimo modo ſanctificetur, & ut amantiſſimum Salvatorem noſtrum quam optime omnes homines colant, ament, laudent, adorent, & glorificent, pro cujus confeſſione 56. Pontifices Romani glorioſe Martyrium ſubierint. Quomodo ergo hi *Anti-Chriſti* id eſt, *Inimici, & Adverſarii Chriſti* cum veritate appellari poſſunt?

XLVI. Quia Catholici pluſquam 1500. Annis ante Lutheranos, & Calviniſtas in poſſeſſione veræ fidei perſtiterunt, pro Catholicis ſtant omnes præſumptiones, & omnia præjudicia, videlicet promiſſio Chriſti, infallibilia ſigna veræ Eccleſiæ, indubitata prodigia, & miracula, converſio infidelium, & gentilium, ſanguis Martyrum pro fide prodigè effuſus, & alia quàm plurima. Nihil horum pro fide Lutherana, aut Calviniſtica.

XLVII. Quia Acatholici fatentur, Eccleſiam Catholicam olim fuiſſe veram Chriſti Eccleſiam, & tamen non poſſunt dicere. 1. Qua in re à puro Dei verbo receſſerit, & quid ſacræ Scripturæ contrarium docuerit? 2. Quinam ſuppreſſores puri verbi Dei, deſtructores Eccleſiæ, & ſeductores populi Dei fuerint? quando vixerint, & qualiter nominati fuerint? 3. An univerſa Catholica Chriſtianitas una vice, & ſimul ac ſemel tam enormiter peccarit? vel an innocens cum nocente ſit rejectus? 4. quo anno Chriſti, ſub quo Pontifice, vel Cæſare hoc peccatum ſit commiſſum, ob quod Chriſtus Catholicam Eccleſiam rejecerit, & Sponſam ſuam non ampliùs agnoverit? 5. An tot centenis annis nulla planè Chriſti Eccleſia in toto orbe fuerit reperibilis? 6. Ubi illis temporibus Judæi, & Ethnici veram fidem amplecti volentes ſe inſinuare debuiſſent.

XLVIII. Quia nullo modo eſt credibile, quòd Spiritus ſanctus univerſalem, & Catholicam Eccleſiam penitùs ita deſeruerit, ut Eccleſia in tantos, & etiam horribiles errores (*ſicuti Acatholici aſſerunt*) lapſa ſit, & quidem poſt tantam infidelium populorum converſionem, ita ut ſolùm in *novo orbe, ſeu partibus Americanis ultra centum millia Catholicorum Templorum* ſint ædificata, ut vel ex hoc ſolo capite à Spiritu ſancto deſertam tantopere fuiſſe Eccleſiam Chriſti præſumi non poſſit. Benè enim ponderanda, ac ruminanda ſunt verba Sancti Auguſtini aſſerentis: ſi Adverſariorum opiniones concederentur: Spiritum ſanctum, *aut non voluiſſe, aut non potuiſſe* diutiùs, quàm 600. Annis Sponſam Chriſti, quæ eſt ejus Eccleſia, regere, cujus utrumque, vel alterutrum aſſerere, foret ſumma in Spiritum ſanctum blaſphemia.

XLIX. Quia Avi, & Proavi, & Atavi, &c. Catholicorum in ſignum zeloſiſſimum Catholicæ veritatis tam celebres fundarunt Eccleſias, Monaſteria, & Canonicatus, Epiſcopatus, & alias fecere piiſſimas fundationes, ob quas etiam ab optimo Deo largis benedictionibus ſunt donati, in Catholica fide ſanctè vixerunt, & pie in Domino ſunt defuncti. Qui ſi à mortuis reſurgerent, & modernam Templorum, ac Monaſteriorum devaſtationem, ſuarumque fundationum fruſtrationem intuerentur, haud dubiè illud triſte lachrymabundi ingeminarent: *Quas Sacras Ædes pietas exſtruxit Avorum, Has nunc devaſtant hæredes more Luporum*, qui ſunt hæretici.

L. Quia non tantùm in Patria noſtra Germania, ſed etiam in toto orbe terrarum à temporibus Apoſtolorum tantus accurſus infidelium, & gentilium, tantùm ad Catholicam, & Romanam fidem factus eſt. In qua fide etiam omnes ſancti Dei, veteris, & novi Teſtamenti vixerunt, & mortui ſunt: imò pro qua tot millia Sanctorum Martyrum id eſt, *undecim Sanctorum Martyres milliones* ſanguinem ſuum profuderunt, illiuſque veritatem glorioſa ſua morte confirmarunt.

*Propter has, & alias rationes plurimùm urgentes, & planè convincentes*, plures Sereniſſimæ, Illuſtriſſimæ, perillustres, & Excellentiſſimæ utriuſque ſexus Perſonæ à Calviniſmo, & Lutheraniſmo ad fidem Romano-Catholicam ſe converterunt, quarum aliquas breviter ſubjiciemus: *Eliſabetha Chriſtiana Duciſſa Brunſvicenſis. Vuolſenbutelana moderna Auguſtiſſima Romanorum Imperatrix. Henricus Quartus Rex Galliæ, & Navarræ. Carolus Secundus, & Jacobus Secundus Reges Angliæ, & Fratres: Chriſtiana Alexandra olim regnans Regina Sueciæ. Fridericus Auguſtus Primus modernus Rex Poloniæ, & Elector Saxoniæ. Fridericus Auguſtus II. Princeps Electoralis Saxoniæ, & Regius Poloniæ. Chriſtianus Auguſtus Dux Saxoniæ. Zettanus Archi-Epiſcopus Strigonienſis, primas Ungariæ S. R. E. Cardinalis, & ad comitia Imperialia Ratiboneñſia S.C. M. Legatus Plenipotentiarius actualis. Antonius*

*Udal-*

Digitized by Google

# APPENDIX ALPHABETHICA,

## IN QUA

## Bullas, & Conſtitutiones Pontificum in Supplementis Theologiæ Sacramentalis, & Decalogalis R. P. Patritii Sporer, à nobis breviter citatas, per extenſum, & in terminis ſecundùm Alphabethi ordinem referimus.

Ltare Privilegiatum. Pag. 299
Beati. 360
Bulla Cœnæ Domini. 301
Caſus reſervati Regularium. 304
Clauſura Monialium. 304
Communio quotidiana. 305
Confraternitas. 305
Decreta Sacræ Congregationis Rituum. 307
Eccleſiarum Ornamenta. 311
Exercitia Spiritualia. 311
Feſtum Immaculatæ Conceptionis B. Virginis MARIÆ. 311
Immunitas Eccleſiaſtica Localis, ſeu Jus Aſyli. 312
Indulgentiæ Regularium. 313
Indulgentiæ Archi-Confraternitatis Chordigerorum S. P. N. Franciſci. 314
Indulgentię Feſtorum noſtri Ordinis Seraphici. 315
Indulgentia Portiunculæ: Hæc non ſuſpenditur in anno Jubilæi: Poteſt applicari pro defunctis, & obtineri toties, quoties. 315
Indulgentiæ pro Feſtis SS. Joannis à Capiſtrano, & Paſchalis Baylon noſtri Ordinis Seraphici. 316
Indulgentiæ Viæ Crucis. 316
Indulgentiæ terræ Sanctæ. 317. & 318
Indulgentiæ Crucum, & Roſariorum Jeroſolymitanorum: Declaratio earundem, ſicut etiam Crucum Caravaccenſium. 318
Indulgentiarum & privilegiorum communicatio. 342
Indulgentiæ confratrum Chordæ S. Franciſci, & Fratrum. 341
Tertii Ordinis de Pęnitentia.
Indulgentia Doctrinæ Chriſtianæ. 341
Indulgentiæ Tertiariorum. 340
Libri ex Bibliotheca. 319
Litteræ Pęnitentiariæ. 319
Matrimonium Clandeſtinum. 320
Miſſæ Defunctorum. 320
Miſſa in Eccleſiis Regularium. 510
Miſſa in Oratoriis privatis. 321
Parochus. 321
Privilegiorum Communicatio, Confirmatio, Conceſſio, Declaratio, Revocatio. 322
Profeſſio Fidei Catholicæ. 327
Propoſitiones Damnatæ ab Alexandro VIII. Bajanę, Janſenianæ, Quesnellianæ, &c. 328
Regularium Reformatio. 336
Regularium Novitiorum Receptio. 338
Tertiariorum habitus. 340

## APPENDIX ALPHABETHICA.

### *Altare Privilegiatum.*

*Declaratio Alexand. VII. Circa Altaria privilegiata, extenditur à Clem. IX. ad Altaria temporaneo privilegio decorata.*

CUm dubitatum fuerit, utrùm Altaria temporaneo privilegio decorata, ad ſeptennium nimirum, nec omnibus hebdomadæ diebus, gauderent iiſdem privilegiis indulgentiarum, & prerogativis editis in declaratione Alexand. VII. fel. rec. Papæ circa Altaria perpetuò privilegiata, Clemens IX. glorioſæ mem. Pontifex declarationem præfatam ex voto S. R. E. Cardinalium Sac. Ritibus præpoſitorum, extendit ad Altaria prædicta ad tempus privilegiata: & non omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus hebdomadę diebus, nunc, & in futurum quandocumque decorata, & in iis plenarium locum habere pronunciavit, tenore Brevis ſequentis per extenſum poſiti, videlicet.

### CLEMENS PAPA IX.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

CUm fel. rec. Alexander Papa VII. Prædeceſſor noſter, dubia in diverſis mundi partibus, occaſione decreti congregationis tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum, die 5. Auguſti, 1662. emanati, & ab ipſo Alexandro Prædeceſſore approbati de non celebrandis miſſis defunctorum in feſtis ritus duplicis, exorta, dirimere cupiens, aliud ejuſdem congregationis decretum, in una Novarien: die 22. Novembris, 1664. editum approbaverit, quo declaratum fuerat, Anniverſaria, & miſſas defunctorum cantu ex diſpoſitione teſtatorum, quot annis recurrente ipſorum obitus die celebrandas, tametſi dies obitus hujuſmodi in feſtum Ritus duplicis majoris incideret, non comprehendi in primo dicto decreto: ac ulteriùs quoad Altaria privilegio Apoſtolico pro animabus fidelium defunctorum in perpetuum decorata, & in quibus proinde quotidiè etiam in feſtis Ritus duplicis, celebrandæ eſſent miſſæ defunctorum ex obligatione declaraverit per celebrationem miſſarum de feſto Currenti, ſatisfieri injunctis obligationibus, & indulgentias per ejuſmodi privilegia Apoſtolica conceſſas animabus fidelium defunctorum in purgatorio exiſtentibus ſuffragari, perinde ac ſi celebratæ fuiſſent miſſæ defunctorum ad formam dictorum privilegiorum, & aliàs prout in ejuſdem Alexandri prædeceſſoris litteris deſuper in ſimili forma Brevis, die 22. Januarii 1667. expeditis, quarum tenorum præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſo, & inſerto habere volumus, uberiùs continetur. Cùmque (ſicut ad aures noſtras pervenit) etiam dubitetur, utrum dictarum litterarum diſpoſitio quoad Altaria pariter quidem privilegiata ſed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadæ diebus, & ad quæ miſſæ non ex obligatione, ſed ex ſola fidelium devotione celebrantur, locum habeat. Hinc eſt, quod nos dubitationes hujuſmodi ex injunctæ nobis cœlitùs Paſtoralis ſolicitudinis munere dirimere pariter, atque decidere cupientes, de Venerabilium Fratrum noſtrorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum, qui rem maturè perpenderunt, Conſilio declarationem à memorato Alexandro prædeceſſore, ſicut præmittimus editam, ad Altaria, ut præfertur, non in perpetuum, ſed ad ſeptennium, ſeu aliud brevius, vel longius tempus, ac non omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus tantùm hebdomadæ diebus, nunc, & in futurum quandocumque privilegiata auctoritate Apoſtolica tenore præſentium extendimus. Et proinde, ut miſſæ, quæ ibidem de feſto Currenti, in quo miſſæ defunctorum celebrari non poſſunt, ſive ex obligatione, ſive ex ſola fidelium devotione celebrabuntur, ſuffragentur, ita ut animæ Chriſti fidelium, pro quibus celebratæ fuerint, indulgentias per privilegia hujuſmodi conceſſas, conſequantur in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi miſſæ defunctorum ad formam eorundem privilegiorum celebratæ fuiſſent, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus. Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſi-

me

mè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari. Sicque in præmiſſis, & per quoſcumque judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus, quatenùs opus ſit, noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de non concedendis indulgentiis ad inſtar aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut ipſarum præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo alicujus Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud S. MARIAM Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 23. Sept. 1669. Pontificatus noſtri anno tertio.

J. G. Sluſius.

*Hæc declaratio deſumpta eſt ex Supplemento Theatri Regularium R. P. Angeli a Lantuſca verbo Altaria privilegiata.*

Confirmatio.

*DEcreti Cong. Sacrorum Rituum, quo deciditur: Declarationem à fel. rec. Alexandro VII circà Altaria privilegiata perpetua editam, ejuſque extenſionem ad Altaria ejuſmodi privilegio temporaneo, nec omnibus hebdomadæ diebus decorata à rec. Mem. Clement. IX. conceſſam, intelligendas eſſe pro omnibus diebus, quibus juxta rubricas Miſſa defunctorum celebrari non poſſunt.*

## INNOCENTIUS PAPA XI.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

ALiàs, poſtquàm fel. rec. Alexander Papa VII. Prędeceſſor noſter per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis, die 22. Jan. MDCLXVII. expeditas litteras, dubia in diverſis mundi partibus occaſione Decreti Congregationis tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium ſacris Ritibus præpoſitorum die 5. Auguſti, MDCLXII. emanati, & ab ipſo Alexandro prædeceſſore approbati, de non celebrandis miſſis defunctorum in feſtis Ritus duplicis exorta dirimere cupiens, inter cætera, quoad Altaria privilegio Apoſtolico pro animabus fidelium defunctorum in perpetuum decorata, & in quibus proinde, quotidiè, etiam in feſtis Ritus duplicis celebrandæ fuiſſent Miſſæ defunctorum ex obligatione, declaraverat, per celebrationem Miſſarum de feſto currenti ſatisfieri injunctis obligationibus: indulgentias per ejuſmodi privilegia Apoſtolica conceſſas, animabus fidelium defunctorum in Purgatorio exiſtentibus ſuffragari, perinde ac ſi celebratæ fuiſſent Miſſæ defunctorum ad formam dictorum privilegiorum; rec. mem. Clemens Papa IV. pariter prędeceſſor noſter aliam ſubinde ortam dubitationem, utrum ſcilicet dictarum Alexandri prædeceſſoris litterarum diſpoſitio quoad Altaria pariter quidem privilegiata, ſed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadæ diebus, & ad quæ Miſſæ non ex obligatione, ſed ex ſola fidelium devotione celebrarentur, locum haberet, ſimiliter tollere deſiderans, declarationem memorato Alexandro prædeceſſore, ſicut præmittitur, editam, ad Altaria, ut præfertur, non in perpetuum, ſed ad ſeptennium, ſeu aliud brevius, vel longius tempus, ac non in omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus tantùm hebdomadæ diebus, tunc, & in futurum quandocumque privilegiata, auctoritate Apoſtolica extendit, & proinde, ut Miſſæ, quæ ibidem de feſto currenti, in quo Miſſæ defunctorum celebrari non poſſent, ſive ex obligatione, ſive ex ſola fidelium devotione celebrandæ eſſent, ſuffragarentur, ita ut animę Chriſti fidelium, pro quibus celebrarentur, indulgentias per privilegia hujuſmodi conceſſas conſequerentur in omnibus, & per omnia, perinde, ac ſi Miſſæ defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratę fuiſſent, eadem auctoritate conceſſit, & induſit, & aliàs, prout in ipſis Clementis prædeceſſoris litteris etiam in forma Brevis, die 23. Septembris, MDCLXIX. deſuper expeditis, quarum, & pręfatarum Alexandri prędeceſſoris litterarum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis haberi volumus, ulteriùs continetur. Cùm autem poſtmodum; ſicut accepimus, novum circà premiſſas excitatum fuerit dubium, videlicet, an ſupradictæ Alexandri, & Clementis prædeceſſorum declarationes ſibi pariter locum vendicarent etiam in diebus Dominicis, & infra octavas Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti, aliiſque anni diebus, quibus, licèt à feſto duplici non impediantur, adhuc tamen Miſſæ defunctorum juxta Ritum, & morem Eccleſię celebrari nequeunt, quatenùs nimirùm Miſſæ, quas iiſdem celebrare licet, ſervata cæteroquin dictorum privilegiorum forma, ad præfata Altaria privilegiata celebrarentur, noſque dubium hujuſmodi congregationi Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, ſacris Ritibus prępoſitorum examinandum commiſerimus, ac eadem Cardinalium Congregatio re maturè diſcuſſa, nuper per ſuum Decretum, die 3. Aprilis proximè præteriti editum, præfatas Alexandri, & Clementis prædeceſſorum declarationes intelligendas eſſe pro omnibus diebus, quibus juxta Rubricas, Miſſæ defunctorum celebrari non poſſunt, reſponderit; hinc eſt, quòd nos ex commiſſæ nobis cęlitùs diſpenſationis munere, fidelium defunctorum animarum in purgatorio exiſtentium ſuffragiis peramplìùs conſulere cupientes, Decretum hujuſmodi à memorata Cardinalium Congregatione editum, ut præfertur, Apoſtolica auctoritate tenore preſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate ſupradictæ Congregationis Cardinalium, decernentis eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus, quatenùs opus ſit, noſtra, & Cancellarię Apoſtolicæ Regula de non concedendis indulgentiis ad inſtar, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cęteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſùs fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ preſentibus ipſis haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romę apud S. MARIAM Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die quarta Maii, milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo octavo, Pontificatus noſtri anno duodecimo.

I. F. Albanus.

*Hoc Decretum videri poteſt in Formulario Legali Practico fori Eccleſiaſtici, Franciſci Monacelli, part. 2. titul. 16. Formula 6. num. 6.*

## B E A T I.

*Decretum ſuper cultu Beatis adhuc non Canonizatis praſtando.*

AD aures Eminentiſſimorum Patrum Congregationis Sac. Rituum plures devenerunt, qui patrantur, indultorum exceſſus in materia præſtationis cultus Beatis, adhuc non canonizatis, quamobrem eos eliminare, ac ne in futurum inducantur providere ſtudentes, ad infra ſcripta devenerunt decreta, &c.

1. Quòd eorumdem Beatorum imagines, etiam non principaliter, & uti ſupplices appoſitæ, ſimulacra, picturæ, tabellę, aut ſcripturæ eorum pręclara geſta repræſentantes, aut referentes in Eccleſiis, Sacrariis, & Oratoriis quibuſcumque, & præſertim, in quibus Miſſæ ſacrificium, vel alia Divina Officia peraguntur, inconſulta Sede Apoſtolica, nullo pacto exponantur.

2. Quod ubi indultum fuerit per Sedem Apoſtolicam imagines, ſimulacra, pictaſque tabellas in Eccleſiis poni, & coli poſſe, in pariete tantùm, non autem ſuper Altari, collocandi facultas tributa cenſeatur.

3. Quod ſi conceſſa fuerit per eamdem Sedem Apoſtolicam Altarium erectio, non tamen ob id Miſſam, & officium de prædictis Beatis celebrandi, vel recitandi facultas tradita præſumatur; etenim ſpecifica, & expreſſa conceſſio ſuper his præcedere debet.

4. Ubi in uno loco cultus fuerit conceſſus, non extendatur, inconſulto Pontifice, ad alium locum, quamvis alia concurrente auctoritate.

5. In locis, ubi Beatos prædictos ab omnibus coli permiſſum fuit, non inde publica officii recitatio permiſſa cenſeatur, ſed tantummodò privata, nec ſatisfactoria præcepto recitationis, niſi quoad illos, quibus Sedes Apoſtolica de hoc indulſerit.

6. Miſſæ pariter, quæ fuerint indulte certis perſonis, nempe Presbyteris Regularibus, vel Sæcularibus alicujus loci, vel Monaſterii, ſeu presbyteris alicujus Eccleſiæ ſervitio præcipuè addictis à confluentibus Sacerdotibus, quavis dignitate (etiam Cardinalatus) inſignitis minimè celebrentur.

7. Dies Feſti in Beatorum eorumdem memoriam non celebrentur, niſi ſpeciali indulto Apoſtolico proviſum fuerit.

8 Eorumdem nomina in Calendariis non apponantur, niſi illius tantùm loci, earumque perſonarum, in quo, vel à quibus cultus cum officio, & miſſa celebretur.

9. In quibuſvis Eccleſiaſticis precibus, etiam in Oratoriis privatis recitandis particula in eorumdem ſuffragia non apponantur, vel recitentur.

10. Publicis in precibus, præter indultas, & à Sede Apoſtolica approbatas, iidem Beati non invocentur.

11. Eorumdemque Reliquiæ in proceſſionibus minimè circumferantur.

12. Sacra eadem Congregatio pręſentibus declarare, & juſſione removere non intendit cultum Beatis per communem Eccleſiæ conſenſum, vel per immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, Virorumque ſanctorum Scripta, vel temporis centum annorum metam excedentis, ſcientiam, ac tollerantiam Sedis Apoſtolicæ, aut Ordinariorum hactenùs præſtitum, ac certis modo, & forma ab eo tempore exhibitum. Verùm ſi à centum annis citra, cultus hujuſmodi aliqua ex parte conſtiterit auctus, & eatenſus, eo caſu Sac. eadem Congregatio eumdem in priſtinum reduci jubet, prout quemvis cultum, extra caſus prædictos, ad expreſſa tantùm verbaliter, in Apoſtolicis indultis omninò revocari mandat ſub pœnis &c.

13. Firmis quoque remanentibus Decretis, nempe, ne Beati in Patronos eligantur, ne eorum Natalitia cum octavis celebrentur, & aliis quibuſcumque à Sacra Congregatione hactenùs emanatis, quæ præſenti Decreto renovantur.

14. His autem Sanctiſſimo relatis, & in Congregatione Sacra Rituum ordinaria habita coram Sanctitate ſua: per Eminentiſſ. & Reverendiſſ. D. Cardinalem Sacchettum accuratè perlectis, maturèque diſcuſſis Sanctitas ſua ea approbavit, & pro omnimoda eorum obſervatione, mandavit typis imprimi, ad valvas affigi, & publicari, ut elapſo termino ſex menſium à die publicationis eorumdem omnes, & ſingulos afficiant, & arctent, ac ſi omnibus, & ſingulis eadem exhibita, & perſonaliter præſentata, intimata, ſeu notificata fuiſſent.

15. Induliſque locorum Ordinariis, ut auctoritate Sedis Apoſtolicæ poſſint, imò debeant, Sęculares, & Regulares quoſcumque, quantumvis exemptos, etiam Societatis Jeſu, S. Antonii Viennen. & S. Joannis Hieroſolymitani, ac reliquos omnes, ſpeciali expreſſione indigentes, etiam ſub cenſuris compellere. Cùmque aliqui nulli ſubdantur Epiſcopo, qui eos, ſi eaccefferint, coercere valeant, eo caſu à Sedis Apoſtolicæ Nunciis, ſi adetint, ſin minùs ab Archiepiſcopis in eorum Provinciis, vel ab Epiſcopis Romano tantùm Pontifiei ſubjectis, intrà, vel propè quorum Diœceſis limites eorum Eccleſiæ, vel Monaſteria ſita fuerint, tamquàm à Sede Apoſtolica delegatis, ad hujuſmodi Decretorum obſervationem pręcicti omninò cogantur. Die 27. Sept. 1659.

Julius Epiſc. Sabin. Card. Sachet. F. M. Phębeus, Sac. Rit. Congr. Sec.

*Fuit impreſſum Romæ, in Regeſto hujus Congregationis, fol. 148.*

*Declaratio præfati Decreti ſuper cultu Beatis adhuc non Canonizatis præſtando.*

Allatis ad Sacr. Rit. Congregationem dubiis circa obſervationem, & intelligentiam Decreti ſuper cultu Beatis adhuc non canonizatis pręſtando, editi die 27. Sept. 1659. & publicati die tertia Febeuarii, præſentis anni 1660.

Primò. An ubi indultum fuerit, ut miſſa de aliquo Beato celebretur, liceat ejus imaginem, & ſimulachrum ſuper Altari exponere, nec non votivas tabellas ibidem appendere?

Secundò. An §. dies Feſti in Beatorum honorem non celebrentur, extendatur ad feſta devotionis?

Tertiò. An indulta recitandi officium cum octava, vel ſine octava, & celebrandi miſſam de Beatis fuerint revocata per dictum Decretum Sac. Congregat.

Quartò. An in Eccleſiis, in quibus officium, & Miſſa de Beatis recitari, ac reſpectivè celebrari poſſunt, liceat eorum reliquias exponere?

Quintò. An Epiſcopi Regulares, qui ex indulto Sedis Apoſtolicæ gaudent privilegiis ſuæ Religionis, de quibus ſunt capaces pro eorum conditione, poſſint de Beatis ſuæ Religionis recitare officium, & in propriis Cathedralibus miſſam celebrare, & Altare Beatis pędictis erigerè,

*Sacra Rituum Congregatio reſpondit.*

Ad primum, affirmativè.
Ad ſecundum, negativè.
Ad tertium, pariter negativè.
Ad quartum, affirmativè.
Ad quintum, negativè. Die 27. April. 1660.

Julius Epiſcop. Sabinen. Card. Sachettus.
Loco † Sigilli.
F. M. Phœb. Sac. Rit. Congregat. Secret. &c.

Gratis etiam quoad ſcripturam. Romæ ex Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ 1660.

*Hoc Decretum deſumptum eſt ex Theatro Regularium, R. P. F. Angeli à Lantuſca, Verbo Beati.*

*Bulla Cœnæ Domini.*

Paſtoralis Romani Pontificis vigilantia, & ſolicitudo, cum id omni Chriſtianæ Reipublicæ pace, & tranquillitate procuranda, pro ſui muneris officio aſſiduè verſatur, tum potiſſimùm in Catholicę fidei, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, unitate, atque integritate retinenda maximè elucet, nimirùm, ut fideles Chriſti non ſint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinę in nequitia hominum, ad circumventionem erroris, ſed omnes occurrant in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei in virum perfectum, neque ſe in hujus vitæ ſocietate, & communione lædant, aut inter ſe alter alteri offenſionem præbeat, ſed potiùs in vinculo charitatis conjuncti, tamquàm unius corporis membra ſub Chriſto capite, ejuſque in terris Vicario Romano Pontifice Beatiſſimi Petri Succeſſore, à quo totius Eccleſiæ unitas dimanat, augeantur in ædificationem, atque ita Divina Gratia adjutrice, ſi præſentis vitę quiete gaudeant, ut futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas ſanè cauſas Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri, hodierna die, quæ anniverſaria Dominicæ Cœnę commemoratione ſolemnis eſt, ſpiritualem Eccleſiaſticæ diſciplinæ gladium, & ſalutaria juſtitiæ arma, per miniſterium Summi Apoſtolatus ad Dei Gloriam, & animarum ſalutem ſolemniter exercere conſueverunt: Nos igitur, quibus nihil optabiliùs eſt, quàm fidei inviolatam integritatem, publicam pacem, & juſtitiam, Deo Auctore, tueri, vetuſtum, & ſolemnem hunc morem ſequentes.

§. 1. Excommunicamus, & anathematizamus, ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque BB. Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra, quoſcumque Huſſitas, Vvicklephiſtas, Lutheranos, Zvvinglianos, Calviniſtas, Ugonottos, Anabaptiſtas, Trinitarios, & à Chriſtiana fide Apoſtatas, ac omnes, & ſingulos alios hęreticos quocumque nomine cenſeantur, & cujuſcumque ſectæ exiſtant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defenſores, ac eorumdem libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſine Auctoritate noſtra, & Sedis Apoſt. ſcienter legentes, aut retinentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes, ex quavis cauſa publicè, vel occultè, quovis ingenio, vel colore, nec non Schiſmaticos, & eos, qui ſe à noſtra, & Rom. Pontificis pro tempore exiſtentis obedientia pertinaciter ſubtrahunt, vel recedunt.

§. 2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos cujuſcumque ſtatus, gradus, ſeu conditionis fuerint: Univerſitates verò, Collegia, & Capitula quocumque nomine nuncupentur, interdicimus, ab Ordinationibus, ſeu mandatis noſtris, ac Romanorum Pontificum pro tempore exiſtentium ad univerſale futurum Concilium appellantes; nec non eos, quorum auxilio, conſilio, vel favore, appellatum fuerit.

§. 3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes piratas, curſarios, ac latrunculos maritimos, diſcurrentes mare noſtrum, præcipuè à monte argentario uſque ad Tarracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defenſores.

§. 4. Item cacommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui Chriſtianorum quorumcumque navibus, tempeſtates, ſeu in tranſverſum (ut dici ſolet) jactatis;

Digitized by Google

tis, vel quoquomodo naufragium paſſis, ſive in ipſis navibus, ſive ex eiſdem ejecta in mari, vel in littore inventa, cujuſcumque generis bona tam in noſtris Tyrrheni, & Adriatici, quàm in ceteris cujuſque maris regionibus, & litoribus, ſurripuerint; ita ut nec ob quodcumque privilegium, conſuetudinem, aut longiſſimi etiam immemorabilis temporis poſſeſſionem, ſeu alium quemcumque prætextum excuſari poſſint.

§. 5. Item eacommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris ſuis nova pedagia, ſeu gabellas, præterquam in caſibus ſibi à jure, ſeu ex ſpeciali Sedis Apoſt. licentia permiſſis imponunt, vel augent, ſeu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

§. 6. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falſarios litterarum Apoſtolicarum, etiam in forma Brevis, ac ſupplicationem, gratiam, vel juſtitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice Cancellarios, ſeu gerentes vices eorum, aut de mandato ejuſdem Rom. Pontificis ſignatarum, nec non falsò fabricantes litteras Apoſtolicas, etiam in forma Brevis, & etiam falsò ſignantes ſupplicationes hujuſmodi ſub nomine Rom. Pontificis, ſeu Vicecancellarii, aut gerentium vices prædictorum.

§. 7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Chriſtiani nominis hoſtes, & inimicos, vel hæreticos per noſtras, ſive hujus ſanctæ Sedis ſententias expreſsè, & nominatim declaratos, deferunt, ſeu tranſmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, ſtannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica inſtrumenta, ligamina, cannabem, funes, tam ex ipſo cannabe, quam alia quacumque materia, & ipſam materiam, aliaque hujuſmodi, quibus Chriſtianos, & Catholicos impugnant, nec non illos, qui per ſe, vel alios de rebus ſtatum Chriſtianæ Reipub. concernentibus, in Chriſtianorum perniciem, & damnum ipſos Turcas, & Chriſtianæ Religionis inimicos, nec non hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt, illiſque ad id auxilium, conſilium, vel favorem quomodolibet præſtant. Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, quibusvis perſonis, Principibus, Rebuſpublicis per nos, & Sedem prædictam hactenus conceſſis, de hujuſmodi prohibitione expreſſam mentionem non facientibus.

§. 8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, ſeu invadentes eos, qui victualia, ſeu alia ad uſum Rom. Curiæ neceſſaria adducunt, ac etiam eos, qui ne ad Rom. Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, ſeu perturbant, ſeu hæc facientes defendunt per ſe, vel alios cujuſcumque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & ſtatus, etiam ſi Pontificali, ſeu Regali, aut alia quavis Eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeant dignitate.

§. 9. Item eacommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apoſt. venientes, & recedentes ab eadem, ſua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, ſpoliant, capiunt, detinent, nec non illos omnes, qui juriſdictionem ordinariam, vel delegatam, à nobis, vel noſtris judicibus non habentes illam ſibi temerè vendicantes, ſimilia, contra morantes in eadem curia, audent perpetrare.

§. 10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, ſeu deprædantes Romipetos, ſeu Peregrinos ad Urbem cauſa devotionis, ſeu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipſo recedentes, & in his dantes auxilium, conſilium, vel favorem.

§. 11. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hoſtiliter inſequentes S.R.E. Cardinales, Patriarchas, Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, Sediſque Apoſt. Legatos, vel Nuntios, aut eos à ſuis Diœceſibus, Territoriis, terris, ſeu Dominiis ejicientes: nec non ea mandantes, vel rata habentes, ſeu præſtantes in eis auxilium, conſilium, vel favorem.

§. 12. Item eacommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, vel per alios, perſonas Eccleſiaſticas quaſcumque, vel ſæculares ad Rom. curiam ſuper eorum cauſis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem curia proſequentes, aut procurantes, negotiorumque geſtores, Advocatos, Procuratores, & agentes, ſeu etiam Auditores, vel Judices ſuper dictis cauſis, vel negotiis deputatos, occaſione cauſarum vel negotiorum hujuſmodi occidunt, ſeu quoquomodo percutiunt, bonis ſpoliant, ſeu qui per ſe, vel per alios directè vel indirectè, delicta hujuſmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare non verentur, cujuſcumque præeminentiæ, vel dignitatis fuerint.

§. 13. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes tàm Eccleſiaſticos, quàm ſæculares, cujuſcumque dignitatis, qui prætexentes frivolam quamdam appellationem à gravamine, vel futura executione litterarum Apoſt. etiam in forma Brevis, tàm gratiam, quàm juſtitiam concernentium: nec non citationum, Inhibitionum, ſequeſtrorum, monitoriorum, proceſſuum, executorialium, & aliorum Decretorum, à nobis, & à Sede prædicta, ſeu Legatis, Nunciis, Præſidentibus, Palatii noſtri, & Cameræ Apoſt. Auditoribus, Commiſſariis, aliiſque Judicibus, & delegatis Apoſtolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanaverint, aut aliàs ad curias ſæculares, & laicam poteſtatem recurrunt: & ab ea, inſtante etiam fiſci Procuratore, vel Advocato, appellationes hujuſmodi, admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, ſequeſtra, monitoria, & alia prædicta, capi, & retineri faciunt, quive illa ſimpliciter, vel ſine eorum beneplacito, & conſenſu, vel examine executioni demandari, aut ne tabelliones, & Notarii, ſuper hujuſmodi litterarum, & proceſſuum executione, inſtrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cujus intereſt, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, ſeu eorum agentes, conſanguineos, affines, familiares, notarios, executores, & ſubexecutores litterarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex civitatibus, locis, & regnis ejiciunt, bonis ſpoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per ſe, vel per alium, ſeu alios publicè, vel occulte, quive aliàs quibuſcumque perſonis, in genere, vel in ſpecie, ne pro quibuſvis eorum negotiis proſequendis, ſeu gratiis, vel litteris impetrandis, ad Rom. Curiam accedant aut recurſum habeant, ſeu gratias ipſas, vel litteras à dicta Sede impetrent, ſeu impetratis utantur, directè, vel indirectè prohibere, ſtatuere, ſeu mandare, vel eas apud ſe, aut Notarios, ſeu tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere præſumunt.

§. 14. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui per ſe vel alios, auctoritate propria ac de facto, quarumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & litterarum Apoſt. prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias cauſas ſpirituales, & ſpiritualibus annexas, ab Auditoribus, & Commiſſariis noſtris, aliiſque judicibus Eccleſiaſticis avocant, illorumve curſum, & audientiam, ac perſonas, Capitula, Conventus, Collegia, cauſas ipſas proſequi volentes impediunt, ac ſe de illarum cognitione tamquàm judices interponunt: quive partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad revocandum, & revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas, & ad faciendum, vel conſentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à cenſuris, & pœnis in illis contentis abſolvi per ſtatutum, vel aliàs, compellunt, vel executionem litterarum Apoſt. ſeu executorialium, proceſſuum, ac decretorum prædictorum, quomodibet impediunt, vel ſuum ad id favorem, conſilium, aut aſſenſum præſtant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætenſionum, ſeu etiam donec ipſi ad nos informandos, ut dicunt, ſupplicaverint, aut ſupplicari fecerint, niſi ſupplicationes hujuſmodi, coram nobis & Sede Apoſt. legitimè proſequantur, etiamſi talia committentes fuerint Præſidentes Cancellariatum, Conſiliorum, Parlamentorum Cancellarii, Vice-Cancellarii, Conſiliarii, ordinarii, vel extraordinarii quorumcumque Principum ſæcularium, etiamſi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate, aut Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, Abbates, commendatarii, ſeu Vicarii fuerint.

§. 15. Quive ex eorum prætenſo officio, vel ad inſtantiam partis, aut aliorum quorumcumque perſonas Eccleſiaſticas, Capitula, Conventus, Collegia Eccleſiarum quarumcumque coram ſe ad ſuum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Conſilium, vel Parlamentum præter juris Canonici diſpoſitionem, trahunt, vel procurant directè, vel indirectè quovis quæſito colore: Nec non qui ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, ſeu quævis alia decreta in genere, vel in ſpecie ex quavis cauſa, & quovis quæſito colore, ac etiam prætextu cujuſvis conſuetudinis, aut privilegii, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint: vel factis, & ordinatis uſi fuerint unde libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quovis modo reſtringitur, ſeu noſtris, & dictæ Sedis, ac quarumcumque Eccleſiarum juribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expreſsè præjudicatur.

§. 16. Nec non qui Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, alioſque Superiores, & inferiores Prælatos, & alios omnes quoſcumque judices Eccleſiaſticos ordinarios quomodolibet hac de cauſa directè, vel indirectè carcerando, vel moleſtando eorum Agentes, procuratores, familiares, nec

non

Digitized by Google

non conſanguineos, & affines, aut aliàs impediunt, quo minùs ſua juriſdictione Eccleſiaſtica contra quoſcumque utantur, ſecundùm quod Canones, & ſacræ Conſtitutiones Eccleſiaſticæ, ac decreta Conciliorum generalium, & præſertim Tridentini ſtatuunt: ac etiam eos, qui poſt ipſorum ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque ſententias, & decreta, aut aliàs fori Eccleſiaſtici judicium eludentes, ad Cancellarias, & alias curias ſæculares recurrunt: & ab illis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia, ordinariis, & delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque, qui hæc decernunt, & exequuntur, ſeu dant auxilium, conſilium, patrocinium, & favorem in eiſdem.

§. 17. Quive juriſdictiones, ſeu fructus, redditus, & proventus ad nos, & Sedem Apoſtolicam, & quaſcumque Eccleſiaſticas perſonas ratione Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum pertinentes uſurpant, vel etiam quavis occaſione, vel cauſa, ſine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expreſſa licentia ſequeſtrant.

§. 18. Quive collectas, decimas, talleas, præſtantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis ac eorum, & Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & proventibus hujuſmodi abſque ſimili Romani Pontificis, ſpeciali, & expreſſa licentia, imponunt, & diverſis etiam exquiſitis modis exigunt, aut ſic impoſita, etiam à ſponte dantibus, & concedentibus, recipiunt. Nec non qui per ſe, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare non verentur, cujuſcumque ſint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut ſtatus, etiamſi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, ſeu Principes, Duces, Comites, Barones, & alii Potentatus, quicumque etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, & Terris, quoquomodo Præſidentes, Conſiliarii, & Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate inſigniti. Innovantes decreta ſuper his per ſacros Canones, tam in Lateranenſi noviſſimè celebrato, quàm Conciliis Generalibus edita, etiam cum cenſuris, & pœnis in eis contentis.

§. 19 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoſcumque Magiſtratus, & Judices, Notarios, Scribas, executores, ſubexecutores quomodolibet ſe interponentes in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus contra Perſonas Eccleſiaſticas, illas proceſſando, banniendo, capiendo, ſeu ſententias contra illas proferendo, vel exequendo, ſine ſpeciali, ſpecifica, & expreſſa hujus ſanctæ Sedis Apoſtolicæ licentia, quique hujuſmodi licentiam ad perſonas, & caſus non expreſſos extendunt, vel aliàs illa perperam abutuntur, etiamſi talia committentes fuerint Conſiliarii, Senatores, Præſidentes, Cancellarii, Vice-Cancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

§. 20. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, ſeu alios directè, vel indirectè ſub quocumque titulo, vel colore invadere, deſtruere, occupare, ac detinere præſumpſerint, in totum, vel in partem Almam Urbem, Regnum Siciliæ, Inſulas Sardiniæ, & Corſicæ, terras citrà Pharum, Patrimonium Beati Petri in Thuſcia, Ducatum Spoletanum, comitatum Venayſinum Sabinenſem, Marchiæ Anconitanæ, Maſſæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & Maritimas Provincias, illarumque terras, & loca, ac terras ſpecialis Commiſſionis Arnulphorum, Civitateſque noſtras, Bononiam, Cæſenam, Ariminum, Beneventum, Peruſium, Avenionem, Civitatem Caſtelli, Tudertum, Ferrariam, Comacium, & alias Civitates, terras, & loca, vel jura ad ipſam Romanam Eccleſiam pertinentia, dictæque Romanæ Eccleſiæ, mediatè, vel immediatè ſubjecta, nec non ſupremam juriſdictionem in illis, nobis, & eidem Romanæ Eccleſiæ competentem de facto uſurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præſumunt, nec non adhærentes, fautores, & defenſores eorum, ſeu illis auxilium, conſilium, favorem quomodolibet præſtantes.

§. 21. Volentes præſentes noſtros proceſſus, ac omnia, & quæcumque his litteris contenta, quouſque alii hujuſmodi proceſſus, à nobis, aut Romano Pontifice pro tempore exiſtente fiant, aut publicentur, durare, ſuoſque effectus omnino ſortiri.

§. 22. Cæterùm à prædictis ſententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo conſtitutus, nec etiam tunc, niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo cautione præſtita: abſolvi poſſit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & Indultorum, quibuſcumque Eccleſiaſticis, ſæcularibus, & quorumvis ordinum, etiam Mendicantium, ac militarium regularibus, etiam Epiſcopali, vel alia majori dignitate prædiſtis, ipſiſque ordinibus, & eorum Monaſteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hoſpitalibus, & locis piis, nec non laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cujuſvis Concilii decreta, verbo, litteris, aut alia quacumque ſcriptura in genere, & in ſpecie, conceſſorum, & innovatorum, ac concedendorum, & innovandorum.

§. 23. Quòd ſi fortè aliqui contra tenorem præſentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis; vel eorum alicui abſolutionis beneficium impendere de facto præſumpſerint, eos excommunicationi ſententia innodamus, graviùs contrà eos ſpiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus, proceſſuri.

§. 24. Declarantes, & proteſtantes quamcumque abſolutionem, etiam ſolemniter per nos faciendam, prædictos excommunicatos ſub præſentibus comprehenſos, niſi priùs à præmiſſis, cum verò propoſito ulteriùs ſimilia non committendi, deſtiterint: Ac quoad eos, qui contra Eccleſiaſticam libertatem, ut præmittitur, ſtatuta fecerint, niſi priùs ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, & decreta hujuſmodi publicè revocaverint, & ex Archivis, ſeu Capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, & caſſari, ac nos de revocatione hujuſmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter ſuffragari, quin etiam per hujuſmodi abſolutionem, aut quoſcumque alios actus contrarios, tacitos, vel expreſſos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam noſtram, vel Succeſſorum noſtrorum quantocumque tempore continuatam, in præmiſſis omnibus, & ſingulis, ac quibuſcumque juribus Sedis Apoſtolicæ, ac Sanctæ Romanæ Eccleſię undecumque, & quandocumque quęſitis, vel quęrendis nullatenus prejudicari poſſe, aut debere.

§. 25. Non obſtantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, & litteris Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, ſupradictis, vel eorum alicui, ſeu aliquibus aliis cujuſcumque ordinis, ſtatus, vel conditionis, dignitatis, & pręeminentię fuerint, etiamſi, ut premittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, ſeu quavis Eccleſiaſtica, & mundana prefulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, civitatibus, ſeu locis à prędicta Sede; ex quavis cauſa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & ſub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibuſvis clauſulis etiam derogatoriarum derogatoriis conceſſis, etiam continentibus, quòd excommunicari, anathematizari, vel interdici non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de privilegiis, indulgentiis, & indultis hujuſmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum, mentionem, nec non conſuetudinibus etiam immemorabilibus, ac preſcriptionibus quantumcumque longiſſimis, & aliis quibuſlibet obſervantiis, ſcriptis, vel non ſcriptis, per quæ contra hos noſtros proceſſus, ac ſententias, quominùs includantur in eis, ſe juvare valeant, vel tueri.

Quę omnia, quoad hoc, eorum omnium tenores, ac ſi ad verbum, nihil penitùs omiſſo infererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, penitùs tollimus, & omninò revocamus cęteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 26. Ut verò pręſentes noſtri proceſſus ad publicam omnium notitiam faciliùs deducantur, chartas, ſeu membranas proceſſus ipſos continentes valvis Eccleſię S. Joannis Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe appendi faciemus, ut ii, quos proceſſus hujuſmodi, concernunt, quòd ad ipſos non pervenerint, aut quòd ipſos ignoraverint, nullam poſſint excuſationem prætendere aut ignorantiam allegare, cùm non ſit veriſimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

§. 27. Inſuper ut proceſſus ipſi, & præſentes litteræ, ac omnia, & ſingula in eis contenta, eò fiant notiora, quo in pleriſque civitatibus, & locis fuerint publicata, univerſis, & ſingulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & locorum Ordinariis, & Pręlatis ubilibet conſtitutis, per hæc ſcripta committimus, & in virtute ſanctę obedientię diſtrictè præcipiendo mandamus, ut per ſe vel per alium, ſeu alios, pręſentes litteras, poſtquam eas receperint, ſeu earum habuerint notitiam, ſemel in anno, aut ſi expedire viderint, etiam pluries in Eccleſiis ſuis: cùm in eis major populi multitudo ad Divina convenerit, ſolemniter publicent, & ad Chriſti fidelium mentes reducant, nuntient, & declarent.

§. 28. Cæterum Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi,

Digitized by Google

pi, aliique locorum ordinarii, & Eccleſiarum, Prælati, nec non Rectores, ceterique curam animarum exercentes, ac presbyteri ſæculares, & quorumvis ordinum Regulares ad audiendas peccatorum Confeſſiones, quavis auctoritate deputati, tranſumptum preſentium litterarum penes ſe habeant, eaſque diligenter legere, & percipere ſtudeant.

§. 29. Volentes earumdem preſentium tranſumptis etiam expreſſis, Notarii publici manu ſcriptis, & Sigillo judicis ordinarii Romanę curiæ, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſticæ conſtitutæ munitis, eamdem prorſus fidem in judicio, & extra illud ubique locorum adhibendam fore, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel extenſę.

§. 30. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, proteſtationis, ſublationis, revocationis, commiſſionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerariò contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

*Hæc Bulla Cœna Domini deſumpta eſt ex Patre Claudio La Croix lib. 6. part. 2. num. 2054. & poteſt etiam videri in Rituabilus Dięceſinm.*

Caſu Reſervati Regularium.

*Decretum S. D. N. Clementis VIII. ſupra Caſuum Reſervatione ab omnibus Regularium Superioribus obſervandum.*

SAnctiſſ. D. N. qui jam pridem accuratè perpendit, ac reipſa comperit, quod Reſervatiu facultatis abſolvendi Religioſos pœnitentes, à quibuſdam peccatis gravioribus, niſi Superiores, admodùm prudenter, ac moderatè illa utantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori ſuo, conſcientię maculas detegere formidant, adducere poſſet in æternæ damnationis periculum, & ſpiritualis remedii deſperationem: ideò, ut huic malo ſua Sanctitas opportunè proſpiceret, decrevit, ut nemo Regularium Superiorum, peccatorum abſolutiones ſibi reſervet, exceptis iis, quę ſequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquibus, prout ſubditorum utilitati expedire prudenter in Domino judicaverint.

1 *Veneficia, Incarnationes, & Sortilegia.*
2 *Apoſtaſia à Religione, ſive habitu dimiſſo ſive retento, quando eò pervenerit, ut extra ſepta Monaſterii, ſeu Conventus fiat egreſſio.*
3 *Nocturna, & furtiva e Monaſterio, ſeu Conventu egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta.*
4 *Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale.*
5 *Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus.*
6 *Occiſio, aut vulneratio, ſeu gravis percuſſio cujuſcumque perſona.*
7 *Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum, à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.*
8 *Juramentum falſum in judicio regulari, ſeu legitimo.*
9 *Procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum etiam effectu non ſecuto.*
10 *Falſificatio manus, aut ſigilli officialium Monaſterii, aut Conventus.*
11 *Furtum de rebus Monaſterii, ſeu Conventus, in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.*

Si quod aliud pręterea peccatum grave, pro Religionis conſervatione, aut pro conſcientię puritate, reſervandum judicabitur, id non aliter fiat, quàm generalis Capituli, in toto ordine, aut Provincialis in Provincia matura diſcuſſione, & conſenſu.

Non liceat Superioribus Regularium, ſubditorum confeſſiones audire: niſi quando peccatum aliquod reſervatum admiſerint: aut ipſimet ſubditi, ſponté, aut proprio motu id ab eis petierint.

Superiores in ſingulis Domibus, deputent duos, tres, aut plures Confeſſarios pro ſubditorum numero majori, vel minori: iique ſint docti, prudentes, ac charitate prædití qui à non reſervatis eos abſolvant, & quibus etiam reſervatorum abſolutio committatur, quando caſus occurrerit, in quo eam debere committi, ipſe imprimis Confeſſarius judicaverit.

Tam ſuperiores pro tempore exiſtentes, quàm Confeſſarii, qui poſteà ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.

Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graves quibuſdam peccatis, etiam non reſervatis à Confeſſariis imponendas, quæ ſubditos ab hujuſmodi perpetrandis cohibere poſſint. Atque ita per quoſcumque Regulatium Superiores, quicunque illi ſint, obſervari mandavit. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac cujuſvis Concilii, etiam generalis decretis, nec non conſuetudinibus, etiam ab immemorabili ſemper obſervatis, aut Regulis in generalibus, ſeu Provincialibus Capitulis editis, ſtatutis, & Conſtitutionibus etiam Apoſtolica Auctoritate confirmatis, privilegiis, indultis, & conceſſionibus quibuſcumque, quorum tenores, hic pro expreſſis haberi voluit, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum die 26. Menſis Maji. 1593.

Andreas Sobolongus, Secretarius Viſitationum.

*Hoc Decretum deſumptum eſt ex Compendio privilegiorum Patris Alphonſi de Caſarubios, V. Abſolutio Ordinaria quoad fratres, & ex Bullario Cherubini, t. 4. pag. 67.*

Clauſura Monaſteriorum.

*Gregorius Decimus Tertius Epiſcopus Servus Servorum DEI ad futuram rei memoriam.*

UBi gratiæ, & indulta ab hac Sede conceſſa, ſucceſſu temporis incommodum afferre noſcuntur, expedit illa ſalubri Præſidentis concilio ſubmoveri: proinde Sanctimonialium quieti conſulere, ac omnia, quę illas à ſpiritualium rerum cogitatione, & exercitio avocant, impedimenta tollere, periculaque, & ſcandala ab eis removere cupientes, auctoritate præſentium revocamus, & abolemus omnes, & quaſcumque licentias, ac facultates ingrediendi Monaſteria, Domos, & loca Monialium, ac etiam virorum quorumvis ordinum, quibuſvis etiam Comitiſſis, Marchioniſſis, Duciſſis, & aliis cujuſcumque ſtatus, & conditionis mulieribus: ac etiam omnes, & quaſcumque licentias ingrediendi Monaſteria, Domos, & loca ipſarum Sanctimonialium quibuſcumque viris etiam ejuſdem ſtatus, & dignitatis, &c. Inhibentes eiſdem, qui illas obtinuerunt, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, ſuper quà à nemine, niſi à Romano Pontifice (præterquam in mortis articulo) abſolutionis beneficium poſſit impertiri, ne ipſarum licentiarum prætextu, Monaſteria hujuſmodi, quovis modo ingredi audeant. Abbatiſſis verò, nec non Abbatibus, Conventibus, & aliis Monaſteriorum utriuſque ſexus Superioribus, & perſonis diſtrictè præcipimus, ſub eadem excommunicationis pœna, nec non privationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum ſuorum, àc inhabilitatis ad illa, & alia impoſterùm obtinendi, ne in Monaſteria, Domos, & loca ſua quemquam prætextu hujuſmodi licentiarum, & facultatum ingredi faciant, vel permittant. Quin etiam ſub eiſdem pœnis ipſo facto incurrendis prohibemus, atque interdicimus omnibus, & quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis, & ſæcularibus, ac etiam ordinum quorumcumque etiam mendicantium Regularibus, ne prætextu licentiarum ab Epiſcopis, vel à ſuperioribus, quibus illas concedendi caſibus neceſſariis tantùm, ex Decreto Concilii Tridentini tribuitur, ne Monaſteria ipſa Monialium pro libito, ſed neceſſitatibus urgentibus dumtaxat ingredi, neve Moniales ſub eiſdem pœnis, illos aliter admittere præſumant. Non obſtantibus &c. Datum Romę idibus Junii Anno Dom. 1575.

*Hæc Bulla deſumpta eſt ex Bullario Cherubini, tom. 2. pag. 393.*

Communio Quotidiana.

*Decretum Innocentii XI. Circa Communionem Quotidianam.*

CUm ad aures Sanctiſſimi D. N. fide dignorum teſtimonium pervenerit, in quibuſdam Diœceſibus vigere uſum quotidianæ communionis, etiam in feria

fe-

Digitized by Google

ſexta Paraſceve, & ſimul affirmari, eandem quotidianam communionem præceptam eſſe à jure Divino, quin etiam in illius adminiſtratione aliquos abuſus inoleviſſe, videlicet, quòd aliqui, non in Eccleſia, ſed in privatis Oratoriis, & Domi, imò cubantes in lecto, & non laborantes ulla gravis infirmitatis nota ſumant ſacroſanctam Eucharistiam, quam argentea theca incluſam in crumena, aut ſecretò illis deferunt Sacerdotes ſæculares, aut regulares, aliique in communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores ſolito: ac tandem quis confiteatur peccata venialia ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario. Cùm autem hæc Sanctiſſimus conſideranda commiſerit S. Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, eadem ſacra Congregatio, prævia matura diſcuſſione ſuper prædictis unanimi ſententia ita cenſuit: etſi frequens, quotidianuſve ſacroſanctæ Euchariſtiæ uſus à Sanctis Patribus fuit ſemper in Eccleſia probatus: numquàm tamen, aut ſæpius illam percipiendi, aut ab ea abſtinendi, certos ſingulis menſibus, aut hebdomadis dies ſtatuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præſcripſit, ſed quaſi humanam infirmitatem ſecum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet, tantùm indicavit, cùm inquit: optaret quidem ſacroſancta Synodus, ut in ſingulis miſſis fideles adſtantes ſacramentali Euchariſtiæ perceptione communicarent, idque non immeritò: multiplices enim ſunt conſcientiarum receſſus, variæ ob negotia ſpiritus alienationes, multæ è contrà gratiæ, & Dei dona parvulis conceſſa, quæ cùm humanis oculis ſcrutari non poſſimus, nihil certè de cujuſque dignitate, atque integritate, & conſequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis eſu poteſt conſtitui. Et propterea, quod ad negotiatores ipſos attinet, frequens ad ſacram alimoniam percipiendam acceſſus, Confeſſariorum ſecreta cordis explorantium judicio eſt relinquendus, qui ex conſcientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem proceſſu laicis negotiatoribus, & conjugatis, quod proſpicient eorum ſaluti profuturum, id illis præſcribere debebunt In conjugatis autem hoc ampliùs animadvertent, cùm Beatus Apoſtolus nolit eos invicem fraudari, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, ut vacent orationi, eos ſerio admoneant tantò magis ob ſacratiſſimæ Euchariſtiæ reverentiam continentiæ vacandum, puriorique mente ad cœleſtium Epularum communionem eſſe conveniendum. In hoc igitur Paſtorum diligentia potiſſimum invigilabit, non ut à frequenti, aut quotidiana ſacra communionis ſumptione, unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut ſumendi dies generaliter conſtituantur, ſed magis quid ſingulis permittendum, per ſe, aut Parochos, ſeu Confeſſarios ſibi decernendum putet: illudque omninò provideat, ut nemo à ſacro convivio, ſeu frequenter, ſeu quotidie acceſſerit, repellatur, & nihilominus det operam, ut unuſquiſque dignè pro devotionis, & præparationis modo, rariùs, aut crebriùs, Dominici Corporis ſuavitatem deguſtet. Itidem Moniales quotidiè ſacram Communionem petentes admonendæ erunt, ut in diebus ex earum ordinis inſtituto præſtitutis communicent: ſi quæ verò puritate mentis eniteant, & fervore ſpiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana ſanctiſſimi Sacramenti perceptione videri poſſint, id illis à ſuperioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confeſſariorum diligentiam, opera quoque concionatorum uti, & cum eis conſtitutum haberi, ut, cùm fideles ad Sanctiſſimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, ſtatim, de magna ad illud ſumendum præparatione orationem habeant, generatimque oſtendant, eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam ſalutiferi cibi ſumptionem devoto ſtudio excitantur, debere, ſive laici negotiatores ſint, ſive conjugati, ſive quicumque alii ſuam agnoſcere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac Divini judicii formidine diſcant cœleſtem menſam, in qua Chriſtus eſt, revereri; & ſic quando ſe minus paratos ſenſerint, ab ea abſtinere, ſeque ad majorem præparationem accingere. Epiſcopi autem, in quorum Diœceſibus viget hujuſmodi devotio erga ſanctiſſimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ſibi adhibito prudentiæ, & judicii temperamento alere debebunt, & ab eorum officio poſtulari ſibi maximè perſuadebunt, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentiæ, & ſcandali ſuſpicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtuteſque, ac dona in ſumentibus augeantur: quod abundè continget, ſi ii, qui devoto hujuſmodi ſtudio, Divina præſtante gratia tenentur, ſeque ſacratiſſimo pane frequentiùs refici cupiant, ſuas vires expendere, ſeque probare cum timore, & charitate aſſueverint. Quibus Chriſtum Dominum, qui ſe fidelibus manducandum, & ſe pretium in morte tradidit, atque in cœleſti ſede premium eſt daturus, precatur ſacra Congregatio, ut ſuam opem ad dignam præparationem, & ſumptionem largiatur. Porro Epiſcopi, & Parochi, ſeu Confeſſarii redarguant aſſerentes communionem quotidianam eſſe de Jure Divino, doceant in Eccleſiis, ſeu Oratoriis privatis, ex diſpenſatione, ſeu privilegio Pontificis de manu Sacerdotis ſumendam ſanctiſſimam Euchariſtiam, nec eam ullo modo deferendam in crumena, aut ſecretò ad exiſtentes domi, vel cubantes in lecto, quàm ad infirmos, qui ad illam ſuſcipiendam ad loca prædicta accedere non valeant, & ad eos, ſi ab Eccleſia deferatur, publicè, & cum pompa, juxta formam Ritualis Romani, ſi verò ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa communionem in feria ſexta Paraſceve Miſſalis Rubricæ, & Eccleſiæ Romanæ uſus ſervetur, inſuper admoneant, nulli tradendas plures Euchariſtiæ formas, ſeu particulas, neque grandiores, ſed conſuetas: non permittant, ut venialium confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti, non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario; ſi Parochi, aut Confeſſarii, etiam Regulares aut quicumque alii Sacerdotes ſecùs egerint, ſciant Deo Optimo Maximo rationem redditeros eſſe, neque defuturam Epiſcoporum, & Ordinariorum juſtam, ac rigoroſam animadverſionem in contrafacientes, etiam regulares, etiam Societatis Jeſu, facultate ipſis Epiſcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apoſtolicam ſpecialiter attributa.

Et facta de præmiſſis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas ſua approbavit, ac præſens Decretum Typis dari, ac publicari voluit. In quorum &c. Datum Romæ. 12. Februarii, 1679.

F. Card. Columna Præf.
S. Archiepiſc. Brancaccius Epiſc. Viterbienſ. Sec.

Die 15. Menſis Februarii, 1679. ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit per Urbem, ad valvas Curiæ & in acie campi Floræ, ut moris eſt, per me Ægidium felicem SS. D. N. PP. Curſorem, pro D. Magiſtro Curſorum Gregorius Stagius Apoſt. Curſ.

*Hoc Decretum videri poteſt apud La Croix lib. 7. part. 1. numero 665.*

## Confraternitas.

*Præſcriptio formæ, quæ Ordines Regulares, & Confraternitates ſæculares, de cætero uti debent in erigendis, & aggregandis Congregationibus, & Confraternitatibus, & Communicatione ſuarum Indulgentiarum, Indultorum, Eleemoſynarumque collectione, & Confeſſorum Electione.*

## CLEMENS PAPA VIII.

*Ad Perpetuam rei Memoriam.*

QUæcumque à Sede Apoſtolica ad promovendam Chriſti fidelium ſalutem aliquando conceſſa ſunt, etſi maturo conſilio, magnaque prudentia, & cautione ſancita, & decreta ſint, tamen cùm Romanus Pontifex de animarum ſalute ſolicitus, progreſſu temporis animadvertit, ſenſim aliquos abuſus in eiſdem ſtatutis, & Decretis obſervandis provenire, debet pro ſui Paſtoralis officii munere illis opportuna ratione occurrere, & quantùm cum Domino poteſt adhibito ſalutari remedio providere.

§. 1. Cùm itaque à pluribus Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, & forſitan etiam à nobis nonnullis Regularibus ordinibus, Religionibus, & inſtitutis, ac etiam Chriſti fidelium ſæcularium Archiconfraternitatibus, & Congregationibus diverſarum nationum, nominum, & inſtitutorum, tam in Alma Urbe noſtra, quàm in aliis civitatibus, & locis Chriſtiani orbis inſtitutis, facultas erigendi, & inſtituendi in eorum, & aliis Eccleſiis, & Collegiis, nec non etiam ſibi aggregandi Confraternitates & Congregationes in eadem Urbe, & in aliis locis exiſtentes, eiſque privilegia, indulgentias, facultates, aliaſque ſpirituales gratias, & indulta ſibi conceſſa reſpectivè communicandi attributa fuerit, ac nulla certa forma, vel ratio præſcripta ſit, quæ in hujuſmodi erectionibus, inſtitutionibus, aggregationibus, & communicationibus faciendis ſervari debeat: propterea, ſive negligentia ſuperiorum ordinum, Religionum, & inſtitutorum, vel officialium Archiconfraternitatum, & Congregationum exigentium,

tium, inſtituentium, aggregantium, & communicantium, qua Confraternitatibus, & Congregationibus erigendis, inſtituendis, & aggregandis, & quibus communicationes privilegiorum, indulgentiarum aliarumque gratiarum prædictarum fiunt, non ſervant formam in hujuſmodi erectionibus, inſtitutionibus, aggregationibus, & communicationibus ſervari debitam, neque præſcribunt modum, quo privilegia, indulgentias, facultates, aliaſque ſpirituales gratias, & indulta prædicta conſequi debeant, ſeu ipſarum Confraternitatum, & Congregationum incuria, qua non inquirunt ea, quæ præſtare oportet, ut illa conſequantur, nonnullæ pravæ conſuetudines irrepſerunt, multaque incommoda inde provenerunt.

§. 2. Quibus nos pro commiſſo nobis Apoſtolicæ ſolicitudinis officio, paternaque erga omnes Christi fideles Charitate proſpicere volentes, hac noſtra conſtitutione perpetuò valitura, decernimus, atque ſtatuimus, ut impoſterum, tam hujus Almæ Urbis noſtræ, quàm aliarum civitatum, & locorum totius Chriſtiani orbis Regularium Ordinum, Religionum, & Inſtitutorum, quibus in eorum & quibuſcumque aliis Eccleſiis, & Collegiis, Confraternitates ſæcularium erigendi, & inſtituendi facultas conceſſa eſt, nec non etiam Archi-Confraternitatum, & Congregationum, cujuſvis nationis, nominis, & inſtituti illæ ſint, & in quibuſcumque Eccleſiis, Domibus, & Oratoriis, tàm ſæcularium, quàm ut præfertur, quorumcumque, etiam Mendicantium Ordinum, Religionum, & Inſtitutorum Regularium, quavis, tàm ordinaria, quàm Apoſtolica Auctoritate erectæ, ac inſtitutæ exiſtant, ſeu alio quovis modo introductæ ceperiantur, quibus alias Confraternitates, & Congregationes inſtituendi, erigendi, ac ſibi aggregandi, aliiſque privilegia, indulgentias, facultates, aliaſque ſpirituales gratias, & indulta prædicta, elargiendi, & communicandi poteſtas à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, vel à Nobis, & Apoſtolica Sede attributa fuit, Magiſtri, Priores, Præpoſiti, Rectores, Gubernatores, Præceptores, Primicerii, Prælati, Cuſtodes, Guardiani, Præfecti, Adminiſtratores, & alii Officiales, ſeu Superiores quovis modo nuncupati Regularium ſiquidem Ordinum, Religionum, & Inſtitutorum, unam tantùm Confraternitatem, & Congregationem, de conſenſu tamen Ordinarii loci, & cum litteris ejus teſtimonialibus, quibus Confraternitatis, & Congregationis erigendæ, & inſtituendæ pietas, & Chriſtianæ charitatis officia, quæ exercere cupit, apud eos commendentur, in eorum, & quibuſcumque aliis Eccleſiis, & Collegiis erigere, & inſtituere.

§. 3. Cæterarum verò Archi-Confraternitatum, & Congregationum, in ſingulis civitatibus, oppidis, vel locis, unam etiam Confraternitatem, & Congregationem dumtaxat, quæ Apoſtolica, vel ordinaria Auctoritate priùs erecta, ac nulli alteri Ordini, Religioni, Inſtituto Archiconfraternitati, & Congregationi ejuſdem, vel alterius nationis, nominis, & inſtituti aggregata ſit, prævio ſimiliter loci Ordinarii conſenſu, & cum ejus litteris teſtimonialibus, quibus ejuſdem Confraternitatis, & Congregationis aggregandæ inſtitutum, pietas, & Chriſtianæ charitatis officia, quæ exercere conſuevit, apud eos commendentur, ſibi adjungere, & aggregare poſſint.

§. 4. Huic verò Confraternitati, & Congregationi erigendæ, inſtituendæ, ſeu aggregandæ ea tantum privilegia, indulgentias, facultates, aliaſque ſpirituales gratias, & indulta, quæ ipſi ordini, Religioni, inſtituto erigenti, inſtituenti, communicanti, ſeu Archiconfraternitati, & Congregationi aggreganti, nominatim, & in ſpecie, non autem, quæ per extenſionem, vel communicationem ſibi, quovis modo, conceſſa ſunt, & illa quidem non ſub generali forma verborum, vel ad inſtar, ſed expreſsè, & in ſpecie communicare valeant.

§. 5. Statuta autem pro Regimine Ordinum, Religionum, & Inſtitutorum erigentium; & inſtituentium, ac communicantium, ſeu Archi-Confraternitatum, & Congregationum aggregantium edita Confraternitatibus, & Congregationibus erigendis, inſtituendis, & aggregandis & quibus communicationes privilegiorum, & aliorum prædictorum fiunt impartiri non poſſint, niſi ea priùs ab Epiſcopo Diœceſano examinata, & pro ratione loci approbata fuerint, quæ nihilominus ejuſdem Epiſcopi decretis, ac moderationi, & correctioni in omnibus ſemper ſubjecta remaneat.

§. 6 Inſuper volumus, & ordinamus, ut prædicti Ordines, Religiones, Inſtituta, erigentia, inſtituentia, ac communicantia, nec non Archiconfraternitates, & Congregationes aggregantes, certam erigendi, inſtituendi, aggregandi, & communicandi formulam à Nobis noviſſimè approbatam diligenter obſervent, ſecundùm quam privilegia, indulgentias, facultates, aliaſque ſpirituales gratias, & indulta ipſis ordinibus, Religionibus, inſtitutis, erigentibus, & inſtituentibus, & communicantibus, ſeu Archiconfraternitatibus, & Congregationibus aggregantibus, nominatim, & expreſsè, non autem per communicationem, neque ad inſtar, ut ſuprà: conceſſa, ipſis Confraternitatibus, & Congregationibus erigendis, inſtituendis, & aggregandis, & quibus communicationes fiunt, communicare poſſint.

§. 7. Quibus Confraternitates, & Congregationes ejuſdem dumtaxat nationis, & nominis, Ordinis, Religionis & Inſtituti Archiconfraternitatis, & Congregationis, cui aggregantur, tam hactenus aggregatæ, quàm impoſterum aggregandæ utantur, potiantur, & gaudeant, ita ut dictarum Confraternitatum, & Congregationum erectarum, inſtitutarum, & aggregatarum, ac quibus communicationes factæ ſunt, miniſtri, & officiales, & alii ſupradicti privilegia, indulgentias, facultates, aliaſque ſpirituales gratias, & indulta hujuſmodi, prævia tamen recognitione Ordinarii loci, qui adhibitis duobus, de ejuſdem Eccleſiæ Capitulo, illa juxta Sacri Concilii Tridentini Decretum promulganda decernat, debitis temporibus promulgare valeant.

§. 8. Quibus etiam miniſtris, officialibus, & aliis prædictis Eleemoſynas, & alia oblata Chriſtianæ charitatis ſubſidia, juxta modum, & formam per Ordinarium loci præſcribendam, remotis tamen menſis, pelvibus, & capſis, quæ in Eccleſiis, & Oratoriis dictarum Confraternitatum, & congregationum publicè ad hoc exponi conſueverunt, excipiendi poteſtas detur. Atque hoc ipſum Ordines, Religiones, Inſtituta, erigentia, inſtituentia, ac communicantia, ſeu Archiconfraternitates, & Congregationes aggregantes, tàm Almæ Urbis noſtræ, quàm aliarum civitatum, & locorum quoruncumque juxta modum à vicario Urbis, & ab Ordinariis locorum reſpectivè præſcribendum obſervare teneantur. Eleemoſynas autem ſic collectas, in reparationem, & ornatum Eccleſiarum, tàm Ordinum, Religionum, Inſtitutorum, erigentium, inſtituentium, & communicantium, ac Archiconfraternitatum, & Congregationum aggregantium, quàm confraternitatum, & congregationum erigendarum, & inſtituendarum, ac aggregandarum, & quibus communicationes fient, aut in alios earum pios uſus, arbitrio ejuſdem Vicarii noſtri in urbe, nec non Ordinariorum locorum reſpectivè, fideliter exponere, atque erogare procurent, ut omnes intelligant, cœleſtes Eccleſiæ theſauros, non quæſtu, alicujus lucri cauſa, ſed pietatis, & charitatis excitandæ gratia, ex Apoſtolicæ Sedis benignitate fidelibus aperiri.

§. 9. Prætereà volumus, ut Confeſſarii, qui vigore privilegiorum ipſis Ordinibus, Religionibus, Inſtitutis, erigentibus, inſtituentibus, & communicantibus, ſeu Archiconfraternitatibus, & Congregationibus aggregandis communicandorum pro tempore eligi poſſunt, & poterunt ſæculares, ſcilicet in Alma Urbe, à prædicto noſtro Vicario, extra urbem vero, à locorum Ordinariis: Regulares autem non ſolùm à prædicto Vicario noſtro, & à locorum Ordinariis reſpectivè, ſed etiam à ſuis Superioribus approbati ſint, utque Confratres confitentes à criminibus, caſibus, & cenſuris, juxta dictorum privilegiorum (quatenus tamen ſint in uſu, & Sacri Concilii Tridentini Decretis, ac Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, & noſtris conſtitutionibus non adverſentur, nec revocata, aut ſub aliquibus revocationibus comprehenſa ſint) formam, & tenorem dumtaxat, abſolvere valeant. Decernimus inſuper, ut iidem Confeſſarii prædictos confratres, cujuſcumque gradus, ſtatus, conditionis, præeminentiæ, etiam ſi ſpeciali nota dignæ fuerint, à caſibus contentis in litteris, quæ die cœnæ Domini legi conſueverunt, nec non violationis immunitatis, & libertatis Eccleſiaſticæ, & clauſuræ Monaſteriorum monialium, ſi videlicet ſine neceſſaria, & urgenti cauſa, ac ſine Superiorum licentia, vel etiamſi cauſa, & licentia conceſſa abutentes, prædicta Monaſteria ingreſſi fuerint, nec non violentæ manus injectionis in clericum, & ſingularis certaminis, ſeu duelli, ac ab aliis etiam caſibus, tàm à nobis, quàm à prædicto noſtro in Urbe Vicario, & locorum Ordinariis reſpectivè reſervatis, & pro tempore reſervandis, & etiam à quavis excommunicatione ab homine lata, abſolvere, & ſuper irregularitatibus tàm ex aliquo defectu provenientibus, quàm occaſione delicti contractis, cum aliquo diſpenſare, prætextu dictorum privilegiorum, nullo modo poſſint.

§. 10. Demum ſtatuimus, & pariter ordinamus, ut confra-

fratres, & Congregationes ubivis locorum, quavis auctoritate, ut præfertur, erectæ, & inſtitutæ, & quibus communicationes prædictæ factæ ſunt, ac cuicumque ex dictis ordinibus, Religionibus, inſtitutis, Archi-Confraternitatibus, & Congregationibus ubilibet exiſtentibus hactenus aggregatæ, ab eiſdem reſpectivè ordinibus, Religionibus, inſtitutis, Archi-Confraternitatibus, & Congregationibus, novas erectionum, Inſtitutionum, communicationum, & aggregationum litteras, juxta formam à nobis noviſſimè approbatam, infra annum, ſi in Europa ſint, & ſi extra Europam fuerint, in biennium à die publicationis præſentium in Romana curia faciendæ computandos impetrare teneantur, alioquin dicto tempore elapſo erectiones, inſtitutiones, & quæcunque communicationes privilegiorum, facultatum, indulgentiarum, aliarumque ſpiritualium gratiarum, & indultorum, & aggregationes illarum vigore ipſis conceſſæ, nullius ſint roboris, & momenti, ac revocatæ, & abolitæ cenſeantur eo ipſo.

§. 11. Erectionum autem, inſtitutionum, communicationum, & aggregationum tam hactenus factarum, quàm deinceps faciendarum litteræ, ab ipſis ordinibus, Religionibus, inſtitutis, ſeu Archi-Confraternitatibus, & Congregationibus gratis omninò, ac nulla prorſus mercede, etiam à ſponte dantibus accepta, expediri, & concedi debeant.

§. 12. Quòd ſi miniſtri aliqui, Superiores, vel officiales, quocumque nomine nuncupati ordinum, Religionum, inſtitutorum, ſeu Archi-Confraternitatum, Congregationum, & Confraternitatum hujuſmodi, quavis auctoritate, vel privilegio, & officiu fungantur, & præfulgeant, contra præmiſſa in aliquo venire, vel facere præſumpſerint, erectiones, inſtitutiones, & communicationes privilegiorum, indulgentiarum, facultatum, ſpiritualiumque gratiarum, & indultorum, aliorumque præmiſſorum conceſſiones, nec non aggregationes per ipſos faciendæ, ſeu renovandæ nullius ſint roboris, & momenti, & quilibet eorundem miniſtrorum, ſuperiorum, officialium, & aliorum prædictorum, privationis officiorum, quę obtinet ac inhabilitatis ad illa, & alia impoſterum obtinenda pœnam quæ ab alio, quàm à nobis, vel à Romano Pontifice pro tempore exiſtente remitti non poſſit, incurrat eo ipſo.

§. 13. Decernentes præſentes litteras perpetuò validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac de omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat inviolabiliter obſervari debere, ſicque noſtræ mentis, & intentionis exiſtere, & ita, & non aliter per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici auditores, ac ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere legatos ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicare, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid ſuper his à quunquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 14. Ponuntur clauſulæ derogatoriæ.

§. 15. Ponitur forma publicandi hanc conſtitutionem, & tempus quo ligare incipit.

§. 16. Ponitur notificatio fienda per ordinarios.

§. 17. Fides tranſumptis adhibenda, quæ cùm non faciant ad rem noſtram, brevitatis cauſa omitto. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 7. Decembris, milleſimo ſexcenteſimo quarto, Pontificatus noſtri anno tertiodecimo.

*Hæc Bulla habetur in Bullario Cherubini, to.3.pag.160.*

## DECRETA.

*Sacræ Congregationis Rituum, Selecta ex 314. Decretis dictæ Congregationis, quæ adducit P. Claudius La Croix lib.6. part.2. num.2054. Poſt Bullam Cœnæ.*

1. DEdicatio Eccleſiæ Cathedralis celebranda quidem eſt in Diœceſi ſub ritu duplici primæ claſſis, ſed ſine octava. 2. Maji. 1619.

2. Regulares quidem tenentur celebrare Feſtum de Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis, ſed ſub ritu duplici ſecundæ claſſis ſine octava. 8. Aprilis 1661.

3. Regulares tenentur celebrare ſub ritu duplici primæ claſſis cum octava Feſtum de Dedicatione, & titulari Eccleſiæ illius conventus, in quo morantur. 3. Jun.1681.

4. In Feſto Corporis Chriſti non ſunt canendæ cantiones vulgari ſermone. 21. Mart. 1609.

5. Ne fiat concio coram SS. Sacramento in Altari expoſito, capite tecto. 16. Feb.1630.

6. Si Feſtum SS. Corporis Chriſti inciderit in Vigiliam Sancti Joannis, jejunium celebretur in feria quarta proximè præcedenti: de Vigilia verò nihil eo anno fiat. 24. Septemb. 1638.

7. Infra octavam SS. Corporis Chriſti non eſt agendum de officiis translatis, ritu duplici, primæ claſſis non decoratis, ideòque ſi Feſtum S. Antonii Paduani, quod apud Franciſcanos celebratur ſub duplici ſecundæ claſſis, inciderit in prædictum Feſtum de Sacratiſſimo Corpore Chriſti, transferatur poſt octavam. Die decima ſecunda Julii, 1664.

8. Recitantes ex legitima conceſſione officium de Sanctiſs. Corpore Chriſti in feria quinta per annum non impedita, illud recitare debent, ut præſcribitur in die ejuſdem ſolemnitatis, Miſſam verò celebrare de communi, ſeu votivam, 12. Julii 1664.

9. Ad Verſ. Panem de Cœlo non additur Alleluja, niſi tempore Paſchali, & infra Octavam Corporis Chriſti. 20. Janu.1705.

10. In officio de die infra octavam SS. Corporis Chriſti non legitur nona lectio de Feſto ſimplici. Quod ſi Feſtum illud ſimplex occurrerit eo die, quo fit de Feſto duplici infra eandem octavam, tunc non omittitur, ſed legitur nona lectio de eodem ſimplici, dummodò Feſtum illud non ſit duplex primæ claſſis. 8. Junii 1669.

11. Infra octavam SS. Corporis Chriſti non ſunt dicendæ Miſſæ votivæ, aut de Requiem. 21. Junii 1670.

12. Occurrentibus eadem die duobus Feſtis duplicibus infra octavam SS. Corporis Chriſti; non eſt de translatu agendum die immediatè ſequenti non impedita; ſed poſt octavam, niſi fuerit ex ſolemnioribus primæ claſſis. 7. Decembris 1680.

13. In proceſſionibus, quæ fiunt cum ſanctiſſimo Sacramento, qui incedunt ante illud, in occurſu, & tranſitu à latere ejuſdem debent facere genuflexionem, dummodò videant prædictum SS. Sacramentum. 1. Martii 1681.

14. In Feſto SS. Corporis Chriſti non eſt facienda proceſſio cum Sacramento ſine pluviali. 22. Jan. 1701.

15. In Tabernaculo, ubi aſſervatur SS. Sacramentum, non ſunt retinendæ reliquiæ, nec vaſa ſacrorum, nec aliud. 22. Febr.1593.

16. Altare portatile tunc conſecrationem amittit quando frangitur, vel loco movetur repoſitorium Reliquiarum. 5. Martii 1603.

17. Ad horas omnes, quæ recitantur in choro, ardeant in Altari duæ ſaltem candelæ. 7. Aug.1595.

18. Matutinum Defunctorum pro generali eorum commemoratione recitandum eſt manè, die ſecunda Novemb. non verò pridie veſperi. 1. Septemb.1607.

19. Si ſub Altari, vel ſub ejus gradibus, humata ſint defunctorum cadavera, non eſt ibi celebranda miſſa, donec aliò transferantur. 10 Nov. 1500.

20. Moniales completo officio poſſunt recitare aliquem pſalmum, orationem, vel collectam, quia hoc non eſt officio addere. 12. Jan.1600.

21. Moniales ipſæ tenentur legere, vel cantare cantu firmo Divinum officium, non verò earum capellani. 11. Maji 1635.

22. Nomine proceſſionum generalium comprehenduntur Rogationes. 12. Martii 1601.

23. Non eſt impedienda devotio ad imagines ſanctas. 17. Aprilis 1602.

24. Canonici tenentur in choro pſallere, aliàs non ſatisfaciunt obligationi ſuæ. 20. Aprilis 1602.

25. Licèt in illis Eccleſiis, in quibus adeſt inveterata conſuetudo cantandi miſſam votivam de Beata Virg. Maria ſingulis diebus Sabbati, poſſit hic pius uſus, ſeu populorum devotio continuari etiam in Sabbatis Feſto duplici impeditis, non eſt tamen omittenda miſſa conventualis. 2. Decemb. 1684.

26. Sacerdos, qui celebrat miſſam conventualem, in qua chorus tenetur cantare ſymbolum, non poteſt illam proſequi eo tempore, quo à choro cantatur ſymbolum prædictum. 17. Decemb.1695.

27. Non eſt facienda Altaris thurificatio in miſſa conventuali dierum ſolemnium, ſi abſque cantu, & miniſtris celebretur. 22. Jan. 1701.

28. Qui ſunt de gremio alicujus Eccleſiæ, debent recitare officium, quod in choro dicitur, & licèt extra Eccleſiam, vel Diœceſim morentur, decet eos recitare officium proprium Eccleſiæ ipſorum. 8. Septemb. 1602.

29. Clerici licèt adſcripti ſint alicui Eccleſiæ, & ejuſdem ſervitio, non tamen obligati choro, & quicunque alii clerici ſæculares, Regulareſve in civitate, vel Diœceſi morantes, non tenentur recitare officia propria ſanctorum illius Diœceſis, vel quæ de conſuetudine in eadem Eccleſia recitantur in choro. 8. Septemb.1601.

30. Anniverſaria, & miſſæ de requiem, quæ certo die dici debent, eo impedito transferri poſſunt in ſequentem. 19. Maji 1614.

31. In Feſto duplici non ſunt dicendæ miſſæ votivæ privatæ, aut de requiem. 5. Aug. 1662. quod intelligendum eſt etiam de Feſto duplici tranſlato.

32. Non ſunt transferendæ miſſæ privatæ de requiem, quę ex benefactorum præſcripto celebrandæ incidunt in Feſtum duplex, ſed dicendæ ſunt de Feſto currente, cum applicatione ſacrificii juſta mentem benefactorum. 5. Auguſti 1662.

33. Anniverſatia, & miſſæ de requiem, quæ ex diſpoſitione teſtatorum, cum cantu ſunt quotannis celebrandæ, poſſunt cantari, etiamſi ipſorum obitus dies inciderit in Feſtum duplex majus. 22. Nov. 1664.

34. Miſſæ de Feſto duplici celebratæ in Altari animabus perpetuò privilegiato, & in quo proinde quotidiè etiam in duplicibus celebrandæ eſſent miſſæ de requiem ex obligatione, ſuffragantur, ac ſi celebratæ fuiſſent pro defunctis juxta formam privilegiorum. 21. Jan. 1667.

35. Sacerdotes ſive Cappellani ſint, ſive non, qui recitant officium ſemiduplex, vel feriale, ſi celebrent in aliqua Eccleſia Regularium, in qua ſit de Feſto duplici, non debent dicere miſſam de requiem. 9. Junii 1668.

36. Decretum extenditur etiam ad Altaria non in perpetuum, ſed ad ſeptennium, ſeu aliud brevius, vel longius tempus, ac non omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus tantùm hebdomadę diebus privilegiata, ac proinde miſſæ de Feſto duplici, quæ ſive ex obligatione ſive ex ſola fidelium devotione celebrabuntur ſuffragantur, ac ſi celebratę fuiſſent pro defunctis. 23. Septemb. 1669.

37. Durante expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti non poteſt regulariter celebrari miſſa de Requiem, neque cantari pro adimplenda mente teſtatoris, ſive anniverſario ſatiſfaciendo, licèt currat officium hujuſmodi miſſas admittens. 2. Decemb. 1684.

38. Cùm primùm habita fuerit notitia de obitu alicujus Perſonæ, cantari poterit miſſa de Requiem etiam in Feſto duplici, quod non ſit de præcepto; nam in hoc caſu prædicta miſſa erit differenda, 4. Maii 1586.

39. Hæc decreta, licèt comprehendant tantùm Feſta duplicia, intelligenda tamen ſunt etiam de Dominicis, de diebus infra octavas Epiphaniæ, Paſchatis, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti, de omnibus aliis diebus, quibus juxta rubricas non poſſunt celebrari miſſæ defunctorum. 3. Aprilis 1688.

40. In vigilia Epiphaniæ omninò prohibentur miſſæ votivæ privatæ, & de requiem 27. April. 1797.

41. Veſperæ defunctorum pro prima die menſis poſſunt dici poſt Veſperas Dominicę, vel Feſti 23. Maii. 1603.

42. Ubi eſt inveterata conſuetudo recitandi in choro pſalmos pœnitentiales in feriis quintis quadrageſimalibus, poſt completorium, & pſalmos graduales in feriis tertiis, ejuſdem temporis, eodem loco retineri poteſt. 2. Aug. 1603.

43. Non eſt relinquendum officium debitum pro officio devotionis. 29. Nov. 1603.

44. Miſſæ ad ſatisfaciendum Eleemoſynis alicui Eccleſiæ traditis non ſunt celebrandæ per exteros, ubi commodè poſſunt ſatisfieri per Sacerdotes ejuſdem Eccleſiæ. 28. Januar. 1606.

45. Gloria in Excelſis cum credo omittitur in votivis pro re gravi, ſi violacea adhibeantur paramenta. 59. Maij, 1607.

46. Res gravis pro licita votivæ ſolemnis decantatione cum Gloria, & Credo eſt ea, pro qua convenit totus clerus cum Epiſcopo, vel apud Regulares in eorum comitiis Generalibus, ſeu Provincialibus, cùm cantatur miſſa pro re eorumdem judicio gravi. 19. Maij. 1607.

47. Cereus Paſchalis regulariter accendendus eſt ad miſſas, & Veſperas ſolemnes in triduo Paſchatis, in Sabbato in albis, & in Dominicis uſque ad Aſcenſionem: in aliis ſervanda eſt locorum conſuetudo. 19. Maij 1607.

48. In Eccleſiis titularibus B. Mariæ Virginis facienda eſt in ſuffragiis commemoratio de eadem B. V. Maria, non obſtante, quòd in choro recitetur ejuſdem officium parvum 13. Junii 1684.

49. In Altari privati oratorii, cui conceditur celebratio miſſæ, non poteſt tamen celebrari in natali Domini, Epiphaniæ, prima die Paſchatis, & prima Pentecoſtes, Annunciatione, Aſſumptione B. V. Mariæ, in Feſto SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, nec in ſolemnitate omnium ſanctorum 17. Nov. 1607. quibus adde Sabbatum ſanctum.

50. *Eccleſia Parochialis* in Diœceſi venit ſub nomine matricis, antequàm idcircò neque regulares, neque Confraternitates poſſunt campanas pulſare in Sabbato ſancto. 9. Feb. 1608.

51. Omnes de Clero, etiam Canonici Euchariſtiam ſumant de manu celebrantis in feria quinta in Cœna Domini. 17. Sept. 1608.

52. Sacerdotes in die Cœnę Dominicæ Sanctiſſimum Chriſti Corpus ſumpturi, poſſunt deferre ſtolam, vel ante pectus ad formam Crucis, vel à collo pendentem. 30. Sept. 1679.

53. Occurrente Feſto Sancti Joſephi in feria quinta in Cœna Domini antiquus mos communis Cleri in miſſa ſolemni ejuſdem diei ſumma Religione hactenus retentus nullatenus omittatur, ob aliquarum celebrationem Miſſarum. 13. Sept. 1692.

54. Si Feſtum S. Joſephi venerit in feria quinta in Cœna Domini non ſolùm ſervandum erit præceptum vacandi ab operibus ſervilibus, ſed etiam præceptum audiendi miſſam, ideòque per ordinarios locorum accuratè providendum, ut eo diẹ aliquę miſſę privatę ante celebrationem ſolitę miſſę conventualis non deſint. 13. Septemb. 1692. Idem dicendum, ſi Feſtum Annuntiationis occurrerit in prædicta Feria quinta.

55. In choro teneri non debent aliæ imagines quàm ſanctorum. 7. Auguſti 1609.

56. Inferiores Epiſcopo non debent ſumere de Altari Paramenta pro miſſa. 7. Julii 1612.

57. Altare portatile ligneum cum ara lapidea permitti debet, non obſtante conſtitutione ſynodali, dummodò habeat ſolitum reliquiarum repoſitorium. 1. Nov. 1612.

58. Solus Epiſcopus poteſt habere feneſtras in Eccleſia, per quas in eam proſpectus haberi poſſit. 19. Jan. 1614.

59. Non debent Regulares in Canone nominare Superiores ſuos, ut Antiſtites. 12. Nov. 1615.

60. Regularium Superiores non veniunt ſub nomine ordinariorum, & conſequenter non poſſunt aſſignare aliquam ex Dominicis Novembris pro recitatione officii de Patrocinio B. V. Mariæ, quod multis in locis permittitur celebrandum in aliquo die dominico illius menſis à locorum ordinariis eligendo. 22. Jan. 1705.

61. Clavis Hoſtiæ repoſitæ in feria quinta Cœnę Dominicę non eſt danda laico, quamvis nobili. 30. Jan. 1616.

62. Crux in proceſſionibus deferenda eſt à Regularibus cum velo pendente, ſeu pallio. 14. Jan. 1617.

63. Regulares in celebratione miſſæ poſſunt annunciare dies Feſtos, & jejunia in ſuis Eccleſiis. 2. Julii 1602.

64. In feria ſexta in Paraſceve non eſt adminiſtranda Euchariſtia niſi infirmis. 19. Feb. 1622.

65. Regulares Ordinis Minimorum, dum nominant in orationibus, verſiculis, cæteriſque actibus inter Divina officia occurentibus Sanctum Franciſcum prædicti Ordinis Fundatorem non debent adjungere ly de Paula, 23. Dec. 1624. unde appatet quid in ſimilibus ſit faciendum.

66. Imagines illorum, qui cum Sanctitatis ſeu Martyrii fama deceſſerunt, non ſunt apponendę in oratoriis, vel Eccleſiis tàm ſæcularibus, quàm regularibus, antequàm declarentur Beati: neque ad eorum ſepulchra accendendę ſunt lampades, aut tabellę affigendę ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, 13. Martii 1625.

67. Non ideo præjudicandum erit in aliquo illis, qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, virorumque Sanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia Sedis Apoſtolicæ, vel ordinarii coluntur. 13. Martii 1625.

68. Facultas concedendi uſum pileoli in miſſa ſpectat ad Papam. 24. Aprilis 1626.

69. Celebrans, qui diſtribuit Cineres, candelas, & ramos detecto capite diſtribuat. 18. Julii 1626.

70. Ille idem, qui benedicit Cineres prima die Quadrageſimæ, vel candelas in Feſto purificationis, aut ramos in Dominica Palmarum, debet etiam cantare miſſam ſequentem. 52. Aprilis 1640.

71. In Miſſa feriæ quartæ Quatuor temporum occurrentis in die octava Nativitatis B. V. Mariæ dicenda eſt præfatio communis, non verò de B. Maria. 12. Decemb. 1626.

72. Signum, quod fit cum patena à fronte ad pectus fit integrè cum ſigno Crucis, 13. Martii 1627.

73. Infra octavam Epiphaniæ, Paſchatis, & Pentecoſtes nec non in feria quarta Cinerum, in hebdomada majore, in Dominicis, & in Vigiliis Nativitatis Domini, & Pentecoſtes non poſſunt dici votivæ miſſæ, neque de requiem. 28. Auguſti 1627.

74. Oratio imperata à Superiore, veluti, Deus Refugium, omittenda eſt in duplicibus primæ Claſſis. 28. Auguſti. 1627. Romæ omittitur etiam in Feſtis ſecundæ Claſſis.

75. In fine miſſæ ad quodcumque Altare celebratæ, ſic revo-

Digitized by Google

teverentia Cruci infra gradus capite ſemper aperto. 28. Auguſti 1627.

76. Si Litaniæ majores occurrerint in die Sancto Paſchatis transferantur in feriam tertiam ſequentem 25. Septemb. 1627.

77. Iu Eccleſiis Regularium habentium clauſtra, fiant proceſſiones intra clauſtra tantùm, ſi verò non habeant clauſtra fiant prope muros Eccleſiæ, ſive exeundo ab una porta, & intrando pet aliam Eccleſiæ portam, ſive per eandem. 26. Febr. 1628.

78. Extra ambitum Eccleſiæ non licet Regularibus facere proceſſiones, niſi de licentia, & conſenſu Parochi: ſalvis privilegiis, & conſuetudinibus, ſi quæ ſunt 26. Febr. 1628.

79. Miſſæ de SS. Roſario, & de monte Carmelo Ordinibus Prædicatorum, & Carmelitarum reſpectivè, & ſpecialiter conceſſæ non ſunt ab aliis celebrandæ ſine ſpeciali licentia. 8. Aprilis 1628.

80. Non poſſunt locorum ordinarli tam ſæculares addere Kalendariis etiam propriis ſanctorum Officia, niſi ea dumtaxat, quæ breviarii Romani Rubricis, vel ſacrorum Rituum congregationis ſeu Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur. 8. Aprilis 1628.

81. Officium Deſunctorum diei poteſt in choro ſeparatim ab officio diei in diebus exceptis à Breviario, pro adimplenda teſtatorum voluntate. 12. Junii 1628.

82. De ſancto Canonizato non poteſt fieri officium extra propriam Eccleſiam ſine novo Decreto. 9. Decembris 1628.

83. Non ſunt inſerendi in Litaniis alii ſancti præter ibi deſcriptos: neque tempore peſtis addendi ſunt Titulares, & civitatis Patroni, ſine ſpeciali conceſſione. 22. Martii 1631.

84. Qui præ timore, vel balbutie non pronunciat Evangelium S. Joannis, quod legitur in fine Miſſæ, ſed ejus loco, aliud ſuo arbitratu recitat ſuſpendendus eſt à Miſſarum celebratione, quoad uſque illud ritè pronunciare aſſueſcat. 5. Julii 1631.

85. In Kalendariis locorum fiat nota, ad libitum, quando officia non ſunt de præcepto. 6. Februarii 1638.

86. Feſta ad libitum occurreutia in diebus Dominicis, octavis, & natalitiis Sanctorum alicujus Diœceſis, vel Religionis ſunt omittenda. 24. Jan. 1682.

87. Officia ad libitum occurrentia eo die, in quo aliàs aliquod Feſtum translatum poni deberet, vel in quo agendum eſſet officium conceſſum ſemel in hebdomada, vel in menſe, poſſunt celebrari, protracto ulteriùs ad aliam Feſto translato, vel omiſſo officio per hebdomadam, aut per menſem conceſſo. 24. Jan. 1682.

88. Si Feſtum ad libitum non potuerit celebrari, & habuerit etiam ritum ſimplicem de præcepto, eo anno non omittatur, ſed celebretur ritu ſimplici. 13. Junii 1682.

89. In occurſu non poteſt transferri officium proprium alicujus Diœceſis, vel Religionis, ut eo die agatur de feſto ad libitum, ne omittatur. 2. Decemb. 1684.

90. Officia ad libitum occurrentia infra octavas non privilegiatas, etiam particularis alicujus Diœceſis, vel Religionis non ſunt celebranda, ſed omittenda. 19. Januarii 1693.

91. Non licet in media nocte Nativitatis Dominicæ celebrare ſucceſſivè alias duas miſſas, & in eis ſacram communionem exhibere fidelibus illam depoſcentibus, ſed utrumque omninò prohibitum. 7. Dec. 1643.

92. Feſtum de Patrono principaliori loci eſt præceptivum cum obligatione audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus. 13. Sept. 1642.

93. Regulares, qui ſunt in poſſeſſione præcedentiæ, præcedant in publicis functionibus, & ubi non conſtat de poſſeſſione, præcedant ii, qui ſunt antiquiores in loco controverſiæ. 6. Octobris 1645.

94. Beatorum nomina non apponantur in Kalendariis, niſi illius tantùm loci, earumque Perſonarum, in quo, & à quibus cultus cum officio, & miſſa celebratur. 27. Sept. 1659.

95. Non ſunt invocandi Beati in publicis precibus, præter indultas, & approbatas, nec eorum Reliquiæ in proceſſionibus circumferendæ. 27. Sept. 1659.

96. Licèt non ſint celebrandi dies Feſti in Beatorum honorem, hoc tamen non extenditur ad Feſta devotionis. 27. Ap. 1660.

97. Indulta recitandi officium cum octava, & celebrandi Miſſam de Beatis non ſunt revocata per Decretum editum ſub die 27. Septemb. 1659. Decretum hoc eſt. 17. April. 1660.

98. In illis Eccleſiis in quibus officium, & Miſſa de Beatis recitari, & reſpectivè celebrari poſſunt, licet earum Reliquias exponere, imagines, vel ſimulacra ſuper Altari collocare, ac votivas tabellas ibidem appendere. 17. April. 1660.

99. In Miſſis de Beatis non eſt dicendum ſymbolum, ubi ſcilicet eſt permiſſa hujuſmodi celebratio. 22. Jul. 1664. niſi adſit Reliquia.

100. Tam Minores Conventuales, quàm obſervantes Reformati S. Franciſci poſſunt in propriis ſuorum Ordinum Eccleſiis ſolemnizare Feſtum S. Antonii Patavini ea ipſa die in quam inciderit, dummodo Reformati à proceſſionibus abſtineant eodem loco, 20. Sept. 1658.

101. Non licèt in Eccleſiis, in quibus non aſſervatur SS. Sacramentum, celebratio miſſæ in feria quinta in Cœna Domini, nec ejuſdem Auguſtiſſimi Sacramenti aſſervatio in ſepulchro. 24. Jun. 1659.

102. Manus Sacerdotis *ad hanc igitur oblationem*, debent ita extendi, ut palmæ ſint apertæ, pollice dextero ſuper ſiniſtrum in modum Crucis ſupra manus, non verò infra manus. 4. Aug. 1663.

103. Paſſio in hebdomada majori legenda in Miſſis privatis in cornu Evangelii, licèt in Miſſa ſolemni legatur à celebrante in cornu Epiſt. 4. Aug. 1663.

104. Cruces, quæ fiunt à Sacerdote ſuper oblata, non ſunt faciendæ manu tranſverſa, ſed manu recta in tranverſa parte Crucis. 4. Aug. 1663.

105. Pars inferior hoſtiæ, non autem ſuperior præcidenda eſt, quando dicitur: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*. 4. Aug. 1663.

106. Sacrificia in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum poſſunt applicari ad libitum, ſcilicet in genere pro omnibus, tum in ſpecie pro aliquibus defunctis. 4. Aug. 1663.

107. Lectiones primi Nocturni in Officio de Feſto duplici majori ſumendæ ſunt (niſi ſint propriæ) ex ejus Communi non verò ex Scriptura occurrente. 12. Julii 1664. Licèt occurrat initium.

108. Dedicatio Apoſtolorum, & Salvatoris extra Urbem non habet integras Veſperas, ſi die præcedenti, vel ſequenti celebretur Officium duplex minus. 12. Julii 1664. Idem dicendum de die Octava dedicationis.

109. Dies Octava non privilegiata dimidiat Veſperas in occurrentia cum Feſto duplici minori. 12. Julii 1664.

110. Si transferatur Feſtum S. Luciæ in Feriam ſecundam ratione Dominicæ privilegiatæ, Veſperæ erunt de die Octava Conceptionis cum Commemoratione S. Luciæ. 1. Martii 1681.

111. Quæcumque dies Oct. B. V. MARIÆ debet habere integras utraſque Veſperas in concurrentia cum Feſto duplici minori. 11. Aug. 1691.

112. Non permittitur ad Altare majus celebratio Miſſæ, dum dicuntur in Choro Matutinum, & horæ. 15. Sept. 1664.

113. Ubi celebratur Feſtum S. Raphaelis Archangeli ad octavam Benedictionem dicatur, *cujus Feſtum* non verò, *quorum Feſtum*. 13. Sept. 1692.

114. Si ſimul ſint transferenda Feſta S. Marci Evangeliſtæ, & SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi priùs reponatur Feſtum S. Marci, deinde Feſtum Apoſtolorum. 18. Septemb. 1666.

115. Feſtum duplex occurrens ante Octavam non privilegiatam, non eſt transferendum poſt octavam, ſed intra eandem celebrandum prima dia non impedita. 30. Septemb. 1679.

116. Officium particulare alicujus Diœceſis, vel Religionis, quod occurrit die vigeſima quinta Februarii, & transferendum in Anno biſextili ad primam diem non impeditam, dummodo non ſit duplex primæ Claſſis. 7. Septemb. 1680.

117. Officium ſemiduplex, quod occurrit in Dominica infra Octavam non privilegiatam, non eſt celebrandum in Feria ſecunda ſequenti, licèt non impedita, ſi habeatur reponendum aliud Feſtum altioris ritus. 1. Martii 1681.

118. In repoſitione duorum vel plurium Feſtorum ritum habentium eumdem, & die occurrentium diverſa attendatur prioritas translationis niſi attendenda ſit major dignitas. 13. Junii 1682.

119. Si plura ſint transferenda Feſta, quæ eadem die occurrunt, & quibus non convenit ratio majoris dignitatis, attendatur in eorum repoſitione major apparatus, vel populi concurſus, ex quo vocatur etiam major ſolemnitas ſuppoſito tamen, quòd ſint ejuſdem ritus. 20. Julii 1686.

120. Non eſt transferendum in diem immediatè ſequentem Feſtum illud, ante cujus translationem habentur

reponenda alia Officia priùs tranſlata ejuſdem ritus, non obſtante Decreto edito ſub die 30. Septembr. 1679. Quò ad verò Feſtum ſemiduplex in Dominica infra octavam occurrens, omninò ſervanda eſt rubrica generalis Breviarii de tranſlatione Feſtorum num. 5. Decretum hoc eſt 22. Decemb. 1696.

121. Si occurrerint, vel fuerint transferenda duo Feſta ejuſdem ritus: quæ unica die occurrebant, quorum unum ſit univerſale, & alterum particulare alicujus Diœceſis, vel Religionis, priùs fiat de univerſali, deinde de particulari, niſi obſtet ratio majoris dignitatis. 27. Septembris 1698.

122. Ad Reſponſorium breve Completorii in Dominica Paſſionis, ne omittatur, Gloria Patri, ſi die ſequenti fiat de Feſto ſemiduplici. 18. Sept. 1666.

123. Si Feſtum duplex, de quo agunt Regulares (ſub quo nomine etiam veniunt Moniales) habuerit miſſam propriam omnibus, & ſolis Regularibus conceſſam, Sacerdotes ſæculares celebrantes in eadem Eccleſia Regularium, Miſſam quidem dicant de feſto duplici, ſed cum Miſſali Romano ex Decreto Sac. Rit. Congreg. 19. Nov. 1622. Decretum hoc 9. Jun. 1668.

124. Si Moniales non habeant Miſſale à Romano diverſum, Sacerdotes in earum Eccleſiis celebraturi poſſunt dicere proprias Miſſas ipſis Monialibus conceſſas. 27. Auguſti 1672.

125. In Miſſis votivis privatis non eſt dicendus Hymnus Angelicus, niſi fuerit Miſſa Angelorum, in qua quotidiè eſt recitandus: vel Miſſa de B. Maria, in qua quolibet Sabbato dici debet. 14. Maji 1672.

126. Clauſula poſita in Brevibus Indulgentiarum, ſcilicet: *Volumus autem, ut ſi aliàs Chriſti fidelibus, dictam Eccleſiam viſitantibus, aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapſum duratura, conceſſa fuerit, præſentes litteræ nullæ ſint*: non comprehendit Altaria privilegiata pro Defunctis. 23. Junii 1676.

127. Sub generali Indulgentiarum ſuſpenſione, quæ fit anno Jubilæi, non comprehenduntur Altaria privilegiata, nec aliæ indulgentiæ pro ſolis Defunctis conceſſæ. 24. Jan. 1700.

128. In Aſperſione aquæ benedictæ, quæ diebus Dominicis fit à Sacerdote, Alba, & Stola induto, vel etiam cum Pluviali, immediatè celebraturo Miſſam Conventualem, Stola aptanda eſt ante pectus ad modum Crucis, non vero pendens à collo ad utrumque latus. 30. Sept. 1679.

129. Officia Sanctorum, quæ alicubi ſuperſunt de menſe Decemb. transferri poſſunt in annum ſequentem. 7. Decem. 1680.

130. Officia conceſſa ſemel in hebdomada non ſunt celebranda in Adventu, Quadrageſima, Quatuor Temporibus, nec in Vigiliis, niſi aliter in conceſſione exprimatur. 1. Martii 1681.

131. Quotieſcumque in Sabbato ante Dominicam privilegiatam Officium fuerit de ſeptima die infra aliquam Octavam, Pſalmi Veſperarum erunt de Pſalterio, Capitulum de Dominica ſequenti, cum ſola Commemoratione de die octava. 1. Martii 1681.

132. In Proceſſionibus Candelarum, Palmarum, & ſimilium, quæ fiunt intra Eccleſias ſine Sacramento, non eſt pulſanda Campanula ad Elevationem SS. Corporis Chriſti in Miſſa privata. Quod ſi pulſetur, & advertatur elevatio, tunc genuflectendum, utroque genu à tranſeuntibus ante Altare, ubi Miſſa celebratur, & depoſito SS. Sacramento progrediendum, ſimiliter ſi aliqui tranſeant in elevatione Calicis. 1. Mart. 1681.

133. Regulares non tenentur recitare officia de Patronis minus principalibus, niſi ſint deſcripta in Calendario Romano, vel in proprio dictorum Religioſorum. 24. Januarii 1682.

134. Regulares tenentur quidem celebrare ſub ritu duplici primæ claſſis Feſtum de Patrono principali loci Regni, ſeu Provinciæ, & de Titulari Eccleſiæ Cathedralis, ſed ad eorum octavas non tenentur. 20. Mart. 1683.

135. Si Feſtum S. Confeſſoris transferatur in proximè ſequentem diem, in Hymno Iſte Confeſſor, nulla fiat mutatio verſiculi, ſed dicatur, meruit beatas, dummodò primæ veſperæ non ſint impeditæ. 13. Jan. 1683.

136. Tranſlato Feſto S. Confeſſoris ultra ſequentem diem, in Hymno, Iſte Confeſſor, facienda eſt mutatio verſiculi, dicendo, meruit ſupremos. 14. Jun. 1692.

137. Officia affixa diebus Dominicis, ut de SS. Roſario & de Patrocinio B. V. Mariæ, ſi ſint impedita Feſto altioris ritus, vel dignitatis, ſunt omittenda. 20. Mart. 1683.

138. Officium Nominis Beat. V. Mariæ occurrens in Feſto Exaltationis ſanctæ Crucis, vel in alio altioris ritus, aut dignitatis, transferatur, non verò omittatur. 20. Jul. 1686. Si concedatur pro aliquo Feſto ritus duplex ſine expreſſione majoris, vel minoris, conceſſio intelligatur de duplici minori, etiamſi ad honorem Deiparæ facta fuerit. 20. Nov. 1683.

139. In Feſto Nominis B. V. Mariæ non eſt facienda commemoratio de ejuſdem Nativitate, & in ſecundis Veſperis de Nativitate cadentibus in Sabbato non eſt facienda Commemoratio de prædicto Nomine. 20. Sept. 1684.

140. Si Officium Nominis B. V. Mariæ venerit in die Octava Nativitatis ejuſdem, Officium erit de Nomine, omiſſa in utriſque Veſperis, & Laudibus Commemoratione de prædicto die octavo Nativitatis. 14. Sept. 1685.

141. Sola ratione SS. Sacramenti expoſiti, non eſt dicendum Symbolum in miſſis privatis. 2. Dec. 1684.

142. Poteſt fieri commemoratio de SS. Sacramento, ſi expoſitum ſit, etiam in Miſſa de Feſto duplici; quod non fit primæ, vel ſecundæ Claſſis. 2. Dec. 1684.

143. Qui celebrat Miſſam de B. Maria, eo die, quo fit de aliquo Feſto ſemiduplici infra octavam ejuſdem B. Mariæ, debet dicere Miſſam de octava, ſed more votivo ſine Gloria, & ſine Credo, niſi fuerit Sabbatum, quia tunc dicendum erit Gloria, ſine Credo. 2. Decemb. 1684.

144. Qui in Sabbato recitat officium de B. Maria, ſi celebret votivam de aliquo Sancto, non debet dicere Gloria, neque præfationem Beatæ Mariæ. Die ſecunda Decembris, 1684.

145. Non eſt omittenda una ex aſſignatis orationibus in Miſſali, velut, A cunctis, ut ejuſdem loco dicatur aliqua Oratio imperata ab Epiſcopo, veluti, Deus Refugium: neque ut recitetur penultimo loco oratio pro Defunctis. 2. Decemb. 1684.

146. Quando dicitur oratio, A Cunctis, vel Eccleſiæ, non eſt dicenda oratio contra paganos, vel alia hujuſmodi, quia ſufficienter una continet, quod altera. 16. April. 1688.

147. Si in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum occurrerit Dominica, vel alicubi Feſtum de Præcepto diei Dominico æquale, Officium cum Miſſa Defunctorum transferatur in ſequentem diem, etiam Feſto duplici impeditam. 5. Octob. 1683.

148. In Sabbato ſancto omninò prohibentur Miſſæ privatæ, etiam poſt pulſationem Campanarum, in quacumque Eccleſia, aut oratorio privato, non obſtante contraria conſuetudine. 11. Febr. & 11. Martii 1690.

149. Si Feſtum Annuntiationis B. V. Mariæ occurrerit in Feria ſexta in Paraſceve, vel in Sabbato Sancto, transfertur ejus Officium unà cum Præcepto audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus ad Feriam ſecundam poſt dominicam in Albis: protracto ad aliam diem Feſto in ea occurrente, niſi fuerit duplex primæ Claſſis. 11. Mart. 1690. Notandum I. Quod ſi alicubi in prædicta feria ſecunda occurrerit duplex primæ Claſſis, ibidemque Annuntiatio celebraretur ſub eodem ritu: adhuc duplex illud eſſet transferendum, & celebranda Annuntiatio. Notandum II. Quod licèt Annuntiatio ſit ſecundæ Claſſis, ſi tamen haberetur reponendum Officium primæ Claſſis, nihilominus in prædicto caſu eſſet agendum de Annuntiatione. Notandum III. Quòd protracta ulteriùs Annuntiatione ob feſtum altioris ritus in eo occurrens, non ideò protrahenda obligatio audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus.

150. Si ſimul transferenda ſint Feſta S. Joſephi, & Annuntiationis, priùs reponenda Annuntiatio, deinde S. Joſeph, non obſtante Decreto editò in contrarium ſub die 12. Jun. 1682. Decretum eſt 14. Jun. 1692.

151. Tranſlato Feſto, in cujus die etiam conceditur indulgentia, non transfertur indulgentia, niſi ex conceſſione ſpeciali. 10. Jun. 1690.

152. Si primæ Veſperæ de S. Martina impeditæ fuerint Feſto duplici, vel Dominica, Hymnus proprius Veſperarum uniatur Hymno Matutini, & ex duobus fiat unus ſub unica Concluſione, A nobis abigas. 26. April. 1692.

153. Ubi die decima octava Decembris celebratur Officium de Expectatione B. V. Mariæ, omittendæ ſunt ad Laudes Antiphonæ illæ, quæ occurrunt in illa Feria, in proprio de tempore. 12. Maji 1692.

154. Si prædictum Feſtum Expectationis venerit in feria quarta Quatuor Temporum, nec erit dicenda nona Lectio in Officio, nec legendum ejus Evangelium in fine Miſſæ, ſed illud S. Joannis: ideòque de Feria ſola fiat Commemoratio in Officio, & Miſſa. Die decima ſecunda Maji 1692.

155. A die decima ſeptima Decembris incluſivè, uſque ad Vigiliam Nativitatis excluſivè fieri poteſt quodcumque officium novem Lectionum, ſive occurrens ſive etiam tranſlatum. 17. Maji 1692.

156. Si

Digitized by Google

156. Si Feſtum de ſeptem Doloribus B. Virg. MARIÆ, quod multis in locis celebratur Feria ſexta poſt Dominicam Paſſionis, impediatur ab officio majoris ritus, vel Dignitatis, transferatur in Sabbatum ſequens non impeditum, & non ulteriùs. 26. Februar. 1693.

157. Si Vigilia S. Matthiæ occurrerit ultima die Bacchanalium, obſervetur eadem die Jejunium, non verò anticipetur. 23. Januarii 1694.

158. Evangelium pro ſolemni palmarum Benedictione canendum eſt in cornu Epiſtolæ ab illo, qui celebrat, abſque Diacono, & Subdiacono. 27. April. 1697.

159. Regulares obtenta à locorum ordinariis licentia oretenus, vel in ſcriptis faciendi ſolamnes Proceſſiones extra limites Conventuum ſuæ Religionis cum ſtatua aut reliquia alicujus Sancti, poſſunt uti pluviali, licèt ejus uſus non fuerit expreſſus in licentia obtenta. 25. Mart. 1699.

160. Uſus Pluvialis in Proceſſionibus ſolemnibus non eſt teſtimonium, nec ſignum juriſdictionis in utente Sacerdote. 25. Mart. 1699.

161. In paramentis nigris non eſt adminiſtranda Euchariſtia. 22. Januar. 1705.

162. Sacerdos in Sacrificio Miſſæ congruentiùs utitur cingulo lineo, quàm ſerico. 22. Januar. 1701.

163. Feſtum ſemiduplex, occurrens in Feſto duplici infra Octavam non privilegiatam non eſt transferendum poſt illam, quando dies immediatè ſequens alio Feſto duplici vel ſemiduplici impedita non fuerit, ſed faciendum tunc eſt Officium die immediatè ſequenti. 30. Septemb. 1679.

Circa prædicta Decreta notandum, quod addit P. La Croix cit. lib. 6. p. 2. nu. 2057. nimirum: An omnia iſta Decreta ſint Authentica, & verè emanata à S. Congregatione Rituum, equidem neſcio. Nihilominus quandiu non uſciam oppoſitum, habebo relata Decreta pro Authenticis, & quidquid hactenus dixi, vel dicam, exacte redigam ad illorum diſpoſitionem, ſeu tenorem.

*Eccleſiarum Ornamenta.*

COnſtitutio Innocentii XI. in qua ſub gravi pœna prohibetur, ne Res ad Eccleſias, Altaria, Capellas, Oratoria, & Sacriſtias Fratrum Minorum ſpectantes, extra illa ad uſum, vel officium cæterorum diſtrahantur, vel aſportentur, vel commodentur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

*Ad futuram rei memoriam.*

ALiàs ad ſupplicationem tunc exiſtentis Commiſſarii Generalis Curiæ, Ord. Fratrum Min. S. Franciſci de obſervantia nuncupatorum, emanavit à Congregatione Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, Decretum tenoris, ut ſequitur.

S. Congregatio Eminentiſſimorum Sac. R. E. Cardinalium, negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita. Spectabili Cultui, & Decoro ornatui Eccleſiarum Ordin. Fratrum Min. S. Franciſci de obſervantia providè conſulens injungendum cenſuit, prout præſentis Decreti tenore injungit omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Superioribus, Provincialibus, localibus, eorumque ſubditis, ſub pœna privationis officiorum Ordinis immediatè incurrenda; ne ullo unquam tempore, quavis occaſione, vel prætextu, ad inſtantiam, & preces cujusvis indulgeant, aut conſentiant, ſuppellectilem, Vaſa, Ornamenta, veſtes, atque omnis generis res, ſpectantes aliquo modo ad præfatas eorum Eccleſias, Capellas, Oratoria, Sacriſtias, extra illa, ad uſum, vel officium cæterorum diſtrahi, aſportari, ſeu aliàs ab ipſis Minoribus obſervantibus commodari, quin priùs acceſſerit conſenſus ſaltem ultra duas partes totius capituli, cujuslibet reſpectivè conventus per ſecreta ſuffragia ſingulis vicibus præſtandus, nec non à miniſtro Provinciæ authenticè confirmandus, & ita obſervari mandat. Non obſtantibus &c. Datum Romæ. 4. Mart. 1580.

Cùm autem, ſicut dilectus filius Franciſcus Diaz à S. Bonaventura, chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici Concionator, & Theologus, ac pro ultramontana familia Fratrum dicti Ordinis Vice-Commiſſarius Generalis nobis exponi nuper fecit, eo quòd ipſe Decretum hujuſmodi (quo firmiùs ſubſiſtat, & ſervetur exactius) Apoſtolicæ Confirmationis noſtræ Patrocinio communiri deſideret; nos ipſius Franciſci Vice-Commiſſarii Generalis Votis hac in re, (quantùm cum Domino poſſumus) favorabiliter annuere volentes, & eum à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, & pœnis, à Jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis (ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit) ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine ſuper hoc nobis humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabiliter Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus &c. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 16. Septembris Anno 1685. Pontificatus Noſtri anno IX.

*Hac Conſtitutio videri poteſt in tertia Seraphica Vinea P. Engelberti Pauck, c. 6. n. 24.*

*Exercitia Spiritualia.*

AD Inſtantiam Reverendiſſimi Patris Noſtri Generalis Sanctiſſ. Dominus Noſter Alexander Papa VII. ſe benevolum præbuit Religioni noſtræ concedendo indulgentiam plenariam perpetuò valituram, Fratribus, exercitiis Spiritualibus per octiduum vacantibus, videlicet.

ALEXANDER PAPA VII.

*Ad futuram rei Memoriam.*

CUm ſicut nobis nuper exponi fecit dilectus Filius Michael Angelus à Sambuca, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Miniſter Generalis, in Capitulo Generali ejuſdem Ordinis noviſſimè Toleti celebrato, inter alia Decretum fuerit, ut ſeceſſus, & ſpiritualia mortificationis, & orationis mentalis exercitia in omnibus Provinciis Ciſmontanæ Familiæ Ordinis prædicti reaſſumantur, & illis Fratres earundem Provinciarum aliquoties ſingulis annis vacent.

Nos, qui probè novimus quantoperè conducant Exercitia hujuſmodi dirigendis in viam Domini, & confirmandis in illa Chriſti fidelium mentibus, devotionem Fratrum memorati Ordinis, qui de ſuorum Superiorum Licentia operi adeo pio, & ſalutari vacaverint, cœleſtium Eccleſiæ theſaurorum elargitione magis invitare volentes, de Omnipotentis DEI miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis prædicti Ordinis Fratribus, tam Clericis, quàm Laicis, ſeu converſis, qui in Domibus Regularibus Provinciarum prædictarum de ſuorum Superiorum Licentia exercitia prædicta, per octidui ſpatium, quandocunque peregerint, & intereà temporis verè pœnitentes, Confeſſi, Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, quoties id egerint, plenariam omnium ſuorum peccatorum indulgentiam, & Remiſſionem in Domino concedimus; Præſentibus in perpetuum valituris. Volumus autem, quòd ſi pro impetratione, præſentatione, admiſſione, ſeu publicatione præſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, eædem præſentes nullę ſint eo ipſo; quodve earundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici, vel Secretarii dicti Ordinis ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica Conſtitutæ, vel Miniſtri Generalis prędicti Ordinis munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę pręſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 11. Junii 1659. Pontificatus Noſtri anno quinto.

G. Gualterius.

*Habetur in Conſtitutionibus Generalibus Noſtri Ordinis fol. 374. & in Theatro Regularium Lantuſca V. Exercitia Spiritualia.*

Feſtum Immaculatę Conceptionis

B. V. MARIÆ.

CLEMENS PAPA XI.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

COmmiſſi Nobis Divinitùs ſacroſancti Apoſtolatus Officii exigit ratio, ut glorioſiſſimę Virginis DEI Genitricis MARIÆ, cujus Conceptio gaudium annuntiavit univerſo mundo, venerationem, & cultum, plurium Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum more, ampliare ſtudentes in terris, illius, quę ſuper choros Angelorum

rum exaltata pro populo Chriſtiano ſedula Exoratrix, apud eum, quem genuit, aſſiduè intercedit in cœlis, potentiſſimam opem in tot, tantiſque quibus premimur, Chriſtianæ Reipublicæ, & Catholicæ Eccleſiæ neceſſitatibus, quantum nobis ex alto conceditur, promereri jugiter ſatagamus. Sincera itaque noſtra erga eandem Auguſtiſſimam Cœli Reginam Patronam, & Advocatam noſtram devotione incitati, Feſtum Conceptionis ipſius B. Mariæ Immaculatæ obique terrarum imposterum ab omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, ſicut alia Feſta de præcepto ſervari, & celebrari, ac ſub præcepto obſervationis Feſtorum, comprehendi, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium decernimus, præcipimus, & mandamus. Volumus autem, ut earundem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in Eccleſiaſticâ dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 6. Decembris, Anno milleſimo ſeptingenteſimo octavo, Pontificatus noſtri anno 8.

### Immunitas Eccleſiaſtica Localis, ſeu Jus Aſyli.

*Conſtitutio Gregorii XIV. De Immunitate Eccleſiaſtica locali, ſeu de jure Aſyli.*

## GREGORIUS PAPA XIV.

*Ad perpetuam Rei Memoriam.*

CUm aliàs nonnulli Prædeceſſores noſtri, & præſertim Felic. recordat. Sixtus Papa V. nec non S. Pius etiam V. Sancto zelo ducti, diverſas facultates, & indulta extrahendi etiam in caſibus quibuſdam à jure non permiſſis, ex Eccleſiis criminoſos, & delinquentes, compluribus ſæcularibus principibus, eorum Curiis, & Magiſtratibus ſub variis modis, & formis conceſſerint, prout in illis plenius continentur, Experientia poſtmodum docuit, tum ob diverſitatem, & differentiam hujuſmodi indultorum, tum quia plerique eorundem principum miniſtri ex hoc ipſo illa diverſimodè, etiam latiùs, quàm par erat, ad ſuum libitum interpretandi occaſionem arripuerunt, illiſque abuti cœperint, ſubortam eſſe non mediocrem in aliquibus locis libertatis, & immunitatis Eccleſiaſticæ perturbationem, & confuſionem: alibi verò ne ipſos quidem laicos indultis hujuſmodi uti voluiſſe, aut potuiſſe, quòd populis inveterata erga Eccleſias reverentia devotis, & aſſuetis ſcandali potiùs, quàm quietis occaſionem præberent. Illud etiam abſurdum ſæpè numero ſecutum eſt, ut infimæ interdum conditionis laici, non modò juris, ſed etiam litterarum penitùs ignari, & imperiti, dum quaſi poteſtates, & miniſtri curiæ ſæcularis in aliquo Caſtro, aut oppidulo juriſdictionem exercebant facultatum, & indultorum hujuſmodi limites longè exceſſerint, eaque ſuo arbitratu in ſenſus minùs rectos, & ab intentione concedentis omninò alienos detorſerint, & illorum prætextu, quidquid ſibi in mentem venit attentare præſumpſerint, in grave juriſdictionis, & immunitatis Eccleſiaſticæ præjudicium, locorum, & perſonarum Divino cultui dicatarum contemptum, ipſius Divinæ Majeſtatis offenſam, & ſcandalum plurimorum. Quare pro commiſſo Nobis à Domino Paſtoralis officii munere, prædictis abſurdis, & ſcandalis obviare, ac differentias hujuſmodi ad uniformem Regulam reducere, omnemque dubitandi, ac perperam interpretandi occaſionem, dilucida declaratione ſubmovere abuſus tollere, & ne Eccleſiaſtica jura planè conculcentur, & negligantur, opportunè providere decrevimus, prout etiam dictus Sixtus Prædeceſſor noſter, iiſdem de cauſis motus, ſtatuere decreverat, licèt morte præventus hoc adimplere nequiverit, ita tamen, ut quando præſens temporum calamitas, & nimia, quæ jam invaluit, perverſorum hominum malitia, id expoſcit, aliquid etiam ad terrorem delinquentium, & ad coercenda eorum facinora, ultra id, quod priſca illa majorum noſtrorum diſciplina, & vetus ſacrorum canonum norma præſcripſerat, in quibuſdam caſibus, congrua moderatione adhibita, permittamus. Hac itaque noſtra perpetuo valitura conſtitutione, omnia, & quæcumque privilegia, indulta, & gratias tàm per prædictum Sixtum, ac S. Pium V. quàm alios quoſcumque noſtros Prædeceſſores, aut Noſmetipſos, Sedemque Apoſtolicam, ejuſque Legatos ſuper abducendis, vel extrahendis ab Eccleſiis, Monaſteriis, Sacellis, Domibus Regularibus, & ſæcularibus, lociſve ſacris aut Religioſis, aliiſque in caſibus jure permiſſis, hominibus certorum tunc expreſſorum, vel non expreſſorum criminum reis, aut fraudulentis decoctoribus, etiam in odium certorum delictorum, & pro bono, pace, & quiete publica, & ex cauſis urgentiſſimis, & neceſſariis, & æquipollentibus caſibus in jure expreſſis, atque ex paritate, identitate, aut majoritate rationis extenſis, perpetuò, vel ad certum nondum elapſum tempus, quomodolibet conceſſa, etiam iteratis, ac multiplicatis vicibus approbata, & innovata, ac uſu recepta, litteraſque Apoſtolicas ſub plumbo, aut in forma brevis, ſeu aliàs quomodocumque deſuper confectas, quarum tenores hic habere volumus pro expreſſis, ac ad verbum inſertis, ſublata penitus omni differentia, ita ad unam tantùm formam reducimus, & moderamus, ut laicis ad Eccleſias, locaque ſacra, & Religioſa prædicta confugientibus, ſi fuerint publici latrones viarum graſſatores, qui itinera frequentata, publicaſque ſtratas obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur: aut depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis, earumve cœmeteriis committere non verentur, aut qui proditoriè proximum ſuum occiderint, aut Aſſaſſinii, vel hæreſis, aut læſæ majeſtatis, in perſonam ipſiuſmet principis rei: Immunitas Eccleſiaſtica non ſuffragetur. Sed univerſis, & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris, Patriarchis, Primatibus, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque Eccleſiarum, & Monaſteriorum Prælatis, tàm ſæcularibus, quàm cujuſvis ordinis Regularibus diſtrictè præcipiendo mandamus, & præcipimus, ut laicos in caſibus prædictis delinquentes, ad eorum Eccleſias, Monaſteria, Domos, & alia loca ſupradicta ſacra ſeu Religioſa reſpectivè confugientes, & in eis ſe recipientes, atque morantes, qui prædicta delicta, eorumque aliquod judicio ſuo commiſiſſe videbuntur, quandoà curia ſæculari fuerint requiſiti, & quilibet eorum fuerint requiſiti, & quilibet eorum fuerit requiſitus, miniſtris, & officialibus curiæ ſæcularis abſque irregularitatis nota, aut alicujus cenſuræ Eccleſiaſticæ incurſu tradi, & conſignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet, & faciat. Ne autem curiæ ſæcularis miniſtri prædicta facultate, illos per ſe, & propria auctoritate extrahendi, & abducendi ſibi olim, ut præfertur, attributa, & per præſentes revocata abutantur, volumus, dictaque auctoritate decernimus, & declaramus, ut curia ſæcularis, ejuſque judices, & officiales, ab Eccleſiis, Monaſteriis, lociſque ſacris prædictis laicum aliquem, ut præfertur, delinquentem, in nullo ex caſibus ſupradictis ſine expreſſa licentia Epiſcopi, vel ejus officialis, & cum interventu perſonæ Eccleſiaſticæ ab eo auctoritatem habentis (ad quos ſolos, & non ad alios Epiſcopis inferiores, etiamſi alii ordinarii ſint, aut nullius Diœceſis, aut conſervatores ab hac Sede ſpecialiter, vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat, occurrente autem caſu in loco exempto, & nullius Diœceſis, tunc ad Epiſcopum viciniorem devolvatur hæc cognitio, & non ad alios) capere, extrahere, & incarcerare non poſſint, niſi eo caſu, quo ipſe Epiſcopus, & dictæ perſonæ Eccleſiaſticæ requiſitæ, illos in delictis ſuperiùs expreſſis culpabiles tradere, aut capturæ, & carcerationi intervenire, & aſſiſtere recuſarint, tuncque Reverentiæ Eccleſiæ, & ſacris locis debitæ memores, prædictos delinquentes, minori, quo id fieri poterit, ſcandalo, & tumultu extrahere curent. Quòdque delinquentes laici prædicti, poſtquam, ut præfertur, ab Eccleſiis, lociſque extracti, & capti fuerint, ad carceres curiæ Eccleſiaſticæ reponi, & inibi ſub tuto, & firmo carcere, ac opportuna cuſtodia data, illis, ſi opus fuerit, per curiam ſæcularem detineri debeant, nec inde extrahi, curiæque ſæculari prædictæ conſignari, nec tradi poſſint, niſi cognito priùs per Epiſcopum, ſeu ab eo deputatum, an ipſi verè crimina ſuperiùs expreſſa commiſerint, tuncque demum de mandato Epiſcopi per judicem Eccleſiaſticum curiæ ſæculari, quacumque appellatione ſepoſita, conſignentur. De crimine verò hæreſis cognitio ad forum Eccleſiaſticum tota pertineat, neque in ea curia ſæcularis ſe quomodo intromittat. Sicut etiam prohibemus, ne contra Eccleſiaſticas perſonas ſæculares, aut cujuſvis ordinis, vel militiæ, etiam S. Joan. Hieroſolymitani Regulares, quoquomodo etiam vigore prædictorum privilegiorum, indultorum, aut conceſſorum, quæ omnia ad terminos juris per præſentes reducimus procedant, aut ſe intromittant, illaſve ab Eccleſiis, Monaſteriis, Domibus, lociſve ſacris, aut Religioſis, etiam in caſibus in hac conſtitutione expreſſis, extrahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoſcere de criminibus ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus, aliàs, quàm de jure, & per privilegia eiſdem ordinibus, aut militiis conceſſa permittitur, quomodolibet præſumant. Quòd ſi quis quacumque dignitate, & auctoritate prædi-

cus,

Digitized by Google

tas, præmiſſorum, aut alio quovis prætextu quidquam præter aut contra hujus noſtræ conſtitutionis tenorem attentare præſumpſerit, declaramus eum ipſo facto cenſuras, & pœnas eaſdem incurrere, quæ contra libertatis, juris, & immunitatis Eccleſiaſticæ violatores, per ſacros Canones, & Concilium generalium, noſtrorumque Prædeceſſorum Conſtitutiones ſunt promulgatæ. Sicque per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Auditores, & S. Rev. Eccl. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, in quavis cauſa, & inſtantia judicari, & definiri debere; nec non irritum decrevimus, & inane, ſi ſecùs ſuper his per quoſcunque quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis tam Sixti, & S. Pii V. quàm aliorum quorumcumque Prædeceſſorum noſtrorum litteris Apoſtolicis, privilegiis, indultis, & facultatibus, quibuſvis perſonis, & imperiali, Regia, Ducali, aut alia quavis dignitate, & auctoritate fulgentibus, aut Rebus publicis, Dominiis, Regnis, Provinciis, Civitatibus, Terris, & locis, eorumve Curiis, Parlamentis, Senatibus, Conſiliis, Communitatibus, Univerſitatibus, Collegiis, aut præſidentibus, Proregibus, Gubernatoribus, Locatenentibus, Vicariis, poteſtatibus, aliiſque Magiſtratibus, Officialibus, Miniſtris, aut conſiliariis, & prædictis, vel aliis etiam gravioribus, & urgentioribus cauſis, tam illorum intuitu, & contemplatione, ſive ad eorum preces, & inſtantiam, quàm etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac per modum ſtatuti, ac legis perpetuæ, etiam in vim contractus, & Fratrum noſtrorum Conſilio, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, & cum quibuſvis præſervativis, reſtitutivis, mentis atteſtativis, derogatoriarum derogatoriis; aliiſque validiſſimis, & efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus, & aliis decretis, etiamſi inibi caveatur expreſsè, quòd illis, niſi ſub certis modis, & formis, & niſi de expreſſo eorum conſenſu, ad quorum favorem conceſſæ fuerint, derogari poſſit, & aliter factæ derogationes nullius ſint roboris, vel momenti, & aliàs quomodolibet conceſſis, etiam ſæpius approbatis, & innovatis. Quæ omnia, & ſingula, ac illorum tenores pro expreſſis habentes, quatenus præmiſſis in aliquo adverſentur, aut plures, quàm ſuperiùs expreſſos caſus contineant, auctoritate, & tenore præmiſſis omninò, ac perpetuò tollimus, & abrogamus, ac ad terminos præſentis conſtitutionis, quod ad ſuperiùs deſcripta dumtaxat reduximus, & nolumus cuiquam de cætero ſuffragari, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali, per quæ præſentibus non expreſſa, vel ad verbum non inſerta, effectus earum quomodolibet valeat impediri. Ut autem præſentes litteræ ad omnium notitiam faciliùs deducantur &c. Datum Romæ in monte Quirinali, Anno Incarnationis Domini 1591. Nono Calendas Junii, Pontificatus noſtri anno primo.

*Hac Bulla habetur in Bullario Cherubini to.2. pag. 707. eſtque inter Conſtitutiones Gregorii XIV. in Ordine Septima.*

## I N D U L G E N T I A

*Indulgentiarum quoquo modo Regularibus, & Ordinibus Regularibus conceſſarum revocatio. Et alia indulgentiarum nova conceſſio.*

## P A U L U S P A P A V.

*Ad perpetuam rei Memoriam.*

ROmanus Pontifex in Beati Petri Sede Conſtitutus, cui inter alia cœleſtis indulgentiarum theſauri diſpenſandi cura incumbit, ſolicitè proſpicere debet, ac ſolerter, ut hujuſmodi indulgentiarum diſpenſatio, & uſus ad DEI Gloriam, & animarum ſalutem præcipuè dirigatur, & nè ex illarum multiplicitate confuſio, aut inanis interpretatio exoriatur.

§. 1. Proinde cùm felic. recor. Clemens Papa VIII. Prædeceſſor noſter magna cum diligentia, & ſollicitudine procuraverit abuſus, & corruptelas, tum in communicando indulgentiarum theſauros, tum in medio illos recipiendi irreptos tollere, & propterea ſua quadam conſtitutione formam aggregandi, inſtituendi, & rectè adminiſtrandi Societates, & Confraternitates præſcripſerit, licèt morte præventus hanc piam ejus voluntatem ad finalem executionem deducere, neque etiam, ut cogitaverat, circà indulgentias à pleriſque Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus, Religionibus, & ordinibus monaſticis, & mendicantibus diverſis temporibus conceſſas aliquid deliberare potuerit.

§. 2. Nos qui nullis noſtris meritis, ſed ſola Dei benignitate, ad ſummi Apoſtolatus officium vocati ſumus ſuſceptum à tanto Pontifice pium hoc opus ad optimum finem perducere cupientes, ubi primùm Catholicæ Eccleſiæ Regimen ſuſcepimus, Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus ad hoc opus à dicto Clemente prædeceſſore deputatis, de quorum numero tempore ipſius Clementis Prædeceſſoris eramus, injunximus, ut in illo opere ad ulteriora progrederentur, & indulgentias Regularibus conceſſas recognoſcerent, iiſque recognitis rem nobiſcum communicarent.

§. 3. Cùm itaque præfati Cardinales privilegia, conceſſiones, & gratias prædictis Religionibus, & ordinibus conceſſas diligenter inſpexerint, & examinaverint, ac eorumdem ordinum ſuperiores, & officiales pluries audiverint, ac circa eaſdem indulgentias varia dubia, & incertitudines, & confuſiones adeſſe comperérint, & ex judicio eorundem etiam Regularium, & aliquorum ex illis nobis propoſuerint, valdè expedire pro eorum majori ſecuritate, & beneficio, ut indulgentias ipſis Religionibus, & ordinibus ad inſtar, vel per communicationem, aut alio modo hactenus conceſſas annullaremus, & revocaremus, ac alias particulares illis concederemus.

§. 4. Nos matura ſuper hoc conſultatione præhabita, cupientes perſonis Regularibus quibuſcumque quorumvis ordinum, tàm monaſticorum, quàm mendicantium ſpirituale ſolatium, & juvamen afferre, infraſcriptas indulgentias, & gratias, quas perſonis Regularibus intra clauſtra, aut extra, cum licentia tamen ſuorum ſuperiorum legitima de cauſa illis conceſſa degentibus, tantummodo ſuffragari debere declaramus, concedendas duximus.

§. 5. Omnibus igitur Chriſti fidelibus, qui canonicè, & juxta ordines cujuslibet Religionis, & Conſtitutiones Apoſtolicas habitum Regularem à legitimis ſuperioribus; cauſa profitendi in illo ſuſceperint, die primo eorum ingreſſus in ipſam Religionem, ſi verè pœnitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam.

§. 6. Ac cuilibet Novitio, qui pœnitens, & confeſſus, ac ſacra Communione refectus, poſt completum probationis annum profeſſionem emiſerit, etiam plenariam.

§. 7. Nec non cuilibet Religioſo intra clauſtra ſui Monaſterii viventi, qui in Feſto principali ſui Ordinis, Confeſſus, & ſacra Communione refectus fuerit, aut Miſſam recitans pro Chriſtianorum principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad DEUM preces effuderit, etiam plenariam.

§. 8. In cujuslibet verò mortis articulo ſi pariter verè pœnitens, & Confeſſus, ac ſacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, ſaltem contritus, Nomen JESU, ore, ſi potuerit, ſin autem corde devotè invocaverit, etiam plenariam.

§. 9. Qui verò ad Presbyteratus ordinem Canonicè promotus, & Confeſſus primam miſſam celebrabit, nec non etiam iis Religioſis, qui pariter Confeſſi, ac ſacra Communione refecti eidem Miſſæ interfuerint, aut ipſo die Miſſam ſimiliter celebrabunt, etiam plenariam.

§. 10. Iis verò qui de ſuorum ſuperiorum licentia à negotiis per decem dies alienis, in cella commorabuntur, aut ab aliorum converſatione ſeparati, in piorum librorum, & aliarum rerum ſpiritualium, animos ad devotionem, & ſpiritum inducentium lectionibus operam ſuam dederint, addendo ſæpè conſiderationes, & meditationes myſteriorum fidei Catholicæ, Divinorum beneficiorum, quatuor noviſſimorum, Paſſionis Domini Noſtri JESU Chriſti, & aliorum exercitiorum, orationum jaculatoriarum, aut vocalium, ſaltem per duas horas in die, & nocte orationibus mentalibus ſeſe exercendo, faciendo eodem tempore Confeſſionem generalem, aut annualem, vel ordinariam ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, aut Miſſam celebraverint, toties pro quolibet prædictorum exercitiorum plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus.

§. 11. Prætereà iidem Religioſi intra clauſtra viventes, qui ſuam Eccleſiam devotè viſitaverint, & ut præfertur, oraverint, conſequantur eaſdem indulgentias, quas viſitantes Eccleſias Urbis, & extra eam diebus ſtationum conſequuntur, in omnibus diebus, perinde ac ſi ipſas Urbis Eccleſias perſonaliter viſitarent.

§. 12. Omnibus item Religioſis intra clauſtra ut ſuprà viventibus, qui quinquies orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam ante Altare eorum Eccleſiæ in quolibet die oraverint, quinque annos, & totidem quadragenas.


Digitized by Google

§. 13. Iis verò qui de ſuorum ſuperiorum licentia in itinere exiſtentes, aut extra clauſtra degentes tamquam Prædicatores, & Lectores, quinquies eandem orationem Dominicam, & toties ſalutationem angelicam ante quodlibet altare ſimiliter dixerint, etiam quinque annos, & totidem quadragenas.

§. 14. Nec non etiam eiſdem Religioſis, qui per menſem integrum ſingulis diebus ſpatio mediæ horæ orationem mentalem fecerint, ac Confeſſi, & ſacra Communione ultima Dominica menſis hujuſmodi refecti fuerint, ſexaginta annos, & totidem quadragenas.

§. 15. Qui verò contrito corde, & pœnitentes eorum culpas, & peccata, ac imperfectiones in capitulis culparum accuſabunt, & ſpiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facient, tres annos, & totidem quadragenas.

§. 16. Quotieſcunque autem de licentia ſummi Pontificis, aut ſuorum ſuperiorum in ditiones, & terras infidelium, aut hæreticorum ad concionandum, aut Catholicos docendum, vel infideles, & hæreticos ipſos ad fidem Catholicam convertendum, & Eccleſiæ gremio reducendum miſſi fuerint, ſi pœnitentes, & confeſſi, ac ſanctiſſima communione refecti fuerint, vel Miſſam celebraverint, ut meliùs ad hujuſmodi opus ſe ſe parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet quando itineri ſe accingent, & quando in provinciam, ubi prædicta opera eis exercenda erunt, ingreſſi fuerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino pariter concedimus, & elargimur.

§. 17. Et inſuper, cùm ſuperior in viſitationibus generalibus, orationes quadraginta horarum pro bono viſitationis progreſſu collocare voluerit, iis Religioſis, qui dictis orationibus ſaltem ſpatio duarum horarum in diverſo tempore interfuerint, & ibi pro Chriſtianorum principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, nec non diſciplinæ, & obſervantiæ regularis augmento pias ad DEUM preces, ut ſupra dictum eſt, effuderint, ſi Confeſſi, & ſacra communione refecti fuerint, aut Miſſam celebraverint, plenariam ſimiliter omnium peccatorum indulgentiam, & remiſſionem, ut præfertur, concedimus.

§. 18. Volumus autem ut omnes ſupradictæ indulgentiæ, & gratiæ Religioſis Regularibus cujuſvis ordinis tam monaſtici, quàm mendicantis, dumtaxat, ut præfertur conceſſæ, etiam omnibus monialibus cujuſvis regulæ approbatæ, & intra clauſtra cum tribus votis ſolemnibus viventibus, & perpetuam clauſuram ſervantibus, tam ordinariis locorum, quàm etiam regularibus cujuſcunque ordinis, Regulæ, & inſtituti ſubjectis ſuffragentur. Præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

§. 19. Cæterùm omnes, & ſingulas indulgentias quibuſcunque ordinibus, & inſtitutis regularibus hujuſmodi, etiam mendicantibus, & quibuslibet perſonis regularibus, tam vigore privilegiorum, & litterarum Apoſtolicarum, quàm vivæ vocis oraculo, aut aliàs quovis modo, per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Apoſtolicam Sedem hactenus conceſſas confirmatas, approbatas, & innovatas, auctoritate, & tenore prædictis perpetuò revocamus, caſſamus, annullamus, & abrogamus, & ad præſentium noſtrarum litterarum præſcriptum reducimus, & moderamur.

§. 20. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac eorundem ordinum, & inſtitutorum regularium, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam Mare magnum, & Bulla Aurea nuncupatis, eiſdem ordinibus, & inſtitutis eorumque Monaſteriis, Conventibus, Collegiis, Domibus, Superioribus, & Perſonis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

§. 21. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides habeatur ubique, quæ præſentibus ipſis originalibus litteris haberetur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris. *Die* 23. Maji. 1606. Pontificatus Noſtri Anno 2.

*Hæc Bulla habetur in Bullario Cherubini tom. 3. pag. 201.*

*Indulgentia Archi-Confraternitatis Chordigerorum S. P. N. Franciſci Seraphici.*

PAULUS PAPA V.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

NUper Archi-Confraternitati chordigerorum in Eccleſia Domus Fratrum S. Franciſci Aſſiſienſis. Ordinis Minorum Conventualium Canonicè erectæ, & illius Confratribus certas indulgentias, & gratias ſpirituales conceſſimus per noſtras in forma brevis litteras hujus tenoris, videlicet. Cùm certas unicuique Confraternitati indulgentias, & gratias ſpirituales, quibus impoſterum fruantur, duxerimus præſcribendas, idcircoomnes, & ſingulas indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes Archi-Confraternitati Chordigerorum in Eccleſia Domus Fratrum S. Franciſci Aſſiſien. Ordinis Minorum Conventualium Canonicè erectæ, & illius fratribus, hactenus per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros conceſſas revocantes, & annullantes, nullius roboris, & momenti poſt hæc data præſentium fore declarantes, de Omnipotentis DEI miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi.

I. Omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui in memoriam ejuſdem Sancti Franciſci Cordam benedictam, ab ejuſdem ordinis ſuperioribus ſuſcipientes, prædictam Archi-Confraternitatem de cætero ingredientur, die prima eorum ingreſſus, ſi verè pœnitentes, & Confeſſi, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam.

II. Ac tam ipſis pro tempore deſcribendis, quàm jam deſcriptis in dicta Archi-Confraternitate Confratribus, & Conſororibus, etiam verè Pœnitentibus, & Confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui prædictæ Confraternitatis Eccleſiam, ſeu Oratorium, in feſto principali ejuſdem Archi-Confraternitatis, à primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis ejuſdem feſti ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro principum Chriſtianorum concordia, hæreſum extirpatione, & ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad DEUM preces effuderint, etiam plenariam.

III. In mortis quoque articulo ejuſdem confratribus, & conſororibus, qui pœnitentes, & confeſſi, ac ſacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, ſaltem verè pœnitentes Nomen JESU, ore, ſi potuerint, ſin autem, corde devotè invocaverint; ſimiliter omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus.

IV. Necnon ipſis Confratribus, & conſororibus qui prædictæ Archi-Confraternitatis proceſſioni ſingulis menſibus fieri ſolitæ interfuerint, tres annos, & totidem quadragenas, & ſi fuerint confeſſi, ac ſacra communione refecti, ibique pias ad DEUM preces effuderint, etiam plenariam.

V. Qui verò officio Beatæ MARIÆ Virginis ab ejuſdem Archi-Confraternitatis Confratribus pro tempore celebrando, & recitando, aut cuivis alteri officio pariter interfuerint, centum dies.

VI. Inſuper eiſdem, qui ſanctiſſimum Sacramentum, quando ad infirmos defertur, comitati fuerint, quinque annos, & totidem quadragenas.

VII. Qui verò pœnitentes, & confeſſi, ac ſacra communione refecti aliquam ex Eccleſiis dicti Ordinis Minorum Conventualium, S. Franciſci, S. Antonii de Padua, S. Bonaventuræ, S. Ludovici Epiſcopi, S. Bernardini, S. Claræ, ac S. Didaci feſtivitatibus, ſingulis annis viſitaverint, & oraverint, ut præfertur, quo die feſtivitatum hujuſmodi id egerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas.

VIII. Quoties verò Corpora defunctorum tam Confratrum, quàm aliorum ad ſepulturam comitati fuerint, aut alicui pauperi perſonæ in ejus neceſſitatibus ſubvenerint; aut pacem inter inimicos compoſuerint, toties pro quolibet prædictorum operum, centum de injunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis, in forma Eccleſiæ conſueta, relaxamus.

IX. Inſuper eiſdem Confratribus, & conſororibus, ut ſupradictas indulgentias, & gratias ſpirituales conſequi, & illas animabus defunctorum, per modum ſuffragii applicare poſſint per præſentes concedimus, & indulgemus.

Ac præterea dilecto Filio moderno, & pro tempore exiſtenti prædicti Ordinis Minorum Conventualium Miniſtro Generali, ut Confraternitates Laicorum utriuſque ſexus, ſub dicta invocatione chordigerorum S. Franciſci, in qualibet Eccleſia Domorum Fratrum Ordinis ſui Minorum Conventualium S. Franciſci erigere, & inſtituere,

ſer-

ſervata tamen forma præſcripta in conſtitut. fel. rec. Sixti Papæ V. ſub Dat. XIII. Kalend. Decembris, Pontificatus ſui anno primo, & Clementis VIII. Prædeceſſorum noſtrorum ſuper hoc edita, poſſit, & valeat facultatem impertimur.

Quæ quidem Confraternitates ſi, & poſtquam erectæ, & inſtitutæ fuerint eidem Archi-Confraternitati Sancti Franciſci Aſſiſienſis, juxta prædictam Sixti V. Conſtitutionem, ſint, & eſſe intelligantur aggregatæ. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque, præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo piſcatoris, die 15. Martii 1607. Pontificatus noſtri anno II.

Cùm autem ex conceſſione fel. rec. Sixti Papæ V. Prædeceſſoris noſtri dilectis Filiis Miniſtro Generali, & Commiſſario Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de obſervantia in Eccleſiis eorum ordinis, in locis videlicet, in quibus Eccleſiæ, vel conventus Fratrum Conventualium non exiſterent, hujuſmodi Confraternitatem chordigerorum erigendi, & inſtituendi facultas impartita fuerit; nos eiſdem Miniſtro Generali, & Commiſſario Generali ſpecialem gratiam facere, & Chriſti fidelium ſpirituali conſolationi proſpicere volentes, de omnipotentis DEI miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, eiſdem Miniſtro Generali, & Commiſſario Generali, & eorum cuilibet, ut in Eccleſiis eorum Ordinis tantùm ac in locis, in quibus non exiſtent conventus, vel Eccleſiæ Ordinis Minorum Conventualium S. Franciſci, Confraternitates chordigerorum S. Franciſci, utriuſque ſexus erigere, & inſtituere, illiſque ſic erectis, & inſtitutis, indulgentias, & gratias ſpirituales ſupradictas communicare liberè, & licitè poſſint, & valeant, ſervata tamen forma in prædictis conſtitutionibus Sixti, & Clementis tradita, ut in præinſerto Brevi pro iiſdem Conventualibus expedito, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium facultatem, & auctoritatem perpetuò duraturam concedimus, & impartimur. Non obſtantibus noſtra de non concedendis indulgentiis, ad inſtar, ac aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac utriuſque Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia, roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum, quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis, cæteriſque quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Marcum ſub annulo Piſcatoris, die XXV. Septembris 1607. Pontificatus noſtri anno tertio.

*Hæc Bulla habetur in Theatro Regularium R. P. Angeli à Lantuſca Verſ. confraternitas num. 3.*

Indulgentiæ Conceſſæ

*Pro feſtis Ordinis S. P. N. Franciſci Seraphici.*

## SIXTUS PAPA V.

*Univerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

CUm à primæva inſtitutione Regulæ B. Franciſci tam ob illius, & SS. Antonii de Padua, Ludovici Epiſcopi, & Confeſſoris, Bonaventuræ, & Bernardini, necnon Divæ Claræ, aliorumque ejuſdem Ordinis ſequacium Sanctitatem, & Miraculorum multitudinem, quàm etiam ob multorum ipſius Religionis Summorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum merita: ingens ubique Chriſti fidelium multitudo ſingularem erga quemcumque dictorum Sanctorum gerat devotionis affectum. Nos ut ipſorum fidelium devotionis affectus hujuſmodi non modò conſervetur, ſed in dies magis augeatur, animarumque ſaluti uberiùs conſulatur, precibus etiam dilecti filii Clementis Bontadoſii Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Miniſtri Generalis ſuper hoc nobis humiliter porrectis inclinati, tam omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Minorum Conventualium, Capuccinorum, & de obſervantia nuncupatorum Fratribus, & Monialibus, quàm cæteris utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui verè pœnitentes, & confeſſi, ac ſacra communione refecti, diebus feſtis Sanctorum Franciſci, Antonii de Padua, Bonaventuræ, Ludovici Epiſcopi, & Confeſſoris, ac Bernardini, prædictorum eorundem Fratrum Minorum Conventualium Cappucinorum, & de obſervantia; nec non die feſtivitatis S. Claræ, Monialium dicti Ordinis Monaſteriorum ubilibet conſtitutorum Eccleſias tam erectas, quàm erigendas, vel earum aliquam, à primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis eorundem dierum, ſingulis annis devoti viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum principum concordia, hæreſum extirpatione, & Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad DEUM preces effuderint, quo die præfatorum id egerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur; Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Non obſtantibus, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Ut autem præſentes litteræ ad ipſorum Chriſti fidelium notitiam facilius cætiuſque perveniant, volumus quod earum exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Marcum, ſub Annulo Piſcatoris, die 28. Septembris 1585. Pontificatus noſtri Anno primo.

Joann. Baptiſta Canobius.

*Hæc Bulla habetur in Theatro Regularium R. P. Angeli à Lantuſca, Verſ. indulgentia num. 5.*

## INDULGENTIA

*Conceſſa pro Feſto Portiunculæ extrà Aſſiſium.*

## GREGORIUS PAPA XV.

*Ad futuram rei memoriam.*

SPlendor paternæ gloriæ, qui ſua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota Fidelium de elementi ejus Majeſtate ſperantium, tunc præcipuè benigno favore proſequitur, cùm devota ipſorum humilitas Sanctorum precibus, & meritis adjuvatur. Volentes igitur omnes, & ſingulas Eccleſias Ordinis Fratrum Sancti Franciſci de obſervantia, etiam Reformatorum, ubique exiſtentes aliquo ſpirituali munere illuſtrare, de omnipotentis DEI miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & Confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui aliquam ex dictis Eccleſiis in ſecunda die menſis Augusti, à primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi, ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum principum concordia, hæreſum extirpatione, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad DEUM preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod præſentium transſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo alicujus Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 4. Julii 1622. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

S. Card. S. Suſannæ.

*Hæc Bulla habetur in Theatro Regularium P. Angeli à Lantuſca Verbo; indulgentia num. 5.*

Indulgentia Portiunc. Aſſiſiatenſis

*Non ſuſpenditur in Anno Jubilæi.*

## INNOCENTIUS PAPA XII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

CUm ob ſacri Jubilæi celebrationem à Vigilia Nativitatis Domini noſtri JESU Chriſti proximè venturi anni inchoandam, & uſque ad finem ejuſdem anni duraturam, omnes, & ſingulas indulgentias, & peccatorum remiſſiones, quibusvis Eccleſiis, Monaſteriis, hoſpitalibus, & aliis locis piis, ſæcularibus, & quorumvis ordinum, etiam mendicantium Regularibus, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clauſulis, & decretis, quomodolibet conceſſas, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſuſpenderimus, ac ſuſpenſas eſſe declaraverimus, eaſque eodem anno durante, nulli prodeſſe, aut ſuffragari debere decreverimus, prout in noſtris ſub plumbo de ſuper expeditis litteris, quarum tenorem præſentibus pro expreſ-

fis

ſis habere volumus, pleniùs continetur. Nos cupientes, ut Eccleſia Sanctæ MARIÆ Angelorum Domus Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de obſervantia, prope, & extra muros civitatis Aſſiſienſis congruis frequentetur honoribus, ad eamque Chriſti fideles lubentiùs accedant, quò exinde ſpiritualibus gratiis ſe uberiùs refectos conſpexerint, tenore præſentium declaramus, mentis, & intentionis noſtræ minimè fuiſſe, nec eſſe, ſub præfata indulgentiarum ſuſpenſione, indulgentiam utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, prædictam Eccleſiam die ſecunda menſis Auguſti à primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi viſitantibus, requiſita, pro eadem indulgentia conſequenda, peragentibus, conceſſam, comprehendere, prout minimè comprehendimus, nec comprehenſam eſſe, in verbo Romani Pontificis atteſtamur: In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem, ſub Annulo Piſcatoris. Die 21. Auguſti 1699.

*Hæc Bulla habetur in officiali curia Eccleſiaſtica P. Auguſtini Matthaucci cap. 26. num. 6.*

Indulgentia Portiunculæ

*Poteſt applicari pro defunctis*

INNOCENTIUS PAPA XI.

ALiàs fel. Record. Greg. Papa XV. Prædeceſſor noſter omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci de obſervantia, etiam Reformatorum nuncupatorum, ubique exiſtentium, die ſecunda menſis Auguſti à primis veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi, annis ſingulis, devotè viſitaſſent, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad DEUM preces effudiſſent, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem, miſericorditer in Domino conceſſit, & alias, prout in ipſius Gregorii Prædeceſſoris litteris deſuper in ſimili forma Brevis die 4. Julii 1622. expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, uberiùs continetur. Cùm autem dilectus filius modernus Procurator Generalis dicti Ordinis, ut nobis nuper exponi fecit; indulgentiam plenariam, & Peccatorum remiſſionem, per dictum Gregorium prædeceſſorem, ut præfertur, conceſſam, etiam animabus Chriſti fidelium defunctorum per modum ſuffragii applicari poſſe ſummoperè deſideret. Nos piis ejuſdem Procuratoris Generalis hac in re, quantum cum Domino poſſumus favorabiliter annuere volentes auctoritate nobis à Domino tradita, ac de omnipotentis DEI miſericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, indulgentiam plenariam, & peccatorum remiſſionem Chriſti fidelibus præfatis, ſupradictas Eccleſias Fratrum Ordinis S. Franciſci de obſervantia, & Reformatorum dictas, die ſecunda menſis Auguſti, ut ſuprà viſitantibus, & præmiſſa peragentibus, conceſſam, etiam Chriſti fidelium animabus, quæ DEO in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint per modum ſuffragii applicari poſſe, etiam perpetuò concedimus, & indulgemus, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Volumus &c. Datum Romæ apud S. MARIAM Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 12. Januarii 1687.

*Hæc Bulla habetur in Officiali curia Eccleſiaſtica P. Auguſtini Matthaucci cap. 26. num. 7.*

Indulgentia Portiunculæ

*Poteſt obtineri toties, quoties ſecunda die Auguſti, ſi viſitatur Eccleſia Franciſcanorum.*

QUia in Decreto ſub Innocentio X. de Apocryphis indulgentiis S. B. indulgentiarum declaraverat: *ſemel autem dumtaxat in die, indulgentiam in certos dies Eccleſiam viſitantibus conceſſam, vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri &c.* Dubitabatur; an indulgentiam præfatam lucrarentur fideles toties, quoties Eccleſiam viſitarent? pro declaratione dubii fuerunt preces S. R. C. exhibitæ, ut infrà.

Epiſcopus Labacenſis à parte Imperii Orator devotus Eminentiis veſtris humiliter exponit quòd non obſtante Decreto Innocentii XI. de Apochryphis indulgentiis ſub die 7. Martii 1678. quo declaravit, ſemel dumtaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies Eccleſiam viſitantibus conceſſam lucrifieri, pergunt Fratres Ordinis S. Franciſci Reformatorum Provinciæ Carnioliæ populo perſuadere, indulgentiam pro die ſecunda Auguſti de Portiuncula nuncupatam, eorum Eccleſiam viſitantibus conceſſam, toties quoties eadem die lucrifieri poſſe.

Cùm autem hujuſmodi abuſus ad Summum Pontificem ab Ordinariis deferri jubeat Sac. Congregatio Conc. Trident. ſeſſ. 25. de reform. c. 21. in Decreto de indulgentiis.

Ideircò Orator quærit, & declarari petit: an præfata indulgentia, de Portiuncula nuncupata etiam comprehendatur ſub decreto, & declaratione ſan. mem. Innocentii XI. ſupradicta pro qua gratia &c.

Die 17. Julii 1700. ſacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, audita relatione procuratoris Generalis, & Miniſtri Provincialis cenſuit, *ſervandum eſſe ſolitum.*

*Hoc Decretum habetur in officiali Curia Eccleſiaſtica P. Auguſtini Matthaucci cap. 26. num. 5.*

INDULGENTIA

*Conceſſa pro Feſtis SS. Joannis à Capiſtrano, & Paſchalis Baylon ex Ordine noſtro Seraphico.*

ALEXANDER PAPA VIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

REdemptoris, & Domini noſtri JESU Chriſti, qui glorioſos ſalubettimorum, quos nobis reliquit, exemplorum ſectatores altis decoravit honoribus, & cœleſtis beatitudinis conſortes effecit, vices, licèt immeriti gerentes in terris, ſpiritualium munerum theſauros, quorum nobis credita eſt diſpenſatio, libenter erogamus, ſicut ad excitandam, & ſovendam, erga eoſdem Beatos cœli incolas fidelium devotionem ſalubriter expedire in Domino arbitramur. Cùm itaque nos nuper ad honorem ſanctiſſimæ, & individuæ Trinitatis, ad exaltationem Catholicæ fidei, & Chriſtianæ Religionis incrementum, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, ac Patriarcharum Archi-Epiſcoporum, & Epiſcoporum, in alma Urbe noſtra, tunc exiſtentium conſilio B. Joannem à Capiſtrano Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci, de obſervantia nuncupatorum, & B. Paſchalem Baylon diſcalceatorum nuncupatorum dicti Ordinis Profeſſores, auctoritate Nobis à Domino tradita ſanctos eſſe decreverimus, & definiverimus, illoſque Sanctorum catalago ſolemni ritu adſcripſerimus; Hinc eſt, quòd Nos ad augendam fidelium Religionem, & animarum ſalutem cœleſtibus Eccleſiæ theſauris pia charitate intenti, ac de omnipotentis DEI miſericordia, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate, confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis Fratrum Minorum de obſervantia, ac Reformatorum nuncupatorum, nec non monialium dicti Ordinis, tam hactenus erectis, quàm impoſterùm, quandocunque erigendis, & ubicunque locorum exiſtentibus, diebus feſtis eorundem ſanctorum Joannis à Capiſtrano, & Paſchalis Baylon, nempe, Sancti Joannis quidem die XXIII. Octobris, Paſchalis verò die XVII. Maji, à primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis feſtorum, hujuſmodi, annis ſingulis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum principum concordia, hæreſum extirpatione, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad DEUM preces effuderint, quo die præfatorum id egerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus &c. Datum Romæ apud S. MARIAM Majorem, ſub annulo Piſcatoris die VII. Decembris M. D.C.XC. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

*Hæc Bulla habetur in Officiali Curia Regularis R. P. Auguſtini Matthaucci cap. 19. num. 20.*

INDULGENTIÆ

*Conceſſæ obeuntibus Viam Crucis, ſeu montem Calvariæ à Franciſcanis erectum.*

B*Ulla Innocentii fel. rec. Papæ XII. Executionem litterarum Apoſtolicarum, & privilegia Ordinis Fratrum Minorum*

*norum S. Franciſci Strictioris obſervantiæ, Recollectorum, & Reformatorum, in ſpecie Indulgentias Viæ Crucis, & Montis Calvarii concernens, Anno 1695. 17. Calendas Januarii edita, & ad Archi-Epiſcopum Valentinum, actualem Inquiſitorem Generalem, & Nuntium Hiſpaniarum directa.*

## INNOCENTIUS EPISCOPUS &c.

*Salutem &c.*

SUa nobis dilectus filius Frater Franciſcus Diaz à ſancto Bonaventura Sacrarum Congregationum Indicis, Rituum, & ſuper diſciplina ſeu reformatione Regularium Conſultor, ac Miſſionariorum diverſarum provinciarum Ordin. FF. Min. S. Franciſci Familiæ Ultramontanæ Procurator petitione monſtravit, quod aliàs ad ipſius inſtantiam à felic. record. Innocentio Papa XI. Prædeceſſore noſtro litteræ in forma brevis ſub die 5. Septembris, de Anno Domini 5686. emanarunt, in quibus confirmata reperitur communicatio privilegiorum, & indulgentiarum, etiam plenariarum, uſque tunc non revocatarum, inter Eccleſias, loca, Cõfraternitates, Congregationes, Ordines, & Perſonas utriuſque ſexus obedientiæ, vel directioni Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Min. S. Franciſci ſubjectas, à pluribus Romanis Pontificibus, ipſius Innocentii, & noſtris etiam Prædeceſſoribus, eiſdem per diverſa privilegia conceſſa, à qua communicatione, prout iteratis vicibus, à Sede Apoſtolica extitit declaratum, reſultare dignoſcitur, quòd, quando decoratum reperitur Altare unius loci, vel una Eccleſia, aut una Confraternitas, ſeu quævis Congregatio Ordove aliquarum è dictis perſonis aliqua indulgentia ſive plenaria, ſive non, applicabili per modum ſuffragii, vel non applicabili pro animabus purgatorii, ad ſavorem earumdem tantùm perſonarum, vel omnium ſimul Chriſti fidelium conceſſa, minimè tamen revocata, qui in eo loco, altari, vel Eccleſia Confraternitatum, in diebus in conceſſione expreſſis perſeverint, quod per eamdem conceſſionem fuerit præſcriptum, in omni loco, Altari, vel Eccleſia Confraternitatum, Congregationum, Ordinum, & Perſonarum præfatarum eadem indulgentia ab omnibus reſpectivè acquiratur, qui iiſdem diebus, eaſdem ibi emiſerint diligentias in conceſſione taxatas. Verùm ſicut eadem petitio ſubjungebat prætendentibus nonnullis ſcrupuloſis, quòd in præfata communicatione Generali comprehenſa non veniant loca, & Eccleſiæ terræ ſanctæ, aliarumque partium Orientis, exiſtentium extra Jeruſalem, ad tollenda de medio quæcumque dubia fuit nobis pro parte præfati Ordinis humiliter ſupplicatum, quatenus non eſſent excluſa præmemorata loca, & Eccleſiæ terræ ſanctæ, & multo minùs aliarum partium Orientis à communicatione mutua, & reciproca, quæ includitur in ea generalitate ampliſſima, ſub qua loquuntur privilegia, & conſtitutiones Pontificiæ præfatæ, ad hoc, ut indulgentiæ ſæpe dictæ eiſdem conceſſæ, & uſque modo non revocatæ, obtineri valeant ſine ullo dubio in aliis Eccleſiis, Altaribus, & locis piis, ac devotis ſpectantibus ad Perſonas præmemoratæ obedientiæ, vel directioni ſubjectas, ſtante quòd ſanctæ Sedis mens fuit ſemper hæc omnia loca reddere æqualiter condecorata, & à fidelibus venerata, ob meritum æquale, uniforme, vel æquivalens, quod jam dictæ Perſonæ in Dei, & ſanctæ Eccleſiæ ſervitio peragunt, de continuo, declarare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos verò præfatam declarationem commiſimus Congregationi dilectorum Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, quæ ſub die 16. Menſis Julii, currentis anni, perpenſis prædictis litteris dicti Innocentii XI. Prædeceſſoris noſtri declaravit, prædicta loca, & Eccleſias terræ ſanctæ, aliarumque partium Orientis extra Jeruſalem eſſe comprehenſa, ſive comprehenſas in dictis privilegiis, indultis, & indulgentiis, & deinde ſub die 27. ejuſdem menſis ſententiam prædictæ Congregationis approbavimus, ut in Decreto dictæ Congregationis deſuper edito latiùs continetur.

Sed quia adhuc poſt prædictum Decretum dubitabant nonnulli, an mens dictæ Congregationis fuerit, ſtabilire, quod pia loca viæ Crucis, ſeu Calvariæ, ad recolendam ſeu meditandam Chriſti Paſſionem à præmemoratis Perſonis, ſeu Ordinibus ad inſtar ſtationum Calvarii Montis juxta diverſa etiam Privilegia Sanctæ Sedis erecta, comprehenſa ſint in præfata mutua communicatione, eadem Congregatio ſub die 52. menſis Nov. mox elapſi declaravit, etiam præfata pia loca comprehendi in ſæpe dictis litteris Innocentii XI. Prædeceſſoris noſtri, ac proinde frui, & gaudere poſſe indulgentiis, & Privilegiis, in eiſdem litteris contentis, & expreſſis, ac nos ſententiam præmemoratæ Congregationis ſub die 15. ejuſdem menſis Novembris pariter benignè approbavimus, ſicuti in Decreto præfatæ Congregationis deſuper ſimiliter emanato pleniùs continetur. Cùm autem, ſicut dicta petitio etiam ſubjungebat, idem exponens pro majori tam præfatorum Miſſionariorum, quàm cæterarum Perſonarum præmemoratarum quiete, cupiat, ut litteræ præfatæ, ac declarationes, & Decreta à memorata Congregatione cum noſtra approbatione deſuper emanata ſuum ubique ſortiantur effectum, non obſtante forſan ſiniſtra interpretatione, ſeu contradictione nonnullorum Religioſorum aliorum Ordinum mendicantium in illis partibus commorantium adverſariorum, quod facere nequit abſque ſpeciali noſtro reſcripto, ideò, ne litteræ, & declarationes, ac Decreta hujuſmodi ſuo debito careant effectu, nobis humiliter ſupplicari fecit exponens prædictus, ut ei in præmiſſis opportunè providere de ſimili benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ſtatum, & merita cauſæ, & cauſarum hujuſmodi præſentibus pro expreſſis habentes, ipſumque exponentem, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis à jure, vel ab homine, quavis occaſione latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium tantùm conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni veſtræ, attento, ſicut dictus exponens aſſerit, quòd agitur inter exemptos, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, vocatis dictis adverſariis, & aliis, qui fuerint evocandi, ad executionem memoratarum litterarum, ac declarationum, nec non Decretorum hujuſmodi, juxta illorum formam, & tenorem, prout de jure, & dummodò judicium, ſuper præmiſſis alibi cœptum non ſit auctoritate noſtra procedatis, procedique mandetis, & faciatis. Nos enim vobis, & cuilibet veſtrùm, etiam per edictum publicum, conſtito de non tuto acceſſu, quos, quibus, quoties, ubi, quando opus fierit, citandi illiſque, & quibus videbitur, ſub ſententiis, cenſuris, & pœnis inhibendi, contradictores in illas inci diſſe, ſervata forma Concilii Tridentini, declarandi, aggravandi, reagravandi, & interdicendi, auxiliumque brachii ſecularis ad hoc ſi opus fuerit, invocandi, nec non alia in præmiſſis neceſſaria, & opportuna faciendi, exercendi, & exequendi plenam, & liberam, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus facultatem. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctam MARIAM Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ 5695. decimo ſeptimo Calendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno quinto.

*Hæc Bulla videri poteſt in Breviario noſtro Franciſcano, in Rubricis Particularibus, nu. 582. & ſeqq.*

### Indulgentiæ terræ Sanctæ.

*Clemens Papa X. Confirmat Indulgentias, & gratias omnes terræ ſanctæ locis hucuſque conceſſas, & non revocatas.*

## CLEMENS PAPA X.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

PIis Chriſti fidelium votis, ex quibus ſacrorum locorum venerationem, & animarum ſalutem provenire conſpicimus, libenter annuimus, & illa, quantum nobis ex alto conceditur, favoribus Apoſtolicis confovemus. Cùm itaque ſicut dilectus filius Jacobus à JESU MARIA Frater expreſsè profeſſus provinciæ Valentin. Ordinis Minorum Sancti Franciſci de obſervantia nuncupatorum, ac Commiſſarius, & Procurator Generalis in Romana Curia totius Familiæ terræ ſanctæ, Nobis nuper exponi fecit, ipſe ad ejuſdem terræ ſanctæ ſubſidium, eorumdemque Fratrum inibi vineam Domini aſſiduè excolentium ſacraque loca venerantium ſubventionem, nec non ad ſpiritualem Catholicorum in illis partibus degentium, eoque devotionis cauſa peregrinantium conſolationem, & profectum omnia, & ſingula, gratias, Privilegia, Indulgentias hucuſque ſacræ ejuſdem terræ ſanctæ locis Apoſtolica auctoritate conceſſa, & confirmata per nos eadem auctoritate confirmarj, & approbari plurimùm deſideret. Nos deſiderio hujuſmodi annuere, ipſumque Jacobum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccle-

30. Anniverſaria, & miſſæ de requiem, quæ certo die dici debent, eo impedito transferri poſſunt in ſequentem. 19. Maji 1614.

31. In Feſto duplici non ſunt dicendæ miſſæ votivæ privatæ, aut de requiem. 5. Aug. 1662. quod intelligendum eſt etiam de Feſto duplici translato.

32. Non ſunt transferendæ miſſæ privatæ de requiem, quę ex benefactorum præſcripto celebrandæ incidunt in Feſtum duplex, ſed dicendæ ſunt de Feſto currente, cum applicatione ſacrificii juſta mentem benefactorum. 5. Auguſti 1662.

33. Anniverſaria, & miſſæ de requiem, quæ ex diſpoſitione teſtatorum, cum cantu ſunt quotannis celebrandæ, poſſunt cantari, etiamſi ipſorum obitus dies inciderit in Feſtum duplex majus. 22. Nov. 1664.

34. Miſſæ de Feſto duplici celebratæ in Altari animabus perpetuò privilegiato, & in quo proinde quotidiè etiam in duplicibus celebrandæ eſſent miſſæ de requiem ex obligatione, ſuffragantur, ac ſi celebratæ fuiſſent pro defunctis juxta formam privilegiorum. 22. Jan. 1667.

35. Sacerdotes ſive Cappellani ſint, ſive non, qui recitant officium ſemiduplex, vel feriale, ſi celebrent in aliqua Eccleſia Regularium, in qua ſit de Feſto duplici, non debent dicere miſſam de requiem. 9. Junii 1668.

36. Decretum extenditur etiam ad Altaria non in perpetuum, ſed ad ſeptennium, ſeu aliud brevius, vel longius tempus, ac non omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus tantùm hebdomadę diebus privilegiata, ac proinde miſſæ de Feſto duplici, quæ ſive ex obligatione ſive ex ſola fidelium devotione celebrabuntur ſuffragantur, ac ſi celebratę fuiſſent pro defunctis. 23. Septemb. 1669.

37. Durante expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti non poteſt regulariter celebrari miſſa de Requiem, neque cantari pro adimplenda mente teſtatoris, ſive anniverſario ſatisfaciendo, licèt currat officium hujuſmodi miſſas admittens. 2. Decemb. 1684.

38. Cùm primùm habita fuerit notitia de obitu alicujus Perſonæ, cantari poterit miſſa de Requiem etiam in Feſta duplici, quod non ſit de præcepto; nam in hoc caſu prædicta miſſa erit differenda, 4. Maii 1586.

39. Hæc decreta, licèt comprehendant tantùm Feſta duplicia, intelligenda tamen ſunt etiam de Dominicis, de diebus infra octavas Epiphaniæ, Paſchatis, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti, de omnibus aliis diebus, quibus juxta rubricas non poſſunt celebrari miſſæ defunctorum. 3. Aprilis 1088.

40. In vigilia Epiphaniæ omninò prohibentur miſſæ votivæ privatæ, & de requiem 27. April. 1797.

41. Veſperæ defunctorum pro prima die menſis poſſunt dici poſt Veſperas Dominicę, vel Feſti 23. Maii. 1003.

42. Ubi eſt inveterata conſuetudo recitandi in choro pſalmos pœnitentiales in feriis quintis quadrageſimalibus, poſt completorium, & pſalmos graduales in feriis tertiis, ejuſdem temporis, eodem loco retineri poteſt. 2. Aug. 1603.

43. Non eſt relinquendum officium debitum pro officio devotionis. 29. Nov. 1603.

44. Miſſæ ad ſatisfaciendum Eleemoſynis alicui Eccleſiæ traditis non ſunt celebrandæ per exteros, ubi commodè poſſunt ſatisfieri per Sacerdotes ejuſdem Eccleſiæ. 28. Januar. 1606.

45. Gloria in Excelſis cum credo omittitur in votivis pro re gravi, ſi violacea adhibeantur paramenta. 19. Maij, 1607.

46. Res gravis pro licita votivæ ſolemnis decantatione cum Gloria, & Credo eſt ea, pro qua convenit totus clerus cum Epiſcopo, vel apud Regulares in eorum comitiis Generalibus, ſeu Provincialibus, cùm cantatur miſſa pro re eorumdem judicio gravi. 19. Maij. 1607.

47. Cereus Paſchalis regulariter accendendus eſt ad miſſas, & Veſperas ſolemnes in triduo Paſchatis, in Sabbato in albis, & in Dominicis uſque ad Aſcenſionem: in aliis ſervanda eſt locorum conſuetudo. 19 Maij 1607.

48. In Eccleſiis titularibus B. Mariæ Virginis facienda eſt in ſuffragiis commemoratio de eadem B. V. Maria, non obſtante, quòd in choro recitetur eiuſdem officium parvum 13. Junii 1684.

49. In Altari privati oratorii, cui conceditur celebratio miſſæ, non poteſt tamen celebrari in natali Domini, Epiphania, prima die Paſchatis, & prima Pentecoſtes, Annuntiatione, Aſſumptione B. V. Mariæ, in Feſto SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, nec in ſolemnitate omnium ſanctorum 17. Nov. 1607. quibus adde Sabbatum ſanctum.

50. Eccleſia Parochialis in Diœceſi venit ſub nomine matricis, antequàm idcircò neque regulares, neque Confraternitates poſſunt campanas pulſare in Sabbato ſancto. 9. Feb. 1608.

51. Omnes de Clero, etiam Canonici Euchariſtiam ſumant de manu celebrantis in feria quinta in Cœna Domini. 17. Sept. 1608.

52. Sacerdotes in die Cœnę Dominicæ Sanctiſſimum Chriſti Corpus ſumpturi, poſſunt deferre ſtolam, vel ante pectus ad formam Crucis, vel à collo pendentem. 30. Sept. 1679.

53. Occurrente Feſto Sancti Joſephi in feria quinta in Cœna Domini antiquus mos communis Cleri in miſſa ſolemni ejuſdem diei ſumma Religione hactenus retentus nullatenus omittatur, ob aliquarum celebrationem Miſſarum. 13. Sept. 1692.

54. Si Feſtum S. Joſephi venerit in feria quinta in Cœna Domini non ſolùm ſervandum erit præceptum vacandi ab operibus ſervilibus, ſed etiam præceptum audiendi miſſam, idcòque per ordinarios locorum accuratè providendum, ut eo dię aliquę miſſę privatę ante celebrationem ſolitę miſſę conventualis non deſint. 13. Septemb. 1692. Idem dicendum, ſi Feſtum Annuntiationis occurreric in prædicta Feria quinta.

55. In choro teneri non debent aliæ imagines quàm ſanctorum. 7. Auguſti 1609.

56. Inferiores Epiſcopo non debent ſumere de Altari Paramenta promiſſa. 7. Julii 1612.

57. Altare portatile ligneum cum ara lapidea permitti debet, non obſtante conſtitutione ſynodali, dummodò habeat ſolitum reliquiarum repoſitorium. 1. Nov. 1612.

58. Solus Epiſcopus poteſt habere feneſtras in Eccleſia, per quas in eam proſpectus haberi poſſit. 19. Jan. 1614.

59. Non debent Regulares in Canone nominare Superiores ſuos, ut Antiſtites. 12. Nov. 1615.

60. Regularium Superiores non veniunt ſub nomine ordinariorum, & conſequenter non poſſunt aſſignare aliquam ex Dominicis Novembris pro recitatione officii de Patrocinio B. V. Mariæ, quod multis in locis permittitur celebrandum in aliquo die dominico illius menſis à locorum ordinariis eligendo. 22. Jan. 1701.

61. Clavis Hoſtiæ repoſitæ in feria quinta Cœnę Dominicę non eſt danda laico, quamvis nobili. 30. Jan. 1616.

62. Crux in proceſſionibus deferenda eſt à Regularibus cum velo pendente, ſeu pallio. 14. Jan. 1617.

63. Regulares in celebratione miſſæ poſſunt annunciare dies Feſtos, & jejunia in ſuis Eccleſiis. 2. Julii 1602.

64. In feria ſexta in Paraſceve non eſt adminiſtranda Euchariſtia niſi infirmis. 19. Feb. 1622.

65. Regulares Ordinis Minimorum, dum nominant in orationibus, verſiculis, cæteriſque actibus inter Divina officia occurentibus Sanctum Franciſcum prædicti Ordinis Fundatorem non debent adjungere ly de Paula, 23. Dec. 1624. unde apparet quid in ſimilibus ſit faciendum.

66. Imagines illorum, qui cum Sanctitatis ſeu Martyrii fama deceſſerunt, non ſunt apponendę in oratoriis, vel Eccleſiis tàm ſæcularibus, quàm regularibus, antequàm declarentur Beati: neque ad eorum ſepulchra accendendę ſunt lampades, aut tabellę affigendę ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, 13. Martii 1625.

67. Non ideo præjudicandum erit in aliquo illis, qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, virorumque Sanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia Sedis Apoſtolicæ, vel ordinarii coluntur. 13. Martii 1625.

68. Facultas concedendi uſum pileoli in miſſa ſpectat ad Papam. 24. Aprilis 1626.

69. Celebrans, qui diſtribuit Cineres, candelas, & ramos detecto capite diſtribuat. 18. Julii 1626.

70. Ille idem, qui benedicit Cineres prima die Quadrageſimæ, vel candelas in Feſto purificationis, aut ramos in Dominica Palmarum, debet etiam cantare miſſam ſequentem. 12. Aprilis 1640.

71. In Miſſa feriæ quartæ Quatuor temporum occurrentis in die octava Nativitatis B. V. Mariæ dicenda eſt præfatio communis, non verò de B. Maria. 12. Decemb. 1626.

72. Signum, quod fit cum patena à fronte ad pectus fit integrè cum ſigno Crucis, 13. Martii 1627.

73. Infra octavam Epiphaniæ, Paſchatis, & Pentecoſtes nec non in feria quarta Cinerum, in hebdomada majore, in Dominicis, & in Vigiliis Nativitatis Domini, & Pentecoſtes non poſſunt dici votivæ miſſæ, neque de requiem. 28. Auguſti 1627.

74. Oratio imperata à Superiore, veluti, Deus Refugium, omittenda eſt in duplicibus primæ Claſſis. 23. Auguſti. 1627. Romæ omittitur etiam in Feſtis ſecundæ Claſſis.

75. In fine miſſæ ad quodcumque Altare celebratæ, fit

reve-

Digitized by Google

reverentia Cruci infra gradus capite ſemper aperto. 28. Auguſti 1627.

76. Si Litaniæ majores occurrerint in die Sancto Paſchatis transferantur in feriam tertiam ſequentem 25. Septemb. 1627.

77. In Eccleſiis Regularium habentium clauſtra, fiant proceſſiones intra clauſtra tantùm, ſi verò non habeant clauſtra fiant prope muros Eccleſiæ, ſive exeundo ab una porta, & intrando per aliam Eccleſiæ portam, ſive per eandem. 26. Febr. 1628.

78. Extra ambitum Eccleſiæ non licet Regularibus facere proceſſiones, niſi de licentia, & conſenſu Parochi: ſalvis privilegiis, & conſuetudinibus, ſi quæ ſunt 26. Febr. 1628.

79. Miſſæ de SS. Roſario, & de monte Carmelo Ordinibus Prædicatorum, & Carmelitarum reſpectivè, & ſpecialiter conceſſæ non ſunt ab aliis celebrandæ ſine ſpeciali licentia. 8. Aprilis 1628.

80. Non poſſunt locorum ordinarii tam ſæculares addere Kalendariis etiam propriis ſanctorum Officia, niſi ea dumtaxat, quæ breviarii Romani Rubricis, vel ſacrorum Rituum congregationis ſeu Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur. 8. Aprilis 1628.

81. Officium Defunctorum dici poteſt in choro ſeparatim ab officio diei in diebus exceptis à Breviario, pro adimplenda teſtatorum volnntate. 12. Junii 1628.

82. De ſancto Canonizato non poteſt fieri officium extra propriam Eccleſiam ſine novo Decreto. 9. Decembris 1628.

83. Non ſunt inferendi in Litaniis alii ſancti præter ibi deſcriptos: neque tempore peſtis addendi ſunt Titulares, & civitatis Patroni, ſine ſpeciali conceſſione. 22. Martii 1631.

84. Qui præ timore, vel balbutie non pronunciat Evangelium S. Joannis, quod legitur in fine Miſſæ, ſed ejus loco, aliud ſuo arbitratu recitat ſuſpendendus eſt à Miſſarum celebratione, quoad uſque illud ritè pronunciare aſſueſcat. 5. Julii 1631.

85. In Kalendariis locorum fiat nota, ad libitum, quando officia non ſunt de præcepto. 6. Februarii 1638.

86. Feſta ad libitum occurrentia in diebus Dominicis, octavis, & natalitiis Sanctorum alicujus Diœceſis, vel Religionis ſunt omittenda. 24. Jan. 1682.

87. Officia ad libitum occurrentia eo die, in quo aliàs aliquod Feſtum tranſlatum poni deberet, vel in quo agendum eſſet officium conceſſum ſemel in hebdomada, vel in menſe, poſſunt celebrari, protracto ulteriùs ad aliam Feſto tranſlato, vel omiſſo officio per hebdomadam, aut per menſem conceſſo. 24. Jan. 1682.

88. Si Feſtum ad libitum non potuerit celebrari, & habuerit etiam ritum ſimplicem de præcepto, eo anno non omittatur, ſed celebretur ritu ſimplici. 13. Junii 1682.

89. In occurſu non poteſt transferri officium proprium alicujus Diœceſis, vel Religionis, ut eo die agatur de feſto ad libitum, ne omittatur. 2. Decemb. 1684.

90. Officia ad libitum occurrentia infra octavas non privilegiatas, etiam particularis alicujus Diœceſis, vel Religionis non ſunt celebranda, ſed omittenda. 19. Januarii 1693.

91. Non licet in media nocte Nativitatis Dominicæ celebrare ſucceſſivè alias duas miſſas, & in eis ſacram communionem exhibere fidelibus illam depoſcentibus, ſed utrumque omninò prohibitum. 7. Dec. 1641.

92. Feſtum de Patrono principaliori loci eſt præceptivum cum obligatione audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus. 13. Sept. 1642.

93. Regulares, qui ſunt in poſſeſſione præcedentiæ, præcedant in publicis functionibus, & ubi non conſtat de poſſeſſione, præcedant ii, qui ſunt antiquiores in loco controverſiæ. 6. Octobris 1645.

94. Beatorum nomina non apponantur in Kalendariis, niſi illius tantùm loci, earumque Perſonarum, in quo, & à quibus cultus cum officio, & miſſa celebratur. 27. Sept. 1659.

95. Non ſunt invocandi Beati in publicis precibus, præter indultas, & approbatas, nec eorum Reliquiæ in proceſſionibus circumferendæ. 27. Sept. 1659.

96. Licèt non ſint celebrandi dies Feſti in Beatorum honorem, hoc tamen non extenditur ad Feſta devotionis. 27. Ap. 1660.

97. Indulta recitandi officium cum octava, & celebrandi Miſſam de Beatis non ſunt revocata per Decretum editum ſub die 27. Septemb. 1659. Decretum hoc eſt. 17. April. 1660.

98. In illis Eccleſiis in quibus officium, & Miſſa de Beatis recitari, & reſpectivè celebrari poſſunt, licet earum Reliquias exponere, imagines, vel ſimulacra ſuper Altari collocare, ac votivas tabellas ibidem appendere. 17. April. 1660.

99. In Miſſis de Beatis non eſt dicendum ſymbolum, ubi ſcilicet eſt permiſſa hujuſmodi celebratio. 22. Jul. 1664. niſi adſit Reliquia.

100. Tam Minores Conventuales, quàm obſervantes Reformati S. Franciſci poſſunt in propriis ſuorum Ordinum Eccleſiis ſolemnizare Feſtum S. Antonii Patavini ea ipſa die in quam inciderit, dummodo Reformati à proceſſionibus abſtineant eodem loco, 20. Sept. 1658.

101. Non licèt in Eccleſiis, in quibus non aſſervatur SS. Sacramentum, celebratio miſſæ in feria quinta in Cœna Domini, nec ejuſdem Auguſtiſſimi Sacramenti aſſervatio in ſepulchro. 24. Jun. 1659.

102. Manus Sacerdotis *ad hanc igitur oblationem*, debent ita extendi, ut palmæ ſint apertæ, pollice dextero ſuper ſiniſtrum in modum Crucis ſupra manus, non verò infra manus. 4. Aug. 1663.

103. Paſſio in hebdomada majori legenda in Miſſis privatis in cornu Evangelii, licèt in Miſſa ſolemni legatur à celebrante in cornu Epiſt. 4. Aug. 1663.

104. Cruces, quæ fiunt à Sacerdote ſuper oblata, non ſunt faciendæ manu tranſverſa, ſed manu recta in tranverſa parte Crucis. 4. Aug. 1663.

105. Pars inferior hoſtiæ, non autem ſuperior præcidenda eſt, quando dicitur; *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*. 4. Aug. 1663.

106. Sacrificia in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum poſſunt applicari ad libitum, ſcilicet in genere pro omnibus, tum in ſpecie pro aliquibus defunctis. 4. Aug. 1663.

107. Lectiones primi Nocturni in Officio de Feſto duplici majori ſumendæ ſunt (niſi ſint propriæ) ex ejus Communi non verò ex Scriptura occurrente. 12. Julii 1664. Licèt occurrat initium.

108. Dedicatio Apoſtolorum, & Salvatoris extra Urbem non habet integras Veſperas, ſi die præcedenti, vel ſequenti celebretur Officium duplex minus. 12. Julii 1664. Idem dicendum de die Octava dedicationis.

109. Dies Octava non privilegiata dimidiat Veſperas in occurrentia cum Feſto duplici minori. 12. Julii 1664.

110. Si transferatur Feſtum S. Luciæ in Feriam ſecundam ratione Dominicæ privilegiatæ, Veſperæ erunt de die Octava Conceptionis cum Commemoratione S. Luciæ. 1. Martii 1681.

111. Quæcumque dies Oct. B. V. MARIÆ debet habere integras utraſque Veſperas in concurrentia cum Feſto duplici minori. 11. Aug. 1691.

112. Non permittitur ad Altare majus celebratio Miſſæ, dum dicuntur in Choro Matutinum, & horæ. 15. Sept. 1664.

113. Ubi celebratur Feſtum S. Raphaelis Archangeli ad octavam Benedictionem dicatur, *cujus Feſtum* non verò, *quorum Feſtum*. 13. Sept. 1692.

114. Si ſimul ſint transferenda Feſta S. Marci Evangeliſtæ, & SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi priùs reponatur Feſtum S. Marci, deinde Feſtum Apoſtolorum. 18. Septemb. 1666.

115. Feſtum duplex occurrens ante Octavam non privilegiatam, non eſt transferendum poſt octavam, ſed intra eamdem celebrandum prima die non impedita. 30. Septemb. 1679.

116. Officium particulare alicujus Diœceſis, vel Religionis, quod occurrit die vigeſima quinta Februarii, & transferendum in Anno biſextili ad primam diem non impeditam, dummodo non ſit duplex primæ Claſſis. 7. Septemb. 1680.

117. Officium ſemiduplex, quod occurrit in Dominica infra Octavam non privilegiatam, non eſt celebrandum in Feria ſecunda ſequenti, licèt non impedita, ſi habeatur reponendum aliud Feſtum altioris ritus. 1. Martii 1681.

118. In repoſitione duorum vel plurium Feſtorum ritum habentium eumdem, & die occurrentium diverſa attendatur prioritas tranſlationis niſi attendenda ſit major dignitas. 13. Junii 1682.

119. Si plura ſint transferenda Feſta, quæ eadem die occurrunt, & quibus non convenit ratio majoris dignitatis, attendatur in eorum repoſitione major apparatus, vel populi concurſus. ex quo vocatur etiam major ſolemnitas ſuppoſito tamen, quòd ſint ejuſdem ritus. 20. Julii 1686.

120. Non eſt transferendum in diem immediatè ſequentem Feſtum illud, ante cujus tranſlationem habentur repo-

reponenda alia Officia priùs tranſlata ejuſdem ritus, non obſtante Decreto edito ſub die 30. Septembr. 1679. Quo ad verò Feſtum ſemiduplex in Dominica infra octavam occurrens, omninò ſervanda eſt rubrica generalis Breviarii de translatione Feſtorum num. 5. Decretum hoc eſt 22. Decemb. 1696.

121. Si occurrerint, vel fuerint transferenda duo Feſta ejuſdem ritus: quæ unica die occurrebant, quorum unum ſit univerſale, & alterum particulare alicujus Diœceſis, vel Religionis, priùs fiat de univerſali, deinde de particulari, niſi obſtet ratio majoris dignitatis. 27. Septembris 1698.

122. Ad Reſponſorium breve Completorii in Dominica Paſſionis, ne omittatur, Gloria Patri, ſi die ſequenti fiat de Feſto ſemiduplici. 18. Sept. 1666.

153. Si Feſtum duplex, de quo agunt Regulares (ſub quo nomine etiam veniunt Moniales) habuerit miſſam propriam omnibus, & ſolis Regularibus conceſſam, Sacerdotes ſæculares celebrantes in eadem Eccleſia Regularium, Miſſam quidem dicant de feſto duplici, ſed cum Miſſali Romano ex Decreto Sac. Rit. Congreg. 19. Nov. 1625. Decretum hoc 9. Jun. 1668.

124. Si Moniales non habeant Miſſale à Romano diverſum, Sacerdotes in earum Eccleſiis celebraturi poſſunt dicere proprias Miſſas ipſis Monialibus conceſſas. 27. Auguſti 1675.

125. In Miſſis votivis privatis non eſt dicendus Hymnus Angelicus, niſi fuerit Miſſa Angelorum, in qua quotidiè eſt recitandus: vel Miſſa de B. Maria, in qua quolibet Sabbato dici debet. 14. Maji 1672.

156. Clauſula poſita in Brevibus Indulgentiarum, ſcilicet: *Volumus autem, ut ſi aliàs Chriſti fidelibus, dictam Eccleſiam viſitantibus, aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapſum duratura, conceſſa fuerit, præſentes litteræ nulla ſint*: non comprehendit Altaria privilegiata pro Defunctis. 23. Junii 1676.

127. Sub generali Indulgentiarum ſuſpenſione, quæ fit anno Jubilæi, non comprehenduntur Altaria privilegiata, nec aliæ indulgentiæ pro ſolis Defunctis conceſſæ. 24. Jan. 1700.

158. In Aſperſione aquæ benedictæ, quæ diebus Dominicis fit à Sacerdote, Alba, & Stola induto, vel etiam cum Pluviali, immediatè celebraturo Miſſam Conventualem; Stola aptanda eſt ante pectus ad modum Crucis, non vero pendens à collo ad utrumque latus. 30. Sept. 1679.

129. Officia Sanctorum, quæ alicubi ſuperſunt de menſe Decemb. transferri poſſunt in annum ſequentem. 7. Decem. 1680.

130. Officia conceſſa ſemel in hebdomada non ſunt celebranda in Adventu, Quadrageſima, Quatuor Temporibus, nec in Vigiliis, niſi aliter in conceſſione exprimatur, 1. Martii 1681.

131. Quotieſcumque in Sabbato ante Dominicam privilegiatam Officium fuerit de ſeptima die infra aliquam Octavam, Pſalmi Veſperarum erunt de Pſalterio, Capitulum de Dominica ſequenti, cum ſola Commemoratione de die octava. 1. Martii 1681.

135. In Proceſſionibus Candelarum, Palmarum, & ſimilium, quæ fiunt intra Eccleſias ſine Sacramento, non eſt pulſanda Campanula ad Elevationem SS. Corporis Chriſti in Miſſa privata. Quod ſi pulſetur, & advertatur elevatio, tunc genuflectendum, utroque genu à tranſeuntibus ante Altare, ubi Miſſa celebratur, & depoſito SS. Sacramento progrediendum, ſimiliter ſi aliqui tranſeant in elevatione Calicis. 1. Mart. 1681.

133. Regulares non tenentur recitare officia de Patronis minus principalibus, niſi ſint deſcripta in Calendario Romano, vel in proprio dictorum Religioſorum. 24. Januarii 1682.

134. Regulares tenentur quidem celebrare ſub ritu duplici primæ claſſis Feſtum de Patrono principali loci Regni, ſeu Provinciæ, & de Titulari Eccleſiæ Cathedralis, ſed ad eorum octavas non tenentur. 20. Mart. 1683.

135. Si Feſtum S. Confeſſoris transferatur in proximè ſequentem diem, in Hymno Iſte Confeſſor, nulla fiat mutatio verſiculi, ſed dicatur, meruit beatas, dummodò primæ veſperæ non ſint impeditæ. 13. Jan. 1683.

136. Tranſlato Feſto S. Confeſſoris ultrà ſequentem diem, in Hymno, Iſte Confeſſor, facienda eſt mutatio verſiculi, dicendo, meruit ſupremos. 14. Jun. 1692.

137. Officia affixa diebus Dominicis, ut de SS. Roſario & de Patrocinio B. V. Mariæ, ſi ſint impedita Feſto altioris ritus, vel dignitatis, ſunt omittenda. 20. Mart. 1683.

138. Officium Nominis Beat. V. Mariæ occurrens in Feſto Exaltationis ſanctæ Crucis, vel in alio altioris ritus, aut dignitatis, transferatur, non verò omittatur. 20. Jul. 1686. Si concedatur pro aliquo Feſto ritus duplex ſine expreſſione majoris, vel minoris, conceſſio intelligatur de duplici minori, etiamſi ad honorem Deiparæ facta fuerit. 20. Nov. 1683.

139. In Feſto Nominis B. V. Mariæ non eſt facienda commemoratio de ejuſdem Nativitate, & in ſecundis Veſperis de Nativitate eadentibus in Sabbato non eſt facienda Commemoratio de prædicto Nomine. 20. Sept. 1684.

140. Si Officium Nominis B. V. Mariæ venerit in die Octava Nativitatis ejuſdem, Officium erit de Nomine, omiſſa in utriſque Veſperis, & Laudibus Commemoratione de prædicto die octavo Nativitatis. 14. Sept. 1685.

141. Sola ratione SS. Sacramenti expoſiti, non eſt dicendum Symbolum in miſſis privatis. 2. Dec. 1684.

142. Poteſt fieri commemoratio de SS. Sacramento, ſi expoſitum ſit, etiam in Miſſa de Feſto duplici; quod non fit primæ, vel ſecundæ Claſſis. 2. Dec. 1684.

143. Qui celebrat Miſſam de B. Maria, eo die, quo fit de aliquo Feſto ſemiduplici infra octavam ejuſdem B. Mariæ, debet dicere Miſſam de octava, ſed more votivo ſine Gloria, & ſine Credo, niſi fuerit Sabbatum, quia tunc dicendum erit Gloria, ſine Credo. 2. Decemb. 1684.

144. Qui in Sabbato recitat officium de B. Maria, ſi celebret votivam de aliquo Sancto, non debet dicere Gloria, neque præfationem Beatæ Mariæ. Die ſecunda Decembris, 1684.

145. Non eſt omittenda una ex aſſignatis orationibos in Miſſali, velut, A cunctis, ut ejuſdem loco dicatur aliqua Oratio imperata ab Epiſcopo, veluti, Deus Refugium: neque ut recitetur penultimo loco oratio pro Defunctis. 2. Decemb. 1684.

146. Quando dicitur oratio, A Cunctis, vel Eccleſiæ, non eſt dicenda oratio contra paganos, vel alia hujuſmodi, quia ſufficienter una continet, quod altera. 16. April. 1688.

147. Si in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum occurrerit Dominica, vel alicubi Feſtum de Præcepto diei Dominico æquale, Officium cum Miſſa Defunctorum transferatur in ſequentem diem, etiam Feſto duplici impeditam. 5. Octob. 1688.

148. In Sabbato ſancto omninò prohibentur Miſſæ privatæ, etiam poſt pulſationem Campanarum, in quacumque Eccleſia, aut oratorio privato, non obſtante contraria conſuetudine. 11. Febr. & 11. Martii 1690.

149. Si Feſtum Annuntiationis B. V. Mariæ occurrerit in Feria ſexta in Paraſceve, vel in Sabbato Sancto, transferatur ejus Officium unà cum Præcepto audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus ad Feriam ſecundam poſt dominicam in Albis: protracto ad aliam diem Feſto in ea occurrente, niſi fuerit duplex primæ Claſſis. 31. Mart. 1690. Notandum I. Quòd ſi alicubi in prædicta feria ſecunda occurrerit duplex primæ Claſſis, ibidemque Annuntiatio celebraretur ſub eodem ritu: adhuc duplex illud eſſet transferendum, & celebranda Annuntiatio. Notandum II. Quod licet Annuntiatio ſit ſecundæ Claſſis, ſi tamen haberetur reponendum Officium primæ Claſſis, nihilominùs in prædicto caſu eſſet agendum de Annuntiatione. Notandum III. Quòd protracta ulteriùs Annuntiatione ob feſtum altioris ritus in eo occurrens, non ideò protrahenda obligatio audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus.

150. Si ſimul transferenda ſint Feſta S. Joſephi, & Annuntiationis, priùs reponenda Annuntiatio, deinde S. Joſeph, non obſtante Decreto editò in contrarium ſub die 12. Jun. 1682. Decretum eſt 14. Jun. 1695.

151. Tranſlato Feſto, in cujus die etiam conceditur indulgentia, non transfertur indulgentia, niſi ex conceſſione ſpeciali. 10. Jun. 1690.

152. Si primæ Veſperæ de S. Martina impeditæ fuerint Feſto duplici, vel Dominica, Hymnus proprius Veſperarum uniatur Hymno Matutini, & ex duobus fiat unus ſub unica Concluſione, A nobis abigas. 26. April. 1692.

153. Ubi die decima octava Decembris celebratur Officium de Expectatione B. V. Mariæ, omittendæ ſunt ad Laudes Antiphonæ illæ, quæ occurrunt in illa Feria, in proprio de tempore. 12. Maji 1692.

154. Si prædictum Feſtum Expectationis venerit in feria quarta Quatuor Temporum, nec erit dicenda nona Lectio in Officio, nec legendum ejus Evangelium in fine Miſſæ, ſed illud S. Joannis: ideòque de Feria ſola fiat Commemoratio in Officio, & Miſſa. Die decima ſecunda Maji 1692.

155. A die decima ſeptima Decembris incluſivè, uſque ad Vigiliam Nativitatis excluſivè fieri poteſt quodcumque officium novem Lectionum, ſive occurrens ſive etiam tranſlatum. 17. Maji 1692.



Digitized by Google

156. Si Feſtum de ſeptem Doloribus B. Virg. MARIÆ, quod multis in locis celebratur Feria ſexta poſt Dominicam Paſſionis, impediatur ab officio majoris ritus, vel Dignitatis, transferatur in Sabbatum ſequens non impeditum, & non ulteriùs. 26. Februar. 1693.

157. Si Vigilia S. Matthiæ occurrerit ultima die Bacchanalium, obſervetur eadem die Jejunium, non verò anticipetur. 23. Januarii 1694.

158. Evangelium pro ſolemni palmarum Benedictione canendum eſt in cornu Epiſtolæ ab illo, qui celebrat, abſque Diacono, & Subdiacono. 27. April. 1697.

159. Regulares obtenta à locorum ordinariis licentia oretenus, vel in ſcriptis faciendi ſolamnes Proceſſiones extra limites Conventuum ſuæ Religionis cum ſtatua aut reliquia alicujus Sancti, poſſunt uti pluviali, licèt ejus uſus non fuerit expreſſus in licentia obtenta. 21. Mart. 1699.

160. Uſus Pluvialis in Proceſſionibus ſolemnibus non eſt teſtimonium, nec ſignum juriſdictionis in utente Sacerdote. 25. Mart. 1699.

161. In paramentis nigris non aſt adminiſtranda Euchariſtia. 22. Januar. 1701.

162. Sacerdos in Sacrificio Miſſæ congruentiùs utitur cingulo lineo, quàm ſerico. 22. Januar. 1701.

163. Feſtum ſemiduplex, occurrens in Feſto duplici infra Octavam non privilegiatam non eſt transferendum poſt illam, quando dies immediatè ſequens alio Feſto duplici vel ſemiduplici impedita non fuerit, ſed faciendum tunc eſt Officium die immediatè ſequenti. 30. Septemb. 1679.

Circa prædicta Decreta notandum, quod addit P. La Croix cit. lib. 6. p. 2. nu. 2057. nimirum: An omnia iſta Decreta ſint Authentica, & verè emanata à S. Congregatione Rituum, equidem neſcio. Nihilominus quandiu non neſciam oppoſitum, habebo relata Decreta pro Authenticis, & quidquid hactenus dixi, vel dicam, exacte redigam ad illorum diſpoſitionem, ſeu tenorem.

*Eccleſiarum Ornamenta.*

COnſtitutio Innocentii XI. in qua ſub gravi pœna prohibetur, ne Res ad Eccleſias, Altaria, Capellas, Oratoria, & Sacriſtias Fratrum Minorum ſpectantes, extra illa ad uſum, vel officium cæterorum diſtrahantur, vel aſportentur, vel commodentur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

*Ad futuram rei memoriam.*

ALiàs ad ſupplicationem tunc exiſtentis Commiſſarii Generalis Curiæ, Ord. Fratrum Min. S. Franciſci de obſervantia nuncupatorum, emanavit à Congregatione Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, Decretum tenoris, ut ſequitur.

S. Congregatio Eminentiſſimorum Sac. R. E. Cardinalium, negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita. Spectabili Cultui, & Decoro ornatui Eccleſiarum Ordin. Fratrum Min. S. Franciſci de obſervantia providè conſulens injungendum cenſuit, prout præſentis Decreti tenore injungit omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Superioribus, Provincialibus, localibus, eorumque ſubditis, ſub pœna privationis officiorum Ordinis immediatè incurrenda: ne ullo unquam tempore, quavis occaſione, vel prætextu, ad inſtantiam, & preces cujusvis indulgeant, aut conſentiant, ſuppellectilem, Vaſa, Ornamenta, veſtes, atque omnis generis res, ſpectantes aliquo modo ad præfatas eorum Eccleſias, Capellas, Oratoria, Sacriſtias, extra illa, ad uſum, vel officium cæterorum diſtrahi, aſportari, ſeu aliàs ab ipſis Minoribus obſervantibus commodari, quin priùs acceſſerit conſenſus ſaltem ultra duas partes totius capituli, cujuslibet reſpectivè conventus per ſecreta ſuffragia ſingulis vicibus præſtandus, nec non à miniſtro Provinciæ authenticè confirmandus, & ita obſervari mandat. Non obſtantibus &c. Datum Romæ. 4. Mart. 1580.

Cùm autem, ſicut dilectus filius Franciſcus Diaz à S. Bonaventura, chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici Concionator, & Theologus, ac pro ultramontana familia Fratrum dicti Ordinis Vice-Commiſſarius Generalis nobis exponi nuper fecit, eò quòd ipſe Decretum hujuſmodi (quo firmiùs ſubſiſtat, & ſervetur exactiùs) Apoſtolicæ Confirmationis noſtræ Patrocinio communiri deſideret; nos ipſius Franciſci Vice-Commiſſarii Generalis Votis hac in re, (quantùm cum Domino poſſumus) favorabiliter annuere volentes, & eum à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, & pœnis, à Jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis (ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit) ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſeria abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine ſuper hoc nobis humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabiliter Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus &c. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 16. Septembris Anno 1685. Pontificatus Noſtri anno IX.



*Hæc Conſtitutio videri poteſt in tertia Seraphica Vinea P. Engelberti PaneK, c. 6. n. 24.*

*Exercitia Spiritualia.*

AD Inſtantiam Reverendiſſimi Patris Noſtri Generalis Sanctiſſ. Dominus Noſter Alexander Papa VII. ſe benevolum præbuit Religioni noſtræ concedendo indulgentiam plenariam perpetuò valituram, Fratribus, exercitiis Spiritualibus per octiduum vacantibus, videlicet.

ALEXANDER PAPA VII.

*Ad futuram rei Memoriam.*

CUm ſicut nobis nuper exponi fecit dilectus Filius Michael Angelus à Sambuca, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Miniſter Generalis, in Capitulo Generali ejuſdem Ordinis noviſſime Toleti celebrato, inter alia Decretum fuerit, ut ſeceſſus, & ſpiritualia mortificationis, & orationis mentalis exercitia in omnibus Provinciis Ciſmontanæ Familiæ Ordinis prædicti reaſſumantur, & illis Fratres earundem Provinciarum aliquoties ſingulis annis vacent.

Nos, qui probè novimus quantoperè conducant Exercitia hujuſmodi dirigendis in viam Domini, & confirmandis in illa Chriſti fidelium mentibus, devotionem Fratrum memorati Ordinis, qui de ſuorum Superiorum Licentia operi adeo pio, & ſalutari vacaverint, cœleſtium Eccleſiæ theſaurorum elargitione magis invitare volentes, de Omnipotentis DEI miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis prædicti Ordinis Fratribus, tam Clericis, quàm Laicis, ſeu converſis, qui in Domibus Regularibus Provinciarum prædictarum de ſuorum Superiorum Licentia exercitia prædicta, per octidui ſpatium, quandocunque peregerint; & interea temporis verè pœnitentes, Confeſſi, Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, quoties id egerint, plenariam omnium ſuorum peccatorum indulgentiam, & Remiſſionem in Domino concedimus: Præſentibus in perpetuum valituris. Volumus autem, quòd ſi pro impetratione, præſentatione, admiſſione, ſeu publicatione præſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, eædem præſentes nullæ ſint eo ipſo; quodve earundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici, vel Secretarii dicti Ordinis ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica Conſtitutæ, vel Miniſtri Generalis prędicti Ordinis munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę pręſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 15. Junii 1659. Pontificatus Noſtri anno quinto.

G. Gualterius.

*Habetur in Conſtitutionibus Generalibus Noſtri Ordinis fol. 374. & in Theatro Regularium Lantuſca V. Exercitia Spiritualia.*

Feſtum Immaculatę Conceptionis

B. V. MARIÆ.

CLEMENS PAPA XI.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

COmmiſſi Nobis Divinitùs ſacroſancti Apoſtolatus Officii exigit ratio, ut glorioſiſſimę Virginis DEI Genitricis MARIÆ, cujus Conceptio gaudium annuntiavit univerſo mundo, venerationem, & cultum, plurium Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum more, ampliare ſtudentes in terris, illius, quę ſuper choros Angelo-

rum exaltata pro populo Chriſtiano ſedula Exoratrix, apud eum, quem genuit, aſſiduè intercedit in cœlis, potentiſſimam opem in tot, tantiſque quibus premimur, Chriſtianæ Reipublicæ, & Catholicæ Eccleſiæ neceſſitatibus, quantum nobis ex alto conceditur, promereri jugiter ſatagamus. Sincera itaque noſtra erga eandem Auguſtiſſimam Cœli Reginam Patronam, & Advocatam noſtram devotione incitati, Feſtum Conceptionis ipſius B. Mariæ Immaculatæ ubique terrarum impoſterum ab omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, ſicut alia Feſta de præcepto ſervari, & celebrari, ac ſub præcepto obſervationis Feſtorum, comprehendi, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium decernimus, præcipimus, & mandamus. Volumus autem, ut earondem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in Eccleſiaſticà dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 6. Decembris, Anno milleſimo ſeptingenteſimo octavo, Pontificatus noſtri anno 8.

### Immunitas Eccleſiaſtica Localis, ſeu Jos Aſyli.

*Conſtitutio Gregorii XIV. De Immunitate Eccleſiaſtica locali, ſeu de jure Aſyli.*

## GREGORIUS PAPA XIV.

*Ad perpetuam Rei Memoriam.*

CUm aliàs nonnulli Prædeceſſores noſtri, & præſertim Felic. recordat. Sixtus Papa V. nec non S. Pius etiam V. Sancto zelo ducti, diverſas facultates, & indulta extrahendi etiam in caſibus quibuſdam à jure non permiſſis, ex Eccleſiis criminoſos, & delinquentes, compluribus ſæcularibus principibus, eorum Curiis, & Magiſtratibus ſub variis modis, & formis conceſſerint, prout in illis pleniùs continentur, Experientia poſtmodum docuit, tum ob diverſitatem, & differentiam hujuſmodi indultorum, tum quia plerique eorundem principum miniſtri ex hoc ipſo illa diverſimodè, etiam latiùs, quàm par erat, ad ſuum libitum interpretandi occaſionem arripuerunt, illiſque abuti cœperint, ſubortam eſſe non mediocrem in aliquibus locia libertatis, & immunitatis Eccleſiaſticæ perturbationem, & confuſionem: alibi verò ne ipſos quidem laicos indultis hujuſmodi uti voluiſſe, aut potuiſſe, quòd populis inveterata erga Eccleſias reverentia devotis, & aſſuetis ſcandali potiùs, quàm quietis occaſionem præberent. Illud etiam abſurdum ſæpè numero ſecutum eſt, ut infimæ interdum conditionis laici, non modò juris, ſed etiam litterarum penitùs ignari, & imperiti, dum quaſi poteſtates, & miniſtri curiæ ſæcularis in aliquo Caſtro, aut oppidulo juriſdictionem exercebant facultatum, & indultorum hujuſmodi limites longè exceſſerint, eaque ſuo arbitratu in ſenſus minùs rectos, & ab intentione concedentis omninò alienos detorſerint, & illorum prætextu, quidquid ſibi in mentem venit attentare præſumpſerint, in grave juriſdictionis, & immunitatis Eccleſiaſticæ præjudicium, locorum, & perſonarum Divino cultui dicatarum contemptum, ipſius Divinæ Majeſtatis offenſam, & ſcandalum plurimorum. Quare pro commiſſo Nobis à Domino Paſtoralis officii munere, prædictis abſurdis, & ſcandalis obviare, ac differentias hujuſmodi ad uniformem Regulam reducere, omnemque dubitandi, ac perperam interpretandi occaſionem, dilucida declaratione ſubmovere abuſus tollere, & ne Eccleſiaſtica jura planè conculcentur, & negligantur, opportunè providere decrevimus, prout etiam dictus Sixtus Prædeceſſor noſter, iiſdem de cauſis motus, ſtatuere decreverat, licèt morte præventus hoc adimplere nequiverit, ita tamen, ut quando præſens temporum calamitas, & nimia, quæ jam invaluit, perverſorum hominum malitia, id expoſcit, aliquid etiam ad terrorem delinquentium, & ad coercenda eorum facinora, ultra id, quod priſca illa majorum noſtrorum diſciplina, & vetus ſacrorum canonum norma præſcripſerat, in quibuſdam caſibus, congrua moderatione adhibita, permittamus. Hac itaque noſtra perpetuò valitura conſtitutione, omnia, & quæcumque privilegia, indulta, & gratias tàm per prædictum Sixtum, ac S. Pium V. quàm alios quoſcumque noſtros Prædeceſſores, aut Noſmetipſos, Sedemque Apoſtolicam, ejuſque Legatos ſuper abducendis, vel extrahendis ab Eccleſiis, Monaſteriis, Sacellis, Domibus Regularibus, & ſæcularibus, locisve ſacris aut Religioſis, aliàſque in caſibus jure permiſſis, hominibus certorum tunc expreſſorum, vel non expreſſorum criminum reis, aut fraudulentis decoctoribus, etiam in odium certorum delictorum, & pro bono, pace, & quiete publica, & ex cauſis urgentiſſimis, & neceſſariis, & æquipollentibus caſibus in jure expreſſis, atque ex paritate, identitate, aut majoritate rationis extenſis, perpetuò, vel ad certum nondum elapſum tempus, quomodolibet conceſſa, etiam iteratis, ac multiplicatis vicibus approbata, & innovata, ac uſu recepta, litteraſque Apoſtolicas ſub plumbo, aut in forma brevis, ſeu aliàs quomodocumque deſuper confectas, quarum tenores hic habere volumus pro expreſſis, ac ad verbum inſertis, ſublata penitus omni differentia, ita ad unam tantùm formam reducimus, & moderamus, ut laicis ad Eccleſias, locaque ſacra, & Religioſa prædicta confugientibus, ſi fuerint publici latrones viarum graſſatores, qui itinera frequentata, publicaſque ſtratas obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur: aut depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis, earumve cœmeteriis committere non verentur, aut qui proditoriè proximum ſuum occiderint, aut Aſſaſſinii, vel hæreſis, aut læſæ majeſtatis, in perſonam ipſiuſmet principis rei: Immunitas Eccleſiaſtica non ſuffragetur. Sed univerſis, & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris, Patriarchis, Primatibus, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque Eccleſiarum, & Monaſteriorum Prælatis, tàm ſæcularibus, quàm cujuſvis ordinis Regularibus diſtrictè præcipiendo mandamus, & præcipimus, ut laicos in caſibus prædictis delinquentes, ad eorum Eccleſias, Monaſteria, Domos, & alia loca ſupradicta ſacra ſeu Religioſa reſpectivè confugientes, & in eis ſe recipientes, atque morantes, qui prædicta delicta, eorumque aliquod judicio ſuo commiſiſſe videbuntur, quandò à curia ſæculari fuerint requiſiti, & quilibet eorum fuerint requiſiti, & quilibet eorum fuerit requiſitus, miniſtris, & officialibus curiæ ſæcularis abſque irregularitatis nota, aut alicujus cenſuræ Eccleſiaſticæ incurſu tradi, & conſignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet, & faciat. Ne autem curiæ ſæcularis miniſtri prædicta facultate, illos per ſe, & propria auctoritate extrahendi, & abducendi ſibi olim, ut præfertur, attributa, & per præſentes revocata abutantur, volumus, dictaque auctoritate decernimus, & declaramus, ut curia ſæcularis, ejuſque judices, & officiales, ab Eccleſiis, Monaſteriis, locisque ſacris prædictis laicum aliquem, ut præfertur, delinquentem, in nullo ex caſibus ſupradictis ſine expreſſa licentia Epiſcopi, vel ejus officialis, & cum interventu perſonæ Eccleſiaſticæ ab eo auctoritatem habentis (ad quos ſolos, & non ad alios Epiſcopis inferiores, etiamſi alii ordinarii ſint, aut nullius Diœceſis, aut conſervatores ab hac Sede ſpecialiter, vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat, occurrente autem caſu in loco exempto, & nullius Diœceſis, tunc ad Epiſcopum viciniorem devolvatur hæc cognitio, & non ad alios) capere, extrahere, & incarcerare non poſſint, niſi eo caſu, quo ipſe Epiſcopus, & dictæ perſonæ Eccleſiaſticæ requiſitæ, illos in delictis ſuperiùs expreſſis culpabiles tradere, aut capturæ, & carcerationi intervenire, & aſſiſtere recuſarint, tuncque Reverentiæ Eccleſiæ, & ſacris locis debitæ memores, prædictos delinquentes, minori, quo id fieri poterit, ſcandalo, & tumultu extrahere curent. Quòdque delinquentes laici prædicti, poſtquam, ut præfertur, ab Eccleſiis, lociſque extracti, & capti fuerint, ad carceres curiæ Eccleſiaſticæ reponi, & inibi ſub tuto, & firmo carcere, ac opportuna cuſtodia data, illic, ſi opus fuerit, per curiam ſæcularem detineri debeant, nec inde extrahi, curiæque ſæculari prædictæ conſignari, nec tradi poſſint, niſi cognito priùs per Epiſcopum, ſeu ab eo deputatum, an ipſi verè crimina ſuperiùs expreſſa commiſerint, tuncque demum de mandato Epiſcopi per judicem Eccleſiaſticum curiæ ſæculari, quacumque appellatione ſepoſita, conſignentur. De crimine verò hæreſis cognitio ad forum Eccleſiaſticum tota pertineat, neque in ea curia ſæcularis ſe quomodo intromittat. Sicut etiam prohibemus, ne contra Eccleſiaſticas perſonas ſæculares, aut cujuſvis ordinis, vel militiæ, etiam S. Joan. Hieroſolymitani Regulares, quoquomodo etiam vigore prædictorum privilegiorum, indultorum, aut conceſſorum, quæ omnia ad terminos juris per præſentes reducimus procedant, aut ſe intromittant, illaſve ab Eccleſiis, Monaſteriis, Domibus, lociſve ſacris, aut Religioſis, etiam in caſibus in hac conſtitutione expreſſis, extrahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoſcere de criminibus ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus, aliàs, quàm de jure, & per privilegia eiſdem ordinibus, aut militiis conceſſa permittitur, quomodolibet præſumant. Quòd ſi quis quæcumque dignitate, & auctoritate præditus,

tas, præmiſſorum, aut alio quovis prætextu quidquam præter aut contra hujus noſtræ conſtitutionis tenorem attentare præſumpſerit, declaramus eum ipſo facto cenſuras, & pœnas eaſdem incurrere, quæ contra libertatis, juris, & immunitatis Eccleſiaſticæ violatores, per ſacros Canones, & Concilium generalium, noſtrorumque Prædeceſſorum Conſtitutiones ſunt promulgatæ. Sicque per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Auditores, & S. Rav. Eccl. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, in quavis cauſa, & inſtantia judicari, & definiri debere; nec non irritum decrevimus, & inane, ſi ſecùs ſuper his per quoſcunque quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis tam Sixti, & S. Pii V. quàm aliorum quorumcumque Prædeceſſorum noſtrorum litteris Apoſtolicis, privilegiis, indultis, & facultatibus, quibuſvis perſonis, & imperiali, Regia, Ducali, aut alia quavis dignitate, & auctoritate fulgentibus, aut Rebus publicis, Dominiis, Regnis, Provinciis, Civitatibus, Terris, & locis, eorumva Curiis, Parlamentis, Senatibus, Conſiliis, Communitatibus, Univerſitatibus, Collegiis, aut præſidentibus, Proregibus, Gubernatoribus, Locatenentibus, Vicariis, poteſtatibus, aliiſque Magiſtratibus, Officialibus, Miniſtris, aut conſiliariis, & prædictis, vel aliis etiam gravioribus, & urgentioribus cauſis, tam illorum intuitu, & contemplatione, ſive ad eorum preces, & inſtantiam, quàm etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac per modum ſtatuti, ac legis perpetuæ, etiam in vim contractus, & Fratrum noſtrorum Conſilio, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, & cum quibuſvis præſervativis, reſtitutivis, mentis atteſtativis, derogatoriarum derogatoriis; aliiſque validiſſimis, & efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus, & aliis decretis, etiamſi inibi caveatur expreſſè, quòd illis, niſi ſub certis modis, & formis, & niſi de expreſſo eorum conſenſu, ad quorum favorem conceſſæ fuerint, derogari poſſit, & aliter factæ derogationes nullius ſint roboris, vel momenti, & aliàs quomodolibet conceſſis, etiam ſæpius approbatis, & innovatis. Quæ omnia, & ſingula, ac illorum tenores pro expreſſis habentes, quatenus præmiſſis in aliquo adverſentur, aut plures, quàm ſuperiùs expreſſos caſus contineant, auctoritate, & tenore præmiſſis omninò, ac perpetuò tollimus, & abrogamus, ac ad terminos præſentis conſtitutionis, quod ad ſuperiùs deſcripta dumtaxat reduximus, & nolumus cuiquam de cætero ſuffragari, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali, per quæ præſentibus non expreſſa, vel ad verbum non inſerta effectus earum quomodolibet valeat impediri. Ut autem præſentes litteræ ad omnium notitiam faciliùs deducantur &c. Datum Romæ in monte Quirinali, Anno Incarnationis Domini 1591. Nono Calendas Junii, Pontificatus noſtri anno primo.

*Hæc Bulla habetur in Bullario Cherubini to. 2. pag. 707. eſtque inter Conſtitutiones Gregorii XIV. in Ordine Septima.*

## I N D U L G E N T I A

*Indulgentiarum quoquo modo Regularibus, & Ordinibus Regularibus conceſſarum revocatio. Et alia indulgentiarum nova conceſſio.*

## P A U L U S P A P A V.

*Ad perpetuam rei Memoriam.*

Romanus Pontifex in Beati Petri Sede Conſtitutus, cui inter alia cœleſtis indulgentiarum theſauri diſpenſandi cura incumbit, ſolicitè proſpicere debet, ac ſolerter, ut hujuſmodi indulgentiarum diſpenſatio, & uſus ad DEI Gloriam, & animarum ſalutem præcipuè dirigatur, & nè ex illarum multiplicitate confuſio, aut inanis interpretatio exoriatur.

§. 1. Proinde cùm felic. recor. Clemens Papa VIII. Prædeceſſor noſter magna cum diligentia, & ſollicitudine procuraverit abuſus, & corruptelas, tum in communicando indulgentiarum theſauros, tum in medio illos recipiendi irreptos tollere, & propterea ſua quadam conſtitutione formam aggregandi, inſtituendi, & rectè adminiſtrandi Societates, & Confraternitates præſcripſerit, licèt morte præventus hanc piam ejus voluntatem ad finalem executionem deducere, neque etiam, ut cogitaverat, circà indulgentias à pleriſque Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus, Religionibus, & ordinibus monaſticis, & mendicantibus diverſis temporibus conceſſas aliquid deliberare potuerit.

§. 2. Nos qui nullis noſtris meritis, ſed ſola Dei benignitate, ad ſummi Apoſtolatus officium vocati ſumus ſuſceptum à tanto Pontifice pium hoc opus ad optimum finem perducere cupientes, ubi primùm Catholicæ Eccleſiæ Regimen ſuſcepimus, Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus ad hoc opus à dicto Clemente prædeceſſore deputatis, de quorum numero tempore ipſius Clementis Prædeceſſoris eramus, injunximus, ut in illo opere ad ulteriora progrederentur, & indulgentias Regularibus conceſſas recognoſcerent, iiſque recognitis rem nobiſcum communicarent.

§. 3. Cùm itaque præfati Cardinales privilegia, conceſſiones, & gratias prædictis Religionibus, & ordinibus conceſſas diligenter inſpexerint, & examinaverint, ac eorundem ordinum ſuperiores, & officiales pluries audiverint, ac circa eaſdem indulgentias varia dubia, & incertitudines, & confuſiones adeſſe comperterint, & ex judicio eorundem etiam Regularium, & aliquorum ex illis nobis propoſuerint, valdè expedire pro eorum majori ſecuritate, & beneficio, ut indulgentias ipſis Religionibus, & ordinibus ad inſtar, vel per communicationem, aut alio modo hactenus conceſſas annullaremus, & revocaremus, ac alias particulares illis concederemus.

§. 4. Nos matura ſuper hoc conſultatione præhabita, cupientes perſonis Regularibus quibuſcumque quorumvis ordinum, tàm monaſticorum, quàm mendicantium ſpirituale ſolatium, & juvamen afferre, infraſcriptas indulgentias, & gratias, quas perſonis Regularibus intra clauſtra, aut extra, cum licentia tamen ſuorum ſuperiorum legitima de cauſa illis conceſſa degentibus, tantummodo ſuffragari debere declaramus, concedendas duximus.

§. 5. Omnibus igitur Chriſti fidelibus, qui canonicè, & juxta ordines cujuslibet Religionis, & Conſtitutiones Apoſtolicas habitum Regularem à legitimis ſuperioribus, cauſa profitendi in illo ſuſceperint, die primo eorum ingreſſus in ipſam Religionem, ſi verè pœnitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam.

§. 6. Ac cuilibet Novitio, qui pœnitens, & confeſſus, ac ſacra Communione refectus, poſt completum probationis annum profeſſionem emiſerit, etiam plenariam.

§. 7. Nec non cuilibet Religioſo intra clauſtra ſui Monaſterii viventi, qui in Feſto principali ſui Ordinis, Confeſſus, & ſacra Communione refectus fuerit, aut Miſſam recitans pro Chriſtianorum principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad DEUM preces effuderit, etiam plenariam.

§. 8. In cujuslibet verò mortis articulo ſi pariter verè pœnitens, & Confeſſus, ac ſacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, ſaltem contritus, Nomen JESU, ore, ſi potuerit, ſin autem corde devotè invocaverit, etiam plenariam.

§. 9. Qui verò ad Presbyteratus ordinem Canonicè promotus, & Confeſſus primam miſſam celebrabit, nec non etiam iis Religioſis, qui pariter Confeſſi, ac ſacra Communione refecti eidem Miſſæ interfuerint, aut ipſo die Miſſam ſimiliter celebrabunt, etiam plenariam.

§. 10. Iis verò qui de ſuorum ſuperiorum licentia à negotiis per decem dies alieni, in cella commorabuntur, aut ab aliorum converſatione ſeparati, in piorum librorum, & aliarum rerum ſpiritualium, animos ad devotionem, & ſpiritum inducentium lectionibus operam ſuam dederint, addendo ſæpè conſiderationes, & meditationes myſteriorum fidei Catholicæ, Divinorum beneficiorum, quatuor noviſſimorum, Paſſionis Domini Noſtri JESU Chriſti, & aliorum exercitiorum, orationum jaculatoriarum, aut vocalium, ſaltem per duas horas in die, & nocte orationibus mentalibus ſeſe exercendo, faciendo eodem tempore Confeſſionem generalem, aut annualem, vel ordinariam ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, aut Miſſam celebraverint, toties pro quolibet prædictorum exercitiorum plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus.

§. 11. Præterea iidem Religioſi intra clauſtra viventes, qui ſuam Eccleſiam devotè viſitaverint, & ut præfertur, oraverint, conſequantur eaſdem indulgentias, quas viſitantes Eccleſias Urbis, & extra eam diebus ſtationum conſequuntur, in omnibus diebus, perinde ac ſi ipſas Urbis Eccleſias perſonaliter viſitarent.

§. 12. Omnibus item Religioſis intra clauſtra ut ſuprà viventibus, qui quinquies orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam ante Altare eorum Eccleſiæ in quolibet die oraverint, quinque annos, & totidem quadragenas.

§. 13.

§. 13. Iis verò qui de ſuorum ſuperiorum licentia in itinere exiſtentes, aut extra clauſtra degentes tamquam Prædicatores, & Lectores, quinquies eandem orationem Dominicam, & toties ſalutationem angelicam ante quodlibet altare ſimiliter dixerint, etiam quinque annos, & totidem quadragenas.

§. 14. Nec non etiam eiſdem Religioſis, qui per menſem integrum ſingulis diebus ſpatio mediæ horæ orationem mentalem fecerint, ac Confeſſi, & ſacra Communione ultima Dominica menſis hujuſmodi refecti fuerint, ſexaginta annos, & totidem quadragenas.

§. 15. Qui verò contrito corde, & penitentes eorum culpas, & peccata, ac imperfectiones in capitulis culparum accuſabunt, & ſpiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facient, tres annos, & totidem quadragenas.

§. 16. Quotieſcunque autem de licentia ſummi Pontificis, aut ſuorum ſuperiorum in ditiones, & terras infidelium, aut hæreticorum ad concionandum, aut Catholicos docendum, vel infideles, & hæreticos ipſos ad fidem Catholicam convertendum, & Eccleſiæ gremio reducendum miſſi fuerint, ſi pœnitentes, & confeſſi, ac ſanctiſſima communione refecti fuerint, vel Miſſam celebraverint, ut meliùs ad hujuſmodi opus ſe ſe parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet quando itineri ſe accingent, & quando in provinciam, ubi prædicta opera eis exercenda erunt, ingreſſi fuerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino pariter concedimus, & elargimur.

§. 17. Et inſuper, cùm ſuperior in viſitationibus generalibus, orationes quadraginta horarum pro bono viſitationis progreſſu collocare voluerit, iis Religioſis, qui dictis orationibus ſaltem ſpatio duarum horarum in diverſo tempore interfuerint, & ibi pro Chriſtianorum principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, nec non diſciplinæ, & obſervantiæ regularis augmento pias ad DEUM preces, ut ſupra dictum eſt, effuderint, ſi Confeſſi, & ſacra communione refecti fuerint, aut Miſſam celebraverint, plenariam ſimiliter omnium peccatorum indulgentiam, & remiſſionem, ut præfertur, concedimus.

§. 18. Volumus autem ut omnes ſupradictæ indulgentiæ, & gratiæ Religioſis Regularibus cujusvis ordinis tam monaſtici, quàm mendicantis, dumtaxat, ut præfertur conceſſæ, etiam omnibus monialibus cujusvis regulæ approbatæ, & intra clauſtra cum tribus votis ſolemnibus viventibus, & perpetuam clauſuram ſervantibus, tam ordinariis locorum, quàm etiam regularibus cujuſcunque ordinis, Regulæ, & inſtituti ſubjectis ſuffragentur. Præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

§. 19. Cæterùm omnes, & ſingulas indulgentias quibuſcunque ordinibus, & inſtitutis regularibus hujuſmodi, etiam mendicantibus, & quibuslibet perſonis regularibus, tam vigore privilegiorum, & litterarum Apoſtolicarum, quàm vivæ vocis oraculo, aut aliàs quovis modo, per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Apoſtolicam Sedem hactenus conceſſas confirmatas, approbatas, & innovatas, auctoritate, & tenore prædictis perpetuò revocamus, caſſamus, annullamus, & abrogamus, & ad præſentium noſtrarum litterarum præſcriptum reducimus, & moderamur.

§. 20. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac eorundem ordinum, & inſtitutorum regularium, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam Mare magnum, & Bulla Aurea nuncupatis, eiſdem ordinibus, & inſtitutis eorumque Monaſteriis, Conventibus, Collegiis, Domibus, Superioribus, & Perſonis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

§. 21. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides habeatur ubique, quæ præſentibus ipſis originalibus litteris haberetur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris. Die 23. Maji. 1606. Pontificatus Noſtri Anno 2.

*Hæc Bulla habetur in Bullario Cherubini tom. 3. pag. 201.*

*Indulgentia Archi-Confraternitatis Chordigerorum S. P. N. Franciſci Seraphici.*

## PAULUS PAPA V.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

NUper Archi-Confraternitati chordigerorum in Eccleſia Domus Fratrum S. Franciſci Aſſiſienſis. Ordinis Minorum Conventualium Canonicè erectæ, & illius Confratribus certas indulgentias, & gratias ſpirituales conceſſimus per noſtras in forma brevis litteras hujus tenoris, videlicet. Cùm certas unicuique Confraternitati indulgentias, & gratias ſpirituales, quibus impoſterum fruantur, duxerimus præſcribendas, idcirco omnes, & ſingulas indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes Archi-Confraternitati Chordigerorum in Eccleſia Domus Fratrum S. Franciſci Aſſiſien. Ordinis Minorum Conventualium Canonicè erectæ, & illius fratribus, hactenus per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros conceſſas revocantes, & annullantes, nullius roboris, & momenti poſt hæc data præſentium fore declarantes, de Omnipotentis DEI miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi.

I. Omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui in memoriam ejuſdem Sancti Franciſci Cordam benedictam, ab ejuſdem ordinis ſuperioribus ſuſcipientes, prædictam Archi-Confraternitatem de cætero ingredientur, die prima eorum ingreſſus, ſi verè pœnitentes, & Confeſſi, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam.

II. Ac tam ipſis pro tempore deſcribendis, quàm jam deſcriptis in dicta Archi-Confraternitate Confratribus, & Conſororibus, etiam verè Pœnitentibus, & Confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui prædictæ Confraternitatis Eccleſiam, ſeu Oratorium, in feſto principali ejuſdem Archi-Confraternitatis, à primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis ejuſdem feſti ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro principum Chriſtianorum concordia, hæreſum extirpatione, & ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad DEUM preces effuderint, etiam plenariam.

III. In mortis quoque articulo ejuſdem confratribus, & conſororibus, qui penitentes, & confeſſi, ac ſacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, ſaltem verè pœnitentes Nomen JESU, ore, ſi potuerint, ſin autem, corde devotè invocaverint, ſimiliter omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus.

IV. Nec non ipſis Confratribus, & conſororibus qui prædictæ Archi-Confraternitatis proceſſioni ſingulis menſibus fieri ſolitæ interfuerint, tres annos, & totidem quadragenas, & ſi fuerint confeſſi, ac ſacra communione refecti, ibique pias ad DEUM preces effuderint, etiam plenariam.

V. Qui verò officio Beatæ MARIÆ Virginis ab ejuſdem Archi-Confraternitatis Confratribus pro tempore celebrando, & recitando, aut cuivis alteri officio pariter interfuerint, centum dies.

VI. Inſuper eiſdem, qui ſanctiſſimum Sacramentum, quando ad infirmos defertur, comitati fuerint, quinque annos, & totidem quadragenas.

VII. Qui verò penitentes, & confeſſi, ac ſacra communione refecti aliquam ex Eccleſiis dicti Ordinis Minorum Conventualium, S. Franciſci, S. Antonii de Padua, S. Bonaventuræ, S. Ludovici Epiſcopi, S. Bernardini, S. Claræ, ac S. Didaci feſtivitatibus, ſingulis annis viſitaverint, & oraverint, ut præfertur, quo die feſtivitatum hujuſmodi id egerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas.

VIII. Quoties verò Corpora defunctorum tam Confratrum, quàm aliorum ad ſepulturam comitati fuerint, aut alicui pauperi perſonæ in ejus neceſſitatibus ſubvenerint; aut pacem inter inimicos compoſuerint, toties pro quolibet prædictorum operum, centum de injunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis, in forma Eccleſiæ conſueta, relaxamus.

IX. Inſuper eiſdem Confratribus, & conſororibus, ut ſupradictas indulgentias, & gratias ſpirituales conſequi, & illas animabus defunctorum, per modum ſuffragii applicare poſſint per præſentes concedimus, & indulgemus.

Ac prætereà dilecto Filio moderno, & pro tempore exiſtenti prædicti Ordinis Minorum Conventualium Miniſtro Generali, ut Confraternitates Laicorum utriuſque ſexus, ſub dicta invocatione chordigerorum S. Franciſci, in qualibet Eccleſia Domorum Fratrum Ordinis ſui Minorum Conventualium S. Franciſci erigere, & inſtituere,

ſer-

ſervata tamen forma præſcripta in conſtitut. fel. rec. Sixti Papæ V. ſub Dat. XIII. Kalend. Decembris, Pontificatus ſui anno primo, & Clementis VIII. Prædeceſſorum noſtrorum ſuper hoc edita, poſſit, & valeat facultatem impertimur.

Quæ quidem Confraternitates ſi, & poſtquam erectæ, & inſtitutæ fuerint eidem Archi-Confraternitati Sancti Franciſci Aſſiſienſis, juxta prædictam Sixti V. Conſtitutionem, ſint, & eſſe intelligantur aggregatæ. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque, præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo piſcatoris, die 11. Martii 1607. Pontificatus noſtri anno II.

Cùm autem ex conceſſione fel. rec. Sixti Papæ V. Prædeceſſoris noſtri dilectis Filiis Miniſtro Generali, & Commiſſario Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de obſervantia in Eccleſiis eorum ordinis, in locis videlicet, in quibus Eccleſiæ, vel conventus Fratrum Conventualium non exiſterent; hujuſmodi Confraternitatem chordigerorum erigendi, & inſtituendi facultas impartita fuerit; nos eiſdem Miniſtro Generali, & Commiſſario Generali ſpecialem gratiam facere, & Chriſti fidelium ſpirituali conſolationi proſpicere volentes, de omnipotentis DEI miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, eiſdem Miniſtro Generali, & Commiſſario Generali, & eorum cuilibet, ut in Eccleſiis eorum Ordinis tantùm ac in locis, in quibus non exiſtent conventus, vel Eccleſiæ Ordinis Minorum Conventualium S. Franciſci, Confraternitates chordigerorum S. Franciſci, utriuſque ſexus erigere, & inſtituere, illiſque ſic erectis, & inſtitutis, indulgentias, & gratias ſpirituales ſupradictas communicare liberè, & licitè poſſint, & valeant, ſervata tamen forma in prædictis conſtitutionibus Sixti, & Clementis tradita, ut in præinſerto Brevi pro iiſdem Conventualibus expedito, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium facultatem, & auctoritatem perpetuò duraturam concedimus, & impartimur. Non obſtantibus noſtra de non concedendis indulgentiis, ad inſtar, ac aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac utriuſque Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia, roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum, quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis, cæteriſque quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Marcum ſub annulo Piſcatoris, die XXV. Septembris 1607. Pontificatus noſtri anno tertio.

*Hæc Bulla habetur in Theatro Regularium R. P. Angeli à Lantuſca Verſ. confraternitas num. 3.*

Indulgentiæ Conceſſæ

*Pro feſtis Ordinis S. P. N. Franciſci Seraphici.*

## S I X T U S P A P A V.

*Univerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

CUm à primæva inſtitutione Regulæ B. Franciſci tam ob illius, & SS. Antonii de Padua, Ludovici Epiſcopi, & Confeſſoris, Bonaventuræ, & Bernardini, necnon Divæ Claræ, aliorumque ejuſdem Ordinis ſequacium Sanctitatem, & Miraculorum multitudinem, quàm etiam ob multorum ipſius Religionis Summorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum merita: ingens ubique Chriſti fidelium multitudo ſingularem erga quemcumque dictorum Sanctorum gerat devocionis affectum. Nos ut ipſorum fidelium devotionis affectus hujuſmodi non modò conſervetur, ſed in dies magis augeatur, animarumque ſaluti uberiùs conſulatur, precibus etiam dilecti filii Clementis Bontadoſii Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Miniſtri Generalis ſuper hoc nobis humiliter porrectis inclinati, tam omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Minorum Conventualium, Capuccinorum, & de obſervantia nuncupatorum Fratribus, & Monialibus, quàm cæteris utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui verè pœnitentes, & confeſſi, ac ſacra communione refecti, diebus feſtis Sanctorum Franciſci, Antonii de Padua, Bonaventuræ, Ludovici Epiſcopi, & Confeſſoris, ac Bernardini, prædictorum eorundem Fratrum Minorum Conventualium Cappucinorum, & de obſervantia; nec non die feſtivitatis S. Claræ, Monialium dicti Ordinis Monaſteriorum ubilibet conſtitutorum Eccleſias tam erectas, quàm erigendas, vel earum aliquam, à primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis eorundem dierum, ſingulis annis devoti viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum principum concordia, hæreſum extirpatione, & Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad DEUM preces effuderint, quo die præfatorum id egerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Non obſtantibus, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Ut autem præſentes litteræ ad ipſorum Chriſti fidelium notitiam facilius cujuſque perveniant, volumus quod earum exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Marcum, ſub Annulo Piſcatoris, die 28. Septembris 1585. Pontificatus noſtri Anno primo.

Joann. Baptiſta Canobius.

*Hæc Bulla habetur in Theatro Regularium R. P. Angeli à Lantuſca, Verſ. indulgentia num. 5.*

## I N D U L G E N T I A

*Conceſſa pro Feſto Portiunculæ extrà Aſſiſium.*

## G R E G O R I U S P A P A XV.

*Ad futuram rei memoriam.*

SPlendor paternæ gloriæ, qui ſua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota Fidelium de clementi ejus Majeſtate ſperantium, tunc præcipuè benigno favore proſequitur, cùm devota ipſorum humilitas Sanctorum precibus, & meritis adjuvatur. Volentes igitur omnes, & ſingulas Eccleſias Ordinis Fratrum Sancti Franciſci de obſervantia, etiam Reformatorum, ubique exiſtentes aliquo ſpirituali munere illuſtrare, de omnipotentis DEI miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & Confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui aliquam ex dictis Eccleſiis in ſecunda die menſis Auguſti, à primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi, ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum principum concordia, hæreſum extirpatione, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad DEUM preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo alicujus Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 4. Julii 1622. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

S. Card. S. Suſannæ.

*Hæc Bulla habetur in Theatro Regularium P. Angeli à Lantuſca Verbo; indulgentia num. 5.*

Indulgentia Portiunc. Aſſiſiatenſis

*Non ſuſpenditur in Anno Jubilæi.*

## I N N O C E N T I U S P A P A XII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

CUm ob ſacri Jubilæi celebrationem à Vigilia Nativitatis Domini noſtri JESU Chriſti proximè venturi anni inchoandam, & uſque ad finem ejuſdem anni duraturam, omnes, & ſingulas indulgentias, & peccatorum remiſſiones, quibusvis Eccleſiis, Monaſteriis, hoſpitalibus, & aliis locis piis, ſæcularibus, & quorumvis ordinum, etiam mendicantium Regularibus, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clauſulis, & decretis, quomodolibet conceſſas, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſuſpenderimus, ac ſuſpenſas eſſe declaraverimus, eaſque eodem anno durante, nulli prodeſſe, aut ſuffragari debere decreverimus, prout in noſtris ſub plumbo de ſuper expeditis litteris, quarum tenorem præſentibus pro expreſ-

ſis

*norum S. Franciſci Strictioris obſervantiæ, Recollectorum, & Reformatorum, in ſpecie Indulgentias Viæ Crucis, & Montis Calvarii concernens, Anno 1695. 17. Calendas Januarii edita, & ad Archi-Epiſcopum Valentinum, actualem Inquiſitorem Generalem, & Nuntium Hiſpaniarum directa.*

INNOCENTIUS EPISCOPUS &c.

*Salutem &c.*

SUa nobis dilectus filius Frater Franciſcus Diaz à ſancto Bonaventura Sacrarum Congregationum Indicis, Rituum, & ſuper diſciplina ſeu reformatione Regularium Conſultor, ac Miſſionariorum diverſarum provinciarum Ordin. FF. Min. S. Franciſci Familiæ Ultramontanæ Procurator petitione monſtravit, quod aliàs ad ipſius inſtantiam à felic. record. Innocentio Papa XI. Prædeceſſore noſtro litteræ in forma brevis ſub die 5. Septembris, de Anno Domini 1686. emanarunt, in quibus confirmata reperitur communicatio privilegiorum, & indulgentiarum, etiam plenariarum, uſque tunc non revocatarum, inter Eccleſias, loca, Cõfraternitates, Congregationes, Ordines, & Perſonas utriuſque ſexus obedientiæ, vel directioni Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Min. S. Franciſci ſubjectas, à pluribus Romanis Pontificibus, ipſius Innocentii, & noſtris etiam Prædeceſſoribus, eiſdem per diverſa privilegia conceſſa, à qua communicatione, prout iteratis vicibus, à Sede Apoſtolica extitit declaratum, reſultare dignoſcitur, quòd, quando decoratum reperitur Altare unius loci, vel una Eccleſia, aut una Confraternitas, ſeu quævis Congregatio Ordove aliquarum è dictis perſonis aliqua indulgentia ſive plenaria, ſive non, applicabili per modum ſuffragii, vel non applicabili pro animabus purgatorii, ad favorem earumdem tantùm perſonarum, vel omnium ſimul Chriſti fidelium conceſſa, minimè tamen revocata, qui in eo loco, altari, vel Eccleſia Confraternitatum, in diebus in conceſſione expreſſis perfecerint, quod per eamdem conceſſionem fuerit præſcriptum, in omni loco, Altari, vel Eccleſia Confraternitatum, Congregationum, Ordinum, & Perſonarum præfatarum eadem indulgentia ab omnibus reſpectivè acquiratur, qui iiſdem diebus, eaſdem ibi emiſerint diligentias in conceſſione taxatas. Verùm ſicut eadem petitio ſubjungebat prætendentibus nonnullis ſcrupuloſis, quòd in præfata communicatione Generali comprehenſa non veniant loca, & Eccleſiæ terræ ſanctæ, aliarumque partium Orientis, exiſtentium extra Jeruſalem, ad tollenda de medio quæcumque dubia fuit nobis pro parte præfati Ordinis humiliter ſupplicatum, quatenus non eſſent excluſa præmemorata loca, & Eccleſiæ terræ ſanctæ, & multo minùs aliarum partium Orientis à communicatione mutua, & reciproca, quæ includitur in ea generalitate ampliſſima, ſub qua loquuntur privilegia, & conſtitutiones Pontificiæ præfatæ, ad hoc, ut indulgentiæ ſæpe dictæ eiſdem conceſſæ, & uſque modo non revocatæ, obtineri valeant ſine ullo dubio in aliis Eccleſiis, Altaribus, & locis piis, ac devotis ſpectantibus ad Perſonas præmemoratæ obedientiæ, vel directioni ſubjectas, ſtante quòd ſanctæ Sedis mens fuit ſemper hæc omnia loca reddere æqualiter condecorata, & à fidelibus venerata, ob meritum æquale, uniforme, vel æquivalens, quod jam dictæ Perſonæ in Dei, & ſanctæ Eccleſiæ ſervitio peragunt, de continuo, declarare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos verò præfatam declarationem commiſimus Congregationi dilectorum Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, quæ ſub die 16. Menſis Julii, currentis anni, perpenſis prædictis litteris dicti Innocentii XI. Prædeceſſoris noſtri declaravit, prædicta loca, & Eccleſias terræ ſanctæ, aliarumque partium Orientis extra Jeruſalem eſſe comprehenſa, ſive comprehenſas in dictis privilegiis, indultis, & indulgentiis, & deinde ſub die 27. ejuſdem menſis ſententiam prædictæ Congregationis approbavimus, ut in Decreto dictæ Congregationis deſuper edito latiùs continetur.

Sed quia adhuc poſt prædictum Decretum dubitabant nonnulli, an mens dictæ Congregationis fuerit, ſtabilire, quod pia loca viæ Crucis, ſeu Calvariæ, ad recolendam ſeu meditandam Chriſti Paſſionem à præmemoratis Perſonis, ſeu Ordinibus ad inſtar ſtationum Calvarii Montis juxta diverſa etiam Privilegia Sanctæ Sedis erecta, comprehenſa ſint in præfata mutua communicatione, eadem Congregatio ſub die 12. menſis Nov. mox elapſi declaravit, etiam præfata pia loca comprehendi in ſæpe dictis litteris Innocentii XI. Prædeceſſoris noſtri, ac proinde frui, & gaudere poſſe indulgentiis, & Privilegiis, in eiſdem litteris contentis, & expreſſis, ac nos ſententiam præmemoratæ Congregationis ſub die 15. ejuſdem menſis Novembris pariter benignè approbavimus, ſicuti in Decreto præfatæ Congregationis deſuper ſimiliter emanato pleniùs continetur. Cùm autem, ſicut dicta petitio etiam ſubjungebat, idem exponens pro majori tam præfatorum Miſſionariorum, quàm cœterarum Perſonarum præmemoratarum quiete, cupiat, ut litteræ præfatæ, ac declarationes, & Decreta à memorata Congregatione cum noſtra approbatione deſuper emanata ſuum ubique ſortiantur effectum, non obſtante forſan ſiniſtra interpretatione, ſeu contradictione nonnullorum Religioſorum aliorum Ordinum mendicantium in illis partibus commorantium adverſariorum, quod facere nequit abſque ſpeciali noſtro reſcripto, ideò, ne litteræ, & declarationes, ac Decreta hujuſmodi ſuo debito careant effectu, nobis humiliter ſupplicari fecit exponens prædictus, ut ei in præmiſſis opportunè providere de ſimili benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ſtatum, & merita cauſæ, & cauſarum hujuſmodi præſentibus pro expreſſis habentes, ipſumque exponentem, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis à jure, vel ab homine, quavis occaſione latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium tantùm conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni veſtræ, attento, ſicut dictus exponens aſſerit, quòd agitur inter exemptos, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, vocatis dictis adverſariis, & aliis, qui fuerint evocandi, ad executionem memoratarum litterarum, ac declarationum, nec non Decretorum hujuſmodi, juxta illorum formam, & tenorem, prout de jure, & dummodò judicium, ſuper præmiſſis alibi cœptum non ſit auctoritate noſtra procedatis, procedi, ve mandetis, & faciatis. Nos enim vobis, & cuilibet veſtrùm, etiam per edictum publicum, conſtito de non tuto acceſſu, quos, quibus, quoties, ubi, quando opus fierit, citandi illiſque, & quibus videbitur, ſub ſententiis, cenſuris, & pœnis inhibendi, contradictores in illas incidiſſe, ſervata forma Concilii Tridentini, declarandi, aggravandi, reagravandi, & interdicendi, auxiliumque brachii ſæcularis ad hoc ſi opus fuerit, invocandi, nec non alia in præmiſſis neceſſaria, & opportuna faciendi, exercendi, & exequendi plenam, & liberam, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus facultatem. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctam MARIAM Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ 1695. decimo ſeptimo Calendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno quinto.

*Hæc Bulla videri poteſt in Breviario noſtro Franciſcano, in Rubricis Particularibus, nu. 182. & ſeqq.*

Indulgcotiæ terræ Sanctæ.

*Clemens Papa X. Confirmat Indulgentias, & gratias omnes terræ ſanctæ locis hucuſque conceſſas, & non revocatas.*

CLEMENS PAPA X.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

PIis Chriſti fidelium votis, ex quibus ſacrorum locorum venerationem, & animarum ſalutem provenire conſpicimus, libenter annuimus, & illa, quantum nobis ex alto conceditur, favoribus Apoſtolicis confovemus. Cùm itaque ſicut dilectus filius Jacobus à JESU MARIA Frater expreſsè profeſſos provinciæ Valentin. Ordinis Minorum Sancti Franciſci da obſervantia nuncupatorum, ac Commiſſarius, & Procurator Generalis in Romana Curia totius Familiæ terræ ſanctæ, Nobis nuper exponi fecit, ipſe ad ejuſdem terræ ſanctæ ſubſidium, eorumdemque Fratrum inibi vineam Domini aſſiduè excolentium ſacraque loca venerantium ſubventionem, nec non ad ſpiritualem Catholicorum in illis partibus degentium, eoque devotionis cauſa peregrinantium conſolationem, & profectum omnia, & ſingula, gratias, Privilegia, Indulgentias hucuſque ſacræ ejuſdem terræ ſanctæ locis Apoſtolica auctoritate conceſſa, & confirmata per nos eadem auctoritate confirmari, & approbari plurimùm deſideret. Nos deſiderio hujuſmodi annuere, ipſumque Jacobum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccle-

ſiaſticis

Digitized by Google

ſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtat, ad effectum præſentium tantùm conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus, ejus Nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnia, & ſingula Privilegia, conceſſiones, facultates, indulta, indulgentias, cæteraſque gratias ſpirituales, & temporales eiſdem locis, & illa viſitantibus, nec non dicti Ordinis Guardiano, & Fratribus in dictis partibus degentibus, per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac Sedem Apoſtolicam in genere, vel in ſpecie, aut aliàs quomodolibet conceſſa, quatenus ſint in uſu, & non ſint revocata, aut ſub aliquibus revocationibus comprehenſa exiſtant, ſacriſque canonibus, conſtitutionibus Apoſtolicis, ac Concilii Tridentini Decretis non adverſentur Apoſtolica auctoritate tenore præſentium confirmamus, & approbamus, ac perpetuæ, & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robore communimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper in eis quomodolibet intervenerint ſupplemus. Nec non inſuper omnibus, & ſingulis eorundem fratrum interpretibus nunc Hieroſolymis, Bethlebem, & Nazareth exiſtentibus, & viventibus in cujuslibet eorum mortis articulo, ſi verè pœnitentes, & confeſſi, ac ſacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint ſaltem contriti, Nomen JESU ore, ſi potuerint, ſin minùs, corde, devotè invocaverint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctam MARIAM Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 11. Junii 1670. Pontificatus noſtri Anno primo.

J. G. Sluſius.

*Hæc Bulla habetur in ſupplemento Theatri Regularium R. P. Angeli à Lantuſca verbo, indulgentia, nu. 1.*

I N D U L G E N T I Æ

*Roſariorum, & Crucum Jereſolymitanarum.*

Forma Indulgentiarum.

*Quas Sanctitas noſtri Domini Papæ Innocentii Undecimi concedit in perpetuum per Breve, quod incipit. Unigeniti DEI Filii. Datum 28. Jannarii 1688. Crucibus, Coronis, & Roſariis, quæ tetigerunt loca ſacra Terræ Sanctæ, & ſacras Reliquias ibi exiſtentes, revocando, & annullando omnes alias indulgentias, quæ dicuntur eſſe conceſſæ ab aliis Summis Pontificibus ſupradictis Crucibus, Coronis, &c. Ad inſtantiam P. Marini Sormani Miniſtri Generalis totius Ordinis Seraphici Minorum Obſervantium Sancti Franciſci.*

Quicunque habebit ſecum aliquam Crucem, Roſarium, aut Coronam, quæ tetigit loca ſancta, & ſacras Reliquias Terræ ſanctæ, lucrabitur indulgentias ſequentes, operando, ſicut ſequitur. Videlicet.

Qui conſueverit dicere ſemel ad minus in ſeptimana Coronam Domini, aut Dominæ, aut Roſarium, vel tertiam ejus partem, aut Officium, vel Divinum, vel parvum Dominæ, vel de mortuis, aut ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, vel Graduales; aut docere doctrinam Chriſtianam, vel inviſere carceratos, vel infirmos alicujus hoſpitalis, vel ſubvenire pauperibus, vel Miſſam audire, vel, quando Sacerdos eſt, illam legere, ſi verè pœnitens, & Confeſſus apud Confeſſarium approbatum ab Ordinario, communicaverit in quolibet infraſcriptorum dierum, ſcilicet: Natali Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, in Feſtis Sanctiſſimæ Trinitatis, & Corporis Domini: in Feſtis Purificationis, Annuntiationis, Aſſumptionis, & Nativitatis Beatiſſimæ Virginis, in Nativitate S. Joannis Baptiſtæ, in Feſtis SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Philippi, & Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & Judæ, Matthiæ, & omnium Sanctorum, & devotè oraverit DEUM, pro extirpatione Hæreſum, & Schiſmatum, pro augmento fidei Catholicæ, pro pace, & concordia principum Chriſtianorum, & pro aliis neceſſitatibus ſanctæ Eccleſiæ, in ipſo die acquirit remiſſionem omnium ſuorum peccatorum, & indulgentiam plenariam.

Qui faciet illas ipſas res in aliis Feſtis Domini, aut Beatiſſimæ Virginis, in unoquoque dictorum dierum conſequetur ſeptem annos, & totidem Quadragenas de indulgentia: & faciendo eaſdem in unaquaque Dominica, aut in alio Feſto Anni lucrabitur quinque Annos, & totidem Quadragenas; faciendo in alio die Anni, acquiret centum dies de indulgentia.

Quicunque in Articulo mortis devotè recommendabit DEO animam ſuam, invocando Nomen JESU ore, aut, ſi non poteſt corde, verè pœnitens, Confeſſus, & Communicatus, aut, ſi non poteſt, ad minus contritus, conſequetur remiſſionem omnium ſuorum peccatorum, & indulgentiam plenariam.

Qui faciet aliquam orationem præparatoriam ante Celebrationem Miſſæ, aut Communionem, aut ante recitationem Officii Domini, vel Beatæ Virginis, conſequetur ſemper quinquaginta dies de indulgentia.

Qui viſitabit carceratos, aut infirmos in hoſpitali adjuvando eos aliquo opere pio, aut in Eccleſia docebit doctrinam Chriſtianam, vel domi tradet eam propriis filiis, parentibus, ſervis, ſemper lucratur ducentos dies de indulgentia.

Qui conſueverit ſemel ad minùs in ſeptimana dicere Coronam, aut Roſarium, aut Officium noſtræ Dominæ, aut de mortuis, aut Veſperas, aut unum Nocturnum ad minus cum Laudibus, aut ſeptem Pſalmos pœnitentiales cum Litaniis, & precibus, lucratur in illo die, quo id dicet, centum dies, ultra indulgentias conceſſas à Sancto Pio V.

Qui ad ſonum campanæ alicujus Eccleſiæ manè, aut ſero, aut medio die recitabit ſolitas preces: *Angelus Domini.* Aut ſi id non ſciat, unum *Pater noſter, & unum Ave Maria*, aut pariter, dum ſonat ſignum pro mortuis, dicet *Pſalmum de Profundis, aut unum Pater, & Ave Maria*, ſi non ſciat illum Pſalmum, conſequetur centum dies de indulgentia.

Qui in die Veneris devotè meditabitur Paſſionem, & mortem JESU Chriſti Domini noſtri, & dicet *ter Pater noſter, & Ave Maria*, in illo die lucratur centum dies de indulgentia.

Qui verè penitens de ſuis peccatis cum firmo propoſito ſe emendandi faciet examen conſcientiæ, & recitabit *ter Pater noſter, & Ave Maria*, aut in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis ſimiliter dicet *ter Pater noſter, & Ave Maria*, aut in memoriam quinque Vulnerum JESU Chriſti *quinque Pater noſter, & Ave Maria*, lucratur centum dies de indulgentia.

Qui orabit devote pro fidelibus agonizantibus, vel dicet unum *Pater noſter*, ad minus, & *Ave Maria* pro ipſis, conſequetur in illo die quinquaginta dies de indulgentia.

Omnes ſupradictas indulgentias poteſt quis lucrari pro ſe in ſupradictis diebus, aut eas applicare per modum Suffragii animabus purgatorii.

G. F. Albani, Secret.

Romæ in Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ, 1698.

*Hoc decretum Roma tranſmiſſum accepi in Idiomate Italico.*

I N D U L G E N T I Æ

*Coronarum, & Crucum Jeroſolymitanarum, & Carravaccenſium declarantur.*

Decretum ſacræ Congregationis Indulgentiis, & ſacris Reliquiis præpoſitæ.

*S U B*

INNOCENTIO PAPA XIII.

Nuper ſacræ Congregationi indulgentiis ſacriſque Reliquiis præpoſitæ relatum fuit, paſſim evulgari Summarium quoddam indulgentiarum germanico idiomate conſcriptum, quod latinè verſum incipit: *Indulgentiæ, quæ conceſſæ fuerunt à Sac. mem. Papa Sixto V. Paulo V. Urbano VIII. Innocentio X. Alexandro VII. Clemente IX. ſuper Coronis, Crucibus factis Hieroſolymis, & Bethlehem denuo confirmata à Summis Pontificibus Clemente X. & Innocentio XI. die 11. Junii, Anni 1670. Impreſſum Auguſtæ à Joanna Michaele Labbart, Anno 1720.*

Cùm autem in dicto Summario nonnullas indulgentias falſas, aut Apocryphas, aut ab Apoſtolica Sede revocatas contineri deprehenſum fuerit; ideò, ne fideles decipiantur, eadem ſacra Congregatio habita die 11. Martii, 1721. prædicti Summarii Auguſtæ impreſſi, vel denuò ubicumque

qae

Digitized by Google

que imprimandi uſum interdixit, illudque prohibuit ſub pœnis in indice librorum prohibitorum contentis, declarando geſtantes Cruces, & coronas, quæ loca Terræ ſanctæ, & ſacras Reliquias ibi exiſtentes tetigere, illas dumtaxat indulgentias lucrari poſſe, quas ſan. mem. Innocentius XI. litteris, in forma Brevis emanatis, die 28. Januarii, Anni 1688. prædicta geſtantibus, & pia opera in eodem Brevi præſcripta devotè peragentibus conceſſit. Inſuper dum eidem ſacræ Congregationi pariter delatum fuerit, nonnullos turpis lucri cupidos, non ſine magno fidelium ſcandalo, prædictas Cruces, & Coronas publicè vendere, aut mercibus commutare, auſu temerario non erubeſcere: Ideò ſtrictè prohibuit, ne impoſterum, aut publicè, aut ſecretò vendantur, aut quomodocumque commutentur; addita etiam declaratione, quòd non tranſeant perſonam illorum, quibus prima vice diſtribuuntur, & quòd neque commodari, aut precario dari poſſunt, & quod aliqua re ex prædictis deperdita, pro ea ſubrogari altera non valeat. Quod, ſi ſecùs fiat, prædictæ Cruces, & Coronæ careant indulgentiis jam conceſſis. Cùm etiam ſacræ Congregationi indulgentiarum innotuerit, evulgatum fuiſſe alterum Summarium indulgentiarum germanico pariter idiomate conſcriptum abſque loco editionis, & nomine Impreſſoris, cujus Initium latinè redditum eſt: *Indulgentia, quæ Crucibus Caravaccenſibus conceſſa fuerunt à Romanis Pontificibus Pio V. Gregorio XV. & Clemente X. Denuo confirmata ab Innocentio XII.* Et excipit pro conſolatione Chriſti fidelium, & ſanctæ Crucis Amatorum, in quo multæ indulgentiæ pęnitus confictæ, Apocryphæ, & falſæ deprehenſæ fuerunt, eadem ſacra Congregatio dicti Summarii impreſſionem, & uſum ſub iiſdem pęnis in indice librorum prohibitorum contentis interdixit. Quibus omnibus per me Secretarium ſanctiſſimo D. N. Innocentio XIII. Relatis die 4. Menſis Junii, Sanctitas ſua ſententiam ſacræ Congregationis approbavit, & in omnibus executioni mandari juſſit.

Datum Romæ, die 5. ejuſdem Menſis Anni 1721.

L. Card. Picus, Præfectus.

Raphael Coſmus de Hieronymis Secret.

HOc Decretum Romæ Typis Rever. Cameræ Apoſtolicæ, Anno 1721. impreſſum, in locis ſolitis, & conſuetis Urbis Romæ per Jacobum Vaſellum Apoſt. Curſ. affixum, & publicatum, atque Romæ per Notarium Apoſtolicum ſubſcriptum, & authenticatum, tranſmiſit mihi Roma, Anno 1723. 28. Auguſti A R. P. Joannes Thonii, Ord. Fratrum Min. Recoll. SS Theologia Lector Emeritus, noſtra Nationis Germano Belgica Agens Generalis Actualis Romæ, ac Notarius Apoſtolicus. Quia vero, hoc non obſtante, aliqui dicebant, præfatum Decretum ſub moderno Pontifice Maximo, Innocentio XIII. editum, ab eodem iterum fuiſſe revocatum, vel immutatum, iteratò ſcripſi Romam ad ſupradictum noſtrum Agentem Generalem A. R. P. Joannem Thonii, inſtanter rogans, ut me de hoc certificaret, qui mihi reſcripſit ſequentia: *Tranſmiſſum Decretum de Crucibus &c. Terra ſancta eſt in vigore, certeque conſtat, modernum Pontificem nihil innovaſſe, aut revocaſſe, adeòque ſtandum tenori verbali Decreti, quidquid alii dicant. Roma 20. Novembris 1723. F. Joannes Thonii.* Plura adhuc addidit ad horum confirmationem, quæ, cùm prædicta ſufficiant, non eſt neceſſarium referre.

Libri ex Bibliotheca.

P I U S P A P A V.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

CUm ſicut accepimus nonnulli Conſcientiæ ſuæ prodigi, & avaritiæ morbo laborantes libros ex Bibliothecis nonnullorum Monaſteriorum, & Domorum Ordinis S. Franciſci furto extrahere, & pęnes ſe pro eorum uſu retinere non vereantur, in animarum ſuarum periculum, & ipſarum Bibliothecarum, ac Fratrum ejuſdem Ordinis non modicum præjudicium. Nos ſuper his prout Noſtro incumbit Officio, de opportuno remedio providere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra univerſis, & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis, Sæcularibus, & Regularibus cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant, etiamſi Pontificali dignitate præfulgeant, tenore præſentium mandamus, ne ex Bibliothecis prædictis, aut earum aliqua, librum aliquem, aut quaternum furto ſubtrahere, quoquo modo præſumant. Nos enim quoſcumque ſubtrahentes excommunicationis ſententiæ ſubjacere volumus, & decernimus ipſo facto, à qua nullus ab alio, quàm à Romano Pontifice poſſit, niſi dumtaxat in mortis articulo, abſolutionis beneficium obtinere. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſteriorum, & Ordinum præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cęteriſque contrariis quibuſcumque. Verùm quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus expediens foret, deferri, volumus, quòd earum tranſumptis, manu alicujus Notarii publici inde rogati ſubſcriptis, & Sigillo alicujus Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, munitis, prorſus in judicio, & extra, ac aliàs ubilibet, fides indubia adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die quarto Novembris, 1568. Pontificatus noſtri Anno quarto.

*Hac Bulla habetur apud noſtrum P. Gaudentium KerKhove in noſtra ſtatuta Generalia c. 3. §. 9. nu. 2.*

Litteræ Pœnitentiariæ.

I N N O C E N T I U S P A P A XI.

*Ad futuram rei memoriam.*

B*Ulla: exponi nobis. Data 27. Novembris 1679. conceſſit lectoribus jubilatis Ordinis Minorum de obſervantia omnes prærogativas, præeminentias, Privilegia, & gratias, quibus alii Regulares Doctores Artium, & in S. Theologia Magiſtri fruuntur.* Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Celſus MARIA Bullo de Senis commiſſarius Generalis Curiæ, Ordinis Fratrum S. Franciſci de obſervantia nuncupatorum, quòd dudum ſtatim atque dictus ordo, ab Ordine Fratrum Minorum ejuſdem S. Franciſci Conventualium nuncupatorum, Auctoritate Apoſtolica ſeparatus fuit, Fratres Minores de obſervantia hujuſmodi, ut quidquid mundani faſtus, & ambitionis inducere poſſet, à ſe procul amoverent, ad gradus Doctoratus, Artium, & Magiſterii in ſacra Theologia promoveri, & Doctores, ac Magiſtri vocari deſierunt. Nihilo tamen minùs ejuſmodi ſcientiarum ſtudiis operam dederunt, ſed qui in illis tantum progreſſi erant, ut alios docere poſſent, ſolo contenti fuerunt, & adhuc ſunt, Nomine, & Titulo Lectorum Actualium, & habitualium, qui etiam poſt peractam juxta Apoſtolicas, & Ordinis ſui Conſtitutiones ſaltem triennio Philoſophiæ, & decennio ſacræ Theologiæ Lecturam, Lectores Jubilati vocati fuerunt, & vocantur. Cùm autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, licèt ejuſmodi Lectores jubilati quoad rem ipſam, nempe litterarum ſcientiam à Magiſtris in ſacra Theologia, & Doctoribus Artium differre non videantur; quia tamen inter eos eſt nominum, titulorumque diverſitas, nonnulli prætendant, ac etiam per ſententias judicialiter definiant, illos Doctoribus, & Magiſtris hujuſmodi in ordine ad aperiendas, & executioni mandandas litteras per officium Pœnitentiariæ Apoſtolicæ expeditas, quæ ejuſmodi Doctoribus, ſeu Magiſtris ſuper abſolutione, diſpenſatione votorum, ſeu aliorum obligatione, commutatione dirigi ſolent, ac quo ad alias prærogativas pares non eſſe. Nobis propterea dictus Celſus Maria humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur Ordinis primo dicti decori, & honorificentiæ, quantùm cum Domino poſſumus benignè conſulere, ipſumque Celſum Mariam, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes ---- hujuſmodi ſupplicationibus inclinati omnibus, & ſingulis memorati Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de obſervantia Lectoribus Jubilatis præſentibus, & futuris, ut quaſcumque litteras per officium Pęnitentiariæ Apoſtolicæ hujuſmodi pro tempore expeditas, quæ Doctoribus artium, ſeu Magiſtris in S. Theologia directæ fuerint, recipere, aperire, & juxta illarum formam, & tenorem executioni mandare, nec non quoad alias functiones Eccleſiaſticas, & litterarias quaslibet omnibus, & ſingulis prærogativis, præeminentiis, privilegiis, gratiis, & indultis, quibus Fratres expreſsè profeſſi aliorum Ordinum, Doctores Artium, & in S. Theologia Magiſtri, tam de jure, uſu, & conſuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere poſſunt, & poterunt in futurum, pari modo, uti, frui, & gau-

Digitized by Google

& gaudere liberè, licitè, & validè poſſint, & valeant, Authoritare Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & indulgemus.

Ceterum non intendimus per præſentes litteras, privilegia, exemptiones, prærogativas, gratias, & indulta, quæ præfatis Lectoribus Jubilatis per Apoſtolicas, & Ordinis primò dicti Conſtitutiones conceſſa ſunt, ullo modo augere, vel minuere, ſed illa in ſtatu, & terminis, in quibus de præſenti reperiuntur, remanere volumus &c.

*Hæc Bulla habetur apud P. Gaudentium KereKhove in noſtra ſtatuta General. cap. 7. §. 6. num. 22.*

Matrimonium Clandeſtinum.

URBANUS VIII.

*Ad futuram rei memoriam.*

EXponi Nobis nuper fecit Venerabilis Frater Archi-Epiſcopus Colonienſis, quòd habito nuper per eum ad Venerabiles Fratres Noſtros S.R.E. Cardinales ſacri Concilii Tridentioi Interpretes recurſu ſupra ioſraſcriptis dubiis, videlicet; Primò, *an incola tam maſculi, quàm fœmina loci, in quo Concilium Tridentinum in puncto Matrimonii eſt promulgatum, tranſeuntes per locum, in quo dictum Concilium non eſt promulgatum, retinentes idem domicilium, validè poſſint in iſto loco, Matrimonium ſine Parocho, & teſtibus contrahere?* Secundò, *quid ſi eò prædicti incolæ tam maſculi, quam fęmina ſolo animo ſine Parocho, & teſtibus contrahendi ſe transferant habitationem non mutantes?* Tertiò, *quid ſi iidem incolæ tam maſculi, quàm fęmina eò transferant habitationem, illo ſolo animo, ut abſque Parocho, & teſtibus contrahant?* Iidem Cardinales ad primum, & ſecundum, non eſſe legitimum Matrimonium inter ſe ſic transferentes, ac tranſeuntes cum fraude; ad tertium verò dubiorum hujuſmodi, ſi domicilium verè transferatur, matrimonium eſſe validum reſponderunt, & reſolverunt, prout in Decreto deſuper emanato plenius continetur. Cùm autem, ſicuti eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Archi-Epiſcopus Reſponſum ſeu dubiorum prædictorum reſolutionem hujuſmodi pro illius ſubſiſtentia, & validitate firmioribus, Apoſtolicæ Noſtræ Confirmationis robore communiri ſummoperè deſideret, Nos eundem Archi-Epiſcopum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, ſupplicationibus illius Nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, reſponſum ſeu dubiorum prædictorum reſolutionem hujuſmodi, Authoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, decernentes illud, ſeu illam, nec non præſentes litteras valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ſicque, & juxta illa per quoſcumque Judices Ordioarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis Auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentati, non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris. Die 14. Auguſti 1627.

*Hæc Bulla habetur apud La Croix, lib. 6. part. 3. de Matrimonio; num. 712.*

Miſſæ Defunctorum.

*Decretum de non celebrandis Miſſis privatis pro defunctis in feſtis duplicibus.*

CUm ſanctiſſimus D.N. Alexand. Papa VII. in viſitatione Eccleſiarum Urbis acceperit, in pleriſque Eccleſiis abuſum irrepſiſſe celebrandi Miſſas privatas pro defunctis etiam in feſtis duplicibus contra præſcriptum Rubricarum Miſſalis Romani, eumdemque abuſum Decreto Congregationis eliminari præceperit. Innotuerit verò ſacrorum Rituum Congregationi hujuſmodi abuſum etiam in aliis Eccleſiis, ubique gentium exiſtentibus inductum pariter reperiri; Sacra eadem Congregatio, ut Miſſalis Rubricæ inviolatè ſerventur, diſtrictè præcipit omnibus, & ſingulis Sacerdotibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus cujuſvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & inſtituti, etiam neceſſariò exprimendi, ut impoſterum omnino dictam Rubricam ſervent, ita ut miſſas privatas pro defunctis, ſeu de Requiem in duplicibus nullatenus celebrare audeant, vel præſumant. Quòd ſi ex benefactorum præſcripto miſſæ hujuſmodi celebrandæ incidant in feſtum duplex, tunc minimè transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus ſuffragia expectantibus detrimento ſit, ſed dicantur de feſto currenti cum applicatione Sacrificii juxta mentem eorundem benefactorum, curentque Eccleſiarum Rectores, ſacriſtæ, aliique, ad quos pertinet, ut hujuſmodi Decretum inviolatè ſervetur, & in ſacriſtia affixum retineatur; ubi commode ab omnibus celebrare volentibus conſpici, & legi poſſit. In eos autem, qui contrafacere auſi fuerint, vel præmiſſa adimplere neglexerint, locorum Ordinarii tum Sæculares, tum Regulares pro modo culpæ animadvertant. Die 5. Auguſti 1662.

Et facta de prædictis Sanctiſſimo relatione, Sanctitas ſua annuit, & cum applicatione Sacrificii ſatisfieri, ac benefactorum mentem impleri voluit. Eadem die 5. Auguſti 1661.

Epi. Jſſc. Sabinen. Car.
Sacchettus.

*Loco † Sigilli.*

Franc. Maria Phœbeus, Sac. Rit.
Congreg. Secr.

ADvertendum circa præfatum Decretum, quòd miſſæ votivæ ſolemnes pro re gravi, ac etiam ſolemnes pro defunctis non comprehenduntur in Decreto; nam exprimendo miſſas privatas, excludit ſolemnes pro re gravi, quæ juxtà rubricam poſſunt cantari in feſtis non majoribus, & jam uſus recepit; ex conceſſione Sac. Rit. Congregationis, die 28. Auguſti, 1626. quòd miſſa pro defunctis, ritu de Requiem celebrari poteſt in Dominicis, & feſtis in ſepulto, & in Eccleſia præſente corpore, ubi nimirum viget conſuetudo ſepeliendi defunctos ſimul cum miſſa: igitur de miſſis privatis tantùm intelligendum eſt, ſicut loquitur Decretum.

*Hoc Decretum habetur in Supplemento Theatri Regularium R.P. Angeli Auda à Lantuſca, verbo Miſſa nu. 1.*

Miſſa in Eccleſiis Regularium.

*Miſſam audientes utriuſque ſexus fideles in Eccleſiis Fratrum Mendicantium ſatisfaciunt præcepto Eccleſiæ: prout in ſequenti Conſtitutione patet.*

LEO PAPA X.

*Univerſis, & ſingulis præſentes litteras inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

INtelleximus quoſdam in dubium revocare, & proinde timoratis conſcientiis ſcrupulum injicere, ſi Chriſti fideles, qui Dominicis, & feſtis diebus extra Eccleſias ſuas Parochiales miſſas audiunt in Eccleſiis Fratrum Ordinis Mendicantium, Eccleſiæ præcepto de miſſa audienda ſatisfaciant. Nos enim ambiguitatem hujuſmodi penitus tollere volentes, ut cum ſinceriori conſcientia fideles quique DEO creatori ſuo ſerviant, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, notum facimus, omnes Chriſti fideles utriuſque ſexus, qui, (non contempto proprio Sacerdote Parochiali) in Eccleſiis Fratrum Ordinis Mendicantium, Dominicis, & Feſtis diebus miſſas audiunt, ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de miſſa audienda, nec aliquam labem mortalis peccati, pœnamque propterea incurrere. In contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque &c. Et quia difficile foret præſentes litteras noſtras originaliter ad loca omnia, ubi opus fuerit, deferri, volumus, & decernimus, ut earum tranſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti, munitis, ea fides, ubi opus fuerit, detur, quæ Originalibus ipſis daretur, ſi exhibitæ forent, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 13. Novembris 1517. Pontificatus Noſtri Anno quinto.

*Hæc Bulla habetur in Bullario Cherubini Tom. 1. Pag. 597.*

Miſſa

Miſſa in Oratoriis Privatis.

## DECRETUM CLEMENTIS XI.

De Miſſæ

*Celebratione in Oratoriis privatis.*

QUoniam ſancta ſanctè tractanda ſunt, ac præſertim tremendum incruenti ſacrificii Myſterium, quod omni Religionis cultu, & veneratione peragendum eſt, propterea ſuper obſervandis, & evitandis in celebratione miſſarum, in ſacroſanctis œcumenicis Conciliis, ac præſertim Tridentino ſub cap. unico ſeſſ.22. inter cætera ſtatutum eſt; ut tantum ſacrificium ſolummodò in Eccleſiis, aut Oratoriis Divino tantùm cultui dicatis celebraretur, præcipiendo Epiſcopis, & locorum Ordinariis, ne privatis in Domibus, atque omninò extra Eccleſiam peragi paterentur, ac ſubinde ſacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium ipſius Concilii Tridentini executioni, & interpretationi præpoſitorum, ſæpè ſæpiùs per opportuna Decreta obrepentes abuſus eliminavit. Modernis tamen temporibus innotuit ſanctiſſimo Domino noſtro, quòd nonnulli Epiſcopi ſub prætextu privilegiorum, Capellis Epiſcopalibus competentium, & complures Regulares, ſub prætextu privilegiorum, quæ ipſis à ſancta Sede indulta noſcuntur, per hujuſmodi privilegiorum dilatationem, ſeu potiùs exceſſum, & abuſum in nonnullis Diœceſibus, præſertim Regni Neapolitani, ac in ipſa Neapolis civitate, ea ſibi licere putant, quæ permiſſa non ſunt, quinimò prohibita: Siquidem nonnulli Epiſcopi, etiam in aliena Diœceſi, & extra Domum propriæ habitationis in privatis laicorum Domibus erigi faciunt Altare, ibique per unum aut plures ex ſuis Capellanis vivificam Chriſti hoſtiam immolare; Regulares verò in quibuſdam Magnatum, ſeu aliarum Nobilium perſonarum privatis Oratoriis, quę certis quandoque ex cauſis à S. Sede Apoſtolica concedi ſolent, celebrare audent, vel plures miſſas, quàm ipſis celebrare ſit indultum, vel abſque præſentia perſonarum, quarum contemplatione gratioſa conceſſio emanavit, vel extra debitas horas, & poſt meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per Conſtitutiones Diœceſanas, aut etiam per Decreta Sacræ Congregationis Concilii celebrari prohibetur, aut quæ in ipſiſmet indultis Apoſtolicis excipiuntur, quo minus in iis celebrare poſſint, aut etiam Altari portatili uti non verentur, in ſanctarum ſanctionum contemptum, ac ſancti ſacrificii irreverentiam.

Quamobrem ad abuſus hujuſmodi eliminandos, & ad inſtaurandam venerationem, tremendo Miniſterio debitam, idem SS. Dominus Noſter ex unanimi voto S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, inhęrendo declarationibus aliàs hac de re editis, expreſsè declarat, Epiſcopis, & his Majoribus Prælatis, etiamſi Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque ſub prætextu privilegii clauſi in corpore juris, neque alio quocumque titulo, ullo modo licere extra Domum propriæ habitationis in Domibus laicis, etiam in propria Diœceſi, quod fortiùs intelligitur in aliena, etiamſi Diœceſani conſenſus adhiberetur, erigere Altare, ibique ſacroſanctum miſſæ ſacrificium celebrare, ſeu celebrari facere, ac pari modo in Oratoriis privatis, quæ per S. Sedem conceſſa fuerint, non licere Regularibus cujuſvis Ordinis, aut inſtituti, ſeu Congregat. etiam Societatis JESU, aut etiam cujuſcumque Ordinis Militaris, etiam S. Jo: Hieroſolymitani, aut aliis quibuſcumque Sacerdotibus, etiamſi eſſent Epiſcopi, in iis celebrare in diebus Paſchatis ſanctiſſimæ Reſurrectionis, Pentecoſtes, Nativitatis Domini Noſtri JESU Chriſti, aliis anni feſtis ſolemnioribus, ac diebus in indulto exceptis; in reliquis vero diebus, prædictis Regularibus, ſeu Sacerdotibus quibuſcumque, etiam Epiſcopis, in privatis Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica miſſa, quæ in indulto conceditur, celebrata fuerit, ſuper quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo ſe optimè informare; atque illa etiam in caſibus permiſſis celebrari nequeat poſt meridiem, demandando propterea ulteriùs, ac declarando in omnibus hujuſmodi caſibus, perſonas quaſcumque dictas miſſas audientes nullatenùs Eccleſiæ præcepto ſatisfacere; quo verò ad Altare portatile, iterum inhærendo declarationibus ſupradictis cenſuit, licentias ſeu privilegia conceſſa nonnullis Regularibus *in cap. in his de privil.* & per aliquos Summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto Altari portatili in eoque celebrandi abſque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omninò revocata eſſe, per idem ſacrum Concilium, & propterea eoſdem Regulares prohibendos,

*Suppl. Theol. Sacram.*

ne illis utantur, ac mandandum, prout præſentis decreti tenore mandat Epiſcopis, aliiſque Ordinariis locorum, ut contra quoſcumque contravenientes, quamvis Regulares, procedant etiam tamquàm Sedis Apoſtolicæ Delegati, ad pœnas præſcriptas per idem Sacr. Conc. in dicto Decreto Seſſ.22. uſque ad cenſuras latæ ſententiæ, tributa etiam eiſdem facultate per hoc Decretum ita procedendi, perinde, ac ſi per ſanctam Sedem ſpecialiter conceſſa fuiſſet. Et ita ſanctitas ſua declarat, & ſervari mandat. Romæ hac die 15. Decemb. 1703.

B. Card. Panciaticus, Præf.

Jo: Dominicus Thomatus Epiſc.
Cyrenen. S. C. C. Secr.

Die 27. Menſe Januarii, 1704. ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit in Monte Citatorio Curiæ Innocentianæ, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Nicolaum Vaſellum S. D. N. Papæ Curſ.

Pro D. Mag. Curſ. Thomas
Orlandus Ap. Curſ.

Romæ, Typis Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ MDCCIV.

Impreſſum Salisburgi, apud Hæredes Marianos Anno 1704. Die 28. Januarii.

*Hoc Decretum habet P. Anacletus Reiffenſtuel in ſuo Jure Canonico, lib. 3. tit. 41. n. 5.*

## P A R O C H U S.

*Decretum Sacræ Congregationis Concilii, ſuper applicatione Sacrificii à Parochis in Lucana.*

REverendiſſimo Epiſcopo. Cùm præcepto Divino iis, quibus animarum cura commiſſa eſt, mandatum ſit, pro ovibus ſuis ſacrificium offerre, ſæpè alias ſacra Congregatio cenſuit, Parochos teneri pro Parochianis ſacrificium applicare, atque ea cum diſtinctione, ut, ſi redditus pingues ſint, ſingulis diebus; ſi verò tenues, ſaltem diebus feſtis, idem nunc cenſet quoad Parochos iſtius Civitatis, & Diœceſis, hoc inſuper addens, ut detrectantes, Reverentia Veſtra pro ſuo Paſtorali zelo compellere non gravetur. Romæ 10. Maji 1681.

Ita reperitur in Regiſtro authographo litterarum ejuſdem Sacræ Congregationis Concilii lib. 26. fol. 534. in quorum fidem Datum Romę 11. Decemb. 1609.

( L. ✠ S. )

( Nomen Reverend. D. Secr.

Steph. Archi-Ep. Brancuccius S. Congr. Secr.

Et hoc etiam habetur, ex Trident. Seſſ.23. de Reform. Sacr. Congreg. Conc. in Civit. Caſtellan. 26. Auguſt. 1628. ac Hydruntin. 13. Februarii 1639. Romana 17. Julii 1649. Cluſin. 5. Julii 1670.

Quoniam verò quidam Domini Parochi tenuibus dumtaxat redditibus proviſi, novum dubium propoſuerunt, an videlicet vi Tridentini ac præfati, præcedentiumque ſimilium Decretorum, Dominicis, & Feſtivis diebus, miſſam pro ovibus applicare tenerentur, etiam illi, quibus ita tenues ſunt redditus, ut inde nec congruam habeant. Eadem Sac. Congregatio 10. Maji 1692. reſpondit, etiam hos teneri, ita ut dictis diebus aliud ſtipendium, vel eleemoſynam pro miſſa accipere non valeant, ſive dein congruam habeant, ſive non, prout habet memoratum Sac. Congregationis Decretum, poſtea ab Innocentio XII. ſpecialiter confirmatum 24. Aprilis, per Conſtitutionem tenoris ſequentis.

## INNOCENTIUS PAPA XI.

*Ad futuram rei memoriam.*

NUper à Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. & Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum emanavit ſuper quodam dubio pro parte Venerabilis Fratris Moderni Epiſcopi Piſtorienſis, & Pratenſis, Congregationis hujuſmodi propoſito, Decretum tenoris qui ſequitur, videlicet, Piſtorienſis, & Praten. Cùm Paro-



Digitized by Google

chi Eccleſiarum Piſtorien. & Praſen. inter varias opiniones Doctorum involuti negligant in dies celebrationem, & reſpectivè applicationem ſacrificii pro populo juxta diſpoſitionem ſacrorum canonum, & Concilii Tridentini: Epiſcopus ad conſulendum nedum propriæ, verùm etiam dictorum Parochorum Conſcientiæ ſupplicat declarari: an dicti Parochi teneantur omnibus diebus feſtis applicare ſacrificium pro populo, ſive habeant congruam, ſive non? Die 14. Februarii 1699. ſacra Congregatio Eminentiſſimorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Concilii Tridentini interpretum cenſuit, daudas eſſe reſolutiones, aliàs hac de re editas, & ſignanter in nullius Nonantulanæ Eminentiſſimi Abbatis. 30. Auguſti 1698. tenoris ut infrà. Cùm præcepto Divino iis quibus animarum cura commiſſa eſt mandatum ſit pro ovibus ſuis ſacrificium offerre, ſæpè aliàs ſacra Congregatio Concilii cenſuit Parochos teneri pro Parochianis ſacrificium applicare, & precipuè in dubio applicationis ſacrificii propoſito, & reſpectivè reſoluto ſub die 10. Maji 1692. His præciſis verbis concepto: *An Parochus miſſam celebrare teneatur, & ſacrificium applicare pro Parochianis in diebus Dominicis, & feſtivis, ſive habeat congruam, ſive non?* Sacra Congregatio juxta alias declarationes cenſuit teneri, nec poſſe eiſdem diebus aliam eleemoſynam recipere: ac proinde idem nunc reſpondendum eſſe cenſuerunt Eminentiſſimi Patres, quoad Parochos Nonantulanæ Diœceſis, addentes inſuper, quòd E. V. pro ſuo Paſtorali Zelo detrectantes Parochos compellere non gravetur, &c.

J. Cardinalis Sacripantes Præfectus.

Loco † Sigilli.

CUm autem, ſicut dictus Epiſcopus nobis ſubinde exponi fecit, ipſe Decretum hujuſmodi, quo firmiùs conſiſtat, & ſervetur eaactiùs Apoſtolicæ Confirmationis noſtræ patrocinio communiri plurimùm deſideret; Nos ſpecialem ipſi Epiſcopo gratiam facere volentes, cumque à quibuſcumque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à Jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes; ſupplicationibus ejus Nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus: ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Decernentes, eaſdem præſentes litteras, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere: ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia planiſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctam MARIAM Majorem ſub annulo Piſcatoris. Die 24. Aprilis 1699. Pontificatus noſtri anno octavo.

J. Fr. Cardin. Albanus.

*Hanc Bullam habet Reverendus Pater Anacletus Reifſenſtuel in ſuo Jure Canonico, libro quinto, Decretal. titulo tertio, paragrapho octavo, numero 212. & ſequentibus.*

Privilegiorum Communicatio.

*Conceſſio omnium Privilegiorum, Indultorum, Exemptionum, ac gratiarum ordinibus omnibus mendicantium, & non mendicantium conceſſorum, & concedendorum, facta à Clemente Septimo Fratribus Minoribus Sancti Franciſci Regularis obſervantiæ.*

CLEMENS VII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

DUm fructus uberes, quos ordo ſacer dilectorum Fratrum Minorum Regularis obſervantię, in agro militantis Eccleſię cum propagatione Religionis, ac defenſione, & augmento fidei Catholicæ, ac ſalute Chriſti fidelium produxit hactenus, & in dies producit, diligenter attendimus, dignum, quin potiùs debitum putamus (ut ejus ſtatum proſperum, & tranquillum omni diligentia procuremus) illius Religioſas perſonas ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi. Hinc eſt, quòd nos motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, tenore præſentium, omnia, & ſingula privilegia, immunitates, exemptiones, præſertim de non ſolvendo Clericis ſæcularibus quartam funeralium, quoad fratres in poſſeſſione non ſolvendi quartam hujuſmodi exiſtentes, ac omnia, & ſingula indulta, indulgentias, peccatorum remiſſiones, & gratias dicto Minorum, ac Sanctæ Claræ, ac tertio de pœnitentia nuncupato ordinibus, illorumque Fratribus, Monialibus, ſororibus, & utriuſque ſexus perſonis, atque Monaſteriis, Domibus, Eccleſiis, & locis quibuſcumque, etiam per modum extenſionis, ſeu communicationis, & aliàs, quomodolibet, per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac per nos, & ſedem prædictam conceſſa, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & innovamus, & perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter obſervari debere, ipſoſque Fratres, Moniales, Sorores, Perſonas, Monaſteria, Domus, Eccleſias, & alia loca hujuſmodi, omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, conceſſionibus, indultis, indulgentiis, peccatorum remiſſionibus, & gratiis quibuſvis Congregationibus dictorum ordinum, aliorumque ordinum mendicantium quomodolibet conceſſis, & concedendis, nec non etiam quibuſvis facultatibus, & gratiis ſuæ profeſſioni Regularis obſervantiæ non contrariis, aliis ordinibus quibuſcumque non mendicantibus quomodolibet conceſſis, & concedentis, uti, frui, & gaudere poſſe, atque debere in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi eis ſpecialiter conceſſa fuiſſent, & Conſtitutiones, in ultimo Capitulo generali dicti Ordinis Minorum Regularis obſervantię, in Provincia Burgenſi Regni Caſtellæ factas pleno robore firmitatem obtinere, & ab omnibus quamdiù per Capitulum aliud generale dicti Ordinis mutatæ non fuerint, inviolabiliter obſervari debere, nec non Regulam ipſam per ſanctum Franciſcum, pro Fratribus minoribus inſtitutam, obſervabilem, meritoriam &c. Cum omnibus clauſulis revocativis. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris. Die 30. Maji, Anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo quinto. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

*Hæc Bulla videri poteſt in compendio privilegiorum noſtrorum P. Alphonſi Caſarubios in fine.*

Privilegiorum Confirmatio.

*Bulla Clementis Octavi Confirmatoria omnium privilegiorum tribus Ordinibus Sancti Patris Noſtri Franciſci conceſſorum.*

CLEMENS PAPP VIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

RAtio Paſtoralis Officii noſtri exigit, atque efflagitat ut quorum Religionem, ac virtutem Sedi Apoſtolicæ, totique Eccleſiæ non modò illuſtrem, & præclaram, ſed utilem etiam, ac neceſſariam eſſe animadvertimus, eoſdem noſtris, & ejus Sedis Apoſtolicæ honoribus, ac beneficiis libenter proſequamur. Cùm verò ex bonis, & commodis ſpiritualibus ordinum men-

mendicantium, ea longè, latèque pateant, ſemperque patuerint, quæ à ſacro Ordine Fratrum Minorum de obſervantia, ab ipſis fundatæ Religionis initiis in omnes Chriſtianæ Reipublicæ provincias profluxerunt, quotidieque profluunt, & promanant, faciendum nobis eſſe ſtatuimus, ut in eodem ordine, noſtris, & Sedis Apoſtolicæ gratiis, atque muneribus boneſtando, nihil Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum benignitati ac ſtudio concedamus.

§. 1. Cùm igitur pro parte dilecti Filii Joan. Baptiſtæ Moles Commiſſarii Generalis in Romana Curia ultramontanæ familiæ prædict. Ordin. de obſervantia nobis expoſitum fuerit, ex ipſius Sedis benigna dignatione proveuire, ut Romanus Pontifex quandoque Prædeceſſorum ſuorum Roman. Pontificum geſta innovet, ac Apoſtolica auctoritate innovata, & reſtaurata muniat, & fulciat, & in priſtinum ſtatum reponat, ac reducat, nec non propterea nonnulli Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri, quaſdam gratias, Conceſſiones, Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, abſolutiones, etiam plenarias libertates, prærogativas, favores, immunitates, exceptiones, declarationes, facultates multaque alia privilegia, & indulta, tam prædictis Fratrum Minorum, quàm S. Claræ, ac tertio de pœnitentia nuncupato Ordinibus, illorumque ſuperioribus, Fratribus, Monialibus, & Sororibus, ac utriuſque ſexus perſonis, & Monaſteriis, Domibus, Eccleſiis, & locis quibuſcumque dictorum ordinum nunc, & pro tempore exiſtentibus in genere, vel in ſpecie, etiam per modum Communicationis, ſive extenſionis privilegiorum aliis Ordinibus, Domibus, Eccleſiis, & utriuſque ſexus perſonis Ordinum mendicantium, & non mendicantium exiſtentibus conceſſorum conceſſerunt, aut jam conceſſa confirmarunt, prout in ſingulis Conceſſionibus, declarationibus, & litteris eorundem prædeceſſorum expeditis pleniùs dicitur contineri.

§. 2. Cùm autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, illa quæ ſæpiùs Apoſtolica auctoritate prædicta, munita exiſtunt, majorem obtineant roboris firmitatem pro parte prædicti Joan. Bapt. Moles, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut prædictis Privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, favoribus, conſervatoriis, declarationibus, facultatibus, diſpenſationibus, gratiis, Conceſſionibus, Indulgentiis, & indultis, pro illorum obſervantia, noſtræ approbationis robur adjicere, aliaſque in præmiſſis opportunè providere, & benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur, qui omnium votis, præſertimque illorum, qui ſub ſuavi Religionis jugo Divinis Laudibus, & Chriſtianæ Religionis augmento incumbentium perſonarum tranquillitati, & commoditati conſulunt, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, quæcumque præmiſſa, ac omnia ſingula alia privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogativas, favores, conſervatorias, declarationes, facultates, diſpenſationes, gratias, Conceſſiones, Indulgentias, & indulta ſpiritualia, & temporalia, etiam per modum Communicationis, & extenſionis inter ſe, & cum aliis Ordinibus mendicantibus, & non mendicantibus, ejuſdem Fratrum Minorum Regularis obſervantiæ, & S. Claræ, & de pœnitentia. Tertio Ordinibus, etiam in Congregatione ſub trium votorum ſubſtantialium profeſſione, & eorumdem ſuperiorum Ordinis Minorum Regularis obſervantiæ hujuſmodi obedientia degentibus, ipſorumque ſuperiorum Fratribus, Monialibus, Sororibus, ac utriuſque ſexus etiam ſingularibus perſonis, nec non Monaſteriis, Domibus, Eccleſiis, & locis quibuſcumque in genere, & in ſpecie, etiam per ſolam ſignaturam, etiam vivæ vocis oraculo, ut præfertur, aut aliàs per eoſdem Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac nos, & ſedem prædictam ſub quacumque forma, & expreſſione verborum conceſſa, ac etiam iteratis vicibus approbata, nec non omnibus, & ſingulis, in eis forſan contentis clauſulis, Decretis, & declarationibus quibuſcumque ac ſingulis deſuper etiam pluribus vicibus confectas litteras & in eis contenta, & inde ſecuta quæcumque illorum omnium tenores, & formas datas, effectus, & decreta in illis appoſita, ac ſi verbo ad verbum infererentur, & in his eſſent inſerta, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, dicta Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ex certa ſcientia (in his omnibus in quibus Decretis Concilii Tridentini non adverſantur, ſalvis etiam Decretis à nobis in favorem Fratrum Reformatorum conceſſis) approbamus, & confirmamus, ac innovamus, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, & firmiter obſervare, nec non Ordinibus Fratrum Minorum Regularis obſervantiæ, & S. Claræ, ac tertio de pœnitentia nuncupato, etiam in Congregatione ſub obedientia Fratrum Minorum de obſervantia hujuſmodi degentibus Superioribus, Fratribus, Monialibus, etiam Tertiariis, nuncupatis, ſororibus, perſonis, Monaſteriis, Domibus, & Eccleſiis, & locis prædictis, etiam per modum Communicationis, & extenſionis hujuſmodi ſuffragari, illiſque frui, uti, & gaudere, & quando, & quoties opus fuerit, poſſe, & debere, in judicio, & extra, ac etiam in foro conſcientiæ, in omnibus, & per omnia, ac ſi ſpecialiter, & expreſsè eiſdem Fratrum Minorum, & S. Claræ, & tertio de pœnitentia ordinibus per nos conceſſa fuiſſent, decernimus, Supplentes omnes, & ſingulas juris & facti, ac ſolemnitatem etiam de juris neceſſitate, aut aliàs quomodolibet requiſitarum, forſan omiſſarum, & alios quoſcumque defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem.

§. 4. Quocirca venerabilibus Fratribus Mantuæ, & Toy Epiſcopis, ac dilecto Filio cauſarum curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per eaſdem præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, vel unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, faciant auctoritate noſtra præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, plenum eorum effectum ſortiri, illiſque omnes, quos concernunt, pacificè frui, & gaudere. Non permittentes quemquam deſuper contra præſentium tenorem ſub quovis prætextu, & cauſa, etiam defectu intentionis noſtræ per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari: quinimò quidquid contrarium attentari, vel fieri continget, omnia ſemper in priſtinum reponi; Contradictores quoslibet, & rebelles, etiam per quaſcumque pœnas Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris, & facti remedia, appellatione quacumque poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis, Servatis proceſſibus, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Sicque per quoſcumque judices, & commiſſarios, ac S. R. E. Cardinales, nec non ſacri Palatii Apoſtolici cauſarum auditores, ſublata eis quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere.

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio Generali de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas aliquis præſentium vigore ad judicium non trahatur, aliiſque Apoſtolicis conſtitutionibus, ac provincialibus, & capitularibus ſtatutis, & conſtitutionibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam in forma Brevis per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac etiam nos, & ſedem prædictam, & motu proprio, ac ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac cum quibuſvis irritativis, annullativis, reſtrictivis, reſervativis, exceptivis, reſtitutivis, declarativis, mentis atteſtativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis quomodolibet, etiam pluries conceſſis firmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis earumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clauſulas Generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, etiam, quòd in eis caveatur expreſsè, quòd illis nullatenus, aut non niſi ſub certis modo, & forma derogari poſſet, tenoris hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitùs omiſſo, & forma in illis tradita, obſervata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, motu, ſcientia, & auctoritate ſimilibus derogamus. Aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 6. Verùm quia difficile foret, præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus fortè opus eſſet, deferri, volumus & pariter Apoſtolica auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis manu alicujus ex ſecretariis cujuſvis prædictorum Prælatorum, Generalium, ac Romanæ Curiæ commiſſarii, & ſuorum ſucceſſorum, aut Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo officii alterius eorumdem, aut alicujus Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu curiæ Eccleſiaſticæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die vigeſima Dec. 1595. Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

*Hæc Bulla habetur in Bullario Cherubini, tom. 3. pag. 66.*

Privilegiorum Conceſſio.

*Bulla Pauli III. ampliſſima, conceſſa Ordini Societatis Jeſu circa Facultatem prædicandi in quibuſcumque Eccleſiis, locis & plateis, ac abſolvendi per Confeſſores approbatos, à quibuſvis criminibus, & peccatis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis (exceptis in Bulla Cœnæ Domini, & vota commutandi, ut in ea eſt videre) quam etiam participant mendicantes omnes, & eorum participantes.*

Dilectis Filiis

*Moderno, & pro tempore exiſtenti Præpoſito, & ſociis, Societatis Jeſu, in Alma Urbe noſtra canonicè inſtitutis.*

PAULUS PAPA III.

*Dilectis Filiis ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.*

CUm inter cunctas ſolicitudines noſtras, quibus nos premit Paſtorale officium, illa ſit præcipua, ut gregi Dominico, nobis ſuperna diſpoſitione commiſſo, animarum cura non deſit, nec illum antiquus ſerpens humano generi inimicus, indeſeſſum, & impræparatum invadat. Attendentes igitur ad fructus uberes, quos in Domo Domini hactenus produxiſtis, & producere non deſinitis, veſtræ Religionis integritati, ſcientiæ, Doctrinæ, moribus, & experientiæ plurimum in Domino confidentes, vobis, quos ac ſocietatem veſtram Jeſu approbando, confirmando & benedicendo, atque perpetuæ firmitatis munimine roborando ſub Apoſtolicæ Sedis protectione ſuſcipimus: & quilibet veſtrum, qui ad hoc onus idoneus repertus, & per veſtruoi ſocietatis Præpoſitum pro tempore exiſtentem deputatus fuerit, in quibuſvis Eccleſiis, & locis, atque plateis communibus, ſeu publicis, & alias ubique locorum clero, & populo Verbum Dei prædicandi, proponendi, & interpretandi, ac eos viam veritatis edocendi, & ad bene, beateque vivendum, ita ut in vobis verbo pariter, & exemplo ędificentur in Domino, hortandi, & monendi: nec non illis ex vobis, qui presbyteri fuerint, quorumcumque utriuſque ſexus Chriſti fidelium, ad vos undique accedentium, confeſſionibus diligenter auditis, ipſos, & eorum ſingulos, ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis, quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & à quibuſvis ex ipſis caſibus reſultantibus ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis (exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini ſolita eſt legi) abſolvendi, atque eis pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem injungendi, nec non vota quæcumque per eos pro tempore emiſſa (ultra marinis: viſitationis liminum Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum de urbe, ac ſancti Jacobi in Compoſtella, nec non Religionis, & caſtitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi plenam, & liberam concedimus facultatem. Dat. Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die tertiò Julii, anno Domini 1545. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

*Hæc Bulla habetur in compendio noſtrorum privilegiorum P. Alphonſi Caſarubios in fine.*

Privilegiorum Declaratio,

*In qua Regularium privilegia, quo ad prædicationem Verbi Dei, & Sacramenti Pœnitentiæ Adminiſtrationem à Clemente X. declarantur.*

CLEMENS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

SUperna magni Patris familias prçordinatione creditum nobis univerſalis Eccleſiæ myſticum Agrum circumſpecta providentia cuſtodire, atque excolere (quantum ex alto conceditur) ſatagentes, animum in eas curas libenter intendimus: quibus valeant diſſidia inter Villicos, & operarios componi, jurgia tolli, ſcandalis, atque offenſionibus aditus præcludi, ut quibus una fides, una Mater Eccleſia, & unus Dominus, qui charitas eſt, & pacis cogitans cogitationes: fiat etiam cor unum, atque anima una: ſic etenim evulſis opportunè Zizaniis, dum plantamus, & rigamus, incrementum dabit Deus, quo benedicente, meſſis multa fructu centeſimo, cœleſte in horreum congregabitur.

§. 1. Sanè, cum Sacri Concilii Tridentini Decretis, providè ſtatutum fuerit, ut Regulares cujuſcumque Ordinis, niſi à ſuis Superioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare non poſſint, cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequàm prædicare incipiant: in Eccleſiis verò, quæ ſuorum ordinum non ſunt, ultrà licentiam ſuorum Superiorum, etiam Epiſcopi licentiam gratis ab eo dandam habere teneantur: ſine qua in ipſis Eccleſiis non ſuorum ordinum nullo modo prædicare poſſint. Atque ut nullus ſæcularis, ſive regularis, etiam in Eccleſiis ſuorum ordinum contradicente Epiſcopo prædicare præſumat, itidemque cùm nullus Sacerdos regularis poſſit confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum audire: nec ad id idoneus reputari, niſi aut Parochiale beneficium obtineat; aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis, & conſuetudine quacumque non obſtantibus. Innotuit nobis dubitationes nonnullas, circa benedictionem, licentiam, contradictionem, examen, & approbationem ejuſmodi in aliquibus Diœceſibus excitatas fuiſſe, ex quibus controverſiæ, & diſſenſionos permultæ in diem ſubſequi poſſent occaſione privilegiorum, quæ per Sedem Apoſtolicam Religioſis ordinibus conceſſa fuerunt.

§. 2. Nos attendentes, quòd aliàs diverſis temporibus prædictæ dubitationes, & controverſiæ nonnullis prædeceſſorum noſtrorum ſummorum Pontificum conſtitutionibus, earumque declarationibus definitæ fuerint: ejuſmodi definitiones in unum collectas, ut magis magiſque diſſenſionum tollantur ſemina, & in poſterum firmior in agro Dominico Pax Chriſti floreat: Pro Summo, quo fungimur Apoſtolatus officio, novis Apoſtolicis litteris muniendas duximus, & roborandas; Itaque de Conſilio nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ prælatorum, pietate, doctrina, & prudentia præſtantium, & matura deliberatione noſtra, atque ex certa ſcientia: hac generali, & perpetò valitura conſtitutione decernimus, ac declaramus.

§. 3. Regulares, qui in Eccleſiis ſui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Epiſcopo Diœceſano benedictionem petere: Prædicare tamen poſſe, quamvis illam non obtinuerint. Quòd ſi Epiſcopus benedictionem, nedum non conceſſerit, ſed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Eccleſiis licere Regularibus prædicare; eoſque contravenientes, ab illo tamquàm Sedis Apoſtolicæ delegato, cenſuris, aliiſque pęnis Eccleſiaſticis in vim conſtitutionis fel. recordat. Gregorii XV. Prædeceſſoris noſtri, incipientis: Inſcrutabili Dei providentia, coerceri, & puniri poſſe. Epiſcopum tamen abſque juſta, & rationabili cauſa contradicere non debere, & hujuſmodi benedictionem teneri etiam regulares petere: ſi in quibuſcumque oratoriis ſui Ordinis ſermonem coram populo, vel in Eccleſiis, aut ad crates Monaſteriorum Sanctimonialium eorum juriſdictioni ſubjectarum, licèt clauſis januis, & nullus ſæcularis ibi interſit, habere voluerint. Poſſe autem Epiſcopum licentiam conceſſurum regularibus in Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, prædicare volentibus, illos quamvis ab Univerſitatibus, aut à Magiſtratibus laicis nominatos, etiamſi Epiſcopi anteceſſores per tempus immemorabile hanc licentiam abſque examine concedere conſueverint, quoad doctrinam examinare: ſi ita ipſius arbitrio, quod moderatum, & diſcretum eſſe debet, viſum fuerit, & licentiam prædicandi ſemel iiſdem conceſſam ob rationabiles cauſas, licèt occultas, prædicationem tamen concernentes ſuſpendere. Non poſſe tamen Epiſcopum generatim prohibere regularibus quin in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicent.

§. 4. Ad hæc Religioſos ab Epiſcopo ad confeſſiones ſæcularium in ſua Diœceſi audiendas approbatos, non poſſe in alia Diœceſi eas abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione audire, quamvis pęnitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi, à quo ipſi religioſi jam fuerant approbati, & generaliter approbatos ab Epiſcopo ad perſonarum ſęcularium confeſſiones audiendas nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, ſed egere quo ad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione. Atque approbatos pro audiendis confeſſionibus Monialium unius Monaſterii, minimè poſſe audire confeſſiones Monialium alterius Monaſterii. Itidemque confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo, ad Monialium confeſſiones pro una vice audiendas, haud poſſe expleta deputatione in vim approbationis hujuſmodi illarum confeſſiones audire: ſed

to-

pleta deputatione in vim approbationis hujuſmodi illarum confeſſiones audire; ſed toties ab Epiſcopo eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit. Cæterùm in Monaſteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta regularia inſtituta vivitur, poſſe tam prælatos regulares, quàm confeſſores regularium eorumdem Monaſteriorum, ſeu Collegiorum audire confeſſiones illorum ſæcularium, qui inibi ſunt verè ad familiaria, & continui commenſales, non autem illorum, qui tantùm ipſis deſerviunt. Illos autem Religioſos, qui ad confeſſiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Epiſcopis, generaliter quoque, & indiſtinctè abſque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis Perſonarum in Diœceſi propria admittendos; quoad cæteros verò, qui non adeò idonei reperientur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipſos cùm limitata facultate, prout eiſdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere; ſemel autem ſimpliciter approbatos poſſe in Diœceſi Epiſcopi approbantis quovis anni tempore, etiam Paſchali, & quorumcunque etiam infirmorum confeſſiones audire abſque ulla Parochorum, vel ipſius Epiſcopi licentia. De qua tamen confeſſione teneri dictos Religioſos eorundem infirmorum Parochum illicò certiorem reddere; Et hoc poſſe illis ab Epiſcopo ſub pœna ſuſpenſionis à facultate audiendi confeſſiones præcipi: ſufficere tamen, ut certioratio hujuſmodi fiat ſaltem per ſcripturam, apud ipſum infirmum relinquendam.

§. 5. Et eos, qui dictis Religioſis ſimpliciter approbatis Paſchali tempore confeſſi fuerint, conſtitutioni, quæ incipit: *Omnis utriuſque ſexus* quoad confeſſionem dumtaxat ſatisfeciſſe cenſendos; Regulares vero ad ejuſmodi confeſſiones audiendas prævio examine ſimpliciter, & abſque ulla temporis præfinitione ab ipſomet Epiſcopo, ſecùs autem ab ejus Vicario, aut ab anteceſſoribus Epiſcopis approbatos, non poſſe ab eodem, qui ſic approbavit, iterum examinari; aut ab eiſdem confeſſionibus audiendis ſuſpendi, ſeu licentias illis conceſſas revocari, niſi nova ſuperveniente cauſa, quæ ipſas confeſſiones concernat; De qua tamen haud neceſſarium eſſe, ut in actis conſtat; nec eam teneri Epiſcopum ipſis regularibus ſignificare; ſed Sedi Apoſtolicæ dumtaxat, ubi eam ſibi aperiri poſtulaverit.

§. 6. Porrò ſi regulares cum ſcandalo, aut aliàs inhoneſtè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Epiſcopi judicio videantur à confeſſionibus ſuſpendendi, in quo ipſius Epiſcopi conſcientiam oneratam eſſe volumus, cùm præcipua Miniſtri Sacramenti pœnitentiæ qualitas ſit vitæ integritas, ac morum honeſtas; utique eam cauſam ad confeſſionis Miniſterium pertinere, ac proinde nihil obſtare, quominùs ob eam poſſit Epiſcopus regulares à ſemetipſo approbatos ſuſpendere, aut repellere à confeſſionibus audiendis. Attamen confeſſiones audiendi facultatem omnibus, ſimul unius conventus, regularibus confeſſoribus adimi ab Epiſcopo inconſulta Sede Apoſtolica nullatenùs poſſe: Ex facultatibus per mare magnum, aliaque privilegia regularibus cujuſcunque Ordinis, inſtituti, aut Societatis, etiam JESU conceſſis, factam eis non eſſe poteſtatem abſolvendi in legibus ab Epiſcopo ſibi reſervatis. Et per confirmationes dictorum privilegiorum, quas regulares à Sede Apoſtolica poſt ſacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt; nequaquam reviviſſe privilegia priùs ab eodem Concilio, aut deinde Apoſtolicis etiam Decretis ſublata, atque extincta ſi quæ habebant, abſolvendi à caſibus Epiſcopo reſervatis.

§. 7. Et habentes facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non ideo à caſibus Epiſcopo reſervatis poſſe abſolvere. Poſſe autem regularem confeſſorem in ea Diœceſi, in qua eſt approbatus, confluentes ex alia Diœceſi a peccatis in ipſa reſervatis, non autem in illa, ubi idem confeſſor eſt approbatus, abſolvere, niſi eoſdem pœnitentes noverit in fraudem reſervationis, ac alienam Diœceſim pro abſolutione obtinenda migraſſe; Vigore ſupradictorum privilegiorum, nequaquàm licere regularibus etiam ſatisfacta parte abſolvere pœnitentes à cenſuris quoad externum, & judiciale forum, & abſolutos ab eis in foro pœnitentiali, utique non cenſeri abſolutos in exteriori judicio, & contentioſo. Quinimò cenſuris Eccleſiaſticis irretitos, & denunciatos ab Epiſcopis cogi poſſe, gerere ſe pro talibus, etiamſi à regularibus fuerint abſoluti. Quoties exhibitis aliquibus regularium Apoſtolicis privilegiis coram Epiſcopo, ab eo, judicetur ipſa non ſuffragari caſui, de quo agitur, ſi dictorum privilegiorum verba obſcura ſint, & ambigua non eſſe ad Metropolitanum provocandum, ſed cùm ejus ſit interpretari, cujus eſt condere, dictorum privilegiorum interpretationem Sedis Apoſtolicæ judicio, prout alias conſtitutione prædeceſſoris noſtri fel. rec. Clementis IV. ſtatutum fuit, eſſe requirendum.

§. 8. Decernentes ſic, & non aliàs, per quoſcumque judices, ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate, & dignitate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, Vice-legatos, & Nuntios, & quoſvis alios ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane, & quidquid ſecùs ſuper his, à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit, attentari.

§. 9. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcunque Perſonarum, atque quorumvis Ordinum tam mendicantium, quàm non mendicantium militiarum etiam S. Joannis Jeroſolymitani, congregationem, Societatem etiam JESU, ac cujuſvis alterius inſtituti etiam neceſſariò, & in individuo exprimendi, Monaſteriorum, Conventuum, Capitulorum, Eccleſiarum, & aliorum quorumcunque tam ſæcularium, quàm regularium locorum, nec non illorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, vel conſuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis etiam in corpore juris clauſis, aut ex cauſa, & titulo oneroſo, vel in limine fundationis conceſſis, etiam mari magno, ſeu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis; Conſervatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Epiſcopi deferre minimè teneantur, & quibuſvis aliis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus, & aliis Decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſsis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, quibus omnibus etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialibus, ſpecifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitùs omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis quoad ea, quæ eiſdem præſentibus adverſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Cæterum quia difficilè foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca deferri, ut eæ tamen omnibus innoteſcant, mandamus illas ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, atque Cancellariæ Apoſtolicæ, & in Acie campi Floræ affigi, & publicari, volentes, quòd earumdem præſentium litterarum tranſumptis; etiam impreſsis, manu tamen alicujus notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Prælati, ſeu Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis in judicio, & extra illud, ubi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam noſtrorum Decreti, declarationis, derogationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo, Undecimo Kalendas Julii, Pontificatus noſtri anno primo.

G. Dat.

Viſa de Curia P. Ciampinus.

J. G. Sluſius.

D. Ciampinus.

*Hæc Bulla habetur in Theologia radicali Joannis Mariæ Sbogar tract. 140. in fine.*

*Privilegiorum Vivæ vocis oraculo Conceſſorum revocatio.*

URBANUS PAPA VIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

ALiàs fel. rec. Gregorius Papa XV. Prædeceſſor noſter, ut ſubnaſcentibus jugiter variis difficultatibus, & abuſibus ex privilegiis à Sede Apoſtolica vivæ vocis oraculo ſæpè numero conceſſis, obviam iret, conſtitutionem edidit tenoris ſubſequentis: videlicet, *Gregorius Papa XV. ad Perpetuam rei memoriam.*

Rom. Pontifex in ſpecula militantis Eccleſiæ Divina Providentia conſtitutus, gratias, & indulta à ſe, & Prædeceſſoribus ſuis conceſſa juſtis interdum ſuadentibus cauſis, juxta creditum ſibi Paſtoralis officii debitum moderatur, aut revocat, prout rerum, & temporum qualitatibus debitè penſatis conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Itaque motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia, & ſingula indulta, facultates, Privilegia, gratias, & conceſſiones quaſcumque ſpirituales, & Eccleſiaſticas, quæ tam ad forum interius, quàm ad exterius ſpectant, actam ad ſupplicationem partium, quàm motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus à Sede Apoſtolica, quæ tamen vivæ vocis oraculo hactenùs quandocumque, & qualitercumque, ex quavis etiam de neceſſitate, exprimenda cauſa, quibusvis Collegiis, Capitulis Ordinibus, tam mendicantium, quàm non mendicantium, ſocietatibus JESU, ac Congregationibus quibuslibet, ſive eorum, & earum reſpectivè præpoſitis, Decanis, Magiſtris, Miniſtris; Prælatis, Prioribus, Rectoribus, Generalibus, vel Provincialibus, quocumque nomine nuncupatis, Superioribus etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi prædictæ immediatè ſubjectis, cujuſcumque dignitatis, præeminentiæ, aut quovis privilegio munitis, non tamen ad ſupplicationem Regum conceſſa, in iis videlicet, quę non ſunt ſortita effectum, tenore pręſentium revocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac revocata, caſſa, ſubrogata, & annullata, viribuſque, & effectu vacua perpetuo fore, & eſſe, neque impoſterum cuiquam ſuffragari poſſe, etiamſi expreſſa, & ſpecifica mentio, etiam de verbo ad verbum de iis facienda eſſet, decernimus, & declaramus: firmis tamen, & in ſuo robore permanentibus omnibus indultis, & aliis conceſſionibus prædictis vivæ vocis oraculo S. R. E. Cardinalibus ad ipſorum, vel aliorum quorumcumque favorem propria S. R. E. Cardinalium manu firmatis, pro ipſis, vel aliis factis; & de quibus iidem S. R. E. Cardinales Teſtimonium in ſcriptis præbuerunt, decernentes præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quòd quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, ad hoc vocat, & auditi ſi non fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, ſeu aliquo quocumque defectu notari, impugnari, redargui, ad jus, vel in controverſiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adversùs illas quodcumque juris gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus poſſe, ſed illas ſemper validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ſicque per quoſcomque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici auditores S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, & nuncios (ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate) judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibusvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prędictis, eorumque præpoſitis, Decanis, Magiſtris, Miniſtris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, & aliis Superioribus prędictis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, & confirmatis, & innovatis Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas Generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret tenores hujuſmodi præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes (illis aliàs in ſuo robore permanſuris) hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur in judicio, & extra illud, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ, quòdque eædem præſentes litteræ, ſeu illarum exempla ad valvas Baſilicarum S. Joannis Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie campi Floræ affixæ, omnes ita arctent, & afficiant ac ſi unicuique Perſonaliter intimatæ fuiſſent. Datum Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem, ſub Annulo Piſcatoris. Die 2. Julii 1622. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

*S. Cardinalis S. Suſannæ.*

CUm autem experientia rerum magiſtra compertum ſit, conceſſiones, & gratias vivæ vocis oraculo etiam à S. R. E. Cardinalibus obtentas, & ipſorum manu firmatas ſæpè ab his, in quorum favorem emanarunt, minùs canonica interpretatione extendi, & perperam in diſciplinę Eccleſiaſticæ detrimentum executioni demandari, idcirco quantum cum Domino poſſumus, his, & aliis malis occurrere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & de Conſilio nonnullorum Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, quibus negotium hujuſmodi maturè diſcutiendum commiſimus omnia, & ſingula Privilegia, facultates, licentias, & gratias quaſcumque, per ſummos Pontifices Prędeceſſores noſtros, ac per nos vivę vocis oraculo, & S. R. E. prędictæ Cardinalium quorumcumque manu firmata, quibuſcumque Generalibus, Provincialibus ceteriſque Superioribus, & Perſonis cujuſvis Ordinis, Congregationis, inſtituti, & ſocietatis ſive ſæcularibus ſive Regularibus, vel etiam ipſis Ordinibus, Congregationibus, inſtitutis, & ſocietatibus, etiam Societatis JESU, aut ejus clericis, ſeu Presbyteris, aliiſque Perſonis prædictis quacumque de cauſa, etiam de neceſſitate exprimenda occaſione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, ſeu ad inſtantiam Imperatoris, Regum, Principum quorumcumque, aut aliàs quomodolibet conceſſa, illorum, tenores præſentibus pro expreſſis habentes, tenore præſentium revocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac de cætero revocata, caſſa, ſublata, abrogata, & annullata, viribuſve, & effectu vacua eſſe, & fore nullique prorsùs deinceps ſuffragari poſſe, nec debere declaramus.

Prętereа, ut præſentes litteræ omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, quanto citiùs innoteſcant, omnibus, & ſingulis Generalibus, & aliis quocumque nomine nuncupatis Superioribus, quorumcumque Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis JESU, & inſtitutorum, ſub excommunicationis, & privationis officiorum, & dignitatum, nec non vocis activæ, & paſſivæ pœnis ipſo facto incurrendis præcipimus, & mandamus, ut infra tres menſes proximos à die publicationis præſentium computandos, omnes, & ſingolos Provinciales eorumdem ſuorum ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis JESU, & inſtitutorum, de eiſdem pręſentibus litteris certiores faciant. Earundemque pręſentium exemplaria illis tranſmittant, qui quidem Provinciales ſub eiſdem pœnis teneantur ſingulis Superioribus Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, & locorum Regularium pręcipere, ut eaſdem præſentes ſubditis ſuis ut moris eſt, publicent.

Decernentes pręſentes litteras, etiam ex eo: quòd quicumque in pręmiſsis, intereſſe habentes, vel habere prætendentes ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtrę, ſeu alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, redargui, ad jus, vel controverſiam vocari, aut ad viam, & terminos juris reduci, ſive adverſus illas quodcumque juris, gratiæ vel facti remedium impetrari nullatenùs poſſe, ſed illas ſemper validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere: ſicque per quoſcumque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici auditores (Sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate,

te, & auctoritate)) judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus præinſertis litteris hujuſmodi, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & quatenùs opus ſit etiam Regula noſtra de non tollendo jure quæſito privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis, eiſdem Cardin. ac ordinibus, Congregationibus, inſtitutis, & Societatibus eorumque ſuperioribus quocumque nomine nuncupatis, ſub quibuſcumq; verborum formis, & tenoribus; ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſulitis Clauſulis, ac irritantibus, & aliis Decretis, in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per Clauſulas Generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Vulumus autem, quòd præſentium tranſumptis etiam impreſsis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus ubique fides adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ, quòdque eædem præſentes litteræ, ſive illarum exempla ad valvas Baſilicarum prædictarum, & in acie campi Floræ hujuſmodi ſimiliter affixa omnes, quos concernunt, perinde arctent, & afficiant, acſi unicuique perſonaliter intimata fuiſſent. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 20. Decembris 1631. Pontificatus noſtri Anno nono.

*M. Antonius Maraldus.*

Die, & Anno ſupradicto affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicarum ſancti Joannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, ac in acie campi Floræ aliiſque locis ſolitis, & conſuetis, ut moris eſt, per me Andream Scalamum Sanctiſſ. D. N. Papæ Curſorem.

*Hæc Bulla habetur in Theologia radicali, Joannis Maria Sbogar tr. 136.*

Profeſſio fidei Catholicæ.

*Bulla Pii IV. continens formam juramenti Profeſſionis Orthodoxæ fidei, quæ obſervari præcipitur à proviſis de Beneficiis, ac dignitatibus, Eccleſiis, Monaſteriis, & aliis locis Ordinum regularium, & Militarium.*

P I U S E P I S C O P U S

ſervus ſervorum DEI,

*Ad perpetuam rei Memoriam.*

INjunctum Nobis Apoſtolicæ ſervitutis officium requirit, ut ea quæ Dominus Omnipotens, ad providam Eccleſiæ ſuæ directionem ſanctis Patribus in Nomine ſuo Congregatis divinitùs inſpirare dignatus eſt, ad ejus laudem, & gloriam incunctanter exequi properemus. Cùm itaque juxta Concilii Tridentini diſpoſitionem, omnes, quos deinceps Cathedralibus, & ſuperioribus Eccleſiis præfici, vel quibus de illarum dignitatibus, Canonicatibus, & aliis quibuſcumque beneficiis Eccleſiaſticis, curam animarum habentibus, provideri continget; publicam orthodoxæ fidei profeſſionem facere, ſeque in Rom. Eccleſiæ obedientia permanſuros ſpondere, & jurare teneantur. Nos volentes etiam per quoſcumque, quibus de Monaſteriis, Conventibus, domibus, & aliis quibuſcumque locis regularium quorumcunque ordinum, etiam militarium quocumque nomine, vel titulo, providebitur, idem ſervari, & ad hoc, ut unius ejuſdem fidei profeſſio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unicaque, & certa illius forma cunctis innoteſcat, noſtræ ſolicitudinis partes in hoc alicui minimè deſiderari, formam ipſam præſentibus annotatam publicari, & ubique gentium per eos, ad quos ex Decretis ipſius Concilii, & alios prædictos ſpectat, recipi, & obſervari, ac ſub Pœnis per conc. ipſum in contravenientes latis juxta hanc, & non aliam formam, profeſſionem prædictam ſolemniter fieri auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium diſtrictè præcipiendo mandamus, hujuſmodi ſub tenore.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in ſymbolo fidei, quo S. Romana Eccleſia utitur, videlicet.

Credo in unum DEUM, Patrem Omnipotentem, factorem Cœli, & terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium. Et in unum Dominum JESUM Chriſtum, Filium DEI unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia ſæcula, DEUM de DEO, lumen de lumine, DEUM verum de DEO vero: Genitum, non factum conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt: Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis: Et incarnatus eſt de ſpiritu ſancto ex MARIA Virgine, & homò factus eſt: Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt; Et reſurrexit tertia die ſecundùm ſcripturas, Et aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris, & iterum venturus eſt cum Gloria judicare vivos, & mortuos, cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum, & vivificantem, qui ex Patre filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et unam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum, Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas Traditiones, reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones firmiſſimè admitto. Item Sacram Scripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum Scripturarum admitto, nec eam unquam, niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta novæ legis: à JESU Chriſto Domino noſtro inſtitura, atque ad ſalutem humani generis, licèt non omnia ſingulis neceſſaria ſcil: Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre: & ex his Baptiſmum Confirmationem, & Ordinem ſine Sacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione in ſacroſan. Trid. ſynodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in miſſa offerri DEO, verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro vivis, & defunctis, atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem, unà cum anima, & divinitate Domini noſtri JESU Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam converſionem Catholica Eccleſia tranſſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantùm ſpecie, totum atque integrum Chriſtum verumque Sacramentum ſummi. Conſtanter teneo purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari; Similiter, & Sanctos, unà cum Chriſto regnantes, venerandos eſſe, eoſque orationes DEO pro nobis offerre, atque eorum Reliquias eſſe venerandas. Firmiſſimè aſſero imagines Chriſti, ac DEiparæ Virginis, nec non aliorum SS. habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem, à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam, Catholicam, Apoſtolicam, Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco, Romanoque Pontifici B. Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac JESU Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac juro. Cætera item omnia à ſacris canonibus, & œcumenicis Conciliis, ac præcipuè à Sacroſancta Trid. ſynodo tradita definita, & declarata, indubitanter recipio atque profiteor, ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem inviolatam, uſque ad extremum vitæ Spiritum, conſtantiſſimè, DEO adjuvante, retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, idem N. ſpondeo, voveo, ac juro. Sic me DEUS adjuvet, & hæc ſancta DEI Evangelia. Volumus autem, quòd præſentes litteræ in Cancellaria noſtra Apoſtolica de more legantur: & ut omnibus facilius pateant, in ejus quinternio deſcribantur, ac etiam imprimantur. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis, & mandati infringere, vel ei auſu temerario

contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ, 1564. idibus. Novembris. Pontificatus noſtri Anno quinto.

Fed. Cardinalis Cęſius.

Cæſ. Glorierius.

*Hac Bulla habetur in Bullario Cherubini, to.2. pag.129.*

Propoſitiones Damnatę.

*Decretum SS. D. N. Alexandri Papæ VIII. Die 24. Aug. 1690.*

SAnctiſſimus D. N. Alexander Papa VIII. non ſine magno animi ſui męrore audivit duas Theſes, ſeu propoſitiones, unam denuò, & in majorem fidelium perniciem ſuſcitari, alteram de novo erumpere, & cùm ſui Paſtoralis officii munus ſit, oves ſibi creditas à noxiis paſcuis avertere, & ad ſalutaria ſemper dirigere, dictarum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, deinde Eminentiſſimis DD. Cardinalibus contra Hæreticam pravitatem Generalibus inquiſitoribus ſedulo commiſit, qui pluries re maturè diſcuſſa infraſcriptis Theſibus, ſeu propoſitionibus ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati ſuæ ſingillatim expoſuerunt.

*I. Bonitas objectiva conſiſtit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis verò in conformitate actus cum Regula morum; ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè. Hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decurſu vitę ſuæ moralis.*

*II. Peccatum Philoſophicum, ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum verò, & mortale, eſt tranſgreſſio libera Divinæ legis: Philoſophicum quantumvis grave in illo, qui DEUM, vel ignorat, vel de DEO actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa DEI, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam DEI, neque æterna pęna dignum.*

Quibus peractis ſanctiſſimus, omnibus plenè, & maturè conſideratis primam Theſim, ſeu propoſitionem declaravit Hęreticam, & uti talem damnandam, & prohibendam eſſe, ſicuti damnat, & prohibet ſub cenſuris, & pęnis contra Hęreticos, & eorum fautores in jure expreſſis, ſecundam Theſim ſeu propoſitionem declaravit ſcandaloſam, temerariam, piarum aurium offenſivam, & erroneam, & uti talem damnandam, & prohibendam eſſe, ſicuti damnat, & prohibet, ita, ut quicunque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de ea etiam diſputaverit publicè, ſeu privatim tractaverit, niſi forſan impugnandò, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (pręterquam in mortis articulo) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi. Inſuper diſtrictè in virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus cujuſcunque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, ac ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictam theſim ſeu propoſitionem ad praxim deducant.

Decretum Alterum

*SS. D. N. Alexandri Papæ VIII. Die 7. Decembris 1690.*

SAnctiſſimus D. N. Alexander Divina providentia Papa VIII. Prædictus, pro Paſtorali cura ovium à Chriſto D. ſibi commiſſa de earum ſalute ſollicitus, ut inoffenſo gradu per rectas ſemitas poſſint incedere, & paſcua nimiùm pernicioſa in pravis doctrinis exhibita vitare, unius ſupra triginta propoſitionum examen pluribus in ſacra Theologia, Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis, ac Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra Hæreticam pravitatem Generalibus inquiſitoribus commiſit, qui tantum negotium diligenter aggreſſi, eique ſedulò, ac pluries incumbentes, ſuper unaquaq; ipſarum ſua ſuffragia ſanctitati ſuæ ſingillatim detulerunt.

*Propoſitiones autem ſunt infraſcriptæ videlicet.*

I. IN *ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in cauſa ſua, peccato originali, & libertate Adami peccantis.*

II. *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat à peccato formali.*

III. *Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam.*

IV. *Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem DEO, non pro ſolis electis, ſed pro omnibus, & ſolis fidelibus.*

V. *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omninò accipiunt à JESU Chriſto influxum, adeòque hinc rectè inferes, in illis eſſe volum. tem nudam, & inermem ſine omni gratia ſufficienti.*

VI. *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro, non tam utilis, quàm pernicioſa eſt, ſic ut proinde meritò poſſimus petere, à gratia ſufficienti libera nos Domine.*

VII. *Omnis humana actio deliberata, eſt DEI dilectio, vel mundi; ſi DEI, charitas Patris eſt, ſi mundi concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt.*

VIII. *Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare.*

IX. *Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura rationali ſine ullo ad DEUM offenſum reſpectu.*

X. *Intentio, qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, merè ut cęleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec DEO placens.*

XI. *Omne, quod non eſt ex fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.*

XII. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamſi videantur credere, non eſt fides Divina, ſed humana.*

XIII. *Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu DEO famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.*

XIV. *Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.*

XV. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur ſine dilectione benevolentiæ DEI propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.*

XVI. *Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni, induxit, non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio, natura rei idipſum quodammodo dictante.*

XVII. *Per illam praxin mox abſolvendi, ordo Pęnitentiæ eſt inverſus.*

XVIII. *Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominùs ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.*

XIX. *Homo debet agere tota vita Pœnitentiam pro originali peccato.*

XX. *Confeſſiones apud Religioſos factæ, pleraque, vel Sacrilegæ ſunt, vel invalidæ.*

XXI. *Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui Eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua Pœnitentia, ſeu ſatisfactione, ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis.*

XXII. *Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequàm condignam de delictis ſuis Pœnitentiam egerint.*

XXIII. *Similiter arcendi ſunt à ſacra communione, quibus nondum ineſt amor DEI puriſſimus, & omnis mixtionis expers.*

XXIV. *Oblatio in templo, quæ fiebat à B. MARIA in die Purificationis ſuę per duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtantur, quòd indiguerit purificatione, & quod filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus eſſet ſecundùm verba legis.*

XXV. *DEI Patris ſedentis ſimulacrum nefas eſt Chriſtiano in templo collocare.*

XXVI. *Laus, quæ defertur MARIÆ, ut MARIÆ, vana eſt.*

XXVII. *Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus, in nomine Patris &c. prętermiſſis illis, ego te baptizo.*

XXVIII. *Valet Baptiſmus collatus à Miniſtro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi obſervat, intùs verò in corde ſuo apud ſe reſolvit, non intendo facere, quod facit Eccleſia.*

XXIX. *Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate.*

XXX. *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam.*

XXXI. *Bulla Urbani VIII.* In Eminenti, *eſt ſubreptitia.*

Quibus maturè conſideratis idem Sanctiſsimus ſtatuit, & decrevit 31. ſupradictas propoſitiones tamquam temerarias, ſcandaloſas malè ſonantes, injurioſas, hæreſi proximas, hæreſim ſapientes, erroneas, Schiſmaticas, & Hæreticas, reſpectivè eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, & prohibet, ita, ut quicumque illas aut con-

Digitized by Google

conjonctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputativè publicè aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat iu excommunicationem, à qua non poſſit, (præterqoam in Articulo mortis) ab alio quacunque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatiooe Divini Judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cujuſcunque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpecialiſſima nota dignis, nè prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Non inteodit tamen ſanctitas ſua per hoc Decretum alias propoſitiones in majori numero ultra ſupradictas 31. jam exhibitas, & in hoc Decreto non expreſſas, approbare.

*Hæc duo Decreta videri poſſunt in Theologia radicali Joannis Mario Sbogar, in principio.*

Propoſitiones Bajanæ,

*Primitùs damnatæ à S. Pio V. Papa.*

Pius Epiſcopus ſervus ſervorum DEI,

*Ad futuram rei Memoriam.*

EX omnibus afflictionibus, quas, in hoc loco à Domino conſtituti, tam luctuoſo tempore ſoſtinemus, ille animum noſtrum præcipuè excruciat dolor; quod Religio Chriſtiana tantis jam pridem propoſitis opinionibus conflictetur, Chriſtique populus antiqui hoſtis ſuggeſtione diſſectus, in alios, atqoe alios errores, paſſim, & promiſcuè deferatur. Qoantùm vero ad nos attinet, totis viribus conamur, ut illæ, ſimul atque proſiliunt penitùs opprimantur: magno enim mærore afficimur, quod plerique ſpectatæ alioquin probitatis, & doctrinæ in varias ſententias offenſionis, & periculi plenas, tum verbo, tom ſcriptis prorumpunt; denique eis etiam in ſcholis invicem controverſantur; cujoſmodi ſunt ſequentes.

I. *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita, rectè vocantur gratia.*

II. *Sicut opus malum ex natura ſua eſt mortis æternæ meritorium, ſic bonum opus ex natura ſua eſt vitæ æternæ meritorium.*

III. *Et bonis Angelis, & primo homini, ſi in ſtatu illo perſeveraſſet uſque ad ultimum vitæ, felicitas eſſet merces, & non gratia.*

IV. *Vita æterna homini integro, & Angelo promiſſa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera lege naturæ, ad illam conſequendam per ſe ſufficiunt.*

V. *In promiſſione facta Angelo, & primo homini continetur naturalis juſtitiæ conſtitutio, quâ pro bonis operibus, ſinè alio reſpectu, vita æterna juſtis promittitur.*

VI. *Naturali lege conſtitutum fuit homini, ut ſi in obdientia perſeveraret, ad eam pertranſiret, in qua mori non poſſet.*

VII. *Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera; Sed juxta modum loquendi ſcripturæ ſacræ non rectè vocantur gratia, quo fit, ut tantùm merita, non etiam gratia debeant nuncupari.*

VIII. *In redemptis per gratiam Chriſti nullum inveniri poteſt bonum meritum, quod non ſit gratis indigno collatum.*

IX. *Dona conceſſa homini integro, & Angelo, forſitan, non improbanda ratione poſſunt dici gratia, ſed quia ſecundùm uſum ſacræ Scripturæ, nomine gratiæ, ea tantùm munera intelliguntur, quæ per JESUM Chriſtum malè meritis, & indignis conferuntur, ideo neque merita neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.*

X. *Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato dimiſſo, ſæpè remanet, & Corporis Reſurrectio, propriè nonniſi meritis Chriſti adſcribenda eſt.*

XI. *Quod piè, & juſtè in hac vita mortali uſque in finem converſati, vitam conſequimur æternam, id non propriè gratiæ DEI, ſed ordinationi naturali, ſtatim initio creationis conſtitutæ, juſto DEI judicio deputandum eſt; neque in hac retributione bonorum ad Chriſti meritum reſpicitur, ſed tantùm ad primam inſtitutionem generis humani, in qua lege naturali conſtitutum eſt, ut juſto DEI judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.*

XII. *Pelagii Sententia eſt: Opus bonum citrà gratiam Adoptionis factum, non eſt regni cæleſtis meritorium.*

XIII. *Opera bona à Filiis Adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per Spiritum Adoptionis inhabitantem corda filiorum DEI, ſed tantùm ex eo, quòd ſunt conformia legi, quodque per ea præſtatur obedientia legi.*

XIV. *Opera bona juſtorum non accipiunt in die judicii externi ampliorem mercedem, quàm juſto DEI judicio merentur accipere.*

XV. *Ratio meriti non conſiſtit in eo, quòd qui benè operatur, habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum ſed in eo ſolùm, quòd obedit Divinæ legi.*

XVI. *Non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine charitate.*

XVII. *Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt eſſe neceſſarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam Adoptionis ſublimetur ad ſtatum Deificum.*

XVIII. *Opera Catechumenorum, ut fides, & pœnitentia antè remiſſionem peccatorum facta ſunt vitæ æternæ meritoria, quam vitam ipſi non conſequuntur, niſi priùs præcedentium delictorum impedimenta tollantur.*

XIX. *Opera juſtitiæ, & temperantiæ, quæ Chriſtus fecit, ex dignitate perſonæ operantis non traxerant majorem valorem.*

XX. *Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

XXI. *Humanæ naturæ ſublimatio, & exaltatio in conſortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis.*

XXII. *Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli ad Rom. 2.* Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt, *intelligunt de entibus, fidei gratiam non habentibus.*

XXIII. *Abſurda eſt eorum ſententia, qui dicunt, hominem ab initio, dono quodam ſupernaturali, & gratuito, ſuprà conditionem naturæ fuiſſe exaltatum, ut fide, ſpe, & charitate DEUM ſupernaturaliter coleret.*

XXIV. *A vanis, & otioſis hominibus ſecundùm inſipientiam Philoſophorum, excogitata eſt ſententia, quæ ad Pelagianiſmum rejicienda eſt hominem ab initio ſic conſtitutum, ut per dona naturæ ſuperaddita, fuerit largitate conditoris ſublimatus, & in DEI filium adoptatus.*

XXV. *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.*

XXVI. *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.*

XXVII. *Liberum arbitrium ſine gratia DEI adjutorio, non niſi ad peccatum valet.*

XXVIII. *Pelagianus eſt error, dicere, quòd liberum arbitrium non valet ad ullum peccatum vitandum.*

XXIX. *Non ſoli fures ii ſunt, & latrones, qui Chriſtum, viam, & oſtium, veritatis, & vitæ negant; ſed etiam quicunque, aliundè, quàm per ipſum in viam Juſtitiæ (hoc eſt Aliquam Juſtitiam) conſcendi poſſe docent.*

XXX. *Aut tentationi ulli, ſine gratia ipſius adjutorio reſiſtere hominem poſſe, ſic ut in eam non inducatur, aut ab ea non ſuperetur.*

XXXI. *Charitas perfecta, & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, tam in Cathecumenis, quàm in pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.*

XXXII. *Charitas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum.*

XXXIII. *Cathecumenus juſtè, rectè, & ſanctè vivit, & mandata DEI obſervat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remiſſionem peccatorum, quæ in Baptiſmi lavacro demum percipitur.*

XXIV. *Diſtinctio illa duplicis amoris naturalis videlicet, quo DEUS amatur, ut auctor naturæ, & gratuiti, quo DEUS amatur, ut beatificator, vana eſt, & commentitia, & ad illudendum ſacris litteris, & plurimis veterum teſtimoniis excogitata.*

XXXV. *Omne, quod agit peccator vel ſervus peccati, peccatum eſt.*

XXXVI. *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola Philoſophia, per elationem præſumptionis humanæ, cum injuria crucis Chriſti defenditur à nonnullis Doctoribus.*

XXXVII. *Cum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit.*

XXXVIII. *Omnis amor Creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffuſa, DEUS amatur.*

XXXIX. *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit.*

XL. *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit Dominanti cupiditati.*

XLI. *Is libertatis modus, qui eſt à neceſſitate, ſub libertatis nomine non reperitur in ſcripturis, ſed ſolum nomen libertatis à peccato.*

XLII. *Juſtitia, quâ juſtificatur per fidem impius, conſiſtit formaliter in obedientia mandatorum, quæ eſt operum juſtitia, non autem in gratia aliqua animæ infuſa, quâ adoptatur homo in filium DEI, & ſecundùm interiorem hominem renovatur, ac Divinæ naturæ conſors efficitur, ut ſic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps benè*

viv-

*vivere, & DEI mandatis obedire poſſit.*

XLIII. *In hominibns pœnitentibus ante Sacramentum abſolntionis, & in Cathecnmenis ante Baptiſmum eſt vera juſtificatio; ſeparata tamen à remiſſione peccatorum.*

XLIV. *Operibns pleriſque, quæ à fidelibus fiunt ſolùm, ut DEI mandatis pareant, cujuſmodi ſnnt, obedire parentibus, depoſitum reddere, ab homicidio, à furto, fornicatione abſtinere, inſtificantnr quidem homines, quia ſunt legis obedientia, & vera legis Juſtitia, non tamen iis obtinent incrementa virtntnm.*

XLV. *Sacrificium miſſæ non alia ratione eſt ſacrificinm, quàm generali illa, quà omne opns, quod fit, nt ſancta Societate, DEO homo inhæreat.*

XLVI. *Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium; nec definitionis qnæſtio eſt, ſed canſa, & originis, ntrnm omne peccatum debeat eſſe volnntarinm.*

XLVII. *Unde peccatnm originis verè habet rationem peccati ſine nlla relatione, ac reſpectu ad volnntatem, à qua originem habnit.*

XLVIII. *Peccatum originis eſt habitnali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatnr parvnlo, eò qnòd non gerit contrarium voluntatis arbitrium.*

XLIX. *Et ex habitnali voluntate dominante fit, ut parvnlus decedens ſine regenerationis Sacramento, qnando uſnm rationis conſecntns erit, actualiter DEUM odio habeat, DEUM blaſphemet, & legi DEI repugnet.*

L. *Prava deſideria, qnibns ratio non conſentit, & quæ homo invitus patitur, ſunt prohibita præcepto:* non concupiſces.

LI. *Concupiſcentia, ſivè lex membrorum, & parva ejus deſideria, quæ inviti ſentiunt homines ſunt vera legis inobedientia.*

LII. *Omne ſcelus eſt ejus conditionis, ut ſuum auctorem, & omnes poſteros eo modo inficere poſſit, qno infecit prima tranſgreſſio.*

LIII. *Quantnm eſt ex vi tranſgreſſionis, tantum meritorum malorum à generante contrahunt, qui cum minoribus naſcnntnr vitiis, qnàm qni cnm majoribus.*

LIV. *Definitiva hæc ſententia, DEUM homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falsò tribuitnr Augnſtino, cùm Pelagii ſit.*

LV. *DEUS non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qnalis nunc naſcitur.*

LVI. *In peccato dno ſnnt, actns, & reatus: tranſeunte autem actn, nihil manet niſi reatns, ſivè obligatio ad pœnam.*

LVII. *Unde in Sacramento Baptiſmi, aut Sacerdotis abſolntione, propriè reatus peccati dumtaxat tollitnr; & miniſterium Sacerdotnm ſolùm liberat à reatu.*

LVIII. *Peccator pœnitens non vivificatur miniſterio Sacerdotis abſolventis, ſed à ſolo DEO; qui pœnitentiam ſuggerens, & inſpirans, vivificat eum, & reſnſcitat: Miniſterio autem Sacerdotis ſolùm reatns tollitur.*

LIX. *Qnando per Eleemoſynas, aliaqne pœnitentiæ opera DEO ſatisfacimns pro pœnis temporalibns, non dignnm pretinm DEO pro peccatis noſtris offerimus, ſicnt qnidam errantes autumant (nam alioqnin eſſemns, ſaltem aliqua ex parte redemptores) ſed aliquid facimns, cujus intnitu Chriſti ſatisfactio nobis applicatur, & communicatur.*

LX. *Per paſſiones ſanctorum in indulgentiis communicatas non propriè redimnntur noſtra delicta; ſed per communionem charitatis nobis eorum paſſiones impertinntnr, nt digni ſimns, qui pretio ſanguinis Chriſti à pœnis pro peccatis debitis liberemur.*

LXI. *Celebris illa Doctorum diſtinctio, Divinæ legis mandata biſariam impleri, altero modo, quantùm ad præceptorum opernm ſnbſtantiam tantùm, altero quantùm ad certnm quemdam modum, videlicet ſecnndùm quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc eſt, ad modum meritorinm) commentitia eſt, & explodenda.*

LXII. *Illa quoqne diſtinctio, qua opus dicitur biſariam bonnm, vel qnia ex objecto, & omnibns circnmſtantiis rectum eſt, & bonnm (quod moraliter bonum appellare conſnevernnt) vel qnia eſt meritorinm regni æterni, eo quod ſit à vivo Chriſti membro per Spiritum charitatis, rejicienda eſt.*

LXIII. *Sed, & illa diſtinctio duplicis Juſtitiæ, alterius, quæ fit per Spiritnm charitatis inhabitantem, alterius, quæ fit ex inſpiratione qnidem Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, ſed nondnm cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, quâ Divinæ legis juſtificatio impleatur, ſimiliter rejicitur.*

LXIV. *Item illa diſtinctio duplicis vivificationis; alterius, qua vivificatur peccator, dnm ei pœnitentia, & vitæ novæ propoſitum, & inchoatio per DEI gratiam inſpiratur: alterius, quâ vivificatur, qui verè juſtificatur, & palmes vivus in vite Chriſto efficitur, pariter commentitia eſt, & Scripturis minimè congruent.*

LXV. *Non niſi Pelagiano errore admitti poteſt uſus aliquis liberi arbitrii bonus, ſive non malus; & gratiæ Chriſti injuriam facit, qui ita ſentit, & docet.*

LXVI. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

LXVII. *Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod neceſſariò facit.*

LXVIII. *Infidelitas purè negativa in his, in quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.*

LXIX. *Juſtificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem; & inſpirationem, quæ per eam Juſtificatos faciat implere legem.*

LXX. *Homo exiſtens in peccato mortali, ſive in reatu æternæ damnationis poteſt habere veram charitatem; & charitas, etiam perfecta poteſt conſiſtere cum reatu æternæ damnationis.*

LXXI. *Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cnm voto ſuſcipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extrà caſum neceſſitatis, aut Martyrii, ſine actnali ſuſceptione Sacramenti.*

LXXII. *Omnes omnino juſtorum afflictiones ſunt ultiones peccatorum ipſorum, undè, & Job, & Martyres, quæ paſſi ſnnt, propter peccata ſua paſſi ſunt.*

LXXIII. *Nemo præter Chriſtnm, eſt abſque peccato originali, hinc Beata Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adam contractum, omneſque ejus afflictiones in hac vita ſicut, & aliorum juſtorum: fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.*

LXXIV. *Concnpiſcentia in renatis relapſis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatnm eſt, ſicut, & alii habitns pravi.*

LXXV. *Motus pravi concupiſcentiæ ſunt pro ſtatu hominis vitiati, prohibiti præcepto:* Non Concupiſces: *unde homo eos ſentiens, & non conſentiens tranſgreditur præceptnm:* non concupiſces, *qnamvis tranſgreſſio in peccatnm non deputetur.*

LXXIV. *Quamdiu aliqnid Concupiſcentiæ carnalis in diligente eſt, non facit præceptnm:* Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo.

LXXVII. *Satisfactiones laborioſæ juſtificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem reſtantem poſt culpam condonatam.*

LXXVIII. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficinm, ſed naturalis conditio.*

LXXIX. *Falſa eſt Doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe à DEO creari, & inſtitui ſine Juſtitia natnrali.*

Quasquidem ſententias ſtricto coram nobis examine ponderatas quamquàm nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent, in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes, reſpectivè, & quæcumque ſuper iis verbo, ſcriptoque emiſſa, præſentium auctoritate damnamus, circumſcribimus, & abolemus, deque eiſdem, & ſimilibus poſt hac, quoquo pacto loquendi, ſcribendi, & diſputandi facultatem, quibuſcunque interdicimus. Qui ſecus fecerint, ipſos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & officiis perpetuò privamus, ac etiam inhabiles ad quæcunque decernimus; vinculo quoque anathematis, eo ipſo innodamus, à quo, nullus Romano Pontifice inferior, valeat ipſos, excepto mortis articulo, liberare. Cæterum, ut jam commoti his de rebus tumultus, & contracta odia faciliùs comprimi poſſint, ſimulque animarum ſaluti, pleniùs conſulatur, dilecto filio noſtro Antonio Titulo S. Bartholomæi in Inſula Presbytero Cardinali Granuelano nuncupato per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut ipſe, qui ad perpetuam dictarum Sententiarum, & Scripturarum abolitionem, quid ad arcenda hujuſmodi proloquia, & diſputationes, quid denique ad unionem, & pacem cum communi omnium, & Eccleſiæ Catholicæ ſatisfactione componendam, facto opus ſit, imprimis diligenter expendet, deindè in iis omnibus, quæ pro communi ſalute, tranquillitate, & honore optimum judicaverit, ſalva ſemper Eccleſiæ prædictæ unitate, etiam per alium, ſeu alios fide, Doctrina, & Religione præſtantes exequatur, faciatque, quidquid decreverit, inviolatè ab omnibus obſervari; contradictores quoslibet, per cenſuras, & pœnas prædictas, ceteraque juris, & facti remedia opportuna, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis: non obſtantibus, quòd forſitan aliquibus ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & quibuslibet aliis Privilegiis, exemptionibus, indulgentiis, & litteris Apoſtolicis, ſpecialibus, vel Generalibus quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus præſentium impediri valeat

quomo-

Digitized by Google

quomodolibet, vel differri de quibus eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ damnationis, circumſcriptionis, abolitionis, interdicti, Decreti, & mandati, privationis, & innodationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Calendis Octobris, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

*Hæc Bulla habetur in Theologia radicali Joannis Mariæ Sbogar, tr. 22. cap. 3. in Bulla. In Eminenti.*

Propoſitiones Janſenianæ

*Damnatæ ab Innocentio X. Alexandro VII. & nuper à Clemente XI. Romanis Pontificibus.*

Clemens Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei.

*Univerſis Chriſti fidelibus, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.*

Vineam Domini Sabaoth, quæ eſt Catholica Eccleſia, pro commiſſo nobis divinitus Apoſtolicæ ſervitutis munere cuſtodire, atque excolere, omni ſtudio, atque induſtria jugiter ſatagentes, ea, quæ à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris ad ſuccreſcentes in illa pernicioſarum novitatum vepres radicitus evellendos prudenti, ſalubrique conſilio conſtituta eſſe noſcuntur, ut quibuſcunque inimici hominis molitionibus dejectis, firmiùs ſemper atque exactiùs obſerventur, Apoſtolici muniminis noſtri præſidio libenter roboramus, atque aliàs deſuper ſolicitudinis, & providentiæ noſtræ partes interponimus, ſic ut omnibus maturæ conſiderationis trutina perpenſis, ad fidelem, ac tutam Orthodoxæ veritatis cuſtodiam, nec non animarum pretioſo unigeniti Dei filii Domini noſtri Jeſu Chriſti ſanguine redemptarum ſalutem expedire in Domino arbitrantur. Sanè poſtquàm fel. rec. Innocentius Papa X. Prædeceſſor noſter per quamdam ſuam deſuper editam conſtitutionem quinque famoſas propoſitiones ex libro Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis, cui titulus *Auguſtinus* excerptas Apoſtolici cenſura Judicii ritè confixerat, fel. mem. Alexander Papa VII. etiam prædeceſſor noſter ad ejuſmodi jam damnatos errores è Chriſti fidelium mentibus prorſus abolendos publicæque tranquillitatis perturbatorum ſubtili tectas calliditate machinationes penitùs evertendas, prædictam Innocentii prædeceſſoris conſtitutionem, toto illius inſerto tenore confirmavit, novarumque declarationum acceſſione conſtabilivit, ſua in id pariter edita conſtitutione tenoris, qui ſequitur: videlicet.

Alexander Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Univerſis Chriſti fidelibus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ad ſanctam Beati Petri Sedem, & univerſalis Eccleſiæ regimen, inſcrutabili Divinæ Providentiæ diſpoſitione nullis noſtris ſuffragantibus meritis evecti, nihil nobis antiquius ex muneris noſtri debito eſſe duximus, quàm ut ſanctæ fidei noſtræ, ac ſacrorum dogmatum integritati, tradita nobis à Deo poteſtate opportunè conſuleremus. Ac licèt ea, quæ Apoſtolicis conſtitutionibus abundè fuerunt definita, novæ deciſionis, ſive declarationis acceſſione nequaquam indigeat, quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubium revocare, vel ſubdolis interpretationibus labefactare non verentur: ne morbus iſte latiùs divagetur, promptum Apoſtolicæ auctoritatis remedium cenſuimus non eſſe differendum. Emanavit ſiquidem aliàs à fel. rec. Innocentio Papa X. Prædeceſſore noſtro conſtitutio, declaratio, & definitio tenoris, qui ſequitur videlicet.

Innocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei Univerſis Chriſti fidelibus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum occaſione impreſſionis libri, cui titulus *Auguſtinus* Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis inter alias ejus opiniones, orta fuerit, præſertim in Galliis Controverſia ſuper quinque ex illis, complures Galliarum Epiſcopi apud nos inſtiterunt ut eaſdem propoſitiones nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perſpicuam ferremus ſententiam. Tenor verò præfatarum propoſitionum eſt: prout ſequitur.

I. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.*

II. *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquàm reſiſtitur.*

III. *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

IV. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant Hæretici, quòd vellent, eam gratiam talem eſſe, cui poteſt humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.*

V. *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.*

Nos, quibus inter multiplices curas, quæ animum noſtrum aſſiduè pulſant, illa imprimis cordi eſt, ut Eccleſia Dei nobis ex alto commiſſa, purgatis pravarum opinionum erroribus, tutò militare, & tamquàm navis in tranquillo mari, ſedatis omnium tempeſtatum fluctibus, ac procellis, ſecurè navigare, & ad optatum ſalutis portum pervenire poſſit: pro rei gravitate coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus, ad id ſpecialiter ſæpiùs congregatis, ac pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, eaſdem quinque propoſitiones ut ſuprà, nobis oblatas fecimus ſigillatim diligenter examinari, eorumque ſuffragia, tum voce, tum ſcripto relata, maturè conſideravimus, eoſdemque Magiſtros, variis coram nobis actis Congregationibus prolixe ſuper eiſdem, ac ſuper earum qualibet differentes audivimus. Cùm autem ab initio hujuſmodi diſcuſſionis, ad Divinum implorandum auxilium, multorum Chriſti fidelium preces, tum privatim, tum publicè indixiſſemus, poſtmodum iteratis eiſdem ferventiùs, ac per nos ſolicitè implorata ſancti Spiritus Aſſiſtentia, tandem Divino munimine favente ad infraſcriptam devenimus declarationem, & definitionem.

I. Prædictarum propoſitionum *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant*: Temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

II. *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquàm reſiſtitur*: Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

III. *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione*; Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

IV. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare*: falſam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

V. *Semipelagianum eſt, dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, vel ſanguinem fudiſſe*: falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit: impiam, blaſphemam, contumelioſam, & Divinæ pietati derogantem, & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Mandamus igitur omnibus Chriſti fidelibus utriuſque ſexus, ne de dictis propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant, quàm in hac præſenti noſtra declaratione, & definitione continetur, ſub cenſuris, & pœnis contra Hæreticos, & eorum fautores in jure expreſſis. Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, nec non Hæreticæ pravitatis inquiſitoribus, ut contradictores, & rebelles quoſcumque per cenſuras, & pœnas prædictas, cæteraque juris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis omnino coerceant, & compeſcant. Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem ſuper prædictis quinque propoſitionibus factam approbare ullatenùs alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Janſenii. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem. Datum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo tertio, pridie Calendas Junii. Pontificatus noſtri anno nono.

Cùm autem, ſicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque propoſitiones, vel in libro prædicto ejuſdem Cornelii Janſenii non reperiri, ſed fictè, & pro arbitrio compoſitas eſſe, vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe, aſſerere magno cum Chriſti fidelium ſcandalo non reformident, nos, qui omnia, quæ hac in re geſta ſunt, ſufficienter, & attentè perſpeximus, utpote qui ejuſdem Innocentii prædeceſſoris juſſu, dum adhuc in minoribus conſtituti, Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis congreſſibus, in quibus Apoſtolica auctoritate, eadem cauſa diſcuſſa eſt: ea profectò diligentia, qua major deſiderari non poſſet; quamcumque dubitationem ſuper præmiſſis impoſterùm auferre volentes, ut omnes CHRISTI fideles in ejuſdem fidei unitate, ſeſe contineant, ex debito noſtri Paſtoralis officii, ac matura deliberatione præinſertam Innocentii Prædeceſſo-

ris

ris noſtri conſtitutionem, declarationem, & definitionem harum ſerie confirmamus, approbamus, & innovamus, & quinque illas propoſitiones ex libro præmemorati Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis, cui titulus eſt *Auguſtinus*, excerptas, ac in ſenſu ab eodem Cornelio Janſenio intento damnatas fuiſſe, declaramus, & definimus, ac uti tales, injuſta ſcilicet eadem ſingulis nota, quæ in prædicta declaratione, & definitione unicuique illarum ſigillatim inuritur, iterum damnamus, ac eumdem librum ſæpe dicti Cornelii Janſenii, cui titulus *Auguſtinus*, omneſque alios tam manuſcriptos, quàm typis editos, & ſi quos forſan in poſterùm edi contigerit, in quibus prædicta ejuſdem Cornelii Janſenii Doctrina, ut ſuprà, damnata defenditur, vel aſtruitur, aut defendetur, vel aſtruetur, damnamus itidem, atque prohibemus. Mandantes omnibus Chriſti fidelibus, ne prædictam doctrinam teneant, prædicent, doceant, verbo, vel ſcripto exponant, vel interpretentur, publicè, vel privatim, palàm, vel occultè imprimant, ſub pœnis, & cenſuris contra hæreticos in jure expreſſis ipſo facto abſque alia declaratione incurrendis. Præcipimus igitur omnibus venerabilibus Fratribus noſtris, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque locorum Ordinariis, ac Hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, ac Judicibus Eccleſiaſticis, ad quos pertinet, ut præinſertam ejuſdem Innocentii Prædeceſſoris conſtitutionem, declarationem, ac definitionem, juxta præſentem noſtram determinationem ab omnibus obſervari faciant, ac inobedientes, & rebelles prædictis pœnis, aliiſque juris, & facti remediis, invocato etiam, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio, omninò coerceant. Datum Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem, Anno incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto, decimo ſeptimo Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno II.

Subindè verò, quò omnis Apoſtolicarum definitionum eludendarum aditus intercluderetur, memoratus Alexander Prædeceſſor, priſcum Eccleſiæ morem ſequutus, certam edidit formulam ab omnibus Eccleſiaſtici ordinis, tam ſæcularibus, quàm Regularibus Perſonis ſubſcribendam per aliam ſuam hac in re promulgatam conſtitutionem tenoris ſequentis: videlicet, ALEXANDER Epiſcopus ſervus ſervorum DEI. Ad perpetuam rei memoriam. Regiminis Apoſtolici Divina Providentia nobis, quamvis immeritis, commiſſi ratio poſtulat, ut ad ea potiſſimum, quæ Catholicæ Religionis integritati, & propagationi, animarumque ſaluti, & fidelium tranquillitati conſulere apta, & idonea eſſe judicantur, animum, & curam omnem, quantùm licèt in Domino, applicemus. Quamobrem Cornelii Janſenii hæreſim, in Galliis præſertim, ſerpentem, ab Innocentio X. felic. rec. Prædeceſſore noſtro ferè oppreſſam, ad inſtar colubri tortuoſi, cujus caput attritum eſt, in varios gyros, & cavillationum deflexus euntem ſingulari conſtitutione ad hunc finem edita altero Aſſumptionis noſtræ Anno extinguere conati ſumus, ſed ut multiplices hoſtis hominum generis artes adhibet, nondum plenè conſequi potuimus, ut omnes errantes in viam ſalutis redirent, qui tamen unicus erat votorum, & curarum noſtrarum ſcopus, quibus operam, & induſtriam ſuam egregio ſanè ſtudio Venerabiles Fratres noſtri Archi-Epiſcopi, & Epiſcopi Regni Galliæ, earumdem conſtitutionum Apoſtolicarum exequutioni præcipuè intenti contulerunt, & chariſſimus in Chriſto filius noſter Rex Chriſtianiſſimus ſingulari pietate auxiliarem dexteram ſtrenuò, ac conſtantiſſimo animo porrexit. Cùm autem præfatus Rex Chriſtianiſſimus eodem Religionis Zelo ductus per ſuum in urbe oratorem nobis ſignificari, exponique curaverit, nullum aliud opportunius remedium peſtiferæ hujus contagionis reliquiis extirpandis adhiberi poſſe, quàm ſi omnes certam formulam ſubſcriberent noſtra auctoritate firmatam, in qua quinque propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro, cui titulus *Auguſtinus* excerptas ſincerè damnarent, ac proinde illam à nobis quantocitius expediri, ad quælibet effugia præcludenda, omneſque removendos obtentus, flagitaverit: nos tam piis dicti Regis Chriſtianiſſimi votis benignè annuendam eſſe ducentes, formulam infraſcriptam ab omnibus Eccleſiaſticis, & Venerabilibus Fratribus noſtris Archi-Epiſcopis nec non aliis quibuſcunque Eccleſiaſticis Ordinis tam Regularibus, quàm ſæcularibus, etiam Monialibus, Doctoribus, & Licentiatis, aliiſque Collegiorum Rectoribus, atque Magiſtris ſubſcribi diſtricte mandamus; idque intra tres menſes à die publicationis, ſeu notificationis præſentium: aliàs contra eos, qui intra terminum prædictum non paruerint, irremiſſibiliter procedi volumus juxta canonicas conſtitutiones, & conciliorum decreta. Formula à ſupradictis ſubſcribenda. Ego N. conſtitutioni Apoſtolicæ Innocentii X. Datæ die 31. Maii 1653. & conſtitutioni Alexandri VII. Datæ die 16. Octobris 1656. Summorum Pontificum me ſubjicio, & quinque propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro, cui nomen *Auguſtinus* excerptas, & in ſenſu ab eodem auctore intento, prout illas prædictas conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo rejicio, ac damno, & ità juro: ſic me DEUS adjuvet, & hæc Sancta DEI Evangelia. Decernentes inſuper præſentes litteras ſemper, & perpetuò validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenos, & integros effectus ſortiri, & obtinere. Sicque per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos ubique judicari, & definiri debere, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate; ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quocunque quavis Auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit, attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archi-Epiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis committimus, & mandamus, ut ſinguli in ſuis diœceſibus, ac locis ſuæ juriſdictioni ſubjectis præſentes litteras, & in eis contenta quæcunque exequantur, & exequutioni mandari, ac obſervari ab omnibus curent, & inobedientes quoſcunque per ſententias, cenſuras, & pœnas, aliaque juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio, omninò compellant. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides prorsùs adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc noſtram conſtitutionem, & ordinationem infringere, vel auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. MARIAM Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo quarto, quinto decimo Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno X.

Sic equidem cauſa finita eſt; non tamen ſic, ut pareat, finitus eſt error Apoſtolico toties mucrone perculſus: neque enim defuere, nec adhuc deſunt homines veritati non acquieſcentes, & nunquam Eccleſiæ contradicendi finem facientes, qui variis diſtinctionibus, ſeu potiùs effugiis ad circumventionem erroris excogitatis, Eccleſiam ipſam turbare, eamque interminatis quæſtionibus, quantùm in ipſis eſt, involvere, & implicare conantur; quodque deteriùs eſt, ipſamet Apoſtolicæ Sedis decreta redarguendis eorum pravis ſenſibus, condita, ac præſertim quaſdam piæ mem. Clementis Papæ IX. Die 19. Januar. 1669. ad quatuor Galliæ Epiſcopos, nec non binas ſimilis mem. Innocentii Papæ XII. etiam prædeceſſorum noſtrórum die 6. Februarii 1694. & die 24. Novembris 1696. ad Epiſcopos Belgii in forma brevis reſpectivè datas litteras, in erroris ſui Patrocinium advocare, temerario planè auſu, non erubeſcunt: perinde ac ſi memoratus Clemens Prædeceſſor, qui eiſdem ſuis litteris ſe Innocentii X. & Alexandri VII. Prædeceſſorum communicationibus ſupradictis firmiſſimè inhærere, ac à dictis quatuor Epiſcopis veram, & totalem obedientiam, adeoque formulæ a præfato Alexandro prædeceſſore, ſicut præmittitur, & editæ ſincerè per eos ſubſcribi voluiſſe declaravit, aliquam in tam gravi negotio exceptionem, ſeu reſtrictionem, quam nullam prorsùs ſe unquam admiſſum fuiſſe proteſtatus fuit, re ipſa admiſiſſet; dictus verò Innocentius XII. Prædeceſſor dum ſapienter, ac providè prædictas quinque propoſitiones, ex memorato libro Janſenii excerptas in ſenſu obvio, quem ipſamet propoſitionum verba exhibent, ac præſeferunt, damnatas eſſe pronunciavit, non de ipſomet obvio ſenſu, quem in Janſenii libro habent, quive ab eodem Janſenio intentus, ac à præfatis Innocentio X. & Alexandro VII. Prædeceſſoribus damnatus fuit, ſed de alio quopiam diverſo ſenſu cogitaſſet: dictaſque Innocentii X. & Alexandri VII Prædeceſſorum conſtitutiones temperare, reſtringere, aut alio quovis modo immutare voluiſſet iiſdem ipſis litteris, quibus eas in ſuo robore fuiſſe, & eſſe, ſeque illis firmiter inhærere verbis apertiſſimis aſſerebat, Prætereà iidem inquieti homines ſparſis undequaque ſcriptionibus, ac libellis, exquiſita ad fallendum artè, compoſitis, non ſine gravi Apoſtolicæ Sedis injuria, maximoque totius Eccleſiæ ſcandalo docere non ſunt veriti, ad obedientiam præfatis Apoſtolicis conſtitutionibus debitam non requiri, ut quis prædicti Janſeniani libri ſenſum in antedictis quinque propoſitionibus, ſicut præmittitur, damnatum, interiùs, ut hæreticum damnet; Sed ſatis eſſe, ſi ea de re obſequioſum (ut ipſi vocant) ſilentium teneatur. Quæ quidem aſſertio quàm abſurda ſit, & animabus fidelium pernicioſa ſatis apparet, dum fallacis hu-

jus

Google

jus doctrinæ pallio non deponitur error, ſed abſconditur; vulnus tegitur, non curatur; Eccleſiæ illuditur, non paretur; Et lata demum filiis inobedientiæ via ſternitur ad fovendam ſilentio hæreſim, dum ipſam Janſenii doctrinam, quam ab Apoſtolica Sede damnatam Eccleſia, univerſalis abhorruit, adhuc interius abjicere, & corde improbare detrectant. Quin etiam eo impudentiæ nonnullos deveniſſe compertum eſt, ut veluti naturalis honeſtatis nedum Chriſtianæ ſinceritatis obliti, aſſerere non dubitaverint præfatæ formulæ à memorato Alexandro Prædeceſſore præſcriptæ ſubſcribi licitè poſſe, etiam ab iis, qui, interius non judicent prædicto Janſenii libro doctrinam Hæreticam contineri: quaſi verò, contra quàm ſcriptum eſt: *qui loquitur veritatem in corde ſuo, & qui jurat proximo ſuo, & non decipit;* hujuſmodi erroris ſectatoribus liceat Eccleſiam ipſam jurejurando decipere, ſimulque Apoſtolicæ Sedis providentiam fallere, dum ejuſdem formulæ conceptis verbis loquuntur, quod Eccleſia loquitur, quod tamen ſentit ipſa, non ſentiunt; Seque parere conſtitutionibus Apoſtolicis profitentur, quibus animo contradicunt.

Hinc eſt, quòd nos ad opportunum, & efficax tam exitiali morbo, qui ut cancer ſerpit, & quotidiè in deterius vergit, remedium adhibendum, non minus demandatæ nobis omnium Eccleſiarum ſolicitudinis debito, quàm plurimorum venerabilium Fratrum noſtrorum diverſarum partium, ac præſertim Regni Galliarum Epiſcoporum Zelo, ac precibus excitati; Ne hujuſmodi pravi homines Catholicæ Eccleſiæ pacem ſubvertere impunè pergant, & ſimplicium, ac puſillorum mentibus imponere, docentes quæ non oportet; neve ullus apud eos quoque, qui bona, ut ajunt, fide, ac falſis rumoribus decipi ſe fortaſſe patiuntur, de mente, ac ſententia Apoſtolicę Sedis amplius ambigendi ſuper ſit locus; Divino priùs, tam privatis noſtris, quàm publicè indictis precibus, implorato præſidio, ac re maturè diſcuſſa de nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Conſilio, auditiſque complurium in Sacra Theologia Magiſtrorum ſuffragiis; primò quidem præinſertas Innocentii X. & Alexandri VII. Prædeceſſorum conſtitutiones, omniaque, & ſingula in eis contenta auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, approbamus, & innovamus. Ac inſuper, ut quævis impoſterum erroris occaſio penitus præcidatur, atque omnes Catholicæ Eccleſiæ filii Eccleſiam ipſam audire, non tacendo ſolùm (nam, & impii in tenebris conticeſcunt) ſed, & interiùs obſequendo, quæ vera eſt orthodoxi hominis obedientia, condiſcant; hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione, obedientiæ, quæ præinſertis Apoſtolicis conſtitutionibus debetur, obſequioſo illo ſilentio minimè ſatisfieri; ſed damnatum in quinque præfatis propoſitionibus Janſeniani libri ſenſum, quem illarum verba præſeferunt, ut præfertur, ab omnibus Chriſti fidelibus ut hæreticum, non ore ſolùm, ſed & corde rejici, ac damnari debere; nec alia mente, animo, aut credulitate ſupradictæ formulæ ſubſcribi licitè poſſe, ità, ut qui ſecus, aut contrà, quoad hæc omnia, & ſingula, ſenſerint, tenuerint, prædicaverint, verbo, vel ſcripto docuerint, aut aſſeruerint, tanquam præfatarum Apoſtolicarum conſtitutionum tranſgreſſores, omnibus, & ſingulis illarum cenſuris, & pœnis omninò ſubjaceant, eadem auctoritate Apoſtolica decernimus, declaramus, ſtatuimus, & ordinamus. Decernentes pariter eaſdem præſentes, & præinſertas litteras ſemper, & perpetuò validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos ubique judicari, & definiri debere, ſublata, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archi-Epiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, nec non hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, & judicibus Ecleſiaſticis, ad quos pertinet, committimus, & mandamus, ut ſinguli in ſuis reſpectivè diœceſibus, ac locis ſuæ juriſdictioni ſubjectis, ipſas præſentes litteras, & in eis contenta quæcunque exequantur, & executioni mandari, & obſervari ab omnibus curent, & inobedientes, & rebelles quoſcumque, per cenſuras, & pœnas præfatas, aliaque juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachii ſæcolaris auxilio omninò coerceant, & compellant. Volumus autem, ut earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides prorſus adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis, innovationis, Decreti, declarationis, ſtatuti, & ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quinto, decimo ſeptimo Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno quinto.

*Hæc Bulla habetur in parte 3a Trutina Theologica P. Dominici Viva pagina mihi 232.*

Propoſitiones Queſnellianæ

*Damnata à Clemente Papa XI.*

CLEMENS EPISCOPUS,

ſervus ſervorum DEI.

*Univerſis Chriſti fidelibus ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.*

UNigenitus DEI filius pro noſtra, & totius mundi ſalute filius hominis factus, cùm diſcipulos ſuos doctrina veritatis inſtrueret, univerſamque Eccleſiam ſuam in Apoſtolis erudiret, præſentia diſponens, & futura proſpiciens præclaro, ac ſaluberrimo documento nos admonuit, ut attenderemus à falſis prophetis, qui veniunt ad nos in veſtimentis ovium; quorum nomine potiſſimùm demonſtrantur Magiſtri illi mendaces, & in deceptione illuſores, qui ſplendida pietatis ſpecie prava dogmata latenter inſinuantes, introducunt ſectas perditionis ſub imagine Sanctitatis; utque faciliùs incautis obrepant, quaſi deponentes lupinam pellem, & ſeſe Divinæ legis Sententiis, velut quibuſdam ovium velleribus obvolventes, Sanctarum Scripturarum, adeoque etiam ipſius novi Teſtamenti verbis, quæ multipliciter in ſuam aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur: antiqui ſcilicet, à quo progeniti ſunt mendacii parentis exemplo, ac Magiſterio edocti, nullam omninò eſſe ad fallendum expeditiorem viam, quàm ut ubi nefarii erroris ſubintroducitur fraudulentia, ibi Divinorum Verborum prætendatur auctoritas.

His non verè Divinis monitis inſtructi, ubi primum, non ſine intima cordis noſtri amaritudine, accepimus librum quemdam Gallico idiomate olim impreſſum, & in plures Thomos diſtributum, ſub titulo... *le Nouveau Teſtament en François avec des reflexions morales ſur chaque verſet &c. A Paris 1699.* Aliter verò..... *Abbregé de la morale de l'Evangile, actes Epiſtres, de S. Paul, des Epiſtres Canoniques, & de l'Apocalypſe, ou Penſees chrethiennes ſur le texte des ces livres ſacrez &c. A Paris, 1693. & 1694.* Tametſi aliàs à nobis damnatum, ac revera Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariàm permiſcentem, adhuc tamen tanquàm ab omni errore immunem, à pluribus haberi, Chriſti fidelium manibus paſſim obtrudi, ac nonnullorum nova ſemper tentantium conſilio, & opera ſtudioſè nimis quaquaverſum diſſeminari, etiam latinè redditum, ut pernicioſæ inſtitutionis contagium, ſi fieri poſſit, pertranſeat de gente in gentem, & de regno ad populum alterum: verſutis hujuſmodi ſeductionibus, atque fallaciis creditum nobis Dominicum gregem in viam perditionis ſenſim abduci ſummopere doluimus. Adeòque Paſtoralis non minus curæ noſtrę ſtimulis, quàm frequentibus orthodoxę fidei zelatorum querelis, maximè verò complurium venerabilium Fratrum, prę̨ſertim Gallię Epiſcoporum litteris, ac precibus excitati, gliſcenti morbo, qui etiam aliquando poſſet in deteriora quæque promovere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

Et quidem ad ipſam ingruentis mali cauſam providæ noſtræ conſiderationis intuitum convertentes, perſpicuè novimus ſummam hujuſmodi libri perniciem ideò potiſſimùm progredi, & invaleſcere, quòd eadem intùs lateat, & velut improba ſanies, nonniſi ſecto ulcere foras erumpat; Cùm liber ipſe primo aſpectu legentes, ſpecie quadam pietatis illiciat; molliti enim ſunt ſermones ejus ſuper oleum: ſed ipſi ſunt jacula, & quidem intento arcu ità ad nocendum parata, ut ſagittent in obſcuro rectos corde. Nihil propterea opportuniùs, aut ſalubrius præſtari à nobis poſſe arbitrati ſumus, quàm ſi fallacem libri doctrinam generatim ſolummodo à nobis hactenus indictam pluribus ſigillatim ex eo exceptis propoſitionibus, diſtinctiùs, & apertiùs explicaremus, atque univerſis Chriſti fidelibus noxia zizaniorum ſe-

mina

minare è medio tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis, & quaſi in propatulo poſitis, non uno quidem, aut altero, ſed plurimis, graviſſimiſque, tum pridem damnatis, tum etiam novè adinventis erroribus, planè confidimus, benedicente Domino, fore ut omnes tandem apertæ jam, manifeſtæque veritati cedere compellantur.

Id ipſum maximè è re Catholica futurum, & ſedandis præſertim in Florentiſſimo Galliæ Regno exortis ingeniorum variè opinantium, jamque in acerbiores ſciſſuras prodeuntium diſſidiis apprimè proficuum: Conſcientiarum denique tranquillitati perutile, & propemodum neceſſarium, non modo præfati Epiſcopi, ſed & ipſe inprimis chariſſimus in Chriſto Filius noſter Ludovicus Francorum Rex Chriſtianiſſimus, cujus eximium in tuenda Catholicæ fidei puritate, extirpandiſque erroribus zelum ſatis laudare non poſſumus, ſæpiùs nobis eſt conteſtatus: repetitis propterea verè piis, & Chriſtianiſſimo Rege dignis officiis, atque ardentibus votis à nobis efflagitans, ut inſtanti animarum neceſſitati prolata quantocius Apoſtolici cenſura judicii conſuleremus.

Hinc adſpirante Domino, ejuſque cœleſti ope confiſi ſalutare opus ſedulò, diligenterque, ut rei magnitudo poſtulabat, aggreſſi ſumus, ac plurimas ex prædicto libro, juxta ſuprà recenſitas reſpectivè editiones, fideliter extractas, & tum Gallico, tum latino idiomate expreſſas propoſitiones à compluribus in ſacra Theologia Magiſtris, primò quidem coram duobus ex Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. Eccl. Cardinalibus accuratè diſcuti: deinde verò coram nobis adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium Conſilio, quàm maxima diligentia, ac maturitate ſingularum inſuper propoſitionum cum ipſomet libri textu exactiſſimè facta collatione pluries iteratis Congregationibus expendi, & examinari mandavimus. Hujuſmodi autem propoſitiones ſunt, quæ ſequuntur videlicet.

I. *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia, hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?*

II. *Jeſu Chriſti gratia principium efficax boni cujuſcunque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum, abſque illa, non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt.*

III. *In vanum Domine præcipis, ſi tu ipſe non das, quod præcipis.*

IV. *Ita Domine: Omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo.*

V. *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes, & gratia exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum.*

VI. *Diſcrimen inter fœdus Judaicum, & Chriſtianum eſt, quòd in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore relinquendo illum in ſua impotentia; in iſto verò Deus peccatori dat quod jubet, illum ſua gratia purificando.*

VII. *Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipſi ſuam legem? quæ verò felicitas non eſt admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?*

VIII. *Nos non pertinemus ad novum fœdus, niſi in quantum participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.*

IX. *Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſine qua confiteri Chriſtum nunquàm poſſumus, & cum qua nunquàm illum abnegamus.*

X. *Gratia eſt operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.*

XI. *Gratia non eſt aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei, jubentis, & facientis, quod jubet.*

XII. *Quando Deus vult ſalvare animam quocunque tempore, quocunque loco effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei.*

XIII. *Quando DEUS vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.*

XIV. *Quantumcunque remotus à ſalute ſit peccator obſtinatus quando Jeſus ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet ut ſe dedat, accurrat, ſeſe humiliet, & adoret ſalvatorem ſuum.*

XV. *Quando Deus mandatum ſuum, & ſuam æternam locutionem comitatur unctione ſui Spiritus, & interiori vi gratiæ ſuæ; operatur illa in corde obedientiam, quam petit.*

XVI. *Nulla ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit Omnipotenti.*

XVII. *Gratia eſt vox illa Patris, quæ homines interiùs docet, ac eos venire facit ad Jeſum Chriſtum; quicumque ad eum non venit, poſtquàm audivit vocem exteriorem filii, nullatenùs eſt doctus à Patre.*

XVIII. *Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum.*

XIX. *Dei gratia nihil aliud eſt, quàm ejus Omnipotens voluntas, hæc eſt idea, quam Deus ipſe nobis tradit in omnibus ſuis ſcripturis.*

XX. *Vera gratiæ idea eſt, quòd Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur, imperat, & omnia fiunt: loquitur tanquàm Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.*

XXI. *Gratia Jeſu Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpote quæ eſt operatio voluntatis Omnipotentis, ſequela, & imitatio operationis Dei Incarnantis, & reſuſcitantis filium ſuum.*

XXII. *Concordia Omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipſius voluntatis conſenſu, demonſtratur illicò nobis, in incarnatione, veluti in fonte, atque Archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes à Deo ſunt, ſicut ipſa originalis operatio.*

XXIII. *Deus ipſe nobis ideam tradidit Omnipotentis operationis ſuæ gratiæ: eam ſignificans per illam, quâ creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.*

XXIV. *Juſta Idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei & Jeſu Chriſti, in ſanandis Corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago Ideæ, quæ haberi debet de Omnipotentia ſuæ gratiæ in ſanandis animabus à cupiditate.*

XXV. *Deus illuminat animam, & eam ſanat æquè, ac Corpus ſola ſua voluntate, jubet, & ipſi obtemperatur.*

XXVI. *Nullæ dantur gratiæ, niſi per fidem.*

XXVII. *Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.*

XXVIII. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori eſt peccatorum remiſſio.*

XXIX. *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia.*

XXX. *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.*

XXXI. *Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum, pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.*

XXXII. *Jeſus Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine primogenitos, id eſt electos, de manu Angeli exterminatoris.*

XXXIII. *Proh, quantùm oportet bonis terrenis, & ſibimetipſi renunciaſſe, ad hoc, ut quis fiduciam habeat ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum Jeſum, ejus amorem, mortem, & myſteria, ut facit ſanctus Paulus dicens: Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.*

XXXIV. *Gratia Adami non producebat, niſi merita humana.*

XXXV. *Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ, & integræ.*

XXXVI. *Differentia eſſentialis inter gratiam Adami, & ſtatus innocentiæ, ac gratiam Chriſtianam eſt, quod primam unuſquiſque in propria Perſona recepiſſet, iſta verò non recipitur, niſi in Perſona Jeſu Chriſti reſuſcitati, cui nos uniti ſumus.*

XXXVII. *Gratia Adami, ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata: Gratia Chriſtiana nos ſanctificando in Jeſu Chriſto, eſt Omnipotens, & digna filio Dei.*

XXXVIII. *Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſine gratia liberatoris.*

XXXIX. *Voluntas, quam gratia non prævenit: nihil habet luminis, niſi ad aberrandum, ardoris, niſi ad ſe præcipitandum, virium, niſi ad ſe vulnerandum, eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

XL. *Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.*

XLI. *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philoſophis Ethnicis, non poteſt venire, niſi à Deo, & ſine gratia non producit, niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum DEUM, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.*

XLII. *Sola gratia CHRISTI reddit hominem aptum ad ſacrificium fidei, ſine hoc nihil, niſi impuritas, nihil, niſi indignitas.*

XLIII. *Primus effectus gratiæ baptiſmalis eſt facere, ut moriamur peccato, adeo ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi.*

XLIV. *Non ſunt niſi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor, quo nos ipſos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus.*

XLV. *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.*

XLVI. *Cupiditas, aut charitas, uſum ſenſuum bonum,*

vel

*vel malum faciunt.*

XLVII. *Obedientia legis profluere debet ex ſonte, & hic fons eſt charitas. Quando DEI amor eſt illius principium interius, & DEI gloria ejus finis, tunc purum eſt, quod apparet exteriùs? alioquin non eſt, niſi hypocryſis, aut falſa juſtitia.*

XLVIII. *Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum, ſine fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine charitate?*

XLIX. *Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine amore Dei.*

L. *Fruſtra clamamus ad DEUM, Pater, niſi Spiritus charitatis non eſt ille, qui clamat.*

LI. *Fides juſtificat, quando operatur; ſed ipſa non operatur, niſi per charitatem.*

LII. *Omnia alia ſalutis media continentur in fide, tanquam in ſuo germine, & ſemine, ſed hæc fides non eſt abſque amore, & fiducia.*

LIII. *Sola charitas Chriſtiano modo facit actiones Chriſtianas, per relationem ad DEUM, & JESUM Chriſtum.*

LIV. *Sola charitas eſt, quæ DEO loquitur, eam ſolam DEUS audit.*

LV. *DEUS non coronat, niſi charitatem, qui currit ex alio impulſu, & ex alio motivo, in vanum currit.*

LVI. *DEUS non remunerat niſi charitatem quoniam charitas ſola DEUM honorat.*

LVII. *Totum deeſt peccatori, quando deeſt ſpes, & non eſt ſpes in Deo, ubi non eſt amor Dei.*

LVIII. *Nec DEUS eſt, nec Religio, ubi non eſt charitas.*

LIX. *Oratio impiorum eſt novum peccatum, & quod DEUS illis concedit, eſt novum in eos judicium.*

LX. *Si ſolus ſupplicii timor animat pœnitentiam, quò hæc eſt magis violenta, eò magis ducit ad deſperationem.*

LXI. *Timor non niſi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur.*

LXII. *Qui à malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram DEO.*

LXIII. *Baptizatus adhuc eſt ſub lege ſicut Judæus, ſi legem non adimpleat, aut adimpleat ex ſolo timore.*

LXIV. *Sub maledicto legis, nunquam fit bonum, quia peccatur ſive faciendo malum, ſive illud non niſi ob timorem evitando.*

LXV. *Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui ſunt, abſque eo, quòd ullum DEO dederint filium, cùm non effecerint niſi mancipia per timorem.*

LXVI. *Qui vult DEO appropinquare, nec debet ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem, ſicuti beſtiæ, ſed per fidem, & per amorem, ſicut filii.*

LXVII. *Timor ſervilis non ſibi repræſentat DEUM niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem.*

LXVIII. *DEI bonitas abbreviavit viam ſalutis claudendo totum in fide, & precibus.*

LXIX. *Fides, uſus, augmentum, & præmium fidei, totum eſt donum puræ libertatis DEI*

LXX. *Nunquam DEUS affligit innocentes, & afflictiones ſuper ſerviunt, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.*

LXXI. *Homo ob ſui conſervationem poteſt ſeſe diſpenſare ab ea lege, quam DEUS condidit propter ejus utilitatem.*

LXXII. *Nota Eccleſiæ Chriſtianæ, eſt, quòd ſit Catholica, comprehendens, & omnes Angelos Cœli, & omnes electos, & juſtos terræ, & omnium ſæculorum.*

LXXIII. *Quid eſt Eccleſia, niſi cœtus Filiorum DEI manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus perſona, redemptorum ejus ſanguine, viventium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam, & exſpectantium gratiam futuri ſæculi.*

LXXIV. *Eccleſia, ſive integer Chriſtus, incarnatum Verbum habet ut caput, omnes verò Sanctos ut membra.*

LXXV. *Eccleſia eſt unus ſolus homo, compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt caput, vita, ſubſiſtentia, & Perſona; unus ſolus, Chriſtus, compoſitus ex pluribus ſanctis, quorum eſt ſanctificator.*

LXXVI. *Nihil ſpatioſius Eccleſia DEI, quia omnes electi, & juſti omnium ſæculorum illam componunt.*

LXXVII. *Qui non ducit vitam dignam filio DEI, & membro Chriſti, ceſſat interiùs habere Deum pro Patre, & Chriſtum pro capite.*

LXXVIII. *Separatur quis à populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & caput eſt JESUS Chriſtus, tam non vivendo ſecundùm Evangelium, quàm non credendo Evangelio.*

LXXIX. *Utile, & neceſſarium eſt omni tempore, omni loco, & omni perſonarum generi, ſtudere, & cognoſcere ſpiritum, & myſteria ſacræ Scripturæ.*

LXXX. *Lectio ſacræ Scripturæ eſt pro omnibus.*

LXXXI. *Obſcuritas ſancta verbi DEI non eſt laicis ratio diſpenſandi ſe ipſos ab ejus lectione.*

LXXXII. *Dies Dominicus à Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia ſanctarum ſcripturarum: damnoſum eſt velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere.*

LXXXIII. *Eſt illuſio ſibi perſuadere, quòd notitia myſteriorum Religionis non debeat communicari fœminis, lectione ſacrorum librorum, non ex fœminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperba Virorum ſcientia ortus eſt Scripturarum abuſus, & nataſunt hæreſes.*

LXXXIV. *Abripere è Chriſtianorum manibus novum Teſtamentum, ſeu eis illud clauſum tenere, auferendo illis modum illud intelligendi, eſt illis Chriſti os obturare.*

LXXXV. *Interdicere Chriſtianis lectionem ſacræ Scripturæ, præſertim Evangelii, eſt interdicere uſum luminis filiis lucis, & facere ut patiantur ſpeciem quandam excommunicationis.*

LXXXVI. *Eripere ſimplici populo hoc ſolatium, jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ, & intentioni DEI.*

LXXXVII. *Modus plenus ſapientia, lumine, & charitate, eſt dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus, ſatisfacere juſtitiæ DEI, antequam reconcilientur.*

LXXXVIII. *Ignoramus, quid ſit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, & detrectamus ſeparationis iſtius ferre confuſionem.*

LXXXIX. *Quartus decimus gradus converſionis peccatoris eſt, quod, cùm jam ſit reconciliatus, habet jus aſſiſtendi ſacrificio Eccleſiæ.*

XC. *Eccleſia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos paſtores de conſenſu, ſaltem præſumpto, totius corporis.*

XCI. *Excommunicationis injuſtæ metus, nunquam nos debet impedire ab implendo debito noſtro: nunquam eximus ab Eccleſia, etiam quando hominum nequitia, videmur ab ea expulſi, quando DEO JESU Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ per charitatem affixi ſumus.*

XCII. *Pati potiùs in pace excommunicationem, & anathema injuſtum, quàm prodere veritatem, eſt imitari ſanctum Paulum: tantùm abeſt, ut ſit erigere ſe contra auctoritatem, aut ſcindere unitatem.*

XCIII. *JESUS quandoque ſanat vulnera, quæ præceps primorum paſtorum feſtinatio infligit ſine ipſius mandato, JESUS reſtituit, quod ipſi inconſiderato zelo reſcindunt.*

XCIV. *Nihil pejorem de Eccleſia opinionem ingerit ejus inimicis, quàm videre illic Dominatum exerceri ſuprà fidem fidelium, & foveri diviſiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.*

CXV. *Veritates eò devenerunt, ut ſint lingua quaſi peregrina pleriſque Chriſtianis, & modus eas prædicandi eſt veluti idioma incognitum; adeò remotus eſt à ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra communem captum fidelium; neque ſatis advertitur, quod hic defectus ſit unum ex ſignis maximè ſenſibilibus ſenectutis Eccleſiæ, & iræ DEI in filios ſuos.*

XCVI. *DEUS permittit, ut omnes poteſtates ſint contrariæ prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non poſſit, niſi Divinæ gratiæ.*

CXVII. *Nimis ſæpè contingit membra illa, quæ magis ſancte, ac magis ſtrictè unicæ Eccleſiæ ſunt, reſpici, atque tractari tanquam indigna, ut ſint in Eccleſia, vel tanquàm ab ea ſeparata; ſed juſtus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.*

XCVIII. *Status perſecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat, tanquàm Hæreticus, flagitioſus, & impius, ultima plerunque probatio eſt, & maximè meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem JESU Chriſto.*

CXIX. *Pervicacia, præventio, obſtinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut agnoſcere ſe fuiſſe deceptum, mutant quotidiè quoad multos in odorem mortis id, quod DEUS in ſua Eccleſia poſuit, ut in ea eſſet odor vitæ, v.g. bonos libros, inſtructiones, ſancta exempla &c.*

C. *Tempus deplorabile, quo creditur honorari DEUS perſequendo veritatem, ejuſque diſcipulos: Tempus hoc advenit ..... Haberi, & tractari à Religionis miniſtris, tanquàm impium, & indignum omni commercio cum DEO, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in ſocietate ſanctorum eſt hominibus piis morte corporis mors terribilior. Fruſtrà quis ſibi blanditur de ſuarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis perſequendo flamma, ferroque viros probos, ſi propria paſſione eſt excæcatus, aut abreptus aliena, proptereà, quod nihil vult examinare. Frequenter*

cre-

Digitized by Google

*credimus ſacrificare DEO impium, & ſacrificamus diabolo DEI ſervum.*

CI. *Nihil ſpiritui DEI, & Doctrina JESU Chriſti magis opponitur, quàm communia facere juramenta in Eccleſia, quia hoc eſt multiplicare occaſiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, ut nomen, & veritas DEI aliquando deſerviant Conſilio impiorum.*

Auditis itaque, tum voce, tum ſcripto nobis exhibitis præfatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum ſuffragiis, divinique imprimis luminis privatis ad eum finem, publiciſque etiam indictis precibus, implorato præſidio; omnes, & ſingulas propoſitiones præinſertas tanquàm falſas, captioſas, malè ſonantes, piarum aurium offenſivas, ſcandaloſas, pernicioſas, temerarias, Eccleſiæ, & ejus praxi injurioſas, neque in Eccleſiam ſolùm, ſed etiam in poteſtates ſæculi contumelioſas, ſeditioſas, impias, blaſphemas, ſuſpectas de hæreſi, ac hæreſim ipſam ſapientes, nec non hæreticis, ac hæreſibus, ac etiam ſchiſmati faventes, erroneas, hæreſi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variaſque hæreſes, & potiſſimum illas, quæ in famoſis Janſenii propoſitionibus, & quidem in eo ſenſu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis continentur, manifeſtè innovantes reſpectivè, ac noſtra perpetuò valitura conſtitutione declaramus, damnamus, & reprobamus.

Mandantes omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, ne de dictis propoſitionibus ſentire, docere, prædicare, aliter præſumant, quàm in hac eadem noſtra conſtitutione continetur: ita ut quicumque illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis, etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, Eccleſiaſticis cenſuris, aliiſque contra ſimilia perpetrantes à jure ſtatutis pœnis, ipſo facto, abſque alia declaratione ſubjaceat.

Cæterum per expreſſam præfatarum propoſitionum reprobationem alia in eodem libro contenta nullatenùs approbare intendimus, cùm præſertim in decurſu examinis complures alias in eo deprehenderimus propoſitiones, illis, quæ, ut ſuprà, damnatæ fuerunt, conſimiles & affines, iiſdemque erroribus imbutas: nec ſanè paucas ſub imaginario quodam, veluti graſſantis hodiè perſecutionis obtentu, inobedientiam, & pervicaciam nutrientes, eaſque falſo Chriſtianæ patientiæ nomine prædicantes, quas propterea ſingulatim recenſere, & nimis longum eſſe duximus, & minimè neceſſarium, ac demum, quod intolerabilius eſt, ſacrum ipſum novi Teſtamenti textum damnabiliter vitiatum comperimus, & alteri dudùm reprobatę verſiuni Gallicę Montenſi in multis conformem: à vulgata vero editione, quę tot ſęculorum uſu in Eccleſia probata eſt, atque ab orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter diſcrepantem, & aberrantem, pluriesque in alienos, exoticos, ac ſępè noxios ſenſus non ſine maxima perverſitate detortum.

Eundem propterea librum, utpotè per dulçes ſermones, & benedictiones, ut Apoſtolus loquitur, hoc eſt, ſub falſa pię inſtitutionis imagine, ſeducendis innocentium cordibus longè accommodatum, ſive pręmiſſis, ſive aliò quovis titulo inſcriptum, ubicumque, & quocunque alio idiomate, ſeu quavis editione, aut verſione, hactenus impreſſum, aut impoſterum (quod abſit) imprimendum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, iterum prohibemus, ac ſimiliter damnamus, quemadmodum etiam alios omnes, & ſingulos in ejus defenſionem tam ſcripto, quàm typis edito, ſeu forſan (quod Deus avertat) edendos libros, ſeu libellos, eorumque lectionem, deſcriptionem, retentionem, & uſum omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus ſub pœna excommunicationis per contrafacientes, ipſo facto incurrenda prohibemus pariter, & interdicimus.

Pręcipimus inſuper venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, nec non hęreticę pravitatis Inquiſitoribus, ut contradictores, & rebelles quoſcumque per cenſuras, & pœnas pręfatas, aliaque juris, & facti remedia, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachii ſęcularis auxilio, omninò coerceant, & compellant.

Volumus autem, ut earundem pręſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem fides prorſus adhibeatur quę ipſis originalibus litteris adhiberetur ſi forent exhibitę, vel oſtenſę.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrę declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, & interdictionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud ſanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio, ſexto Idus Septembris, Pontificatus noſtri anno decimo tertio.

J. Card. Prodatarius.

F. Oliverius.

Viſa de curia L. Sergardus.

Loco † Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

L. Martinettus.

*ANno à Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio, indictione ſexta, die verò decima Septembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Clementis Divina providentia Papa XI. Anno decimo tertio, ſupradicta littera Apoſtolica affixa, & publicata fuerunt ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilica Principis Apoſtolorum, Cancellaria Apoſtolica, curia Generalis in monte citatorio, in Acie campi Flora, ac in aliis locis, ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Petrum Romulatium Apoſtolicum curſorem.*

Antonius Placentiuus Mag. Curſ.

*Hanc Bullam accepi ex Typographia Epiſcopali Bambergenſi.*

Prohibitio Theſis.

*De uſu ſcientia ex confeſſione acquiſita feria 4. die 18. Novembris 1692.*

IN Generali Congregatione S. Romanæ, & Univerſalis inquiſitionis, habita in Conventu S. Mariæ ſuper Minervam, coram Eminentiſſ. DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Rep. Chriſtiana, contrà hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Prævia matura conſultatione Dominorum conſultorum facta fuit diſcuſſio ſequentis propoſitionis.

*Scientia ex confeſſione acquiſita uti licet, modò fiat ſine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, niſi aliud multò majus ex non uſu ſequatur, in cujus comparatione priùs meritò contemnatur.*

Addita deinde explicatione, ſive limitatione, quòd ſit intelligenda de uſu ſcientiæ ex confeſſione acquiſito cum gravamine pœnitentis, ſecluſa quacumque revelatione, atque in caſu, quo multò majus gravamen ejuſdem pœnitentis ex non uſu ſequeretur. Et ſtatuerunt dictam propoſitionem, quatenus admittit uſum dictæ ſcientiæ cum gravamine pœnitentis, omninò prohibendam eſſe, etiam cum dicta explicatione, ſive limitatione. Et præſenti Decreto prohibent ne quis ultrà audeat, tàlem doctrinam publicè, aut privatè docere, aut defendere, ſub pœnis arbitrio ſacræ Congregationis infligendis: mandantes etiam univerſis Sacramenti pœnitentiæ Miniſtris, ut ab ea in praxim deducenda prorſus abſtineant.

*Prohibitio hujus Theſis habetur in parte tertia Trutina Theologica P. Dominici Viva pagina mihi 328.*

Regularium Reformatio.

*Decreta Generalia pro Reformatione Regularium tàm Monachorum, quàm Mendicantium cujuſcunque ordinis, & inſtituti.*

CLEMENS PAPA VIII.

NUllus omninò prætextu cujuſcunque privilegii, vel ſuperioritatis, etiam Generalatus, à ſervitio chori cenſeatur immunis, niſi pro tempore, quo quis im proprii officii munere actu fuerit occupatus. Cum lectoribus autem, & Prædicatoribus Superiores iis tantùm diebus, quibus eos legere, aut prędicare contigerit, diſpenſare poſſint. Idem quoque præſtare valeant cum ægrotis, & ſtudiorum cauſa legitimè impeditis. In eos verò, qui negligentes, aut inobedientes fuerint ſalutari pœnitentia Superiores animadvertant, ad præſcriptum Regulæ, & conſtitutionum, alimenti etiam, ſi opus fuerit, ſubtractione.

§. 1.

Digitized by Google

§. I Lectio ſacræ Scripturæ, vel caſuum conſcientiæ bis in hebdomada, præſcripris diebus in ſingulis conventibus habeatur, ad quam Fratres omnes conveniant, eaque abſoluta, mutua collatione circa explicatam Doctrinam ſeſe utiliter exerceant.

§. II. Quò Tridentini Concilii Decreta de paupertatis voto cuſtodiendo fideliùs obſerventur, præcipitur, ut nullus ex Fratribus, etiamſi Superior ſit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, cenſus, eleemoſynas, ſive ex concionibus, ſive ex lectionibus, aut pro miſſis, tàm iu propria Eccleſia, quàm ubicumque celebrandis, aliove ipſorum juſto labore, & cauſa, & quocumque nomine acquiſita, etiamſi ſubſidia conſanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tamquàm propria, aut etiam nomine Conventus poſſidere poſſit, ſed ea omnia ſtatim Superiori tradantur, & conventui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, quo communis inde victus, & veſtitus omnibus ſuppeditari poſſit. Neque Superioribus, quicumque illi ſint, ullo pacto liceat eiſdem Fratribus, aut eorum alicui bona ſtabilia, etiam ad uſumfructum, vel uſum adminiſtrationem, aut commendam, etiam depoſiti, aut cuſtodiæ Nomine concedere. Eorum verò, quæ ad neceſſitatem conceſſa erunt, nullus quicquam poſſideat, ut proprium, neque ut proprio utatur; Qui in præmiſſorum aliquo deliquerit, pęnas nedum à Concilio Tridentino præſcriptas, ſed alias quoque multò graviores, Superiorum arbitrio imponendas incurcurrat. Nulla quorumcumque Superiorum diſpenſatio, nulla licentia quantùm ad bona mobilia, vel immobilia Fratres excuſare poſſit, quò minùs culpæ, & pœnæ ab ejuſdem Concilii Decretis impoſitæ, & ipſo facto incurrendæ obnoxii ſint, etiamſi Superiores aſſeverent hujuſmodi diſpenſationes, aut licentias concedere poſſe, quibus in ea re fidem minimè adhiberi volumus.

§. III. Fratrum veſtitus, & ſuppellex cellarum ex pecunia communi comparetur, & omninò uniformis ſit Fratrum, & quorumcumque Superiorum, ſtatuique paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniat ita ut nihil ſuperflui admittatur: nihil etiam, quòd ſit neceſſarium, alicui denegetur. Quæcumque Fratrum veſtes, ſive laneæ, ſive lineæ, omniſque alia ſuppellex, in aliquem commodum Conventus locum deferantur, ibique ab uno, vel duobus Fratribus huic muneri deputatis diligenter cuſtodiantur, ut indè Superioris arbitrio, prout unicuique opus fuerit, ſubminiſtrari opportunè poſſint.

§. IV. Omnes etiam Superiores, quicumque illi ſint, eodem pane, vino, eodemque obſonio, ſive eadem, ut ajunt pitantia, in communi menſa, prima, vel ſecunda, niſi infirmitatis cauſa impediri fuerint, veſcantur, neque ſingulare aliquid, quo privatim quiſque in cibum utatur; ullo modo afferri poſſit; ſi quis in ea re peccaverit, nihil ea die alimenti percipiat, niſi panem, & aquam.

§. V. Superiores omnes, etiam Generalis, qui redditus; aut præſtationes peculiares, ratione officiorum habent, eorum accepta, & expenſa in libro diſtincto fideliter, & diligenter adnotari curent, neque in alios uſus, quàm ratione officii ſui neceſſarios, quicquam expendant: cùm verò contigerit, ipſos in aliquo conventu commorari, eam pecuniæ quantitatem in commune conferant, ex qua ſibi, & iis, qui ſecum erunt, victus ad præſcriptum Regulæ, & conſtitutionum ſuppeditetur.

§. VI. Nullus ex Superioribus locorum adminiſtrationem bonorum, aut aliarum rerum, diſpenſationemque pecuniarum, & reddituum ſui conventus, etiam nomine conventus, per ſe ipſum habere, ſive exercere poſſit, ſed univerſum id onus tribus Fratribus ejuſdem Conventus à Generali ita demandetur, ut unus rerum, & bonorum reddituumque colligendorum, & exigendorum curam habeat, alter tamquàm depoſitarius, pecunias, ac cætera ab illo collecta, & exacta fideliter aſſervet; alius de pecuniis, & rebus à depoſitario acceptis Priori, & Fratribus, ac Conventui univerſo de neceſſariis, mandante tamen ipſo Priore, non ſecundùm proprium affectum, ſed juxtà charitatis Regulam, veluti bonus diſpenſator provideat, officiorum hujuſmodi confuſione penitùs interdicta. Cęterùm hi Tres, tàm impenſi, quàm accepti ſingulis menſibus ſuo Priori, adhibitis etiam duobus, vel tribus Fratribus ejuſdem Conventus probatioribus, rerumque uſu peritis, rationem reddant: Deindè ipſimet rurſus præſentibus Priore, & peritis prædictis, Generali, cùm advenerit, denique ipſe Generalis in quolibet proximo capitulo Generali, ſaltem coram tribus judicibus ab ipſo capitulo ad hoc conſtitutis, illorum omnium, univerſamque ſuæ adminiſtrationis, tàm publicæ, quàm privatæ rationem reddere teneatur, cujus etiam exemplum authenticum ex actis capituli deſcribatur, ad hoc ut ad omne mandatum noſtrum, vel Sedis Apoſtolicæ Romam tranſmitti poſſit.

§. VII. In unoquoque Conventu Fratrum is tantùm deinceps conſtituatur, & impoſterùm retineatur numerus, qui ex redditibus illi propriis, vel ea communibus conſuetis, vel etiam ſingulorum eleemoſynis, aliiſve quibuſcumque obventionibus in commune, ut præfertur, conferendis commodè poſſit ſuſtentari: redditus verò, & ſupradicta omnia in communi loco, ac diligenter aſſerventur.

§. VIII. Superioribus autem, ne Concilii Tridentini, aut hæc noſtra decreta declarare, interpretari, aut relaxare ullo modo poſſint, omninò interdicimus, & prohibemus. Decernentes irritum &c. Si quis autem contra præſumpſerit attentare, is eo ipſo omni gradu, officioque privatus, & ad ea perpetuò inhabilis exiſtat.

§. IX. Nullus, niſi actu legat, vel prædicet, aliquo ſui gradus privilegio gaudeat.

§. X. Si alicui ex neceſſaria cauſa, Generalis judicio probanda, ſocius ea eodem ordine, qui illi miniſtret, concedendus erit, is niſi vigeſimum quintum agat annum, & qui communi ſervitio ſit deputatus, non concedatur, & ſi commodè fieri poteſt, ſit laicus converſus.

§. XI. Ut omnis ſcandalorum, & vagationis occaſio tollatur, Conventus clauſura perpetuò, ac diligenter ſervetur, ac propterea à Superiore janitor conſtituatur: qui diligentia, ac morum integritate maximè commendetur, is januæ cuſtodiendæ ſemper aſſiſtat, eamque nemini Fratrum aperiat, niſi ſocium, & exeundi licentiam obtinuerit.

§. XII. Nullus à Conventu egredi audeat, niſi ex cauſa & cum ſocio, licentiaque ſingulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore, qui non aliter eam concedat, niſi cauſa probata, ſociumque exituro adjungat, non petentis rogatu, ſed arbitrio ſuo, neque eumdem ſæpiùs. Licentiæ verò generales eaeundi nulli omninò concedantur. Contravenientes autem pœna gravi, etiam carceris, ad Superioris arbitrium plectantur, eamdem etiam janitor ſubeat, ſi ſciens eaeundi facultatem fecerit. Cùm autem quis in Conventum revertitur, Superiorem iterum adibit benedictionem recepturus, qui à ſocio itineris rationem, & quid rei actum ſit, diligenter perquirat.

§. XIII. Nullos Fratres Romam venire Superiores permittant, niſi priùs à Generali, vel Protectore dumtaxat licentiam in ſcriptis impetraverint. Si quis autem ſine hujuſmodi facultate Romam venire præſumpſerit, voce activa, & paſſiva, biennio privatus exiſtat, ſubiturus etiam alias arbitratu Superiorum infligendas pœnas. Quæ item omnia adverſus eos, qui ſupradictos admiſerint, & receperint ſine ulla exceptione locum habeant.

§. XIV. Habeat Superior clavem ita fabrefactam, ut cùm ſibi videbitur, cellas omnes reſerare poſſit, & proptereà nullus cellam, etiam noctu ita claudat, quin ſemper à Superiore poſſit aperiri.

§. XV. In medio dormitorii per totam noctem lampas colluceat.

§. XVI. Nullus etiam Superior cellas, ſive in clauſtro, ſive alibi ſeparatas à communi dormitorio habeat, ſed unuſquiſque unica cella, eadem cum cæteris aliorum Fratrum conjuncta, nudis omninò parietibus, ac lecto, & menſa humilibus, uniformique ſuppellectili, ut præfertur, quemadmodum Religioſos decet, contentus ſit. Poſſit tamen Generalis alicui ex Superioribus Conventuum, ſi eorum muneris, & officii neceſſitatem id exigere cognoverit, alteram etiam cellam concedere: Cellæ ſive ædiculæ, quæ extra dormitorium ſeparatim ſunt, ad officinas, aut aliàs ad communem uſum, & commoditatem Conventus redigantur. Sigillatim ſuo quiſque lecto cubet, neque ullibi duo eodem lecto dormire poſſint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt. In privatis cellis nulli camini permittantur, ſed omnes obſtruantur ſtatim, cardinibus etiam è parietibus convulſis, ut res illa, non ad tempus facta, ſed perpetuò duratura videatur, cellis tamen Generalis, aut alterius Superioris, ac Prædicatoris exceptis.

§. XVII. Conventus feneſtræ omnes, quæ in vias publicas, aut in vicinas laicorum ædes proſpiciunt, muro ita obſtruantur, ut omninò proſpectus impediatur.

§. XVIII. Valetudinarium in ſingulis conventibus certo, ac ſalubriori loco conſtituatur, quod pro loci ſitu, ac Fratrum numero, quoad fieri poterit, commodiſſimum eſſe poſſit, in quo Fratres omnes, cùm ægrotabunt, curentur, nec indè, niſi recuperata ſanitate abire permittantur. Qui verò infirmorum curæ præpoſiti ſunt omni ſedulitate, ac charitate operam ſuam præſtabunt, ac curabunt, ne quid ægrotis omninò deſit, quod ad ſanitatem recuperandam pertineat.



Digitized by Google

§. XIX. Ineatur ratio, qua, ſublatis licentiis, ac Facultatibus hactenus quibuſcumque conceſſis, degentes extra Conventus clauſtra, ad ea quamprimùm revocentur, nec de cætero, niſi ex graviſſima cauſa a Sede Apoſtolica probanda, hujuſmodi facultates concedi poſſint.

§. XX. Nulli impoſterùm ad habitum, aut profeſſionem admittantur, niſi in Conventibus per Sedem Apoſtolicam in qualibet provincia deputandis.

§. XXI. Curent Superiores, ut conſtitutio interdicens largitiones munerum, & præſcribens hoſpitalitatis formam, ab omnibus in quolibet conventu inviolabiliter obſervetur.

§. XXII. Ut omnis officiorum ambitus occaſio præcludatur, caveant omnes à directa, vel indirecta vocum, ſeu ſuffragiorum procuratione, tam pro ſeipſis, quàm pro aliis, tum in capitulis locorum, tum in cęteris, præſertim generalibus capitulis, aut Congregationibus, ſeu alibi. Quicumque ſecus fecerint, præter alias pęnas, & cenſuras hactenus contra hujuſmodi ambientes inflictas, quas in ſuo robore permanere volumus, in pœnam privationis officiorum, quæ obtinent, eo ipſo incidant, & ad futura quæcumque pariter inhabiles habeantur, ſuper quo cum eis diſpenſari à nemine poſſit, niſi à nobis, vel ſucceſſoribus noſtris, & pro qualitate culparum graviùs etiam plectantur. Porro ſupradictas omnes pœnas ad complices, ac ſimpliciter ſcientes, & non revelantes extendimus.

§. XXIII. In Superiorum, & officialium electionibus forma præſcripta à ſacro Concilio Trid. & Ordinis conſtitutionibus inviolabiliter ſervetur, jurentque electores ſecundùm veritatem cujuſque conſcientiæ probiores, ac magis idoneos ſe electuros, ac propterea priuſquam ad electionem deveniatur, imprimis, & ante omnia prælegantur conſtitutiones de qualitate, & requiſitis eligendorum. Ad officia, gradus, & Prælaturas, illi præcipue eligantur, qui poſſint, & conſueverint Regulas Ordinis, & conſtitutiones obſervare, præſertim quæ pertinent ad ſervitium chori, ac veſtitum, & victum communem.

§. XXIV. Eligantur in capitulo Generali vel provinciali aliquot graves, & periti ex Fratribus cujuslibet provinciæ ſaltem tres, qui ad mittendos ad prædicationem Verbi Dei, vel ad audiendas confeſſiones, etiam ipſorum Fratrum, ac lectores publicos diligenter ſimul examinent, priuſquàm probentur, & ad hujuſmodi miniſteria admittantur. Horum etiam curæ ſit, examinare, & probare, tàm quoad doctrinam, quàm quoad mores, promovendos ad quoſcumque ordines in quo ſervetur decretum congregationis interpretum Sacri Concilii Trid. hac de cauſa nuper editum, & promulgatum.

§. XXV. Illud porrò Superiores omnes in Domino admonemus, ut memores ſint rationis, quam in noviſſimo die reddituri ſunt pro grege ſibi commiſſo; ac propterà omni ſtudio invigilent, ut quæ in eorumdem Ordinis Regulis, & conſtitutionibus de oratione mentali, ſilentio, jejuniis, capitulo culparum, aliiſque ſpiritualibus exercitiis prudenter, ac pie ſancita ſunt, ea omnia, & ſingula ad unguem obſerventur, intelligantque ſuper his veluti fundamentis omnium religionum ædificia conſtruenda, & amplianda eſſe, quæ ut faciliorem exitum ſortiantur, & fructus uberiores in animis Fratrum producant, valdè opportunum erit, ſi in quolibet Conventu ſingulis hebdomadis habeatur ſermo de Religioſa diſciplina, Regularique obſervantia.

§. XXVI. Quo verò omnia ordinatè peragantur, appendatur tabella in loco conſpicuo uniuſcujuſque Conventus, in qua diſtincte adnotetur, quid ſingulis horis cujuſque diei quilibet Frater præſtare debeat, ut certo quoque ſigno præmonitus majori animi præparatione ſuo muneri ſatisfacere poſſit. Quæ Ordinis conſtitutiones his decretis non adverſantur, inviolatè cuſtodiendæ erunt.

§. XXVII. Quibus horum decretorum capitibus certa pęna præſcripta non eſt, arbitrio Generalis, vel alterius immediati Superioris infligatur.

§. XXVIII. Ut autem hæc decreta (donec alia, quæ ad pleniorem ſupradicti Ordinis reformationem facient, edantur) ab omnibus obſervari poſſint, diſtrictè præcipimus Generali, ac omnibus aliis quibuſcumque Superioribus, ad quos hoc ſpectat, ut curent, ac efficiant, ea omnia inter alias eorumdem Ordinis conſtitutiones perpetuò valituras redigi, interdicta omninò eorum ſingulis facultate illas declarandi & adversùs eas unquàm diſpenſandi. Alioquin ſciant ſe in pęnam Generalatus, & officiorum privationis, ac inhabilitatis perpetuæ ad alia quoque munera, ipſo facto, & ſine ulla exceptione reſpectivè incidiſſe.

§. XXIX. Ne verò prætextu dilatæ publicationis eorum obſervatio quoquo modo differri poſſit, aut impediri, volumus, ut poſt illorum publicationem in Conventu S. Marcelli de urbe factam, Generalem, alioſque Ordinis Superiores, cęteroſque quoſcumque Fratres præſentes ſtatim, reliquos vero abſentes citra montes, unius menſis, ultra montes trium menſium ſpatio ita arctent: ac ſi eorum ſingulis perſonaliter intimata fuiſſent.

§. XXX. Inſuper mandamus, quòd Generalis in ſingulis conventibus citra montes unius menſis, ultra verò montes trium menſium curſu decretą ſupradicta publicari faciat, ſub pœna privationis Generalat. aliiſq; arbitrio noſtro imponendis.

Datum Romę apud S. Petrum, die vigeſima quinta menſis Julii, milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono.

§. XXXI. Decretum illud, quo Fratres Romam petere cum Generalis, & Protectoris licentia dumtaxat permiſſum eſt, ſanctitas ſua extendi ad provincialem decrevit, ita, ut provincialis ipſe ex cauſa communi totius provinciæ dumtaxat facultatem hujuſmodi facere valeat, declaravitque pœnam privationis vocis activæ, & paſſivæ contrafacientibus inflictam, ſanctitati ſuæ reſervatam eſſe; interdicta omninò eorum ſuperioribus ſingulis, etiam Generali, ac Protectori facultate, illa moderandi, & relaxandi.

Datum Romæ, die 20. Martii 1601.

*Hæc Bulla habetur in Bullario Cherubini tom. 3. pag. 79.*

Regularium Novitiorum Receptio.

Decretum Clementis VIII.

*Super Receptione, & educatione Novitiorum Religioſorum in Monaſteriis, & Conventibus deſignatis, vel deſignandis.*

CUm ad Regularem diſciplinam in ſingulis Religioſorum Monaſteriis propagandam, Novitiorum inſtitutio maximè utilis ſit, ac neceſſaria, & nihil ad gravem illam, ac laudatiſſimam priſcorum Patrum vivendi rationem relaxandam majorem vim habuiſſe compertum ſit, quàm, vel nimiam in recipiendis Novitiis facilitatem ſupra numerum, quem capere, atque alere Monaſteria ipſa poſſent, vel negligentiam in probando, & examinando eorum Spiritu, an vere eſſet ex Deo, atque ex præcipuo deſiderio illi inſerviendi, vel denique incuriam in eis educandis, atque inſtituendis. Idcircò, ut hujuſmodi incommodo deinceps occurratur, præcipitur omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, ut in recipiendis Novitiis, & in eorum inſtitutione, atque educatione, nec non in Magiſtri, & aliorum Miniſtrorum electione, præter alia, quæ in ſacris Canonibus, ac Decretis, præſertim Conc. Trid. Pontificiis, & cujuſcumque Ordinis, aut inſtituti conſtitutionibus continentur, tum in aliàs deſignatis, quàm nunc, & impoſterùm ad hoc deſignandis Monaſteriis, & conventibus, hęc, quæ ſequuntur, inviolatè obſervari, & exequi perpetuò curent.

Primùm, quod attinet ad Novitiorum recipiendorum formam, ultrà diligentem perquiſitionem, quæ habenda erit de uniuſcujuſque natalibus, corporis habitudine, moribus, & vita anteacta, ac præcipuè eorum, qui ſextum decimum ætatis ſuæ annum excedent, an criminoſi, an ære alieno gravati, vel reddendæ alicujus adminiſtrationis rationi obnoxii ſint, juxta formam conſtitutionis fel. rec. Sixti V. & moderationum ſubſecutarum: Illud etiam Superiores, ad quos ſpectabit, ſedulò perquirant, ut quibus in Monaſteriis, & conventibus, ex Apoſtolica facultate Novitiatus fuerint inſtituti, in iis ad Religionem nullus impoſterum admittatur, qui, & ex honeſtis parentibus natus non ſit, & conditiones ſacris Canonibus, ſummorumque Pontificum conſtitutionibus non habeat juxta decretum ſuper formam recipiendi novitios die 19. Maij 1602. editum.

Quiſq; recipiendus in aliquo Ordine regulari, etiam Mendicantium, in ea ſit ætate conſtitutus, quam ejus Ordinis, in quo recipietur, regularia inſtituta, & ordinationes requirunt: eam vero litterarum ſcientiam calleat, aut illius addiſcendæ ſpem indubiam prę ſeferat, ut minores, & ſuis temporibus majores Ordines juxta Decreta Conc. Trid. ſuſcipere valeat. Sed ſi quis annum vigeſimum quintum excedens, ad habitum regularem admitti poſtulaverit, & talis eruditionis expers inventus fuerit, in converſorum tantùm, quibus litterarum ſcientia non eſt neceſſaria, numerum referatur: Ipſi autem converſi non recipiantur ante vigeſimum ætatis ſuæ annum, & niſi ſaltem præcipua Doctrinæ Chriſtianæ capita noverint.

Demum Superiores diligenter inquirant, quo ſpiritu, qua mente, ac voluntate, id regularis vitæ genus elegerint, quem ſibi finem propoſuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & ut Deo liberiùs famulari poſſint: an potiùs levitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animo ducantur, & an eorum Parentes, ope, & ſubſidio ipſorum indigentes deſtituantur.

Provideant quoque, ut omnes etiam converſi recipiendi, priuſquàm ad habitum regularem admittantur, ab iis, quibus munus hoc incumbit, de Regula, quam profeſſuri ſunt, tribus votis eſſentialibus, ſtatuque regulari, & aliis cujuſque Ordinis particularibus inſtitutis, & conſtitutionibus diligenter inſtruantur. Et quia quarumdam Religionum moris eſt nedum converſos ad profeſſionem admittendos, verùm, & oblatos,

tos, ut vocant, recipere, circa ipſorum oblatorum receptionem unaquæque religio ſuas peculiares, conſtitutiones, ſpecialiaque inſtituta obſervare teneatur.

Statim atque Novitii ad habitum recepti, & in locum novitiatus introducti fuerint, per Generalem omnium peccatorum Confeſſionem totius anteactæ vitæ conſcientiam diſcutiant, & expurgent.

Quod verò ad loci qualitatem uniuſcujuſque Novitiatus ſpectat, locus hujuſmodi propria clauſura ab ea parte Conventus, & Monaſterii, in qua degunt profeſſi, ſegregatus ſit, atque diſtinctus, habeatque tot ad dormiendum cellulas ſeparatas, quot erunt numero Novitii, vel dormitorium ita capax, ut pro ſingulis, ſinguli lectuli commodè ſterni poſſint, in quo etiam cellula, vel certus, ac determinatus locus pro Magiſtro, ejuſque ſocio reperiatur.

In eo etiam, præter alias communes commoditates, aptus locus adſit ad ſpirituales collationes, ſeu conferentias faciendas, ac Lectiones, Inſtructioneſque Magiſtri audiendas, & in quem Hyemis tempore ad calefaciendum ſe igne communi recipiant.

Oratorium inſuper, ſeu capella, ſi commodè fieri poterit, ad novitios in ſpiritualibus, præſertim in cæremoniis, Eccleſiaſticiſque functionibus exercendos.

Hortus quoque peculiaris ad honeſtam recreationem benè concluſus, atque munitus adſit; ſin minùs, hortum cæteris Fratribus communem recreationis tempore ingrediantur. Ipſis verò Novitiis ibi commorantibus, curabit Magiſter, cum loci Superioris auctoritate, (ſi opus fuerit) ne in eumdem quiſquam alius ingrediatur.

Ad hujuſmodi locum Novitiatus nemini ejuſdem, vel alterius Ordinis regulari, etiam Conventus, & Monaſterii Officiali, ullo unquàm tempore, ſub quovis prætextu, aditus pateat, præterquàm Magiſtro, ejuſque ſocio, ac etiam Monaſterii, ſeu Conventus Superiori, ſi quandocumque ingrediendum ſibi neceſſariò exiſtimaverit: quo tamen caſu aliquem ſemper ex Senioribus Conventus, & Monaſterii Patribus ſocium aſſumat.

Hujus loci clauſuræ clavis apud Magiſtrum ſemper aſſervetur, illiq; ſoli liceat ex gravi tantùm cauſa ingreſſum illuc alicui permittere. Si quis autem Novitiorum quempiam alloqui voluerit, Magiſtro præſente, & non aliter alloquatur.

Novitiorum Magiſtro Socius, ſi per Novitiorum inſtruendorum multitudinem neceſſarius fuerit, vita, & moribus (quoad fieri poterit) conſimilis deputetur, qui in his, quę ad Novitiatus Regimen ſpectant, dicto Magiſtro immediatè ſubjectus exiſtat, eliganturque tàm Magiſter, quàm Socius per Provinciale Capitulum, per triennium ad minus onus hujuſmodi ſubituri. Quòd ſi aliquo caſu extra tempus capitulare nova loca Novitiatus concedi contingat, tunc electionem Magiſtri Novitiorum, & Socii hujuſmodi in his novis locis per Generalem, ſeu Miniſtrum, aut eorum viſitatores ſeu Vicarios, de Definitorum tamen, vel graviorum aliorum Patrum conſenſu fieri permittatur, idemque ſervetur, ſi intra Triennium, alterum, vel utrumque urgenti aliqua de cauſa, ex illis locis amoveri, vel mori contigerit, in cujus, vel quorum locum alii conſimiles ſubrogari debeant.

Tam Novitiorum Magiſter, quàm Socius ab iis omnibus officiis, oneribuſque vacationem habeat, quæ Novitiorum curam, & regimen impedire valeant. Ipſe Magiſter Sacerdotali ordine ſit initiatus, ac in quinto ſaltem ſupra trigeſimum ætatis ſuæ anno conſtitutus, & per decennium à profeſſione emiſſa in Religione perſtiterit: Socius verò trigeſimum annum excedat, ſintque ambo doctrina, & quantùm per Superiorum diligentiam, & vires fieri poterit, vitæ etiam anteactæ exemplo præſtantes. Orationis prætereà, & mortificationis operibus addicti, prudentia, charitateque referti, non ſine affabilitate graves, zelum Dei cum manſuetudine præſeferentes, ab omni cordis, ac animi perturbatione, ab ira præſertim, & indignatione, quæ in ſe, & erga alios charitatem impedire conſueverunt, quam longiſſimè alieni, & tales demùm, qui in omnibus ſeipſos bonorum operum exemplum prębeant, ut ii, qui eorum curæ ſubſunt, illos non tàm metuant, quàm revereantur, nec illis unquàm detrahere quicquam poſſint.

Habeat etiam Magiſter plenam, & abſolutam poteſtatem circa Novitiorum Inſtructionem, ac Novitiatus regimen, ut in illis nemini (Viſitatoribus, ac Superioribus majoribus, vel etiam localibus exceptis) quovis colore ſe ingerere liceat.

Curam adhibeat diligentem, ut Novitii omnes in Regulari diſciplina ſedulò exerceantur, agnoſcantque præcipuè Divinæ, qua digni facti ſunt, vocationis præſtantiam, & Excellentiam, qua vera ſit, atque perfecta votorum ſolemnium, & quàm neceſſaria cujuſq; Ordinis conſtitutionum obſervantia: Modum in oratione, tum vocali, tum mentali fructuosè perſiſtendi, illicitas paſſiones, & vitia, ad quæ natura per peccatum labefactata, omni tempore prona eſt, atq; proclivis, per ſenſuum cuſtodiam, & mortificationem cohibendi, auſteritatem, cilicia, diſciplinas, conſcientiæ puritatem, crebram illius diſcuſſionem, Sacramentorum frequentiam, confeſſionis præſertim, quæ bis ſaltem ſingulis menſibus fiat, per apertionem quotidianam motuum internorum, cordis: & tentationum, manifeſtationem per exercitium humanitatis circa viliora miniſteria, per modeſtiam in omnibus actionibus, diuturnumque ſilentium.

Quilibet Novitius bis quotidiè orationi mentali, & vocali incumbat unuſquiſque ſecundùm propriam capacitatem, & Ordinem ſibi à Magiſtro præſcriptum, ac pluries in die propriam conſcientiam unuſquiſque examinare contendat, ipſi autem Magiſtro ſoli, Novitiorum confeſſiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori, etiam locali, ſi ita expedire judicaverit, vel per alium ab eo deputandum ſemel, aut bis in anno eorumdem Novitiorum confeſſiones audire.

Quotidiè Miſſæ Sacrificio interſint, & ſtatutis horis in choro, nocturnis, diurniſque Divinis officiis aſſiſtant.

Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant, vel ſcribant res ſpirituales, modeſtam animi recreationem interponant, quæ in ſolitario loco, & commodo extra Novitiatum ſemel in hebdomada, vel in alterius ſaltem hebdomadibus longior ſtatuatur, fiatque ſemper Magiſtro præſente, vel ſocio, qui multùm invigilent, ne duo ab aliis commorentur disjuncti, atque eo tempore cujuſque, in quam natura feratur, propenſionem ſcrutentur.

Non liceat eis, durante Novitiatus, & probationis tempore, unà cum Profeſſis, niſi in choro, & in Eccleſia, tempore officiorum, in proceſſionibus, aut in cęnaculo, cauſa refectionis commorari, nec permittatur eis Profeſſos domo exeuntes comitari.

Pro communibus, & propriis cujuſque neceſſitatibus, quæ accidere poſſunt unus ex Novititiis ipſis, ætate, moribuſque provectior deputetur, qui abſente ſocio, Magiſtro permittente, omnia, prout opus fuerit, agat, cui etiam januæ cuſtodia, & rerum levioris momenti proviſio intra Novitiatum committi poterit.

Cùm autem, licèt Clericorum benè inſtituendorum cura debeat eſſe præcipua, converſorum tamen Religioſa inſtructio non ſit prætermittenda, quin potiùs æquanimiter amplexanda, quandoquidem ſatis exploratum eſt, iſtorum etiam, cùm Regulam profiteantur eamdem, perfectam educationem, tùm religioni decorem, & ornamentum, tùm aliis Chriſti fidelibus ædificationem, exemplum, atque utilitatem afferre, converſis ipſis à Clericorum Novitiatu ſeparatus ad dormiendum locus (quantùm commodè fieri poterit) aſſignari præcipitur. Illi tamen hac ſeparatione non obſtante, Magiſtro Novitiorum, ſeu Superioribus Monaſteriorum, & Conventuum, juxta cujuſque ordinis ſtatuta, & conſtitutiones ſubditi eſſe, & obedientiam præſtare debebunt, à qua non tantùm circà corporalia obſequia probandi, & exercendi, verùm etiam pro eorum capacitate, & commoditate, de ſpiritualibus, præſertim de modo mentaliter orandi, diligenter inſtruendi erunt: quod ut commodiùs fiat, ad capitula, & ſpirituales conciones, quæ per Magiſtros Novitiis fieri ſolent, acceſſiri debeant, & in Eccleſiis, ſtatutis horis, conveniant, niſi tunc in ſuis Officiis actualiter occupati fuerint.

Tempore verò probationis elapſo, ii tantùm, qui non ſolùm Religioſæ perfectionis capaces, ſed ad laborem corporalem apti, novo, ac diligenti examine reperti fuerint (dummodò ætatis ſuæ annum, quoad Clericos decimum ſextum, quò verò ad converſos, vigeſimum primum exceſſerint) ad profeſſionem admittantur. Sed qui ad converſorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum ſtatum tranſire, etiam durante tempore probationis non poſſint.

Superior cujuslibet Conventus, in quo Novitiatus fuerit conſtitutus, particularem librum habeat, in quo novitii profeſſio regiſtretur, illamque Novitius profeſſus propria manu & duo teſtes, qui præſentes fuerint, ſubſcribant.

Converſus verò litterarum ignarus Profeſſus, in eorumdem teſtium, qui ſe ſubſcripſerint, præſentia, propria manu, ſignum Crucis apponat, aſſerveturque liber, & cuſtodiatur in Archivio, ubi Scripturæ ad Monaſterium, ſeu Conventum pertinentes reponi conſueverunt.

Quia verò in quibuſdam Ordinibus filiationis uſus eſt receptus, declaratur, quòd licèt decretum ſit, ut Novitiis educandis certa Monaſteria, aut Conventus deſignatos quilibet ordo habere debeat, licitum tamen ſit Superioribus Monaſteriorum, & Conventuum hujuſmodi Ordinum, in quibus filiationis uſus eſt, eos, quos prænarratis qualitatibus ſuffultos repererint, in ſuorum locorum filios, juxta cujuſque ordinis conſtitutiones adſcribere, ſicque adſcriptos, cùm juxta præſentes Inſtitutiones, & aliàs ſervatis ſervandis ad Ordinem recepti fuerint, ad loca Novitiatuum cum teſtimonialibus litteris tranſmittere, ubi tamquàm dictorum Con-

ventuum, ſeu Monaſteriorum filii eorumdem nomine, & inſtantia recipi, ac in Novitiatu probari, & deinde antequam ad eadem Monaſteria, ſeu conventus filiationis hujuſmodi remittantur, in Profeſſorio, ad perfectionem, ut præmiſſum eſt, exerceri debebunt.

Porrò ne loca unius Monaſterii, ſeu Conventus ab alio præoccupentur, capituli generalis, aut Provincialis partes erunt numerum præſcribere pro omnibus, & eam ſimiliter rationem circa alimentorum contributionem (ſi opus fuerit) inire, ac ſingulis Conventibus, & Monaſteriis præſcribere, quæ magis expedire videbitur.

Ut autem Novitii jam in Profeſſorum numerum (ſicut præmittitur) recepti, meliùs in bono ſpiritu, regulariſque diſciplinæ obſervantia ſtabiliantur, & confirmentur, mandatur, ut ſtatim poſt Profeſſionem emiſſam, ſi in Conventibus aut Monaſteriis pro Novitiatibus aſſignatis locus aderit ſerundi Novitiatus, ſive Profeſſorii, ab ea, quæ Novitiorum eſt, atque antiquorum Profeſſorum habitatione diſtinctus, & ſegregatus, ibi collocentur, ſi Monaſterium, aut Conventus eos alere queat: ſin minùs, in alium commodiorem Conventum, aut Monaſterium transferantur, in quo is locus cum requiſitis ad Novitiatum ſupranarratis reperiatur, vel accommodetur, aut de novo conſtruatur.

Ab hoc tamen illæ Religiones excipiuntur, quæ ſuarum conſtitutionum, ſeu inſtitutorum vigore, majoris temporis curſu, novos Profeſſos intra Novitiatum detinere conſueſcunt, quibus in hac parte non derogatur; illis tamen permittitur, ut prædictis earum conſtitutionibus non obſtantibus, idipſum facere poſſint, ſi id rationi, ac Religioni magis expedire judicaverint: quibus in locis degant ſub Regulis, & modo vivendi adhuc arctiori, quàm ſervent antiquiores profeſſi, ita, quòd in negotiis Monaſteriorum, aut Conventuum non ſe intromittere, nec communibus tractatibus intereſſe, neque alicujus exterioris obedientiæ Officium exercere debeant, ibique permaneant, quouſque ad ætatem Sacris Ordinibus ſuſcipiendis ſufficientem devenerint, vel ſaltem per triennium poſt Profeſſionem, quo etiam tempore poterunt, quinimò, & debebunt litterarum ſtudiis operam navare ſub directione, ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Novitiorum Magiſtrum præditum eſſe oportere dictum eſt.

Declaratur tamen, quòd propter præmiſſa non cenſeatur conceſſa licentia recipiendi Novitios in locis, niſi Novitiatibus deſignatis, aut impoſterum deſignandis, & pro numero dumtaxat in eorum ſingulis præſcripto, vel præſcribendo.

Denique ſi illi, qui inter Religioſos gradu, & Ordine Superiores ſunt, & alii, ad quos ſpectat, in prædictis omnibus, vel eorum aliquo deliquerint, ſeu quovis modo contrafecerint, officiorum omnium, quæ tunc obtinebunt, privationem, gravioreſque pro modo admiſſæ culpæ pęnas ſe ſubituras certò ſciant.

Dat. Romæ apud S. Petrum die 19. Martii 1603.

Ant. Seneca Reformationis Apoſt. Sec.

*Hæc Bulla habetur in Bullario Cherubini, tom. 4. pag. 68.*

Tertiariorum Habitus.

*Decretum S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, contra Tertiarios, & Eremitas, qui ſine legitima facultate Superiorum Ordinis, Habitum ejuſdem Ordinis aſſumunt, & cum eo, vel alio ſimili, quaſtuando vagantur.*

ANno 1686. Ex parte Patrum Procuratorum Ordinis noſtri, Sanctiſſimo ſic fuit expoſitum: Beatiſſime Pater, &c. Infra ſcripti Seraphicæ Religionis Procuratores Generales, Sanctitatis veſtræ humillimi filii, & oratores, ad veſtros ſanctos Pedes proſtrati, ſupplices exponunt, qualiter inter varias callidas artes, & aſtutias (quibus infenſiſſimus animarum hoſtis prædictam pauperem Religionem molitur deprimere, & denigrare) extitit intolerabilis, & ſatis frequens abuſus, quod nonnulli ſub prætextu vitam Evangelicam profitendi, aliquando ſine ullis licentiis, aliquando cum licentiis falſis legitimis, audent ſe induere Habitu ejuſdem Religionis, quorum major pars etiam cum caputio, in eodem Habitu vagantes, ſoli per civitates, & oppida, & converſando in publicis tabernis, quæſtuantes denarios, & committentes id genus, aliave indigna facinora, unde vilipendium Habitui, & continuum ſcandalum Religioni totam ſæculo inferunt.

Ad obviandum huic gravi, & intolerando abuſui, ex zelo Apoſtolico *Gregorii Papæ IX. Pauli II.* & dein aò bonę memorię *Urbani VIII.* applicatum fuit opportunum remedium, auferendo ab omni Perſona extra Ordinem, auctoritatem concedendi ſimilibus Eremitis Habitum Franciſcanorum, prohibendo etiam ſtrictè ſub pœna gravis cenſuræ, & carceris, iiſdem Eremitis, vel prætenſis Tertiariis, gerere habitum ejuſdem Ordinis. Nunc autem, cùm prædictæ Apoſtolicæ conſtitutiones ſint oblivioni traditæ, aut ignoratæ, aut falsò prętendantur abrogatæ, cum graviſſimo ſæculi ſcandalo, & ingenti Religionis præjudicio, videntur ubique, & ſine fine multiplicari ſimiles homines; qui (ut liberiùs indè quærant ſibi victum, fingentes ſe Religioſos Profeſſos) perſiſtunt in ſua irregulari forma vivendi, & quaſi eſſent exempti à foro Sæculari, & Regulari committunt in dies multas graves, & enormes indignitates, quæ patenter redundant in dedecus Religionis. Hoc inconveniens autem ortum habet, partim quia ignoratæ, partim quia oblivioni traditæ ſunt prædictæ Apoſtolicæ conſtitutiones; quandoquidem nonnulli extene Religioſi ſubditi, & Guardiani indiſcriminatim, qui ob ſuos fines particulares Habitu tertii Ordinis induunt quoſdam ſæculares penitus ignorantes, quid ſit Religio. Multi etiam Ordinarii, & illorum Secretarii ſine ulla auctoritate, ob ſuos fines particulares, concedunt Patentes nonnullis Eremitarum cum habitu, multi autem ſeipſos abſque ulla licentia eodem induunt, ut eò liberiùs poſſint vagari.

Ad evitandum hoc inconveniens ordinatum fuit *à Gregorio IX.* in Brevi. *Regularem vitam &c.* Sub pęna excommunicationis, prohibente cuicumque Eremitæ, & Tertiario Franciſcano, illum non poſſe portare Habitum Franciſcanum, & omnes qui inventi fuerint, talem Habitum geſtare, ab Ordinariis cogendos eſſe, ut hunc deponant, & diebus feſtis inter Miſſarum ſolemnia denuntientur excommunicati. Et *Urbanus VIII.* in Brevi: *Cùm ſicut dilectus &c.* Subjunxit, nullum niſi profeſſum, poſſe ſine licentia Superiorum Ordinis in ſcriptis obtenta, geſtare tunicam aut Habitum cum mantello, vel ſine, vel cum capucio. Si quis autem in hoc delinquens fuerit repertus, illum ab ordinariis locorum carcere mulctandum variiſque pęnis cogendum eſſe, ut ſimilia indumenta deponat. Circa capucium autem expreſsè ordinat, ne illud talibus ullatenus concedatur, aut ab Ordinariis locorum, aut à Superioribus Ordinis, aut etiam à nuntiis Apoſtolicis. Et qui culpabilis in hoc fuerit inventus, quòd debeat irremiſſibiliter carceri mancipari, ab iiſdem Ordinariis Habitu ſpoliari, aliiſque pęnis puniri. Quapropter rogatur humiliter Apoſtolicus zelus Sanctitatis veſtræ, quatenus dignetur renovare prædictas Bullas Gregorii IX. Pauli II. & Urbani VIII. & expreſſam declarationem adjungere, ut nulli extra Religionem talis habitus, etiam ſine capucio, concedi poſſit, &c.

Hic libellus ſupplex cum aliis, quæ in ipſo pro efficaciore remedio ſubjungebantur, à Sanctiſſimo fuit remiſſus ad S. Congregationem negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitam, à qua (re maturè conſiderata) ſequens Decretum emanavit.

S. Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, ſtante remiſſione libelli per Sanctiſſimum Dominum noſtrum facta, & attentis narratis, cenſuit injungendum, prout præſentis Decreti tenore injungit Ordinariis locorum, ut ſupradictas conſtitutiones Apoſtolicas juxta earum tenorem, executioni omninò demandent. Dat. Romæ, 21. Martii 1686.

*Hoc Decretum videri poteſt in Tertia Seraphica vinea R. P. Engelberti Pauck cap. 18. num. 79.*

*Sequentes quatuor Bullæ etiam poſſunt referri ad Verſ. Indulgentia.*

Indulgentiæ Tertiariorum

*Conceſſa à Clemente V. Summo Pontifice.*

CLEMENS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei.*

DIlectis in Chriſto Filiis, & Filiabus, Fratribus, & Sororibus Venerabilis Tertii Ordinis de Pęnitentia, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cùm illuminatum ſit cor noſtrum, & illuſtratum Spiritu Sancto, cum affectu devoto, & pietate, concedendi liberaliter, & donandi cum prompta manu, beneficia Locis piis, & devotis Perſonis, ſpecialiter dilectis Fratribus, & ſororibus Venerabilis Tertii Ordinis S. Franciſci, in omni parte Terrarum, ubi degunt: in quali Ordine certò reperiuntur multa beneficia pro ſalute animarum. In reſpectum tanti Ordinis totum mundum illuminantis, ad dicti Venerabilis Ordinis majorem exaltationem, & honorem, virtute præſentium litterarum manifeſtum ſit omnibus Fratribus, & ſororibus dicti Ordinis, quòd omni vice, quando conveniunt in ſimul, ſaltem quoad majorem numerum, in uno deputato loco, & ibidem legitur dicta Regula, vel de iſta Regula fiat memoria vel mentio, etiam peregrinis, & extraneis, qui non ſunt de iſta Regula, conſiderando illorum merita: Concedimus ex Jugi fonte Divinæ gratiæ, 560. dierum indulgentias, pro ſingulis, una vice, in menſe, quando lecta erit iſta Regula. Datum Burdigalæ in Francia, die 8. Menſis Maij 1305. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

*Hoc Breve videri poteſt apud P. Lantuſca idiomate italico, fol. 34. de Reg. 3. Ordinis, & apud P. Engelbertum Pauck, in tertia Seraphica vinea, cap. 16. num. 71.*

No-

Notandum.

*Circa Bullas, & Brevia Indulgentiarum.*

QUòd in plurimis Bullis, & Brevibus Indulgentiarum fiat mentio: *Notarii, ac Perſona in Eccleſiaſtica dignitate conſtituta,* ubi ex P. Gobato *tr. 3. de Indulgentiis, part. 2. c. 32. n. 610.* Sciendum *Notarios* eſſe, qui à legitimo Magiſtratu jus habent conficiendi publicam, & authenticam auctoritatem obtinentia inſtrumenta, ſeu Scripturas, quales quidem Notarios creandi jure gaudet quivis Juriſdictionem obtinens, ſeu in foro civili, ſeu Eccleſiaſtico, ut obſervat inter cęteros Quintanadvennas *in Appendice tr. 3. dub. 6. n. 2.* meritò ſubdens *n. 4.* Quando Bullæ Pontificiæ ad fidem faciendam requirunt ſubſcriptionem *Notarii publici,* ſufficere, ſi ſubſcribat Notarius creatus à Magiſtratu civili; nec enim ſuppetit ratio, cur verba Pontificum generaliter loquentia de Notario, non intelligamus generaliter, & cur Jure non diſtinguente diſtinguamus. Nec eſt neceſſe, ut Bulla, quæ publicatur pro urbe, v. g. Salisburgenſi, ſubſcripta ſit à Notario, quem approbavit Magiſtratus Eccleſiaſticus, aut civilis hujus Urbis, ſed ſufficit eſſe legitimè creatum à quocumque demum Magiſtratu; Etenim Papa admittit ad talem actum quemlibet verum Notarium, ut patet ex Bullis, & tradit Quintanadvennas *l. c. n. 5.* ſubdens *n. 6.* non ſolùm vulgò dictos Notarios, ſed etiam *Secretarios* dignitatis Epiſcopalis, vel alicujus Religionis ſufficere ad ſubſcriptionem authenticam ejuſmodi indultorum: quare cùm Socii RR. PP. Provincialium in diverſis Religioſis Ordinibus ſoleant eſſe, & vocari Secretarii, ſufficit hic eorum Chirographum.

At per Perſonas in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutas, quarum ſigilli appreſſionem pręter publici Notarii ſubſcriptionem exigunt Bullæ, & Brevia Pontificia, intelliguntur ex, quas Doctores diſſerentes de Materia Beneficiorum Eccleſiaſticorum, dicunt habere propriè dignitatem, notantes dignitatem Eccleſiaſticam eſſe propriè Spiritualem Præeminentiam cum Juriſdictione in foro externo, ut inter Theologos obſervat Joannes Azorius *Inſtitut. Mor. t. 1. l. 3. c. 13. q. 7.* Inter Jureconſultos Rebuffus *in l. de verb. ſignif.*

Indulgentiæ

*Confratrum Chordæ S. Franciſci, & Fratrum Tertii Ordinis de Pan.*

INNOCENTIUS PAPA XI.

*Venerabilis Frater, & dilecti filii, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.*

EXponi nobis nuper fecit dilectus Filius F. Franciſcus Diaz à S. Bonaventura, in Romana Curia pro Familia Ultramontana, obedientiæ, ſeu directionis Miniſtri Generalis totius Ordinis FF. Min. ſubjecta, Commiſſarius Generalis, quòd aliàs ad favorem dilectorum Filiorum utriuſque ſexus Confratrum Chordæ S. Franciſci, & Fratrum Tertii Ordinis de Pęnit. emanarunt à diverſis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris litteræ in forma Brevis expeditæ.

*Primò.* A felicis record. *Paulo Papa V.* Sub die 25. Sept. 1607. incipientes Verbo; *Nuper &c.*

*Secundò.* A Piæ Mem. *Gregorio XV.* 26. Junii, incipientes Verbo; *Aliàs &c.* & continentes tenorem Aliarum Bon. Mem. Sixti V. etiam Prædeceſſoris noſtri.

*Tertiò.* Ab eodem Papa Gregorio XV. 10. Nov. 1622. incipientes: *Pias Chriſti &c.*

*Quartò.* A Piæ Mem. *Alexandro Papa VII.* pariter Prædeceſſore noſtro, 28. Julii 1657. & deinde à Nobis 28. Junii, ac poſtmodùm 5. Sept. 1686. quibus inter alia communicantur inter ipſos ſexus utriuſque Tertiarios, & Confratres, ſeu cum ipſis Tertiariis, ac Confratribus Religioſis diverſorum Ordinum, & conceduntur, ſeu confirmantur diverſa privilegia, ſtatuta, conceſſiones, & Indulgentiæ, illæ præcipuè: pro recitatione Coronæ B. V. Mariæ, à dicto *Paulo V.* 8. Junii 1608. Et pro ſtatione SS. Sacramenti: Et exercitio Viæ Crucis, etiam à nobis, præviis ſupradictis Litteris, ſub dictis diebus, 28. Junii, & 5. Sept. impartitæ, & innovatæ: imò etiam Decreta (à Congregatione indulgentiis, & reliquiis prępoſita) ſub diebus 14. Jan. & 15. Jul. 1681. formata. Et licèt à nemine Litterarum, privilegiorum, Statutorum, Conceſſionum hujuſmodi, & indulgentiarum executio impediri valeat (etiam non obſtantibus quibuſcumque conditionibus, vel oblocutionibus Superiorum, quorumvis Ordinum, maximè in Anglo-Politana & Mexicana Diœceſibus) nihilominus idem exponens pro intereſſe, & indemnitate dicti Ordinis Min. (cujus directioni præfati Fratres, & Tertiarii ſunt ſubjecti) & ad quem vigore præfactæ noſtræ confirmationis, directæ conceſſiones extenduntur, ne Litteræ, privilegia, ſtatuta, conceſſiones, & indulgentiæ præfatæ debito fruſtrentur effectu, nobis humiliter ſupplicari fecit, ut ei in præmiſſis opportunè de benignitate Apoſtolica dignaremur providere. Nos igitur ſtatum, & merita cauſæ, & cauſarum Litterarum, privilegiorum, ſtatutorum, conceſſionum, & indulgentiarum hujuſmodi tenores, præſentibus pro expreſſis habentes, ipſumque exponentem à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis (à Jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis) ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium tantùm conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati diſcretioni veſtræ, attento, quòd ſicut dictus exponens aſſerit, agitur inter exemptos, per pręſentes committimus, & mandamus, quatenus vos vel duo, vel unus veſtrum, vocatis ad id (qui fuerint evocandi) ad dictarum Litterarum, privilegiorum, ſtatutorum, conceſſionum, & indulgentiarum hujuſmodi executionem, juxta illarum, ſeu illorum ſeriem, & tenorem, prout de Jure, auctoritate noſtra procedatis. Nos enim vobis, & cuilibet veſtrum, quoties, & quot fuerit opus citandi, illiſque, & quibus videbitur, ſub ſententiis, cenſuris, & pœnis inhibendi, ac inobedientes in illas incidiſſe, ſervata forma Conc. Trid. declarandi, aggregandi, reaggregandi, & interdicendi, cæteraque in præmiſſis neceſſaria, & opportuna faciendi, exercendi, & exequendi, Apoſtolica auctoritate, plenam, & liberam (tenore præſentium) concedimus facultatem. Non obſtantibus præmiſſis conſtitutionibus, & ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris. 15. Maji 1688. Pontificatus noſtri anno decimotertio.

*Superſcriptio erat.*

VEnerabili Fratri Epiſcopo Anglo Politano, & dilectis Filiis, noſtro, & Sedis Apoſtolicæ Nuntio in Regnis Hiſpaniarum reſidenti, ac Scholaſtico Eccleſiæ Salmantic. & eorum cuilibet.

*Hæc Bulla videri poteſt apud P. Engelbertum PancK, in Tertia Seraphica vinea, c. 19. n. 80.*

Indulgentia Doctrinæ Chriſtianæ.

INNOCENTIUS PAPA XI.

*Ad Perpetuam rei memoriam.*

PIetatis, ac Chriſtianæ charitatis opera ubique locorum cum Divini cultus incremento, exerceri cupientes, Chriſti fideles quoſcumque, præſertim ſub ſuavi Religionis Jugo, Altiſſimo famulantes, & ut ad illa exercenda promptiores reddantur, Indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus invitamus, prout ad Chriſtianam Religionem propagandam, & animarum ſalutem procurandam, conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Cùm itaque (ſicut accepimus) dilecti Filii, Frater Ordinis Min. S. Franciſci de obſervantia nuncupatorum, inter pia, quæ exercent, opera, etiam adultos, & pueros quoſcumque per univerſum Chriſtianum orbem, Catholicæ fidei rudimenta, & Chriſtianas virtutes omnes rectè doceant. Nos pro noſtri Paſturalis officii munere, hoc pium, Chriſtianęque Reipublicæ neceſſarium opus; ex quo hactenus uberrimi fructus provenere, ac multò uberiores poſt hæc ex eo proventuros ſperamus, confovere volentes, ut eorumdem Fratrum devotio, ad dictum opus exercendum in dies magis augeatur, de omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtol. ejus auctoritate confiſi, ſupplicationibus etiam dilecti Filii Franciſ. Diaz à S. Bonavent. Commiſſarii Generalis Curiæ pro Ultramontana Familia dicti Ordinis, nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Fratribus, & aliis univerſis Chriſti fidelibus, ubivis locorum exiſtentibus, ac eum iiſdem Fratribus ad infraſcripta cooperantibus, qui de Superiorum ſuorum licentia reſpectivè, ac de conſenſu Ordinariorum locorum, pueros, & adultos quoſcunque Doctrinam Chriſtianam juxta Decreta Conc. Trid. docere, vel eidem (dum docetur) intereſſe conſueverint: ſi verò pœnitentes, ac confeſſi, SS. Euchariſtiæ Sacramento, die feſto (ab iiſdem Ordinariis, in Eccleſiis, in quibus Doctrina Chriſtiana docetur, ſemel in anno) deſignando refecti fuerint, Plenariam: nec non ipſis (qui verè ſimiliter Pœnitentes, & Confeſſi, SS. Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, aut id facere non valentes animo contrito Nomen Jeſu, ſaltem corde, in mortis articulo devotè invocaverint) ſimiliter Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Prætereà illis, qui pariter verè penitentes, & confeſſi, ſemel quolibet menſe SS. Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, ſeptem annos, & tot quadragenas: Qui verò in cauſa fuerint, ut pueri, famuli, aut quævis aliæ Perſonæ Doctrinam Chriſtianam frequentent, & qui diebus Stationum almæ Urbis noſtræ, hanc Doctrinam in Eccleſiis, aut Oratoriis de Ordinariorum licentia docuerint, ac etiam illi (qui ad eamdem dicendam acceſſerint) eaſdem indulgentias conſequantur, quas conſequuntur, & conſequi poſſent, ſi Eccleſias Stationum ejuſdem Urbis perſonaliter viſitarent: Eaſdem etiam Indulgentias Viſitatores Scholarum Doctrinæ hujuſmodi (qui ex commiſſo

ſibi officio viſitabunt illas Scholas, quas illo die viſitare poterunt) conſequantur, ſi peccata ſua confeſſi SS. Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint. Inſuper iis, qui diebus feriatis Doctrinam Chriſtianam, aut publicè, aut privatim eaplanaverint, centum dies: nec non omnibus, & ſingulis præceptoribus, qui diebus feſtis diſcipulos ſuos ad Doctrinam Chriſtianam duxerint, eoſque illam docuerint, ſeptem Annos: Et qui diebus feriatis in propriis Scholis eamdem Doctrinam explicaverint, aur collationes fecerint (licèt illo die non intervenerint) in aliqua Schola, diſcendi cauſa, ſeptem Annos: Omnibus, & ſingulis Patribus, & Matribus familias, qui in ſuis domibus, liberis, famulis, & familiaribus utriuſque ſexus, Doctrinam Chriſtianam ſimiliter explicaveriot, qualibet vice id fecerint, centum dies: Item iis, qui per civitates, terras, & alia loca viros, mulieres, aut pueros, ad diſcendam eamdem Doctrinam Chriſtianam docendi cauſa convocando circumierint, ſeptem Annos; ac etiam, qui extra civitatem, ad illam docendam per caſtra, & villas exeunt, decem Annos: omnibus etiam Chriſti fidelibus (qui per mediam horam Doctrinæ prædictæ, aut diſcendi, aut docendi cauſa ſtuduerint, aut eidem interfuerint) centum dies: Eiſdem etiam, qui Doctrinam prædictam docere ſolent, ſi infirmos viſitaverint, quoties id fecerint, ducentos dies, de injunctis iis, ſeu aliàs quomodolibet per eos debitis Pœnitentiis, in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris: non obſtantibus conſtitutionibus, & ordioationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut (ſi aliquæ aliæ indulgentiæ prædictis Fratribus præmiſſa agentibus, à nobis, vel prædeceſſoribus noſtris, ad tempus nondum elapſum, vel perpetuò duraturæ conceſſæ fuerint) præſentes nullæ ſint. Utque earumdem præſentium Litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii Publici, vel Secretarii Generalis dicti Ordinis ſubſcriptis, & Sigillo Miniſtri Generalis ejuſdem Ordinis vel alterius Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ Datum Romæ ad S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, 30. Maii 1686. Pontificatus noſtri anno X.

*Hæc Bulla habetur in tertia Seraphica vinea R. P. Engelberti PaucK. c. 5. n. 17.*

Indulgentiarum, & Privilegiorum communicatio.

INNOCENTIUS PAPA XI.

*Ad futuram rei Memoriam.*

EXponi nobis nuper fecit dilectus Filius Franciſcus Diaz à S. Bonaventura, chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici concionator, & Theologus, ac in Romana Curia pro Ultramontana Familia, Miniſtro Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de obſervantia nuncupatorum, ſubjecta, Commiſſarius Generalis, quòd privilegia, gratiæ, conceſſiones, favores, & indulgentię etiam Plenariæ, ac pœnitentiarum relaxationes, cæteraque indulta, Ordinibus, Congregationibus, Confraternitatibus, Domibus, Eccleſiis, locis, benefactoribus, ac omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus perſonis, obedientiæ, ſeu directioni prædicti Miniſtri Generalis Fratrum Minorum ſubjectis, olim ab Apoſtolica Sede conceſſa, ſeu communicata pet plurium Romanorum Pontificum, prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionis, & pręcipuè per literras felicis recordationis Clementis VIII. incipientes: *Ratio Paſtoralis &c.* Anno milleſimo quingenteſimo, nonageſimo ſeptimo eapeditas, ac Pauli V. quę incipiunt: *Injuncti nobis &c.* Anno 1609. conceſſas: Et Urbani VIII. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum pariter, incipientes: In plenitudinem. Et tertio Idus Maji, Anno 1625. datas, confirmata, & ſub aliquibus modificationibrs innovata fuerint: Unde præfatis utriuſque ſeaus perſonis, obedientiæ, ſeu directioni dicti Miniſtri Generalis ſubjectis, quibus memorata communicatio privilegiorum, Indulgentiarum, & conceſſionum, tàm inter ſe, quàm cum aliis Ordinibus, Congregationibus, & Societatibus, etiam Jeſu, ac Confraternitatibus conceſſa fuit, juxta clauſulas, & præſcriptum dictarum Litterarum Apoſtolicarum, & cum reſtrictionibus in illis appoſitis, & non aliter fuerunt conceſſæ.

Cùm autem (ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ut præmiſſa firmiùs ſubſiſtant, & conſerventur) præfatus Franciſcus Commiſſarius Generalis Curiæ, prædictas *Clementis ac Pauli, & Urbani* prædeceſſorum litteras, cum clauſulis in iiſdem contentis, à Nobis innovari, & omnes aliorum Romanorum Pontificum ſucceſſorum conceſſiones ad favorem dictorum Ordinum, Congregationum, Confraternitatum, locorum, benefactorum, & aliarum utriuſque ſexus perſonarum, prædictæ obedientiæ, ſeu directioni ſubjectarum eapeditas, Apoſtolicę confirmationis noſtræ patrocinio communiri plurimùm deſideret. Nos ipſius Franciſci Commiſſarii Generalis Curiæ votis, *hac in re*, (quantum cum Domino poſſumus) favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſvis eacommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à Jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis (ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit) ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium propoſitorum Conſilio, & attenta relatione, quam Venerabilis etiam Frater noſter Alderanus Epiſcopus Portuenſis, ejuſdem S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupatus, dicti Ordinis apud nos, & Sedem Apoſtolicam Protector, eiſdem Cardinalibus ſuper præmiſſis fecit; prædictas *Clementis*, incipientes. *Ratio Paſtoralis &c.* & *Pauli*, quarum initium: *Injuncti nobis &c.* & *Urbani* Prædeceſſorum, quæ incipiunt; *In plenitudinem*, &c. Aliorumque Romanorum Pontificum Succeſſorum litteras ſuper præmiſſis reſpectivè emanatas (dummodo tamen ſint in uſu, nec ſint revocatæ, aut ſub aliqua revocatione comprehenſæ, ſacriſque Canonibus & Conc. Trid. Decretis, ac poſterioribus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, regularibuſque Ordinis prædicti inſtitutis non adverſentur) auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Decernentes; Præſentes litteras ſemper firmas, validas & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere: ac illis (ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit) pleniſſimè ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque &c.

Volumus autem, ut earumdem præſentium Litterarum tranſumptis, ſeu eaemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum, tam in judicio, quàm eatra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 5. Septembris, Anno milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo ſexto; Pontificatus noſtri anno decimo.

*Hæc Bulla habetur in Tertia Seraphica Vinea R. P. Engelberti PaucK, c. 22. num. 107.*

Omnia in hoc Supplemento Theologiæ Moralis Sacramentalis, ad Majorem DEI Gloriam, Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum honorem, atque proximi ſalutem à me conſcripta, humillimè ſubjicio cenſuræ ſanctæ Matris Eccleſiæ Romano-Catholicæ, cujus filius eſſe deſidero in perpetuum. Amen.



Digitized by Google

# INDEX
# RERUM NOTABILIUM

## In hoc Supplemento Theologiæ Moralis Sacramentalis Contentarum.

*Numerus Paginam demonſtrat.*

## A


*Abſolutio Generalis.*

ABſolotio Generalis in articulo mortis, vel aliàs collata, an ſit Sacramentalis, & quid per illam remittatur? Pag. 260.

*Adamus.*

Adamus potuit creari in ſtatu naturæ puræ. 283. Potuit in ſtatu Innocentiæ priùs peccare venialiter, quàm mortaliter. ibid.

*Altare Privilegiatum.*

Altare Privilegiatum quid ſit? 258.
Altarium Privilegiatorum Indulgentia. ibid.
Clauſulæ Brevis, per quod conceditur Altare Privilegiatum, explicantur. ibid.
An debeat dici Miſſa de requiem, vel ſumi collecta pro defuncto, vel an pro pluribus poſſit ſimul applicari Privilegium? ibid.
An valeat Privilegium Altaris Privilegiati, ſi ſepem Miſſæ quotidie non legantur in Eccleſia, in qua eſt Altare Privilegiatum? ibid.
Altare Privilegiatum an poſſit impetrari pro omnibus Eccleſiis; & qualis modus impetrandi? 259.
An Sacerdos non legens Miſſam in Altari Privilegiato, ſed in alio Altari communi, peccet non mortaliter, ſi accepit Stipendium, ut celebrares in Altari Privilegiato? ibid.
Circa Altaria Privilegiata Decreta *Alexandri VII.* & *Clementis IX.* 299. & *Innocentii XI.*

*Amor.*

Amor viæ, & Patriæ differunt ſpecie. 291. & 292.

*Angeli.*

Angeli an differant numero. 282.
An ſint in loco per ſuam operationem? ibid.
An potuiſſent peccare in primo inſtanti ſuæ creationis? 283.
An poſſint naturaliter cognoſcere ſecreta cordium? ibid.

*Annus Sanctus.*

Annus Sanctus quando incipiat, & finiatur? 262.
In Anno ſancto quænam Indulgentiæ ſuſpendantur? ibid.

*Appendix.*

Appendix Alphabetica. 299.
Appendix Centifolia. 277.
Appendix de Benedictionibus & Exorciſmis. 228.
Appendix de diſpoſitione moribundi ad Beatam mortem. 249.
Appendix de Suffragiis. 273.
Appendicis Centifoliæ Coronis, ſeu Motiva quinquaginta; cur quis ſecuriſſima Conſcientia, debeat vivere, & mori in fide Romano-Catholica, & omnes alias Sectas deſerere. 295

*Aqua.*

Aqua vino mixta in Calice, mediatè tantùm convertitur in Sanguinem Chriſti. 295.

*Aſylum.*

De Jure Aſyli, conſtitutio *Gregorii XIV.* Ex integro affertur. 312.


## B


*Bajanæ Propoſitiones.*

BAjanæ Propoſitiones primitùs damnatæ à S. Pio V. cenſentur. 329.

*Baptiſmi Inſtitutio, Materia, & Forma.*

Baptiſmus eſt Sacramentum. 182.
Baptiſmi definitio, & ejus explicatio. 182.
Baptiſmum Chriſtus inſtituit ante ſuam mortem. ibid
Quamvis ex S. Scriptura certum inſtitutionis tempus aſſignari non poſſit ibid.
Baptiſmi Materia remota valida eſt Aqua naturalis. 183.
Alii liquores non ſunt materia valida Baptiſmi. ibid.
Baptiſmi materia licita eſt Aqua benedicta è fonte Baptiſmali. ibid.
In Baptiſmo adhibenda eſt materia dubia in neceſſitate. ib.
Pro collatione Baptiſmi Regulæ Practicæ. 184.
Baptiſmi materia proxima eſt ablutio. ibid.
Hominis. 184. Facta per Aquam. 185. Duo caſus circa materiam proximam Baptiſmi reſolvuntur. ibid.
Baptiſmus ſubmerſivus eſt illicitus, & invalidus. ibid.
Baptiſmi Legitima forma. 186.
In forma Baptiſmi neceſſitate Sacramenti debet exprimi Perſona, quæ baptizatur, & actio baptizantis. ibid.
Item Tres Sanctiſs. in Trinitate Perſonæ ſub unitate Deitatis. ibid.
Qualiter Baptiſmus ab Apoſtolis in Nomine JESU Chriſti fuerit collatus? 187.
Quid dicendum de Baptiſmo Joannis? 183.
Baptiſmi formæ *validæ* aſſignantur. 187.
Item formæ *invalidæ* ſpecificantur. 188.
Item formæ *dubiæ* recenſentur. ibid.

*Baptiſmi Miniſter.*

Baptiſmus poteſt *ſolemniter*, & *privatim* conferri. 188.
Baptizare poteſt quilibet Homo potens abluere, & proferre formam baptiſmalem cum debita intentione, & quidem validè ſemper, ac etiam licitè, urgente neceſſitate. ibid.
Baptiſmi ſolemniter adminiſtrandi Miniſter Ordinarius eſt Papa reſpectu totius mundi; Epiſcopus reſpectu ſuæ Diœceſis, Parochus (etiamſi tantùm ſit Diaconus) reſpectu ſuæ Parochiæ, vel etiam alius Sacerdos habens à Parocho licentiam baptizandi. 193.
Baptizare ſolemniter poteſt etiam Diaconus, rationabili exiſtente cauſa, ex commiſſione Epiſcopi, aut Parochi. ibid.
Non tamen hoc poſſunt Clerici Diacono inferiores, & multò minùs Laici. ibid.
Inter Baptiſmi Miniſtros qualis ordo ſervandus. ibid.
Unus Miniſter poteſt ſimul plures baptizare. ibid.
Extra neceſſitatem hoc non licet. ibid.

# Index Rerum Notabilium.


Baptiſmus eſt validus, ſi ſimul, & eodem tempore plores miniſtri eumdem hominem abluant, ac debitam formam cum debita intentione pronuntient. ibid.
Si verò unus alterum prævenıat in prolatione formæ, primus confert Sacramentum, altero nihil efficiente. ibid.
Si unus abluat corpus, alter verò proferat formam Baptiſmi, nullus eſt Baptiſmus. ibid.
Si plures abluant, & ſimul formam proferant in hunc modum: *Nos te baptizamus, &c.* nullum faciunt Baptiſmum. ibid.
Baptizati ab obſtetricibus ſunt ſub conditione rebaptizandi, ſi ita ſit ſtatutum, vel conſuetum in Diœceſi. 190.
Aliàs non omnes ſunt rebaptizandi. ibid.
Attamen plerique. ibid.
Obſtetrices tenentur addiſcere baptizare cum debita materia, & forma, & Parochi tenentur ipſas de hoc examinare. ibid.

*Baptiſmi Subjectum.*

Baptiſmi ſubjectum capax eſt ſolus Homo viator. 191.
Si naſcatur monſtrum an baptizandum? ibid.
Etiam parvuli, mox ubi nati ſunt, ſunt capaces Baptiſmi. ibid.
An Infans in utero matris poſſit baptizari? ibid.
Baptizari debent perpetuò amentes. ibid.
Etiam Catechumenus ſenſibus deſtitutus. ibid.
Baptizantur validè infidelium Parvuli invitis parentibus, & quandoque etiam licitè. ibid.
Ad Baptiſmum validè recipiendum, in adultis requiritur intentio, ſeu conſenſus. 193.
Ad recipiendum fructuosè requiritur in adultis fides actualis. ibid.
Propoſitum profitendi, & ſervandi Legem Chriſti. ibid.
Et ſi habeant peccatum mortale perſonale, requiritur inſuper attritio ſupernaturalis. ibid.
In infantibus, & perpetuò amentibus nihil tale requiritur. ibid.

*Baptiſmus fictè ſuſceptus.*

Baptiſmus fictè ſuſceptus remoto obice reviviſcit. 194.
Ad removendum obicem negativum requiritur, & ſufficit ſola attritio. ibid.
Ad removendum verò obicem poſitivum requiritur contritio perfecta, vel attritio cum Sacramento pœnitentiæ. ibid.
Baptiſmus non tollit fictionem poſitivam, & alia peccata perſonalia in ſui ſuſceptione commiſſa. ibid.

*Baptiſmi Initerabilitas.*

Baptiſmus eſt initerabilis. 195.
Quando tamen ſubeſt rationabile dubium de valore Baptiſmi, repetendus eſt ſub conditione. ibid.
Imò etiamſi ſit probabilis valor Baptiſmi, ſi tamen non ſit moraliter certus, Baptiſmus repetendus eſt ſub conditione. ibid.
Baptizati ab Hæreticis, generaliter loquendo non ſunt rebaptizandi, niſi adſit ſuſpicio rationabilis, eos in aliquo eſſentiali defeciſſe. ibid.
Baptizandi ſunt ſub conditione infantes expoſiti, & inventi. 196.
Circa Baptiſmum conditionatè conferendum Regulæ quatuor. ibid.
De Baptiſmi ſui valore dubitans ſacerdos, Religioſus, conjux quid agere debeat? 197.

*Baptiſmi Neceſſitas.*

Baptiſmus eſt ad ſalutem neceſſarius. ibid.
Parvulis quidem neceſſitate medii in re. ibid.
Adultis verò, in re, vel in voto. 198.
Ac etiam neceſſitate præcepti. ibid.
An ſit præceptum baptizandi parvulos? ibid.

*Baptiſmi Effectus.*

Baptiſmi effectus eſt gratia ſanctificans, & character. ibid.
Remiſſio omnis culpæ Originalis, & Perſonalis ante Baptiſmum commiſſæ. ibid.
Item remiſſio omnis pœnæ propriè dictæ pro culpis debitæ. 199
Non tamen pœnalitatum hujus vitæ. ibid.

*Baptiſmi Cæremoniæ.*

Baptiſmus alius eſt ſolemnis, videlicet cum cæremoniis; alius privatus ſeu non ſolemnis, id eſt, ſine cæremoniis. ibid.
Baptiſmi Cæremoniæ recenſentur. ibid.
Baptiſmi Cæremoniarum omiſſio eſt ex genere ſuo peccatum mortale. 200.
Baptizare extra Eccleſiam, ſecluſa neceſſitate, vel Privilegio, eſt peccatum mortale. ibid.
Baptiſmi Cæremoniæ ſi fuerint omiſſæ, ſuppleri debent. 201.

*Baptiſmi Patrinus.*

In Baptiſmo ſolemni ſub mortali requiritur Patrinus. ib.
Quot poſſunt eſſe Patrini in Baptiſmo. ibid.
Quid requiratur, ut quis validè fiat Patrinus? 202.
Et ut licitè quis obeat munus Patrini. ibid.
Patrinorum officium, & cognatio. 203.
Patrini officium recuſare an ſit peccatum? ibid.

*Baptizatorum Liber.*

Baptizatorum liber diligenter eſt à Parocho obſervandus, in quo baptizatorum, ac Patrinorum nomina, item dies, & hora Baptiſmi diligentiſſimè annotanda ſunt. ibid.

*Baptiſmus Flaminis.*

Baptiſmus Flaminis, & ſanguinis non ſunt Sacramenta. ibid.
Baptiſmus Flaminis eſt Amor DEI ſuper omnia, vel contritio perfecta. 204.
Baptiſmus Flaminis in defectu Baptiſmi fluminis ſufficit ad ſalutem. ibid.
Non tamen Baptiſmus flaminis ſupplet in omnibus Baptiſmum fluminis. ibid.

*Baptiſmus Sanguinis.*

Baptiſmus fluminis ſuppleri poteſt per Baptiſmum ſanguinis, ſeu Martyrium in adultis. 205.
Ac etiam in parvulis. 207.
Etiamſi in utero matris occidantur in odium Chriſti. 208.
Quæ conditiones, & diſpoſitiones requirantur ad Baptiſmum ſanguinis, ſeu Martyrium? 206.
Qualem habeat effectum? 205.
Quando conferat ſuum effectum ibid. An etiam contulerit ſuum effectum Martyribus ante adventum Chriſti? ibid.
Martyrium non eſt Sacramentum. ibid.
Non ſupplet in omnibus Baptiſmum fluminis. ibid.
Baptiſmus fluminis in infantibus alio adhuc modo præter Martyrium ſuppleri non poteſt. 208.

*Beatitudo.*

Beatitudo noſtra formalis conſiſtit in viſione, & fruitione DEI; principaliùs tamen ſita eſt in fruitione DEI. 282.

*Beatorum Cultus.*

Circa Beatorum cultum Decreta ſacræ Rituum Congregationis recenſentur. 300.

*Benedictio.*

Benedictio quid ſit, & quotuplex. 208.
Benedicere quid poſſint Epiſcopi, & Superiores Regularium Mendicantium. ibid.
Quid Presbyteri benedicere valeant. 209.
An ſi Aquæ, vel Oleo benedicto affundatur non benedictum, tota Aqua, vel Oleum ſit benedictum? ibid.
Benedicta res an poſſit ad uſus profanos adhiberi. ibid.

*Benefactores.*

Benefactoribus noſtri Ordinis Seraphici conceſſæ Indulgentiæ enumerantur. 254.

*Birgittana Roſaria.*

Birgittanis Roſariis conceſſæ Indulgentiæ ſpecificantur. 259.

*Bulla.*

Bulla Cœnæ Domini. 304.
Bulla Gregorii XIV. de Immunitate Eccleſiaſtica locali, ſeu de Jure Aſyli, 312.


Bulla

Bulla Pauli V. de Indulgentiis conceſſis Perſonis Regularibus. 313.
Bulla Clementis VIII. Confirmatoria omnium Privilegiorum tribus Ordinibus S. P. N. Franciſci conceſſorum. 322.
Bulla Clementis X. *Superna Magni*. 324.
Bulla Urbani VIII. revocatoria Privilegiorum vivæ vocis oraculo conceſſorum. 326.
Bulla S. Pii V. damnantis Propoſitiones Bajanas. 329.
Bulla Clementis XI. damnantis Propoſitiones Janſenianas. 332.
Bulla famoſa: *Unigenitus*. 333.
Circa Bullas, & Brevia Indulgentiarum Notabile. 340.


## C

*Cæremonia.*


CÆremoniæ Baptiſmi. 199. Cæremoniæ Baptiſmi ſuppleri debent, ſi fuerint omiſſæ. 201.
Cæremoniæ Confirmationis recenſentur. 217.
Cæremoniæ Extremæ Unctionis enumerantur. 228.


*Caſus Reſervati.*


Caſus reſervati Regularium referuntur in Decreto Clementis VIII. 302.
A caſibus, & cenſuris reſervatis qualiter in Jubilæo poſſit quis abſolvi. 268.
A caſibus reſervatis abſolvendi facultas non ſuſpenditur in Anno Sancto, ſi hæc facultas non ſit conceſſa occaſione Indulgentiarum. 263.


*Catholica fides.*


Catholicam fidem cur quis amplecti, & in ea vivere, ac mori, debeat, Rationes, & Motiva quinquaginta aſſeruntur. 295.


*Chriſtus.*


Chriſtus ut homo eſt verus Filius Beatiſſimæ Virginis per filiationem creatam. 288.
Chriſtus potuiſſet abſolutè loquendo prius exiſtere in Euchariſtia, quàm in utero B. V. MARIÆ. 293.
Chriſti Humanitas exiſtit exiſtentia propria creata. 288.
Chriſti anima per ſcientiam Beatam cognovit omnia in Verbo. ibid.
Chriſti anima fuit formaliter Sancta per gratiam ſanctificantem creatam. ibid.
Chriſtus conceſſit immediatè Indulgentiam Portiunculæ. 252.
Chriſti gratia ſanctificans fuit ſumma de potentia DEI ordinaria; potuiſſet tamen de abſoluta DEI potentia adhuc intendi. 288.
Chriſti impeccabilitatis cauſa proxima fuit ejus beatitudo. ibid.
Chriſti meritum fuit extrinſecè, & ſecundùm quid infinitum. ibid.
Chriſti ſatisfactio pro noſtris peccatis fuit actus Juſtitiæ. 289.
Chriſtus adhuc veniſſet, etiamſi Adam non peccaſſet. ibid.
Chriſti vera Eccleſia eſt ſola Romana Eccleſia. 290. Chriſti Eccleſia viſibilis eſt. ibid. Durabit uſque ad finem mundi. ibid. Eſt infallibilis in decidendis fidei articulis. ibid.
Chriſtianam Doctrinam docentibus Franciſcanis conceſſæ Indulgentiæ. 341.


*Circumciſio.*


Circumciſio erat propriè dictum Sacramentum. 292.


*Clariſſa.*


Clariſſarum Indulgentiæ recenſentur. 253.


*Clauſura Monialium.*


Circà Clauſuram Monialium, & Monaſteriorum refertur Decretum, ſeu Bulla Gregorii XIII. 304.


*Communicatio Indulgentiarum, & Suffragiorum.*


Communicatio Indulgentiarum inter tres Ordines S. P. N. Franciſci. 249. & 342.
Communicatio Indulgentiarum inter Regulares. 249.
Communicatio Suffragiorum per filiationes. 259. & 275.


*Communio.*


Communio quotidiana an liceat Monialibus, vel Laicis. 238. & 242.
Circa communionem quotidianam refertur Decretum Innocentii XI. 303.
Communio ſub utraque ſpecie non eſt debita Laicis. 293.
Communio pro lucrando Jubilæo qualis requiratur. 265.
Communio qualiter pro viatico ſumenda ſit. 230.


*Confeſſarius.*


Confeſſarius, quid agere debeat vocatus ad moribundum. 229. Quid apud Agonizantem. 231. Item cùm ab infirmo diſcedit, vel hic eſt ſenſibus deſtitutus, vel laborat morbo contagioſo, vel jam eſt mortuus. 232.
Confeſſarius in Jubilæo a quibus poſſit eligi. 266. Qualis Confeſſarius poſſit eligi pro Jubilæo. 267.
Confeſſarius pro Jubilæo electus qualem habeat poteſtatem circa abſolutionem a peccatis, & cenſuris reſervatis, &c. 268. Circa commutationem votorum. 270. Circa prorogationem, & commutationem operum pro lucrando Jubilæo præſcriptorum. 266.


*Confeſſio.*


Confeſſio ſpecifica, & numerica peccatorum mortalium eſt præcepta Jure Divino. 194.
Confeſſio venialium an poſſit fieri ſimplici Sacerdoti non approbato. 142.
Confeſſio qualis requiratur ad Jubilæum lucrandum. 264.
Confeſſio an requiratur ad lucrandam Indulgentiam. 238.
Ex Confeſſione Sacramentali hauſta ſcientia an & quomodo uti liceat? 336.


*Confirmationis Materia, & forma.*


Confirmatio eſt Sacramentum? 210.
Confirmationis Definitio. ibid. Fuit inſtituta in Cœna Domini. ibid.
Confirmationis materia remota eſt Chriſma. 211. Conſecratum ab Epiſcopo. 212. Chriſma an poſſit benedici a ſimplici Sacerdote? ibid.
Confirmationis materia proxima eſt Unctio facta cum Chriſmate &c. ibid.
Confirmationis forma. 213. Verba hujus formæ neceſſaria neceſſitate præcepti. ibid. neceſſaria neceſſitate Sacramenti. ibid.


*Confirmationis Miniſter.*


Confirmationis Miniſter Ordinarius eſt ſolus Epiſcopus. 214. Etiam Hæreticus, & vel degradatus quantùm ad valorem. ibid. Miniſter extraordinarius eſt etiam Sacerdos non Epiſcopus. ibid.


*Confirmationis Subjectum, Effectus, &c.*


Confirmationis ſubjectum eſt homo Viator, baptizatus, nondum Confirmatus. 215. Etiam infans. ibid.
Etiam perpetuò amens. ibid.
Quid requiratur in adulto, ut validè, & licitè recipiat Confirmationem. ibid.
Confirmationis recipiendæ an detur præceptum. 216.
Confirmationem adminiſtrare ſuis ſubditis, an obligentur Epiſcopi? ibid.
Confirmationis Effectus enumerantur. ibid.
Confirmationis Cæremoniæ recenſentur. 217.
Confirmationis qualis debeat eſſe Patrinus. ibid.
An plures quàm unus, vel unus. ibid.
An Religioſus, etiam Franciſcanus poſſit eſſe Patrinus. 218.
An non Confirmatus poſſit eſſe Patrinus. ibid.
Qualis obligatio Patrini Confirmationis. ibid.
Qualem cognationem contrahat Patrinus. Ibid.
Confirmatorum, & Patrinorum nomina Parochi debent diligenter inſcribere Libro Confirmatorum. ibid.

# Index Rerum Notabilium.

*Confraternitas.*

Confraternitatis Chordigerorum S. P. N. Franciſci Indulgentiæ recenſentur, 255. Bulla Pauli V. *Nuper Archi-Confraternitati.* Concedens Indulgentias Confraternitati Chordigerorum. 314. Circa Confraternitatum Inſtitutionem Bulla Clementis VIII. affertur. 303.

*Sacra Congregatio Rituum.*

S. Congregationis Rituum Decreta Centum Sexaginta tria adducuntur. 305.

*Corona B. V. Mariæ, aut Chriſti Domini.*

Quid Nomine Coronæ B. V. Mariæ, aut Chriſti Domini intelligatur. 236.

*Cruces Caravaccenſes, ſeu Hiſpanicæ, item Jeroſolymitanæ.*

Crucum Caravaccenſium ſeu Hiſpanicarum Indulgentiæ quales ſint, an veræ, vel fictæ. 318. Et in Decreto Innocentii XI. *Delata ſæpius.* 260.
Crucum Jeroſolymitanarum Indulgentiæ recenſentur. 256. & 313.

# D

*Decreta S. Congregationis.*

DEcreta S. Congregationis Rituum adducuntur numero centum Sexaginta tria. 315.

*DEUS.*

DEI exiſtentia à poſteriori demonſtratur contra Atheiſtas. 255. DEI Eſſentia in quo conſiſtat. ibid. Quomodo Eſſentia Divina diſtinguatur à ſuis attributis. ibid. DEUS eſt ita immutabilis, ut neque novam formam relativam in ſe recipere poſſit. 278. DEI æternitati non coextiterunt ab æterno res temporales coexiſtentia Phyſica. 278. Ideæ in mente DEI ſunt ipſæmet Creaturæ à DEO præconceptæ ut factibiles. 269.
DEUS novit futura libera in ſuo Decreto Concomitante. 278. Non in Decreto Prædeterminante. ibid. Media. ibid.
DEI Omnipotentia eſt ipſa voluntas Divina efficax. 279. DEUS vult omnes homines ſalvos fieri. ibid. DEI Eſſentia poteſt abſolutè loquendo videri ſine Perſonalitatibus. 282. DEUS dat omnibus hominibus gratiam ſufficientem ad ſalutem. 285. DEUM oculus corporeus videre non poteſt. 281.
DEUS potuit Adamum creare in ſtatu Naturæ puræ. 283.
DEUS poteſt inter virum, & fœminam inducere vinculum Matrimoniale abſque illorum conſenſu. 294.

*Doctrina Chriſtiana.*

Doctrinam Chriſtianam docentibus Franciſcanis multæ ſunt conceſſæ Indulgentiæ ab Innocentio XI. 348.

*Dominium.*

Dominium Duorum in ſolidum eſſe non poteſt. 293.
Dominium nullum eſt ſimplex uſus facti. ibid.

*Dubitans.*

Dubitans de valore ſui Baptiſmi rebaptizari debet ſub conditione. 195.

# E

*Eccleſia.*

ECcleſia ſola Romana eſt Vera Chriſti Eccleſia. 290. Eccleſia vera debet eſſe viſibilis. ibid. Durabit uſque ad finem Mundi. ibid. Eſt infallibilis in decidendis fidei Articulis. ibid. Caput viſibile Veræ Chriſti Eccleſiæ eſt Romanus Papa. 291.
Eccleſia habet poteſtatem condendi leges in conſcientia obligantes. 287.
Eccleſiam Romanam impugnantes Hæretici damnati ſunt. 295.
Ad Eccleſiam Romanam quinam præterito ſæculo converſi ſint ex Gentiliſmo. 295. & 346.
*In ſola* Romana Eccleſia ſervantur Tria Evangelica Conſilia. *ibid.*
Eccleſiam Catholicam erraſſe nequit oſtendi ab ullo Hæretico. 297.
Ad Eccleſiam Romanam quinam è Lutheraniſmo, & Calviniſmo converſi jam ſint. ibid.
Extra Eccleſiam baptizare quale ſit peccatum. 200.
Circa Eccleſiarum Ornamenta Decretum Innocentii XI. 315.
Eccleſiæ Viſitatio qualiter fieri debeat ad lucrandum Jubilæum. 264.
Eccleſiam Franciſcanorum Viſitantes toties, quoties Secunda die Auguſti in feſto Portiunculæ, lucrantur Indulgentiam plenariam, ſi cætera opera etiam perfecerint. 253.
Eccleſias Franciſcanorum Viſitantibus conceſſæ Indulgentiæ enumerantur. 251.
Pro Eccleſiarum Rectoribus, & Superioribus notabile. 276.
Eccleſiæ conceſſa Indulgentia, an extendatur ad ejus Cœmeterium. 235.
Eccleſia diruta, an pereat Indulgentia ipſi conceſſa. ibid.
Eccleſias ſuas viſitantes, & in eis orantes ad certas intentiones, Religioſi lucrantur Indulgentias ſtationum. 256.

*Euchariſtia.*

Euchariſtiæ Sacramentum conſiſtit in ſpeciebus conſecratis connotantibus corpus, & Sanguinem Chriſti ſub ipſis contenta. 293.
Euchariſtia in Articulo, vel periculo mortis qualiter, & quoties à moribundo accipienda ſit. 230.

*Exercitia Spiritualia.*

Regulares facientes Exercitia Spiritualia lucrantur Indulgentiam plenariam. 242.
Circa Exercitia Spiritualia à Franciſcanis facienda per octo dies cum Indulgentiis, Bulla, ſeu Decretum Alexandri VII. 355.

*Exorciſmus.*

Exorciſmus quid ſit. 209. Quid obſervandum circa Exorciſmos adhibendos, & uſurpandos. ibid.
Exorciſmi ſupplendi ſunt in iis, qui privato baptiſmo abluti ſunt. 201.

*Extremæ Unctionis materia, & forma.*

Extrema Unctio eſt Sacramentum. 238. à Chriſto inſtitutum. ibid. Poſt ſuam Reſurrectionem. 238. & 239. Ejus Definitio. ibid.
Extremæ Unctionis materia remota eſt Oleum Olivæ. ibidem.
Ab Epiſcopo benedictum. 220. Si Parocho deficiat materia hujus Sacramenti, ſeu Oleum infirmorum, quid ei faciendum, & qualiter ſuccurrendum. 225.
Extremæ Unctionis materia proxima neceſſaria neceſſitate Sacramenti eſt una Unctio cum forma exprimente omnes corporis ſenſus. 220.
Non eſt de eſſentia Extremæ Unctionis, ut Unctio fiat per modum Crucis. Ibid.
Extremæ Unctionis materia proxima neceſſaria neceſſitate præcepti eſt quintuplex Unctio quinque ſenſuum. ibid. & 221.
In partibus corporis, quæ geminæ ſunt, debet fieri duplex Unctio. ibid. Quinque Unctiones quinque ſenſuum cum ſuis formis faciunt unum Sacramentum unitate integritatis, non indiviſibilitatis. ibid.
Extremæ Unctionis forma conſueta quæ ſit. Ibid. Quæ ſit præcisè eſſentialis. ibid. Debet eſſe eſſentialiter deprecatoria. 222.

*Extremæ Unctionis Miniſter.*

Extremæ Unctionis validè conferendæ Miniſter quis ſit. ib. Quis Miniſter licitè conferendæ. 222.
Circa Extremæ Unctionis adminiſtrationem Privilegium Regularium. 222. 223.
Extremæ Unctionis an poſſint eſſe plures Miniſtri. 223. Obligatio Miniſtri ad conferendam Extremam Unctionem. ibid.
An Parochus tempore peſtis teneatur ſuis Parochianis adminiſtrare Extremam Unctionem cum periculo vitæ. 224.
Regulæ obſervandæ in adminiſtratione Extremæ Unctionis. 224.

*Extremæ Unctionis Subjectum.*

Extremæ Unctionis validè recipiendæ ſubjectum eſt Homo Adultus. 225. Habens intentionem illam ſuſcipiendi. 225. Periculosè infirmus. ibid. Ab intrinſeco infirmus. 226. Qui aliquando peccavit perſonaliter. ibid.

Ut

Digitized by Google

Ut extrema Unctio licitè, & fructuoſè recipiatur, requiritur in ſubjecto ſtatus gratiæ per ſe loquendo. 226.

*Extremæ Unctionis Neceſſitas, Effectus, &c.*

Extremam Unctionem non ſuſcipiens non peccat mortaliter. 227. Per ſe loquendo. ibid.
Extrema Unctio eſt iterabilis. ib. Quoties ſublato priori periculo mortis reincidit in novum. ib.
Extremæ Unctionis effectus Primus eſt gratia Sanctificans. 228. Secundus eſt remiſſio peccatorum. ib. Reliqui effectus enumerantur. ib.
Extremæ Unctionis Cæremoniæ quatuor enumerantur. ib.

# F

*Feſtum.*

FEſtum Immaculatæ Conceptionis B.V. Mariæ præcipitur ſervari. 311. & 312.

*Fictio.*

Fictè ſuſceptus Baptiſmus an reviviſcat. 194. Quid requiratur ad hoc, ut Baptiſmus fictè ſuſceptus reviviſcat. ib. Fictio poſitiva qualiter tollatur. ib.

*Fides.*

Fides tantùm una eſt ſalvifica. 289. Fides ſola non Juſtificat. 286. Fidei Divinæ objectum formale eſt DEUS ſub ratione primæ veritatis in revelando. 289. Fides infuſa circà rem revelatam poteſt conſiſtere cum evidentia revelantis. 290.
In fide Catholica cur quis ſecurè vivere, & mori debeat, & omnes alias ſectas relinquere, adducuntur quinquaginta rationes, & motiva. 293.
Ad fidem Catholicam quinam præterito ſæculo converſi fuerint ex Gentiliſmo. 295. & 296. Quinam ex Calviniſmo, & Lutheraniſmo. 297.
Fidei Catholicæ Profeſſio ex toto adducitur. 311.

*Filiantia.*

Filiantiæ, ſeu litteræ filiationis quid ſint. 275. Qualem fructum habeant. ib. Quis poſſit eas concedere. 276. & 255.

*S. Franciſcus Seraphicus.*

S. Franciſcus impetravit à Chriſto Domino Indulgentiam Portiunculæ. 252.
In Feſto S. Franciſci Seraphici lucrifieri poteſt Indulgentia plenaria in Eccleſiis Franciſcanorum 252.
Sanctus Franciſcus inſtituit Tres Ordines, nimirum Fratrum Minorum, Clariſſarum, & Pœnitentium Tertii Ordinis. 263
S. Franciſci Seraphici Tribus Ordinibus conceſſæ Indulgentiæ enumerantur. 250.
S. Franciſci Tribus Ordinibus facta Communicatio Privilegiorum à Clemente VII 322.
S. Franciſci Tribus Ordinibus Privilegiorum conceſſorum confirmatio facta à Clemente VIII. 323.
S. Franciſci Chordigerorum Archi-Confraternitati conceſſæ Indulgentiæ. 255.

*Franciſcani.*

Franciſcanorum Eccleſiis conceſſæ Indulgentiæ recenſentur. 258.
Franciſcanorum Benefactoribus conceſſæ Indulgentiæ ſpecificantur. 254.
In Franciſcanorum habitu morientibus, & ſepultis conceſſæ Indulgentiæ. ib.
Franciſcani jam ultra quadringentos annos inhabitant terram Sanctam. 256.
Franciſcani quas indulgentias concedere poſſint. 256.

# G

*Gratia.*

GRatiam ſufficientem ad ſalutem dat DEUS omnibus hominibus. 285.
Sine gratia homo poteſt facere aliqua opera moraliter bona ordinis naturalis. ib.
Gratia non neceſſitat voluntatem. 285. & 286.
Gratia, & Charitas habitualis ſunt idem realiter habitus. 286.
Gratia ſanctificans, & peccatum abſolutè loquendo poſſunt ſtare ſimul. ib.
Gratiæ effectus eſt Juſtificatio ex ordinatione Divina. 286.
Ultima diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem non procedit effectivè ab eadem. 287.
Cum gratia Divina, quæ nulli deeſt, poteſt homo omnia DEI præcepta obſervare. 285.
Gratia ſanctificans animam Chriſti fuit Summa de potentia DEI ordinaria. 288.

# H

*Habitus.*

IN Habitu Franciſcanorum, Clariſſarum, vel Tertiariorum morientibus, & ſepultis conceſſæ Indulgentiæ. 254.
Habitum Regularium oſculantibus conceſſæ Indulgentiæ. ib.
Habitum Franciſcanorum portare prohibitum eſt Tertiariis, & Eremitis. 260.

*Hæretici.*

Ab Hæreticis baptizati, ſubinde, non tamen ordinariè ſunt rebaptizandi. 191.
Hæretici non poſſunt eſſe Patrini in Baptiſmo. 202.
Hæretici validè poſſunt baptizare. 189.
Hæretici docent multa rectæ rationi contraria. 291.
Hæretici docent multa S. Scripturæ contraria. 297.
Hæreticorum Principia non ſunt apta ad formandam conſcientiam bonam. 296.
Hæretici ad fidem converſi enumerantur. 297.

# I

*Janſeniana Propoſitiones.*

JAnſenianæ Propoſitiones damnatæ à pluribus Summis Pontificibus referuntur in Bulla Clementis XI. quæ incipit: *Vineam Domini*. 331.

*Immaculata Conceptio B.V. MARIÆ.*

Immaculatæ Conceptionis B. V. MARIÆ Feſtum præcipitur ſervari à Clemente XI. 311. & 312.
Immaculatè concepta eſt B. V. MARIA. 283.

*Immunitas Eccleſiaſtica.*

De Immunitate Eccleſiaſtica locali, ſeu de Jure Aſyli conſtitutio Gregorii XIV. *Cum aliàs*, ex integro affertur. 312.

*Indulgentia quid, & quotuplex.*

Indulgentia quid ſit. 233.
Indulgentiarum uſus eſt Antiquiſſimus. ibid. Multiplex Indulgentiæ diviſio. 234.
Indulgentia Plenaria quid ſit. ibid. Quid partialis, *Corona*, *Quadragena*, *Quarantena*, *Septena*. ibid Qualis differentia inter Plenariam, Pleniorem, Pleniſſimam, Inſtar Jubilæi, in forma Jubilæi, per modum Jubilæi. ibid.
An lucretur Indulgentiam Plenariam, qui retinet affectum ad unum peccatum veniale. ibid. Cur Indulgentiæ Plenariæ addatur Partialis. ibid. Quid intelligatur per centum, vel mille dies, aut Annos Indulgentiarum. ibid.
Indulgentia Perpetua, Temporalis, & Indefinita quid ſit. ib.
Indulgentia Perſonalis, Realis, & localis quid ſit. 235.
Indulgentia Eccleſiæ conceſſa an extendatur ad ejus Cœmeterium. ibid. An ad Viſitationem Altarium ſufficiat præciſè eſſe in templo. ibid.
An diruta Eccleſia pereat Indulgentia ipſi conceſſa. ibid.
Notanda circa Indulgentiam Realem. ibid. Quid Nomine Roſarii, Coronæ aut Pſalterii intelligatur in formulis Indulgentiarum. 236.

*Indulgentias concedens.*

Indulgentias quis concedere poſſit. ibid. Nimirum Summus Pontifex. ibid. Epiſcopi. ibid. Prælati Regulares, ac etiam Fratres Minores concionantes. ibid.
Ad validè concedendam Indulgentiam requiritur cauſa rationabilis, & quantitati Indulgentiæ proportionata. 237.

*Quis Indulgentias lucrari poſſit.*

Indulgentias lucrari poteſt ſolus homo baptizatus. ibid. Non Excommunicatus. ibidem. Subditus concedentis Indulgentias. ibid Debitor pœnarum temporalium e peccatis dimiſſis reſtantium. ibid. An Papa, vel Catechumenus poſſit lucrari Indulgentias. ibid.

Gen-

Digitized by Google

# Index Rerum Notabilium.


*Conditiones ad lucrandas Indulgentias requiſitæ.*

Ad lucrandas Indulgentias requiritur Status gratiæ. 238.
An Confeſſio Sacramentalis. ibid. Item requiritur intentio eaſdem lucrandi. ib. Et qualis. ib.
Item requiritur impletio operum pro iis lucrandis præſcriptorum. ibid. Opera præſcripta debent impleri integrè. 239. Ultimum ſaltem debet fieri in ſtatu gratiæ. ibid. ſine peccato etiam veniali. ibid. Ab eo qui lucraturus eſt Indulgentiam, debent opera præſcripta perfici. ib. Excipitur Eleemoſyna. ib. Confeſſio Sacramentalis ad lucrandam Indulgentiam requiſita debet eſſe valida, & communio non Sacrilega. 238.

*Indulgentiæ Effectus.*

Indulgentiæ Effectus eſt remiſſio pœnæ temporalis ex peccatis quoad culpam dimiſſis reſiduæ. 239. An per Indulgentiam plenariam remittatur omnis pœna. 240. An etiam Pœnitentia Sacramentalis. ib. Tempore Indulgentiæ Plenariæ, qualis Pœnitentia à Confeſſario imponenda. ib.

*Indulgentiæ pro defunctis.*

Indulgentiæ conceduntur vivis per modum Abſolutionis, defunctis per modum ſuffragii. 260. Indulgentiæ an Defunctis proſint infallibiliter. 241. Solvitur Objectio. 242. Quid requiratur, ut Indulgentia proſit defunctis. 241.

*Indulgentiæ Accidentia.*

Indulgentia æqualiter participatur etiam ab inæqualiter diſpoſitis. 231. Qualis devotio requiratur in perficiendis operibus præſcriptis pro lucranda Indulgentia. 241.
Indulgentiæ diverſæ nequeunt uno, & eodem opere obtineri. ibid.
Indulgentia an ſæpiùs obtineatur, ſi ſæpiùs opus injunctum repetatur. 242.
Indulgentiæ diverſæ an eodem tempore per diverſos actus poſſint obtineri. ib.
Indulgentia an reviviſcat ſublato ſtatu diſgratiæ. ib.
Indulgentia quamdiu duret: item an expiret morte concedentis. 243. & 243.
Indulgentia an ceſſet ceſſante cauſa, ob quam conceſſa fuit. 243.
Indulgentias lucrandi tempus quando incipiat in feſtis, & non feſtis diebus, ibid. Clauſula in Brevibus indulgentiarum poſita: *Præſentibus ad Septennium valituris &c.* qualiter intelligenda, ibid. Clauſula in Brevibus Indulgentiarum poſita. *Simili ad Præſens Privilegio minimè decoratum*, qualiter intelligenda. ibid
Indulgentia an transferatur translato feſto. 244.
Indulgentiæ poſſunt revocari. ibid. Earum tamen revocatio debet ſufficienter promulgari. ib.
Interpretatio Indulgentiarum debet latè fieri ex ea parte, qua continent favorem. ibid. Strictè verò ex ea parte, qua continent odium. 244. & 245.
Qualiter interpretanda ſit clauſula illa in Brevibus Indulgentiarum: *Volumus autem, ut ſi aliàs Chriſtifidelibus dictam Eccleſiam qualibet Anni die Viſitantibus aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapſum duratura conceſſa fuerit, præſentes litteræ nullæ ſint.* 245.
Qualiter interpretanda ſit iſta Clauſula in Brevibus Indulgentiarum poſita: *Volumus autem, ut ſi pro impetratione, Præſentatione, Admiſſione, ſeu publicatione aliquid minimum detur, vel ſpontè oblatum accipiatur, præſentes nullæ ſint eo ipſo.* ibid.
Indulgentias impetrandi modos, & quales, ac pro quibus impetrari poſſint. ibid.
An ſequens opinionem probabilem in acquiſitione Indulgentiæ, vel Jubilæi, lucretur à parte rei Indulgentiam, vel Jubilæum, hujuſque favores, & gratias. ibid.
In petenda renovatione Indulgentiarum temporalium Rectores, & Superiores Eccleſiarum debent eſſe providi. 246.

*Indulgentiæ in Specie enumerantur.*

Indulgentiæ Regularium à Paolo V. revocatæ. 246. Et aliæ de novo conceſſæ Regularibus recenſentur. 77. Bulla Pauli V. eas concedentis 313.
Indulgentiæ Stationum enumerantur. 247. Quis eaſdem lucrari valet. 249. Circà Indulgentias tria notanda Regularibus. ibid.
Indulgentiarum Communicatio inter Regulares qualiter intelligatur. ibid.
Indulgentiæ conceſſæ Tribus Sacris Ordinibus S. P. N. Franciſci enumerantur. 250.
Indulgentia Stationis Sanctiſſimi Sacramenti. ibid. Indulgentia Coronæ de ſeptem Gaudiis B. V. MARIÆ. 251. Indulgentia orationis mentalis, & Doctrinæ Chriſtianæ. ib.
Indulgentiæ noſtris Eccleſiis conceſſæ. ibid.
Indulgentia Portiunculæ eſt immediatè à Chriſto conceſſa. 252. Per eam Trinitatis, & Eccleſiæ Catholicæ Dogmata confirmantur. 253. Poteſt obtineri in noſtris Eccleſiis ſecunda die Auguſti. ib. Et quidem *toties, quoties*. ib. Poteſt applicari pro defunctis. ibid. Non ſuſpenditur in Anno Jubilæi *Indulgentia Portiunculæ Aſſiſiatenſis* 262. & 315.
Indulgentiæ Monialium Clariſſarum enumerantur. 253.
Indulgentiæ noſtrorum Tertiariorum referuntur. ibid.
Indulgentiæ conceſſæ Benefactoribus noſtri Ordinis Seraphici 254.
Indulgentiæ Morientium, & Sepultorum in Habitu Franciſcanorum, Clariſſarum, vel Tertiariorum. ibid.
Indulgentiæ conceſſæ devotè oſculantibus habitum Regularium. ibid.
Indulgentiæ conceſſæ obeuntibus viam Crucis, ſeu Montem Calvariæ. 256.
Indulgentiæ Archi-Confraternitatis Chordigerorum S. P. N. Franciſci. 255.
Indulgentiæ Crucum, Coronarum, & Roſariorum Jeroſolimitanorum. ibid.
Indulgentiæ conceſſæ occaſione canonizationis S. Catharinæ Bononienſis Virginis ex Ordine S. Claræ. 257.
Indulgentiæ omnibus Chriſtifidelibus indifferenter conceſſæ enumerantur. ibid.
Indulgentia Altarium Privilegiatorum, ſicut & Clauſulæ Brevium concedentium Altaria Privilegiata explicantur. 258. Vide ſupra: *Altare Privilegiatum*.
Indulgentiæ Terræ ſanctæ 317.
Indulgentiæ Roſariis Birgittanis conceſſæ. 259.
Indulgentiæ conceſſæ pro articulo mortis. ibid.
Indulgentiarum communicatio inter Perſonas, Ordines, Congregationes, Confraternitates, Eccleſias & loca quæ Miniſtri Generales Fratrum Minorum Regularis obſervantiæ obedientiæ, vel directioni ſubſunt. 317. & 342.

*Indulgentiæ Apocryphæ, & Revocatæ.*

Indulgentiæ revocatæ à S. Pio V. 260.
Indulgentiæ revocatæ à Paulo V. ibid.
Indulgentiæ revocatæ ab Innocentio XI. in Decreto: *Delata ſæpius*. ibid.
Indulgentiæ vivæ vocis oraculo conceſſæ an ſint revocatæ 261.

*Infantes.*

Infantes expoſiti, & inventi ſunt ſub conditione rebaptizandi. 195.
Infantes infidelium, an, & quando ſint baptizandi. 192.
Infantibus non poteſt dari Extrema Unctio. 225.
Infantibus poteſt conferri Sacramentum Confirmationis validè, & ſi adſit cauſa rationabilis, etiam licitè. 215.

*Iterabilitas Sacramentorum.*

Iterabilis non eſt Baptiſmus, niſi deſit certitudo moralis de ejus valore. 192.
Iterabilis non eſt Confirmatio. 216. & 217.
Iterabile eſt Sacramentum Extremæ Unctionis. Et quando. 227.

*Jubilæi Natura, & Diviſio, Effectus, & Conditiones.*

Jubilæi natura, & definitio. 261. & 262.
Jubilæum eſt triplex. 262. Quoties, & pro quibus Jubilæum obtineri queat. ibid.
An Jubilæum expiret per mortem concedentis Papæ. ibid.
Durante Anno Sancto Jubilæi ſuſpenduntur omnes Indulgentiæ Plenariæ conceſſæ vivis extra Urbem Romam conſtitutis, & facultates abſolvendi, atque diſpenſandi earundem occaſione datæ. ibid. Excipitur Indulgentia, & Jubilæum Compoſtellanum. ibidem. Item Indulgentiæ à Chriſto conceſſæ Portiunculæ Aſſiſiatenſi. ibid. Item Indulgentia conceſſa domui Auguſtiſſimæ Lauretanæ B. V. MARIÆ. ibidem. Item excipiuntur Indulgentiæ ſolis defunctis applicabiles. ibidem. Item excipiuntur Indulgentiæ Epiſcopales: item conceſſæ pro articulo mortis. ibid. Non ſuſpenduntur in Anno ſancto Jubilæi facultates abſolvendi à caſibus Epiſcopalibus, nec facultates abſolvendi à Caſibus Reſervatis Papæ, quæ non ſunt conceſſæ occaſione Indulgentiarum, prout ſunt illæ, quæ Regularibus conceſſæ ſunt in ipſorum Privilegiis. 263.
Incipit autem ſuſpenſio ſupradictarum Indulgentiarum, & facultatum in Anno Sancto, quando hic Incipit, videlicet, in primis Veſperis Nativitatis Domini, & definit quando definit Annus Sanctus, videlicet finitis primis Veſperis Nativitatis Domini anni ſequentis. ibid.
Jubilæum quinam lucrari poſſint. ibid. An amentes, an Peregrini. ibidem. Ad lucrandum Jubilæum quænam opera requirantur


quirantur

Digitized by Google

quirantur. ib. An debeant præſtari in una hebdomada. ibid.
Qualis requiratur Oratio. ibid. Qualis viſitatio Eccleſiæ. 264. Qualis Proceſſio. ibid. Quale Jejunium ibid. Qualis Eleemoſyna. Ibid. An omnes debeant dare Eleemoſynam. ibid. Qualis ad lucrandum Jubilæum requiratur Confeſſio. Ibid. Quando Confeſſio ſit peragenda pro lucrando Jubilæo. 265. Qualis communio. Ibid. An etiam pueri debeant communicare in Jubilæo. ibid. Quis opera pro lucrando Jubilæo præſcripta poſſit, obſtante impedimento, in alia commutare, vel prorogare? Ibid. Quando, & qualiter facienda ſit commutatio, ac Prorogatio. 266.

*Gratiæ, & Favores conceſſi lucrantibus Jubilæum.*

Gratiæ in Jubilæo conceſſæ ſpecificantur. 266. In Jubilæo quinam poſſint eligere Confeſſarium, qui gratias, & favores Jubilæi Impertiatur. ibid. An etiam Regulares. ibid. Qualia Confeſſarius poſſit eligi pro Jubilæo. 267.
Pro Jubilæo electus Confeſſarius poteſt abſolvere à peccatis reſervatis. 268. Item à cenſuris reſervatis. ibid. An etiam à cenſuris Bullæ Cœnæ Domini. Ibid. An ab hæreſi. ibid. An poſſit etiam perſonaliter cenſuratos, vel publicè denuntiatos abſolvere. 269. An abſolutio à cenſuris poſſit dari extra confeſſionem. Ibid.
An Confeſſarius Jubilæi poſſit facere compoſitionem ſuper malè ablatis incertis. ibid. An poſſit diſpenſare in irregularitate. 270. Qualem Pœnitentiam debeat injungere in Jubilæo. Ibid.
Confeſſarius pro Jubilæo electus non poteſt vi Jubilæi diſpenſare in aliquo voto. ibid. Benè verò poteſt commutare vota etiam extra Confeſſionem, imò etiam abſens. ibid. Qualiter vota commutare debeat. Ibid. Poteſt etiam commutare Juramenta pia. 271. Item Promiſſiones ſanctis factas. Ibid. Et alia vota. ibid. Exceptis votis caſtitatis, & Religionis. ibid. Et exceptis votis, quæ cedunt in præjudicium Tertii. 272.
Jubilæum ſemel obtentum dat Jus, omni tempore etiam poſt Jubilæum, eligendi Confeſſarium, pro iis gratiis acquirendis, quæ tempore Jubilæi obtineri poterant, & tamen obtentæ non fuerunt. ibid. Hinc poteſt aliquis poſt obtentum, & tranſactum Jubilæum abſolvi à caſibus reſervatis, quorum manifeſtationem inculpabiliter omiſit in Confeſſione tempore Jubilæi facta. Idem dicendum de cenſuris reſervatis. ibid. Idem dicendum de commutatione votorum. ibid. Modò iſti caſus reſervati tempore Jubilæi jam fuerint incurſi, & vota jam emiſſa. ibid. An peccet, qui conceſſum Jubilæum non lucratur. ibid.

*Juſtificatio.*

Juſtificatio eſt effectus gratiæ ſanctificantis. 286. Contritio, & Amor DEI non juſtificant formaliter, ſed diſpoſitivè. 287. Sola fides non juſtificat. 286.

L

*Lectores Jubilati.*

LEctorum Jubilatorum in Ordine noſtro Seraphico Privilegia, & prærogativæ conceſſæ ab Innocentio XI. Bulla: *Exponi nobis*. 319.

*Lex.*

Legis Naturæ remedium contra peccatum originale erat Sacramentum propriè dictum. 292. In Lege veteri Circumciſio erat propriè dictum Sacramentum. 293.
Legis Novæ Sacramenta cauſant gratiam Sanctificantem, non phyſicè, ſed moraliter. ibid.

*Libri.*

Libri ex Bibliothecis Franciſcanorum non poſſunt extrahi juxta Bullam S. Pii V. 319.
Liber Baptizatorum. 207.
Liber Confirmatorum. 217.

*Litteræ Pœnitentiariæ.*

Litteras Pœnitentiariæ Romanæ poſſunt aperire, & executioni mandare Lectores Jubilati ex Ordine noſtro Seraphico. 319.

*Lumen Gloriæ.*

Lumen gloriæ in Beatis requiritur ad eliciendam viſionem Beatam; quamvis abſolutè ſine illo poſſit elici viſio Beata ab intellectu creato cooperante concurſu DEI ſupernaturali extrinſeco. 282.

M

*B. V. MARIA.*

BEatiſſima Virgo MARIA eſt concepta ſine peccato Originali. 283. Nec habuit debitum proximum illud incurrendi. Ibid. Feſtum Immaculatæ Conceptionis B. V. MARIÆ præcipitur ſervari à Clemente XI. 311. In Feſto Immaculatæ Conceptionis B. V. MARIÆ poteſt in noſtris Eccleſiis lucrifieri ab omnibus Chriſti fidelibus Indulgentia Plenaria. 251. Et multæ partiales. ibid. In Feſtis B. V. MARIÆ poſſunt multæ Indulgentiæ in noſtris Eccleſiis obtineri. ibid. Chriſtus ut homo eſt verus Filius B. V. MARIÆ per filiationem creatam. 288.

*Martyrium.*

Martyrium ſupplet Baptiſmum fluminis. 205.
Martyrium per ſe, & quaſi ex opere operato confert gratiam juſtificantem, & remiſſionem totius culpæ, & pœnæ. 205.
Martyrium confert ſuum effectum in aliquo inſtanti determinato ante mortem. 205.
Martyrium etiam Martyribus ante Adventum Chriſti contulit prædictum effectum. 205.
Martyrium non eſt Sacramentum. 205. Nec ſupplet Sacramentum Baptiſmi in omnibus. ibid. Hinc Martyr ſupervivens deberet adhuc baptizari Baptiſmo Aquæ. ibid.
Ad verum Martyrium requiritur vera Catholica fides. 206. Intentio tolerandi mortem pro DEO. ibid. Ut mors ſit violenter illata non repugnanti, in odium DEI, vel virtutis. ibid. In peccatore inſuper requiritur attritio ſupernaturalis. 207.
Martyrium rarò eſt in præcepto, nec licet ſe ſine juſta cauſa Martyrio ingerere. 207.
Martyrii capaces ſunt etiam infantes. Quid in iiſdem requiritur ad Martyrium. ibid. Martyrium prodeſt infantibus ad ſalutem ſine Baptiſmo Aquæ. ibid. Etiam in utero Matris occiſis. 207. & 208.

*Matrimonium.*

De Matrimonio Clandeſtino contracto in loco, ubi Concilium Tridentinum non eſt receptum, Breve Urbani VIII. 320.
Matrimoniale vinculum poteſt ſine conſenſu viri, & fœminæ induci inter ipſos à DEO. 294.

*Miniſtri Eccleſiæ.*

Miniſtri veræ Eccleſiæ debent vocari, & ordinari à Papa, vel ab Epiſcopis, non à Laicis. 294.

*Miſſa.*

Miſſæ Defunctorum quando celebrari poſſint ex Decreto Alexandri VII. 320.
Miſſas in diebus Dominicis, & Feſtis audientes in Eccleſiis Regularium ſatisfaciunt præcepto Eccleſiæ. ibid.
Miſſæ an in Oratoriis privatis celebrari poſſint ex Decreto Clementis XI. 322.
Miſſæ in Altari Privilegiato quales celebrari debeant. 258.

*Moniales.*

Moniales an poſſint eligere Confeſſarium in Jubilæo. 266.
Monialium Clauſura quos excludat ex Bulla Greg. XIII. 302.
Monialium Clariſſarum Indulgentiæ. 253.
Monialium Tertiarum Indulgentiæ. ibid.

*Mons Calvariæ.*

Franciſcani inhabitant Jeroſolymis Montem Calvariæ. 256.
Franciſcani habent à Summis Pontificibus Privilegium, ubique terrarum erigendi Montem Calvariæ, ſeu Stationes Paſſionis Dominicæ, ſeu viæ Crucis ad eum modum, quo deſacto Jeroſolymis extant, & talem Montem Calvariæ devotè viſitantes, & Paſſionem Dominicam meditantes habent eaſdem Indulgentias, quas habent viſitantes Montem Calvariæ Jeroſolymis exiſtentem. 256. & 314.

*Moribundus.*

Moribundus qualiter ſe debeat ad mortem diſponere. 336.
Quid Confeſſarius agere debeat vocatus ad moribundum. 330. Moribundus debet confiteri. 330. Sumere Viaticum. ib. An qui manè communicavit, & poſtea eadem die incidit in periculum mortis, debeat adhuc eadem die non jejunus ſumere Viaticum. ibid. Quoties Infirmus non jejunus poſſit communicare durante infirmitate. ib. An phræneticis, vel uſu ratio-

Digitized by Google

tionis deſtitutis, ſemifatuis, energumenis, ſurdis, & mutis, infantibus perpetuò amentibus, pueris, & puellis ſit adminiſtrandum Viaticum. ibid.
Cum quibus Cæremoniis ſit adminiſtrandum Viaticum. 230. An etiam illis, quorum ſtomacus nequit conſumere ſpecies Euchariſticas, vel ſolet eaſdem evomere, ſit dandum Viaticum. ibid. Quid faciendum, ſi quis cum communione ſumpſiſſet venenum. ibid.
Moribundus debet facere Teſtamentum, & quales hæredes debeat inſtituere, quales Teſtamenti executores. ib.
Moribundus debet ſuſcipere Extremam Unctionem. ib.
Moribundus in ſex præcipuè virtutum actibus exercendus eſt. ibid.
Quid Confeſſarius agere debeat apud Agonizantem. 230. Quid obſervare debeat circa Indulgentias infirmo applicandas. ibid. Quid circà cereum benedictum. 231. Quid circa Chriſti Crucifixi Effigiem. ibidem. Quid circa SS. Nomina JESUS, & MARIÆ. ibidem. Quid circa inſpirationes moribundo ſuggerendas. ib.
Quid obſervare debeat Confeſſarius, cùm ab infirmo diſcedit. ib. Vel quando infirmus eſt ſenſibus deſtitutus. ib.
Quid Confeſſarius agere debeat apud laborantes morbo contagioſo, vel peſte. ib.
Quid Confeſſarius agere debeat, poſtquam infirmus mortuus eſt. ibid.

# N

*Neceſſitas Sacramentorum.*

NEceſſitas Baptiſmi. 197.
Neceſſitas Confirmationis. 219.
Neceſſitas Extremæ Unctionis. 227.

*Notarius.*

Notarius publicus quis ſit. 141.

*Novitius.*

Circa Novitios Religioſorum affertur ex toto Decretum Clementis VIII. 139.

# O

*Obſtetrix.*

OBſtetrix Baptiſmi Miniſtra. 190. An baptizati ab obſtetricibus ſint rebaptizandi. ibid. Obſtetrices tenentur ſub mortali addiſcere formam Baptiſmi, & Parochi tenentur eaſdem de hac examinare. ibid. Parochis etiam invigilandum eſt, ne obſtetrices utantur variis ſuperſtitionibus circa puerperas, Partus, & infantes. ibid.

*Oculus.*

Oculus Corporeus nequit elevari ad videndum DEUM. 281.

*Olea Sacra.*

Olea Sacra qualiter ſignentur in eorum vaſculis. 220.

*Omiſſio.*

Omiſſio pura libera eſt poſſibilis. 284. Poteſt eſſe peccaminoſa. ibid. Omiſſionis peccatum quando contrahatur, ſi tempore omiſſionis actus præcepti ſit impotentia illum faciendi. ibid.

*Opera Bona.*

Opera bona ſunt vitæ æternæ meritoria. 287.

*Originale Peccatum.*

Originalis peccati quæ ſit pœna. 283. B. V. MARIA Concepta fuit ſine peccato Originali. ibidem. Nec habuit debitum proximum illud incurrendi. ibid.

# P

*Parochus.*

PArochorum officium circà inſtruendas obſtetrices, & iis invigilandum, dum baptizant in neceſſitate, vel adhibent aliquas ſuperſtitiones. 190.
Parochorum officium circà Librum baptizatorum. 203.
Parochorum officium circà Librum Confirmatorum. 218.
Parocho quid faciendum, ſi ipſi deficiat Oleum Infirmorum. 219.
Parocho quid faciendum, ſi Parochianus non velit recipere Extremam Unctionem. 224.
Parochus non debet eſſe nimiùm ſcrupuloſus circa iterationem Extremæ Unctionis. ibid.
Parochi an teneantur ſuis Parochianis adminiſtrare Extremam Unctionem. 223. An etiam tempore peſtis cum periculo vitæ. 224.
Parocho obſervandæ Regulæ in adminiſtranda Extrema Unctione. ibid.
Quid agere debeat Parochus, ſi in Baptiſmo deſignetur à Parentibus baptizandi hæreticus Patrinus. 202.
Parocho obſervandæ Regulæ circa Baptiſmum conditionatè conferendum. 196.
Parochi an teneantur pro ſuis Parochianis applicare Sacrificium Miſſæ, & quoties ex Bulla Innocentii XII. 131.

*Parturiens.*

Parturiens in periculo mortis conſtituta quomodo juvanda. 191.

*Parvuli.*

Parvuli an baptizandi in utero Matris. 191. An ſit præceptum baptizandi parvulos. 198. An parvuli, & impuberes poſſint eſſe Patrini. 202. An parvuli ſint confirmandi. 215. An parvuli ſint extremè inungendi. 224. An parvulis ſit dandum Viaticum. 231. An parvulis ſit danda communio in Jubilæo. 265.

*Patrinus.*

Patrinus requiritur in Baptiſmo ſolemni. 201. Quot poſſint eſſe Patrini, & an mas poſſit eſſe Patrinus fœminæ, vel econtra. ibid.
Quid requiratur, ut quis validè fiat Patrinus. 202. Quid requiratur, ut quis licitè fiat Patrinus. ibid. An hæreticus poſſit admitti pro Patrino. ibid. An Excommunicatus. ibid. An proprius Parens baptizandi. ibid. An Monachi, an Franciſcani. ibid. An impuberes. ibid. An idem ſimul poſſit eſſe baptizans, & Patrinus reſpectu ejuſdem. 203.
Officium, & cognatio Patrinorum explicatur. ibid.
Recuſare Officium Patrini an ſit peccatum. ibid.
Quid Parocho obſervandum, quando quis per Procuratorem ſit Patrinus. 201.
Patrinus debet adeſſe in Confirmatione, & an duo poſſint eſſe Patrini confirmandi. 217.
An Patrinus Confirmationis debeat eſſe Confirmatus. ibid. An in Confirmatione Monachus, vel Franciſcanus poſſit eſſe Patrinus. 218.
Obligatio Patrini in Confirmatione. ibidem. Item cognatio Spiritualis. ibid.

*Peccatum.*

Peccatum debet eſſe contra Legem. 284. In quo conſiſtat peccatum actuale. ibid. Et habituale. ibid.
Peccati Originalis pœna. 283. B. V. MARIA non fuit Concepta in peccato Originali. ibid. Nec habuit debitum proximum illud incurrendi. ibid.
Peccatum omiſſionis quando contrahatur. 284.
Peccatum mortale an ſit malitiæ infinitæ. 285.
An peccatum veniale conjunctum mortali in inferno puniatur pœna æterna. ibid.
Peccatum mortale poteſt DEUS abſolutè remittere ſine infuſione qualitatis. 286. Imò etiam ſine pœnitentia. 278.
Peccata non omnia ſunt mortalia, ſed aliqua venialia. 295.
Peccatum Philoſophicum, & Theologicum in propoſitionibus damnatis ab Alexandro VIII. 328.
A peccatis reſervatis, ſicut etiam à cenſuris reſervatis qualiter quis abſolvi poſſit in Jubilæo. 268. Vide ſuprà *Jubilæum*.

*Perſona Divina.*

Perſonæ Divinæ formaliter conſtituuntur, & diſtinguuntur per proprietates Perſonales relativas. 280.
Filiatio, & non ſpiratio activa eſt Ratio formalis prima, & eſſentialis diſtinctiva Filii à Spiritu Sancto. 281.

*Perſona in Eccleſiaſtica dignitate.*

Perſona in Eccleſiaſtica dignitate conſtituta quænam dicatur. 341.

*Pœnitentia.*

Pœnitentia Sacramentalis tempore Indulgentiæ Plenariæ qualis injungenda ſit. 240.
An per Indulgentiam Plenariam Pœnitens liberetur ab obligatione

Digitized by Google

gatione implendi pœnitentiam Sacramentalem. 240.
In Jubilæo qualis Pœnitentia injungenda. 270.

*Pontifex Summus.*

Pontifex Romanorum eſt Verus Chriſti Vicarius, Succeſſor Petri, & Caput viſibile Eccleſiæ. 291. Eſt ſupra Concilium. ibid. Eſt infallibilis ex Cathedra loquens, etiam extra Concilium. ibid. Eſt de fide Innocentium XIII. eſſe verum Summum Pontificem. ibid.
Pontifex Romanus non eſt Anti-Chriſtus. 297.
Pontifex Romanus poteſt concedere Indulgentias pro vivis; & defunctis. 236.

*Portiuncula Indulgentia.*

Quid intelligatur Nomine Portiunculæ. 252.
Portiunculæ Indulgentia eſt immediatè à Chriſto conceſſa. ibid Per eam tria fidei, & Eccleſiæ Catholicæ dogmata confirmantur. 253.
Portiunculæ Indulgentia poteſt lucrifieri ab omnibus Chriſti fidelibus in Eccleſiis Franciſcanorum die ſecunda Auguſti. ibid. Et quidem *toties quoties*. ibid. Poteſt applicari pro defunctis. ibid. Non ſuſpenditur in Anno Jubilæi *Indulgentia Portiuncula Aſſiſatenſis*. 262. & 315.

*Præcepta Divina.*

Præcepta Divina poteſt Homo obſervare cum gratia Divina, quæ nulli deeſt. 285.

*Prædeſtinatio.*

Prædeſtinatio ad gloriam an facta ſit ante, vel poſt prævisa merita. 279.

*Privilegium.*

Privilegium Regularium circa adminiſtrationem Extremæ Unctionis. 222. & 223.
Privilegiorum Communicatio facta Tribus Ordinibus S. P. N. Franciſci à Clemente VII. 323.
Privilegiorum Tribus Ordinibus S. P. N. Franciſci conceſſorum confirmatio à Clemente VIII. ibid.
Privilegiorum conceſſio facta Societati JESU, & Regularibus Mendicantibus. 324.
Privilegiorum Regularibus conceſſorum declaratio facta à Clemente X. ibid.
Privilegiorum vivæ vocis Oraculo conceſſorum revocatio facta ab Urbano VIII. 326.
Privilegiorum, & Indulgentiarum communicatio inter Perſonas, Ordines, Congregationes, Confraternitates, Eccleſias, & Loca, quæ Miniſtro Generali Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, Obedientia, vel Directioni ſubſunt. 317. In Bulla Innocentii XII. *Sua nobis*. 312.

*Proceſſiones Divinæ.*

Proceſſiones Divinæ non ſunt intellectio, & volitio Eſſentialis, ſed actus notionales, nimirum *Dictio Verbi*, & *Spiratio activa Spiritus Sancti*. 280.
Proceſſiones Divinæ non præſupponunt cognitionem Creaturarum. 281.
Proceſſio filii cur ſit generatio, & non Proceſſio Spiritus Sancti. ibid.

*Profeſſio fidei Catholicæ.*

Profeſſio Fidei Catholicę preſcripta à Pio IV. ex integro affertur. 327.

*Propoſitiones damnatæ.*

Propoſitiones damnatæ ab Aleſſandro VIII. 328.
Propoſitiones Bajanę damnatæ à S. Pio V. 329.
Propoſitiones Janſenianæ damnatæ ab Innocentio X. Aleſſandro VII. & Clemente XI. 331.
Propoſitiones Queſnellianæ damnatæ à Clemente XI. 333.
Prohibitio Theſis de uſu ſcientiæ ex Confeſſione acquiſitæ. 336.

*Pſalterium.*

Per Pſalterium quid in Bullis, vel Brevibus Indulgentiarum intelligatur. 236.

*Purgatorium.*

Datur Purgatorium. 294.

## R

*Regulæ.*

Regulæ in collatione Sacramenti Baptiſmi obſervandæ. 184.
Regulæ circa Baptiſmum conditionatè conferendum obſervandæ. 196.
Regulę obſervandæ in adminiſtranda Extrema Unctione. 224.

*Regulares.*

Regularium Privilegium circa adminiſtrationem Extremæ Unctionis. 222. & 223.
Regulares in Jubilæo an poſſint eligere confeſſarium. 266.
Regulares quid poſſint benedicere, ac paramenta Eccleſiaſtica pro ſuis, & alienis Eccleſiis, & an reconciliare Eccleſias ſibi ſubjectas, & violatas. 208.
Regulares quas habeant Indulgentias. 247.
Regularium habitum devotè oſculantibus conceſſæ Indulgentiæ. 254.
Regulares an habeant communicationem Indulgentiarum. 249.
Pro Regularium Reformatione Decreta Clementis VIII. 336.
Pro Regularium Novitiorum Receptione Decretum Clementis VIII. 321.
Regularium Caſus Reſervati, & Decretum Clementis VIII. circa ipſos. 304.
Regularibus Privilegia conceduntur à Paulo III. 324.
Regularium Privilegia declarantur à Clemente X. ibid.
In Eccleſiis Regularium Miſſas audientes in diebus Dominicis, & feſtis, ſatisfaciunt præcepto Eccleſiæ. 320.

*Relationes Originis.*

Relationes originis formaliter ſumptæ non dicunt perfectionem ſimpliciter ſimplicem. 280.

*Reliquiæ.*

Reliquiæ an, & quomodo cultui publico exponi poſſint. 210.

*Remedium Legis Naturæ.*

Remedium Legis Naturæ contra peccatum Originale erat Sacramentum propriè dictum. 292.

*Reprobatio.*

Reprobatio facta eſt poſt prævisa demerita. 289.

*Roſarium.*

Per Roſarium in Bullis Indulgentiarum quid intelligatur. 236.
Roſariorum Jeroſolymitanorum Indulgentiæ recenſentur. 256. & 316.
Roſariorum Birgittanorum Indulgentiæ referuntur. 259.

## S

*Sacramenta.*

Sacramenta non fuiſſent inſtituta in ſtato Innocentiæ, ſi perſeveraſſet. 292.
Sacramenta novę Legis cauſant gratiam Sanctificantem, non phyſicè, ſed moraliter. 293.
Sacramentum propriè dictum erat in veteri Lege Circumciſio. 293. & 294.
Sacramentum propriè dictum erat Remedium Legis naturæ contra peccatum originale. 293.
Sacramentum Extremę Unctionis non confert per ſe gratiam ſanctificantem primam, ſed tantùm per accidens. 236. & 228.
Sacramentum primum novæ legis eſt Baptiſmus Fluminis. 181.
Sacramentum non eſt Baptiſmus ſanguinis, ſeu Martyrium. 203.
Sacramentum non eſt Baptiſmus flaminis. 203.
Sacramentum Secundum novæ Legis eſt Confirmatio. 210.
Sacramentum propriè dictum novæ Legis eſt Extrema Unctio. 218.

*Sacra Scriptura.*

Sacra Scriptura in veteri vulgata latina editione eſt verum Verbum DEI. 290.

*Species impreſſa.*

Species impreſſa Divinę Eſſentiæ eſt poſſibilis. 281.

Spi-

Digitized by Google

# Index Rerum Notabilium.

*Spiritus Sanctus.*

Spiritus Sanctus. etiamſi non procederet à Filio, adhuc ab eo realiter diſtingueretur. 281.
Spiratio activa datur io Patre, & Filio. 280.

*Stationum Indulgentiæ.*

Stationum I[illegible]dulgentiæ recenſentur. 247. Quis poſſit lucrari Stationum Indulgentias. 249. & 247 An etiam ſæculares eas poſſint lucrari, & an pro defunctis poſſunt applicari. ibid.

*Subſiſtentia.*

Subſiſtentia abſoluta datur in Divinis. ibid.

*Suffragia.*

Suffragia quid ſint. 273.
Fideles poſſunt ſe invicem vivos juvare ſuffragiis. 273. Ac etiam defunctos. ibid.
Conditiones requiſitæ ad applicationem ſuffragiorum ex parte illius, pro quo offeruntur. 274. Et ea parte offerentis. ibid.
Suffragia nondum exhibita certò tamen exhibenda ao proſint defunctis. ibid.
Reflitatio eorum, quæ defunctus abſolverat, aut expletio votorum, quæ neglexerat, an proſint defuncto. ibid.
An Defunctis proſit campanarum pulſus, uſus Cereorum ardentium, ſepulchra in loco Sacro, Aſperſio aquæ benedictæ, incenſatio Thuris. ibid.
Suffragium pro pluribus oblatum an tantum valeat, quantum pro uno oblatum. 275.
Suffragia pro aliis oblata an proſint offerenti. ibid.
Si ſubditus applicet ſuas ſatisfactiones contra applicationem Superioris, cujuſnam applicatin valeat. ibid.
Communicatio Suffragiorum facta per Filiantias, ſeu litteras Filiationis. ibid.
Qualis fructus accedat illis, qui habent Filiantias, ſeu litteras Filiationis. ibid.
An decedat aliquid Religioſis per Communicationem Filiantiarum. ibid.
Quis poſſit concedere Filiantias, ſeu Communicare aliis ſuffragia. 276. & 254.

## T

*Terra Sancta.*

TErra Sancta inhabitatur à nobis Franciſcanis Regularis obſervantiæ jam ultra quadringentos annos. 256.
Terræ Sanctæ Indulgentiæ confirmantur à Clemente X. 325.
Cruces, & Roſaria, quæ tetigerunt Sacratiſſimæ Terræ Sanctæ loca, habent magnas Indulgentias. 256. & 316.

*Tertiarii.*

Tertiariorum Religioſorum, & Sæcularium S. P. N. Franciſci Indulgentiæ recenſentur. 253. & 340.
Tertiariis ad Menſtruam Congregationem convenientibus conceſſæ ſunt Indulgentiæ à Clemente V. 254.
Paulus V. non revocavit Indulgentias conceſſas noſtris Tertiariis Sæcularibus. 256.
In Tertiar[illegible] habitu morientibus, & ſepultis Chriſti fidelibus Leo X. conceſſit Indulgentiam plenariam. 254.
Tertiarii noſtri poſſunt uti noſtro Breviario Franciſcano. ibid.
Tertiariis prohibetur ferre habitum Franciſcanum. 340.

*Teſtamentum.*

Teſtamentum quomodo, & qualiter ſit faciendum ab infirmo; & quales in eo hæredes inſtituendi. 231.

*Traditiones.*

Traditiones Divinæ, & Apoſtolicæ ſunt admittendæ, & ſunt verum Verbum DEI. 280.

*Tranſubſtantiatio.*

Tranſubſtantiativa actio eſt ſolùm adductiva, non productiva. 293.

## V

*Verbum Divinum.*

VErbum Divinum fuit immediatè unitum Sanguini exiſtenti in Corpore Chriſti, & effuſo in Triduo mortis ejus. 287.
Præter Verbum DEI ſcriptum datur etiam Verbum DEI non ſcriptum, ſeu traditum. 290.

*Via Crucis.*

Via Crucis ſeu montis Calvariæ à nobis erecta Indulgentiæ recenſentur. 256. & 315.

*Viaticum.*

Viaticum quoties adminiſtrandum. 230. Et quibus. ibid. Et qualiter. 231.

*Virtutes Morales.*

Virtutes morales per ſe infuſæ non dantur. 292.

*Unctio Extrema.*

Vide *Extrema Unctio*.

*Unio Hypoſtatica.*

Unio Hypoſtatica eſt realiter diſtincta à Verbo Divino, & Humanitate. 287.

*Vota.*

Vota in Jubilæo quænam, & qualiter commutari poſſint. 270.
Vota an poſt Jubilæum, vi obtenti Jubilæi poſſint adhuc commutari. 272.

*Uſus.*

Uſus ſimplex facti non eſt Dominium. 292.

F I N I S.

A01 1458345

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google